PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

ALMA COLLEGE
20841
LIBRARY
M588
Alma, California

K.K. UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK GRATZ

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CXXXIX.

SILVESTER II, JOANNES XVIII, SERGIUS IV, BENEDICTUS VIII, SS. PP.; ARNULPUS REM., ÆLFRICUS CANTUAR., ARCHIEPP.; THIETMARUS MERSEBURG., NOTGERUS LEOD., HENRICUS PARM., BRUNO LINGON., ARNOLDUS HALBERST., EPISCOPI; S. ABBO FLORIAC., ALBERTUS MICIAC., HERIGERUS LOB., CONSTANTINUS S. SYMPHOR., GOSPERTUS TEGERN., ABBATES; AIMOINUS FLORIAC., TIETPALDUS TEGERN., BENEDICTUS S. ANDR., PURCHARDUS AUG. DIV., RORICO MOISSIAC., JOANNES DIAC. VENET., BRIDFERTUS RAMES., MONACHI.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

7979

SÆCULUM XI.

SILVESTRI II

PONTIFICIS ROMANI,

AIMOINI FLORIACENSIS MONACHI,

SANCTI ABBONIS

ABBATIS FLORIACENSIS,

THIETMARI MERSEBURGENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA.

ACCEDUNT

JOANNIS XVIII, SERGII IV, BENEDICTI VIII,

SUMMORUM PONTIFICUM,

EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

Interminentur

ARNULFI REMENSIS, ÆLFRICI CANTUARIENSIS, ARCHIEPISCOPORUM; NOTGERI LEODIENSIS, HENRICI PARMENSIS, BRUNONIS LINGONENSIS, ARNOLDI HALBERSTATENSIS EPISCOPORUM; GOSPERTI ABBATIS TEGERNSEENSIS, ALBERTI ABBATIS MICIACENSIS, HERIGERI ABBATIS LOBIENSIS, CONSTANTINI S. SYMPHORIANI ABBATIS; TIETPALDI TEGERNSEENSIS MONACHI, BENEDICTI MONACHI S. ANDREÆ, PURCHARDI MONACHI AUGIÆ DIVITIS, RORICONIS MONACHI MOISSIACENSIS, JOANNIS DIACONI VENETI, BRIDFERTI RAMESIENSIS MONACHI;

SCRIPTAQUÆ EXSTANT.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M588
Alma, California

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT MONTROUGE.

1853

7979

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXIX CONTINENTUR.

BENEDICTUS S. ANDREÆ MONACHUS.

Chronicon, *col.* 9.

SILVESTER PAPA II (GERBERTUS).

OPERUM PARS PRIMA. — DE DISCIPLINIS MATHEMATICIS.

Libellus de numerorum divisione, *col.* 85. — De geometria, *col.* 91. — Epistola ad Adelbodum. *col.* 129. — De sphæræ constructione, *col.* 155. — Libellus de rationali et ratione uti, *col.* 157.

OPERUM PARS SECUNDA. — DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Sermo de informatione episcoporum, *col.* 169. — De corpore et sanguine Domini, *col.* 177. — Selecta e concil. Basol., Remens., Masom., etc. *col.* 189.

OPERUM PARS III. — EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

Sectio I. — Epistolæ ante summum pontificatum scriptæ, *col.* 201. — Sectio II. — Epistolæ et decreta pontificia, *col.* 269.

SPURIA AUT ALIENA.

Acta concilii Remensis ad S. Basolum, *col.* 287. — Leonis legati epistola ad Hugonem et Robertum reges, *col.* 337.

PURCHARDUS MONACHUS AUGIÆ DIVITIS.

Carmen de gestis Witigowonis abbatis, *col.* 351.

GOSPERTUS ABBAS TEGERNSEENSIS.

Epistolæ, *col.* 365.

THIETPALDUS TEGERNSEENSIS MONACHUS.

Epistola ad S. Adelbertum Prussiensis Ecclesiæ episcopum, *col.* 373.

S. ABBO ABBAS FLORIACENSIS.

Epistolæ, *col.* 417. — Apologeticus, *col.* 461. — Collectio canonum, *col.* 473. — Vita S. Eadmundi, *col.* 507. — Carmen acrostichum ad Ottonem imp. *col.* 519. — Quæstiones grammaticales, *col.* 521. — De gestis Romanorum pontificum, *col.* 535. — Præfatio comment. in Cyclum Victorii, *col.* 569 — In circulos R. Cyrilli et Dionysii Romani ac Bedæ, *col.* 573. — Fragmentum de S. Martiali, *col.* 579.

APPENDIX.

Catalogus abbatum Floriacensium, *col.* 579. — Annales Floriacenses, *col.* 581.

ALBERTUS ABBAS MICIACENSIS.

Epistola ad Joannem papam, *col.* 585.

RORICO MOISSIACENSIS APUD CADURCOS MONACHUS.

Gesta Francorum, *col.* 589.

AIMOINUS MONACHUS FLORIACENSIS.

Historia Francorum, *col.* 619. — Translatio S. Benedicti, *col.* 797. — De miraculis S. Benedicti, *col.* 801. — Sermo de S. Benedicto, *col.* 851.

JOANNES DIACONUS VENETUS.

Chronicon Venetum, *col.* 875. — Chronicon Gradense, *col.* 939.

HERIGERUS ABBAS LOBIENSIS.

Herigeri et Anselmi Gesta episcoporum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium, *col.* 957. — Vita sanctæ Berlindis, *col.* 1103. — Vita S. Landoaldi, *col.* 1109. — Vita S. Ursmari, *col.* 1125. — Epistola ad Hugonem monachum, *col.* 1129.

NOTGERUS LEODIENSIS EPISCOPUS.

Vita sancti Hadalini, *col.* 1141. — Præfatio ad vitam S. Landoaldi, *col.* 1147. — Vita S. Remacli, *ibid.*

THIETMARUS MERSEBURGENSIS EPISCOPUS.

Chronicon, *col.* 1183.

BRITFERTUS RAMESIENSIS MONACHUS.

Vita S. Dunstani, *col.* 1423. — Commentarium in librum Bedæ de rerum natura, *col.* 1455. — Commentarium in librum de loquela per gestum, *ibid.*

SANCTUS ELFRICUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Canones, *col.* 1471.

JOANNES XVIII PAPA.

Epistolæ et diplomata, *col.* 1477.

ARNOLDUS HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

Epistola ad Henricum Herbipolensem episcopum, *col.* 1493.

SERGIUS IV PAPA.

Epistolæ et diplomata, *col.* 1499.

HENRICUS PARMENSIS EPISCOPUS.

Sermo de Paschate Domini, *col.* 1529.

BRUNO LINGONENSIS EPISCOPUS.

Epistolæ, *col.* 1533. — Charta, *col.* 1539.

ARNULFUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Acta electionis Arnulphi, *col.* 1543. — Juramentum Arnulfi, *ibid.* — Commonitorium contra prædones, *col.* 1545. — Libellus abdicationis, *ibid.* — Epistolæ, *col.* 1547. — Privilegia, *ibid.*

CONSTANTINUS S. SYMPHORIANI METENSIS ABBAS.

Vita Adalberonis Metensis episcopi, *col.* 1551.

BENEDICTUS VIII PAPA.

Epistolæ et decreta, *col.* 1579.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

ANNO DOMINI MI.

BENEDICTUS

S. ANDREÆ MONACHUS.

DE BENEDICTO ET EJUS CHRONICO NOTITIA.

(Apud D. Pertz, *Monum. Germ. Hist.* SS. tom. III.)

Debetur id Chronicon, huc usque ineditum, Benedicto, monacho sancti Andreæ in monte Soracte, viro nescio majoris an stoliditatis an incuriæ, qui Joannis XII tempora vidit, et vergente sæculo decimo Joannis XVI et Crescentii jugum subiit, atque monasterii sui amore vanitateque ductus ad historiam scribendam accessit. Nec libris plane caruit, quibus adjutus chronicon ederet, quippe qui Vitis S. Pigmenii, S. Martini et sancti Barbati, Translatione S. Bartholomæi ab insula Lipari Beneventum, Bedæ Chronico, Annalibus Laurissensibus integris, Eginhardi Vita Caroli Magni, Gestis pontificum Romanorum (1), edictis regum Langobardorum, chartis archivi sancti Andreæ, et notitiis ad historiam cum monasteriorum in monte Soracte sitorum tum Langobardorum et Romanorum facientibus, opus aggressus est. Sed optimis fontibus pessime usum, liber ipse arguit. Nam et sententiis plurimis, imo paginis integris annalium omissis, nil hæsitans suprema anterioribus ac si eadem essent adjungit, et viros per sæculorum terrarumve immensa spatia ab invicem discretos, Narseti Rotharium, Romualdo Sicardum et Sykinolfum, Carolo Magno Aaronem Niciforum et Michaelem congregat, et fabulas plurimas tradit. Quarum nulla fere tam ridiculam se præbet, quam quod imperatores et reges privilegiorum monasterio sancti Andreæ concedendorum et edictis Langobardicis inserendorum causa Italiam sæpe adire facit. Accedit quod, sermonis Latini usu destitutus, nec lecta intelligere nec intellecta scribere callebat, eo certe stylo usus, quem summæ Romanorum ejus ævi barbariei signum stupeas et horrescas. Ejusmodi virum historiæ scribendæ nullomodo aptum, et eam operis partem, cujus fontes ignoramus, non sine magna diffidentia adhibendam esse, per se patet. At sic quoque aliqua fide digna et quæ novam historiæ lucem affundant reperiri, in historia Ratchisi et Tassiæ, Alberici principis et rerum Romanarum sæculi decimi, ingenue fateor, atque primum fabulæ de Caroli Magni itinere in terram sanctam vestigium hic haberi, in Annalibus nostris (2) indicavi. Opus, initio mancum, fine caret, cum membrana in codice (3) superesset; quem autographum esse scriptura circa annum millesimum exarata docet. In edendo libro capitum divisionem institui, nonnulla ad verbum ex Beda et Annalibus Laurissensibus transcripta iterum excudenda vetavi, reliqua ad litteram expressi.

Chronico subjungere placet libellum de imperatoria potestate in Urbe, a Flacio ex codice antiquo ubi post Eutropium sive Historiam miscellam habebatur editum (4), cujus auctorem Benedictum nostrum esse suspicor. Suadent id tempus locusque, cum auctor circa annum millesimum Romæ aut in vicinia scripserit (5); mentio injecta de monasterio sancti Andreæ, sententiæ integræ ex chronico repetitæ (6), fabula de Zachariæ papæ profectione in Franciam, et inculta scribendi ratio, quam tamen a Flacio valde politam et emendatam esse credam. Quæ si ita sunt, fides libello eadem quæ Chronico habenda erit, ita ut nulli sententiæ, nisi re bene perpensa et primariis fontibus in rem vocatis, innitaris. Scripsit auctor pro parte et in usum imperatoris, ut credere fas est, Ottonis III, ideoque intra annos 998 et 1001.

CHRONICON BENEDICTI MONACHI.

1. Pimenius (7) presbiter voce clara dixit: « Deus omnipotens, quomodo te non video, nec sic te audisset, et verba maxime in Deum que tu abnegasti, » uliane sacrilege et inpiissime. » Et jussit præcipitari

NOTÆ.

(1) Libellum episcopalem vocat c. 59.
(2) Tom. V, p. 148, 149.
(3) In bibl. Chisiana signato F. IV. 75.
(4) In Catalogo testium veritatis, p. 158, et a Godasto in monarchia Imperii tom. I repetitum.
(5) Ex Ottonis III diplomate Monum. Legum tom. II, 162 (*Patrol.* CXXXVIII), cujus sententiam infra adnotatam præ oculis habuit. Quod non animadvertentes editores anteriores, auctorem circa annum 900 scripsisse rati, Eutropium Langobardum vocaverunt, quod libellus post Eutropii opus legeretur. Muratorius in Annalibus ad an. 964 auctoris ætatem divinavit, diplomatis tamen Ottoniani ratione non habita.
(6) Vide infra col. 52.
(7) Hæc ex actis sancti excerpta sunt. Cf. Acta SS. Mai III, p. 482

per medium pontis lapideum in fluvium cum uno puerulo, qui manibus suis trahebat. Et non post multos hoc tempore interea (8) irruentibus in traGaleas (9) barbaris, Julianus impiissimus cesar cetum (10) in unum exercitum apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus. Ut est consuetudinis, singulis recitabantur, donec a Martinus inventus (11) est; quem presentari sibi jussit. Quem aloquitur dicens: « Numquid et pater tuus et vos inscriptionem inter scolares aulas sub rege Constantio militasti? » Cui vir Domini Martinus respondit dicens: « Christi enim sum miles; mihi pugnare non licet. » Ab hac vocem tirannus infremuit dicens: « Non religionis gratia detractare militia! » Retrudi ergo eum in custodia jubetur. Tunc consignans se Martinus et in nomine Domini Jesu signo crucis, non clippeo protectus a (12) galea, ostium cuneo penetrabo (13) securus. Postera autem dies hostes legatos de pacem miserunt sua omnia (14). Quo vir Domini de persecutione tiranni liberavit. Quo Romæ reversus est augustus. Tanta [1] denique nequitiæ temporibus suis extitit, quantum narrare non possum. Cœpit æcclesiæ sanctorum claudere, et templa idolorum patefacere, et rebus æcclesiarum in fisco daretur. De qua re consilio facto cum apparitoribus suis, de æcclesia sancti Silvestri in monte Sirapti et de appendiciis suis, quod extruxit a fundamentis æcclesiæ hujus, et res ipsius æcclesiæ in fisco daretur, et quasi per hodium Constantini principi patrata dextrueretur. Eodem vero tempore nutum Dei omnipotenti surrexit bellum Persarum adversus impiissimus imperator Julianus; ambulavit in Persida. Qui cum ambulasset, quanta malitia insercuit (15) in beato Basilis archiepiscopus, modo taceamus. Qui cum ambulasset usque ibidem pervenisset, pugnam conflicta Romani cum Persida, victus tenetur Julianus impiissimus imperator, et nimis afflictus a Persis; quibus ipse Julianus decoratus est ab extremo vertice usque ad ungulas pedum. Et corium ejus dictus coccinum ibidem omni tempore regis Persarum dum pacem haberet super corium Juliani sedentem et congratulabantur. Regnavit autem Julianus anni 2 et mense 8.

2. Jobianus facto christianissimo imperator, aperte sunt æcclesiæ, et cœpit religio christiana gaudere. Regnavit ipse Jobianus menses 8. Damaxus (16) Rome episcopus fecit basylicam jux theutrum (17) sancto Laurentio, et alia basilica in catecumba, ubi jacuerunt corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli; in quo loco platomam [2] ipsa, ubi jacuerunt corpora sancta, versibus adhornavit. Eodem vero anno post Axente morte Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnis a fidem rectam Italia convertitur. Ilarius (18) episcopus Pictavis moritur; Martinus episcopus successit. De quo apostolus dicens: « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v, 19); » de quo voce dominica loquitur: « Ego si exaltatus fuero, omnia traam a me ipsum (*Joan.* xii, 32). » Damasus papa construxit æcclesia sancti Silvestri in monte Serapti cum omni studio, et quidquid rebus acjacentia ejus abstracta fuerat, per perceptione restituit. Hanc orante in basilica consecrationis beatissimi Silvestri episcopi, et gratias agebat Domino, dicens:

Grates tibi reffero spes vita bonorum,
Qui mihi ritem donasti noscere sancta
Quem impius apostatam Julianus destruxit
Ac superare malos regni cælestis amore.
Fac rogo queso, Deus, sine me complere beata,
Et tua que cupio fac gaudia cernere sancta,
Omnipotens Dominus, qui constat machina mundi,
Qui cælum terramque regis, fulmina mittis,
Qui sine nulla vigent cælum terram creata,
Te cælum tellus, laudet te potens in evo;
Omnis te benedicat homo, laudet, versetur honore.
Namque tuis pedibus lapis est lacus ille probatus,
Atque Petrus tua dextera levans statuit super undas.
Et Israbelite quondam, te duces, superno
Vestigio sicco peragerunt marmora (19) Rubra.
Sit tibi cum Patrem simul et cum Flamine sancto
Gloria, magestas, virtus per secla conpar.

Quo versos conposuit in lapide a corpore sancto. Cœperunt multi nobiles Romani mundus relinquere ad eundem prefata æcclesia quasi cebium (20) sanctæ conversationis vitam ducere. Interea neque hoc sileam de hujus apostolica gloria pretermittenda. Quoniam quidem quamquam omnes apostoli ante secla electi a Domino esse credantur, docente Apostolo: « Qui elegit nos ante mundi constitutione, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus (*Ephes.* i, 4); » redemptor et salvator noster dominus Jesus Christus antequam de interitus Satane triumphans, victor exultans, penetraret regna polorum, sancta hujus æcclesia, quam pretioso suo sanguines hacquisivit, per beatos apostolos, et apostolicos viros Silvester

VARIÆ LECTIONES.

[1] augustus tanta *c.* [2] platoniam *Gesta pont. Rom.*

NOTÆ.

(8) *Interea... sua omnia* ex Sulpicii Vita S. Martini, c. 3.
(9) Id est *Gallias.*
(10) *Coacto* Sulp.
(11) Id est *ad Martinum ventum.*
(12) Id est *aut.*
(13) Ita pro *penetrabat.* Apud Sulpicium hæc ipse Martinus dicit.
(14) Scilicet *seseque dedentes.*
(15) Id est, *exercuit.*
(16) Ex Beda, qui partem sumpsit ex Gestis pont. Rom.
(17) Id est, *juxta theatrum.*
(18) Hilaricus.
(19) Id est *maria.*
(20) Id est *studio.*

immobiliter muniens fundavit, mirabiliter Constantinus augustus corroborans solidavit, scilicet ut ipsa inviolata semper et gloriosa maneret, et illorum hædificatione nova et projenie (21) plurimos filios aggregaret.

3. Que post hæc acta sunt, Valens (22) cum Gratiano, Valentiniani fratri sui filius, anni 4. Valens talem legem datam, ut monachi militare nolentes, fustibus jussit interfici. Gens Hunorum et Guandalorum (23) divina accessisse [3] cluse montibus repentina rabie percita exarsit in Gothos; eosque sparsi sunt [4], conturbati ab antiquis sedibus expulsi. Gothi transit Danubium fugientes. A Valens augustos sine armorum depositione suscepti, mox per Avarorum gens maxima [5] ducis fame ad rebellandum coacti sunt. Victoque Valentis augusto, exercitum per Tracia sese mittentes [6] simul omnia cedibus incendiis rapinisque fuderunt.

4. Gratianos cum frater Valentiniano anni 6. Theodosius augustus a Gratiano illa Scitticas gentes, hoc est Alanos, Unos, et Gothos, magnis multisque preliis vincit *etc.*

5. Arcadius augustus, fratres Theodosii, cum fratres Honorio, anni 13. Gothi in Italia ingressi sunt; qui prius Vandali atque Ilani, postmodum Gothi *etc.*

6. Honorius cum Theodosio minore fratri sui filio anni 15. Alaricus rex Gothorum Romam invasit, partemque ejus cremavit incendio, 9. Kalend. Sebtembrio, anno conditionis 1164, hac sexto die quam ingressus fuerat depredata urbem, ceperunt in regno Italie ignis ferro devastare.

Pagina 3 usque 6 scribitur Anastasius sub Nonnoso præposito monasterii sancti Silvestri monachus. Miracula in monasterio sancti Silvestri. Lampas fracta, orationibus « sana repperitur. Quo crevit famam per universo Italico regno, etiam Gothi quam audaces sunt, ejus ecclesiæ nullo modo valebant adtingere. » *Alia miracula.* « Symmachus papa audiens de sancto viro, totum agrum Transpaitano cum colonis et colone hibidem abitantibus et residentibus per preceptionem hibidem constituere in superscripta ecclesia. » *Pergit auctor:*

7. Tempore illo de quo diximus, Theodoricus, rex Gothorum, Symachum consulis ac patriciis Ravenna trucidavit. Abebat autem Symachus filia una tantummodo, nomine Galla, intra adulescentie tempore marito tradita; in unius anni spatio ejus est morte viduata. Qui dum fervente mundi copia ad iterandum thalamum, et opes et ætas vocaret, eligit magis spiritalibus nuptiis copulari Deo; in quibus a luctus incipitur, sed ad gaudia eterna pervenitur. Hic itaque omnes res suas quas patrimonium et matrimonium hac maritis suis, cunctaque sacrarum æcclesiarum, ædificare precepit. Abebat autem agrum cum montem, qui vocitatur Campana, territorio Colinense est posita; nam uno latere fines Cusiano, da secundo latere ribos cum aqua qui dicitur Cava, qui incole locis vocitantur Carba. Nam de tertio latere rivos Grifianello vocatur. De quarto vero fluvium magnum, de qua a fundamento juxta aqua parietinis edificare jussit. Super cunc macerie murorum construxit æcclesiam in onore sancti Andree apostoli juxta ipso flumen. Et juxta ipsa ecclesia, portus qui vocatur Bonus. Nam in agro Pontianello construxit æcclesia in onore sancti Laurentii martyris et levite. Qui dum agrum cum monte de Campana, cum ejus affinibus in monasterium sancti Silvestri, qui dicitur montem Serapti, per instrumentum cartarum constituit. Edificavit autem ecclesia sancti Johannis Baptiste juxta qui dicitur Tarega, territorio Nepesino cum omnia sua rebus proprietatis in ecclesiis sancte Dei genitricis semperque virginis Marie, domine nostre, episcopatum Nepesine civitatis. Construxit autem excellentissima Galla patricia ecclesie duabus territorio Colinense, in onore principis apostolorum Petri, basilica qui dicitur mater ecclesia, et alia qui dicitur Ascuto [7], cum rebus omnium suarum pertinentes, in integrum in episcopatum Nepesino constituit. Item territorio Savinense, infra massa qui dicitur Cornicle, que vulgo dicitur Septimiliana, basilica in onore sancti Valentini æpiscopi cum omnia jacentia ipsius ecclesie constituit in episcopatum Savinense [8], qui edificatum est in civitate que dicitur Forum novum. In superscripto territorio Sabinensis æcclesias sancti Petri in Tarano cum sua omnia jacentia, in prephatum episcopatum. Post expletum opus Dei æcclesiarum constructio, et traditiones venerabilium locorum, abjecto secularis habitum, ad omnipotentis Dei servitium sese aput beati Petri apostoli æcclesia in monasterio se tradidit. Ibique multis annis simplicitatis cordis, atque orationibus dedita, larga indigentibus elemosinarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus pene jam mercede reddere laboribus ejus decrevisset, cancri ulcera in mamilla percussa est. Que dum nocte quadam hec eadem jaceret infirmitatem fatigata, vidit beatum Petrum apostolum ante se. Eique dixit: « Quid est domine meus? Dimissa sunt mihi peccata mea! » Cui ille princeps apostolorum benigne adest vultus, inclinato capite annuit dicens: « Dimissa sunt; veni! » As igitur expletis, visio apostoli assistentis, et colloquentis, ablatum est. Tertio autem die cum ea que superius dictum est, defuncta est. Quod factum est, nunc usque in eodem monasterio manet memoriam

VARIÆ LECTIONES.

[3] diu inaccessis reclusa *Beda.* [4] sparsim *Beda.* [5] per avaritiam Maximi *Beda.* [6] miscentes *Beda.* [7] ascuto cum *cod.* [8] S. q. e. e. i. c. q. d. F. n. *alia manu aut alio temvore scriptum, sed ejusdem æri.*

NOTÆ.

(21) Progenie.
(22) Quæ sequuntur usque c. 6, *de; redata urbem,* omnia ex Beda
(23) *Et G.* desunt apud Bedam.

ejus. Qui Gothorum tempore Alarico rex hec acta sunt.

8. Quo mortuo Alarico, successit in regnum Totilam impiissimus rex Gothorum. In temporibus namque ejus multa nequitie in regno Italie et in Romane finibus subjugatum est. Quo in sancto Dei confessores extorti, et verberati, et afflicti, pro Christo trucidati, atque plures ecclesie in Italico regno destructe, atque civitatibus a ferro, igne exuste sunt. Nam pontes flubii Tyberinis vie Salarie, qui prius Albula dicebatur, qui Tyberinus rex, filius Capis regis, a quo flubium appellatus est Tyberis, et pontes constructus a fundamentis ruere fecit. Justinianus Justini uxore nepos Narsus, Rome patricius avocatus est, et ab omni populo Romano helectus; forme erat dissimilis, peritissimus erat in mentem. Vox ejus melliflua, rectoque ad investigandum Romanum imperium. Tunc surrexerunt viri scelerati de Romanis finibus, cum Gothi laborantes et negotio tractantes de interitus Narsi patricii, qualiter expulsus et ejectus a Romano imperium.

9 Mortuo hidem Justiniano, successit in regno Justinus minor. Narsus patricium Totilum, Gothorum regem, Italia superaverat et occidit. Postmodum Gothi regem non habuerunt in Italia.

Sequitur narratio de Narsidis riza cum Romanis, de « Sufficia » Augusta. Johannes (24) episcopus Romane æcclesie pontifex, ecclesia apostolorum Philyppi et Jacobi, quam prodecessor ejus Pelagius ceperat fecit et dedicavit, que a fidelibus populi « Sancti Apostoli » vocitant. *De Albuino Narside in Italiam accito ex Bedæ Chronico; pergitque :* Narsus vero patricius fecit amica causa cum Langobardos, et ceperunt inter se pactum et convenientia de regno Italico. Mortuo idem Albuin rex Langobardorum, successit Rotharius (25) rex, qui facti sunt Narsus et Rotharius quasi germanis in regno, et emerunt (26) consilio, quomodo regno Italico a Justini [9] principe et ejus successoribus eripere posset. Quem (27) Rotharius rex, vir excellentissimus, belligerrimus, factus est robustus, nullus ei similis suis temporibus. Narsus dedit ei consilio de portora que sunt in regno Italie, ut omnes eas destrueret; et quo eam (28) ita factum est, et absolutum est regno Italico a jugo Constantinopolitane, ab illo die deinceps amplius Romani dationes Grecorum principem non solverentur. Narsus vero patricius fecit æcclesia cum monasterium beati Pauli apostoli, qui dicitur ad Aquas Salvias, reliquiæ beati Anastasii martyris adductæ venerantur. Construxit pontem flubii Tyberinus meliusque reformavit ab yma. Nam cunctæ æcclesie infra Romanam hurbem donaria multa constituit, et conventum factum cum Rothario rege, de Pentapolim, et de Tuscie finibus, quomodo Constantinus sancte Romane ecclesie constituit, sic eam immobilem permanere. Et accepto breviario a Rothario regem in ecclesia beati Petri apostoli, a Ticine civitatis Langobardi perrexerunt; factum est regnum Italie habitatio Langobardorum. Unde accepit eas Narsus monasterium Seraptis montis, et donaria simul et rebus eique constituit, et factus est pax inter Langobardos et Romanos, verumptamen non multum tempus. Postea Roma per patricius principabantur. Tiberius (29) Constantinus principem. Gregorius, apochrisarium sancte Romane æcclesie in Constantinopolim missus, post Romanus libros expositione in Job condidit; Enticium ejusdem hurbis episcopus errasset, Tyberio presentem correxit *etc. ex Beda.*

10. Mox efferam Langobardorum gens, de vagina sue habitationis educta, in nostra cervice crassata est. Atque umanum genus quod in hac terra pre multitudine nimia quasi spisse segetis more surrexeerat succisus aruit. Nam depopulate hurbes, eversa castra, concremate æcclesie. Destructe sunt monasteria virorum atque feminarum, desolata ab omnibus predia, atque ab omni cultore destituta in solitudine vacat terra. Nullus in hac possessor inabitat, medactum [10] est monasterium montes Seraptis in solitudine, et cuncta ejus predia destructa. Occupaverunt bestie loca, que prius multitudo hominum tenebat, et quod in aliis mundi partibus agatur ignoro. Rotharius rex Langobardorum, lubricum suis corporis, et multum vinolentum, fecit synodum cum [11] episcopi, et dictis (30) legibus Langobardorum composuit, quomodo Langobardorum in Italia cum lege viveret. Sed eorum prisco tempore gentilitatis non deserunt, quo Langobardi more suo immolabant caput capre diabolo in pugnantes hoc ei currentes per circuitum, et carmine nefandos decantaret. Et qui hoc non hacquiesceret, sine dubio interrogationis, capite punirentur. Rotharius rex Langobardorum obiit, et appositus est a Langobardis gentis sue Ravenne civitatis. Sergius (31) papa in sacrario beati Petri apostoli capsa argentea que in angulo obscurissime diutissime jacuerat, et in ea crucem diversis lapidibus adornata, Domino revelantem, repperit. De qua tractis quatuor petallis, quibus gemme incluse erant mire magnitudinis, portione ligni salutiferi dominice crucis interius reposita inspexit. Que ex tempore illo annis omnibus in basilica Salvatoris que

VARIÆ LECTIONES.

[9] justinian *corr.* justini. [10] *i. e.* redactum. [11] synodum. Cum *cod.*

NOTÆ.

(24) *Johannes... dedicavit* ex Beda.
(25) Minime.
(26) Id est *inierunt.*
(27) Id est *Qui.*
(28) Id est *quoniam.*
(29) Quæ sequuntur, ex Beda.
(30) Id est *edictis.*
(31) *Sergius... redire fecit* ex Beda.

appellatur Constantiniana, die exaltationis ejus ab A oni (32) oscularetur atque adorarent populo. Gysulfus rex [13] Langobardorum, in primo regni sui [13] Benevento Campanie igne gladio captivitate vastavit. Cumque non esset qui ejus impetum resisteret apostolicus papa Johannes, qui Sergius successerat, missis ad eum sacerdotibus ac donariis plurimis huniversos redimeret captibos, atque hostes domum redire fecit. Qui mira Deo favente tyrannus Gysulfus, rex Langobardorum, a suis interfectus est.

11. Ereberectus (33) rex Langobardorum roboratus est in regno, cœpit curiose querere patrimonia Alpium Cotiarum, multa nimis considerantes in amore Petri principis apostolorum, quomodo ablata esset a suis antecessoribus et quomodo pertinebat apostolice sedes, sed a Langobardis multo tempore B fuerat ablata. Restituit juris ejusdem sedis, et hac donationis aureis scriptam litteris Roma direxit. Johannes preerat papa, qui inter multa operum inlustrium fecit oratorium sancte Dei genitricis, opere pulcerrimo, intra ecclesia beati Petri apostoli, ubi dicitur a Veronice. Ereberectus rex Langobardorum, audita eversionis monasterii sancti Silvestri in monte Syrapti, repetitio facta a Johannes hujus apostolice sedis, ut in suis regie potestatis detinere manibus, ut quod hæc ita actum est, restitutum est monasterium cum omnibus suis rebus, et regimen sanctæ conversationis quiebit in pace, monasterium cum Tuscie finibus.

12. Mortuo itaque Ereberectus rex Langobardorum, successit Liubrandus (34) rex Langobardorum, C donatione patrimonii ulpium (35) Cottiarum, quem [14] Ereberectus rex fecerat, ille repeterat, ammonitione venerabilis pape Gregorio, qui Johannes successerat, confirmavit. Liubrandus rex decessit imperio suo.

12*. Grimualdus rex successit in regno, Langobardorum regni moderabat abenas. Ejusque filius Romuald Samnitibus imperabat. Insignis sacerdos Barbatus, nomine, ut prephatus sum, Redemptoris nutum claruit, Beneventi actiones celebs (36) miraculisque coruscas. Is quoque diebus quamvis sacris babtismatis unda Langobardi abluereturi, tamen prisco gentilitatis ritum tenens, sicut bestiali mentem degebant. Bestie simulacro que vulgo vipera nominatur. Grimualdus rex, pater Romuald, sinodum facto cum episcopi et judicibus Langobardis in civitatem Mediolano, ante corpus beati Ambrosii, adjunexit lege in edictis que dudum Rotharius rex constituit. Romuald rex flectebat colla, que debite suo debebant flectere Creatori. Verum etiam non longe a Beneventi mœnibus quasi solempne die sacra colebant arborem, in qua suspendentes corium *etc. usque* custodiunt, *ut in Vita sancti Barbati.*

13. Omnibus vero Langobardis in regno Italie, relicto errore a Christi moderamine conversis, fide sancte Trinitatis tenentes. Interea Gysa soror Romuald, in Christi amore accensa, nullo modo a virile amplexus satagebat. Eratque venustas, eleganti forma, qui exiit fama pulchritudinis per huniversus horbem. Devulgatum est enim Florenti, rex Palermitano (37), pulchritudine ejus puelle; congregatique barbarorum gens, Africe, Palarmo, et Babylonie, classes nave impetum (38), navigioque certantibus, ad Amalvis pervenerunt; quo terra coperuerunt sicut locuste. Concite irritantes (39) super Beneventos urbem, et vidit Romuald exercitus barbarorum, quia multi erant, et timuerunt nimis. Et dixit Romuald ad Langobardos: « Exurgamus, et ascendamus contra inimicos nostros. » Et dixerunt Langobardi: « Non possumus ascendere adversus tantum exercitus; melius est nobis refugium nostre civitatis, et liberemur animas nostras, et nuntios nostros dirigamus a Grimuald rex noster patri tuo, et pugnemus adversus eos; nos enim pauci sumus. » Et dixit Romuald: « Absit a nobis! A diebus ex quo Alboin rex, noster antecessor, Langobardos eduxit de Pannonia, talisscemodi non est inventa inter Langobardos! Et si venit finis nostre, moriamur cum robore pro patrie nostre; et victorie patribus nostris non relinquamus! » Et factus est luctus magnus in populus Langobardorum, quia paucis erant; maxime habitatores antique Beneventani. Radelgisi, cognatos Romuald principes, negotio pertractabant clam cum barbarorum gens. Et ingemuerunt principes, omnes principatus eorum, et qui fortior esse videbantur. Tunc Romualdus gloriosus princeps, exivit foras urbem Beneventi; subito irruit super barbarorum gens, et proximavit exercitus Langobardi, et steterunt contra exercitum barbarorum. Et tubis cecinerunt qui erant cum Romuald. Et commota est terra a voce utriusque exercitus, et fuit pugna commissa a mane usque ad vespere. Et ceciderunt de barbarorum gens in illa die quadraginta milia virorum. Florenti rex barbarorum fuga capiens, a maritima perveniens, in nave D ascendit. Romuald vero princeps factus est fortis ut leo in operibus suis, et erat sicut catulus leonis fremens a pugna. Et persecutus est iniquos persequens eos, et tradita est salus in manus ejus, et revertit in urbem Beneventi; et nominatus est a plures gentes. Fecit autem hisdem princeos Romuald ecclesia glo-

VARIÆ LECTIONES.

[13] dux *Beda.* [13] in p. r. s. *non extant apud Bedam.* [14] quëreberectus *c.*

NOTÆ.

(32) Id est *omni.*
(33) De sequentibus usque *Petri apostoli* cf. Bedam, quem noster interpolavit.
(34) *Liubrandus... confirmavit* ex Beda
(35) Id est *Alpium.*
(36) Id est *celeber.*
(37) Romualdum a Græcis, minime vero a Sarracenis, obsessum esse, ex Pauli Hist. Langob. v 7, constat.
(38) Id est *impletum.*
(39) Id est *irruentes.*

riosa hubi prius Langobardi ad arbores adorabant, in onore sancti Felicis; et hibidem corpus beati Felicis deposuit, et alii sancti plures, et depinexit, et deauravit; cujus memoria usque odie est. Genuit autem isdem Romuald filios de Theuderada tres, quarum primus vocitatur Aroaldo, secundo Maroaldo, tertius Sycardus; ad ultimus Sikinolfus. Res gesta que narro, temporibus Romuald, quo transportato corpus apostoli sancti Bartholomei de India superiore a Limparis (40) insula pervenit. Ibique aliquantos annos permansit. Qui nutu Dei veniens Agarenorum [16] gens, tota insula igne gladioque consumpta a fundamentis murorum ejus diruta, sicque pervenit ad lucellos [16] hubi beatissimus apostolus inerat. Quo confractus lucellos, ossa ejusdem apostoli, ut scriptum est : « Dominus custodit omnia ossa eorum; unus ex eis non conteretur (*Psal.* XXXIII, 21). » Dominus autem in ipsa nocte apparuit custodes ejusdem apostoli, dicens : « Vade, collige ossa apostoli. » Qui duriose turbulenter dixit : « Eu me! quantos annos in servitio ejus perduravit, quanta accidentia mihi evenit. Modo diruta sunt omnia ossa ejus, cum aliis ossibus miscuis; quomodo possum meis ossibus agnoscere? » Que dixit eis : « Vide ossibus flammeo radiantes inter aliis; ipse collige diligenter. » Et quo ita factum est; collecta est reliquie apostoli in sindone munda. Agareni est consuetudo Apulie depopulare; que fama exiit, Romuald exercitus direxit, ut custodiret portora et maris limitis. Sicque pervenerunt Langobardi a Lympares insula desolatam, et viderunt hominem Dei, et dixerunt : « Cujus merita hic veneratis? » Et dixit eis : « Corpus beatissimi apostoli Bartholomei ab Agarenis disfractus; modo Deo mire collectus ab eo. Iterum veniunt Aggareni; nescio quid faciam! » Ut audierunt, letantes nimia appreenderunt [17] Largobardi hominem cum venerabilem corpus apostoli in nave suscepta, navigio ceperunt. Et ecce classes navigium nimium Agarenorum approximavit. Videntes Langobardis spes eorum esset ablata, proni devota ante corpus apostoli projecerunt se cum lacrymis, et dixerunt : « Sancte Bartholomee apostole, si de periculis istis liberati fuerimus et in pace reversi, in tuo nomine altare aureum et argenteum, infra æcclesia sancte Dei genitricis Marie patremus. » Ex quo dicto in oratione levantes, tantos error tenebrosa ineest, ut nemo inter Langobardos et Agarenos cernere non poterat. Sicque gaudentes in Beneventi hurbem ingressi sunt; de thesauro que cœperunt Romuald principis deferunt. Cujus merita ipsius apostoli corpore et signis usque in finem seculi hibidem permanet.

14. Transacto namque tempore, glorioso princeps migravit. Regnaverunt filii ejus pro eo, Arud et Maroaldo fratribus (41), prudentis principis; separati a fratris sui, in civitates Novecertus (42) habitare cœperunt, Sycardus et Sykinolfus puer in hurbem Beneventi reliquerunt (43), et factus est robor eorum in tota Apulie finibus. Radelgisi, patrueles eorum, consilium perpetravit cum habitatoribus civitate Novecertus, elam operabantur. Veniente die pascalis epyphaniorum, noctu in æcclesiæ hujus civitatis trucidaverunt principis summi. Sycardus princeps, audita morte fratri sui, recordatus virtute patrum suorum, et Langobardorum gentis sue, ostiliter congregatus, a Novecertus civitate pervenit. Civitas Novecertus magna et fortitudine nimis; cœperunt Langobardi obsidere civitates. igne gladio devastantes oppida eorum, et castre destructe sunt. Munierunt civitates gyro per circuitu, ita ut non possit habitator civitates Novecertis pre impetum bellatores manus erigere. Et pugnaverunt Langobardi adversus eos multis diebus. Et fecerunt machinas; et misit Sycardus princeps legatos ad hurbem Beneventi ad Sykinolfus puer, germano suo, ut veniret ad se. Et exivit Sykinolfus princeps cum multitudine, et percussit civitates Novecertus; et trucidavit multos. Et comprehenderunt civitates, et conbuserunt eas igne cum populos et mulieres; et non remanserunt ex eas usque unus. Et subvertit muros, et mœniæ civitatis dissipavit a solo fundamentis. Sycardus reversus est in civitates Lavellus. Sycinolfus ingressus est in hurbem Beneventi, et cœperunt judicare populo; et trucidaret impios. Erat enim consilium Radelgysi vanum et pessimum, et misit legatos ad hurbem Salernam ad Leo episcopus, ut intimaret a Sycardo principe, ut Sykinolfus puer transmittere a Salerna civitas, ut artis litterarum instrueretur. Ex quo ita peractum est, sicque petitio eorum adimpletum est. Regnavit (44) idem Sikinolfus in hurbem Salernem. Beneventani unianimes tractans de interitu Sycardi principi, miserunt nuntius ad Leo episcopus Salernitanos, ut Sycinolfus oculos ejus eruere; ut principatus Beneventi, in se ipsis exibere virtutem, Salernam hurbem in sua potestatis percipere. Quo Leo episcopus non hacquievit consilio eorum. Tunc unianimes Beneventani perrexerunt a Labellus civitas; pacifice verba Sycardi principi narrare cœperunt. Quo princeps benigne suscepit eorum verba, honorifice composuit. Tunc unus ex ipsis gladium arripuit, percussoque principe, totum corpus ejus ferro vastare cœperunt. Combusta hurbem Labellus, a Beneventana hurbem regressi sunt. Et juraverunt inter se, ut ultra non acquiescerent principis Sykinolfus. Et surrexit Sykinolfus princeps, et huni-

VARIÆ LECTIONES.

[16] agarorum *c.* [16] *i. e.* locellos. [17] nimiappreenderunt.

NOTÆ.

(40) Id est *ad Liparim.*
(41) Grimoaldus filius Romoaldo successit.
(42) Nocera?
(43) Fabulæ. Cf. Erchempertum.
(44) Id est *Dum regnavit.*

versis qui se conjunxerat fratribus suis, et preliabantur prelia magna, et dilatavit virtutem populo suo Langobardo, et induit se loricam velut gigans, et precinxit se arma bellica, et preparavit se ad bellum. Et veniens a Beneventi hurbem; tunc infelices Beneventani miserunt nuntius a Sycinolfus dicentes : « Hii qui sunt homicides, manibus tuis damus; terram enim potestati tue es! » Sykinolfus, princeps Salernitano, fecit vindicta de fratre suo; trucidati et suspensi de Beneventani numero quadraginta sex. Victores a Salernam hurbem perrexit. Et factum est irritum magnum inter Beneventos et ejus succedentia, et Salernu et ejus succedentia, et divisio usque in presentem diem (*an.* 712.)

15. Liuprandus, rex Langobardorum, fecit pugna cum Avarorum gens in Aquilegie partibus, et conculcavit Aquilegia, et Benetia, necnon Sardinia insula, et Corsica, et ampliavit regnum Langobardorum. Quo rex factus vir christianissimus atque catholicus, synodus factus canonicorum, cum episcopis et clericis fidem sancte Trinitatis. Et rex Langobardorum que antea disposita non sunt, mirifice composuit. Regnavit hisdem rex honorifice annos plures, et quietum est regnum Langobardorum et Romanorum.

16. (*An.* 743.) Genuit autem isdem rex filios duos (45); primus Rachisi, secundus Astulphus vocitatur. Constituto Rachisi a patre suo regno, et factus est rex Italico viventem patri ejus. Obiitque Liuprandus rex (*an.* 744, *Sept.*), accepit Rachisi uxorem de hurbem Roma, nomine Tassia, et disrupit lex paterna Langobardorum morgyncaph, et mithio, que in suis legibus affixum est, non adimplevit. Fecit autem donationes cartule Romane, sicut ipsi Romani petierunt. Propter hoc Langobardi irritati adversus Rachisi rex, et tractantes cum Astulphus de regno ejus. Perrexit Rachisi rex a Pinnensis urbe vetustatem consumpta, eratque hibi abitatores Langobardo nomine Lupo, que sine heredibus mortuus fuerat. Est autem constitutus in legibus Langobardorum, ut Langobardus qui sine hæredes mortuus fuerit, curtis regia succedat. Successit Rachisi rex omnes facultates Luponi in sue regie potestatis. Precata est Tassia regina a Rachisi rex, viro suo, ut a montes Syraptis a monasterium beati Silvestri ab orationes pergere cum ipso; quia consuetudo Romanorum est, sepius venire. Acquievit rex petitio uxori sue, veniens cum comitatu suo a Seraptenas montes. Cumque properaret ad locum hubi dicitur Ad arcum, tanta denique flagrantia na-

A ribus ejus orta est, quanta numquam antea aut postea naribus ejus adhibita non fuit; non tantum regibus et regina, sed etiam a cunctis Langobardis sequentibus se. Intrantes in æcclesia juxta corpus sanctissimi Nonnosi, cujus superius memoriam fecit, non longe a corpus beati Silvestri, erat unus ex parasitibus suis Langobardis, de genealogia Langobardo de Beneventi hurbem, qui per hereditaria a demonio sunt vexati, propter maledictionem que beatissimus Barbatus episcopus imposuit, propter Theodora uxoris Romuald principi, cujus superius memoriam fecimus. Quo demon per hos ipsius Langobardo clamare cepit : « O Nonnose, quid me perturbas? modo non exeo hinc, quia per hereditaria gentis iste succedemus. O Silvester episcope, virtus tua me incendent; et si dehinc me ejicis, a Bene-
B venti hurbem regrediar a consanguinium istius. » Quo dicto demon discerpens, exiens ab eo; propter hoc vocati sunt ipsius genealogie Langobardi Beneventi « tempta-demonium » usque in presentem diem. Qui tanta gaudia in Rachisi rex et ejus conjux, et cunctos sequacibus suis Langobardis inerat, ut ferocitatem qui dudum abuerat, in umilitatem gratie sunt conversi. Quantas lacrimas et orationes Langobardi exorti sunt, et munera ibidem optulerunt, narrare longum est. Rachisi rex et Tassia regina, uxor ejus, per preceptum donationis in venerabilis monasterium sancti Silvestri et beatissimi Nonnosi curte unam, nuncupantem Ustriciano in territorio Spolitino, in pago cujus vocabulum est
C Pinnis, cum ecclesia in onore sancti Silvestri infra ipsa curte constructa est, et omnibus adjacentiis, vel appendiciis hibidem pertinentibus, vel aspicientibus, sicuti Luponi ducis manibus suis detenuit. Mansit in eo montes rex dies tres gratias agens Deo; a Spolitana urbem regressus est. Langobardi furore accensi, sicuti consuetudo gentis eorum, fronite unoque animo Astulpho petierunt, ut frangerent donationes cartule que Rachisi rex fecerat (46) uti Langobardorum deinceps non esset. Et petierunt Langobardi Astulpho, ut conveniente cum episcopis, abbatibus prepositis synodochiorum, et cum custodibus ecclesiarum, in edictis legibus affigerentur. Que jurejurans spopondit Astulphus, esset facturum, si Langobardi regnum eis concedere.

D 17. Coronatus est hisdem Astulphus in Mediolana hurbem (*an.* 749. *Jun.*), infra ecclesia sancti Ambrosii episcopi, et electus est rex in mense Junius (47), in dictione 10 [18]. Tanta denique nequitia exarsit suis temporibus, quanta numquam suis anteces-

VARIÆ LECTIONES.

[18] X *codex*; *legendum* II.

NOTÆ.

(45) Minime; cf. Pauli Hist. Lang. VI, 56.

(46) Narrationi Benedicti suffragatur lex Aistulfi, hucusque ignota, quam ex codice edictorum Langobardorum Parisiensi n. 4613 hic proponere juvat : « Primo omnium statuerunt de donationes illas quæ facte sunt a Rachis rege et Tassia conjuge ipsius, ut omnes illas preceptas quas postea facte sunt postquam a Rachis Aistolf factus est rex, stare nullatenus debeant, nisi ab [*cod.* nam si] Ahistolfus regem ei dinuo [*cod.* divino] cui datum est fuerit concessum. »

(47) Ita epocham Aistulfi determinatam habemus; cf. Brunetti Cod. dipl. Tosc. I, 387.

soribus repertum non est. Fecit synodum cum Valerius archiepiscopus Ravenne civitatis et cum Conaldus archiepiscopus Mediolane civitatis, et cum jacentiis [19] episcopis, abbatibus, judicibus, fidelibus Langobardis in regno Italie permanentibus, fecitque capitula sicuti Langobardi precati sunt ; et in edictis affigi precepit. Tunc surrexerunt viri Romani scelerati, et intimaverunt Astulfu regi, ut venirent et possiderunt Tuscie finibus et Romanum imperium usurparent. Exaltatum est cor ejus non in Deo, nec in onore ecclesiarum, sed in bella, in rapina, et igne, et gladio. Venientes in Spolitinam urbem, misit Robertus comes palatii a Savinensis, ut via et portua custodiret, nec Romanis iter carperet. Misit Grimualdu a Centucellensis, ut custodiret vie finibus Romani et portua maris. Nuntius misit a Terracina urbem, ut custodiret via maris et terris, ut nec venundaret alicui Romanis, nulla rem perciperet. Et ascendit Astulfus rex in campo Tiburtino cum sex milia Langobardorum, et factus est pavor magnus in Romanis. Fecerunt pactuatione cum Tiburtina urbem, et cum Pristinem hurbem, nec Romani nec colloquium nec amicitias cum eo habentur. Incenderunt Langobardi ecclesiæ sanctarum, hubi corpora eorum quiescebant. Igne gladiæque vastantes tota Tuscia, civitas Nepesina in suo dominio perdurantes ; quantas nunc exarsit contra Romanos, per singulos non possumus enarrare. Castra Romanorum destructe sunt, monasteria et oppida vastantes, nulla spem recuperande invenire potuerunt. Erat pontifex in urbem Roma Stephanus nomine (48), vidit se in tanta desolatione positus, dixit : « Eum me, quid faciam? Regno Italico a multis gentibus depressus ; prius a Medis, et Lanis, postmodum a Gallis, tertius a Gothi, quartus a Langobardis. Qui in Italia possessio facta est, denique a Zacharias magnus presul antecessoris meis, cujus Deo auctore deservio ; qui multis calamitatibus depressus, a nefandis Langobardis vastata urbem, destructa Tuscie finibus monasteria virorum hac puellarum, basilicæ sanctorum concremate sunt ; qui in exilio deputavit se ipsum propter opus ecclesiarum Dei. A Pipinus quedam Francorum hi qui Francia pervenit. Gaudebundus rex Pipinus et honorifice suscipit, invitatis in Italia, ut gentis Langobardorum sub suo dominio constitueret. Qui Pipinus cum Carlomagno regebat Francorum gens ; quo ordine et origine subtus hujus serie dicamus. Orta est intentio inter Pipinus et Carlomagno de regno Francorum ; qui Zacharias papa a Carlomagno rogatus est, ut de monasterio sancti Silvestri in monte Syrapti per preceptum pontificalis jure perpetuo concederetur. Quo pontifex summus libenti animo concessit, et omnia adjacentia illius sicuti a priori tempore constitutum est, jure affixum est constituit. Datos legatos Pipinus et Carlomagno a Zacharia papa, Astulfu regis, in Ticine civitatis repertas, omniaque et qualiter peracta sunt innotescunt. Astulphus rex Langobardorum nequissimus, nefandus et callidus verba honorificæ composuit, et omnia Pentapolim et Tuscie finibus et quicquid a sancte Romane ecclesie videtur illi restituit. Sed tamen a consuetudo eorum maligna non declinaverunt. Inito consilio cum episcopis et Deum timentes quod agere debeant de persecutiones Langobardorum, si ad Grecorum genere regnum Italicum et Romanum imperium devolberet, et si a Francis in Italia ingredi deberet. Sed melius est a nobis a Francis que a Grecis dominio illorum subjaceret. »

18. Robertus comes palatii Langobardo Savinensi exiens, ergo pugnantis contra Romanos. Sicque venit a Lubria civitates, que pugna conflicta cum Romanos ceciderunt de Romanos vulgos et nobiles plures. Robertus Langobardo constitutus erat in campo, et abebat roborem. Quo presul in ecclesia beati Petri apostoli, locutus est populo dicens: « De celo autem adjutorium sit vobiscum ; eligite vos ad pugna cum Langobardis ; nolite metuere! » Et habierunt Romani contra Robertus Langobardo. Et ecce exercitus Langobardorum transiebat flubium Lubrie. Romani persequentes contra ipsos, trucidati et gladio interfecti de Langobardi fere ducentos, et Robertus comes palatii trucidatus est ; et Romanis reversi sunt victores. Post hec sanctissimus papa Stephanus via directum pro populo Romano et sancte ejusdem ecclesie defensione, sicque in Francia pervenit, in Aquisgranis palatio, ad adjutorium et solacium querendo pro justitiis sancti Petri. Qui Pipinus rex honorifice suscepit apostolicus ; ad sanctum Dionisium ibidem perrexerunt. Dixitque Pipinus ad apostolicus: « Zacharias antecessori tuo intimavit (49) mihi per missos meos, Burgardus episcopus, et Folradus cappellanus, de regibus in Francia qui in illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fuisset aut non? Zacharias papa mandavit me Pipino, melius mihi esset regem vocari, qui potestatem aberet, quem illum qui sine regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo, per auctoritatem apostolicam. Ime [20] Pipinus (50) secundum more Francorum electus sum a regem et unctus per manus sancte memorie Bonifatii archiepiscopi, et elevatus sum a Francis in regno Suesionis civitatem. Ildericus vero Saxone, qui false rex vocabatur, tonsoratus est et in monasterio missus. Carlomagnus germano meo post mortem Caroli genitori nostri divisimus regnum Francorum inter nos in lo-

VARIÆ LECTIONES.

[19] *i. e.* circumjacentibus. [20] *i. e.* Inde.

NOTÆ.

(48) Quæ sequuntur cf. cum Gestis pontificum Romanorum Zachariæ et Stephani I

(49) Ex Annalibus Laurissensibus an. 74

(50) Cf. Ann. Lauriss. an. 750.

cum qui dicitur Pictavis (51). Eodem quoque anno Carlomagno germano meo Alamanniam vastavit. Tunc (52) Carlomagno confessus est mihi Pipino germano suo, quod voluisset seculum relinquere, et in eodem anno nullum faceret pugna; sed honorifice direxit eum cum muneribus. » Cumque auditis hec apostolicus supradictus confirmavit Pipinus unctione sancta in regem, et cum eo unxit duos filios ejus domnus Carolum et Carlomagnum in regibus [21] (53). Tunc (54) Carlomagno Romam perrexit ad limina apostolorum; post hec ad montem Syrapti monasterium ingressus, ibique se totondit et monachus effectus est.

18 *. Que et quanta gloria hibidem constituit, modo audiamus. Videns quia laboriosus es et montes fratribus insudanter, edificavit ad radicem montis in loco hubi dicitur a Mariano (55), in onore sancti Stephani martyris, et cunctis fratribus adhesit excepto abbas, et aliquantis fratribus in usus monasterii prioris reliquid. Fuit moratus in monasterio sancti Stephani aliquantos tempus, nec ferebant animo ejus in loco ejusdem. Quadam die iter peragens, per agros ejusdem monasterii ad ecclesiam sancti Andreæ apostoli, juxta flumen ad investigandam res æcclesiarum iter peragens subtus montes Grifianello, et invenit castrum antiquum Aquarium, qui ad radices montis Grifianello emanat aquas. Qui diutius diligentissime prospexit, atque cuncta edificalia, que ad opus monasterio conspexit, iterum ad monasterium est reversus. Reperto itaque consilio a fratribus de Babiano castro, quomodo aut qualiter hedificandum domum juxta castrum monasterium domni principi apostolorum Petri, et sancti Benedicti, et commemoratione sancti Andreæ apostoli, usque in presentem diem. Emit autem agrum superscriptum vir Domini Karlomagno, curtem unam nunccupantem sancti Viti, cum gualdo (56) qui dicitur Corgitu. Item curtem sancti Gregorii, cum colonis et colones; item curtem Petroniani, et Asiniani. Item curtem sancti Heristi, et ejus adjacentia. Item fundum Fanianu uncie sex; curtes Priscani, in quo est æcclesia sancti Victoris, cum colonis et colone; cum fundum Flabianello, Robelli, et fundum Corbiani; fundum Magere cum appendiciis suis; fundum Cotteanum, in quo est ecclesia sancti Benedicti sive quibus aliis vocabulis nunccupatur, cum famulis et famule ibidem residentibus, casinis, casale; fundum Clarano, casale de Cerole, casale de Rufiano grasso, cum colonis et colone; fundum Carpiniano, fundum Cossanum, fundum Torritula, fundum Sentiani, tres uncie, fundum Foliani, et fundum Bassanu cum ecclesia sancti Valentini, cum famulis et famule; fundum Aureliani; et sex uncie fundum Celedrani; fundum Cecilianum, cum colonis et colone, fundum Lauriani, fundum Grazzano, fundum Mariano cum famulis et famule; fundum Foriano; et quattuor uncie, fundum Terrentianello, fundum Marcelliano; et fundum Pulbine, fundum Bersianu, et fundum Grifiano, fundum Belgarolum; et sex uncie, fundum Ofiani; et fundum Maturis, fundum Patinara, fundum Montone cum famulis et famulabus suis, fundum Salviani, fundum Cerbinarola, fundum Pattialis, tres uncie Casaventoli, octo uncie, fundum Antiqui, fundum Prisciani, fundum Quarazzanum, fundum Pontinianu, fundum Catonianum, fundum Ciminianu, fundum Matitianum, octo uncie fundum Paonis, fundum Terlata, fundum Barbarica, fundum Casa Crisciani, fundum Vallescura, fundum Rupiliano, fundum Damiano, fundum Asterii, fundum Martuniani, fundum Seriano cum aquimolis duos et cella sancti Silvestri, fundum sancti Prosperii cum vocabulo Cacabelli, fundum Munitioni, fundum Juniani, fundum Proniani, fundum Mitiliani, fundum Rusciani, fundum Plaga montes, fundum Polliano, cum æcclesia sanctæ Marie cum famulis et famule, fundum Scatianum, fundum Cariano, fundum Maniano, fundum Occisi; et sex uncie fundum Rutiliani.

19. Denuo reclamatione a Pipino rege et filiis suis Carolus et Carlomagno de Astulfus rex Langobardorum, quantaque percussio exercet in sancta Romane æcclesie et in populo Romano. Pipinus rex audita hec verba apostolicis, contristatus est nimis propter iter apostolicis, juratus dicebat: « Ego per memet ipsum venio. » Bandus missus ex ore regis, in Francorum gens, et in Saxonia, in Aquitaniis partibus et in Bajuvaria, et Squasconia (57), et Alamannia, et in cuncte regnora ejus, ut omnes hostiliter Kalendas Maias, in Langobardorum gens super Astulfus rex. Carolomagno monacho, germano Pipini regis, expleto monasterio sancti Andreæ apostoli et omnia que ad husus monasterii continet, videns suis moribus cum gentis hac fratribus suis monasteriis non essent conjunctum [22], recessit (58) inde in Samnii provincia, in Cassino montes, in monasterio sancti Benedicti, hibique permansit. Audiens hoc Astulfus rex Langobardo, que Pipinus rex Francorum con Trasalpine gentis super se veniret. Que festinus Astulfus rex a monasterium sancti Benedicti in montem Cassini pervenit, postulans et deprecans ad ab-

VARIÆ LECTIONES.

[21] regem *corr.* regibus. [22] conjunctus *corr.* conjunctum

NOTÆ.

(51) Ann. Lauriss. an. 742.
(52) Ibid., an. 745.
(53) Ibid., an. 754.
(54) Ibid., an. 746.
(55) Id est *Ad Marianum*
(56) Id est *silva*, wald.
(57) Id est *Wasconia*.
(58) Cf. Ann. Lauriss. an. 746, et Eginhardi tam Caroli, cap. 2.

bas hujus monasterii, et dona multa promittens, ut Carlomagno monacho a Pipino rege germano suo properaret, ad dissipanda consilia Stephani pape, ut Francis in Italia ingredi non deberet. Accepta benedictione abbati sui hac fratribus, libenti animo perrexit, sicque in Franciam venit (59). Omnia qualiter per ordinem a Pipino intimavit Carlomagno monacho, Pipino rex noluit hacquiescere consilii ejus. Pipinus (60) rex apostolicas invitatione in Italia iter peragens, justitia beati Petri apostoli querendo. Astulfus rex Langobardorum supradicta justitia vetando, clusas Langobardorum petiit, obbia Pipini regis et Francis venit; et inierunt bellum Francis cum Langobardi. Et retro Langobardi fuga capta, auxiliante Domino beatoque Petro apostolo intercedente, Pipinus rex cum Francis victor extitit. Eodemque anno Stephanus papa reductus est a sancta sede, per missos domni regis Pipini, Foldradus episcopus et reliquis qui cum eo erat. Incluso vero Astulfo rege in Papia civitate, justitia sancti Petri pollicitus est faciendi. Unde rex Pipinus obsides quadraginta receptos cum sacramenta, reversus est in Francia. Carlomagno autem monachus Bienna civitatem remansit, una cum Berta domna regine (61); infirmus languebat dies multos, et hobiit in pace. Dum (62) prospexisset Pipinus rex, ab Astulfus Langobardorum rege, ea non esset vera, que antea promiserat de justitiis sancti Petri, iterum cum missus apostolicis Stephani iter pergens in Italia, Papia obsedit, Astulfus rege Langobardorum inclusit, magis magisque de justitiis sancti Petri confirmavit, ut stabiles permaneret, quos antea promiserat, et insuper Ravenna cum Pentapolim, et omnem exarcatum conquisivit, et per precepto sancto Petro tradidit. Ut per missos apostolicis, monasterium sancti Andree apostoli nullus auderet aliquis damnietatis adtingere aut violare. Et (63) dum reversus est Pipinus rex, cupiebat supradictus Astulfus, nefandus rex, mentiri que ante pollicitus fuerat, obsides dulgere, sacramenta rumpere; quadam die venatione fecit, percussus Dei judicio vitam finivit.

20. Inito consilio Langobardi, quomodo Francis super se erueret, et levaverunt Desiderium in regem; quomodo et qualiter postea dicamus. Videns Stephanus papa ex omni parte victor esset, et gloria dignitatis presule hac gentis Romane triumphans, cepit hedificare domum ecclesiam, in onore sancti Dionisii, Rustici et Heleutherii, in hurbe Roma, juxta via Flamminea, et ereio (64), non longe ab Agusto (65), juxta formas species decorata, sicut in Francia viderat. Misit (66) Constantinus imperator de Constantinopolim regi Pipino cum aliis donis organum, qui in Francia usque pervenit. Et rex Pipinus tenuit placitum suum in Compendio cum Francis, ibique Tassilo venit dux Bajuariorum in basatico se commendans per manus, sacramenta juravit multa et innumerabilia, reliquias sanctorum manus imponens, et fidelitatem promisit regi Pipino, et filio ejus Carulo et Carlomagno, sicut bassus recta mente et firma devotione per justitia, sicut bassus domino suo esset deberet. Sic confirmavit supradictus Tassilo, supra corpus sancti Dionisii, Rustici, et Eleutherii, necnon et sancti Germani, atque sancti Martini, ut omnibus diebus vite ejus sic conservaret. Pipinus (67) rex in Saxonia ibat, et firmitas Saxonia ibat, et firmitas Saxonum per virtutem introivit, in locum qui dicitur Simnia; et multa strages facte sunt in populo Saxonum. Et tunc polliciti sunt contra Pipinum omnes voluntates ejus faciendum, et honores in placito suo præsentandum, usque in equos tricentos per singulos annos. Natus (68) est Pipino regi filius, cui supradictus rex nomen suum imposuit, ut Pipinus vocaretur sicut pater ejus. Qui vixit annos duo, et in tertio defunctus est. Eodem (69) anno Pipinus rex Roma perrexit. Stephanus papa et ejus clero cunctisque a sacris ordinibus est concessus, et populo Romano in occursum regis, cum ymnis et laudibus ad ecclesiam sancti Peregrini advenerunt. Contemplatus est rex Pipino populo Romano, et ejus acta, gaudebundus pervenit in ecclesia apostolorum principi. Celebrataque ejus sollempnitatem myssarum, quantaque largitus est elemosinarum pauperum, et dona ecclesiarum, longum est enarrare. Permansit rex Pipinum mense unum in urbem Romam; egrotareque cepit domnus Stephanus papa, dolore cordis metusque Pipinus rex de nece apostolicis, die constitutique obiit. Conventeque facto populi Romani, cum Pipino rex de Paulo, germani Stephani pape, ut cathedre apostolice præesset. Electus est a populo Romano clero, et Pipino rex, et populo Francorum, electus est in sacratissima sedem beati Petri apostoli. Cunctaque ejus cives Romana et Tuscie finibus, et cuncta Pentapolim, et Gottiarum montes in eccl sia beati Petri apostoli constituit. Gratias agentes Deo et apostolorum principi, reversus est in Francia.

21. Tunc Pipinus rex cernens Guaifarium ducem Aquitaniorum, etc. *Sequuntur Annales Laurissenses ann.* 760, 761, 762. 763, *usque :* Pipinus..... per Legemodicas in Francia reversus est. Et facta est gens valida. Iter (70) perrexit Italia ad conferendi Italico regno; tota hiemps in monasterio sancti Andree apostoli, et sancti Silvestri confessoris Christi, et sancti Stephani martyris hiemavit, necnon et Tusciæ finibus omnia res monasterii,

NOTÆ.

(59) Cf. Vitam Stephani papæ, c. 30, et Ann. Lauriss. an. 753.
(60) Cf. Ann. Lauriss. an. 755.
(61) Bertradane regina.
(62) *Dum... tradidit*, An. Lauriss. an. 756.
(63) *Et... finivit*, ib., an. 756.
(64) E regione Campi Martii?
(65) Id est *mausoleum Augusti.*
(66) *Misit... conservaret* ex Ann. Lauriss. an. 757.
(67) *Pipinus... annos*, ib., an. 758.
(68) *Natus... defunctus*, ib., an. 759.
(69) Pippinum Romam nunquam adiisse constat.
(70) Quæ sequuntur a nostro inventa esse, non est quod dubites.

que a Carlomagno germano suo hempta fuerat, per A
preceptum sui nominis constituit. Et crux Domini
que in suis cervicibus appendebat, in venerabilis
cenobio concessit, seu Beneventi principatus, et Sa-
lerni, Capuaque, et tota Neapolim finibus, et quic-
quid Campanie destitutum est, in suo sacramento
constituit. Et cuncta Pentapolim et omnia Tuscie
finibus apostolicis Pauli et suo jure concessit. Gra-
tulanter et gaudebundus in Franciam venit. Tunc
(71) rex Pipinus abuit placitum suum in Warmacia,
et nullum iter aliud fecit, nisi in Francia resedit;
causa pertractabat mitissimus rex inter Wafarium,
et Tasilonem; quia Tasilo consanguineus ejus erat.
Tunc Pipinus rex missos suos dirigit ad Bajuaria a
Tasilo, et hæc verba loquens eis : « Pipinus rex
Francorum misit nos ad te, ut innotescámus benefi- B
cium et honorem, qualiter Pipinus rex constituit
tibi. Eo quod esset meus consanguineus tota Bajua-
ria dedit tibi, et jurejurando fidem tuam pollicitus
es observandi. » Modo commotus facie regis videre
poluit. Tunc, etc., *ut in Ann. Laurissensibus an.*
766, 767, 768, *usque ad obitum Pippini.* Hibique
diem hobiit, finivit octaba Kal. Octuber.

22. Domnus (72) itaque Adrianus natione Roma-
nus de regiones Via lata, ordo scrinii sancte Romane
æcclesie, electus est pontifex, a cuncto Romano po-
pulo, in sede hac beatissimi apostolorum principis.
Oportet horiginem Francorum rex per genealogiam
nunccupare; qualiter ad apicem regni pervenerit
Karolus mitissimus rex, modo dicamus. Gens (73)
Meroingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti C
erant. Fuit primus Pipinus, qui genuit filium ex
concubina nomine Carolus; hic primus Karolus est
advocatus. Qui Karolus genuit filios duos, Pipinum
et Karolomagno, qui tota Francia dominatum sibi
vindicantes oppressit. Mortuo itaque Karolus primus,
qui officio tantum cum Ildricus Saxone deponeba-
tur, Pipinus et Carolomagno germanis [33], velut he-
reditaria Francia fungebatur. Hunc Pipinus et Kar-
lomagno summa cum eo concordia, divisum regnum
Francorum inter se, Carolomagno sancte conversa-
tionis habitum inbutus, Pipinus per auctoritatem
apostolico susceptum Stephani pape rex efficitur.
Qui Pipinus genuit filios duos, Carolus et Carloma-
gno, qui uncti sunt in regibus cum Pipino pater D
eorum a Stephano papa; et mortuo idem Pipino,
successit Karolus, gloriosus mitissimus atque ama-
bilis rex, atque Karlomagno. Non post multum
tempus defuncto Carlomagno rex, uxor ejus et filii
cum quibusdam qui ex omatibus [34] consentaneis in
Italia fuga petiit; sub Desiderio reges Langobardo-

rum, patrocinium se cum liberis suis, patrocinium
contulit. Karolus autem rex per consensum omnium
Francorum rex constituitur. Domnus itaque Adria-
nus papa persecutione Langobardorum non ferens,
missos dirigit cum benedictione apostolica. Petrus
mare usque Masilia, inde terrenum usque ad dom-
num Karolum pervenit. Invitando scilicet *ut Ann.*
Lauriss. a. 773, *usque* pascha similiter in Roma.
Susceptum est itaque domnus Carolus rex honori-
fice ab Adriano papa, et a cuncto Romano populo,
et in ecclesia beati Petri apostoli a scolis laudibus
est honoratus. Quanteque pestilentie, et lamenta-
tionibus et vastationibus Langobardis popnlo Roma-
no proclamatum est, quis potuit enarrare. Accepta
itaque benedictione rex et absolutione beati Petri
apostoli domno Carolo, iterum a Papia venientem
ipsam civitatem cepit *etc. ut Ann. Lauriss. a.* 774,
775, 776, 780, 781, *multis tamen omissis*, *usque*
Aquitania. Et inde revertendo domno Karolo regem
in monasterio sancti Andree apostoli cum uxore sua
Ildegarda regine, et cum omni comitatu suo, omnia
rebus ecclesiarum manasterii [35], que a Karolusma-
gno patruelis ejus in prefatum monasterium concess-
sit, et monasterium sancti Silvestri, cum monte
Syrapti, et monasterium sancti Stephani in Mariano,
omniorum predia, per preceptum regalis sue regie
potestatis concessit, et dona amplissima hibidem
constituit. Accepta benedictione a venerabilis loco,
Mediolanis civitatem pervenit *etc. ut Ann. Lauriss.*
a. 781, 783, 786, 787, 788, 794, *plurimis tamen*
omissis; anno 786 *rationibus, quare Karolus iter*
Italicum aggressus sit, addit : placitum habentis de
convenentiis eorum legibus Italie, que antecessor
eorum regibus dudum antea indictis eorum scripta
non esset; quod ita factum est. *Anno* 796 *pergit :*
Nuntiatum (74) etiam sibi Adriani pontificis Ro-
mani hobitum, que in amicitiis precipuus habebat,
sic fievit hacsi fratrem, aut karissimum filium am-
misisset. Erat enim in amicitiis optime temperatus,
ut eas faciles ammitteret, et constantissime retine-
ret. Leo mox in loco ejus successit; misit legatos
cum muneribus ad regem, et claves etiam confes-
sionis sancti Petri, et vexillum Romane hurbis
eidem direxit. Thesaurum (75) priscorum multa
seculorum prolixitatem collectum, domno regi
Karolo ad Aquis palatium misit; quo accepta, per-
acta Deo largitori omnium bonorum gratiarum
actione. Idem vir prudentissimus atque largissimus
et Dei dispensator magna inde partem Romam ad
limina apostolorum, misit per Agilbertum dilectum
abbatem suum, misit. Porro reliquam partem opti-

VARIÆ LECTIONES.

[33] *aut* germanus *c.* [34] *i. e.* optimatibus. [35] monasteria *corr.* monasterii *codex.*

NOTÆ.

(71) *Tunc... Tasilonem*, ex Ann. Lauriss. an. 764.
(72) Cf. Vitam Adriani, capp. 1, 3.
(73) Ex Eginhardi Vita Caroli, cap. 1.
(74) Ex Eginhardi Vita Caroli, cap. 19.
(75) Ann. Lauriss. an.

matibus clericis sive laicis, ceterisque fidelibus suis largitus est munera. Rex collectis, etc., *excerpta Annalium Laurissensium annorum* 796 *et* 799, *usque:* Norlaude Saxonis in Bardengawi. . . . ibique redditus Karli filii sui, expectans Leonem pontificem, simili quod susceptum est, cum honore dimisit. Qui statim profectus est Romam, et rex Aquisgrani palatio suo reversus, cum honore summo Karolus supradicto Leo sanctus papa in sede sanctissima susceptum est. Fecitque (76) rex Karolum, filium Karoli, vindictam de Romani, et omnia Tuscie finibus et Ravenne, Pentapolim, a summo pontifice constituit. Monasterium sancti Silvestri in montem Syrapti, et ecclesia sancti Stephani in Mariano per preceptum in prephatum monasterium sancti Andree constituit, et dona ampliaria fecit. Post hec domnus Karolus ad Aquisgranis reversus est; medio Nobembrio allatum est ei, etc., *ut Annales Laurissenses an.* 804, donatum magni muneribus; et narravit domnus Leo papa, quanta seditio civilis Romane contra eum ejecerunt, et quomodo ablatum est res æcclesiarum; audita et [37] verba mitissimus imperator conferens in corde suo. Tunc imperator per Bawaria ire volentem *etc. ut Ann. Laurissenses usque* Mansitque apud eum dies 9; et sicut dictum et constitutum est, inter ipsis Roma repediavit. Ordinata omni et composita, que opus et necesse erat, sanctæ Romane æcclesie, et omni Tuscie finibus seu Pentapolim Ravenne in apostolicis Leonem constituit. Nam monasterium sancti Andree apostoli munitatem concessit, et in edictis Langobardorum affigi precepit; et exinde reversus est in Francia. *Sequuntur excerpta Annalium Laurissensium annorum* 805, 808, 810, 814, *et Eginhardi Vitæ Caroli, capp.* 15, 16, *usque* pronuntiarent.

23. Precepit * rex fortissimus, ut classes navi-

[* *Cum hoc loco initia fabulæ de Caroli expeditione in terram sanctam legantur, operæ pretium videtur ei initia fabulosæ narrationis de expeditione ejus Hispanica adjungere, fragmentum scilicet sæculo decimo exaratum quod in bibliotheca regia Hagæ comitum ad finem codicis n.* 921, *Gesta regum Francorum exhibentis tribus foliis inscriptum inveni:*

nuntia sinceri ortum. Liquet innotuisse accedere [38] prelatæ pubis; procul præveniente aura plebei faminis. Nec mora; tanquam certabat cupidus hiatus animi, adsunt exhausto cornipede et clavique excercita [39] triumphato orbe in multis partibus. Ilicet pertonat ardens miles Ernoldi ad muros, et ipse tenens pilum scienter anhelat ante suos, perfunditque sudor ubique proruptus ducem, lucentque oculi et concrescunt spumæ per ora, pulsantque truces venæ in pectore; nunc poplex titubabat, nunc adstat firmior quercu. § Plene ructificat juventus Bernardi experta in adversis rebus et qualiscumque resistat; favet fortuna suum velle, certatque valere. Sed tamen per cunta, neque degeneratur ab ullo obice, quisquis minus gravior omnibus obstat. § It gravis fremitus Bertrandi, qua eminet fortior pars urbis fossa et muro, promittente sua mente quæque obnoxia, trucidatque pugiles, quo sonitu cadit intolerabilis ictus de cælo. Nihil expulerunt arma minitantia mortem præcipitem gradum vel retro vel immo parum; nec [40] teterrimus imber sagittarum. Et magis ingerit gradum, cernens horrere sua fata. Et sunt gaudia probare gravius periculum. Et computat se esse aliquid in hoc. Jam amovet vivida manus juvenis (fol. 2) muros. et jam rumpuntur ferrea flagella portarum cum toto poste. Prestatur iter, meliusque undique produntur ruina. Committitur ferrum hosti. Moventur virtutes pro se, et quæque dextera. Habetur pigra agilis, perterrita acris. Hic caret hasta loco, sed solus dimicat ensis. Namque vacat omnis plaga, nisi furtim dedita utero, seu pectoribus; quia talis erat pressio, ut non potuit ulla manus suspendi [41] ictu [42]. Incertum est, ubi plenius edit Mars viros pallentes morte, præclariusque feriat auras gemitu. Perambulat enim introitum urbis, et medium, tenetque extremum. Nec alter conspicitur inter tanta spatia, nec habet colorem majori fato. Natant atria, rura, domus, tabulæque, limina, postes; in alta tabe, madescunt sublimia saxa. Undique stat fusus cruor. Undique rubescunt stagna. Tumescunt aera. Incubat atra nox per urbem. Mox cucurrit uterque satelles ad cornipedes, serpente freto concreti sanguinis usque genua, tenenteque mersa vestigia

(fol. 1) et effectu, veluti spondet sibi versuta arrisio superbæ fortunæ hoc prope tota. Sibilat imber telorum, suspensus in aere; et instat quantum magis evalet impulsus manu. Rotatur sublimior ordo in fossa suis vulneribus, et dat graves lapsus posteriori; intimatque ipse ruens aucmenta periculo adjuta suis ponderibus. Nec adhue sensit uterque inopina gesta malorum, alta sensibus catenatis formidine et pari torpore; dum recrearet spiritus jam suffitiens sibi lassos artus, a longe inpingit alternus furor et urguet cæsarias aties, quibus erat negatus omnis aditus in arte et armis, licet usus ubique esset virtute, et licet patrasset impatiens virtutum mira bellorum, et strepit liberior sibi per propugnacula et per murales latebras. Resultatque aligerum semen super tegmina clipeorum, ut sit grando; at deservit ferro comes et revocata vis suorum modo nescia sicci ventris atrocisque gulæ quam male sustinuit, nec umquam plus satiaverat suas mentes cæde; sicut merentur pia vota. Prope facit mucro omnes dextras intentas sibi, repetitque cesarius miles propiora menia, fossæque redundans cupit in sublime. De sursum distillat acutus palus plagasque serit, degeritque pregnans molaris corpora subeuntia confusis armis, modo truditur dux a castello vi et amittit foras inter vasta cede. Perditque necatque; utpote prestant mille manus suffragia homini. Describitur ante fores electa majorque corona virorum servare [36] aditus fallantes, ut tuta sint terga habeantque fidem. Illic ridet Gradivus notans sanguinolenta brachia. Et alternat æquum commissus totis viribus multifidis mirisque modis intus forisque, (fol. 1) quacumque potest pompare se minaci cornu. Inter hec vitæ labantis gravitate rerum, tribuit quarta dies suum mane, fugiente astro laceris tenebris. Et effecerat solaris orbita preclarum orbem quippe rubescens ad casum; sicut prodidit ipsa

VARIÆ LECTIONES.

[36] *ita legendum; in codice* seruire *legi videtur.* [37] ec, hec, hæc. [38] *scilicet* nomen, *quæ vox supra* accedere *habetur in c.* [39] e *in margine abscisum.* [40] *super inscriptum.* [41] supendi *c.* [42] *incipit manus secunda.*

NOTÆ.

(76) Nugæ.

gium Normanicum hedificantes, et navibus juxta fluvium que de Gallia et de Germania septemtrionalem (77), ut per omnes portus et flumina, ubicumque naves stationibus tali munitio precepit. Ut per mare Adriatica in provincia Benetie congregare precepit. Deinde tota Italie tam Benetie quemque Quilegie (78) finibus, seu Ravenne, Ariminum, quamquam et Ancone civitatibus, et cuncta litoris maris Adriatice, usque ad Traversus congregare jussit. Et cuncta maris Terrine (79), Eugenia (80), Corsica, Sardinia, Pisani, Centucellensis, Rome, et quicquid Napulie (81) finibus omnium navigarum multitudo collectum est ad Traversus, quantum deinceps usque in presentem diem invenire potuit. Mitissimus vero rex, accepta benedictione apostolicis Leoni, in sancto archangelo (82) ascendit, adorans et deprecans Deum, ut iter suum in pace dirigeret. Que profectus iter in- A choavit, in monte Gargano pervenit; multa dona hibi optulit. Qui per Neapolie finibus pergens, Kalabria feriore (83) usque ad Traversus pervenit: decies centum et eo amplius passuum milibus longitudine porrigitur. Jussit fieri pontes super mares multitudinem, omnes Francorum, et Saxonicum, et Bajuarium, Aquitaniorum, Quassconicum, Pannoniorum, Avarorum, Alamannium, Langobardorum, quorum gentis multitudo nullus potest capere, ante se exire precepit; molieruntque cuncte nationes terre Grecorum, ut robor eorum pro nichilo computatus. Collaudantes et benedicentes Deum, qui via recto dirigit Karulo, servus Petri principis apostolorum. Cum audissent [40] Aaron reges Persarum, qui (84) excepta India totum penetrabat (85) Orientem, talem fecit amicitiam et concordiam, ut eis gratia ejus omnium qui in toto orbe terrarum erant, regnum B

instantum sibi. Pariterque concurrunt reges, lacessuntque Martem emissis viribus; quoniam bene creditur illis posse unum diem largiri totum orbem. Redit unusquisque acrior labori sui propositi. Et tradunt plures sua vulnera fatis. O pactum telorum nec jam saturabile! Labat altercatio Martis ad campos strigilis. Namque nihil amplius potest vigens stare urbi superante modo; neque vult, ut libere laxet cuncta colla ferro, receptetque apertos motus, congaudeatque auxiliatrix hasta, vibrando. Stupet terra campique latentes sub cetu, potuisse urbem tenere tantos viros atque extra fudisse. Hic est ratio, ad quas manus potuit triumphus venisse, si superstæt felix væna. O vector cælorum et orbis, quem commovi prece, permitte mihi roganti veniam, dicendi vel aliquid, adestoque sanctissime præsul meo auxilio. Ecce inestuat indomiteque tumet baccania [33] regum per immensos orbes Mavortis, et angit fortunam, (fol. 2) per se neque relabi quo velit ipsa. At econtra magis continet se Carolus imperator, ut fortis, fixus pietate Tonantis, quem semper sciebat præsentem largumque [34] instigatque ardentes manus amori bellorum; nec cogit formido sequi tam validum regem sed cogit mens præcedere. Se proque tollit lumina ad sidera, soluta [35] mananti rore lacrimarum, humectatque genas: ne tripudiet gens offensa superno regi palma, receptetque superba spolja. § Optinet dux sublimis equo quem redemit multa cæde, medias phalanges mucrone docili pœnarum; et huc illucque seminat mortes. Ergo reiiiunt elumbes dextræ arma, quibus [36] negatur ut stent; laborat belliger eventus emulusque ordo fatorum conferre acre senium Borel patris, homini vafro per incendia pugnæ. Nec mora, hauritur subsistens hospes corporis [37] per munimina clipei et per trilicem tunicam [38], summittitque caput, sed vertuntur crura in altum, cadendo; modo dehiscunt colla confracta solo. Respirat Wibelinus [39] agilis et audax, puer par parenti suo virtute, sed suppar mole, compensandus in omnia ferro judice. Circumdedit unum e natis Borel visu, procul fremen- tem inter mille patiente dextra. Rumpit iter telis intentus illi cohortansque equum talo monitore, et statim devenit ante eum collocatque ensem ardentem inter medium timporis. Et exsibulat e suo usu cervicem, cui magis adhærebat totamque medullat utrimque; occubuit lingua projecta plus uno pede. § Propalat sitibunda cupido laudis Ernaldum quanti prætii sit, quantoque actu refulgeat. Quicquid enim parat Bellona, lacerat trahitque ut leo quod reperit; dum pridem sapuere sautia commertia diræ faucis nihil prædarum. Potis est cognoscere alium fraternæ stirpis ante suos obtutus, acclinatque habilem atiem hastæ in ictum. Declarat [41] (fol. 3) insatiabilis cupido humane laudis, quanti pretii sit quantoque refulgeat actu animositas Ernaldi. Quicquid enim bellicæ virtutis offitio natur opus, id ab eo haud segniter completur. Haud secus famelica rabies leonis grassatur occurrente sibi præda, quam virtus Ernaldi per prælia. Post multa vero feliciter acta aspicit quendam fraternæ cedis reum. Qui nil moratus, validam in hunc contorserat hastam, cui volanti [42] torax fit pervius hostis. Quo ictu inpellitur corpus militis, longius decem [43] cubitis. Sicque excussus equo vitam demiserat orco. Præterea succedit bello Bertrandi horrenda manus; quæ validam formidinem incusserat hostibus, armisque feralibus dura dat fata multis mortalibus. Dextera nempe palatini, nulli hostium parcere suevit, veniamque orantem nox ensis reliquit exanimem. Forte dantur sibi obvia trina juvenum corpora, quorum prior paululum [44] resistens duram ibidem inuerat mortem. Namque terribile fulgur gladii per medium capitis guturis antrumque pectoris umbilicique recepit. Egestaque viscera, in gremio delabuntur tupentia. Negat quippe trilex tunica, atiei reponere obstacula. Nec sufficit vero humanum interemisse corpus; verum etiam equus vita invenitur privatus. Superfuit enim ensi, spinas partire caballi; tandemque elapsus terræ medio tenus reperitur incussus; quem Bertrandus retrahens, residuos versabat in hostes. Nec mora, patet C D

VARIÆ LECTIONES.

[33] *i. e.* furor. [34] largamque *c.* [35] *scilicet* lumina *c.* [36] *i. e.* dextris *codex.* [37] *i. e.* anima *codex.* [38] tonicam *corr.* tunicam *c.* [39] *ita codex.* [40] audissent *corr.* audisset *c.* [41] *incipit manus tertia.* [42] ualanti *c.* [43] X. *c.* [44] palulum *c.*

NOTÆ.

(77) Eginhardi Vita, cap. 17.
(78) Id est *Aquileiæ.*
(79) Id est *Mediterranei.*
(80) Liguria?
(81) In Apuliæ f.
(82) Michaele in monte Gargano.
(83) Id est *inferiore.*
(84) Ex Eginhardi Vita Caroli, c. 16.
(85) Pene tenebat.

ad principum amicitia preponeret, solumque illum honore hac munificentiam sibi colendum judicaret. Ac deinde ad sacratissimum domini hac salvatoris nostri Jesu Christi sepulchrum locumque resurrectionis advenisset, ornatoque sacrum locum auro gemmisque, etiam vexillum aureum mire magnitudinis imposuit; non solum cuncta loca sancta decoravit, sed etiam presepe Domini et sepulchrum que petierant [46] Aaron rex, potestatis ejus ascribere concessit (86). Quanta vestes, et aromata, et ceteras horientalium terrarum opes ingentia, et dona Karulo concessit! Vertente igitur, prudentissimus rex cum Aaron rex usque in Alexandria pervenit. Sicque letificantes Francis et Aggarenis, quasi consanguineis esset. Dimissoque est Aaron rex a Karulo Magno in pace; in propria sua est reversus. Rex piissimus atque fortis, ad Constantinopolitano hurbem, Naciforus (87), Michahel, it Leo, formidantes quasi imperium ei eripere vellet, valde sub sceptu; quo cognito rex formidine eorum, pactum et fedus firmissimum posuit inter se, ut nulla inter partes cuilibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis et Grecis Francorum suspecta potentia. Unde et illum Grecum est ad proverbium : ΤΟΝ ΦΡΑΚΟΝ ΦΙΑΣΝ ΕΧΙΣ, ΙΤΟΝΑ ΟΥΚ ΕΧΙΣ. Quod Latini dicunt : Francos abeto amicos. Qui mox imperator cum quanta donis [46] et munera, et aliquantulum de corpore sancti Andreæ apostoli, ad imperatoribus Constantinopolim accepto, in Italia est reversus. Roma veniens, et dona amplissima beato Petro constituit, ordinataque Urbe [47], et omnia Pentapoli, et Ravenne finibus seu Tuscie, omnia in apostolici potestatibe concessit. Gratias agens Deo et apostolorum principi, et benedictione apostolica accepta, et a cuncto populo Romano augusto est appellatus, simul cum ipso pontifice usque ad montes Syrapti, ad monasterium sancti Silvestri devenit. Deinde ad monasterium sancti Andreæ cum pontifice summo adest; qui rogatus imperator ad pontifice, ut aliquantulum reliquiarum de corpore sancti Andreæ apostoli in hunc monasterium consecrationis constitueret; cujus loco positus est in hunc monasterium venerabile ecclesiæ, aput nos incognitum est. Victor et coronator triumphator rex in Francia est reversus. Qui (88) cum tantus in ampliando regno et subjiciens esteris nationibus sisteret, et in ejusmodi occupationibus assidue versaretur. Qui longum per ordinem multum est enarrare, nunc breviando adtingamus. Deinde cum matris ortatus filiam Desiderii, etc., *excerpta Vitæ Caroli, capp.* 18, 19, 20, 22, 30, 31 *et* 32 *usque* anno, indictione sexta, quinta kal. Februarias (*an.* 814).

Hos (89) tibi versiculos ad laudem, maxime princeps,
Edidit eternam memoriamque tuam
Benedictus supplex famulus monaque (90), qui mentem benignam
Egregium extulit nomen ad astra tuum.
Hanc prudens gestam noris tu scribere lector.

24. In hoc vero tempore missis domnus Loduicus legatos suos renovandum Norbertum æpiscopus a Leonem imperatorem Constantinopolim, amicitias secum et predictum pactum confirmandum direxit. Abitoque Aquisgranis, etc., *excerpta Annalium Laurissensium annorum* 814-824, 826, 827, 829; *his additis :*

Anno 815 (91) : Inter hæc quosdam primoribus

internus humor et additur (fol. 3) auræ. Quin etiam rumpuntur fortia phalerarum vincula et cingula bratteolis crepitantia. Grassatur quoque per camporum spatia Bernardi terribilis audatia, is nempe acriter inserviens Marti multorum mortalium corpora luce privavit. Gaudet enim felicis honore palmæ, quem sic sublimat casus fortunæ [48].]

Fragmentum hoc ad narrationem de obsidione Pampilonæ an. 778 *institutæ pertinere videtur, de qua et Turpinum agere constat. Agit enim de bello adversus paganos, orbis terrarum cum Francis dominos, id est Sarracenos. Ernoldus sive Ernaldus videtur esse Arnoldus, quem anno* 781 *Aquitaniæ regni bajulum a Carolo institutum Vitæ Ludovici auctor tradit; idem apud Turpinum capp.* 11, 14, 30, *Arnoldus de Bellanda vocatus, teste Turpino, cap.* 14, *præcipuas in expugnatione Pampilonæ partes egit. Borel sive Burellus comes anno* 798 *Ausonæ præfectus, anno* 809 *expeditioni Hispaniæ interfuit. Wibelinum fortasse pro Turpini Willerino cap.* 29 *et* 11 *habere licet; nisi Wilhelmus Tolosanus dux intelligendus sit. Cæterum integros versus textui immisceri, lectores facile advertent.*

In eadem membrana hos versiculos legimus :

Jamque aves in qua silva
Gaudenter voces concrepant
Laudent deum humiliter
Referant alta graviter
Tu christe miserere.
Primum diem dominicum
Turtur gemit in haera
Colonba christe guture
Vocant deum in pectore
Tu christe.
Lunus dies cum dicitur
Milvus, qui deum colli
Passer paulatim concutit
Ex corde deum diligit.
Tu Martis dies tertius
Cantant aves concorditer
Irunda volet fortiter
Non cessant deum.

VARIÆ LECTIONES.

[46] petierat *corr.* petierant. [46] donas *corr.* donis *c.* [47] hurbe *corr.* urbe *c.* [48] *spatium reliquum vacat.*

NOTÆ.

(86) Cf. Eginhardum . c.
(87) Cf. Eginhardum l. c.
(88) Eginhardi Vita, c. 17.
(89) Ex Gerwardi versibus in Mon. SS. II, 438 (*Patrolog.* tom. XCVI, præf. ad Vitam Caroli Magni), sed mutato nomine scriptoris.
(90) Id est *monachusque.*
(91) An. 814 tricentos solidos auri loco septem

Romanorum..... trucidatos. Erant enim numerum Romanorum tricentos qui interfecti sunt in campo Lateranensis. De majoribus erat enim papa Leo quartus omnia Pentapolim atque Tusscie finibus in pontificis constituit.

Anno 819 *ita habet* : In quo multa de statu ecclesiarum et monasteriorum tractata atque ordinata sunt. Legibus etiam capitula que dudum in edictis scripta sunt affigi precepit. Quo perhacto — Ubelbi comitis Judit duxit uxore.

Anno 824 : In cujus (*papæ*) locum duobus per contentiones populi fuissent helecti, Eugenius archipresbiter tituli sancte Savine ; alius tamen quo nomen superest facta est seditio Romane civilis inter se, vincente parte nobilium parte subrogatus atque ordinatus est.

Annos 827 *et* 829 *ita jungit :* Legatus imperatoris Romam venit, et helectiones populi qualis esset examinavit. Ubi et missa sancti Martini, et festivitatem beati Andreæ apostoli, necnon et ipsum sacrum sanctum dominicæ nativitatis diem cum magna letitia et exultatione celebravit.

Mense Februario conventus hibidem factus, in Italia profectus est (92). Romaque ingressus, in ecclesia apostolorum principis missarum sollempnitate celebrata, Apuliæ finibus adgressus est in civitatem Bari ; quattuor turres ædificari jussit. Quanta et qualia naves maris Adriatice portantes ea que necessaria sunt, Francorum scara in Bari civitas custodientes Scalaoria (93) inferioris et superioris, et quicquid civitatis maritime posite sunt, ut Agarenicos non vastarentur. Romani etenim imposuerunt ad imperatore Loduicus Pius, unde memoria ejus permanet usque in eternum. Imperator Loduicus in tanta virtus in Italia estitit, ut sanguinium (94) pontificis Romani a legibus non potuisset erueret (95). Abebat autem in palatio Lateranensis judices preordinati, per singulos dies, a locus ubi dicitur a Lupa, quod est mater Romanorum, ut populum Romani per districtum placitum a dux Spolitinus, Aciprandum nomine, discutiendum. Pontifex Gregorius sancte sedis apostolice, quicquid a Constantinus imperator concessa fuerat æcclesiastice [49], Lodoicus imperator concessit. Monasterium sancti Benedicti in monte Cassini in provincia Samnii, monasterium sancte Dei genitricis semperque virginis Marie (96) in monte Acutiano territorio Sabinensis, et monasterium domini Salvatoris territorio Reatino, juxta montes Letiniano seu Bogiano, monasterium sancti Silvestri in monte Syrapti cum monasterium sancti Andreæ apostoli, ad defensionis suis palatii imperator kamere sue concessit. Et monitate legibus insuper descriptis [50] monasteriis in edictis legibus Langobardorum affigi præcepit. Preordinata cuncto regno Italia a Lothario filio suo, qui consortes suis regni erat, constituit ; benedictione accepta in ecclesia apostolorum principis absolutionis apostolico, in Francia est reversus. Et non post multos hos dies hobiit (*an.* 840).

25. Unde crevit rumor inter filiis regis, Lotharius, Pipinus, Loduicus, Carolus, et Carlomagno de consortes regnora, et sortierunt regnum inter se; inciperunt dividere da civitas Faucis (97) quod est vilicos (98) inter mare Adriatica, et mare Terrina, et usque in Aquitania ; et divisus est populum Italico vel Romano a Francorum imperium. Cœperunt pugnare inter se reges Francorum ; unde exiit fama in Cordua, et in Africe tota Cartagine, ceperunt reagere Sarracenis consilium maligno, ut regnum usurparet, et ecclesia sancti Petri expoliare. Karolus (99) rex, filius Loduici Pii bone memorie, propter quodam suis facinoris, quod nunc [51] super est, renuntiato regno fratribus suis, in monasterio sancti Benedicti in monte Cassino sancte conversationis abitus accepit. Tanta humilitas in eo concessit Dominus, ut omnibus fratribus pedibus lavaret [52], ut inter omnes minor se putabat [53]. Saxonis inchoantes preter discordiam, que erat inter Pipinus et Carlomagno et Loduicum regibus ; Lotharius vero, qui agustus est appellatus, regno Italie regebat. Saxonis cotidie preliantes, cepit exminuare regnum Francorum. Mortuo idem Karlomagno (100), Saxonia in Francia ingressi, ferro igneque vastantes, fecit Pipinus (101) rex amica causa cum [53] Saxones. Loduicus rex Aquitanie (102) cum Saxonis pugnabat. Aquitanii inter se conventicula facta. Unde ablatum est regnum Aquitanie a Francis, usque in præsentem diem

26. Mortuo idem Lotharius (*an.* 855), successit in regno Karolus (103), filius ejus, pro eo non multum tempus (*an.* 846). Orta est persecutio Romani inter se; exierunt viri scelerati, et legatos miserunt a rex Babylonie, ut venirent et possidere regnum Italie. Tanta denique Aggareni in Italia ingressi a Centucellensis portus, sic impleverunt faciem terre, sicut locuste velut segetem in campo. Tantos timor inva-

VARIÆ LECTIONES.

[49] *i. e.* ecclesiæ. [50] *i. e.* superscriptis. [51] *i. e.* non. [52] *primo* lavaretur *et* putabant *scriptum erat.* [53] *vox bis scripta.*

NOTÆ.

millium scribit.

(92) Ludovicum minime in Italiam profectum esse constat ; ad Ludovicum II imperatorem, Lotharii filium, hæc pertinere videntur.

(93) Id est *Calabræ*, littera *s* vocis *custodientes* repetita (calaoria).

(94) Id est *consanguineum.*

(95) Cf. Ann. Lauriss. an. 823.

(96) Farfa.

(97) Füssen?

(98) Umbilicus?

(99) Nugæ.

(100) Ludovico Pio.

(101) Lotharius.

(102) Germaniæ.

(103) Ludovicus II

sit Romanos, ut nullos extra portas egredi; obsedita est Roma, et civitas Leoniana appreensa, et ecclesia sancti Petri capta et expoliata, et per monasteria ipsius æcclesie æquos eorum stare precepit. Versa est mater omnium ecclesiarum in opprobrium, et omnis decore suo abstractum. Veniente juxta altare barbari giro ballantes manibus. Arrepto unus ex illi lanciola, in pectore vultum Domini in absida depictum museo [84], non tantum musco dirrupit, verum etiam materie confectionis transfudit. Cepit emanere sanguis, sicut homo vivus fuisset in corpore; unde in eternum permanet. Aparatio ejus, ut superius diximus, destructe cuncte monasteriæ ejus, et ecclesiarum omnibus, civitas Leoniana; facta est Tuscie provincia desolata, et civitates in opprobrium, Romani afflicti merore apostolicus. Gregorius (104) hujus apostolicis sedis successerat (*an.* 847) inspiratus flamine sancto, cotidie confortantes populo Romano in virtute Spiritu sancti, et consilio inierunt, quomodo Deus omnipotens auferret feras nationes barbarorum, et ecclesia sancti Petri apostoli, qui est caput omnium ecclesiarum, a pestiferas gentes erueret. Nuntius missus a Loduicus rex (*an.* 816), filius Loduici (105) pie memorie, ut veniret et defenderet ecclesia sancti Petri, et Romanum regnum. Ut sicuti a Pipino, et a Karulo, et Loduicus pater ejus triumphum victoriæ regnum Italie erexerat, ita et ipse regnum Romanum in suis pollicitationibus optineret. Non diutius moratus Loduicus rex, cum Francis a Roma perrexit. Gregorius papa legatos misit a Quido marchione, ut veniret et succurreret civitatis Romane ecclesie sancte, pro cujus amore Dominus sanguinem suum fudit; et dona amplissima reciperet. Perrexit igitur marchio Quido cum omni exarcatu gentis sue Langobardorum in urbem Romam ingressi, ceperunt pugna inciperet a pontes sancti Petri, et a portas Sassie civitas Leoniana multis barbarorum gentis interfecti sunt, per virtute sancti Petri; et pestifera gentis inter se dicentes: « Quia vidimus sanguis deus christianorum! » Facta est dispersio Agareni et dux eorum, et mollierunt in se ipsis [85]. Loduicus rex venit ostiliter usque ad montes Malum (106), hubi est ecclesia sancti Clementis, conspexit multitudo eorum, formidare cepit cor ejus, quia non erat cor ejus sicut pater ejus. Impetu fecerunt Franci et concinnerunt tuba, et facta est voces eorum et tube sicut tonitruum, maxime rumores civitas Romane, et voces ecclesiarum. Venerunt Francis ad arcus qui dicitur Militorum; quis potuit numerari illa tribulatio? Loduicus rex veniente a fossatagine non longe ab arco, levavit manus suas contra Francis, ut Francis videntes, retro pedes post se [86]. Aggarenis inter se irritantes, exierunt de civitas Leoniana, et de ecclesia principis apostolorum, irruerunt super Francos; quantis interfecti sunt, nullus potuit numerari (107). Quido marchiones et Romanum populum post eos interficiendum, et Aggareni antecedentes et fugientes, sicque venerunt a Centucellensis portus; verumtamen decima partes ex eis non remansit. In nave ascensis Aggarenis, cum omnis decore æcclesie sancte in mari ingressi sunt. Quido marchiones cum suo comitatu, Loduicus rex cum quantos Francis evaserat, in Roma sunt reversi. Propter hoc populi Romani in derisione abuerunt Franci, usque in odiernum diem. Quido marchione accepta dona ampliissima et gratias Romanum populum, in propria est reversus. Loduicus rex in Papia civitas ingressus, regnum fraudatum a Karulo neptus ejus (*an.* 875)

27. Romani plus magis fraudulenter contra Francos miserunt legationes a Palarmo, et Africe, ut venirent et possiderent Italico regno. Tunc exierunt Aggarenis gens quasi situle, et properantes venerunt ad Amalvis, et repleverunt Calabria superiores, veniente ad fluvium qui dicitur Garinganu (108), apprehenderunt turres, et facta est eorum habitatio. Ceperunt tota Campania ferro, igne vastare; territorio Ciculano, et Savinensis, et civitas Narniensis, et civitas Ortana, et civitas Nepisina, in suis dominiis redacte sunt. Propter hoc amplius rex Francorum in Italia non regnavit usque a presentem diem. Regnaverunt Aggarenis in Romano regno anni triginta; redacta est terra in solitudine, et monasteria sancte sine laudes. Verumtamen propter peccata populi. Sicut scriptum est: « De celo prospexit Dominus super filios hominum omnes qui habitant horbem. De preparato habitaculo suo (*Psal.* XXXII, 13). » Qui superius diximus, per curricula triginta annorum usurpantem Agareni Romanum regnum (*an.* 904-911). Et in summa sedis [87] sancte apostolice preerat Sergius papa tertius. Cujus temporibus ruina magna concuti in ecclesia patriarchio Laterenensis sancti Johannis, qui appellatur Constantiniana, a fundamentis est rupta; qui mox apostolicus Sergius meliusque renovavit a fundamentis; quanta donaria in oc patriarchio optulit in ipsius basilice, a duobus lateribus ante altare, in picture renovationis scriptum est.

28. In Langobardorum gens civitatis Ticine preerat rex, nomine Quido, cujus temporibus redactum est regnum Langobardorum sue potestative regie

VARIÆ LECTIONES.

[84] *i. e.* musivo. [85] *hic distinxi.* [86] *distinctio deest in codice.* [87] sedes *corr.* sedis *c.*

NOTÆ.

(104) Leo IV.
(105) Lotharii.
(106) Monte Mario.
(107) Ludovici cladem refert et Prudentius an. 846, et Chron. Casinense.
(108) Garilianus.

potestate (*an.* 888-894). Fecit idem Guido synodum cum episcopis, et abbatibus, et cum fidelibus, Langobardis capitulis legis, et in edictis affigi precepit. Cujus temporibus horta est intentio inter Langobardos et Francos de regno Italie; clauserunt Langobardi clusas, et custodierunt vic Galliarum.

29. Obiit Sergius papa nonus Kalendas Maias (*an.* 913, *Oct.*; 914, *Apr.*). Successit in loco ejus Lando (109) natione Saviniensis; sedit in cathedra sancte sedis apostolice menses sex; obiit. In loco ejus successit Formosus (110). Renovavit Formosus papa æcclesia principis apostolorum Petri, picture tota; quanta et qualia intentio inter Romanos et Formosus papa, modo taceamus. Obiit hisdem Formosus; in loco ejus successit Johannes decimus papa (*an.* 914 *Apr.*). Consilio inito cum Albericus marchiones de Sarracenis. In ipso tempore exivit Akyprandus Reatino, et alii plures Langobardis, et Savinensi, et preparaverunt se a pugna cum Sarracenis, a mœnie civitatis vetustate consumpta, nomine Tribulana (111). Et conflicta pugna, intercedente beato Petro apostolo, Sarracenis interfecti sunt. Alia pugna est facta inter Nepisinos et Sutrinos cum Sarracenis in campo de Baccani (112), multosque Sarracenos trucidati sunt et vulnerati. Audientes Sarracenis qui erat in Narnienses [87] comitato, Ortuense, et qui erant in Ciculi, preparaverunt se omnes in unum ad dux eorum qui erat a fluvium Garilianu, iter bastantes, maxime cognoscentes, in se ipsis interitus eveniret. Anexiebat cor Johannis decimi pape cum Albericus gloriosus marchiones, et collecta multitudo ostiliter venerunt a [88] fluvium Garilianum. Factus est Albericus marchio ut leo fortissimus inter Sarracenos (*an.* 916). Audierunt Beneventani prelium, exierunt Beneventum, et venerunt ad turrem, et preliaverunt prelium magnum; et contriti sunt Sarracenis a facie Romanorum; et victores Johannes decimus papa, et Albericus marchiones, honorifice susceptum Albericus marchio a Romano populo. Erat hisdem Albericus marchio elangiforme. Accepit una de nobilibus Romani, cujus nomine superest, Theophilacti filia, non quasi uxor sed in consuetudinem malignam. Genuit ex ea filium, ab amore patris Albericus nomen imposuit; qualiter huc Albericus pervenerit, postea dicamus. Renovavit igitur Johannes decimus papa in Lateranensis palatium tria mirifice composuit, picta decorate, et versis ex utraque partes exarare studere jussit. Orta est intentio inter matrem Alberici et papa, et separatum est populum Romanum inter se. Erat denique Petrus marchiones germanus suprascripti pape; talis odium ex rixa inter Romanos et marchio, ut non in urbem Romam ingredi deberet. Ingressus Petrus marchio in civitas Ortuense, et in capite hujus civitatis edificavit castrum firmissimus, et plus magis seviebant Romani, et amplius Petrus marchio in hurbem Roma non est ausus ingredi. Statimque nuntius transmisit ad Ungarorum gens, ut veniret et possideret Italia; quo peracto omnia Ungarorum gens in Italia ingressi sunt. Simul cum Petrus marchio in urbem Romam ingressus est. Ungarorum gens deprædata tota Tuscia, igne, gladio [89] consumpta, multos populo simul cum femine, et quicquid manum capere poterat asportaverunt. Cumque nullus fuisset qui illorum impetum resistere potuisset, a propria sunt reversi. Romani in ira commoti, unianimiter ad palatium Lateranensis properantes, interfecto Petrus marchio, ad apostolicos nullus adtingit. Unde consuetudo per singulos [91] Ungari Romanis finibus deprædantur deinceps.

30. Obiit Johannes decimus papa (*an.* 928. *Mai.*) (113). Domna senatrix unde superius diximus, ordinavit Johannes consanguineum ejus in sedem sanctissimus, pro quo undecimus est appellatus (*an.* 931, *Mart.* 20). Subjugatus est Romam potestative in manu femine, sicut in propheta legimus: « Feminini dominabunt Hierusalem (*Isa.* III, 4). » Iterum autem venientes Ungari juxta Romam a porta sancti Johannis, exierunt Romani et pugnaverunt cum Ungarorum gens; et ceciderunt de nobiles Romani, sicuti a portas ipsius ecclesie inumata requiescunt (*an.* 937?). Tunc Ungarorum gens venientes a civitas Reatina, exivit foras Joseph Langobardo prudens, cum ingentis exercitus Langobardorum; partes interemit gladio, et partes vivos appreendit. Ungarorum gens videns se ex omni partes impetum gentis dimicaret, iter in propria sunt reversi, et amplius in Italia pro deprædatione non sunt ingressi. Væ populum Italico! quanta accidentia [92], quantaque clade alienigene gentis in vos exercuit! Civitas Leoniana [93], quem Centum Civilis construxit, capta fuistis a Sarracenis et alienigene gentis; verum etiam a Bajuariorum gens Galliarum, et a rege cui nomen erat Arnulfus; ferunt namque quod a sellis caballorum fuisset appreensa. In temporibus Johannis decimi pape, cujus superius memoriam fecit, visa sunt signa, qualiter in hunc libellum seriem vocitatur. A diebus namque ejus demonstratum est, que post futuris suis temporis adeptum est.

31. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi nungentesimo vicesimo primo, indictione prima, indictio nona, temporibus domni Johannis decimi

VARIÆ LECTIONES.

[87] inarnienses *c.* [88] ha *corr.* a *c.* [89] *hic* ua *deletum* (vastata). [91] *scil.* annos. [92] accidentea *corr.* accidentia *c.* [93] leonianiana *c.*

NOTÆ.

(109) Anastasius III inde ab Aug. mense an. 911, usque ad Oct. 913; tum Lando.
(110) Formosus an. 891 Sept. usque ad annum 896 mense Apr. sedit; Landoni Joanne X successit.
(111) Trevi?
(112) Baccano.
(113) Quem Leo VI, Stephanus VII, tum vero Joannes XI secuti sunt.

pape, in anno pontificatus illius septem, vise sunt signa. Nam juxta hurbe Roma lapides plurimi de celo cadere visi sunt. In civitate que vocatur Narnia, tam diri ac tetri, ut nichil aliud credatur, quam de infernalibus locis deducti essent. Nam ita ex illis lapidibus unus omnium maximus est, ut decidens in flumen Narnus, ad mensura unius cubitis super aquas fluminis usque hodie videretur. Nam et ignite facule e celo plurime omnibus in hanc civitate Romani populi vise sunt, ita ut pene terra contingerent. Alie cadentes juxta domum Theophilacti. Alie juxta ecclesia sanctorum apostolorum Jacobi et Philippi, que nos vocitamus sancti apostoli. Alie huc illucque discurrentes. Similiter eodem tempore celum ardere visum est, juxta Portum hujus hurbis, miliario [64] ab urbe Roma decem et octo. In qua videlicet flamma tres simul columne vise sunt, in modum columpnarum que nunc in edificiis locantur. In quibus tribus columpnis tres columpne [65] apparuerunt sedere, unaquaque super columpna; e quibus una ex illis elevatis alis extinguere cupiebat flamme, nec poterat. Deinde secunda, et tertias, et necquicquam valuit; nec multo post supervenientes una ex aliis partibus expansis alis, et tam diu contra flamma alas exagitant, quousque totam illa flamma extinexit. At vero post hæc juxta porta hujus civitatis que appellatur Salaria, ante ecclesia scilicet sancte Susanne et Cyriacis martyris, mulier quedam die dominico mensis Martiis revertente ab ecclesia beati Petri principis apostolorum de statione diei hujus mensis decem et septem, in passione Domini coquens pulmentum. Cumque primum accepisset pulmentum oleris commedit; deinde cupiens ollam tollere de loco in quo posuerat, minime valuit. In que continebatur pulmentum, ex milio factum. Cumque hoc egrediens domum, lugere cepit vicinis et proximis cognitum faceret; omnes currentes, nullus ex illis qui venerunt eruere de marmore in quo sedebat. Iterum atque iterum caterve populi hujus civitatis, tam clerici, quam omnis cetus Romanorum utriusque sexus, advenissent; nequaquam aliquis valuit erueret. Sed ita adherebat vas illum marmori, hacsi ex ipso marmore sculptum fuisset. Hoc autem factum pene per quattuor horarum spatia, hab hora videlicet nona usque ad nocte. Superque vas stantes, signum crucis facientes, letanias per plurimas deprecantes Deum, ut erueretur illum vas de loco in quo sedebat; sed nec sic profuit. Novissime venientibus aliis clericis facientibus similiter letanias, tunc unus ex illis extensa manu facto signo Christi, dans orationes, mox sublevatum vas illud inlesum. Simili modo in ecclesia sancte Agathe que nuncupantur diaconia, in vigilias ipsius martyra imagine lignea in qua depicta erat vultum ipsius martyra veneranda, exiliens de proprio loco in qua stabat, nexa funibus pena ora una stetit, pendens rursum reversa est in proprium locum. Deinde inclinata, non per modicam hora velut jacens permansit, et iterum erecta est ut prius fuerat. In æcclesia vero sancti Angeli, juxta flumen Tyberis, in qua sita est æcclesia sancti Abbaciri et Johannis, et sancte Barbare, fores ejusdem æcclesie per totum ferme diem clausæ fuerunt; ita nec violenter, nec letaniis qui visus aliquis illo die reserare potuisset. Alia autem die facta letania ac data oratione patuerunt se ut primitus solite erant. Insequenti igitur tempore visum est in forme bestie in sublimi juxta aerem, quasi draco immanissimus; cui longitudo cernebatur ab æcclesia sancti Eusebii juxta macellum parvum pene ad portas Salaria, multi cernentibus per maxima hora; deinde obducta nube, nusquam comparuit. Cepit Roma in se ipsa merore afflicta populi vexare.

32. Mater Albericus principis Romani, legatos mittens a Ticine civitatis ad Hugo quedam rex Langobardo, ut sibi matrimonio copularet. Sic adimpletum est (*an.* 932); nam post nuptias celebratas in castro sancti Angeli rex cum regina ascendit, cogitavit rex pessima, ut oculos Albericis previgni sui erueret, et Romanum regnum in sua redigeret potestatis. Cognita Albericis calliditatem regis, fides spopondit cum Romanis; ceperunt tuba canere maxime voces ecclesiarum, unianimiter loricis indutis, resonabant terra voces eorum. Formidare cepit cor regis una cum regina; in Langobardia est reversus. Albericus princeps omnium Romanorum vultum nitentem sicut pater ejus, grandevus virtus ejus. Erat enim terribilis nimis, et aggrabatum est jugum super Romanos, et in sancte sedis apostolice (*an.* 942-946). Electus Marinus papa non audebat adtingere aliquis extro jussio Alberici principi.

33. Recordatus est gloriosus princeps Albericus — credo in virtute Spiritus sancti esset hac datum, et hec difinitum — cepit esset cultor monasteriorum. Ædificavit monasterium [66] sancti Laurentii in agro Verano, et monasterium sancti Pauli apostoli; rebus vero monasteriorum, que ablata erant dudum a pravis hominibus restituit. Audivit desolationis ex monasterio sancti Andree apostoli, et sancti Silvestri in monte Syrapti, que ab Agarenis captum fuerat, maxime servitores hujus monasterii carnaliter vivant, et rebus ecclesiarum in bassallatico a fidelibus principis fuerat concessa. Astitit qui diceret: « Eum me! quanta mala accidentia in monasterio sancti Andreæ adtingit, qui tam magnus dudum estitit, a Karolo Magno hedificatum et mire compositum; totis suis rebus et colonis ad nichilum redactus est! » Hoc audiens Albericus gloriosus princeps, amplius cogitare cepit. Erat denique Leonem venerabilem presbyterum et medicus, sanctitate mire compositus, cujus notitia princeps non est incognitus, statimque ad se venire fecit ab æcclesia sanctorum Philippi et Jacobi, et fecit eum fieri pater monasterii. Et misit legatos suos nomine Leone, dicebatur a Roma iis commorlingo, ut omnes res monasterii cum colonis et

VARIÆ LECTIONES.

[64] miliariario *c.* [65] i. e. columbæ. [66] monasterio *corr.* monasterium.

colone hibidem habitantibus et residentibus, cum prephatum monasterium sancti Silvestri in monte Syrapti, et monasterium sancti Stephani in Mariano, et cum omnia illorum acjacentia in super descripto monasterio sancti Andreæ apostoli, et a Leonem venerabilem abbatem investivit et restituit, sicuti a prisco tempore fuerat concessus. Tanta gratia ei contulit Deus Leone venerabilis abbati, modo dicamus. Edificavit castrum ex utraque partes monasterii, et construxit tres turres ab introitus hujus monasterii, firmus et stabilem perfecit. Cernens hoc Albericus princeps, que libenti animo munera eis optulit, et in suis sacris orationibus se commendans. A dans eis monasterium qui dicitur Acutianum, qui est in onore sancte Dei genitricis semperque virginis Marie, territorio Savinense. Erat enim quedam Campo abbas (114) in hunc monasterio, cum fratribus suis, lubricosus suis corporibus. Ita Leonem in suis regimen erexit duobus annis. Emit enim iste Leonem venerabilis abbas casalibus duabus territorio Savinense fundum Similganum, hubi est ecclesia sancti Clementi, uncie sex, fundum Tezzani, ubi est ecclesia sancte Marie integro, fundum Villa lena, fundum Peculiari integro, fundum Terrie integro, fundum Carpiniani integro, fundum Graniani, hubi est æcclesia sancti Andree apostoli, fundum Porcani integro, fundum Agelli, uncie tres, fundum Calbiani integro, fundum Antiscanii vinealis petie sex, toti in massa de tocie petie de terra hubi dicitur a Saline, tres petie de terra a fundum Antiscano a monumento usque ad ripam, castri Summa villa, fundum Antiquum cum aliis nominibus integro, fundum Casale hubi est æcclesia sancti Valentini, cum fundum Carpiniano, fundum Musiniano cum omnia sua adjacentia, fundum Cazze integro, fundum Cesarnoni integro, fundum Castellione, hubi est ecclesia sancti Laurentii. Infra civitate Nepisina cella sancti Gratiliani cum sua pertenientia, fundum Urbanella integro, fundum Rotilgani, in territorio Nepisino valle que dicitur Cupa, territorio Campaniano; infra cives[67] Roma non longe ab æcclesia sancti Apolenaris a templum Alexandrini, cellam unam utilem, Aquintum pratum unum optimum, a prata sancti Petri hubi dicitur arcus Militorum pratum unum, in saline in Artheula fila duabus. In massa de Septemiliana territorio Savinense, da via domnica usque ad flubium fundum Brutrucum terra et vineæ, fundum Ascletum omnia et in omnibus. In monasterio sancti Andreæ fecit in isdem monasterio ecclesia sancte Marie, et conjunexit cum cenobio. Renovavit a fundamentis æcclesia sancti Andreæ apostoli juxta flumen. Renovavit æcclesia sancti Angeli in montes Grifianello; estimo quod memoria illius in eternum permanet.

34. Ad Albericum principem vertamur articulum, et qualiter a regibus terre Langobardorum seu Trasalpine nullus robore suis temporibus in Romane finibus non sunt ingressi. Genuit autem ex his principem ex concubinam filium, imposnit eis nomen Octabianus. Consilio emit[68] Albericus principes, ut de sanguine Grecorum imperatorum sibi uxore sociandam. Transmissus Benedictus Campaniam a Constantinopolim, ut perficeret omnia qualiter sibi sociandos esset. Romani secundum consuetudinem malignam consiliaverunt, ut principem occiderent; que consilia eorum Albericus innotescit. Marinus episcopus, et Benedictus episcopus cum alii ceteris perpetrantes clamide[69], ut principes Albericus interficerent; pessima conjurationes inter se fecerunt. erat enim consilia eorum vanum. Abebat gloriosus princeps sororibus senatrices, clamide[69] inter se de morte fratri sui tractantes. Tunc unam ex illis derelicto consilio, quasi dolens ardore cordis sui, intimavit principi germano suo, que et qualiter turbidinem acciderent in eum. Qui mox princeps Albericus appreensis super et scriptis episcopis, et alii ceteris gladiatores, alii berberati, aliis gladiati, alii in carcerem retrusi. Liberatusque est princeps ad seditio Romani. Que posthæc cogitavit, ut de nobiles Romane pulcherrime femine in ancillis potestatem domui sue preesset, ut conjuge sue Grecorum genere in aspectibus Grecorum in nupthalis diebus donaria concedere; et sic adimpletum est. Non tantum de hurbis Romæ, sed etiam de Savinensis. Sic adimpletum est; verumtamen ad thalamum nuptiis non pervenit. Erat denique in sanctis sedis apostolice Agapitus nomine. Post hæc non multum tempus gloriosus princeps languescere cœpit. Qui festinus ad ecclesiam principis apostolorum devenit, nuntius transmissos per cunctos Romanos nobiles ad se venire fecit; et omnes promiserunt fide per sacramentum, ut Octabianus filium suum post mortem Agapiti pape Octabianus papa eligerent. Ordinate germane sue causa, et Octabiani filii sui, infra confessione beati Petri apostoli, vita finivit (*an.* 946 955).

35. Inter hæc non multum tempus Agapitus papa decessit (*an.* 956, *Jaf.*). Octabianus in sede sanctissima susceptus est, et vocatus est Johannes duodecimi pape. Factus est tam lubricus sui corporis, et tam audaces, quantum nunc [70] in gentilis populo solebat fieri. Habebat consuetudinem sepius venandi, non quasi apostolicus, sed quasi homo ferus. Erat enim cogitio ejus vanum; diligebat collectio feminarum, odibiles æcclesiarum, amabilis juvenis ferocitantes. Tanta denique libidine sui corporis exarsit, quanta nunc [70] possumus enarrare. Erat enim in urbe Roma sancte Romane æcclesie Johannes dia-

VARIÆ LECTIONES.

[67] *i. e.* civitatem. [68] *i. e.* iniit. [69] *i. e.* clam inde. [70] *i. e.* non.

NOTÆ.

(114) *Cf.* Chronicon Farfense p. 457, 458 (Murat. II, B).

conus nomine, et Azzo protoscrinium, hodibiles erat cum pontifices; propter crebro suis (115) nequitiis qualiter reges Saxones in Italia Romano regno, modo rocitemus (116). Johannes diaconus et Azzo protoscrinii helecti sunt robusti; erat cor unum et anima una inter se, ut magis ad morte subtraere pontifices quam ad vitam, ut Romanum imperium in Saxonicum regem concedere, ut æcclesie sancte in presulis benigni preesset. Miserunt legatos ad Otto primus Saxones regem, ut veniret et possideret Italia, et Romanum imperium. Quo cognita calliditate, pontifex appreensus Johannes diaconus, et Azzo protoscrinium, manum abscidi precepit, cum quo brebe scribebat, et Johannes diaconus nasum ejus abscidi fecit. Qui per curricula temporum rotelando [71] et sepius iterando in Gallias et in Saxonicum regnum Otto rex Saxone et Liutulfo filium ejus primus, in Italia ingressi; et qualiter in accidentia Langobardorum vel Liu ulfo, modo non dicamus, et sic adbrebiando regnum ad apicem modo adtingamus.

36. Otto rex veniente Italico regno, tanta pene multitudo gentis in Italia, que sic impleverunt faciem terre, sicut situle. Habebat autem secum gentes nationes, quorum lingue non agnoscebant gentis. Insuper hæc habebat gens que Guinula vocabantur sarcinas [72], et carros, et machina portantes. Erat enim aspectus eorum orribilis, et curbis [73] properantes, carpentes iter, et ad prelium ut ferro stantes. Omnibus vertentem igitur rex et pergentes per regnum Italicum, ex utraque partes venientem in urbe Roma. Adlatum est ei populus Romanus simul cum pontifice, et honorifice susceptus, et in æcclesia apostolorum principis missas celebrata, et laudibus abstolis [74] honorifice laudatus, et Augustus est appellatus (117), factus est ergo Italico regno vel Romanum imperium a Saxonicum regem subjugatum (*an.* 962, *Febr.* 2). De regibus Langobardis, et de Hubertus marchiones, qualiter fuga capti a regno Italico expulsi, modo sileamus. Otto rex robustus factus est in regno, in Gallia est reversus. Iterum ad Roma prope antes rex cum regina, Adelade nomine, coronati astiterunt in æcclesia apostolorum principi; multa dona transmiserunt per cuncte sancte æcclesie Romane. Cœpit denique crescere multe inopie Italico regno, pestilentie famis igne gladioque vastante Italia; boves, vaccas in terra corruerent; redacta est terra in solitudine, magis magisque famis valida pullularent (*an.* 963). Unde crevit lites magna inter apostolicus et imperator, modo non dicamus.

Ceperunt Romani mollescere apostolicis, et factum est ritum [75] magnum, discordia inter apostolicus et imperator; qualiter horta sit intentio, adbreviando adtingamus. Apostolicus Johannes in Campanie partibus secessit, relicta sedis apostolice propter metum imperatoris. Romani magis sevientes inter se, petierunt ad imperatorem, ut Leonem protoscrinium papam eligerent. Placuit imperatori; helectus est et in sede sanctissima est positus (*Dec.* 6). Ordinata cuncta Tuscia, et Pentapolim finibus in æcclesia apostolorum principis, et Leoni papa concessit, in Gallia est reversus.

37. (*An.* 964.) Romani vero secundum consuetudinem prisca, divisum est populum inter se, et advocatus est Johannes papa de Campaniæ finibus: cum ingenti robore in Roma ingressus est; que appreensis missus de imperatores et aliquantos Romanos qui erant consentanei qui erant cum Leone papa, Leone papa fuga capientes, in longinquis regionibus secessit. Agunt namque, quod usque ad Trasalpine montis ita properantes. Non post multos tempus imperator cum ingenti exercitu simul cum apostolico in Italia est reversus. Johannes papa audientes impetum et furorem regis, relicta Roma iterum Campania est ingressus. Romani inter se sevientes, volentes nolentesque cruore in Benedictus subdiaconus sancte Romane æcclesie helectus est, et ab scolis est advocatus, et in sancte sedis apostolice preesse fecerunt. Erat enim vir prudentissimus gramatice artis inbutus, unde ad Romanum populo Benedictus Gramaticus est appellatus. Audita imperator hæc scisma, iratus valde, et juravit per virtutem regni sui, ut Romam civitas possideret [76] ex utraque partes, nisi Benedictus papa in sua reliqueret potestati. Tanta denique gentis Langobardorum, et Saxone, et Gallearum gentes Roma circumdata est per gyro curricula utrasque partes, ut nullus extra muros egredi auderet. Facta ingens famis in Romanos ignem et gladium, sicut scriptum est: « Sola vexatio daret intellectum etiam et auditu (*Jes.* XXVIII, 19). » Cœperunt mollescere inter se, ut virtutes que prius habuerunt, ad nichilum redacti sunt. Unoque consilio a minore usque ad maximum. Et necessitate compulsi, compreenderunt Benedictus papa, et in manus imperatoris illum dederunt; et dicebat ad alterutrum: « Melius est, ut iste solus moriatur pro omnibus, ut liberemur anime nostre a cruciatus famis. » Imperator vero in exilio transmissus pontifex in Saxonie partibus. Reversus est Leo papa in sede

VARIÆ LECTIONES.

[71] *i. e.* protelando. [72] sarracinas *corr.* sarracins *c.* [73] *i. e.* curris. [74] *i. e.* apostolicis. [75] *i. e.* irritum, irritatio. [76] *i. e.* obsideret.

NOTÆ.

(115) Id est pontificis.

(116) Ottonis historiam valde turbatam esse, facile intelligitur.

(117) De Ottonis adventu hæc ex catalogo pontificum Romanorum in codice Vaticano 1340 affert Georgius in adnotatt. ad Baronii Annales ed. Mansi: « Johannes de regione Via leta [*lege* lata], cujus pater Albericus princeps Romanorum; sedit annos 8, menses 4. Hujus tempore, scilicet anno incarnationis Dominicæ 962, primum venit Roma Otto imperator cum Adelaide mense Januario die 31, feria 6 et stetit ibi diebus 15, et exiit inde mense Febr. die 14, in festo sancti Valentini. »

sanctissima, et cuncto populo Romano laudibus est honoratus. Erat enim gaudium magnum inter Saxonicum regem et pontifices de Johannes duodecimi pape [77]; de accidentia illius et morte in libellum episcopalem repperitur.

38. Genuit autem isdem imperator Otto Saxone, ab amore sui nominis Otto vocatur nomine. Coronatum est autem hisdem Otto secundo a summo pontifice, et sociatum est regnum patris sui (*an.* 967, *Dec.* 25). Fecerunt autem hisdem imperatoris legem, et conclusit in legibus Romanam legem et Langobardiam, et in edictis Langobardorum affigi precepit (*an.* 968, *Oct.* 29). Statimque nuntius transmisit in Constantinopolim, ut de sanguine regale suos natos jungere. Erat autem hisdem imperatoribus potestas firmissimas, et robor eorum in regno Italico. Placuit verba imperator Grecorum; gaudebundus effectus, aurum et argentum infinitum cum puella transmiserunt in terra Romania, in ecclesia apostolorum principi corona capitis impositis, et nuptias celebrate, et laudibus decorata, imperatrix Romana effecta est, et secundum Grecorum lingua Pyphanu vocitabatur. In Saxoniaque pergunt cum magna letitia (*an.* 972).

39. Obiit hisdem Leo papa (*an.* 965). Johannes episcopus Narniensis civitas electus in sede sanctissima; propter hoc advocatum est Johannes tertio decimi pape. Romani vero secundum consuetudinem illorum malignam, ejectus papa de Lateranensis palatio, alii percutiebant caput ejus, alii alapas in facies ejus percutiebat, alii nautes nutis [78] cruciabantur. Sic cedentes et affligentes in Campanie finibus inclusus, et dicebant Romanis inter se : *Ut non veniant reges Saxones et destruat regnum nostrum, et liberes nostre in captivitatem, intercedente Petro apostolo!* Cujus sedis exviduata remanserat. Johannes papa fugatus de custodia in Marsorum regione, et sic properantes ostiliter in Sabinensis est ingressus, cum Tuscie finibus ad Roma est reversus : et clero et populo Romano cum ymnis et laudibus obviam ei precesserunt (*an.* 966). Et missa celebrata in ecclesia sancti Petri, in palatio Lateranensis ingressus. Sepius enim pontifex salutabat populum; gaudebat cum Romanos, et epulabatur cotidie. Puto quod dolose animo ejus injuriam sibi vindicandam, turpiter vindicaret. Legatos missus pontifex ab imperatoribus clamide in Saxonia, ut veniret et defenderet sancte Romane ecclesie. Tanta denique gentis Galliarum Italia sunt ingressi, quanta nunc antea et postea non sunt inventi. Ve Roma! quia tantis gentis oppressa et conculcata (*an.* 967, *Jan.*); qui etiam a Saxone rege appreensa fuistis, et gladiati populi tui, et robor tua ad nichilum redacta est! Aurum et argentum tuum in illorum marsuppiis deportant. Mater fuistis, nunc facta est filia; quod habuisti perdidisti, expoliata es a virtute tua prima, sub tempore Leoni papæ, est concucata a Julius primus. Celsa tuarum triumphasti gentibus, mundum calcasti, jugulasti regibus terre; sceptrum tenebat et potestas maxima; a Saxone rege expoliata et menstruata fortiter. Sicut per quidam sapientes dicitur, et in storiis tuorum scriptum repperitur. Dudum pugnasti exterorum gentibus, ex omni parte superasti seculum a septemtrione usque ad meridiem; a Galearum gentes usurpata, nimium speciosa fuistis. Omnes tua mœnia cum turris et pugnaculi sicuti modo repperitur : Turres tuarum tricenti octoginta una habuistis, turres castellis quadraginta sex, pugnaculi tui sex milia octo centies, portes tue quindecim. Ve civitas Leoniana! dudum capta fuistis, modo vero a Saxonicum rege relicta [79]!

VARIÆ LECTIONES

[77] *scil.* obitu. [78] nates nodis? [79] *Hic auctor scribendo finem dedit.*

DE IMPERATORIA POTESTATE IN URBE ROMA LIBELLUS.

Priscis temporibus imperiale decus efloruit Romæ, sub cujus dominatione diversa consistebant regna, et cui cunctæ gentes propria submittebant colla. Constituit ergo consules, qui cotidiano usu regni gubernacula consilio disponebant. Erant namque distributa officia per senatores et magistratus, prout unicuique ministerium opere competebat. Imperiale vero decus laudibus honoribusque ab omnibus tantummodo extollebatur. Post adventum unigeniti filii Dei et post ascensionis ejus gloriam, Romanum imperium Byzantium se contulit, quæ a Constantino magno cæsare Constantinopolis vocata est. Quæ quia Romano gloriabatur imperio, dicta est Nova Roma, sic tamen ut antiqua Roma gloriosa præponeretur cæteris. Euntibus autem apostolis vel successoribus eorum prædicare evangelium secundum divinum præceptum in mundum universum, Romam cæsares revertebantur, diversa tormenta sanctis inferentes, ut diis suis placerent. Unde accidit, ut beatus Petrus, qui prælatus fuerat cæteris a Jesu Christo domino nostro, Romam prædicationis causa veniret, quæ omnium gentium clamabatur domina; quæ eatenus, sicut multis idolorum simulachris erat seducta, ita plurimis prædicationibus apostolorum aliorumque martyrum exhortationibus cum cæteris conversa. Ubi etiam beatus Petrus et Paulus, doctor gentium

martyrio coronati sunt ut sicut Roma per antiqua mœnia caput erat multarum gentium in divisione simulachrorum, ita caput et domina vocaretur omnium christianorum in unitate veræ fidei et inconfusæ Deitatis, habens principatum totius christianitatis in accepto privilegio Jesu, ubi ait : *Tu vocaberis Cephas* (*Joan.* I, 24) ; et alibi : *Ego rogabo pro te, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 32).

Diviso autem Romano imperio, eo quod imperialis sedes, quæ antiquæ Romæ solita erat, Constantinopolim esset deducta, multarum gentium populi contra urbem fuerant rebelles. Unde magna et non pauca contra eam surrexerunt bella teste Orosio. Tunc enim Roma per patricios principabatur. Erat tamen tantum subjecta suo imperatori ita, ut si aliquando imperator paganorum ritu invenirctur crudelis, per suos legatos, sanctissimos Romæ præsules aliosque christianos, per diversa supplicia martyrio coronaret. Crescente autem christiana religione, talis æstus fidei a patriciis exarsit, usque dum Langobardi [80] sunt Italiam ingressi. Cumque adpropinquarent Pado, nunciatum est Romæ — præsidebat vero Sylverius papa tunc Romanæ ecclesiæ — Narso patricio, cujus uxor vocabatur Polyxiana. Nunciatum est autem illis, quod præfatus pontifex misisset ad Langobardos invitans eos Romam, quatenus potestas Græcorum aboleretur, et ecclesiæ jura elevaret sub potestate pontificis, cui tanta inerat necessitas, ut nihil aliud præter ecclesiarum et clericorum haberet curam. Quotidianus ergo victus dabatur de palatio consuetus, et annualia dona pro restauratione ecclesiarum, et cæsaris eleemosyna honoris causa ; et solummodo erat ob reverentiam apostolorum Petri et Pauli. Si quando imperialis legatus mitteretur a principe, ut Romanus pontifex proficisceretur Constantinopolim ad imperatorem, omni neglecta occasione ibat, etiam si pro certo sciret, ut in exilium mitteretur. Mittebatur aliquando quidam nuncius a Narso patricio ad Silverium papam ; cumque proficisceretur ad domum illius, ubi jacebat ægrotus, dixit illi uxor sua : *Domine papa, quid tibi peccavimus, quia voluisti inducere Langobardos super nos ?* His dictis, fecit eum comprehendi et tonsorari, vestemque monachicam induere, necnon sedentem asino ad monasterium sanctæ Sabæ perducere. Cumque egressus esset, foras sedens super asinum, dixit quidam de astantibus : *Heu dominus papa mortuus est.* Præterea invadentibus Langobardis Italiam, et conversis ad Christi fidem, fugati sunt Græci, et cessavit imperium ab urbe Roma usque ad Francos. Per reges enim principabantur Langobardi. Divisis quippe Italiæ finibus, Spoletanorum dux Romæ constitutus est vice regis, tali pacto ut quando apostolicus obiret, interesset dux præfatus electioni futuri pontificis, accipiens plurima dona in partem regiam. Si autem lites inter Romanos surgebant, ex primatibus regis adveniebat missus cum eodem duce ad deliberandas causas et legalium judicia. Et qui in culpam criminis incurrebant, regali puniebantur potestate, aut in exilium mittebantur, etiam inconsulto apostolico, usque ad Zachariam præsulem, qui subdole quasi pro familiaritate quadam profectus est (118) ad Carolum regem Francorum, eo quod idem Carolus habebat filiam Desiderii regis Italici uxorem ; invitavitque eundem Carolum in Italiam, seminans inter reges discordias, laudans et proferens illi imperialia sceptra ; accepitque ab eo securitatem, quo tempore ingredi deberet Italiam ; jurantesque mutuo, reversus est. Transeunte autem eo per fines regni Desiderii, separavit ab eo quosdam de suis, dans quibusdam plurima dona, quibusdam jurat dari similia. Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus est Romam, deditque ibi donaria multa, quæ usque hodie Remanum tenet dominium, de regni hujus confinibus ; fecitque pactum cum Romanis eorumque pontifice, et de ordinatione pontificis, ut interesset quis legatus, et ut contentiosas lites ipse deliberaret. Constituebant autem annualia dona in Papiæ palatium perducenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis privatis donis. Et quando imperator adveniebat Romam vel suus legatus, mittebantur judices a palatio singulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia legalia vendicabant placita, compellentes habitatores locorum illorum venire ad placitum, judicantibus eorum judicibus rectam legem in præsentia imperialium judicum ; et si [81] alterius gentis invenirentur habitatores, regali judicio judicabantur. Erant denique monasteria in Sabinis domini Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ, necnon et monasterium beati Andreæ apostoli juxta montem Soractis, seu cetera fiscalia patrimonia intra Romanos fines ad usum imperialem. Non solum autem in Italico regno, verum etiam in Francia proficiscebantur monachi, ferentes vectigalia, vina, et alia donaria juxta virium posse. Igitur Romanis in sua securitate gloriantibus, levatum est cor illorum juxta illorum consuetudinem, volueruntque imperialem potestatem vendicare sibi. Resistente autem Leone papa, comprehenderunt eum, volueruntque ejus eruere oculos. Ernerunt autem unum et alterum non potuerunt, quia liberavit eum divina miseratio, et ejectus est ab illis extra urbem, quasi perditis ambobus luminibus. Qui fugiens in Franciam, pervenit ad Carolum. Unde accidit, eundem Carolum venire pro vindicta apostolici, comprehendensque Romanos, de majoribus eorum uno die in campo Lateranensi fecit trecentos decollari (119).

VARIÆ LECTIONES.

[80] Longobardi *ed.* [81] etsi *ed.*

NOTÆ.

(118) De ficta Zachariæ profectione ad Pippinum v. supra Chronici num. 17.

(119) Cf. Vitam Leonis III, cap. 21, 26 ; Annales Laurissenses an. 800.

Propterea inventum est, ut omnes majores Romæ essent imperiales homines, tam episcopi quam laici, et omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem imperatori, et ut suus missus omni tempore moraretur Romæ ad deliberandas litigiosas contentiones. Morabatur quippe in palatio sancti Petri; et erat constitutum, quanta et qualia stipendia de palatio ei darentur cotidie. Quod autem reliquum erat de supradictis monasteriis vel patrimoniis, deferebatur affluenter. Tanta nempe imperialis virtus ibi vigebat, ut si in legali judicio minoris vel inscii causa postponeretur, et ille alicujus consilio pedes teneret legati imperatoris, petens ab eo justam legem, et missus adjuraret principes Romanorum dicens : *Per eam fidem, quam domino imperatori debetis, facite huic homini justam legem*, nemo erat ausus declinare neque ad dexteram neque ad sinistram, etiam si a propinquis (120) pontificis illata esset injuria. Multotiens vero non ante apostolicum, sed in judiciali loco ad Lateranis [a], ubi quidam locus dicitur Ad Lupam, quæ mater vocabatur Romanorum (121), ibi judiciariam legem finiebant. Compositiones quoque quæ solebant (122) a malefactoribus, æqualiter dividebantur misso imperatoris et apostolici. Si autem talis culpa erat, ut res scelerata fisco publico subderetur, non ad ecclesiasticam transibat subjectionem, nisi per donativum imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat imperatoris episcopus aut judex Romanus, et licitum esset cæsari venire Romam, veniebat; sin autem, mittebatur dux Spoletinus, comprehendebatur offensor, et ducebatur in exilium. Domus vero illius signabatur annulo regis usque ad ejus consultum, ut si quando reverteretur ad gratiam, haberet propria salva; sin alias, per imperialia precepta distribuebatur militibus. Quod si ad judicis potestatem rejiciebatur quisquam, et cæsaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negocio legatus ab imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem; et si ejectus propriam haberet culpam, sustineret injuriam.

Hac consuetudine usi sunt Romani usque ad Ludowicum magnum [a] imperatorem, Lotharii filium. Hic quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus est Romæ; ubi et ampliori quadam usus est potestate, habens strenuos viros ejus urbis, scientes antiquam imperatorum consuetudinem, et intimantes cæsari. Qui suggerebant illi, repetere antiquam imperatorum dominationem; et nisi ob reverentiam beatorum apostolorum dimitteret, pro certo faceret. Hic etiam princeps Beneventi fines ingressus est et totius Calabriæ duobus modis, uno, quod provincia esset Italiæ, volens totius regni fines suæ vendicare ditioni; altero, eo quod immanissima gens Aggarenorum illa jam tangebat confinia, capientes quandam urbem quæ vocatur Bari, quam munientes, et multis victualibus implentes, pro refugio habebant. Et ideo a comprovincialibus terræ illius benigne susceptus est.

Præfatus itaque cæsar cum multitudine populi proficiscebatur ad accipiendas easdem gentes. Et ne gravaret eos qui deprædati ab Aggarenis erant, quæsivit solatium Ravennæ; sed quæsivit etiam solatium, quæ vicina erat, Venetiæ, quatenus navali adjutorio fultus posset abundanter ferre Apuliam. Præsidebat (123) namque tunc Ravennati ecclesiæ Johannes archiepiscopus, qui serviens imperatori familiarior erat. Unde invidia ductus Romanus pontifex nomine Nicolaus, exarsit in iram contra illum, vocans eum subdole Romam, ut quasi ecclesiastico judicio posset hunc condemnare, et alterum subrogare. His quippe auditis, archiepiscopus confugit ad reginam Engelbergam, quæ suos legatos direxit apostolico, rogans ut redderet gratiam archiepiscopo. Quod cum impetrare nequiret, suo domino humiliter intimavit, ut gratiam interferret suæ tuitionis archiepiscopo, vetans apostolicum ei nullam inquietudinem facere. Et quia inaudito principe apostolicus excommunicationes in eum protulit, gravis inimicitia inter eos facta est. Erectus est denique regius honor contra apostolicam dignitatem, objiciens ei antiqua patrum statuta : non licere prælato excommunicare episcopum, inconsulto synodali concilio, e; quia synodus non a papa, sed ab imperatore vocari deberet. Plurimæ denique irrogationes pro tali occasione illatæ sunt Romano pontifici. Nam Pentapoli beneficiales ordines suis distribuit, præcipiens nullam administrationem impendere Romæ, exceptis suffragiis navali deportatione. Multa enim juvamina imperiales habuerunt fideles. Fecit etiam occupare nonnulla patrimonia in Campaniæ partibus regio usui suorumque fidelium. De prædictis quoque monasteriis cotidiana exigebantur servitia in disco (124) regis per diversos apparatus. Constituit denique consultu Romanorum principum in urbe Roma Arsenium quendam episcopum, sanctitate et scientia adornatum et apocrisarium sedis Romanæ, dedit que illi adjutorem Johannem diaconum et archicancellarium suumque secretarium, qui postea Reatinus episcopus effectus est, unde jam electus erat.

Tempore (125) igitur congruo imperator veniebat Romam (*an.* 864), et suscipiebatur ab omnibus tam majoribus quam minoribus honorifice; veniebatque

VARIÆ LECTIONES.

[a] *ita correxi :* lateratus *ad.* [a] qui alias II vocatur *a Flacio additum esse videtur.*

NOTÆ.

(120) Vide supra Chronici num. 24.
(121) Vide supra Chronici num. 24.
(122) Solvebantur.
(123) De sequentibus cf. Gesta Nicolai I, capp. 21 sqq.; sed noster nec inde nec ex Annalibus Hincmari pendet.
(124) Id est mensa.
(125) De sequentibus cf. Hincmari Annales an. 864, et Erchemperti Hist. cap. 37.

cum eo jam dictus archiepiscopus Ravennæ, nil metuens minas pontificis. Unde evenit major discordia inter papam et imperatorem. Erat quippe imperator in palatio sancti Petri apostoli, et papa ad sanctos Apostolos; cumque omnes illius insidiæ contra regiam dignitatem pro nihilo ducerentur, constituit monachos seu Christo dicatas virgines ex monasteriis Romæ, ut quasi sub obtentu religionis cotidianas celebrarent lætanias per circuitum murorum, et missas canerent contra principes male agentes. His auditis, primarii regis humiliter accedentes ad papam, rogaverunt eum familiariter, ut talia prohiberet; et cum nihil ab eo impetrare possent, reversi sunt mœrentes. Quadam vero die cum quidam milites præfati principis irent ad sanctum Paulum, et reverterentur, accidit eos occurrere talibus lætaniis. Qui instinctu antiqui hostis in iram versi sunt, et pro fidelitate sui senioris vindictam exercuerunt contra illos, percutientes et cædentes graviter cum fustibus, quas manibus deferebant. Qui fugientes projecerunt cruces et iconas, quas portabant, sicut mos est Græcorum, e quibus nonnullæ conculcatæ, nonnullæ diruptæ sunt. Unde et imperator graviter est permotus in iram, et pro qua causa apostolicus mitior effectus est. Profectus est denique idem pontifex ad sanctum Petrum, rogans imperatorem pro suis talia patrantibus; et vix obtinere valuit. Jam itaque inter se familiares effecti sunt. Tamen regia dignitas semper fuit Romæ suisque confiniis, usque ad finem dierum imperatoris, sicut supra prælibatum est. Eo vero infirmante et ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit sibi succedere Carolummagnum ad suscipienda imperialia sceptra. Cum hæc ita geruntur, Romani pontifices semper per oratores litteras [84] mittebant invitatorias ad Carolum Calvum regem Francorum, invitantes eum clam. Et quia erat in litteris quasi philosophus, rogabant illum supervenire beato Petro et de servitutis jugo ad propriam libertatem reducere A suam ecclesiam, ut quasi per vim ab aliquo esset oppressa.

Talibus evolutis machinationibus, moritur Ludowicus (*an.* 875). Mittitur statim citatus a Johanne, qui tunc præerat, a [85] papa legatus ad eundem Carolum, qui nullas veniendo faciens moras, ingressus Italiam petiit Romam (*an.* 876). Mittitur denique alius missus ab uxore imperatoris Engelberga, vel a suis primatibus ad Carolummagnum ostendens ei vota defuncti. Et quia longius erat, noluit [86] tam cito venire, ut impedire posset iter Caroli Calvi. Qui veniens Romam, renovavit pactum cum Romanis, perdonans illis jura regni et consuetudines illius, tribuens illis sumptus de tribus supradictis monasteriis, id est domini Salvatoris, et beatæ Mariæ B semper virginis in Sabinis, atque sancti Andreæ juxta montem Soractis, et de cæteris quam plurimis monasteriis fiscalia patrimonia. Patrias autem Samniæ et Calabriæ simul cum omnibus civitatibus Beneventi eis contulit, insuper ad decorem regni totum ducatum Spoletinum cum duabus civitatibus Thusciæ, quod solitus erat habere ipse dux, id est Aricium et Clusium, quatenus ut is, qui præerat regia vice ante, Romanis videretur post esse subjectus. Removit etiam ab eis regias legationes, assiduitatem vel præsentiam apostolicæ electionis. Quid plura? Cuncta illis contulit quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa, quæ nec recte adquiruntur nec possessura speramus (126).

Fugato itaque isto Carolo præ metu alterius Ca- C roli (127), qui veniebat, infirmatur, antequam de regno egrederetur Italico. Egressus namque vix, defunctus est (*an.* 877). Ab illo autem die honorificas consuetudines regiæ dignitatis nemo imperatorum, nemo regum acquisivit; quia aut virtus defuit, aut scientia pro multis regni contentionibus et assiduis divisionibus, unde multa prælia, delationes, et rapinæ fuerunt in regno.

VARIÆ LECTIONES.

[84] literas *edd.* [85] *delendum esse videtur.* [86] *fortasse* non valuit.

NOTÆ.

(126) Ex Ottonis III diplomate. Vide Mon. Germ., Legum t. II, B, 102, lin. 26 (*Patrolog.*, t. CXXXVIII).

(127) Scilicet Crassi.

SILVESTER PAPA II.

(GERBERTUS.)

NOTITIA HISTORICA IN SILVESTRUM PAPAM II.

(Natal. Alex., *Sæculum* x, pag. 36.)

Gregorio V successit Gerbertus natione Gallus, patria Aquitanus, humili genere natus, Auriliacensis monachus, deinde Bobiensis abbas, Ottonis III et Roberti regis Francorum præceptor, archiepiscopus Remensis, deinde Ravennatensis, Ottonis imperatoris discipuli sui favore in sedem apostolicam evectus, mutato nomine, Silvester II appellatus. Ipsum Hispali artes magicas et necromantiam didicisse, dæmonem familiarem habuisse, etiam ex quo fuit pontifex ipsum consuluisse de duratione vitæ suæ, ab eoque responsum tulisse quod ante moriturus non esset quam missam celebrasset in Jerusalem, et alia absurda et inepta, Benno pseudocardinalis et schismaticus auctor commentus est et scriptis mandavit. Quam fabulam in Commentarios suos retulere Sigebertus ad annum 998, quamvis de ea dubitanter loquatur; Martinus Polonus, S. Antoninus tom. II Chronic., tit. 16, § 18; Vincentius Bellovacensis lib. XXIV, cap. 88; Wernerus Rolewink, in Fasciculo temporum; Willelmus Malmesburiensis lib. II de Gestis regum Anglor., cap. 10; Centuriatores Magdeburgenses, et Platina, lib. de Vitis pontificum, in SILVESTRO II. Verum istud schismatici auctoris commentum, quod historici nimis creduli et minus accurati excepere, coævi scriptores destruunt, cum laudibus exornant Gerbertum seu Silvestrum II, et ejus eximia prædicant merita. De eo Ditmarus Merseburgensis episcopus lib. VI : « Superius, inquit, de universali papa Brunone disputans, cum successorem ejus Gerbertum tantum nominarem, ut de eo latius aliquid scribam, non incongruum est. Erat is natus de occiduis regionibus, a puero liberali arte nutritus, et ad ultimum, Remensem urbem ad regendum juste promotus. Optime callebat astrorum cursus discernere, et contemporales suos variæ artis notitia superare. Hic tandem a finibus suis expulsus, Ottonem petiit imperatorem, et cum eo diu conversatus, in Magdeburg horologium fecit, illud recte constituens, considerata per fistulam quadam stella nautarum duce. Post hæc autem prædicto papa defuncto, is gratia imperatoris eidem successit, et usque ad tempus Henrici regis sedebat, Silvester vocatus. » De eo Helgaldus Floriacensis monachus in Vita Roberti regis Christianissimi, de quo ita scribit : « Fuit idem rex sapientissimus litterarum, cujus sapientissimo cordi insita erant a Deo data perfectæ scientiæ dona. Nam a pissima matre scholæ Remensi traditus, domno Gerberto ad erudiendum est datus, qui eum sufficienter liberalibus instrueret disciplinis, ut in omnibus Deo omnipotenti complaceret virtutibus almis. Factumque est : is quippe Gerbertus pro maximo suæ sapientiæ merito, qua toto radiabat in mundo, donativo regis Hugonis munere, pontificium adeptus Remense, non multis annis illud adornavit splendide in his quæ forent necessaria sanctæ Ecclesiæ. Eo namque derelicto, Ravennatium factus est rector ab Ottone III. De quo ad apostolatum Petri apostoli sanctissimi festinus conscendens, multa in eo virtutum operatus est insignia, et præcipue in eleemosyna sancta quam fortiter tenuit, dum fideliter vixit. Inter cætera de se lætus et hilaris ita in R littera lusit :

Scandit ab R. Gerbertus in R., post papa vigens R.

Hoc aperte demonstrans quod hi tres episcopatus honores, quos professione regularis vitæ Patris Benedicti monachus factus suscepit, rexit et tenuit, hujus R litteræ signo in capite sunt declarati; » scilicet *Remensis*, *Ravennas* et *Romanus*.

De eodem pontifice Glaber Rodulfus lib. I Histor. ita scribit : « Accersens imperator Gerbertum Ravennæ archiepiscopum, constituit illum principalem Romanorum pontificem. Isque Gerbertus oriundus e Galliis exstitit, minorum etiam gerens prosapiam, sed tamen ingenio acerrimus, artiumque liberalium studiis plenissime instructus. Proinde Remorum etiam a rege Francorum Hugone fuerat constitutus

pontifex. Sed quoniam valde erat acer ac providus, A intelligens Arnulfum ejusdem urbis archiepiscopum, quo vivente ordinatus fuerat ex consensu ejusdem regis, niti in pristinam reformari sedem, caute iter arripiens, ad prædictum devenit Ottonem. Qui satis honorifice ab eodem susceptus : quem etiam statim Ravennæ, inde vero Romanæ urbis sublimavit pontificem. »

De ipso episcopi provinciæ Remensis, in decreto electionis illius ad eumdem archiepiscopatum, ita scripsere : « Nos episcopi Remorum diœceseos, secundum constitutiones Patrum, favore et conniventia utriusque principis nostri, domni Hugonis Augusti, et excellentissimi regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero et populo, eligimus nobis archiepiscopum abbatem Gerbertum, ætate B maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, misericordem... Hujus vitam ac mores a puero novimus, studium in divinis ac humanis rebus experti sumus; hujus consiliis ac magisterio informari quærimus, ejus electionem subscribendo confirmamus. » Ipsum Gregorius V pontifex optimus et ecclesiasticæ studiosissimus disciplinæ ad Ravennatem archiepiscopatum evexit, multisque ornavit privilegiis ob eximia ejus merita.

Stephanum Ungarorum regem sanctissimum, qui Pannoniam ad Christi fidem perduxerat, regis nomine regioque diademate Silvester II cohonestavit, crucem ante ipsum, ceu apostolatus insigne gestari jussit, ecclesias in ejus ditionibus constitutas ipsi ordinandas reliquit, Strigoniensem Ecclesiam, eo C rogante, metropolim constituit, cæteros episcopos, gentemque totam apostolica benedictione confirmavit, ut testatur Cartuitius episcopus in Vita S. Stephani regis Ungarorum, apud Surium, ad diem 20 Augusti. Arnulfi Remensis archiepiscopi restitutionem confirmavit Silvester II, ea arte ac prudentia, ut iis quæ in ipsum scripserat æmulationis et contentionis ingenio, et Actis synodi Remensis in qua depositus fuerat, non derogaret, et sedis apostolicæ auctoritati consuleret. Unde et *reatus conscientiæ* meminit, et *quibusdam excessibus pontificali honore privatum* asserit in epistola ad ipsum data; et ei subvenire se dicit, ut *quia ejus abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere repareiur.* D Obiit Silvester II 12 Maii anno Christi 1003, cum annos quatuor et menses tres vel quatuor sedisset. Ipsi hoc epitaphium posuit Sergius IV pontifex Maximus, quod Bennonis calumniam, ab aliis simplicioribus et nimis credulis scriptoribus exceptam, funditus subvertit :

Iste locus mundi Silvestri membra sepulti
Venturo Domino conferet ad sonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctissima virgo
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena sede
Remensis populi metropolim patriæ.
Inde Ravennatus meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen nobile, sicque potens
Post annum Romam mutato nomine sumpsit,
Ut toto pastor fieret orbe novus.
Cui nimium placuit sociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæsar tertius Otto sibi.
Tempus uterque comit clara virtute sophiæ;
Gaudet et omne seclum, frangitur omne reum.
Clavigeri instar erat cœlorum, sede potitus,
Terna suffectus cui vice pastor erat.
Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit
Lustrali spatio sæcula morte sui.
Obriguit mundus discussa pace triumphus,
Ecclesiæ mutans dedicet requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos,
Successorque suus compsit amore sui.
Quisquis ad hunc tumulum devexa lumina vertis,
Omnipotens Domine dic miserere sui.

Occasionem dedit fingendi ipsum magicis artibus deditum fuisse, summa ejus in mathematicis peritia, in novis horologiis aliisque machinis excogitandis acerrimum ingenium, in perficiendis industria, quæ rudi sæculo, ineruditis hominibus, absque familiari genio et dæmonis ope fieri non posse videbantur. Rumorem ineptum auxit summa ejus felicitas, quod nempe vir ignobilis, ex claustro ad aulam penetrasset, quod facile se insinuasset in amicitiam principum, quod archiepiscopatus duos Galliæ et Italiæ primarios obtinuisset, ac demum ad sedem pontificiam esset provectus. « Hæc vulgariter ficta (ut Willelmi Malmesburiensis verbis utamur), eo quod soleat populus litteratorum famam lædere, dicens illum loqui cum dæmone, quem in aliquo viderit excellentem opere. Unde Boetius in libro de Consolatione philosophiæ queritur propter studium sapientiæ se de talibus notatum, quasi conscientiam suam sacrilegio polluisset ob ambitum dignitatis. *Non conveniebat*, inquit, *vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo faceres. Atqui hoc ipso videmur affines maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus.* » Ingenii et eruditionis suæ nonnulla reliquit monumenta Silvester II, librum scilicet de Geometria, quem in bibliotheca Farnesiana se legisse testatur Onuphrius Panvinus in Adnotationibus ad Platinam; librum de Numeris ad Constantinum monachum Floriacensem, et plerasque epistolas breves, quæ exstant partim in Biblioth. PP., editæ ex cod. Papyrii Massoni, partim tom. II Historiæ Francorum Andreæ Duchesnii. Scriptæ sunt ante illius pontificatum, et nonnullæ sunt in Joannem XV pontificem maximum duriores. Gerberti epistolam ad Constantinum monachum Floriacensem De sphera constructione, et sermonem egregium De informatione episcoporum, edidit P. Mabillonius tomo II Veterum Analectorum. Eidem asscribendum censet Libellum in quemdam Porphyrii locum, cujus Libelli præfatio ad Ottonem III imperatorem edita est tomo I Analectorum. Ejusdem Geometriam, et Rhythmomachiam in bibliothecæ Thuaneæ ms. codice exstare mox laudatus Mabillonius testatur tomo II Analectorum, pag. 215.

NOTITIA LITTERARIA.

(Apud *Fabricium*, *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis*, tom. III, pag. 44.)

GERBERTUS, Aurelianensis scholasticus ord. Bened. in cœnobio Floriacensi, præceptor Ottonis III imp. et Rotberti regis Francorum atque ex abbate Bobiensi et S. Columbani Remensis et hinc Ravennatensis archiepiscopus, ac denique papa *Sylvester II* ab anno 999, April. 2, ad annum 1003, 12 Maii. In Conciliorum tomis exstant ejus *Epistolæ*: 1° ad Ascelinum (Azolinum) seu Adalberonem, Laudunensem episcopum, ut accusatus ad Romanam synodum veniat; 2° ad Arnulfum quem Remensi restituit archiepiscopatui, et 3° ad Robertum Viceliacensem abbatem, cujus privilegia confirmat. Aliæ *Epistolæ CLXI*, quas Gerberti adhuc utens nomine, archiepiscopus Remensis scripsit, et quibus ex Nicol. Fabri codice usus Baronius est, editæ primum a Joan. Baptista Massono, Papyrii fratre, Paris. 1611; 4°, atque inde in Andreæ du Chesne Scriptoribus Francicis tom. II, pag. 789-827, et in Bibliothecis Patrum Paris. 1644-1654, tomo III; Colon. 1618, tomo X, et Lugd. 1677, tom. XVII, pag. 669. Ultima ex illis 161 epistolis est data *ad Constantinum*, quam præfationis loco Gerbertus præmisit libro suo adhuc inedito *De numerorum divisione*. Sed Duchesnius præterea ex codice Sirmondiano, tom. II Scriptor. Francor., Paris. 1636, pag. 828-843, vulgavit alias Gerberti *Epistolas LV*, quas in Bibliothecis Patrum repetitas non invenio.

Epistola ad Constantinum eumdem, monachum Floriacensem, et postea abbatem S. Maximini: *De spheræ constructione*, in Joannis Mabillonii tom. II Analectorum, pag. 212 (edit. novæ pag. 102).

Sermo de informatione episcoporum, id., pag. 103.

Præfatio ad Ottonem III imp. in locum Porphyrii a se illustratum, id. tom. I, p. 110 (edit. novæ pag. 106). Librum ipsum Gerberti *De rationali et ratione uti*, præmissa eadem cum præfatione edidit Bernardus Pez tom. I Anecdotor., parte II, pag. 149. Hoc scriptum respicit Fr. Benzonius, cum ait:

> Logica cum volvis, quid tu, Gerberte, resolvis?
> Hinc orbi toto te præfert tertius Otto.

Accepta solutione de ratione uti et rationali, Gerberto resolutori post Ravennam placuit Romam dare, donum videlicet imperiale. Hæc Benzonius lib. I Historiæ, cap. 15, in Joan. Petri Ludevig Reliquiis veterum monumentorum tom. IX, p. 249, et in Menckenii tom. I Scriptor. Germ., p. 980.

Epistola ad Sallam, episcopum Urgellensem an. 1001, et *ad Odonem* episcopum Gerundensem an. 1002 scripta, in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam, p. 957 seq.

Epistola ad Adelboldum de causa diversitatis arearum in trigono æquilatero, geometrice arithmeticeque expenso. In laudati Pezii anecdot. tom. III, parte II, p. 82-84.

Geometria divisa capitibus 94, id., p. 7-82.

Libellus *De sanguine et corpore Domini*, id., tom. I, parte II, pag. 133-148. Incip.: *Sicut ante nos dixit quidam sapiens.* Ediderat sed sine nomine auctoris Lud. Cellotius appendice ad Hist. Goteschalci, Paris. 1655 fol., et sub *Herigeri* abbatis Laubiensis nomine Mabillonius prolegom. ad part. II Sæc. IV Benedictin. Sed ex fide Gottwicensis codicis Gerberto eum Pezius restituit.

Acta synodi Remensis an. 992, apud Centuriatores Magdeb., centuria X, cap. 9, pag. 246, oppugnata a Baronio ad illum annum, num. 9 seq.

Sermo apologeticus *in concilio Mosomensi* an. 995 editus in Actis illius concilii et in Centuriis Magdeburg., tom. III, p. 279. Apud Baron. ad annum 995, atque ineditis perperam a præstantissimo Caveo accensitus.

Rhythmomachia edita Lipsiæ 1616 fol., cum gloriosissimi principis Augusti, Luneburgensium ducis libris IV, De ludo schacchorum.

Vita et passio S. Adalberti Ursini, comitis Rosembergi, Pragensis episcopi, Gnesensis archiepiscopi et an. 967 martyris, Boemorum, Hungarorum, Polonorum, Prussorum apostoli, edita ab Abrahamo Bzovio ex codice Casinensi Rom. 1629 fol., una cum Sylvestro II Cæsio Aquitano a magia et aliis calumniis vindicato (1): et in appendice ad tomum XX Annalium, Rom. 1641 fol. Georgius vero Henschenius, qui eamdem Vitam edidit ex codice Pragensi in Actis Sanctor., tom. III, April. 23, pag. 178, Gerberti eam esse negat, quanquam monitu ejusdem scriptam eique dicatam non diffitetur a monacho quodam SS. Bonifacii et Alexii. Eadem Bohuslai Balbini est sententia, qui hanc Vitam in Bohemia sancta legendam offert decad. I Miscell. Histor. regni Bohemiæ, libro quarto, Pragæ 1682 fol. Sine nomine auctoris vulgavit etiam Canisius tom. V, parte II Antiq. Lect., pag. 332 (edit. novæ tom III, p. 45).

Dodecastichon in laudem *Severini Boetii*, apud Baronium, ad annum 526, n. 18.

Sed quam idem memorat Baronius ad an. 992, n. 9, *Altercationem cum Leone nuntio papæ Joannis XV*, nondum edita est quod sciam; uti nec liber *De Rhetorica*, aut quem *De compositione astrolabii* composuit, teste Ludovico Jacobo, p. 214 Bibl. pontificiæ. De studio scientiarum mathematicarum quo Ger-

(1) Hæc apologia pro Sylvestro II recusa Rom. 1678 fol. Vide Ephemeridas eruditorum Parisienses illius anni pag. 331.

bertus pro illa ætate ad miraculum efloruit, Joan. Wallisius cap. 4 Algebræ suæ, tom II Opp., pag. 16 seq., ubi etiam de illius *Abaco* atque *Algorythmo*, sive libro *De numerorum divisione* quem scripsit magistro in Hispania usus Josepho sapiente, qui et ipse libellum de multiplicatione et divisione composuerat. De eodem Gerberto plura Guilelmus Malmesburg. lib. II Hist. Anglor., pag. 64-65, ubi inter alia : « Vicit scientia Ptolemæum in Astrolabio, Alkindum (2) in astrorum interstitio, Julium Firmicum in fato. Ibi (in Hispania) quid cantus et volatus avium portendit, didicit. Ibi excire tenues ex inferno figuras : ibi postremo quidquid vel noxium vel salubre curiositas humana deprehendit. Nam de licitis artibus, arithmetica, musica, geometria nihil attinet dicere, quas ita ebibit, ut inferiores ingenio suo ostenderet, et magna industria revocaret in Galliam, omnino ibi jam pridem obsoletas. Abacum certe primus a Saracenis rapiens, regulas dedit, quæ a sudantibus abacistis vix intelliguntur. »

Præter epistolas omnes hic indicatas aliam vulgavit Baluzius in libello De correctione Gratiani. Data vero est illa ad abbatem quemdam, excusatque se a crimine simoniæ de quo accusabatur cum Romanum pontificatum assecutus est. Vide Baluzium ibid.

(2) Ita lege cum Wallisio pro *Aleandræum*. B

DISQUISITIO DE SCRIPTIS GERBERTI,

POSTMODUM SYLVESTRI II.

(*Histoire littéraire de la France par des religieux bénédictins de Saint-Maur*, tom. VI, pag. 577.)

Quoiqu'il soit venu jusqu'à nous un grand nombre d'écrits de la façon de Gerbert, nous ne sommes point assurés d'avoir toutes les productions de sa plume. Nous ne pouvons pas non plus nous flatter qu'on nous ait conservé la connaissance de toutes celles qui sont perdues, tant il a écrit pendant le cours d'une longue vie. Entrons en discussion. Pour le faire avec quelque ordre, nous commencerons par ses ouvrages sur les arts libéraux, comme les premiers qu'il a écrits. Ensuite nous viendrons à ceux qui traitent de matières ecclésiastiques.

1° Personne n'ignore que le savoir dominant de Gerbert était la science des mathématiques ; comme l'arithmétique et la géométrie sont les deux ailes du mathématicien, selon Platon, Gerbert y donna une application particulière, quoique, s'éloignant de l'opinion de cet ancien philosophe, il compte la musique au second rang après l'arithmétique (*Præf. in geom.*). Il a beaucoup écrit sur cette première partie des mathématiques ; mais on n'a presque rien imprimé de ses productions sur ce sujet, et peut-être avec raison. Dom Bernard Pez en visitant les bibliothèques de Bavière, trouva dans celle de l'abbaye de Saint-Emmeran, à Ratisbonne, un traité d'arithmétique qu'il croyait sans difficulté de la façon de Gerbert (Pez, *Anec.* t. I, diss. p. 38, n. 63). Ce qui le lui persuadait est qu'il suit son *Abacus* dans un manuscrit in-4°, ancien de six cents ans, et que le nom de l'auteur est désigné par un *G* majuscule, à la tête du titre tel que le voici : *G. Liber subtilissimus de arithmetica.* L'ouvrage est dédié, par une préface ou épître dédicatoire, à un des maîtres de Gerbert, dont le nom n'est non plus désigné que par une *S* majuscule. Il serait difficile de deviner qui était ce Mécène. On ne trouve sur cela aucun éclaircissement dans les lettres de notre philosophe. S'il est permis de donner quelque chose à la conjecture, il y a beaucoup d'apparence qu'il s'agit ici d'un des maîtres que Gerbert eut en Espagne. Ce fut là en effet qu'il apprit particulièrement l'arithmétique. Quel qu'il ait été, Gerbert dès l'inscription de son épître lui marque beaucoup d'estime et de respect : *Doctori et Patri*, ce sont ses expressions, *Theosopho J. G. filius ejus, licet minus idoneus, quidquid salutis in Christo patri filius.* L'épître commence par ces mots : *Cum omnis hodieque liberalium artium ;* et le corps de l'ouvrage par ces autres : *Græce arithmetica, Latine dicitur numerorum scientia.*

Dans le manuscrit coté 3413, in-4°, de la bibliothèque de Jean Selden (*Cat. mss. Angl.* t. I, par 1, p. 124, 1), se trouvait autrefois, avec l'Arithmétique et la Musique de Boëce, et autres écrits, un traité de Gerbert avec sa préface sous ce titre : *Gerberti Theorica cum prologo in eamdem.* Oudin l'a entendu d'un traité de théorie d'arithmétique (Oud. *Scrip.* t. II, p. 512). Si cela est, ce pourrait fort bien être le même écrit que celui dont on vient de rendre compte, quoiqu'il ne soit pas revêtu de tous les mêmes caractères qu'il porte dans le manuscrit de Saint-Emmeran. D

2° Un autre ouvrage de Gerbert sur l'arithmétique est son fameux *Abacus* (Pez, *ib.*). Il se trouve dans le même manuscrit de Ratisbonne ; mais le commencement y manque. Dans l'inscription il est adressé à Otton III, et porte aussi le titre d'*Algorismus.* La lettre de ce prince à Gerbert (Gerb. *Ep.* par. 1, ep. 153) pour le prier de lui apprendre tous les raffinements de l'arithmétique fait juger que ce fut à cette occasion que Gerbert le composa. On ne doit donc pas le confondre, comme quelques écrivains

semblent l'avoir fait (Oud. *ib.*), avec d'autres écrits sur le même sujet, adressés à Constantin de Fleuri. Ce qui y a donné occasion, c'est que ce traité se trouvant avec celui des multiplications et une lettre à Constantin dans un des manuscrits que Joseph Scaliger légua à la bibliothèque de l'université de Leyde, on n'aura fait des deux qu'un seul et même écrit. On a encore un autre exemplaire de cet *Abacus* dans un manuscrit du XIe siècle qui se conserve à la bibliothèque du Roi, sous le nombre 5366. 5 (Le Beuf, t. II, p. 84, not.). Nous avons dit ailleurs que cet écrit n'est autre chose que des tables d'arithmétique, où Gerbert a tracé les différentes combinaisons des chiffres arabes. Vignier fait mention d'un autre ouvrage dans le même goût, sur le même sujet et sous le même titre, composé par un nommé Bernelin (3), que l'on ne connaît point d'ailleurs, quoiqu'on le suppose disciple de Gerbert.

Guillaume de Malmesburi et ceux qui l'ont copié (Malm. *De Reg. Angl.* l. II, c. 10, p. 65; Alber. *Chr.* par. II, p. 30) disent clairement que Gerbert enleva aux Sarrasins d'Espagne l'*Abacus* dont on vient de donner une idée; mais ils conviennent que les règles qu'il y prescrit sont inintelligibles, à ceux même qui font plus d'effort pour les comprendre. Rien au reste n'est plus plaisant que l'idée qu'ils s'étaient formée de ce livre. On voit bien qu'ils ne le connaissaient pas, puisqu'ils nous le représentent comme le grimoire de Gerbert. La manière dont ils racontent sérieusement que Gerbert le déroba à son maître est encore plus ridicule.

Outre les trois exemplaires déjà marqués de l'*Abacus* de Gerbert, il y en a encore deux autres dans deux manuscrits de la bibliothèque du Roi, le 2251 et le 4512 (Montf. *Bib. bib.* p. 955 2, 987 1) (4). Il se trouve aussi avec ce titre *Gerberti scholastici Abacus compositus* dans celle du Vatican (app. 88, 1), parmi les manuscrits de Christine, Reine de Suède sur la philosophie. On ne saurait dire précisément si les deux ouvrages du même auteur qui se voient parmi les mêmes manuscrits, l'un sous le titre : *Regulæ Abaci*, l'autre intitulé : *De numeris*, sont la même chose que l'*Abacus*. Peut-être n'est-ce là que l'ouvrage qu'Hériger abbé de Laubes composa sur ce fameux traité et qu'il intitula : *Regulæ numerorum super Abacum Gerberti* (Alber. *Chr.* par II, p. 32).

3° Gerbert fit encore divers autres traités sur le même sujet, que la plupart des écrivains ont confondus, mais qu'il importe de distinguer les uns des autres. On vient de voir que le manuscrit de Scaliger où se trouve l'*Abacus* contient aussi le traité des multiplications; *Libellus multiplicationum*. C'est apparemment le même écrit que M. l'abbé le Beuf témoigne avoir vu à la bibliothèque du Roi dans le manuscrit 5436 3. Ce traité est adressé à Constantin de Fleuri, que l'auteur qualifie son Théophile, et prescrit les règles des multiplications par les doigts. Manière de compter fort en usage chez les anciens, et que Gerbert fit revivre en son siècle.

4° Ce traité de multiplication est sans doute différent (Gerb. *Ep. Pr.*, p. 2) de celui de la division ou fraction des nombres, *De numerorum divisione*, que le premier éditeur des lettres de Gerbert conservait manuscrit dans son cabinet (*Cat. mss. Angl.* t. II, p. 69. 2), et qui dans un manuscrit d'Isaac Vossius porte pour titre : *Regulæ de divisionibus*. Suivant l'exemplaire de le Masson, on voit à la tête la lettre de Gerbert à Constantin de Fleuri, laquelle fait la 160e du recueil dans la première édition, et la 161e dans l'édition de du Chesne. A la fin de cette lettre le Masson a publié les premiers mots du traité, qui commence ainsi : *De simplici. Si multiplicaveris singularem numerum*, etc. Ce qui ne se lit point dans le second éditeur. Gerbert dans cette lettre annonçant à son ami l'ouvrage qu'il lui envoie, le représente comme un écrit de géométrie, plutôt que d'arithmétique. De sorte qu'on peut douter si cette lettre regarde le traité de la division des nombres, et par conséquent si la place qu'elle occupe à la tête de ce trai é n'est pas plutôt arbitraire que naturelle. L'écrit dont elle parle, quel qu'il fût, était court, si l'on a égard aux paroles, mais prolixe par rapport aux sentences : *Brevem quidem verbis, sed prolixam sententiis*.

5° A tous ces écrits sur l'arithmétique Gerbert en ajouta encore un autre, auquel il a donné pour titre, *Rhythmomachia*, c'est-à-dire, suivant la force du terme grec, le combat des nombres ou des chiffres. Ce traité se trouve dans un manuscrit appartenant autrefois à la bibliothèque de M. de Thou, et qui est aujourd'hui dans celle du roi, le 4001 entre les manuscrits de M. Colbert (Mab. *Ann.* t. II p. 215, 216). M. l'abbé le Beuf, qui l'a examiné, dit que ce petit écrit n'y occupe que quatre pages, et que le jeu de chiffres, dont il donne les règles, a beaucoup de ressemblance avec le jeu des échecs. Il y est effectivement question de pyramides et d'autres pièces de différentes couleurs, noires, blanches, rouges; et il y est fait mention de prises. Jean de Salisbéri, évêque de Chartres, avait connaissance de ce jeu de chiffres, quoique le titre soit un peu défiguré dans la lettre où il en parle

(3) Puisque ce Bernelin passe pour disciple de Gerbert, et qu'il peut être Français, on ne sera pas fâché que nous ajoutions ici, que son traité *De Abaco*, qui était en quatre livres dans la bibliothèque de Pierre Pithou (Montf. *Bib. bib* p. 116, 2), se trouve aussi avec plusieurs autres écrits qu'on ne spécifie pas dans le manuscrit 4539 de la bibliothèque du Vatican. (ap. 24, 2) Le manuscrit 480 entre ceux de Christine Reine de Suède, qui font partie de la même bibliothèque, contient encore le même écrit, avec les traités de la Musique, de l'Arithmétique et de la Géométrie par le même auteur.

(4) On voit par là, que ce traité de la division des nombres n'est pas perdu, comme un savant moderne s'en plaint (Gou. *Etat des sciences*, p. 54)

(*ep.* 235). Le peu qu'il en dit au reste confirme l'idée que nous en venons de donner. Gerbert n'y cite que Boëce; mais on ne doute point qu'il n'en eût puisé quelque chose dans Pythagore, comme avait fait Wibolde évêque d'Arras et de Cambrai pour son jeu des vertus, dont nous avons rendu compte.

Casimir Oudin (*Scri t supp.* p. 313) assure que le *Rhythmomachia* de Gerbert a été imprimé avec les quatre livres en allemand sur le jeu des échecs, que le duc de Brunswick et de Lunebourg publia, sous le nom emprunté de Gustavus Sélénus, à Leipsik, l'an 1616, en un volume *in-folio*, qui est devenu très-rare. Un savant moderne (Le Beuf, *ib.* p. 85, 86 not.), qui rapporte ce fait d'après Oudin, lui a prêté un sens étranger. Il ne dit point en effet, comme l'avance ce savant, que ce prince n'a fait que publier en allemand l'écrit de Gerbert, mais seulement que cet écrit a été imprimé avec l'ouvrage en allemand du sérénissime prince.

On ne saurait dire précisément si tous ces écrits de Gerbert sur l'arithmétique, qui n'ont pas été inconnus de Trithème (*Chron. Hirsaug.* t. I, p. 142), se trouvent ensemble réunis dans deux différents manuscrits de la bibliothèque du Vatican, entre ceux qui ont appartenu à la reine Christine, sous le simple titre de : *Arithmetica Gerberti scolastici* (Montf. *ib.* p. 242, 581); ou si ce n'est seulement que quelqu'un des traités de notre philosophe sur ce sujet. Comme cependant un de ces manuscrits annonce les ouvrages de Bernelin, disciple de Gerbert, sur la même matière, conjointement avec l'Arithmétique de son maître, on pourrait l'entendre de tout ce que Gerbert en a écrit, dont on aura fait un recueil, en y joignant les productions de Bernelin.

6° Si Gerbert n'a pas autant publié d'écrits sur la géométrie que sur l'arithmétique, un seul traité qui nous reste de lui sur cette première faculté, est au-dessus de tout ce qu'il nous a laissé sur l'autre. Ce traité de géométrie est effectivement aussi estimable pour sa brièveté et sa clarté que pour les choses qu'il contient, la méthode et la manière dont elles y sont traitées. On peut douter avec raison si depuis la première décadence des lettres jusqu'à leur dernier rétablissement quelqu'un a mieux réussi à traiter ce sujet.

Gerbert commence son écrit par découvrir l'origine de la géométrie, et les deux principaux usages auxquels on l'a employée. Il en donne ensuite la définition, et en montre l'utilité : en quoi il n'oublie pas d'avertir qu'elle sert particulièrement à faire connaître et admirer la puissance ineffable et la souveraine sagesse de Dieu, qui a tout fait avec nombre, poids et mesure. Passant de là à établir les principes, et prescrire les règles de cette science, il touche d'abord quelque chose de son excellence, en rappelant les éloges qu'en fait S. Augustin dans ses divers ouvrages, nommément dans son traité de la Quantité de l'âme. Pour mettre son écrit à la portée de tout le monde, et le rendre surtout utile à ceux qui ne font que commencer, qu'il a particulièrement en vue, après avoir fait des excuses aux savants, il s'applique à donner des notions claires des termes, des figures, en un mot de tout ce qui concerne la géométrie. Il porte son attention jusqu'à faire connaître les mesures des anciens, qu'il possédait à fond.

Il va encore plus loin. Afin de rendre les choses sensibles, et les faire, pour ainsi dire, toucher au doigt, il donne des exemples de chaque découverte qu'on se propose, et enseigne comment il faut s'y prendre pour y réussir. A cet effet, il met sous les yeux de ses lecteurs toutes les sortes de figures en usage dans l'exercice de cette science. Il leur apprend les différentes opérations pour réussir à mesurer un champ oblong, carré, triangulaire; à prendre la hauteur d'un arbre, d'une tour, d'une pyramide; à connaître la quantité d'eau qui est dans un puits; à faire de justes compartiments; à trouver le méridien pour la construction des cadrans.

Boëce, qui était l'auteur favori de Gerbert, fut, comme il paraît, un des guides qu'il suivit dans le traité en question. Mais il n'y a pas lieu de douter qu'il ne tirât aussi de grandes lumières de ces belles figures de géométrie, dont il fit l'acquisition dans un de ses voyages d'Italie (*Ep.* par. I, ep. 8). Il donnait tant d'étendue à cette science, qu'il soumettait à son empire les nombres mêmes dont on se sert pour compter (*ep.* 134).

Ce traité de Gerbert, qui se trouvait autrefois dans la bibliothèque Farnèse sous le titre de *Liber geometriæ artis* (Bzov. *Vit Scil.* c. 7, p. 23), et qu'on voit aussi manuscrit à celle du roi, a été imprimé par les soins de dom Bernard Pez (*Anec.* t. III, par. II, p. 1-82; diss. p. 7, 8). Le manuscrit d'où il l'a tiré est ancien de six cents ans ou environ, et se trouve à l'abbaye de Saint-Pierre de Saltzbourg. Il ne représente point avec exactitude le texte original, non plus que les figures géométriques dont il est rempli, et que l'éditeur a eu soin de faire graver en bois le mieux qu'il lui a été possible.

7° Trithème nous apprend que Gerbert avait fait deux autres traités, l'un sur la composition de l'astrolabe, l'autre de la manière de construire le cadran, ou quart de cercle, autre instrument de mathématique. Ce double traité se trouve dans les manuscrits 1246 et 1269 de la bibliothèque de Sorbonne; et M. l'abbé le Beuf en rapporte le commencement. Gerbert y traite aussi des cadrans solaires.

8° On a imprimé celui qu'il a composé sur la sphère, que le même Trithème qualifie un écrit aussi beau que nécessaire, *pulchrum et necessarium opus*. Ce n'est cependant qu'une lettre à Constantin de Fleuri, ami de Gerbert. Encore n'est-elle pas de

longue haleine. Dom Mabillon (*ib.*, p. 212-215) l'ayant déterrée dans un manuscrit de l'abbaye de S. Germain des Prés, l'a donnée au public dans le IIe volume de ses Analectes. L'auteur y décrit assez en détail, quoiqu'en peu de mots, la manière de construire les sphères, détail, au reste, qui fait voir que l'usage n'en était pas fort commun en France. Pour avoir tout ce que Gerbert a écrit sur ce sujet et qui est venu jusqu'à nous, il faut joindre à la lettre précédente celle qu'il adresse à Remi moine de Trèves, et dans laquelle il parle aussi de la structure de la sphère qu'il représente comme un travail pénible. On voit par cette lettre qu'on employait le tour pour façonner la sphère et le cuir de cheval pour la couvrir. Notre philosophe y travaillait lui-même, quelqu'occupé qu'il fût d'ailleurs.

9° Gerbert a aussi écrit sur quelque partie de la dialectique. Mais il ne l'a fait que par occasion, comme on va le voir, et non à titre de professeur qui donnerait des leçons de cette science. On a de lui un petit traité qu'il a composé sur une difficulté tirée de Porphyre, et qui regarde les prédicaments (Pez. *ib.* t. II, par. II, p. 151). Il s'y agit proprement de savoir si raisonnable et raisonnant ont la même étendue, ou, pour parler en dialecticien, la même puissance (*p.* 149-150). C'est ce qui a fait intituler cet écrit : *De rationali et ratione uti.* Il est dédié à l'empereur Otton III, par une épître qui nous apprend en quel temps et à quelle occasion il fut composé.

Pendant l'été de 997, ce prince se trouvant en Italie, où il se préparait à la guerre contre les Wendes que Gerbert nomme Sarmates, il avait à sa suite plusieurs savants, du nombre desquels était Gerbert, et se plaisait à leur proposer des questions subtiles et épineuses de philosophie (Mab. *ib.* t. I, in fin.). Personne n'y ayant répondu d'une manière satisfaisante, il enjoignit à Gerbert de résoudre celle qui regardait le raisonnable et le raisonnant. Celui-ci ne put l'exécuter sitôt pour cause de maladie. Mais, après avoir recouvré la santé, il le fit par le petit ouvrage dont il s'agit ici. Il y entre dans une longue et sérieuse discussion, qu'il appuie tant de l'autorité des anciens philosophes que de ses propres raisonnements, et d'une figure pour rendre la chose plus sensible. Mais il faut avouer que la difficulté n'en valait pas la peine. Aussi Gerbert s'est-il cru obligé de s'excuser, à la fin de son écrit, d'avoir entrepris de traiter un sujet peu convenable à la gravité épiscopale, dont il était revêtu. S'il le fit, ce ne fut que par le désir de plaire à l'empereur, qui s'occupait alors d'un genre d'étude auquel la question discutée n'était pas étrangère.

Le meilleur morceau de tout l'écrit est l'épître dédicatoire. Outre les traits historiques que nous en venons de rapporter, et dont quelques-uns sont fort glorieux à la mémoire d'Otton III, elle sert à faire connaître l'habileté de l'auteur à faire sa cour aux grands. C'est aussi l'unique partie de l'ouvrage, que dom Mabillon (*ib.*, p. 121-125) avait jugée digne de l'attention du public, s'étant borné à la faire imprimer seule, quoiqu'il eût l'écrit en entier. Mais comme son exemplaire n'exprimait le nom de l'auteur et celui du Mécène que par les lettres initiales, il crut que l'écrit pouvait appartenir à Gebehard, évêque d'Ausbourg, qui était aussi du voyage d'Italie dont on a parlé. Ayant acquis toutefois, dans la suite, plus de lumières sur ce point, il reconnut que c'était un ouvrage de Gerbert (*Ibid.*, in fin. t. II, p. 215). C'est ce qui a été vérifié depuis par l'édition que dom Bernard Pez a donnée de l'écrit en entier sur un manuscrit de l'abbaye de Tégérensée en Bavière, ancien de six cents ans, dans lequel les noms de Gerbert et de l'empereur Otton sont écrits tout au long (Pez, *ib.* diss., p. 69, n. 3). Ils sont exprimés de la même manière dans un autre manuscrit de même âge, appartenant à l'abbaye de saint Emmeran, qui contient le même traité.

10° A la fin de l'ouvrage, dans ce dernier manuscrit, se lisent douze vers élégiaques, que l'éditeur a fait imprimer à la tête (*Ibid.*, t. I, par. II, p. 149, 150). C'est une prosopopée, où le poëte fait faire à la philosophie un grand éloge de l'écrit, comme propre à s'avancer promptement dans les voies de la sagesse. Dom Pez ne doute point que ces vers, qui sont tolérables et meilleurs qu'une infinité d'autres de ce temps-là, ne soient de la façon de Gerbert. Nous en prendrons occasion de parler des autres poésies de notre philosophe, suivant la connaissance que nous pouvons en avoir.

Il y a de lui une autre épigramme en douze vers héroïques sur le portrait du célèbre Boëce, que d'habiles connaisseurs regardent comme une pièce très-élégante (Cave, p. 512; Olear., *bib.*, par. II, p. 181). Ce n'est pas sans raison; et l'on peut ajouter qu'on ne ferait pas déshonneur aux poëtes des bons siècles de la compter au nombre de leurs productions. Cette épigramme seule vaut mieux, pour le bon goût, l'énergie, la noblesse des termes et les autres beautés de la poésie, que toutes les autres pièces de vers qu'ont enfantées le siècle de Gerbert et les deux suivants. Aussi ne l'a-t-on pas jugée indigne d'occuper une place dans le Recueil des petites poésies des anciens où elle est imprimée (*ep. et poes. vet.*, l. II, p. 65). De là on l'a fait passer dans les dernières éditions des Annales de Baronius, pour compléter l'éloge de Boëce. Elle se trouve nommément dans l'édition de 1658, à l'année 526, page 117. Le portrait de ce philosophe, qui donna occasion à cette épigramme, était celui qu'Otton III avait dans son cabinet. On voit par-là que l'auteur la composa lorsqu'il se fut retiré près de cet empereur.

Elle a été sans doute inconnue à un savant de nos jours, qui ne parle de la versification de Gerbert qu'avec un souverain mépris (Gouj. *Etat des sciences*, p. 72). Il n'est pas plus heureux, lorsqu'il fait parler notre philosophe en ces termes : Je n'ai jamais com-

posé de vers, lui fait-il dire, maintenant j'y prends A goût, et tant qu'il me durera, je vous enverrai autant de vers qu'il y a d'hommes distingués en France. Ce n'est point Gerbert qui s'exprime ainsi, mais Otton III, son disciple, alors roi de Germanie et depuis empereur. La lettre citée, qui est la cent cinquante-troisième entre celles de Gerbert, en fait la preuve complète. Otton y prie ce cher maître, alors archevêque de Reims, de lui apprendre à fond l'arithmétique et le grec, et s'engage, dans l'ardeur qu'il se sentait pour la versification, à lui envoyer autant de vers qu'il y avait alors d'hommes en France. Expression hyperbolique, à la vérité, mais à laquelle il faut laisser toute son étendue, sans la restreindre par le terme d'hommes distingués qui lui prescrit des limites extrêmement étroites et qui ne B se lit point dans le texte original.

Quant aux autres pièces de vers de la façon de Gerbert, nous n'en connaissons que quatre, qui sont autant d'épitaphes, chacune de quatre grands vers. Elles ont été faites pour orner les tombeaux de l'empereur Otton II, de Lothaire, roi de France; d'un duc, nommé Frédéric, et du scolastique Adalbert. Elles sont imprimées parmi les lettres de l'auteur, et y tiennent la place de la soixante-seizième et des trois suivantes. Ces épitaphes, au reste, n'ont rien au-dessus des autres poésies du temps que le laconisme ordinaire aux autres écrits de Gerbert.

11° De ses poésies il faut passer à ses proses, ou séquences, qui ont beaucoup d'affinité ensemble. C Un auteur de l'Histoire des papes, qui écrivait sur la fin du XIIe siècle, dont le manuscrit, qui se trouve à l'abbaye de Zwetten, assure que la prose *ad celebres, Rex cœli*, etc., en l'honneur des anges, est de la façon de Gerbert (Pez, *ib.*, t. I, par. II, p. 380, 381). Alberic de Trois-Fontaines, qui avait peut-être puisé ce fait dans l'auteur précédent, atteste la même chose (Alb. *chr.*, par. II, p. 36). Nous ignorons, après tout, si cette prose existe encore quelque part. Elle ne se trouve point dans la collection de Josse Clichtoüe qui en a recueilli tant d'autres.

12° On n'a pas plus de certitude sur l'existence du Traité de rhétorique, que Gerbert composa, comme il nous l'apprend lui-même dans une de ses D lettres à Bernard, moine d'Aurillac (*Gerb.*, ep. 92). Il paraît, par ce qu'il en dit, que ce fut le premier, ou au moins un des premiers écrits qu'il publia après son retour d'Italie en France, et aussitôt qu'il se vit chargé de la direction des écoles de Reims. C'était un volume d'une juste grosseur, puisqu'il contenait vingt-six feuilles, ou membranes, comme on parlait alors; et l'idée que l'auteur nous donne de son mérite doit nous en faire regretter la perte. Gerbert apporta tant de soin à la composition de cet ouvrage, qu'il se flattait que les plus habiles lui feraient un accueil admirable, et qu'il serait d'une grande utilité aux étudiants, pour entrer dans l'intelligence et saisir ce qu'il y a de plus subtil et de plus obscur dans l'art et les écrits des rhéteurs.

13° Jusqu'ici l'on avait regardé l'écrit anonyme sur l'Eucharistie, publié par le P. Cellot, comme un ouvrage d'Hériger, abbé de Laubes, vers la fin du Xe siècle et les premières années du suivant. Dom Mabillon, auteur de ce sentiment, semblait l'avoir établi d'une manière aussi solide que modeste (*Act. ben.*, t. VI pr., n. 47, 48; *An.*, l. LII, n. 99). Mais les plus savants hommes ne sont jamais infaillibles dans leur critique. Il peut aisément échapper à leur sagacité des découvertes dans lesquelles d'autres seront plus heureux. C'est ce qui est arrivé au sujet du véritable auteur de l'écrit en question.

Dom Bernard Pez, l'ayant recouvré sous le nom de Gerbert, qui fut depuis pape, dans un manuscrit de l'abbaye de Gotweich en Autriche, du même temps que celui qui l'attribue à Hériger, a entrepris de le restituer au premier de ces deux écrivains (*Anec.* diss. p. 69, n. 2; t. I, par. II, p. 132). Et il faut avouer que le titre, écrit en minium de la même main que le corps de l'ouvrage, est déjà une forte preuve en faveur de Gerbert. Preuve qui, jointe à l'identité de style entre cet écrit et les autres du même auteur, est au-dessus de tous les raisonnements de dom Mabillon. En l'abandonnant toutefois sur ce point, on ne lui conteste pas qu'Hériger n'ait aussi écrit sur l'Eucharistie.

C L'ouvrage dont il s'agit ici est intitulé : *Traité du corps et du sang du Seigneur*. Gerbert paraît avoir été déterminé à l'entreprendre par deux motifs principaux : l'un, de montrer que ceux qui, comme Pascase Radbert, soutenaient que le corps de Jésus-Christ dans l'Eucharistie est le même que celui qui, étant né de la Vierge, est mort et ressuscité, et que les autres qui, comme Raban de Mayence et Ratramne de Corbie, prétendaient le contraire, n'ont point eu de différents sentiments sur le fonds du mystère. L'autre motif, qui fit prendre la plume à notre écrivain, fut de faire voir l'absurdité de l'erreur imaginaire des Stercoranistes. On voit par-là qu'encore sur la fin du Xe siècle on agitait ces questions sur l'Eucharistie. Sur ce plan, Gerbert a divisé son D écrit en deux parties. La première, qui est la plus prolixe, il l'emploie à prouver le premier point de son dessein, par un grand nombre de passages tirés des Pères grecs et latins, presque tous fort bien choisis. Il fortifie ces preuves par divers raisonnements pris de l'arithmétique, de la dialectique, de la géométrie, et appuyés de figures, dont on a omis la première dans la dernière édition de l'ouvrage. Manière de raisonner qui découvre Gerbert à ne le pas méconnaître. Dans tout ce qu'il dit de Pascase, il ne parle de lui et de son ouvrage qu'avec de grands éloges. De même, toute cette première partie est remplie de preuves invincibles de la présence réelle de Jésus-Christ dans l'Eucharistie.

Gerbert est fort succinct dans la seconde partie. Il s'y arrête particulièrement à faire sentir les inepties, comme il les qualifie lui-même, de ceux qui, pour appuyer l'opinion du Stercoranisme, abusaient de ces paroles de l'Evangile, au verset 17 du chapitre XV de S. Matthieu : *Tout ce qui entre dans la bouche, descend*, etc Il en prend occasion de rappeler le blasphème de quelques hérétiques qui prétendaient, à ce sujet, que Jésus-Christ avait ignoré la physique. Gerbert y fait aussi lui-même un peu le physicien, en expliquant la digestion. Il conclut enfin qu'il est absurde qu'un aliment spirituel, tel qu'est le corps de Jésus-Christ dans l'Eucharistie, soit sujet à la digestion et à ses suites. C'est, par conséquent, dit-il, une nourriture pour l'homme intérieur. Que si elle influe dans l'homme extérieur, il est de la piété de croire que c'est pour être le germe de sa résurrection au dernier jour. L'auteur fait paraître dans ce petit traité beaucoup de justesse et de solidité d'esprit. On n'y découvre rien, au reste, qui puisse faire juger si ce fut avant ou après son épiscopat qu'il y mit la main.

Nous en avons deux éditions. La première est due aux soins du P. Gellot, qui a publié l'écrit sans nom d'auteur, dans l'Appendice à son histoire de Gothescalc, avec un très-ample commentaire de sa façon. Au bout de près de quatre-vingts ans, dom Bernard Pez (*ibid.*, p. 131-146) l'a fait réimprimer sur le manuscrit dont on a parlé, qui le donne à Gerbert comme à son véritable auteur.

14° On ne sait point non plus en quel temps notre écrivain composa un cantique sur le Saint-Esprit, qui avec son commentaire faisait autrefois partie des manuscrits de Thomas Bodlei, sous le nombre de 1406-10 (*Cat. mss. Ang.*, t. I, part. I, p. 124, 1). L'inscription, à la vérité, lui donne le titre de pape; mais cette circonstance est équivoque, et ne suffit pas pour fixer le temps de l'écrit. Il n'y a, au reste, que ceux qui l'ont entre les mains qui puissent nous en donner une plus ample notice, et nous dire si ce cantique roule sur la procession du Saint-Esprit, sa divinité, ou ses opérations divines.

15° On compte au nombre des écrits de Gerbert les actes du fameux concile tenu à Saint-Basle en 991, pour la déposition d'Arnoult, archevêque de Reims. Ce fut effectivement Gerbert qui les rédigea par écrit en qualité de secrétaire de l'assemblée. Il ne paraît point d'ailleurs qu'il y ait eu d'autre part que d'y avoir donné le style, qui est beaucoup au-dessus de celui de quantité d'autres écrits du même temps. On n'a pas cependant laissé de l'accuser d'y avoir inséré plusieurs choses de son chef. Mais c'est ce qu'il serait très-difficile de prouver, vu l'attention qu'on apportait dans cette sorte d'assemblées à en faire recueillir les actes dans leur intégrité. Baronius a néanmoins supposé (*An.* t. X, p. 869, 871, 881) que Gerbert s'était donné beaucoup de licence dans ceux dont il est question. C'est ce qui l'a mis en si mauvaise humeur contre lui, jusqu'à le maltraiter d'une manière qui blesse également la politesse et la charité. La critique aussi aigre que vive qu'il a faite de ses actes est sans doute ce qui a détourné les collecteurs des conciles de leur donner place dans leurs recueils. On les trouve cependant imprimés non-seulement dans les Centuriateurs de Magdebourg, mais encore séparément en un volume in-12, qui parut à Francfort en 1600 chez les héritiers d'André Wechel avec ce titre : *Synodus Ecclesiæ Gallicanæ habita Durocorti Remorum sub Hugone A. et Roberto Francorum rege.* L'on y a ajouté une apologie de ce même concile, qui ne consiste qu'en quelques lettres curieuses de Gerbert. Les du Chesne ont aussi inséré la plus grande partie de ces actes parmi leurs Historiens de France (*du Chesn.* t. IV, p. 101-114).

16° Il y a de Gerbert (*Conc.* t. IX, p. 747-749) un discours qu'il prononça au concile de Mouson en 995, et dont il laissa copie à l'abbé Léon, légat du pape. On a dit qu'il s'agissait dans cette assemblée de la déposition de Gerbert, qui occupait alors le siége de Reims, et du rétablissement d'Arnoul. Le discours est une apologie éloquente et bien écrite, dans laquelle Gerbert expose de quelle manière et par quels motifs il avait accepté le gouvernement de cette Eglise, auquel il avait, dit-il, été destiné à la mort de l'archevêque Adalberon, et dont Arnoul l'avait dès lors exclu, en se servant de la voie de simonie.

Il est tout à fait surprenant que M. Cave (p. 512) ait douté que cet écrit existe quelque part. Nous en avons au moins quatre éditions dans autant de recueils. Baronius lui a donné place dans ses Annales (*ad an.* 995, p. 893-895). Abraham Bzovius (Bzov. *Vit. Silv.* c. 21, p. 76-78) l'a fait entrer dans la Vie de notre pape, dom Marlot dans son Histoire de l'Eglise de Reims (t. II, l. I, c. 16), et le P. Labbe dans la Collection générale des conciles (*Conc. ib*).

17° Au discours précédent on joint un dialogue ou conférence de Gerbert avec le légat Léon au même concile. On en parle (Cave, *ib.*; *Rom. pont. Vit.* t. I, p. 757.; du Pin, x° siècle, p. 148), peut-être sans l'avoir vu, comme d'un fort bel écrit, différent du discours qui n'est point en forme de dialogue. Il y aurait eu par conséquent de la part de Gerbert deux écrits divers au sujet du concile de Mouson; et il paraît par les caractères qu'on attache à celui dont il s'agit ici, qu'on ne peut raisonnablement en douter. Hugues de Fleuri, écrivain du XI° siècle (du Chesn. t. IV, p. 143), a eu connaissance de ce dialogue de Gerbert, qu'il qualifie dispute, et dit qu'il se trouvait en entier parmi les gestes des archevêques de Reims. Trois autres auteurs (Id. t. III, p. 353; *Conc. ib.*, p. 750; *Spic.* t. II, p. 735), qui ont suivi de près Hugues de Fleuri, et l'ont peut-être copié : un chroniqueur du même siècle, le continuateur d'Aimoin, et Clarius, moine de Saint Pierre le Vif à Sens, attestent la même chose et ajoutent que cette dispute pouvait être d'une grande utilité, *valde utilem*. Mais il y a toute

apparence qu'elle est perdue, aussi bien que cette partie de l'histoire des archevêques de Reims, dans laquelle elle se trouvait insérée, ce qui est une double perte.

Avant de terminer cet article, le lecteur ne sera pas fâché d'y voir un exemple de ces fautes frappantes dans lesquelles sont capables de tomber les plus savants hommes, lorsqu'ils négligent de faire usage de toute leur attention. L'on sait de quoi il était question au concile de Mouson entre Gerbert et le légat du saint-siége. Néanmoins M. du Pin n'a pas laissé d'avancer, que le sujet de leur conférence était la composition de l'astrolable. Assurément ils avaient des affaires tout autrement intéressantes à démêler. L'erreur de ce savant bibliographe est vraisemblablement venue de ce qu'il n'avait lu sur ces deux différents écrits de Gerbert que ce qu'en dit M. Cave. Celui-ci en les annonçant ensemble, conjointement avec deux autres, sous le même article, aura donné lieu à la confusion. Voici la manière dont il en parle et qui justifiera notre conjecture : *Dialogus pulcherrimus inter ipsum et Leonem nuncium apostolicum ; De compositione astrolabii liber ; De rhetorica lib.* I; *Oratio in synodo Mosomensi*, etc.

18° On attribue à Gerbert (*Bib. Bodl.* part. II, p. 163 2; Oud. *Script.* supp. p. 313) une autre dispute qui se passa à Rome, et qui a été imprimée dans la même ville l'an 1544 en un volume in-4°. Cet ouvrage qui porte pour titre Dispute des chrétiens et des juifs, *Disputatio Christianorum et judæorum Romæ habita*, paraît très-rare, et il ne nous a pas été possible de le voir par nous-mêmes. Nous sommes donc hors d'état d'en donner une notice plus étendue, et de dire même si l'auteur était déjà pape lorsqu'il fit cet écrit, ou s'il le composa dans quelqu'un de ses voyages de Rome avant son pontificat.

19° Il y a presque le même doute par rapport au temps que Gerbert composa le traité ou discours de l'Idée ou Portrait des évêques, *De informatione episcoporum*. Il est clair par toute la suite de l'écrit, que l'auteur était alors revêtu de l'épiscopat. Mais on n'y découvre rien qui montre qu'il fût déjà sur le saint-siége. Ce qu'il y dit convient également à un simple archevêque comme à un pape. Gerbert le prononça d'abord de vive voix dans une assemblée d'évêques, soit en concile ou autrement (Mab. *Annal.* t. II, p. 210) : *In gremio sacerdotum positus*, dit-il, *ipsos alloquar sacerdotes*. Après tout, en quelque qualité qu'il ait fait cet écrit, soit comme archevêque de Reims ou de Ravenne, soit comme pape, on ne le peut regarder que comme un monument respectable de son zèle pour voir l'ordre épiscopal tout brillant des vertus convenables à son caractère.

L'auteur s'y propose deux objets. Il y montre d'abord l'excellence de l'épiscopat et y établit ensuite l'obligation qu'ont ceux qui en sont revêtus de mener une vie qui réponde à cette haute dignité. Tout roule sur ces deux points, qui sont assez bien touchés pour le temps. Gerbert y a fait entrer une courte mais belle exposition des caractères que saint Paul dans sa première Epître à Timothée attache à l'épiscopat. Après quoi il fait une vive sortie sur la simonie, qui était alors si commune, et qu'il compare à la lèpre de Giézi. La manière dont il la combat est d'autant plus capable de faire impression qu'elle est plus naïve et mieux circonstanciée. En rehaussant la dignité épiscopale, il dit que tous les évêques ont reçu avec saint Pierre la charge de paître les brebis dont parle Jésus-Christ au dernier chapitre de l'Evangile de saint Jean. L'endroit est remarquable, si l'auteur était dès lors pape. Il finit ce beau discours par une courte prière où il conjure le Saint-Esprit de venir au secours de tous les évêques, afin qu'ils mettent en pratique ce qu'il lui a inspiré de leur dire.

Ce qui contribue à donner encore une idée avantageuse de cet écrit et de son auteur, c'est de voir qu'on y a découvert tant de beautés, qu'on en a voulu faire honneur à saint Ambroise, le plus poli et le plus éloquent des Pères latins. Dès le siècle même où mourut Gerbert, le cardinal Humbert, ignorant le véritable auteur de cet opuscule, en copia sous le nom de ce Père un fort long fragment, qui forme le seizième chapitre de son premier livre contre les simoniaques (Humb. *in Sim.* l. I, c. 16). De même, Giles Charlier, dans sa réplique à Nicolas Thaborite au concile de Bâle, cite encore cet écrit sous le nom de saint Ambroise (Mart. *am. Coll.* t. VIII, p. 460).

C'est sur l'autorité de ces écrivains, et des autres qui les ont suivis en ce point, que l'opuscule se trouve porter le nom de ce saint docteur dans plusieurs manuscrits, et qu'en conséquence il a été imprimé parmi ses œuvres, où il porte divers titres (Amb. t. II, app. p. 357-364.). Dom Martène (*Anec.* t. V, pr. p. 2) dit l'y avoir cherché inutilement ; mais c'est qu'il ne l'y cherchait que sous le titre *De vita et ordinatione episcoporum*, le même sous lequel Humbert en rapporte le morceau dont on a parlé. Il l'y aurait trouvé sous le titre *De dignitate sacerdotali*, comme il est inscrit dans le IV° tome de l'édition de Paris 1642, ou *De informatione episcoporum*, comme il est intitulé dans l'appendice de la dernière édition. On l'a ainsi rangé parmi les ouvrages supposés à saint Ambroise, depuis que dom Mabillon l'a rendu à Gerbert son véritable auteur, sur la foi d'un ancien manuscrit de Saint-Martial de Limoges (Mab. *ib.*, p. 215). C'est sur ce même manuscrit qu'il l'a fait réimprimer au second volume de ses Analectes. Il y a cependant plusieurs variantes entre le texte de cette édition et celui du même écrit tel qu'il se lit parmi les œuvres de saint Ambroise. Outre les inscriptions que nous en avons déjà marquées, il porte encore dans divers manuscrits celle de *Pastoral ;* et c'est de la sorte qu'Alger et Giles Charlier le citent.

20° Le plus intéressant des ouvrages de Gerbert est sans difficulté le recueil de ses lettres. Jean le Masson, archidiacre de Caen dans l'Eglise de Bayeux, en publia cent soixante, avec celles de Jean de Salisbéri et d'Etienne de Tournai, le tout en un volume in-4°, qui parut à Paris chez Macé Ruette l'an 1611. Cet éditeur les donna sur le manuscrit de Papire le Masson, avocat au parlement de Paris, son frère, qui avait dirigé cette édition, et qui est auteur de la Vie de Gerbert qui se trouve à la suite de ses lettres. On les fit passer bientôt après dans les différentes collections des Pères.

En 1636, André du Chesne en imprima un recueil beaucoup plus ample, à la fin du second volume de ses Historiens de France (t. II, p. 789-844). Il y est divisé en deux parties. La première, qui ne contient B qu'une lettre de plus que le recueil de le Masson, a été revue sur un manuscrit, à la faveur duquel le nouvel éditeur a corrigé plusieurs fautes qui s'étaient glissées dans la première édition, nommément dans la lettre 134. La seconde partie a été tirée d'un manuscrit du P. Sirmond, et comprend cinquante-cinq lettres, qui n'avaient jamais vu le jour. C'est cette édition de du Chesne qu'on aurait dû prendre pour modèle lorsqu'on a entrepris d'incorporer les lettres de Gerbert dans les bibliothèques des Pères, qui ont paru depuis 1636. Mais c'est ce qu'on a même négligé de faire à l'égard de celle de Lyon, qu'on a voulu cependant rendre plus parfaite comme plus ample que les précédentes.

On n'y a imprimé de ces lettres que ce qu'en avait C publié le Masson (*Bib. PP.* t. XVII, p. 689-691).

Dans l'une et l'autre partie de ce recueil de lettres on n'a gardé aucun ordre chronologique entre elles. Pour l'ordre des matières, il n'était pas possible d'y en établir aucun, tant les sujets sont variés et quelquefois multipliés dans les mêmes lettres. La plupart sont fort courtes et rarement intéressantes, quoiqu'on ne laisse pas d'y trouver des traits historiques et littéraires qui servent à éclaircir ce qui se passait alors dans l'Etat et quelquefois dans l'Eglise, et la culture des lettres. Il y en a d'autres qui contiennent d'excellents avis et de sages conseils; mais le caractère dominant du plus grand nombre est un génie de politique et d'intrigues. Aussi plusieurs sont-elles adressées aux papes, aux empereurs, aux rois, aux impératrices et autres princesses, à des archevêques qui avaient beaucoup de part aux affaires publiques; ou écrites au nom de ces mêmes puissances, qui employaient souvent la plume de Gerbert. Il y en a une un peu vive au nom de Thierri, évêque de Metz, au prince Charles, frère du roi Lothaire (*ep.* 31), et une autre (*ep.* 32) encore plus vive, au nom de Charles, en réponse au prélat. Elles firent apparemment du bruit, puisque Gerbert se crut obligé d'écrire à Thierri (*ep.* 33) pour lui déclarer avec quel esprit il s'était porté à faire cette réponse.

Ces deux lettres pleines de vivacité, rapprochées d'une autre (*ep.* 75) qui ne respire que la tendresse, montrent que Gerbert savait accommoder son style aux différents sujets qu'il entreprenait de toucher. Celle-ci est au nom d'Emma, reine de France, sur la mort du roi Lothaire, son mari, à l'Impératrice Adelaïde. Une des plus intéressantes comme des plus longues (5) de la première partie du recueil (*ep.* 159), est celle que Gerbert adresse à une autre Adelaïde, reine de France, femme de Hugues Capet, et à tous les suffragants de l'Eglise de Reims. L'auteur y défend son ordination en qualité d'archevêque de cette métropole, d'où l'on pensait alors à l'expulser pour y rétablir Arnoul. Il y discute les motifs qu'on croyait en avoir, suivant ce qu'il en avait appris du bruit public.

Les lettres de la seconde partie nous instruisent particulièrement de ce qui se passa en conséquence de l'élection d'Arnoul et de celle de Gerbert en sa place. On y voit les actes de cette double élection avec la profession de foi de Gerbert. Il y en a quelques-unes écrites au nom d'Arnoul; mais la plupart sont au nom de Gerbert, comme archevêque de Reims, quoiqu'il n'en prenne pas la qualité, et rarement celle d'évêque en général. Les deux dernières (*ep.* 34, 35), qu'on a insérées dans la Collection des conciles (t. IX, p. 777-779), ne furent écrites que lorsqu'il était pape. Nous avons déjà donné une C idée de la dernière, par laquelle Silvestre confirme le rétablissement d'Arnoul, en quoi elle est remarquable. La pénultième, que le Masson avait déjà publiée à la tête de son recueil, mais hors du corps de l'ouvrage, est écrite à Azelin ou Ascelin, le même qu'Adalberon évêque de Laon. Elle est fort vive et chargée de grand nombre de reproches. Après quoi Silvestre cite ce prélat à Rome, pour y être jugé dans un grand concile qui s'y devait tenir dans la semaine de Pâques.

En général Gerbert prend rarement quelque qualité à la tête de ses lettres. Celles qu'on y lit quelquefois, sont les titres de Scolastique et d'abbé écolâtre, *Scholaris abbas* (*ep.* 7, 12, 142, 148, 161).

D Il ne s'y qualifie qu'une seule fois abbé de Bobio (*ep.* 14); quoiqu'il ait retenu cette abbaye jusqu'à son pontificat.

Deux choses concourent particulièrement à rendre ses lettres obscures, et empêchent qu'on en tire tout le secours qu'on pourrait en tirer : le laconisme avec lequel elles sont écrites, et le défaut d'inscription à la tête d'un grand nombre. D'autres fois les noms des personnes à qui elles sont adressées ou dont elles parlent n'y sont designés que par les initiales. Tout cela montre le besoin qu'on aurait de bonnes notes pour les éclaircir. Les remarques qu'a faites dom Ma-

(5) Cette lettre est aussi imprimée dans la Collection générale des Conciles (p. 745-747), mais avec une fausse inscription, suivant laquelle elle est adressée à l'Impératrice Adelaïde, au lieu qu'elle est écrite à la reine de France de même nom.

billon sur plusieurs de ces lettres y répandent une grande lumière (*An.* l. XLIX, n. 63).

On n'a pas fait entrer dans le recueil, dont nous venons de rendre compte, toutes celles qui appartiennent à Gerbert. Il y en a grand nombre d'autres qui se trouvent dispersées dans divers recueils et dont il importe de donner une notice.

La première de cette classe qui se présente est celle que Gerbert écrivit à Séguin, archevêque de Sens, qui avait assisté au concile de Saint-Basle, où fut arrêtée la déposition d'Arnoul (*Conc., ib.* p. 744, 745). Elle paraît écrite aussitôt après qu'on eut appris en France ce que le Pape Jean XV avait fait en faveur de ce prélat deposé, et contre l'élection de Gerbert. Ainsi elle peut être de l'année 993. Comme ce pontife interdit tous les évêques qui avaient eu part à cette grande affaire, Séguin craignit d'être enveloppé dans cette censure, quoiqu'il eût refusé constamment de consentir à la déposition d'Arnoul. Gerbert dans sa lettre entreprend de lui montrer par plusieurs raisons que sa crainte était vaine et mal fondée. Supposant, ce qu'il aurait peut-être fallu prouver, que le jugement rendu à Saint-Basle par les évêques était canonique, et par conséquent le jugement de Dieu même, il soutient que celui du pape ne peut être plus grand. Il cite à ce sujet l'endroit des Actes des apôtres où il est dit qu'il faut plutôt obéir à Dieu qu'aux hommes, et le huitième verset du premier chapitre de l'Epître aux Galates. Il y joint quelques maximes de S. Léon et de S. Grégoire le Grand ; et après avoir posé pour autres principes de son système, que la loi commune de l'Eglise est l'Evangile, les écrits des apôtres et des prophètes, les canons dictés par le Saint-Esprit, et consacrés par le respect de tout l'univers, et enfin les décrets du saint-siége qui y sont conformes, il conclut que quiconque se sera écarté de ces lois par mépris, doit être jugé suivant ces lois. Mais que pour ceux qui les observent, ils doivent être toujours en paix. Que Séguin doit donc se garder de s'abstenir des saints mystères, autrement ce serait se rendre coupable.

Gerbert ne s'attendait pas à être pape lorsqu'il écrivit cette lettre, qui combat de front les prétentions modernes de la cour de Rome, qui avaient dès lors jeté de profondes racines. C'est pourquoi Baronius s'est mis beaucoup en frais pour la réfuter, et ne la rapporte dans ses Annales qu'à ce dessein (Bar. *An.* 992, p. 882-884). Elle avait été déjà imprimée à la suite des actes du concile tenu à Saint-Basle, dans l'édition de Francfort dont on a parlé (*Rem. Conc.*, p. 143-146). Depuis, les PP. Labbe et Cossart lui ont donné place dans leur collection générale des Conciles (*Conc., ib.*, p. 744, 745).

Une autre lettre de Gerbert, qui ne se trouve point dans le recueil de du Chesne, et qui suit de près la précédente, est celle qu'il écrivit à Vildebolde, évêque de Strasbourg (*Rem. Conc.*, p. 113-148). Ce prélat, qui était ami de Gerbert, l'avait prié de l'instruire de sa grande affaire. Gerbert le fit par cette lettre, qui est fort prolixe, et peut-être la plus intéressante de toutes les siennes. Il y discute deux points, l'un historique ou de fait, l'autre dogmatique ou de droit. Après avoir fait l'histoire d'Arnoul, son concurrent, et rapporté ce qui précéda et suivit son ordination, il entreprend de répondre à ce que quelques-uns disaient qu'on avait fait injure au pape en déposant ce prélat sans l'autorité du saint-siége. Gerbert parle ici en canoniste, et traite la matière qui concerne la différence des crimes et l'ordre judiciaire.

Gerbert, en finissant sa lettre (Mart. *am. Coll.* t. I, p. 352), tâche de persuader qu'il n'était pas possible qu'un homme sans naissance, sans biens, étranger dans le pays, tel qu'il était, eût été préféré à tant d'autres qui étaient puissants dans le monde et distingués par leurs grandes alliances, pour remplir le siége de Reims ; qu'il fallait donc que ce fût par une disposition particulière de celui qui élève de la poussière le pauvre, pour le faire asseoir entre les princes de son peuple. Il prie ensuite Vildebolde d'être l'interprète de son innocence et de le justifier auprès du roi et des prélats de sa connaissance des calomnies dont on le chargeait comme ayant usurpé le siége de Reims, et fait prendre Arnoul. Enfin il termine cette longue lettre par se plaindre du triste état dans lequel le procédé de Rome avait jeté l'Eglise Gallicane. « Rome, dit-il, a été regardée jusqu'ici comme la mère de toutes les Eglises. Maintenant elle passe pour donner des malédictions aux gens de bien, et des bénédictions aux méchants. »

Cette lettre, étant fort peu connue, demandait qu'on en donnât une notice suffisante. Du Chesne en avait publié le commencement (t. IV., p. 114), que dom Marlot a fait depuis réimprimer d'après lui (*Hist. Rem.* t. II, l. I, c. 16, p. 51, 52). Dans la suite dom Martène (6), l'ayant trouvée plus ample parmi les papiers de dom Mabillon, l'a insérée dans sa grande Collection (t. I, p. 351, 352) d'anciens monuments, croyant la donner entière. Mais il s'en faut de plus des trois quarts. Ce qu'il en a publié de plus que les deux autres ne contient presque que la fin de la lettre. Encore y manque-t-il les deux ou trois dernières lignes. De sorte qu'on n'a cette rare pièce en entier qu'à la suite des actes du concile de Saint-Basle avec la lettre à Séguin (*Rem. Conc. ib.*).

On a une autre lettre de Gerbert, nouvellement découverte par les soins de dom Bernard Pez (*Anec.* t. III, part. II, p. 81-84), qui l'a trouvée à la suite du traité de géométrie du même auteur, dans le manuscrit de Salzbourg dont on a parlé. C'est une ré-

(6) Cet éditeur renvoie jusqu'en 995 la date de la lettre de Gerbert à Vildebolde; mais il est hors de contestation, qu'elle fut écrite dès 993 au plus tard.

ponse à la difficulté qu'Adalbolde le Scolastique (7) avait proposée à Gerbert, touchant une opération géométrique dont parle Macrobe sur le Songe de Scipion. La lettre est intitulée : *De causa diversitatis arearum in trigono æquilatero, geometrice arithmeticeve expenso.* Gerbert était déjà pape lorsqu'il fit cette réponse, comme il paraît par la lettre d'Adalbolde, qui lui donne tout ensemble les titres de souverain pontife et de philosophe. On ne saurait dire (Montf. *Bib. bib.* p. 24-2. 88-1) si ce qu'annoncent deux manuscrits du Vatican entre ceux de Christine, reine de Suède, sous ce titre vague : *Gerberti ad Adalboldum nonnulla*, contient autre chose que la réponse dont il s'agit ici. Adalbolde, qui passe pour le même que l'évêque d'Utrecht de même nom, n'était point encore élevé à l'épiscopat puisque B Silvestre ne le qualifie point évêque et lui-même ne prend que le titre de Scholastique.

Il y a encore d'autres lettres de Gerbert qui ne sont pas entrées dans les recueils qu'on en a publiés. Mais comme elles ne sont pas de même prix que les précédentes, nous ne ferons que les indiquer simplement. Tel est celle à Théotard, évêque du Puy en Vélai (*Gall. Chr. nov.* t. II, app. p. 226), par laquelle Silvestre confirme son élection et son ordination. Telles sont aussi celles qu'il écrivit à Salla, évêque d'Urgel, et à Odon, évêque de Girone, l'une en date de l'an 1001 et l'autre de l'année suivante (*Marca hisp.* app. p. 957-959). Les PP. Labbe et Cossart en ont publié une autre à Robert, abbé de C Vézelai, en faveur des priviléges de son monastère (*Conc.* t. IX, p. 779-770). Dom Martène (*Ampl. Collect.* t. II, p. 54) de son côté en a donné une autre sous le titre de bulle, adressée à Ravanger, abbé de Stavelo et de Malmedi, pour déclarer ces deux abbayes sous la protection du saint-siége. Silvestre à la tête de celle-ci prend la qualité de pape universel et de vicaire de saint Pierre. Il écrivit aussi à saint Odilon, abbé de Cluni, et à toute sa congrégation pour lever le doute qu'on avait au sujet de quelques ordinations faites par un évêque auparavant moine de Cluni. Cette lettre fait partie du Bullaire du même ordre.

Nous croyons sans difficulté que les deux lettres au pape Jean XV, sous le nom de Hugues Capet, roi C de France, ont été écrites par Gerbert. Ce qui nous le persuade, c'est qu'il est l'auteur d'une autre lettre du même prince aux empereurs Basile et Constantin, laquelle est la cent onzième entre celles de la première classe. D'ailleurs on y reconnaît assez le style de Gerbert. L'une et l'autre se trouvent dans le recueil des Historiens de du Chesne, dans les Annales de Baronius, et la collection générale des Conciles. La première est pour demander justice au souverain pontife contre Arnoul archevêque de Reims. Par la seconde le roi l'invite à venir en France, et lui indique la ville de Grenoble, où les papes et les rois

(7) Nous ignorons sur quel fondement un savant de nos jours (Le Beuf, *ib.*, p. 86) donne à ce scolastique le nom d'Ethelbald et la qualité d'évêque de Wittemberg.

A ses prédécesseurs avaient accoutumé de se voir, afin qu'il pût se mettre plus aisément au fait du différend entre Arnoul et Gerbert. Gerbert était alors en possession du siége de Reims, et par conséquent grand chancelier de Hugues : ce qui confirme le sentiment que ces deux lettres sont de sa façon.

Il est hors de doute que Gerbert, soit en qualité d'archevêque de Reims ou de Ravenne, ou en celle de souverain pontife, ou même à titre de savant, avant que d'être élevé à toutes ces dignités, écrivit plusieurs autres lettres qui sont encore ou ensevelies dans l'obscurité ou entièrement perdues. On n'a point publié nommément celle qu'il adresse à Constantin de Fleuri, et dans laquelle il le qualifie son *Théophile*, comme il a été dit plus haut. On ne voit point non plus paraître celle qu'il écrivit aux suffragants de Sens en faveur de Léoteric, leur métropolitain, en la place de qui le comte Fromond voulait faire ordonner Brunon son propre fils (*Spic.* t. II, p. 737-738).

21° Quant aux bulles de notre pape, elles rentrent dans la classe de ses lettres; et nous n'en connaissons point d'autres que celles dont on vient de faire mention dans l'article précédent. Seulement nous ajouterons ici qu'Oldoïni (*Rom. pont. Vit.* t. I, p. 757) lui en attribue une qu'il dit être admirable, pour l'établissement de la commémoration des fidèles défunts au lendemain de la fête de tous les Saints. On sait que cette pieuse cérémonie fixée à ce jour, doit son origine à saint Odilon, abbé de Cluni, qui l'institua, comme l'on croit, en l'année 998 (Mab. *An.* l. LI, n. 85). Le pape Silvestre pourrait fort bien avoir donné une bulle, pour la confirmation de ce saint établissement. Mais on ne la voit paraître nulle part; et si elle existait encore manuscrite à Rome du temps d'Oldoïni, comment l'a-t-on oubliée dans le nouvel et très-ample recueil des bulles des papes qui a paru en 1692? On le commence en effet par celles de Léon IX; et il n'y en a aucune de Silvestre II ni des pontifes précédents.

22° On doit naturellement compter entre les écrits de Gerbert ce qui nous reste des actes des conciles qu'il a assemblés et auxquels il a présidé soit comme métropolitain ou comme pape. Mais ce qui en est venu jusqu'à nous se réduit à peu de chose. De tous ceux qu'il tint pendant qu'il gouverna l'Eglise de Reims, on ne nous a rien conservé de ce qui s'y fit que ce qu'on en trouve dans le recueil de ses lettres. La quarantième de la seconde classe, par exemple, contient une monition faite en concile contre ceux qui envahissaient les biens des églises; et c'est en conséquence qu'on l'a fait entrer dans la Collection générale des conciles (*Conc.* t. IX, p. 740). On la croit de l'année 993. Ce qu'on a du concile de Mouson, qui se tint en 995 par ordre de l'abbé Léon, légat du pape, consiste particulièrement dans le dis-

cours qu'y prononça Gerbert, et dont nous avons rendu compte ailleurs.

Il en convoqua lui-même un autre dès qu'il fut sur le siége de Ravenne (*Conc. ibid.* p. 766). On assigne pour date à ce concile l'année 997 ; mais il est hors de contestation qu'il appartient à l'année suivante, comme nous l'avons déjà montré, en fixant le temps auquel Gerbert monta sur le siége de cette église. A ce concile se trouvèrent presque tous les suffragants, avec les prêtres et les diacres de Ravenne. On nous a conservé les règlements qui y furent faits, divisés en trois articles, auxquels divers bibliographes (*Ugh.* t. II, p. 351, 352) dans le catalogue des écrits de Gerbert donnent le titre *De celebratione concilii*, comme s'il s'agissait d'un traité sur la manière d'assembler et de tenir un concile.

On a des preuves que Gerbert en assembla plusieurs pendant les quatre ans et quelques semaines qu'il remplit le siége (*Conc. ib.*, p. 124; *Gerb. ep.* part. II, ep. 54). Mais on n'a point été soigneux de nous en conserver les actes. Il y en avait cependant autrefois de fort détaillés des conciles tenus au sujet du différend entre Villigise, archevêque de Mayence, et S. Bernoüard, évêque d'Hildesheim, à l'occasion de l'abbaye de Gandersheim. Nous en jugeons ainsi sur ce que le prêtre Tangmar en a inséré dans la Vie de S. Bernoüard son évêque. A cela près, il ne nous reste de tous les autres conciles que l'acte en faveur de l'immunité de l'abbaye de Saint-Pierre à Pérouse, qui est de l'an 1002) *Conc, ib.*, p. 1246-1248).

23° Abraham Bzovius, qui a fait une histoire assez singulière de Gerbert a aussi publié sous son nom, comme un ouvrage incontestablement de lui, la Vie de S. Adalbert, évêque de Prague et martyr. Elle a été imprimée à Rome avec les caractères de la chambre apostolique, l'an 1629, en un volume in-4°, et depuis, la plupart des bibliographes n'ont pas fait difficulté de la compter au nombre des écrits de Gerbert. Il n'est pas jusqu'à M. Cave qui n'ait suivi cette opinion, et M. Oléarius d'après lui. (*Rom. pont. ib.*; Jacob. *Bib. pont.*, p. 214; Olear. *Bib.*, part. II, p. 181; Cave, p. 512).

A Cependant de très-habiles critiques (Boll. 23 apr. p. 176, n. 9; Mab. *ib.*, t. VII, p. 847, n. 3) ont montré que c'est une erreur insoutenable. L'ouvrage appartient à un moine anonyme du monastère de Saint-Boniface et Saint-Alexis de Rome, et notre pape n'y a d'autre part que d'avoir peut-être engagé l'auteur à l'entreprendre. Assurément, M. Basnage n'est pas fondé à faire une espèce de procès littéraire à ces critiques, sur ce qu'ils ont avancé que Bzovius avait publié la Vie dont il est question comme un écrit de Silvestre (Canis. *B.* t. III, p. 44, n. 2). Il prétend au contraire que cet éditeur dit seulement qu'elle a été exactement écrite par un des amis de saint Adalbert. Que nos lecteurs en soient eux-mêmes les juges. Voici un des titres que Bzovius

B a mis à la tête de l'ouvrage : *Passio S. Adalberti, episcopi et martyris, edita a domino Silvestro papa urbis Romæ.* Peut-on attribuer plus disertement quelque ouvrage à un auteur? Le premier titre au frontispice du volume, qui a peut-être donné occasion à l'erreur où est tombé M. Basnage, pour ne l'avoir pas lu en entier, n'est toutefois ni moins clair, ni moins expressif. Nous en copions ce qui fait à notre dessein. *S. Adalberti..... Vita et passio, ab ejus synchrono et familiari Silvestro II P. M. edita.* Quand on entreprend de censurer l'opinion d'un autre, il faudrait être plus assuré de ce qu'on allègue pour la combattre.

24° Oldoïni (*Rom. pont. ib.*, p. 757) a aussi tâché de transporter à notre pape l'honneur d'avoir com-

C posé la Vie de l'impératrice sainte Adélaïde, comme étant parfaitement au fait de son histoire. Nous avons diverses éditions de cet ouvrage, à la fin duquel se lisent une hymne, une collecte avec d'autres oraisons pour la messe et l'office de cette sainte, tel que nous le représente ici ce supplém. de Ciaconius. Mais bien loin qu'aucune de ces éditions porte le nom de Gerbert ou de Silvestre, l'épître dédicatoire qui est à la tête d'une de ces éditions (*Clun. bib.* p. 353) montre visiblement que cette Vie est une des productions de la plume de saint Odilon, abbé de Cluni, à qui tous les savants de nos jours conviennent qu'elle appartient.

GERBERTI

POSTMODUM

SILVESTRI PAPÆ II

OPERUM PARS PRIMA.

DE DISCIPLINIS MATHEMATICIS.

LIBELLUS

DE NUMERORUM DIVISIONE

Hucusque inter opuscula spuria Venerabilis Bedæ (Opp. tom. I, col. 681) relegatus, nunc primum suo auctori restitutus et recensitus ad fidem codicis Scaligerani XXVIII, in bibliotheca Lugd. Batav. asservati.

(E Schedis D. Pitra.)

PRÆFATIO.

Constantino suo Gerbertus scolasticus S. [1].

Vis amicitiæ pene impossibilia redigit ad possibilia. Nam quomodo rationes numerorum abaci explicare contenderemus, nisi te adhortante, o mi dulce solamen laborum, Constantine? Itaque cum aliquot lustra jam transierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerum habuerimus, quædam, repetita memoria, eisdem verbis proferimus, quædam eisdem sententiis. Nec putet philosophus sine litteris hæc alicui arti vel sibi esse contraria. Quid enim dicet esse digitos, articulos, minuta, qui auditor majorum fore dedignatur. Vult tamen videri solus scire, quod mecum ignorat, ut ait Flaccus. Quid cum idem numerus modo simplex, modo compositus : nunc digitus, nunc constituatur ut articulus? Habes ergo, talium diligens investigator, viam rationis, brevem quidem verbis, sed prolixam sententiis, et ad collectionem intervallorum et distributionem in actualibus geometrici radii secundum inclinationem et erectionem, et in speculationibus et actualibus simul dimensionis cœli et terræ plena fide comparatam.

[1] Edit., *Ad Constantinum suum.* Cætera desunt.

Cap. I. *De singulari numero* [2].

Si multiplicaveris singularem, [dabis unicuique [3]] digito duntaxat usque ad ternos, vel articulo quinquies binos. Deinceps pones digitos in singularibus et articulos in decenis, directe scilicet et conversim singularem per decenum, dabis unicuique digito decem, et omni articulo centum.

Si singularem per centenum, dabis unicuique digito centum, et articulo mille.

Si singularem per millenum, dabis digito mille, et articulo decem millia.

Si singularem per decenum millenum, dabis digito decem millia, et articulo centum millia.

Si singularem per centenum millenum, dabis digito centum millia, et articulo mille millia.

[Cap. II. *De Deceno* [4]].

Si decenum per decenum, dabis digito centum, et articulo mille.

Si decenum per centenum, dabis digito mille, et articulo decem millia.

[2] Edit., *de simplici. — Si multiplicaveris singularem numerum per singularem, dabis unicuique digito singularem, et omni articulo decem, directe scilicet et conversim. Si singularem per decenum, dabis unicuique digito decem*, etc.

[3] Addimus ex editis.

[4] Hujusce capitis et sequentis titulus deest in codice.

Si decenum per millenum, dabis digito decem millia, et articulo centum millia.

Si decenum per decenum millenum, dabis digito centum millia, et articulo mille millia.

Si decenum per centenum millenum, dabis digito mille millia, et etiam unicuique articulo decies mille millia.

[Cap. III. *De Centeno* [4]].

Si centenum per centenum, dabis digito decem millia, et articulo centies mille millia [5].

Si centenum per millenum, dabis digito centum millia, et articulo decies centena millia.

Si centenum per decenum millenum, dabis digito mille millia, et articulo decies mille millia.

Si centenum per centenum millenum, dabis digito decies mille millia, et articulo centies mille millia.

Cap. IV. *De Milleno* [6].

Si millenum per millenum, dabis digito decies centena millia, et articulo decies mille millia.

Si millenum per decenum millenum, dabis digito decies mille millia, et articulo centies mille millia.

Si millenum per centenum millenum, dabis digito centies mille millia, et articulo centies millies mille millia

Cap. V. *De Deceno milleno* [7]

Si decenum millenum per decenum millenum, dabis digito mille millia, et articulo centies mille millia [8].

Si decenum millenum per centenum millenum, dabis digito millies mille millia [9], et articulo decies millies mille millia.

Cap. VI. *Centeno milleno* [9].

Si centenum millenum per centenum millenum, dabis digito decies millies mille millia, et articulo centies millies mille millia.

Quomodo dividatur singularis per singularem, vel centenus per centenum, vel millenus per millenum.

In partitione numerorum abaci [10], sicut se habent singulares ad singulares, sic quodammodo habent se decem ad decenos, centeni ad centenos, milleni ad millenos, hoc modo :

Si volueris dividere singulares per singulares, vel decenum per decenum, vel centenum per centenum, vel millenum per millenum, secundum denominationem eorum singulares singularibus subtrahes.

Cap. VII.

Quomodo singulares sua quantitate metiantur decenos, centenos, millenos.

In partitione numerorum a sic se habent singulares ad decenos et centenos et millenos, sic se habent deceni [11] ad centenos et millenos, et centeni ad millenos, et milleni ad ultra se compositos decenos millenos, et centenos millenos, hoc modo : Si volueris per singularem numerum dividere decenum aut centenum, aut millenum, vel simul vel intermisse, dividere differentiam a singulari [12] ad decenum, per integram denominationem dividendi multiplicabis, et articulos quidem propria denominatione et posita differentia diminues, digitos vero digitis aggregabis : et si articuli provenient ut supra, diminues usque ad solos digitos, et millenus [13] quidem habebit articulos in millenis, digitos [14] in centenis, digitos in decenis; decenus articulos in decenis, digitos in singularibus.

Cap. VIII.

Quomodo metiatur decenus centenum aut millenum, vel centenum millenum, vel millenum et ulteriores.

Si volueris per decenum numerum dividere centenum vel millenum, aut per centenum millenum vel ulteriores, aut per millenum sequentes, differentiam divisoris quasi singularis ad decenum, per integram denominationem dividendi multiplicabis, id est per vocabula singularis, ac decem articulos ac digitos diminues usque ad extremum divisorem, sicut fiebat in singularibus quemlibet numerum dividentibus.

Cap. IX.

Quomodo singulares cuncti decenis metiantur decenos centenos, millenos, vel simul dividendos [15], *vel intermisse.*

Si volueris per compositum decenum cum singulari dividere, vel simplicem decenum vel cum singulari compositum, considera quotam partem divisoris teneat singularis; nam secundus singularis habet rationem ad secundas dividendi, tertius ad tertias, quartus ad quartas, quintus ad quintas, et deinceps, id est differentia a singulari divisoris ad decenum multiplicabitur per denominationem secundarum, tertiarum, quartarum; quod vero exsuperat secundas, tertias, quartas, quintas aggregabis; et si multipliciores sunt divisore, eadem regula diminuentur : similiter vero et singulares compositi ad dividendum aggregabuntur. Et in centenis et millenis idem facies, nisi quod unum centenum vel millenum in cæteros dissipabis, quod in uno non evenit deceno, et articuli quidem ab uno centeno vel milleno secundabuntur, a pluribus dividendorum obtinebunt sedes.

Cap. X.

Item alia divisio centeni vel milleni, et deinceps per eosdem divisores.

Si volueris dividere centenum vel millenum, et deinceps, per decenum cum singulari compositum, primum centenum veluti supra divides, sumpta dif-

[4] Edit., *de centeno.*
[5] Edit., *et articulo centum millia.*
[6] Edit., *de milleno.*
[7] Edit., *de deceno milleno.*
[8] Edit., *digito centies mille millia et articulo millies mille millia.*
[9] Edit., *de centeno milleno.*
[10] Edit., addunt *Abaci*, et legunt *dicat* pro *sic.*
[11] Edit., *sic habent se decem ad centenos.*
[12] Edit., *intermisse, differentiam divisionis a singulari.*
[13] Cod. Scal., *et millenos quidem.*
[14] Cod. Scal., *digiti.*
[15] Editi om. *dividendos.*

ferentia divisoris a singulari ad decenum: et quod superaverit, per denominationem propositi centeni multiplicabis: et si singularis centeno [16] ad compositionem additur: aut decenus cum singulari, diminues vel aggregabis (quemadmodum superius dictum est) in decenis et singularibus: et primi quidem articuli sunt in summa dividendis proxima ac minore: augmentati vero in articulos alios, dividendorum obtinent sedes.

Cap. XI.

Quomodo deceni [17] juncti centenis, vel centeni millenis metiantur centenos aut millenos aut ulteriores.

Si volueris per compositum centenum cum deceno, vel compositum millenum cum centeno dividere, aut centenum, aut millenum: considera quotam partem divisoris teneat decenus, vel ce tenus [18], vel millenus, et per denominationem earum partium multiplica differentiam divisoris, sicut faciebas in singularibus junctis cum decenis.

Cap XII.

Item alia divisio centeni vel milleni, et deinceps per eosdem compositos divisores vel simplices [19].

Si volueris dividere centenum vel millenum per decenum, aut millenum per centenum, sumes differentiam divisoris, secundum rationem singularium ad decenum, et multiplicabis. Aut per totam denominationem dividendi, si simplex decenus, vel centenus divisor est, vel per secundas, vel per tertias, vel per quartas, vel per quintas, si compositus est; habita videlicet ratione, quam partem compositi divisoris teneat decenus vel centenus.

Cap. XIII.

Quomodo, uno medio numerorum intermisso, juncti duo extremi cæteros metiantur.

Si volueris dividere centenum vel millenum per compositum centenum vel millenum, uno intermisso, unum dividendorum sumes ad minuta componenda, et maximum divisorem reliquæ parti comparabis. Et si quid abundaverit, relinquendis repones. Minutum autem per denominationem ejus per quem divisor coæquatur, dividendo multiplicabis. Et in digitis quidem perfecta ponetur differentia. Ante articulos vero, altera differentia, uno minus, quasi rationem habens ad juxta positos, cum sunt digiti et articuli. Nam solus articulus [id est sine digitis [20]] integram proponit sibi differentiam digiti sive solus sit integram supponit [21]: et tum cum solus est digitus, vel cum articulo semper ei qui ad minuta componenda seclusus est, differentia integra secundabitur. Et hæ quidem differentiæ, et si quis forte a maximo divisore seclusus est, significabunt quod relinquitur ex dividendis.

[16] Edit., *singulariter centeno.*
[17] Edit., *decem.*
[18] Edit., *quingenus vel centenus.*
[19] Edit., *dirisores et simplices.*
[20] Deest in cod.
[21] Edit., *differentiam. Solus digitus integram supponit.*

Cap. XIV.

Quomodo centenus cum singulari metiatur millenum et ulteriores, vel millenus cum decenis decenos millenos et ulteriores.

Si volueris dividere millenum vel ulteriores per centenum cum singulari compositum, unum millenum in centenos dissipabis. Et rursus unum centenum ad minuta componenda secludes, et maximum divisorem reliquæ parti comparabis. Et si quid secludetur, relinquendis repones. Minutum autem, ut in superiori capitulo multiplicabis, reliquaque omnia vel quæ secluduntur, vel quæ pro differentiis adhibentur, ordinabis. Rursusque easdem differentias, ac si qui forte seclusi sunt, per denominationem propositi dividendi multiplicabis. Ac iterum eadem regula deduces usque ad extremas differentias, et in millenis divisoribus cum decenis, ad decenos millenos et ulteriores, quasi eamdem ipsam rationem servabis.

Cap. XV.

Quot divisores sint in quolibet dividendo.

Si volueris nosse quot divisores sint in quolibet dividendo, articulos a quibus denominationes fiunt multiplicationis secundabis ad digitos, et si augmento eorum articuli provenient, reflectes ad articulos; et si in singularibus pares divisoribus provenerint, totidem unitates collectionibus aggregabis. Igitur et in denominationibus a toto et a partibus quæ sunt a secundis et tertiis et quartis, et deinceps secundum eamdem rationem pro extremo divisore unitatem constitues. Et sicut in centenis et millenis, quod ab uno exsuperat, per denominationem totius summæ multiplicatur, sic: [22] divisores, per denominationem totius dividendi multiplicabuntur. Sed non ipsis tantummodo centenis et millenis, simplex decenus [23] divisor centeni vel milleni, et ultra compositorum denominationes mittit ad tertias, id est [24] ad tertium locum ab eo quem dividit, scilicet in colligendis divisoribus. Centenus [25] milleni divisor ad quartas, millenus ad quintas, centenus vel millenus divisores sui, et compositi, uno relicto, denominationes suas mittunt ad extremos digitos.

Cap. XVI.

De protensione quarumdam mensurarum terræ.

Digitus est minima pars agrestium mensurarum.
Uncia habet digitos tres.
Palmus in quatuor protenditur digitos.
Pedem sedecim metiuntur digiti.
Passus quinque pedum mensuram sortitur.
Pertica duos passus, videlicet decem pedes explicat [26].

[22] Edit., *multiplicatur: sic.*
[23] Edit. *Sed non ipsis tantummodo centenis et millenis simplex decenus.*
[24] Edit., *idem.*
[25] Edit., *divisoribus centenus vel millenus. divisores sui.*
[26] Edit., *explicit.*

Passus centum et viginti quinque stadium absolvunt.

Stadia octo milliarium præstant.

Mille passus, id est milliarium et dimidium, leucam faciunt, habentem passus mille et quingentos.

Duæ leugæ [97], sive milliaria tria, restam efficiunt.

Quidam leucam, pro leuva legunt.

Ambitus totius terræ ducentorum quinquaginta duorum millium stadiorum absolvitur, quæ faciunt leuvas Gallorum viginti et unam, per duodecim divisis eisdem stadiis; milliaria triginta unum et quingenta : per quinquaginta in divisis eisdem stadiis. Passus tricies et semel, mille millia et quingentos pedes (centies vicies et quinquies, multiplicatis eisdem stadiis); centies quinquagies et septies mille (passibus) millia et quingentas uncias (quinquies multiplicatis) millies octingenties (pedibus, nonagies mille millia (duodecies multiplicatis) mille millia. Digitos quinque millia, sex centies septuagesies et unum mille; unciæ per tres multiplicatæ.

[97] Edit., *leuvæ*.

Reliqua desunt in ms.

R. P. BERNARDI PEZII

IN OPUSCULUM SUBSEQUENS ADMONITIO

(*Thesaurus Anecdotorum novissimus*, Præfat. ad tom. III.)

Gerbertum, postea Sylvestrum eo nomine secundum, non solum theologicis et philosophicis, sed etiam mathematicis disciplinis excultissimum fuisse, tum veteres tum recentiores scriptores tradunt : estque constan apud viros eruditos sententia, ideo unice apud quosdam Gerbertum in magiæ suspicionem venisse, quod mathematicas disciplinas cum liberalibus artibus ita calluerit, ut eas pene mortuas in Gallia ressuscitarit. Sed ridiculam eam esse fabulam demonstrat vel solum ejus epitaphium a Sergio IV, successore Sylvestri, conditum, et ab Anonymo Zwetlensi, tom. I, p. III, in Historia Romanorum pontificum multo emendatius relatum quam apud Baronium et Papebrochium exstet. Porro quam certa hactenus Gerberti laus in mathematicis fuit, tam pauca ejus rei specimina in lucem prolata sunt. Solus Mabillonius tom. II Analectorum, pag. 212, *Gerberti scholastici epistolam ad Constantinum monachum de Sphæræ constructione* publicavit, quam cur. Guil. Cave ac eum secutus G. Olearius tom. II Bibliothecæ Script. eccles., pag. 181, cum brevissima sit, *librum de Sphæra* vocent, nulla ratio est. Mabillonius in adnotatione ad laudatam Gerberti epistolam monet ejusdem *Geometriam et Rhythmomachiam* in bibliothecæ Thuaneæ ms. codice, signato num. 285, exstare, unde codex in bibliothecam Colbertinam commigravit, ut nos docet Casimirus Oudinus in Supplem. Bellarm., pag. 313, qui etiam advertit, *Rhythmomachiæ vetustum librum editum cum quatuor libris, idiomate suo Germanico de Lusu Schaccorum, Lipsiæ anno* 1616 *in fol. a serenissimo duce Bruswicensi et Luneburgensi, sub nomine Gustavi Seleni, quæ editio rara hodie habeatur.* Caveus Hist. Litt. pag. 512, edit. Genev., Gerberti de Geometria librum ms. olim in bibliotheca quoque Farnesiana exstitisse commemorat. Alium nos eumque sexcentorum circiter annorum manu exaratum codicem, Gerberti Geometriam complexum in bibliotheca Petrensi Salisburgi reperimus, unde domum reversis reverendissimus et perillustris dominus celeberrimi Petrensis monasterii abbas, Placidus, eumdem benignissime communicavit. In eo codice textum Gerberti, nulla capitum divisione insignem, passim anonymi notulæ in margine comitabantur, ex quibus eas duntaxat ad editionem nostram adhibuimus quæ vetustis geometricarum mensurarum notis, nostræ ætatis penitus ignotis et singulari cura, ut in codice descriptæ erant, hic in ligno incisis, aliquam lucem conciliarent. Cæterum textus non uno loco corruptus est, nec schemata geometrica ubique satis exacta. Verum a codicis nostri fide recedere nefas nobis esse duximus. Restituant male affecta loca, quibus Colbertinum aliosque manuscriptos codices fortuna obtulerit. Interim vel ex hoc Gerberti libro de Geometria satis intelligi potest disciplinas mathematicas aliasque egregias artes sæculo x nequaquam adeo jacuisse, ut quidam recentiores scriptores finxerunt. Forte non adeo multi vel nostro politissimo sæculo de Geometria Gerberto elegantius, brevius et apertius commentati sunt. Sed nobis comparationes temporum et hominum hic instituere propositum non est.

INCIPIT PROLOGUS IN GEOMETRIAM GERBERTI.

(Apud R. P. Bernardum Pezium, *Thes. Anecd. noviss.*, tom. III, part. II, pag. 5.)

In quatuor matheseos ordine disciplinarum tertium post arithmeticæ musicæque tractatum geometrica speculatio naturaliter obtinet locum. Cujus videlicet ordinis ratio, quia in ipsis arithmeticæ institutionis principiis a doctissimo et disertissimo liberalium artium tractatore Boetio satis inculenta datur, a nostris melius fatuitate, utpote nota, reticetur. Hæc vero disciplina, ut simplicibus loquar, a terræ mensura Græcum nomen accepit : γῆ enim, Græca lingua, *terra*, μέτρον *mensura* dicitur.

Hujus inventores primi traduntur Ægyptii, qui propter Nili fluminis eluvionem, agrorum limites inundatione sui sæpius confundentis, talis solertiam artis excogitavere, cujus exercitatione sui quisque

quantitatem agelli facilius a continenti posset secernere. Sed quamvis ad dimensionis terræ utilitatem primitus inventa vocabulumque inde sortita sit, a posterioribus tamen, rationem ejus diligentius investigantibus, ad alia quoque nonnulla, quæ vel cognitu utilia, vel exercitio jocunda videbantur, speculatio ejus accommodata est. Cui etiam talem quidam diffinitionis terminum aptavere : Geometria est disciplina magnitudinis et formarum, quæ secundum magnitudinem contemplantur. Potest quoque et ita, ni fallor, aliquo modo diffiniri : Geometria est magnitudinum rationabilium propositarum ratione vestigata probabilis dimensionis scientia.

Utilitas vero disciplinæ hujus omnibus sapientiæ A amatoribus quam maxima est. Nam et ad animi ingeniique vires exercitandas intuitumque exacuendum subtilissima, et ad plurima certa veraque ratione vestiganda, quæ multis miranda et inopinabilia videntur, jocundissima, atque ad miram naturæ vim, Creatoris omnia in numero et mensura et pondere disponentis (*Sap.* XI, 21) potentiam et ineffabilem sapientiam contemplandam, admirandam, et laudandam, subtilium speculationum plenissima est. De cujus ratione et regulis aliqua pro ingenioli nostri facultatula undecunque collecturi, ut ordinatius ingredientis animum ad subtiliora deducamus, ab ipsius artis elementis, quem terminum dicunt, exordium sumamus.

Explicit Prologus

INCIPIT

GEOMETRIA GERBERTI.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit corpus solidum? Quid linea, punctum, superficies? Quid pes solidus, constratus, etc.?

Artis hujus initia et quasi elementa videntur punctum, linea, superficies, atque soliditas. De quibus cum sæpe Boetius aliique tam sæcularis quam divinæ tractatores litteraturæ in plurimis scriptorum suorum locis satis superque disputent, tum beatus et eloquentissimus Ecclesiæ doctor, Augustinus, in nonnullis libris suis, et præcipue in eo qui De quantitate animæ inscribitur, copiose disserit : Ubi etiam tantis oculum corporearum rerum imaginationibus obtusum per talium artium exercitia ad spiritalia veraque utcunque contemplanda non modicum purgari et exacui ostendit. Sed prudentibus. si qui hoc forte vel aspicere dignati fuerint, tædiosum non sit, si a solido corpore, quod communi hominum sensui notius est, præpostero incipiens ordine simplicioribus, quid hæc singula sint paucis tentabo monstrare.

Solidum corpus est quidquid tribus intervallis seu dimensionibus porrigitur, id est, quidquid longitudine, latitudine altitudineque distenditur, sicuti est quidquid visu tactuve comprehendi potest, ut hæc præsens, in qua scribo, tabella. Hoc autem Græce *stereon* dicitur. Hujus autem termini seu super obducta planities *superficiei* apud nos nomen accepit, Græce autem epiphaniæ. Quæ ita intellectu capienda est, ut nihil sibi altitudinis, id est, crassitudinis usurpet, sed tantum longitudine latitudineque contenta se dilatat. Nam si his altitudinem adjicis, jam non superficies, sed corporis pars, atque ideo solidum corpus erit.

Superficiei vero extremitas sive terminus *linea*, B seu Græce *gramma* est. Quam ita mente percipias oportet, ut latitudinis expers solius longitudinis se rigore producat, ne latitudine addita jam non linea, sed superficies sit. *Lineæ* autem principium et extremitatem *punctum* determinat, quod ita se intelligibili ratione coarctat, ut *lineæ* tantummodo finis existens nullam in eo partis aut alicujus omnino magnitudinis quantitatem obtineat. Itaque ut singula juxta prædictam rationem diffiniam : *Punctum* est parvissimum et indivisibile signum. Quod Græce *simion* dicitur. Hoc vice unitatis, quæ est numerorum omnium principium, nec tamen ipsa numerus, omnium origo est mensurarum; ipsum tamen nullius mensuræ aut magnitudinis capax. *Linea* est longitudo sine latitudine, hæcque solum in lon- C gitudine sui sectionem admittit. *Superficies* est latitudo sine altitudine. Hæc et superficies in rerum natura subsistere nequeunt præter corpora, mente tamen intelliguntur incorporalia, et quasi præter corpora esse suum habentia. *Soliditas* vero supra diffinita in solidis manens corporibus, sensibus etiam comprehendi valet, eaque omnifariis et in longitudine ac latitudine, nec non etiam et altitudine sectionibus subjacet. Atque hæc interim simplicioribus de præfatis rebus ratiuncula data sufficiet. Doctiores siquidem de talibus sufficientius alias instructos diutius in his detineri non oportet.


Itaque per prædictas tres solidi corporis dimensiones quæcunque rationabiliter metienda proponuntur, geometricali theoremate ducatus rationis mensurantur. Aut enim *longitudo*, aut *latitudo*, aut D certe *crassitudo*, quæ consueto nomine *altitudo* a geometricis vocatur, metiendo indagatur. *Longitudo*, ut in lineis aliquam figuræ agrive aream includen-

tibus, ut in itinerum spatiis, ut in arborum ædificiorumque sublimitatibus, ut in fluminum, curtium aliarumve rerum lineari in directum proposita usque ad certum terminum mensuratione, quæ videlicet *linearis mensura* vocatur. *Latitudo* vero, ut in areæ ipsius vel planitiei, quæ linearum certis includitur terminis, quantitate *constrata* vel *plana* dicitur mensura, et Græce *epipeda* dicitur. *Altitudo* autem ut crassitudine vel spissitudine quarumdam certæ mensuræ structurarum; seu capacitate diffinitæ quantitatis vasorum : quæ *mensura solida* vocatur. Atque hinc est, quod mensuras quasdam utpote *pedes* nunc *lineares*, nunc *constratos*, nunc vero *solidos* vocitare solemus.


Linearis pes, per quem lineas vel longitudinem aliquam metimur nihil interim de altitudine et latitudine curantes, et est talis. — *Constratus* pes sive planus, per quem superficies sive planities, seu area lineis circumsepta mensurata, et est in longitudine et latitudine æqualis et quadratus, sed altitudine carens ita □. *Solidus* autem est longitudine, latitudine altitudine æqualiter distans et quadratus, per quem solida metiuntur corpora, formam videlicet cubi seu tesseræ retinens, qui in planitiei quidem æqualitate non potest aperte figurari, sed vel mente intelligi, vel cera, vel ligno, aliave ejusmodi materia facile valet formari, quamvis Calcidius Timeum Platonis exponens solidum in plano corpus figuratum utrumque descripserit.

Aliæ etiam, de quibus paulo post dicemus, mensuræ trifaria, ut de pede jam dictum est, distinguentur ratione. Aut enim et ipsæ lineares, aut constratæ, aut solidæ intelliguntur. Sciendum autem magnopere est quod per lineares mensuras constratæ investigandæ sunt. Si enim lineares in se vel inter se multiplicentur, constratæ nascentur. Et si constratas itidem per lineares multiplices, solidas invenies.

Quod ut facile clarescat, exempli causa linea vice pedis linearis in longum ducatur, eaque in quatuor lineares palmos hoc modo secetur ⊔⊔⊔⊔. Illic ergo linearis pes si latitudine ejusdem quantitatis addita in quadrum æqualiter describatur, constratus hujusmodi informatur :



Si ergo quatuor lineares palmos longitudinis per totidem, qui in latitudine notantur, hoc est, quatuor per quaternos multiplices, in constrati nimirum pedis planitie, sedecim palmos constratos hoc modo invenies :



Quod si item eumdem pedem solidum efficiens parem longitudini latitudinique ei altitudinem superimponis, hicque per quatuor lineares super adjectæ altitudinis palmos sedecim planitiei constratos multiplices, in solido nimirum pede, sexaginta quatuor solidos palmos reperies, quod a quolibet poterit facilius intelligi quam in palmo describi. Sic itaque linearis pes lineares palmos quatuor, constratus sedecim constratos, solitus sexaginta quatuor solidos palmos recipit, eademque in cæteris mensuris ratio multiplicationis juxta cujusque quantitatem observetur.

CAPUT II.

De vocabulis et quantitate mensurarum ab antiquis inventarum.

Mensurarum autem vocabula ab antiquis inventa, et in usu posterorum hactenus reservata, ferme hæc sunt : digitus, uncia, palmus, sextaque; quæ et dodrans, pes, laterculus, cubitus, gradus, passus, pertica; quæ et decempeda, actus minimus, clima, porca, actus quadratus; qui et agripennus, seu aripennus, jugerum, seu juger, vel jugus, centuria, stadium, milliarium, leuca. Quorum quantitas singulorum primum juxta lineares mensuras videatur, ut postmodum ad constratas solidasque commodius traducatur.

Digitus est minima qua in agris metiendis antiqui utebantur mensura, continens hordei quatuor grana, in longitudinem scilicet continuatim disposita. Non autem quorumcunque hominum digitos, qui utique multum dispares sunt, passim accipias oportet, sed spatium quod latitudo digiti alicujus mediocris illius temporis hominum transversim occupabat, pro longitudine certa geometricalis digiti uniformiter teneas. Idemque de palmo, pede, cubito, et cæteris ejusmodi faciendum est.

Uncia, juxta antiquiores tres, digitos recipit. Sed quia cujuslibet rei duodecima pars uncia dicitur, posteriores unum tantum digitum et tertiam digiti partem unciæ deputavere, ut pedis, qui sedecim digitis constat, pars duodecima possit existere. Nam as et triens 16 sunt.

Palmus autem, quarta pars pedis, quatuor digitos recipit, uncias autem tres. Dictus autem *palmus* a *palma*, id est, a manu extensa, quæ quatuor digitis constat.

Sexta, quæ et *dodrans*, habet digitos duodecim, uncias novem, palmos tres. Dictus autem *dodrans*, quod ab integro pede dempto quadrante constet.

Pes continet digitos sedecim, uncias duodecim, palmos quatuor, sextam unam, tertiam ejus; cujus mensura in quibuslibet metiendis usitatior est.

Laterculus non in sola longitudine, ut superiores, accipi potest, sed ei latitudo etiam est, ut constratus fiat, habetque in latitudine pedem unum, in longitudine quoque pedem unum et deuncem ejus, in lato uncias duodecim, in longo viginti tres; hicque in tota area sua habet uncias constratas 276. Dictus autem laterculus diminutive a *latere*, id est tegula, quia hujus mensuræ ad tegenda seu consternenda ædificia fieri solebat.

Cubitus recipit pedem unum et semissem, sextas duas, palmos sex, uncias 18, digitos 24. Hic etiam in quibusdam locis pro statura hominum recipitur.

Gradus recipit cubitos 2, pedes 3, sextas 4, palmos 12, uncias 36, digitos 48. Dictus, quod gradientes homines sæpius tantum spatii alternatim metiantur.

Passus continet gradum unum et ⸸ (*Vetus Glossa in cod. exponit* bissem; *alias* ⸸ est dodrans) cubitos 3 et ⸸ (*Eadem Glossa*, trientem) pedes quinque, sextas 6 et ⸸, palmos 20, uncias 60, digitos 80. Hujus in itinerum spatiis maximus usus est metiendis. Dictus passus a *patendo* videtur, pro eo quod patentibus intercapedine quinque pedum cruribus figuratur : unde et *passi crines* dicuntur.

Pertica, quæ et *decempeda*, continet passus 2, gradus 3 et trientem, cubitos 6 et bissem, pedes 10, sextas 15 et ⸸, palmos 40, uncias 120, digitos 160. Dicta pertica quasi *portica* a portando scilicet. Manu namque mensoris ad agros dimetiendos virga mensuralis portatur.

Actus minimus in quantitate tantum superficiei agrorum consideratur, habetque in lato pedes 4, in longo 140. Qui invicem ducti, id est, quater 140, in tota agri superficie constratos pedes 560 ostendunt. Ductus autem ab *agendo* rurali opere videtur.

Clima, eodem modo agri quantitatem designans, habet et in longo et in lato pedes 60. Qui invicem ducti 1600 pedes constratos complent.

Porta, nihilhominus agri mensuram indicans, in longitudine 80, in latitudine 30 pedes habet. Qui invicem ducti 2400 indicant constratos.

Actus quadratus, qui et *agripennus* seu *aripennus* dicitur, quo agri modum discriminamus, per singula quatuor latera perticas 12, id est, pedes 120 recipit. Qui in se ducti 144 perticas constratas, pedesque ejusmodi constratos 14400 in agripenno demonstrant.

Jugerum seu *juger*, seu *jugus*, quod junctis duobus aripennis confit, indeque ab *jungendo* nomen accipit, quantitatem itidem agri... niens, habet in longitudine perticas 24, id est pedes 240; in latitudine perticas 12, id est 120 pedes. Qua latitudine per longitudinem ducta in superficie jugeri perticas constratas 288, pedes vero 28800 invenies. Hujus quartam partem *tabulam* appellant, continentem perticas constratas 72.

Centuria est ager 200 continens jugera, dicta, quod apud antiquiores centenis tantum jugeribus computabatur. Ilæ tamen, quæ agrorum quantitatem designant, mensuræ, magis in quantitate areæ planitieque lineis circumscripta, quam ipsarum, quibus circumscribitur, linearum longitudine, considerandæ sunt. Cujus enim longitudinis lineæ aream includant, nihil interest, si tamen ipsa propriam quantitatem area non amittat, ut in jugero. Utrum enim in longo 24 perticas, in lato vero 12, ut supra dictum est, habeat, an in longo 18, in lato 16; an in longo 32, in lato vero 9; an alio atque alio modo longitudo latitudoque permutentur, si tamen mutua multiplicatione 288 constratas perticas efficere possunt, jugerum nihilominus implebunt. Idemque in agripenno et cæteris agrorum mensuris sentiendum est.

Stadium autem, quod magis in itinerum dimensionibus usuale est, continet passus 125, gradus 208 et trientem, cubitos 416 et ⸸, pedes 625, sextas 933 et trientem, palmos 2500, uncias 7500, digitos 1000. Dictum autem stadium dicitur a *stando*, seu quod juvenes currentes emenso hoc spatio ad metam starent; seu quod Hercules primus hoc spatium uno anhelitu transcursum stando signaverat.

Milliarium habet stadia 8, passus *mille* (unde et nomen accepit), gradus 1600, 61 ⸸, cubitos 3300, 33 ⸸, pedes 5000, sextas 6000, 66 ⸸, palmos 20000, uncias 60000, digitos 80000. Hoc permissu priscæ legis iter Sabbati fuit.

Leuca recipit milliarium unum et dimidium, stadia 12, passus mille quingentos, gradus 2500, cubitos 5000, pedes 7500, sextas 10000, palmos 30000, uncias 90000, digitos 120000. Dicta leuca a *levando*, id est, relevando post tantum iter corpore. Unde et apud Teutonicos *Rasta* a requiescendo appellatur.

CAPUT III.

De descriptione quantitatis earumdem mensurarum trifaria

Sed quia hæc de linearibus, id est solam longitudinem designantibus mensuris utcunque dicta sunt, nunc quoque earumdem quantitatem, si constratæ aut solidæ fiant, per passus, pedes et digitos in subjecta, si placet, paginula quam brevissime subnotemus, eas videlicet intermittentes quas, quantitates tantum superficiei agrorum, demonstrare prædiximus.

Leuca habet lineares passus 1500, constratos bis M.l.CC.L, solidos ter MMM, et ter CMM, et LXX, ex MM, et Ves II.

Milliarium habet lineares passus mille, constrato MI, solidos MM, millia MM millia.

Pertica habet lineares passus duos, constratos quatuor, solidos octo.

Passus habet lineares pedes quinque, constratos 25, solidos 125.

Gradus habet lineares pedes 3, constratos 9, solidos 27.

Cubitus habet linearem pedem I, unum S.(8-10), constratos duos, unum trientem, solidos tres, (11).

Pes habet lineares digitos 16, constratos 256, solidos 4096.

Sexta habet lineares digitos 12, constratos 144, solidos 1728.

Palmus habet lineares digitos 4, constratos 16, solidos 64.

Uncia habet linearem digitum unum, ℈ constratos unum ℈ et solidos duos, ℈ ℈ ℈ ♂ (12).

Digitus habet linearia hordei grana 4, constrata 16, solida 64.

Et hactenus de mensuris, quæ a prioribus nobis relicta sunt, satis et non superflue, ut reor, dictum est. Quod si prioribus in mensurando partibus indiget, diligens quisque unamquamque mensurarum prædictarum, ut necesse fuerit, seu per minutias usitatas sive per intellectuales multimodis habere poterit.

CAPUT IV.

De planis figuris.

Nunc vero de figuris, quæ præfatis linearibus includuntur mensuris, speculandum est. Figura, quæ Græce *schema* vocatur, est spatium certis terminis inclusum. Hujus species duæ sunt. Aut enim *planæ* aut *solidæ* sunt. Sed de solidis in posterioribus; nunc de planis videamus.

Planæ dicuntur figuræ, quæ profunditate, id est, altitudine carentes, in longitudine tantum latitudine que considerantur. Hæ vero si rationabiliter proponuntur, aut rectis lineis, quæ Græce *euthyæ*, determinantur, et angulatæ sunt, appellanturque *euthygrammæ;* aut curvis seu circumferentibus lineis, quas Græci *cyclicas* sive cycloides (*Cod.*, licoides) sive *capellas* vocant, includuntur, et rotundæ sive oblongæ sunt, et *campylogrammæ* nominantur: vel certe utrisque, id est rectis et curvatis, componuntur, et partim angulatæ, partim lunatæ seu rotundæ sunt, quod genus *micton* a Græcis dicitur. Quæ singulæ, prout commodum et utile videbitur, in consequentibus apertius describentur. Spatium autem sive planities planarum figurarum lineis circumscripta, *embadum* a Græcis appellatur, quod a nostris interpretatum *area* nuncupatur, ad cujus videlicet et areæ quantitatem investigandam variæ, pro diversitate figurarum et theorematum, regulæ passim dispersæ feruntur, ex quibus aliquas, quas nostri attingere potuit diligentia, quæ utiliores videbantur, aliquantisper ordinatius digestas aggredi tentabimus, si prius pauca de *angulorum* speciebus, et alia quædam ingredientibus necessaria probaverimus.

Itaque planæ figuræ quas rectis lineis determinari angulatasque esse diximus, trinis necessario planorum angulorum formantur speciebus. Est autem *planus angulus* duarum linearum in planitie e diverso ductarum ad unum punctum coadunatio. Sive aliter: Angulus est spatium quod sub duabus lineis continetur se invicem tangentibus. Qui nimirum, trimodis speciebus discretus, aut *rectus* est, aut *hebes*, aut *acutus*.

Rectus, qui et *normalis* dicitur, hoc modo fit, si rectam lineam jacentem altera stans recta contingat, et ex utraque sui parte æquos angulos ita facit:




Hic autem, quasi viæ virtutis medium tenens, sibique ipsi semper et uniformiter æqualis, nec se plus æquo dilatat, nec minus justo coarctat.

Hebes autem, qui et plus normali vel *obtusus* dicitur angulus, qui, quasi pleonasiæ more, semel rectum excedens, incerta indefinitaque quantitate, donec in lineam deficiat, dilatari et expandi potest. Fit autem si jacenti lineæ altera ab ea inclinata jungatur ita:



Acutus est, qui, neomesiam imitans, et infra rectum subsistens, identidem quantitate indefinita usque in lineam directam coarctari valet. Fit vero si jacentem lineam rectam altera ad eam inclinis tangat, ita:



Ethi quidem anguli, ex rectis scilicet facti, *euthygrammi* Græce, *rectilinei* possunt Latine appellari. Possunt tamen eædem tres angulorum species aliquomodo ex rectis et circumferentibus lineis, item ex circumferentibus solis figurari. Ex rectis namque et circumferentibus lineis recti anguli figurantur, si circulus æqualiter a puncto circumductus rectam lineam per ipsum punctum in duo æqua secat ita:



(8-10) Glossa vetus, *semissem*.

(11) Eadem *semunciam* seu *semiunciam*.

(12) Eadem Glossa exponit has notas hoc modo: ℈ duella: ℘ semiuntia: ✓ obolus: ♂ siliqua.


Hebetes autem, qui et obtusi anguli, si major dimidio circuli pars hoc modo formetur; A



Acuti vero fiunt, si minor medietate circuli pars scribitur :




Ex solis autem circumferentibus lineis, si eas, id est, tres angulorum species, velis figurare, duos æquales circulos ita sibi invicem innexos circumducito, ut uterque circumductione sua secet alterius punctum; sicque et in media, ni fallor, area, et in singulis partibus altrinsecus positis rectos omnes ad sui modum angulos pernotabis ita : B




Quod si duos alios connexueris, ita ut uterque suo ambitu punctum includat in medio embado duos hebetes, in quatuor altrinsecus vero positis acutos nihilominus angulos formabis ita : C



Sin autem ita bini sibi nectantur, ut punctum alterutrius ab altero immune omnino relinquatur, in media nimirum areola acuti in extremis utrinque hebetis anguli species figurantur, ut cernis. D




Ut autem omnes angulorum species in una pariter inspiciantur, talis circulorum componitur connexio :




Sciendum quoque est quod acuti anguli *interiores*, hebetes vero *exteriores* ad comparationem scilicet recti anguli solent appellari. Rectus quippe angulus ab hebete, utpote exteriore, latioreque includitur; sed ipse rursus acutum, ut videlicet amplior, interiorem includit; quod in subjecta formula rectilinea, ubi omnes angulorum species ad unum eo adunatæ sunt punctum, describitur hoc modo.




Intuendum etiam est quod rectæ lineæ jacenti si recta una, quæ perpendicularis dicitur, erecta superstet, ubi jacentem tangit, ex utraque sui parte rectum angulum efficiet hoc modo :




Si vero ad alterutram partem linea superstans inclinetur, in illa, ad quam inclinetur, parte interiorem, id est, acutum angulum efficit, in altera vero exteriorem, id est hebetem, ita tamen ut hi duo anguli, interior scilicet et exterior duobus rectis sint æquales, hoc modo :




Quantum enim interior a recto minus habet, tantum exterior rectum supervadit. Quod si rectæ jacenti lineæ duæ adversis partibus inclinatæ ita superstent, ut et illam et se invicem ad unum punctum tangant, tres nimirum interiores angulos formant, ita tamen, ut hi tres anguli duobus rectis æquales sint. Nam tantumdem spatii quantum duo recti occupant, hoc modo :




Si duæ rectæ sese invicem altera per alteram ductæ secent, aut quatuor rectos efficiunt angulos, aut duos exteriores, totidemque interiores ex adverso sibi invicem æquos reddunt, qui tamen quatuor rectis angulis sunt æquales, hoc modo :



Duæ rectæ lineæ æquali a se invicem spatio inductione sua distantes et in infinitum ductæ, nunquam invicem concurrentes *paralellæ*, id est æque distantes dicuntur, ita :



Quod si recta linea ab una ad aliam ducta fuerit, aut rectos angulos quatuor, ubi tangit eas, efficiet, aut totidem rectis æquos, binos scilicet interiores, binosque exteriores sibi ex opposito invicem æquales taliter :



Possent quidem et alia nonnulla de lineis et angulis inveniri et dici. Sed hæc ingredientibus sufficere putavi.

CAPUT V.


His tribus anguli speciebus omnis coagulata consistit figura.

In omnibus ergo, ut dictum est, planis figuris, quæ quidem angulatæ sunt, unam vel duas, vel certe omnes has angulorum species necessario invenis; unam, ut omnes angulos rectos habeant aut hebetes omnes, vel omnes acutos; duas, ut alios angulos rectos habeant, alios acutos, aut alios hebetes, alios acutos, aut alios rectos, alios hebetes; omnes, ut et rectus, et hebes et acutus, quod tamen rarius evenit, ut in una aliqua inveniatur figura. Quod totum posterius in earum satis formationibus clarebit. Nunc jam de *triangulo*, qui in planis figuris naturaliter primus occurrit, sequens ratio quæ videbuntur aggredi tentabit.

CAPUT VI.

De principalitate trianguli.

Triangulus, ut in arithmeticis satis a Boetio declaratum est, ideo planarum principium existit figurarum, quia tria primum rectæ lineæ superficiem seu latitudinem aliquam possunt includere. Duæ quippe rectæ nihil possunt spatii circumdare, atque ille ideo, quia tribus lineis distensus figuras angulatas planasque primus efficit, jure in eisdem figuris principatus locum obtinebit. Qui et ideo principium et quasi elementum exstat in angulatis figuris, quod unaquæque earum ex eo componatur, et in eumdem resolvatur. Si enim ipsius trianguli sive tetragoni vel pentagoni, hexagonive ceu cæterorum sequentium multiangulorum superficiem, id est aream mediam puncto designaveris, et ab eodem puncto ad angulos rectas lineas deduxeris, unumquemque eorum ex tot compositum et in tot triangulos divisum pernotabis, quot ipse constat ex angulis. Nam eodem modo ipse triangulus in tres alios triangulos; tetragonus in 4; pentagonus in 5; aliique sequentes juxta numerum angulorum suorum in triangulos dividuntur. Ubi subtiliter id etiam evenit ut, quia in triangulos cujusque eorum divisio fit, per triangulorum quoque regulas uniuscujusque eorum a diligentibus embadum inveniri possit. Quare satis cuipiam potest declarari omnium planarum figurarum triangulum principium esse.




CAPUT VII.

De speciebus trianguli.


Est autem *triangulus*, qui et *trigonus* sive *tripleurus* dicitur, plane figura tribus rectis lineis sive lateribus et totidem angulis terminata. Hujus species tres sunt, *orthogonius* scilicet, et *ampligonius*, atque *oxygonius*.

Orthigonius est triangulus unum rectum angulum habens et duos acutos, taliter :



A recto autem angulo, quem habet, nomen possidet. *Orthon* quippe Græce rectum : *gone* angulum sonat. Inde *Orthogonius* quasi *rectiangulus* dicitur.

Ampligonius est triangulus unum hebetem et duos acutos habens angulos, ita :



Qui et ipse ab hebete angulo suo identidem accepit vocabulum.

Oxygonius autem est triangulus omnibus acutis angulis determinatus, ita :




Unde ab acuto, quia *oxya* sonat, appellatus est. Hic vero et unius speciei angulos et æqua latera potest habere : quod in prioribus omnino est im-

possibile, ut et quivis facile intelligere, et in figuris eorum oculis valet approbare.

Habent etiam iidem trigoni quædam alia quoque tria ad discretionem sui vocabula. Alius enim eorum *isopleurus*, alius *isoceles*, alius *scalenos* dicitur.

Isopleurus est qui omnibus æqualibus continetur lateribus. *Isos* quippe *æqualis*; *pleuros latus* dicitur.



Isoceles, qui duo habet latera æqualia, qui etiam quasi cruribus insistit; tertium inæquale, unde et isoceles, quasi æquicrurius dicitur.

Scalenos, qui omnia latera inæqualia invicem continet; dictusque *scalenos* quasi *gradatus*, eo quod velut gradibus, de uno in aliud transfertur latus. Sed *isopleurus*, id est æquilaterus solus dictus potest esse trigonus oxygonius; isoceles vero atque scaleni et *orthogonii* et *ampligonii*, ipsique item *oxygonii* poterunt fieri. Singuli quippe eorum et duobus lateribus æqualibus, tertio inæquali, et omnibus inæqualibus solent formari.

CAPUT VIII.

De natura triangulorum.

Illud quoque in his triangulis speculare, quod juxta supradictam superius angulorum quantitatem in omni trigono ampligonio exterior, id est hebes angulus major est utrisque interioribus, id est acutis in ipso scilicet ampligonio trigono ex adverso constitutis, ipsique duo non solum exteriore sed etiam recto angulo minores probantur, ut in hoc:



In omni quoque triangulo duo anguli quoquomodo sumpti duobus rectis angulis minores sunt.

In omni etiam triangulo minus latus majorem angulum, majus vero minorem efficit.

Si in quolibet trianguli latere a finibus lateris duæ rectæ lineæ introrsum inclinatæ angulum faciant, ipsæ quidem cæteris trianguli lateribus minores sunt; angulum vero majorem efficiunt ita:



In omni orthogonio triangulo, solus rectus angulus duobus reliquis interioribus, id est acutis, probatur æqualis. In oxygonio autem tres interiores, id est acuti singuli duobus rectis angulis æqui sunt, et omnino in omnibus triangulis idem evenit, ut tres eorum anguli duobus rectis angulis æqui sint. Nam in ampligonio quantum exterior, id est hebes angulus rectum superat, tantum duo interiores, id est acuti superantur a recto. Et in orthogonio unus rectus est, et interiores, id est acuti, qui item, ut dictum est, unum rectum angulum complent.

In oxygonio quoque duo acuti unum rectum superant, sed duobus tantum minores sunt, quantum tertius supplere poterit angulus. Et juxta hanc rationem, ni fallor, erit intelligendum quod in categoriarum Aristotelis Commentariis a Boetio dictum est: *Multi sæpe movere soliti sunt scrupulum: scimus triangulum tres interiores angulos duobus rectis angulis habere æquos.*

His interim de natura triangulorum expeditis, qualiter quisque angulus, utrum rectus an hebes aut acutus sit, discerni queat breviter dicamus, ut certius requirenti utrum triangulus quisque orthogonius, an ampligonius sive oxygonius sit, probare valeamus.

CAPUT IX.

Quomodo tres angulorum species discerni valeant?

Si de aliquo angulo, utrum rectus an hebes acutusve sit, dubitaveris, hujusmodi experimento uti poteris. Ab angulo, de quo dubitas, in utraque linea, quæ in eo conveniunt, æqualem mensuram cujusvis longitudinis sumptam punctis utrinque notato, et ab uno ad aliud punctum rectam lineam ducens, eamque in duo æqua dividens, medietatem ejus puncto signabis. A quo videlicet puncto si ipsa eademque mensura, qua medietatem lineæ esse invenisti, angulus ille, de quo quæsieras, distabit, rectus erit. Si longius distans ab ea mensura attingi nequiverit, acutus; si autem propior a præfata transgreditur mensura, obtusus, id est hebes esse dignoscitur. Verbi gratia, sit angulus, de quo dubitas, *a*:



a quo in utraque linea æquali mensura distet *b* et *c*. Medietas lineæ a *b* ad *c* ductæ sit *d*. Si ergo a *d* puncto *b* et *c* et *a* æquali mensura distent, rectus angulus *a* erit. Si minor ad *a* fuerit, quam ad *b* et *c*, hebes. Si autem major, acutus angulus *a* esse non dubitatur.

Vel aliter, juxta Pythagoræ inventum. Ab angulo, de quo dubitas, in una ejus linea tres æquales longitudinis mensuras, utpote pedes, in altera ejus longitudinis quatuor dimetiens, ubi utrinque fuerint terminatæ, punctis signato, et ab uno horum puncto ad alterum lineam rectam deducito. Et si hæc linea quinque æqualiter pedes habuerit, angulus ille, de quo dubitas, rectus erit; si plus quam quinque, hebes; si autem minus, acutus apparebit. Exempli causa, sit ipse angulus *e*



ab hoc in una linea tres mensuras quasi pedes usque ad *g* metior, ab eodem in altera linea usque ad *f* duo. Si ergo in hac linea inter *f* et *g*, quinque ejusdem longitudinis mensuras invenio, *a* angulum rectissimum natura cogente minime dubito; si autem plus quam quinque, hebetem; si minus, inter acutos eumdem putari debere certissimum teneo, ut in subjecta formula patet. Lineæ vero rectæ, quibus trigoni seu tetragoni, et aliæ quædam planæ figuræ determinantur, his ferme vocabulis designantur.

CAPUT X.

De appellationibus linearum in figuris.

Linea quæ in una parte figuræ directe et non oblique jacet, *basis* nomen accepit, eo quod super ipsam figura fundata sit. Quæ vero in summo quasi in culmine figuræ similiter directim ducitur, *corausus* appellatur, atque jusum [deorsum] a summo directim more perpendiculi pendens, ubi basi corausove conjungitur, rectum angulum efficit, *catheti* sive *perpendicularis* vocabulum suscipit. Illa autem quæ, oblique jusum sive susum deducta, hebetis vel acuti anguli effectrix videtur, *hypotenusa*, id est obliqua sive *podismus* nominatur.

Ex harum autem linearum mensura, maximeque catheti et basis seu corausi, quæ scilicet longitudinem latitudinemque figuræ determinant, constratam embadi mensuram, ut superius commemoravimus, vestigare debemus. Sed quamvis ampligonius propter angulum majorem a quibusdam præponatur, oxygonius vero propter isopleuron, qui et angulorum et laterum æqualitate gaudet, principalior putatur. Nos tamen orthogonium cum reliquis suis tum propter recti anguli principatum, tum quod ratio ejus apertior certiorque sit, et ab eo ampligonius oxygoniusque regulas accipere videantur, merito his anteponendum æstimamus.

CAPUT XI.


De Pythagoricis orthogoniis.

Inter omnes diversorum laterum triangulos orthogonius ille quodammodo speciale privilegium et meritum habere videtur, qui ab inventore Pythagora *Pythagoricus* appellatur; quod quare videatur, in consequentibus manifestatur. Hic autem talibus laterum proportionibus continetur, ut *basis* ad cathetum sesquitertia, hypotenusa ad basim sesquiquarta, itemque ad cathetum superbipartiens tertias sit. Habet quippe cathetus pedes, aliasve minores vel majores mensuras in eisdem proportionibus, ut subscripti.

CAPUT XII.

Quomodo minutiæ addantur figuris.

Quod autem interdum quædam vel omnia latera hujusmodi orthogoniorum minutiis admistis soleant proponi (neque enim sagacem geometren minuendi solertiam decet ignorare), horum etiam re erit exempla subnotare:



In his itaque aliisque orthogoniis in eisdem laterum proportionibus constitutis, videlicet et Pythago-

ricis, hoc modo invenire per cathetum alia latera poteris.

Cathetus ter ducatur; nona pars inde auferatur; residui dimidium pro basi habeatur. Si eamdem, quam abstulisti, nonam inventæ basi adjungis, hypotenusam habebis, ut in eo, quem primum posui, cathetus, utpote 3 ter ductus efficit novem; ablata nona, id est unitate reliquum ejus rei, id est dimidia basim, quæ quaternario titulatur, efficit. Cui basi si nona superius dempta, id est unitas reddatur, hypotenusa 5 unitatibus inscripta completur. Idemque in cæteris sequentibus sive de integris seu minutiatis numeris compactis invenitur, ut in his 4, quæ in catheto sunt, quatuor per 3 ducti 12 faciunt. Horum nona parte, id est unitate ablata et triente residui, id est 10, et bisse medietas basim in 5 et triente demonstrant. Quæ itidem nona ad basim juncta podismum in 6 et bisse constare manifestat.

Vel aliter idem invenias. Catheti dimidio triplicato, nonaque parte inde ablata, basim habeto. Eidem triplicationi nona sua addatur, et hypotenusa creatur, ut in eo, qui habeat senarium in catheto, dimidia ejus, id est 3 in se ter ducta 9 creat. Unde ablata nona 8 erit basis. Nona vero ad ipsos novem addita fiet 10 hypotenusa.

Similiter in eo cui ☽ et quadrantem in catheto posui, dimidia hujus, id est 2. et S. et ☾ ter ducti 7, et S. et ☽ et ☾ numerum faciunt. Hujus nona id est ☾☾☾ et dempta 7 basim relinquit. Addita autem 8 et ☾☾ hypotenusæ tribuit.

Vel aliter. Catheti dimidium sexies ducatur, nona inde pars auferatur, reliquum dimidium pro basi habeatur. Basi inventæ eadem nona addatur, et hypotenusa creatur, ut in eo qui 9 in catheto habeat. Medietas ejus, scilicet 4 et semis, sexies ducta 27 efficit. Hinc nona parte id est 3 ablata reliqui 24, scilicet dimidia, id est 12, basis erit. Cui 3 id est nona superiore, junctis in 15, podismum constituit.

Nihilominus in eo, cui sexies ☽ ponitur in catheto, dimidia, quæ est 3 ☽ (quadrans) sexies multiplicata, 19 facit. Inde nona parte, quæ est 2 (*Glossa vetus*: ƨ. siliquam interpretatur) ƨ. S. et ☾ S. abblata remanent 16 et ☾☾☾ quinque Quorum dimidium, id est 8, et ☾☾ sextulaque basim complet. Cui nona præfata superaddita podismum, id est 10, et S. quinque ☾ facit cum summa dubietate seposita.

Est etiam alia regula multo diligentiori speculatione dignissima, quæ in his Pythagoricis orthogoniis prorsus verissima, et in aliis omnibus orthogoniis vel omnino vera vel veritati proxima est.

Hac quippe in omni ferme orthogonio trigono per cuo quævis latera tertii poterit indagari quantitas naturæ constitutione certissima hoc modo:

Ut ergo hypotenusa inveniatur, catheti numerus in se, ut tetragonus fiat, ducatur, eique basis numerus in se similiter ductus conjungatur. Hujus simul summæ ex duobus scilicet tetragonis confectæ latus tetragonale quæsitum et inventum hypotenusæ numerus esse sciatur.

A Tetragonus autem, ut ex arithmeticis notissimum est, dicitur numerus ex alio in se ducto procreatus, ut 4, qui ex binario; ut 9, qui ex ternario; ut 16, qui ex 4 in se ducto procreatur. Duo enim bis quatuor, et tres ter novem, et quater quatuor 16 creant. Numerus autem qui ita tetragonum in se ductus efficit, ejusdem effecti a se tetragoni *latus tetragonale* vocatur.

Ut autem basis quantitas pernoscatur, ex numero hypotenusæ ducto in se, catheti numerus item in se ductus auferatur, et residui numeri latus tetragonale basi, ut naturaliter insita quantitas tribuatur.

Ad catheti vero mensuram vestigandam ex hypotenusæ numero item in se ducto, numerum basis in se ductum adime, et latus reliqui tetragonale pro
B catheto tene. Quæ singula ut clarescant exemplis ex superioribus orthogoniis minimum sumo, et per cathetum ejus ac basim hoc modo hypotenusam invenio. Cathetus, id est 3, in se ductus 9, tetragonum facit. Item basis, id est 4, in se ducta in 16, tetragonum surgit. Qui duo tetragonii 9, et 16 conjuncti 25, rursus tetragonum compaginabunt. Cujus latus tetragonale, quod est 5 (quinquies enim quinque 25 numerum complet), hypotenusæ.

Per cathetum autem et hypotenusam hoc modo basim invenies. Ex numero hypotenusæ, id est 25, cathetum in se ductum 9 aufero, et reliqui, id est 16, latus tetragonale, quod est 4, basi ascribo. Ad cathetum vero reperiendum ex eodem 25, hypotenusæ numero in se ducto basim in se ductam, id est
C 16 detraho, et reliqui novenarii latus, id est 3, dabo catheto.

Item, ut et in majori exemplum dem, sumo eum qui in catheto 12, et in basi 16 tenet, numerosque ex utrisque in se ductis confectos, scilicet 144 et 256, conjungo, et ex utrisque confecti 400 numeri latus tetragonale, id est 20, do hypotenusæ. Ex quibus iterum 400, si cathetum in se ductum, id est 144, abstraho, reliqui 256 numeri latus, id est 16, basi tribuo. Quod si eisdem 400, basis in se ducta, id est 256, adimatur, 12 qui residui, id est 144, illius numeri latus est, perpendiculari, id est catheto donatur.

Et ne in minutiatis quoque orthogoniis exemplum dare subterfugiam, eum accipio, cui superius 6 et ☾☾
D in catheto posueram, ipsumque cathetum regulariter, quod abacistæ facillimum est, in se duco, et 40 S. ☾☾ tetragonum invenio. Item basi, quæ est 64, 3 ☾☾ ☽ ☾ 3. ☾☾ S. ☾☾ ƨ. ƨ. II. M ☽ ☾☾ ☾ M ☾ et tertia. 8 ☽ ☾. in se ducta fit tetragonus 71. ☽ ☾☾ ☾ et duæ ☾☾ et tertia unius. Hi duo tetragoni simul juncti faciunt tetragonum 101 ☾☾ ☾ ☾ et duas siliquas et tertiam unius siliquæ continentem. Cujus latus tetragonale inventum, quod est 10 S. E et C. (nam hoc in se multiplicatum eumdem restituit) hypotenusæ ostendit quantitatem. Ex eodem autem hypotenusæ numero in se ducto, id est I I I ☾☾ duabus siliquis et tertia parte siliquæ, si cathetum in se, id est 40, S. ☾☾ dempseris, reliqui

id est 11 ℈ ℈ ℈ ℈ duarum siliquarum et trientis siliquæ latus erit basis, id est 8 ℈ ℈ ℈ ℈ Ex eodem hypotenusæ numero basis in se ducta dempta si fuerit, remanentis, id est 408, et ℈ ℈ ℈ latus tetragonale, quod est 6, cathetum restituit. Atque hæc regula in cæteris quoque orthogoniis probare volentem nunquam fallit, si lineares laterum mensuras invenire libuerit.

Ad constratam vero embadi, id est areæ quantitatem in his Pythagoricis orthogoniis inveniendam hujusmodi habe regulam; trium laterum quantitates, videlicet catheti, basis et hypotenusæ in unum colligantur; medietas hinc sumatur, et ab hac basis auferatur; qui remanet, per cathetum multiplicetur, et summa inde nata duplicetur; duplicata per quartam sui partem multiplicetur, natæque inde summæ latus tetragonale pro embado habeatur. Verbi gratia: minimi in cuperioribus orthogoniis trium laterum numeros, id est 3, 4, 5 conjungo, fient mihi 12; horum medietas 6 erit. Inde sublata 4, basi, 2 residui per cathetum, id est 3, ducti 6 faciunt; qui multiplicati 12 redduntur. Hi per quartam sui partem, id est per 3 ducti, 36 efficiunt. Horum si latus tetragonale, quod est 6, accipio, areæ orthogoniique hanc summam habeo.

In primo quoque, quem cum minutiis posui, eodem modo, si laterum sumas, id est 4, 5, ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ copulo, 16 conficio. Media, id est 8, inde sumpta, basique, id est 5 ℈ ℈ inde ablata, residuis, id est 2 ℈ ℈ per cathetum, id est 4, ductis, 10 ℈ ℈ habeto. Iis duplicatis, 20 i. ℈ ℈ facio, quibus per 4 sui, id est 5 ℈ ℈ ductis fient 113, ℈ ℈ ℈ ℈ Hujus tetragonale latus, quod est 10 ℈ ℈, si sumpsero, embadi totius planitiem impleo, et ita in cæteris.

Multum vero simplicior faciliorque et expeditior erit regula embadi inveniendi in omnibus orthogoniis una in omnibus prorsus triangulis universalibus, ut scilicet per dimidium basis cathetus multiplicetur, et quod inde creverit, pro embado habeatur. Quod idem erit, si conversim per dimidium catheti multiplicetur basis integra, et inde natum embadum dicatur; vel si tota basis per totam perpendicularem ducatur, et nati inde numeri medietas areæ tribuatur. Cum enim per cathetum basis, vel per longitudinem latitudo ducitur, quadrati areæ quantitas invenitur. Quem cum transversim ab angulo ad angulum medium divido, duos nimirum triangulos sibi invicem æquos effcio, quia in utroque eorum medietatem areæ tetragoni invenio

Sed huic ut exempla quoque regulæ subjiciam, ex superioribus orthogoniis ille mihi proponatur, cujus cathetus 15, basis 20 pedibus annotatur. Multiplico itaque per cathetum basim hoc modo: 15, 20, fient 300. Horum dimidia, id est 150, totius areæ pedum constratorum indicat numerum.

Eodem modo in illo cum minutiis misto, cujus cathetus pedes 6 ℈ ℈, basis 8 ℈ ℈ ℈ ℈ possidet, basis per cathetum regularem ducta effcit constratos pedes 53 ℈ ℈ ℈ ℈ siliquam. Horum medietas, quæ est ped. 26 ℈ ℈ G. 9 ℈ ℈ ℈ ℈, et medietas siliquæ, totius quantitatem indicat areæ. Eodemque modo in cæteris.

Quod si minores quoque pede mensuras utpote palmos, uncias, digitos in prædictis embadis, quot sint, velis scire, respicito in superioribus, quantas ex his singulis pedis constrati capiat mensuras. Recipit quippe pes constratus, ut dictum est, palmos quater quaternos, id est 16, uncias vero duodecies duodenas, id est 144, digitos decies sexies sedenos, id est 256. Per hos singulos numeros priorum aream orthogoniorum multiplicato, et in priori quidem area, quæ 150 pedes constratos habet, invenies palmos constratos 2400, uncias 21600, digitos autem constratos 38400.

In sequentibus vero, cujus area constratos pedes 26 ℈ ℈ 5. ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ et medium ejus continet, reperies palmos 427, ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ et duas siliquas; uncias vero 3850 ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ quinque ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ digitos 6863, ℈ ℈ ℈ quinque ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈ ℈, et duas siliquas contineri. Et eodem in cæteris modo.

Quod si etiam ager hujusmodi orthogonii schema tenens proponitur, utpote cujus cathetus 60, basis 80, hypotenusa 100 perticis metiatur, et, quot jugera vel quot agripennos contineat, inquiratur; primo, per cathetum, id est 60, basim, quæ est 80, multiplico: fient 4800. Horum medietatem, id est 2400 pro constratis totius agri perticis habeo. Post autem, quoties in hoc numero constratæ perticæ unius jugeri 288, vel agrippenni unius, id est 144 cohibeantur, inquiro. Sunt vero in 2400 octies 288, et insuper tertia eorum pars: 144 vero in eodem numero sedecies habentur et bisse eorum; igitur in proposito agro orthogonio triangulo 8 jugera, et tertiam partem jugeri, agrippennos autem 16, et duas tertias agrippenni unius contineri non dubium est.

Sed quoniam de invenienda in his orthogoniis embadi quantitate satis dictum est, aliam regulam adhuc, qua per hypotenusæ et embadi numeros cathetum et basim reperiunt, subjici putamus, quæ est hujusmodi:

Numero hypotenusæ in se ducto quatuor embadorum numerositas adjiciatur, et hujus simul summæ latus tetragonale sumatur, idque basis et catheti numerum simul complecti non dubitetur. Ut vero utrique eorum, basi scilicet et catheto, suus distincte numerus reddatur, ex numero hypotenusæ in se ducto 4 embada subtraho, et residui adhuc numeri latus tetragonale sumo; idque superius invento numero, qui basim et cathetum confuse continebat, adjungo, et horum simul medietatem majori ex his, utpote basi, propriam tribuo. Ipsum vero latus tetragonale si ab eodem numero, qui basim simul et cathetum continet, aufero, et residui dimidium sumpsero, minus ex his latus, utpote cathetum reperio. Vel aliter: ex numero, qui basim cathetumque pariter continet, inventam basim aufero, et remanet cathetus vel cathetum repertum adimo, et reliqua erit basis.

Quæ omnia ut apertis certificentur exemplis, in

quibuslibet superiorum probentur orthogoniis. Sumo itaque eum, cujus hypotenusa 10, embadum 24 pedes possidet. Ducta in se hypotenusa sic progreditur. Huic quatuor embada juncta 196 consurgunt. Cujus numeri latus, quod est 14, basis simul et catheti numerum concludit. Quæ ut cernere valeam ex nue mero hypothenusæ in se ductæ, id est 100, embada quatuor, id est 96, aufero, et remanentis quaternarii latus tetragonale communi utrorumque numero, id est 14, adjungens, 16 habeo. Cujus medietatem, quæ est 8, basi assigno. Si vero ex communi utrorumque numero, id est 14, ipsum latus, qui binarius, adimo, remanent duodecim. Cujus dimidium, id est 6 repræsentant cathetum. Quod idem erit, si inventam basim, id est 8, a communi utrorumque numero, qui est 14, aufero, vel si inventum cathetum, id est 6, ab eodem communi numero, qui est 14, aufero.

Item illum assumo, cujus podismus 6 ⏓ embadum 10 ⏓ continet. Podismus, id est 6 ⏓ in se ductus 44. ⏓⏓. creat. Cui embada 4, id est 42 ⏓ adjungo 87. S. ⏓⏓ conficio. Cujus latus tetragonale, quod est 9, ⏓ catheti simul et basis quantitates comprehendit. Qui ut segregentur ex numero podismi in se, id est 44, ⏓⏓⏓ embada 4, id est 42 ⏓ subduco, et remanent 8, ⏓⏓⏓. Cujus latus tetragonale quod est 1 ⏓ si a communi utrorumque numero, qui est 6 ⏓, adimatur, residui, id est 8, dimidium, scilicet quaternarius, cathetum determinat. Idem vero latus, quod est 1 ⏓ ad eumdem communem numerum, qui est 9 ⏓ adjunctum, 10 ⏓ conficit. Cujus medietas, quæ 5 et ⏓ est, basim haud dubie reddit. Et hæ quidem interim sufficiant regulæ, quas de Pythagoricis ad præsens potuimus invenire.

Formantur vero et alii ex ipsis Pythagoricis quos supra diximus, tripleuri, si eam quantitatem, quam supra basis habuerat, cathetus accipiat, et, quam cathetus possederat, basis alternatim quantitatem sibi assumat, ut in subscriptis. Sed in eorum regulis orthogoniorum diutius non arbitror immorandum. Nam universæ regulæ quæ in superioribus Pythagoricis sive ad laterum quantitatem alternatim dignoscendam, sive ad mensuram areæ inveniendam traditæ sunt, et exemplis dilucidatæ sunt, in his nihilominus eamdem consequentiam probantur retinere tantum (Notat hic sequentia vetus glossator: Littera falsa est. Sed is est sensus: in hoc differunt a Pythagoricis, quod basis Pythagoricorum erit cathetus istorum et e converso), quantum si in quibusdam illarum ad cathetum specialiter videtur pertinere; hic basi, et quod ibi basi, hic catheto quis meminit attribuere. Quod ob cavendam prolixitatem hic jam videar replicare, diligentiæ et probationi lectoris malui relinquere.

CAPUT XIII.

De Geometria trigoniorum prædictorum.

Sed nequaquam silentio puto transeundum quod interim, dum hæc scriptitarem, ipsa mihi natura A obtulit speculandum. Quemcunque superiorum orthogoniorum ad alium comparare volueris juxta quod Plato in Cosmopœia Timæi de planis figuris proponit, Boetiusque in arithmeticis de tetragonis tantum per exemplum ostendit, unam inter eos geometricam medietatem, quæ utrumque una proportione conjungat, te invenire miraberis.

Primam quippe ex præscriptis Orthogoniis aream 6 implet; quem si ad secundum, qui 24 continet, comparaveris, unum ○ bum inter eos numerum, id est 12, qui utrosque una, id est dupla proportione continet, reperire poteris.

Item inter secundum et tertium, id est, 24 et 54, medius numerus 36 invenitur, qui ad utrumque sesquialtera habitudine comparatur. Inter tertium B et quartum, id est 54 et 96, medium 72 numerum sesquitertia utrosque proportione continuantem adinvenis; et quoscunque quibuslibet intermissis sibi invicem conferes, idem sine errore pernosces. Nam si item primum ad quintum, id est 6 ad 150 conferas, in medio nihilominus 30, qui quinecupla utrosque collatione continuet, investiges. Item si secundum et sextum, id est 24 et 216 compares, 72 medium tripla utrosque proportione coadunantem recognosces.

Nec si integros ad minutiatos, et minutiatos item ad minutiatos ad se invicem orthogonios conferre cupias, aliquem te scrupulum offendere metuas. Nam si item primum, id est 6 ad eum qui 10 ⏓ embado continet conferas, in medio 8, qui sesquitertia ad C utrosque habitudine se copulet, mox aspicias. Item si eumdem, qui 10 ⏓ ad sequentem, qui 18 ⏓ ℰ concludit, velis comparare, medius 14 numerus geometricæ medietatis proprietates inter eos probatur obtinere; 14 namque numerus 10 ⏓ in se continet et ejus quinque sextas decimas, et item 18 ⏓ ℰ. eodem modo 14 in se continet et ejus 5 sextas decimas; quæ proportio super quinque partiens sextas decimas appellatur. Itaque ne diutius immorer, quæcunque talium orthogoniorum alii conferas, unum inter eos, ut dictum est, numerum, qui omnes geometricæ medietatis proprietates custodiat, intitubanter invenire poteris. Sed hic numerus, geometricam scilicet proportionalitatem efficiens, hoc modo erit inveniendus:


D Cathetus prioris orthogonii per basim multiplicetur sequentis, sive, quod idem erit, basis prioris per cathetum ducatur sequentis, et nati inde numeri medietas sumatur, et pro medietate geometrica inter ipsos orthogonios habeatur, ut inter 6 et 24. Cathetus prioris, qui est 3, per basim sequentis, quæ 8 habet, ducatur, et 24 creantur. Cujus medietas, quæ est 12, loco geometricæ medietatis inter 6 et 24 statuatur. Vel aliter

Ipsa Orthogoniorum embada inter se multiplicentur, natique inde numeri latus tetragonale pro geometrica inter eos collocetur medietate, ut in supra dictis, qui 28 ⏓, et 57 ℰ in embadis suis continent, embada inter se ducta in 1600 ⏓ consurgunt. Horum


latus tetragonale 4 et S. invenitur, geometricæque medietatis proprietates inter ipsos orthogonios conservare dignoscitur.

Illud quoque in his volo consideres quod ipsa eademque proportione per geometricam medietatem, de qua dixi, orthogonii ipsi continuantur, qua videlicet latera eorum univoca, id est cathetus catheto, basis basi, podismus podismo sibi invicem conferuntur. Nam si latera ad se invicem dupla sunt, dupla nihilominus orthogonii ipsi collatione per intervenientem copulantur medietatem; si sesqualtera, sesqualtera, et in cæteris similiter. Sed de his hactenus. Nunc et de reliquis orthogoniis videamus.

Sunt item alii orthogonii non iisdem laterum proportionibus, quibus superiores, conjugati, sed ad ipsorum tamen similitudinem tali in lateribus numero insigniti, ut cathetus itemque basis in se singilatim ducti tales duos tetragonos efficiant, qui item conjunctione sui tertium tetragonum componant. Cujus videlicet tetragonale latus, juxta regulam superius prolatam, podismi quantitatem faciant, ut subjecti sunt, una sibi invicem laterum proportione germani.



Illi sunt omnes tali proportione laterum connexi, ut cathetus et basis in se ducti duos tetragonos faciant, qui duo conjuncti tertium efficiant, cujus latus tetragonale constituat hypotenusam. Porro isti sequentes, quisque ab alio diversa laterum proportione connexus item ut prædicti cathetus in se, basis in se, et hi duo tetragoni conjuncti, talem tertium faciunt, cujus latus est hypotenusa.



CAPUT XIV.

Quas utilitates ars geometrica spondeat?

Geometricales tractanti diversitates præmonstrandum est quas ipsius artis tractatus spondeat utilitates, quatenus lectoris ingenium, insinuationis trifidæ ratione incitatum, promptius ad legendum, studiosius sequentis operis perscrutetur tractatum. Est enim hujus disciplinæ scrupulosa descriptio, sed totius dimensionis indagatione indagationumque commoditate copiosa descriptio. Quam tamen quamvis arduum sit consequi, potis erit qui in ea infatigabili sudaverit studio. Quæ ut facilius, ut dictum

* *Hi quinque Pythagorici sed inversi.*

B est, a studiosis consequamur, cuique theoremati sua figura subjungatur.

CAPUT XV.

Nomina mensurarum quibus geometræ utuntur.

Mensuram appellationes, quibus utimur, sunt hæ; digitus, uncia, palmus, sexta, quæ et dodrans appellatur, pes, laterculus, cubitus, gradus, passus, decempeda, quæ et pertica appellatur quasi portica a portando, clima, actus, qui et aripennus dicitur, jugerum, centuria, stadium, milliarium.

Digitus est minima pars agrestium mensurarum. *Uncia*, secundum quosdam, digitos habet tres;

secundum quosdam, quod verius est, digitum unum et tertiam digiti.

Palmus habet digitos quatuor, uncias tres.

Sexta digitos duodecim, uncias novem, palmos tres.

Pes digitos 16, uncias 12, palmos 4, sextam unam et tertiam ejus.

Laterculus pedem unum in latitudine, uncias 23 in longitudine.

Cubitus sesquipedem, sextas 2, palmos 6, uncias 18, digitos 24.

Gradus habet pedes 2; *passus* 5; *pertica* 9; *clima* 60.

Actus in latitudine 110, in longitudine 120.

Jugerum, quod fit junctis duobus actibus, in longitudine 240, in latitudine 220.

Centuria 200.

Stadium pedes 625, passus 125.

Milliarium passus 1000, stadia 8.

CAPUT XVI.


Ad altitudinem cum astrolabio metiendum.

Si fuerit altitudo in æqualitate, tali poterit mensurari inspectione. Sumatur ab altimetra astrolabium, et in medietate quadrati in postica ejus planitie exarati constituatur mediclinium, ut hac scilicet positione stet mediclinium alterius partis astrolabii in numero graduum dierum 45, et tandiu ab eo ante et retro æstimando pergatur, donec per utrumque ipsius mediclinii foramen altitudinis summitas inspiciatur. Qua inspecta, loco in quo stetit mensor nota imprimatur, et huic impressioni statura mensoris adjungatur. Post hæc locus ipse diligenter notetur, et ab eo usque ad radicem altitudinis tota planities caute mensuretur; et quot pedum ipsa planities fuerit, tot sine dubio altitudo erit. Si vero non in medietate quadrati mediclinium steterit, sed in primo, aut in secundo, aut in tertio, aut in aliquo quadrati gradu, 12 gradibus collatis, qualis fuerit collatio inter illos aliquos quadrati gradus et 12, talis erit inter planitiem et altitudinem mensurandam, statura mensoris adjuncta.

CAPUT XVII.

Ad altitudinem inaccessibilem cum horoscopo metiendum.

Ad altitudinem inaccessibilem ob fluvii vel vallis impeditionem sit altitudo quælibet, ut est *a b*, sitque fluvii vel vallis impeditio, ut est *b c*. Sume horoscopum stans in ripa *c*, et per utrumque foramen mediclinii summitatem *a* diligenter inspice. Considera numerum graduum in mensura quadrati, qui verbi causa notatur quaternario numero, per quem summa totius quadrati scilicet 144 dividatur, et quarta pars reperta, videlicet 36 conscribatur. Post hæc de *c* ad *d* certa spatii quantitas metiatur, quæ exempli 40 pedum præponatur. Iterum sume horoscopum stans in fine *d*, et per utrumque foramen, ut prius summitatem *a* inspice. Perpende iterum numerum graduum in quadrato, qui signatur in ternario numero, per quem denuo summa totius quadrati dividatur, et pars tertia, quæ est 48, juxta quartam, quæ est 36, conscribatur, et minor numerus de majore, id est 36 de 48 tollatur, et quod remanet, id est 12 cum latere quadrati, quod est 12, comparetur, et numerus remanens et latus quadrati æqualis pronuntietur, et sicut ultimum remanens 12, quadrati lateri 12 æquale habetur, sic spatium *d c* spatio *a b* æquale affirmetur, et quota pars ternarius, qui est ultimus numerus graduum in 12, judicatur, eadem pars *a b* spatium in *d b* spatio sine dubio dicatur. Est igitur 40 *a b*, sicut est 40 *c d*, et est 160 totum *b d*, et est 120 *b c*.




CAPUT XVIII.

Item de eodem

Si quid eminens inaccessibile fuerit æstimandum cum horoscopo, stet altimensor in metiendi eminentis artificio, suspiciatque per utrumque mediclinii foramen, quosque intueatur altitudinis mensurandæ cacumen. Quo inspecto, gradus quadrati numerentur, qui exempli manifestatione 3 computentur, qui in 12 quadrati latere quater continetur. Hoc peracto tandiu ante et retro pergatur, donec jam visum cacumen altitudinis metiendæ iterum videatur. Quo viso numerus graduum quadrati denuo inspiciatur, et verbi gratia 2 habeantur, qui in 12, id est quadrati latere sexies contineri non dubitantur, et intervallum stationum mensoris 12 pedum notabile habeatur. His peractis minus continens ternarii, id est quaternarius de majori continenti, id est senario semel tollatur, et binarius, qui remanet, in mente habeatur, et ipsum intervallum stationum mensoris duplum inaccessibilis alti dicatur. Et ut, quod dicimus, in omnibus notum habeatur, universalis regula in nullo vacillans ponatur. Subtractione continentium numerorum facta, si unus remanserit, intervallum stationum mensoris alto æquale erit; si duo, duplum; si tria, triplum, et sic in sequentibus:


Tali pictura fit declaratio pura.



CAPUT XIX.

Ad altitudinem cum horoscopo metiendam.

Si vis cum horoscopo quamlibet planitiem metiri, dirige intuitum per utrumque foramen mediclinii, donec terminetur intuitus in metiendæ quantitatis limite. Post hæc in quoto gradu quadrati mediclinium stet, inspiciatur, et ipse numerus graduum superior cum 12 conferatur, et qualis computatio fuerit graduum ad 12, talis comparatio staturæ metientis ad totam planitiem. Verbi gratia : sit statura mensoris *a b*, planities *b c*, numerus graduum 3, qui ad 12 comparatus quarta pars ejus dubietate sublata invenitur. Igitur *a b*, quæ est statura metientis, sic *b c*, id est planitiei quarta pars invenitur, sicut ternarius in 12 pars quarta computatur.




CAPUT XX.

Ad metiendum cum horoscopo puteum.

Primo perpendatur diligenter a geometra quatenus circulatio putei perpendiculo perpensa æqualis habeatur. Deinde cujus quantitudinis sit ejus diametrum inquiratur. Invento diametro, stans mensor super putei labrum despiciat per mediclinium astrolabii lateris oppositi terminum. Quo viso, numerus graduum, in quo mediclinium steterit in quadrato, cum 12 comparetur. Et quo modo se habuerit numerus graduum in quadrato ad 12, sic se habebit diametrum ad profunditatem putei et ad staturam mensoris.

Sint autem gradus, exempli causa, 4 et diametrum 4 pedum. Sicut ergo 4 ; est ter in 12 ; sic diametrum est in profunditate putei et statura mensoris. Qua statura ablata, quod remanserit, habe profunditatem putei. Subjiciamus ergo figuram putei certis litteris insignitam. Sit ergo 4 pedum *a c*, hoc est diametrum ; sit putei altitudo *a b*, sit ejus diametrum *a e* ; sit statura geometræ *c d* 4 pedum. Ea constituamus 4 pedum *a c*, id est diametrum, et dirigamus intuitum per mediclinium de *a d* ad *b*. Post hæc gradus, qui, exempli causa, sunt 4 cum 12, tripla proportione conferamus, et *a c*, qui et ipsi 4 sunt ad *d e*, in eadem comparatione ponamus. Est igitur 4 pedum *a c*, 12 pedum *d e*, 4 pedum *a c*, quæ est statura metientis. Quibus 4 sublatis, id est *d c* de *d e*, remanent *c e* octo pedum, quod est altitudo putei.



CAPUT XXI.

Ad altitudinem arboris, columnæ, vel turris per umbram cum astrolabio inveniendam.

Si vis alicujus arboris aut columnæ vel turris, vel cujusquam talium in plano duntaxat loco stantis altitudinem per umbram ipsius invenire, suspenso astrolabio, solisque radio per utraque foramina halhidadæ directim immisso, vide in qua parte lateris quadrati, quod in 12 divisum est, directa ipsius halhidadæ stet linea, et quamcunque proportionem numerus partium supra alhidada apparentium ad 12 id est ad totum latus quadrati habuerit, eamdem procul dubio proportionem altitudo, quam invenire voluisti, ad umbram in planitie a se factam habebit. v. g., si duæ partes supra apparent, ad quas 12 sescuplam habeat proportionem, sescupla quoque ad altitudinem umbra ; si tres appareant, quadrupla ; si 4, tripla ; si 5, duplex superbipartiens quintas ; si 6, dupla ; si 7, super quinque partiens septimas ; si 8, sesquialtera ; si 9, sesquitertia ; si 10, sesquiquinta ; si 11, sesquiundecima ; si omne æqua erit altitudo et umbra. Et omnino cujuscunque proportionis triangulum alhidada in quadrato ipso effecerit, ejusdem proportionis triangulum umbra cujuslibet erecti corporis in planitie stantis formabit. In quo videlicet triangulo ipsa inumbrata planities basis est, erecta altitudo cathetus, radius

solis umbram transversim limitans hypotenusæ vicem dignoscitur habere.

CAPUT XXII.


Item de eadem re.

Si vis invenire qualis comparatio sit alicujus umbræ cum aliquo corpore in quacunque diei hora, sumatur astrolapsus, et, radio solis per mediclinii foramina exeunte, aspiciatur in quadrato in quo gradu mediclinium stet ; et, qualis collatio illius gradus cum 12, talis umbræ cum corpore ; hoc tantum proviso quod, quando mediclinium stet in dextro latere climatis, major est umbra quam corpus ; quando vero in sinistro, majus est corpus quam umbra.

CAPUT XXIII.

Ad altitudinem cum speculo vel pelvi metiendam


Posito in speculo centro, vel in media scutella plena aqua, constituatur in plano arvo, et tandiu a geometra huc illucque trahatur, donec per medium centrum unius supra dictorum cacumen rei metiendæ aspiciatur. Cacumine invento, spatium, quod continetur inter pedes mensurantis et centrum speculi, vel medium vasis limphæ pleni, diligenter mensuretur, et post hæc non minus caute staturæ metientis comparetur ; et, ut fuerit illud spatium metientis staturæ, sic erit linea a medio centro speculi usque ad altitudinis radicem rei metiendæ. Exempli causa, addatur plana figura ;



CAPUT XXIV.


Ad æstimandam cujusque rei altitudinem sole lucente.

Quæcunque res posita fuerit sub divo, umbram emittit, sed non sibi semper æqualem. Quapropter umbræ ipsius quotam partem volueris, eligas. Deinde virgulam coæqualem huic parti in terra statuas, et umbram exinde cadentem seu per pedes, seu per palmos, seu per uncias dividas. Si major inventa fuerit umbra quam virgula, quantum umbra virgulam superat, tantum a singulis, quarum mensuram virgula habet, subtrahas. Si autem minor est umbra, quantum virga superat, tantum prædictis partibus adjicias. Quidquid autem in umbra vel augmentatione creverit, vel subtractione remanserit, pro mensura illius rei habeto.



Componitur etiam aliud instrumentum ad altitudinem sine difficultate inveniendam, quod hoc de causa a sapiente (*Glossula* : Pythagora) inventum putatur, quia visum humi adjungere difficile mensori, inconveniens spectatori putabatur, sumitque quantitatem suæ magnitudinis a magnitudine staturæ metientis.

Constituamus arundinem tali magnitudine, ut duplari proportione proportionetur mensoris longitudini ; cujus medio altera arundo orthogonaliter conjungatur, quæ, staturæ mensoris longitudini æqualis, ei cui conjungitur, subdupla habeatur. Hoc ergo instrumentum sic compositum tandiu ducatur a mensore per planum, donec per summitates istarum virgarum rei metiendæ conspiciatur summum. Quo inspecto tanta altitudo dicatur, quantum spatium a loco in quo mensor stat ad radicem altitudinis, adjuncta statura, mensuratur. V. g. sit statura mensoris *a*, *b*, arundo sibi dupla *c*, *d*, altera arundo istius medio orthogonaliter juncta *a*, *e*, altitudo metienda *f*, *g*, spatium a mensore ad radicem altitudinis *b*, *g*. Hoc tamen nullo modo mensor obliviscatur, quin huic dimensioni omnique perpendiculo æquipendium appendatur, quod geometricaliter institutum ad mensuram paratur. Exempli causa, subdatur plana figura.




CAPUT XXV.

Ad planitiem virga vel arundine quærendam.

Stabiliatur arundo visui æquiparata metientis in termino epiphaniæ, cui jungatur altera cujuslibet quantitatis orthogonali ratione, quæ scilicet sursum jusumque tandiu a planimetra ducatur, donec per utriusque arundinis summitates oppositus limes planitiei cernatur. Quo inspecto, ipsa conjunctio arundinum diligenter notetur, et superior pars fixæ arundinis a conjunctione alterius cum tota sui quantitate comparetur, et eadem comparatio pendentis virgæ planique incunctanter dicatur, quæ superioris partis a conjunctione cum tota quantitate fixæ arundinis superius dicebatur. Et ut clarius reddatur quod litterali inflexione computamus, picturam apertius obscura monstrantem visui legentium supponamus.


Sit arundo stans visui metientis æquiparata *a c*; sit planities metienda *c d*; virga orthogonaliter pendens *b e*; sit igitur *a b*, medium *a c*; et erit *b e*, medium *c d*.



CAPUT XXVI.

Figura ad altitudinem mensurandam.


Si quis superioris figuræ retro positæ vim, quæ planitiem mensuravimus, subtiliter inspexerit, istius quoque figuræ vis, qua altitudines metimur, eum prorsus latere non poterit. Parum enim hæc distat a superiori figura, excepto quod superior in planitie, hæc operatur in altitudine mensuranda. Sit altitudo mensuranda *a b*; statura metientis *c d*; arundo, cum qua altitudo metiatur, statura longior, *e f*; linea orthogonaliter ducta a visu metientis per arundinem usque ad altitudinem *g b*. His peractis *d g* ad *g f* comparantur, et eadem comparatio *d b* ad *b a* pronuntietur, quæ *d g* ad *g f* pronuntiabatur. V. g. *d g* ad *g f* dupla ponatur, et non minus; *d h* ad *h a* dupla indubitanter dicatur. Quod si *h h*, *h a* mensurabiliter comparatur, quæ *d c* staturæ metientis æqualis habetur, tota altitudo *a b*, mensurata non dubitatur. Sed quia potest evenire quod *c b* sit interdum non meabile, *h a* non es omnino nobis notum, quamvis sit proportionale, qua de causa planities *b c* retro erit metienda, et similiter superiori alia componenda erit figura.



CAPUT XXVII.

Figura ad metiendam planitiem.

Metiatur planities *b i*, sitque statura metientis *i k*; sit arundo æqualis superiori *l m*; sit linea orthogonaliter ducta *a*, visu metientis tendens ad altum per arundinem *k n*. Post hæc *k n*, *n l* in quadrupla proportione conferatur, et similiter totum *k h*, *h a*, quadruplum indubitanter dicatur. Et quia jam superius *d h*, *h a*, duplum discebatur, modo autem *k h*, *h a*, quadruplum pronuntiatur, sublato *d h*, de toto *k h*, remanet *k d*, quod est mensurabile duplum ad *h a*. Quod si *a d*, *h a*, *k i*, statura metientis, quæ est æqualis *n m*, et *d c*, et *g e*, et *h b*, mensurabiliter apponatur totum *b a*, quod est altitudo mensuratum nullo modo dubietur.




CAPUT XXVIII.

Ad metiendam planitiem per arundinem.

Stans mensor in metiendæ planitiei extremitate componat sibi arundinem minorem suæ longitudinis prolixitate; quæ scilicet tandiu diversis locis planitiei directa figatur, donec per summitatem ipsius arundinis altera extremitas planitiei ex opposito cernatur. Quo facto, a summitate arundinis orthogonalis linea usque ad mensoris staturam dirigatur, et locus ipsius staturæ, in quo linea terminabitur, diligenter signetur, et ipsa pars staturæ ab ipsa nota usque ad visum cum linea orthogonaliter ducta conferatur. Et qualis comparatio ipsius partis staturæ cum tota linea orthogonaliter ducta habebitur, eadem comparatio totius staturæ ad planitiem totam pronuntiabitur. V. g., sit statura metientis *a b*, planities metienda *b c*, canna, cum qua mensurabitur, *d e*, linea orthogonaliter ducta *d f*. Quota pars fuerit *a f* in *f d*, tota pars erit *a b* in *b c*. Sit

a f quarta pars in *f d*, et eodem modo *a b* quarta pars in *b c*.




CAPUT XXIX.

Ad mensurandum puteum.

Ut in superiori figura putei dictum est, primo a geometra diligenter perpendatur quatenus circumductio putei circularis habeatur deinde cujus quantitatis sit diametrum inquiratur. Quo invento, stans mensor super summitatem putei supponat pedibus suis cujuslibet longitudinis scorpionem (*Glossa vet.* quælibet virga), et tandiu ante et retro pedetentim ducat, donec per summitatem ipsius scorpionis alterius putei profunditatem cernat. Quo facto pars ipsa scorpionis, quæ puteo superjacet, a pedibus mensoris impressa nota caute notetur, quæ staturæ non minus diligenter comparetur; et quota comparatio ipsius partis fuerit ad metientis staturam, eadem comparatio erit diametri cum statura mensoris ad totam summam putei. V. g. sit profunditas putei *a b*, diametrum ejusdem putei *a c*, statura mensoris *a f*, arundo, quæ staturæ comparatur, et A per quam putei profunditas investigatur, *a e*, altera pars putei *c d*; fit *a f*, quadruplum ad *e a*; igitur *b f* quadruplum est ad *a c*.


Sumas mensuram putei, si vis auferre staturam.



CAPUT XXX.

Ad altitudinem metiendam cum orthogonio.


Componatur a geometra orthogonium basi catheto-que ejusdem numeri compositum, hypotenusæ vero proportio prætermittatur, quæ ad altum vestigandum in hoc orthogonio prorsus inutilis judicatur. Compositum autem tandiu per planum a mensore trahatur, donec oculo humi apposito per catheti summitatem summitas altitudinis investigandæ cernatur. Qua visa, a loco cui visus inhæserat, planities ad radicem usque metiatur; et quanta fuerit, tanta altitudo dicatur. Quod ut apertius intelligatur, orthogonium cum altitudine metienda figuraliter visui supponatur.



CAPUT XXXI.

Orthogonium Pythagoricum ad metiendam altitudinem.


Est etiam aliud æstimandæ altitudinis orthogonium, quod ab inventore denominative nuncupatur Pythagoricum, naturalibus catheti, basis, hypotenusæ compaginatum, catheto ternario insignito, basi insignita quaternario, hypotenusa prænotata quinario. Quod si volueris cathetum quaternario insignire, et basim ternario, idem tibi eveniet per contrarium, scilicet ut basis catheto sexquitertio proportionetur, hypotenusa basi sesquiquarto comparetur. De quo cuncta fiunt quæcunque dicta sunt in præcedenti figura, scilicet tandiu trahatur donec per catheti summitatem summitas rei cernatur, hoc solo excepto quod in hac demensa quantitate planitiei quarta pars est auferenda, hac videlicet ratione quod basis jacens cathetum erectum superat cum sua quarta parte. Quod ut melius animadvertatur, et aliud orthogonium subterius depingatur:



CAPUT XXXII.

Ad rem inaccessibilem nobis altioribus metiendum.


Ad rem inaccessibilem nobis altioribus ut, metiatur, quamvis laboriose, hoc modo faciamus figuram. Sit rei metiendæ quantitas *a b*, et quot cubitorum, vel ulnarum, vel pedum, vel digitorum, vel etiam unciarum, vel cujuslibet alterius mensuræ sit nobis propositum scire. Re orthogonaliter constituta, sit spatium immeabile inter nos et rem, ut est *g b*. Erigatur nobis orthogonium *d g*, et sit linea sursum ducta de *g* ad *d*, sicut primo dictum est de *a b*, ducatur plane linea de *d* ad *z*, sicut plana jacet linea de *g* ad *d*, et sit notum quanta sit linea *g d*, et linea *d z*. Nos enim eas facimus. Erigamus orthogonaliter lineam de *z* sursum ad *u*, et ponamus oculum in linea *z u* orthogonaliter erecta, ut exeat visus noster per *d* ad *b*; et locus lineæ istius ubi stetit oculus, notetur puncto ipso *u*, et metiamur *z* et *u* quanta sit. Et post hoc ponamus iterum oculum in linea *z u*, ita ut valeamus videre per *d a*; et locus in quo visus steterit, notetur puncto *b*; et videamus ubi hæc linea tangens terram conjungitur lineæ *g b*, et sit punctum *e*, ita ut linea *g e* sit recta. Et post hæc notemus quantum sit inter *z* et *h*; et quota pars est *z h* ad *z d* et *z d*, ad *d g*, tanta est *d g* ad *g e*, et notæ sunt lineæ *h z* et *z d*, quia nos eas fecimus. Et igitur notum est quanta est linea *g e*; et quanta est linea *u z* ad *z d*, tanta est linea *d g* ad lineam *g b*, et lineæ *u z* et *z d* et *d g* nobis sunt notæ; notum erit igitur linea quarta *g b*. Et quia dudum sapuimus lineam *g e*, et sapimus inde lineam *g b*, possumus sapere quanta est linea *b e*; et quanta est linea *d g* ad lineam *g e*, tanta est linea *n b* ad lineam *b e*, et lineæ *d g* et *g h* et *b e* notæ sunt. Igitur *a b* linea nota est, et hæc est quam quærebamus. Et ut brevius, quod superius diffuse dictum est, comprehendatur, compendium, quo philosophia gaudet, ponatur. Qualis comparatio fuerit *z u* ad *h u*, talis erit *g d* ad *b a*, et sit *z u* duplum ad *h u*, erit *g d* duplum ad *b a*.



CAPUT XXXIII.

Ad metiendum planum quolibet modo propositum.

Si fuerit nobis propositum quolibet modo metiri planum, sumamus unius cubiti in longitudine lignum, cui alia tria in dimensione æqualia tali conjunctione innectantur, ut conjuncta quadrati diffinitionem suscipere videantur, quod quatuor angulis est orthogonale; cujus unius lateris summitatibus duo semipedalia ligna erecta infigantur, quæ in summitatibus perforata per utrumque foramen visum metientis admittere videantur. Post hæc extremitati oppositi lateris mediclinium horoscopo sic copuletur, ut dum per oppositum sibi latus certis dimensionibus distinctum trahitur, formam orthogonii Pythagorici imitetur, vel imitari videatur. V. g., sit quadrati figura *a b c d*; duo semipedalia ligna in summitatibus unius lateris posita *e f*; mediclinium in alterius oppositi summitate locatum per oppositum sibi larus discurrens *d g* in hunc modum:




Composita quadrati figura hac ratione ponatur jacens in metiendæ planitiei extremitate, et tandiu a metiente ex altera parte erigatur, donec per foramina *e f* opposita extremitas plani cernatur, et in hoc loco, quo visus steterit, nota ponatur. Post hæc per mediclinium ex adverso constitutum visus mensoris dirigatur, donec jam notata extremitas videatur. Quo facto locus, quo *g* steterit, notetur, et *c g* ad *g b* comparetur; et qualis comparatio *c g* ad *g b* fuerit, eadem comparatio *a b* ad totam planitiem erit. V. g., tota planities *a h* dicatur, et *c g* (id est a summitate superioris quadrati usque ad inferiorem partem mediclinii) *g b*, (hoc est a mediclinio ad inferiorem angulum ejusdem lateris) æqualis constituatur. Igitur *a b*, id est latitudo, (*b h*). id est a quadrato usque ad limitem planitiei æqualis esse non dubitetur. Sic et in cæteris proportionibus *c g* ad *g b* consideretur.

CAPUT XXXIV.

Ad putei vel fossæ altitudinem metiendam.

Putei aut cujuslibet fossæ altitudinem sic probabis. Accipe lignum directum et pone super buccam putei, et cujus umbram videbis in *e f*, id est profunditate putei, et lignum quatuor cubitos .. plus habeat, et exeat subtus pedes ejus alia hasta directa similis sibi, et est profunditas putei *a e*, et hasta directa *a d*, et alia hasta *a c b* jacens super buccam putei truncat *d e* super angulos directos, et intuere in aqua putei umbram *a c* de *d* usque ad *f* et invenies *a c* toties est *a c b* vel *e f* in *a e d*, ut puta si *a c* habeat palmum, et *d a* tres, tribus vicibus est *a c* in


d a, sicut est *a c b* tribus vicibus in *d a e*. Abstrahe *a d*, remanet *a e*.



CAPUT XXXV.

Ad altitudinem montis inveniendam.


Cum quæris altitudinem alicujus montis, pone hastam ante te in plano pro monte longiorem quam tu : et est hasta *a b*, et tu *c d*. Postea contemplare hac illac te movens recto oculorum visu per *a* usque videas *f*. Tunc considera quanta sit *g c* ad *g a*, tanta est *c h* ad *h f* ut puta. Si *g c*, dupla est ad *g a*, dupla est *c h* ad *h f*; et quantalibet *g c* ad *g a*, tanta est procul dubio *c h* ad *h f*; et quanta est *a g* ad *g c*, tanta est *f h* ad *h c*; et *h f* est mons, et quanta est *d b* ad *h g* tanta est *d i* ad *f i*. Quod si fluvius habeatur vel aliud obstaculum inter *c h*, et non possis pertingere ad montis radicem, ut prædictam invenias mensuram, accipe *a g b*, id est hastam, et ambula retro 30 cubitos aut quantumlibet et iterum contemplare recto visu de *m* per *n* usque ad *d f*, quod est summitas montis, et postea vide, quanta sit *m c* ad *c n* tanta est *m h* ad *h f*. Abstrahe de *m h c h*, et vide quod remanet, tanta est altitudo montis; ut puta, si invenisti *c h* duplum ad *h f*, et post *m h* quadruplum ad *h f*; tolle *c h* de *m h*, id est duo de quatuor, remanent duo, quod est *m c*, dices : quia *m c* duplum est *h f*, dona 30, vel 20 cubitos, ad *m c* et 15, vel 10 ad *h f*, et sic *c h* triplum est ad *h f* et *m h*, septuplum ad *h f*. Abstrahe *c h* de *m h*, id est 3, de 7 remanent 4, quadruplum est *m c* ad *h f*, sic in aliis.



CAPUT XXXVI.

De eodem.


Si quæris sine mutatione hastæ, sic facies. Est mons *a b;* accipe hastam duorum cubitorum longiorem te, et pone ante te in plano. Postea considera ipsam hastam, quæ est *c d e*, et mitte visum tuum recte de *f* per *d* usque *a*, dividens ipsam hastam super unum cubitum et vide quantum sit *f e* ad *e d*, tantum est *f g* ad *g a*. Ambula retro, quousque videas de *h* per *c* usque ad *a*, ubi est summitas montis, et vidi quantum sit *h e* ad *e c*, tantum est *h g* ad *g a*. Invenisti forsitam antea *f g*, quadruplum *g a*, et *h g* decuplum ad *g a*. Minue *f g* de *h g*, id est 4 de 10, remanent 6. Sic est *h f* sescuplum ad *g a* vel *g a* sescuplum ad *f h*.



CAPUT XXXVII.

Ad inveniendam per speculum altitudinem turrium, etc.

Si per speculum aut per concham plenam aquæ quæris scire altitudinem turrium vel montium, accipe speculum, et pone prope montem in plano, et tu tantum te ipsum et speculum positum in terra moveas huc et illuc, quousque videas *a* in *b*, id est summitatem montis in medio speculo, et vide quomodo sint, et quanta inter se invicem *d e*, et *c b*, sic sunt invicem *b e*, et *e a*. Et si sit obstaculum, quod non possis probare, hic ambula retro cum ipso speculo, et pone in terra, et videas movendo te *a* in *z*, et quantam proportionem habent invicem *p r*, et *r z* eamdem habent, *z e*, et *e a* invicem. Minue inde *b e*, remanent *b z*.




CAPUT XXXVIII.

Ad inveniendam latitudinem fluvii vel campi, etc.

Si quæris scire latitudinem fluvii vel alicujus campi vel curtis aut cujuslibet rei, accipe lignum, quod pertingat usque ad oculos tuos, secundum alios minus uno cubito, et pone in ripa fluvii, et sta prope eum, et est lignum, ut subtus vides, quasi *a b*, et pone aliud lignum super ipsum prius erectum, sicut est *c d*. Postea contemplatio recto oculorum visu per *a d* usque videas *e*, id est ripam ex altera parte; nam *b e* est fluvius, et *a e* directus visus. Postea considera quantum sit *a c* ad *c d*, vel econtra quantum est *d c* ad *a c*, tantum est *a c b* ad *b c* ut puta, si *d c*


duplum est *a c* duplum est *b e* ad *e c a*. si triplum, triplum, etc.



CAPUT XXXIX.

Ad idem alius modus.

Si quæris aliter scire, pone hastam minorem te quasi ad pectus, et pone in ripa fluvii, et accipe aliud lignum pertingens usque ad oculos, sicut est *c d*, et ambula retro quantum placet, et pone ipsum fustem, et tu tantum te hac et illac move, quousque de *c* per *a*, usque *e* videas, id est ad alteram ripam fluminis. De hinc minue *a b* de *c d*, remanet *f c*. Vide, quomodo sint *a f* ad *f c*, sic sunt *b e* ad *b a*, si triplum est *a f* ad *f c*, triplum est *b e* ad *b a*.




CAPUT XL.

Ad altum cum sagittis et filo mensurandum.

Cum geometricis figuris intenti philosophorum jam fatigabundi inventionibus inhæremus, ne omnino fatigati deficiamus militaribus exercitiis animum relevemus. Sicut enim corpus quotidianis sumptibus fastidiens inusitato recreatur cibo, sic mens philosophicis onerata austeritatibus conjecturali poetarum relevatur figmento. Quapropter ut animum nostrum reficiamus, militare inventum post multa supponamus.


Si cujuslibet rei altitudinem investigare volueris, hoc modo jaculari ingenio investigare poteris. Sume arcum cum sagitta et filo, et una fili summitate sagittæ postremitati inhærente, altera in manu remanente. Sagitta arcu emissa altitudinis mensurandæ cacumen percutiat. Post hæc alterius fili summitas eodem modo sagittæ vel aliqui jaculo illigetur, et horum utrum vis projectum altitudinis radicem, ut prius cacumen feriat. Quo facto utrumque filum retrahas, et quot pedum vel cubitorum sit, utrumque diligenter mensuratum inspicias. Deinde cujusque fili quisque numerus in se ductus multiplicetur, et quanta utriusque multiplicationis summa fuerit, perpendatur, ac minor summa de majori subtrahatur, et tunc ejus numeri, qui de majori summa remanserit, tetragonale latus diligenter inquiratur. Hoc vero diligenter inquisito et sapienter invento, tot pedum vel cubitorum ambiguitate semota altitudo, de qua inquiritur, pronuntietur quot pedum vel cubitorum tetragoni illius latus unum habet. Et ut, quæ dixi- A mus, apertius cognoscantur, altitudo et fila cum notis figuraliter subjiciantur. Sit altitudo, quæ investigatur, *a b*; sit prioris fili, quod altitudinis summitatem tetigit, quantitas quinario numero terminata, *a c*; sit alterius fili, quod altitudinis radicem percussit, longitudo quaternario numero diffinita *c b*. Post hæc vero prioris fili numerus in se multiplicatus in 25 concrescat; quatuor vero posterioris fili numerus in se ductus in 16 consurgat. Deinde minor numero de 25 sublato, erit remanens 9, cujus tetragonale latus 3 invenitur, quia 3 in se ductus in 9 cumulatur; trium igitur pedum erit altitudo *a b*. Sed quia potest accidere, quod remanentis tetragonale latus interdum in integris numerus nequit B inveniri, subtilitas minutiarum debet necessario adhiberi, de quibus quia longum est disserere, prætermittatur, et figura cum numeris et notis supponatur.



CAPUT XLI.

Ad inveniendam in ampligonio ejecturam, quanta sit, etc.


C Ampligonio tribus lineis datis, majore scilicet hypotenusa 18 pedum, basi 8, hypotenusa vero minore 10, ejecturam, super qua perpendicularis cadit, sic quæras. Ex summa majoris hypotenusæ multiplicatione aggregata duarum minorum linearum, basis scilicet minorisque hypotenusæ, in se multiplicationem (*Cod.*, multiplicatione) subtrahas. Exinde summæ, quæ superabundaverit, adjecto uno medietatem sumas, in qua quoties fuerit numerus basis, tot unitates ejecturæ distribuas. Cathetum vero sic investiges. Ex multiplicatione minoris hypotenusæ ejecturam in se multiplicatam distrahens, reliqui, qui superfuerit, latus sumas; qui numerus erit perpendicularis. Hujus autem ampligonii invenire si vis embadum, duc per cathetum, id est perpendicula- D rem basim horum. Deinde qui ex hac multiplicatione excreverint, sume mediam, quæ absque dubio ampligonii fiet embadum.



CAPUT XLII.

Quomodo in trigono orthogonio cathetus et basis quærantur.


In trigono orthogonio, cujus podismus pedum est 25, embadum 150, cathetus et basis sic quærantur. Hypotenusæ numerus in se multiplicetur. Ad hanc, quæ hinc excreverit, summam, 4 embada, quæ faciunt 600 adjiciantur : quæ conjunctio 1225 repræsentat. Hujus summæ erit latus 35. Deinde ut interstitium duarum rectarum inveniatur, catheti scilicet et basis, ducto hypotenusæ numero in se fient 625. Hinc embadis 4 sublatis, 25 remanent. Hujus latus erit 5. Quo ad latus superioris numeri nimirum 225 juncto, fient 40. Hujus pars media basim trigoni constituet. Ex hac vero numero quinario videlicet, qui superiori, id est 35, ad basim constituendam fuerat aggregatus, aderit cathetus.



CAPUT XLIII.

Ad inveniendam basis et catheti disjunctionem in trigono.

Si datum fuerit trigonum, cujus cathetus et basis simul juncti sint pedum 23, embadum 60, hypotenusa 17, basis et catheti sic quæratur disjunctio. Hypotenusæ numerus in se ducatur, qui consurget in 289. Hinc sublatis 4 embadis, id est 240 et reliqui, qui superabundaverit, id est 49, latere sumpto, atque basis et catheti summæ, 23 juncto fient pedes 30. Hujus sumpta medietas erit basis ejusdem trigoni. Hac vero de 23, id est basis simul et catheti de numero sublata relinquitur octonarius, quo constituitur cathetus. In hac vero figura catheti inventi dimidia multiplicata, et ex ea summa uno dempto invenitur basis, quæ duobus sumptis fit hypotenusa.




CAPUT XLIV.

In trigono oxygonio, cujus in lateribus numeri quantitate dissimiles sint, invenire perpendicularem, etc.

Dato trigonio oxygonio, cujus lateribus numeri quantitate dissimiles sint distributi, minori scilicet hypotenusæ 13, basi 14, majori vero hypotenusæ 15, ejusdem oxygonii si perpendicularem invenire desideras, et præscissuras dignoscere singulas, numero minoris hypotenusæ in se ductæ, id est 13, et basis, A id est 14, utriusque multiplicationis summam aggreges, quæ fiunt 395. Ex hac vero majoris hypotenusæ numerum in se ductum diducas, id est 225, reliqui vero, qui superfuerint, id est 140, sumpta dimidia parte, id est 70, et hac ad basim, id est 14 partita, quinquies 14, in eisdem 70 reperies; quæ denominatio numerus fiet præscissuræ minoris.

Item de multiplicatione minoris hypotenusæ in se ad inveniendum perpendicularem minorem præscissuram ductam in se subtrahas. Qua detracta latus superabundantis numerus erit perpendicularis.



CAPUT XLV.

Per datum quemlibet trigoni orthogonii cathetum basim invenire.


Per datum quemlibet trigoni orthogonii cathetum sic invenies basim. Cathetus ter ducatur, nona pars auferatur, reliqui dimidium sumatur, et erit basis. Basi ablatum restituatur, erit hypotenusa. Vel ita : dimidium sumatur, quod ter ducatur, de ea summa tollatur nona, remanet basis. Vel dimidium catheti sexies ducatur, nona tollatur, reliqui dimidium erit basis; basi reddita nona erit hypotenusa.

C

CAPUT XLVI.

Trigoni orthogonii embadum invenire.

Si quæratur trigoni orthogonii embadum, trium linearum, id est catheti, et basis atque hypotenusæ numeri in unum redigantur, ut puta 6, 8, 10. Nam hi juncti 24 reddunt. Medietas hinc sumatur. Ex his basis seducatur, id est 8; quod remanet, scilicet quatuor per cathetum, id est 6 multiplicetur; illud quoque duplicetur, et fient 48. Quibus per quartam sui multiplicatis, illius summæ latus habeatur pro embado.




In ampligoniis autem vel oxygoniis jam dicta regula habet consequentiam, nec etiam in orthogoniis, nisi in illis, quos sesquitertia, vel sesquiquarta regi proportio. In aliis autem vel orthogoniis sufficiat regula universalis, scilicet per cathetum basim ducere, ejus medium pro embado tenere. Nam per cathetum basim ducere nihil aliud est, nisi aream quadrali vel antelongioris (*Glossa vet.*, id est, altera parte longioris) implere, quam, dum ab angulo in angulum dividis, trigonum reddis.

CAPUT XLVII.

Per cathetum basim invenire.

Per cathetum basim invenire si vis, cathetum ipsum ducas in se, id est 5, qui fiunt 25. Ex his uno dempto reliqui 24 dimidium sumas, id est 12, quod erit basis. Huic vero adjicias unum superius demptum, et invenies hypotenusam.


Embadi autem pedes invenire cupiens, basim per cathetum, id est 12 per 5 ducas, fient 60. Hujus sumpta dimidia id est 30, erit embadum.



CAPUT XLVIII.

Trapizetici embadum invenire.

Trapizeticus est basis pedum 40, cathetus 30, coraustus 25. Embadum dignoscere si vis, per cathetum multiplica coraustum, id est trigesies 25 fiunt 750. Tunc, quod reliquum est basis, ducas per cathetum, id est trigesies 15 sunt 450 medium 225, junge superioribus, sunt 975. Ecce invenitur embadum.



CAPUT XLIX.


Trigoni isoplevri, cujus sunt singula latera 30, embadi pedes comprehendere.

Trigoni isoplevri, cujus sunt singula latera 30, embadi pedes comprehendere si vis, prius cathetum sic invenias. Latus unum in se duc, fient 900; item alterius lateris mediam in se, fient 225. Hos detrahas de 900, remanebunt 675. Quibus si addideris unum, fient 676. Hujus latus est 26. Ecce cathetum quo per basis dimidiam multiplicato, id est 15 per 26, pedes invenies embadi 390.



In omni igitur orthogonio cathetum et basim efficere hypotenusam contingit; hypotenusam vero et cathetum basim; hypotenusam iterum et basim cathetum. Catheto namque in se multiplicato id est 5, qui fient 25, et basi, id est 12, qui 144 accumulant, et utrisque simul in unum junctis fiunt 169, et A ex hac latus sumptum erit hypotenusa. Ex hypotenusa autem in se multiplicata, id est 13, qui fiunt 169, si deduxeris cathetum in se, id est 25 reliqui, id est 144, sumas latus, id est 12, erit basis. Hypotenusam vero si multiplicaveris in se, et exinde summulæ accretæ basim inde subduxeris, id est 144 reliqui, id est 25, latus catheti fiet numerus. Cathetum et basim in eisdem orthogoniis contingit efficere embadum taliter. Catheto, id est 5, per basim, id est 12 multiplicato, fient 60; hujus vero dimidium, id est 30, erit embadum. Quod idem fieret, si per catheti dimidiam basis, vel per basis dimidium cathetus multiplicaretur.

B



CAPUT L.

Trigoni isoscelis cathetum invenire vel embadum.

Trigoni isocelis (*Cod.*, isoscelis), cujus singula latera sunt pedum 25, basis vero 14, si cathetus quæratur, vel embadum. Uno latere in se ducto, id est 25, fient 625. His si subduxeris dimidium basis in se 49, reliqui, id est 576 sumas latus, id est 24, et tot pedum erit cathetus. Quo per basis dimidium multiplicato, invenies embadi numerum 169.

C



CAPUT LI.

Trigoni scaleni cathetum invenire.

Trigoni scaleni, cujus minus latus sit pedum 15, basis 25, majus latus 20, cathetum inveniendi hæc erit regula: minore latere in se multiplicato, id est, 15 fient 225, basi vero, id est 25, erunt 625. His utrimque summulis in unum junctis fient 850. Quibus si subduxeris majus latus in se, id est 400; ex reliquo, qui superfuerit, id est 450, sume dimidium, id est 225, eodem numero denominatam accipias partem, quo superscribitur basis, id est 25, nonam vero 25 dicti numeri invenies, et tot pedum erit minor præcisura, qua in se multiplicata fient 81. Quos si subduxeris de minoris lateris in se multiplicatione, id est de 225, reliqui, qui superfuerit, id est 144, latus fiet catheti numerus.


D



CAPUT LII.

In quaarato diagonum invenire.

In quadrato diagonum invenire si vis, ut in orthogoniis jam diximus, latus unum, cui superest 4, in se ducas, et fient 16. Altero vero in se ducto, id est 3, 9. Quibus in unum junctis fient 25. Cujus vero si sumpseris latus, effecisti diagonum. Per quod embadum invenire si vis, duc in se, fient 25. Hujus sumpta medietas fit embadum. Sed quod propius est veritati, et in omni contingit quadrato, per latitudinem longitudo est multiplicanda, et qui inde excreverit fiunt pedes areæ.




CAPUT LIII.

Numerum arborum in agro invenire

Ager, cujus longitudo est pedum 120, latitudo 70, in quo arbores dispositæ sunt inter pedes 5; quarum numerus, si quæratur, utriusque partis, quanta est, sumenda est, longitudinis scilicet 24, latitudinis 14. Quibus invicem multiplicatis, fient 336. Ecce numerus arborum.

Est et alia inveniendi regula, ut per longitudinem latitudo multiplicetur, et fient 8400, quibus per quinquies quinque, id est 25, partitis fient 336, et tot erunt arbores. Sub scientia vero longitudine cum numero arborum comprehensa latitudo sic quæratur, 120 qui numerus est longitudinis, partiatur per 5, et erunt 24, quos numerus arborum 336 continet decies quater; qui 14, et ipsi quinquies ducti efficiunt 70; quæ est latitudo agri.



CAPUT LIV.

Rhombi cathetum quærere.

Rhombi (*Cod.* cumbi) vero, cujus fient singula latera pedum 10, et diagonum 12, cathetum sic quæras. Diagonum dimidium, id est 6, in se multiplica, fiunt 36. His subductis de multiplicatione unius lateris in se, id est de 100, reliqui, id est 64, sumas latus, id est 8, et tot pedum rhombi cathetus. Quo per diagonum, id est 12, multiplicato fient 96; et tot pedum erit area.

CAPUT LV.

Quomodo trigonus, tetragonus, hexagonus, etc., æquilateri suas areas impleant.

Omnis trigonus æquilaterus unum latus in se A multiplicat, ipsum latus ad eam multiplicatione addit, horum dimidiam sumit, et sic aream suam implet.

Omnis autem tetragonus æqua latera habens unum latus in se multiplicat, ea semel multiplicatione aream suam implet.

Pentagonus, qui æquis continetur lateribus, ter multiplicationem unius lateris in se expostulat, et ex illius summa multiplicationis semel aream diducere et reliqui medietatem sumere.

Hexagonus quater lateris multiplicationem in se expostulat, et ex summa multiplicationis bis aream diducere et reliqui sumere medietatem.

Heptagonus quinquies, aream ter.

Octogonus septies, aream quater.


B Ennagonus septies, aream quinquies. Et cæteri ad hanc consequentiam.

CAPUT LVI.

Cujuscunque rotundi vel circuli diametrum invenire et embadum.

Cujuscunque rotundi vel circuli si vis diametrum invenire et embadum, sic quæras: ex ipso ambitu 22 unitate sublata, reliqui, qui superfuerit, sumas tertiam; quæ fiet diametrum.


Embadum si vis invenire, vel tota circuitio per integrum diametrum ducenda est, et tunc quarta sumenda; vel dimidium circuitus per diametrum integrum, et tunc medietas, vel quarta pars circuitus per diametrum, et tunc totum. Quod idem esset, si per dimidium circuitus diametri duceretur dimidium. C



CAPUT LVII.

In hemicyclo aream invenire.

D In hemicyclo, cujus basis sit pedum 28, diametrum 18, aream sic quæras: per diametrum ducas basim; fient pedes 392. His undecies ductis fiunt pedes 312. Hujus sumpta decima quarta parte fiet 398; et tot pedum est hujus hemicycli area.




CAPUT LVIII.

Sphæræ aream colligere.

Sphæræ, cujus est pedum longitudo 4, latitudo 3


sic colligatur area : longitudine et latitudine simul junctis fient 7, dimidium horum 3, 5. His in se 12 et 3. Hi undecies fient 434. SS. Horum sumpta parte decima quarta fient pedes 9, unciæ 7 et semis uncia, id est septunx, et semuncia. Sphæræ igitur hæc erit area. Regula autem hæc vera est in omni sphæra sive rotunda, sive oblonga.



CAPUT LIX.

In trigoni orthogonio circuli inscripti et singula latera tangentis diametrum invenire.

In trigonio orthogonio circuli inscripti et singula latera tangentis, ex numeris catheti et basis simul junctis hypotenusæ numerum si subduxeris, invenies diametrum. Sed si vis dignoscere quantum embadi partibus ipsius trigoni circulum extracedentibus relinquitur, embado totius trigoni prius per supradictas regulas invento vigesimam primam subtrahas; ipsamque undecies multiplicatam circuli areæ tribuas. Quod vero reliquum fuerit, id est 140, pro embado dictarum partium, scilicet extracedentium, teneas, ut subjecta descriptio docet: videlicet tolle vicesimam primam, et multiplicata undecies, fit area circuli. Multiplica decies, fiunt excessiones trigoni.




CAPUT LX.

Regula ad constituendas pyramides in omnibus figuris a multis angulis procedentibus et æqui lateris.

In omnibus figuris a multis angulis procedentibus, et æqua latera habentibus ad pyramides constituendas hæc sufficiat regula: dictarum cujuscunque ngurarum area inventa bis ducatur, eique summæ lateris unius numerus jungatur, et hæc permistio per numerum unitate tantummodo latus unum præcedentem multiplicetur, et ejus summæ sexta pars sumatur, quæ fiet pyramis superficiei ante duplicatæ.


Sed ut exemplum de singulis demus, prius trigonium, oxygonium, et æquilaterum sub oculis ponamus latera singula habentem denario numero designata, cujus embadum sit 55; quod bis ducatur, et fient, 110, quibus uno latere juncto. id est 101 fient 120. Hi, per numerum unitate latus unum præcedentem, id est undecies ducti, fient 1320. Hujus sexta sumpta, id ex 220 jam dicti oxygonii fiet pyramis.



CAPUT LXI.

Invenire pyramidem in tetragono, cujus sint singula latera pedes 10 et embadum 100.


Tetragonum vero, cujus sint singula latera pedes 10, et embadum 100, pyramis sic quæratur, ut in trigonio superius descripto, videlicet ut embadum ejus, quod est 100 bis ducatur: fiunt 200 eique summæ latus unum jungatur, fient 210. Hi undecies propter supradictam causam ducti fient 2310. Hujus sexta, id est 385, fiet pyramis descripti tetragoni.



CAPUT LXII.

In pentagono æquilatero denarii numeri pyramidem indagare.


In pentagono quoque, qui æqualibus continetur lateribus, et denario numero supernotatis eamdem regulam ad pyramidem constituendam indiscrepanter invenies. Hujus namque pentagonii area, id est: 145, bis in se ducta fient 290, et unius lateris numero augmentato repræsentat 300, et his undecies ductis fiunt 33. Post cujus sextam, id est: 550 area jam dicta suæ accumulatur pyramidi. Hanc igitur regulam nemo in cæteris, id est: hexagonis, vel heptagonis, vel octogonis, vel ennagonis, vel decagonis, vel in omnibus a multiangulo procedentibus, et æqua latera habentibus dubitet habere consequentiam, et non tantum denario innotatis, sed quolibet numero.



CAPUT LXIII.

In omni circulo, duobus circumscripto tetragonis, scire, quantum ab extracedente vincatur, etc.

In omni circulo, qui duobus circumscribitur tetragonis, uno interius, altero exterius, si vis comprehendere, quantum ab extracedente vincatur, et subscriptum vincat, diametrum ejus duc in se. Quod cum facis, cathetum suprascripti tetragonii per basim multiplicatum reddis, et ea multiplicatione aream ejus imples. Ex illius vero summæ integritate ad circuli aream inveniendam tres 14 subducas. Quibus subductis, quod reliquum fuerit, si per superius dictam regulam, et dimidio circuitus multiplicante dimidium diametri, esse circuli invenies aream, ab extracedente tetragono ipsum scias circulum tribus 14 ejusdem superari. Ab eodem vero embado suprascripti tetragoni si sumpseris medietatem, et quatuor decimas quartas ejusdem quantitatis, cujus fuerint superiores ab integritate sumptæ addideris, jam dicti circuli aream implebis. Quod cum facis, ipsam medietatem sumptam ab integro embado majoris tetragonii aream scias fuisse minoris, eam quatuor decimis quartis a circulo superari, dum eadem area eisdem quatuordecimis ad embadum supplendum augmentatur. Quod ut manifestius appareat in descriptione, circulus cum tetragonis ponatur. Quid partibus majoris tetragoni circulum extracedentibus relinquitur? 49. Quid partibus circuli extracedentibus minorem tetragonum relinquitur? 56



CAPUT LXIV.

Montis jugera invenire.

Montis si quærantur jugera, qui in verticis circuitu habeat pedes 300, ascensu 800, in uno per circuitum 1000, jungantur duæ circuitiones, id est: 1300. Ex his media sumatur, id est 650. Hi per ascensum 800 ducantur, fient $\overline{DXX}$ tot erunt pedes totius, id est: $\overline{XXVIII}$, $\overline{DCCX}$ supradictus numerus dividatur. Quo facto in monte jugera invenientur 18 remanentibus pedibus 1600.



CAPUT LXV.

Quomodo quadrata, et latera trigoni, tetragoni, pentagoni, etc., nascantur.

Omnis trigonus, qui ducitur octies, accepto uno facit quadratum, cujus quadrati latus dempto uno et dicta parte secunda facit trigoni latus.

Omnis tetragonus ductus decies sexies facit quadratum, cujus quadrati latus dicta parte quarta facit tetragoni latus.

Omnis pentagonus ductus vigesies quater et accepto uno facit quadratum, cujus quadrati latus accepto uno et dicta parte sexta facit pentagoni latus.

Omnis hexagonus ductus trigesies bis acceptis quatuor facit quadratum, cujus quadrati latus acceptis duobus et dicta parte octava facit hexagoni latus.

Omnis heptagonus quadragies ductus acceptis 9 facit quadratum, cujus quadrati latus acceptis tribus et dicta parte decima facit heptagoni latus.

Omnis octogonus quadragies octies ductus acceptis 16 facit quadratum, cujus quadrati latus acceptis 4 et dicta parte duodecima facit octogoni latus.

Omnis ennagonus ductus quinquagies sexies acceptis 25 facit quadratum, cujus quadrati latus acceptis 5 dicta parte decimaquarta facit ennagoni latus.

Omnis decagonus ductus sexagies quater acceptis 36 et dicta parte decima sexta facit decagoni latus.

Omnis undecagonus ductus septuagies bis acceptis 49 facit quadratum, cujus latus acceptis 7 et dicta parte decima nona facit undecagoni latus.

Omnis duodecagonus ductus octuagies acceptis 64 facit quadratum, cujus latus acceptis 8 dicta parte vigesima facit duodecagoni latus.

Vide consequentiam, ut horum ductio octenario semper numero accrescat, augmentationes a pentagono numero impari naturaliter. Trigonus namque octies, tetragonus decies sexies, pentagonus vigesies quater, hexagonus trigesies bis ducitur, ut est ab octo octies, a sedecim sedecies, et sic subsequenter. Inter quas denominationes octo semper inesse nemo dubitet differentiam, et sic in cæteris. A pentagono autem incipientes augmentationes omnium multiplicationum impari naturaliter numero discrepare manifestum est. Pentagoni enim multiplicatio uno tantummodo, hexagoni 4 heptagoni 9 augmentatur, octogoni 16. Inter primos namque, id est: 5 et 4 primus impar numerus differentiæ locum obtinet, id est: tres inter quatuor, et novem: secundus, id est: quinarius inter novem, et sedecim: tertius, id est: septimus.

CAPUT LXVI.

In oxygonio cathetum et embadum invenire.

In oxygonio, cujus sit latus minus ped. 13, majus 15, basis vero 14. cathetum et embadum sic quæras. Latus minus in se ductum sit 169, et basis

in se fiunt 196, utrumque in unum fiunt 365. Deinde hypotenusa in se fient 225. His deductis de 365 fit reliquum 140. Hujus pars dimidia erit 70. Cujus decima quarta id est : 5 erit præcisura minor, in qua cadet cathetus. Hi in se fient 25. His ductis de 169 fit reliquum 144. Hujus latus, id est : 12 erit cathetus. Quo per basis dimidium multiplicato invenitur embadum.


In omni quadrato æquilatero scito diagonum ipsum habere in sui longitudine latus unum et lateris quadrati aream duplicare si vis, diagonum quadrati minoris spacio latus majoris.



CAPUT LXVII.

Oves in campo sic collocare, ut quævis certum spatium occupet.


In campo, qui habet in longitudine pedes 200 in latitudine 100 si sic oves mittere (velis) ut unaquæque habeat in longo pedes 5, in lato 4, sic facito : duc 5, vicenos, vel quintam partem de 100, fient 40 ; ac deinde 100 divide per 4 quarta pars centenarii 25 sunt. Sive ergo 40 vigesies quinquies, sive 25 quadragies duxeris, implebis 1000, qui est numerus collocatarum ovium.



CAPUT LXVIII.

Scire, quot agripennos claudat campus fastigiosus.

Campus fastigiosus, qui habet in unoquoque latere perticas 100, in unaquaque fronte 50, in medio 60, si vis scire quot agripennos claudat, facito ita : Junge frontem 50 et medium 60, fient 110. Tunc medietatem, id est 55 per longitudinem, id est 100 multiplica : fient 5500. Hæ sunt perticæ totius campi. Ut autem agripennos invenias, divide 5500 per perticas unius agripenni, id est per 144, secundum quosdam, qui dicunt agripennum in unoquoque latere 12 perticas habere, et invenies trigesies octies 144 in 5500, remanentibus perticis 28 sic scias esse agripennorum 38 numerum.




Si fuerit autem divisio per 72 (dicunt enim quidam apripennum in longo habere 12, in lato vero 6, sexies autem 12 sunt 72), erunt 72 agripenni, remanentibus similiter supradictis perticis. Hanc autem si probare vis regulam, taliter proba. Semotum ducas longilaterum, et dicas : quinquagies 100 erunt 5000. Deinde curvaturarum embada perpendere si vis, per cathetum utriusque curvaturæ, id est, 5 et 5, si dictæ regulæ in orthogoniis non immemor fueris, embadum invenies unius curvaturæ 250, alterius vero æqualiter, qui simul sunt 500. Ecce numerus perticarum fastigiosi campi 5500.

CAPUT LIX.

In campo quadrangulo agripennos cognoscere.

In campo quadrangulo, qui habet in uno latere perticas 30, in altero 32, in fronte una 32, in altera 34, sic cognoscas quot agripenni claudi debeant. Duæ hujus campi longitudines faciunt 62. Duc mediam de 62, fiunt 31. Duæ quoque latitudines ejusdem campi junctæ, faciunt 66. Duc etiam mediam de 66, fiunt 33. Has duas medietates invicem confer, fient 1023 Ecce numerus perticarum totius campi. Hunc divides per numerum unius agripenni, id est per 144, et invenies 7 esse agripennos in illo campo, remanentibus perticis 15.



CAPUT LXX.

In campo triangulo agripennos invenire.

In campo triangulo, qui habet in uno latere perticas 30, in alio totidem, in fronte vero 18, quot agripenni concludi debeant, sic accipito. Junge simul duas longitudines, fient 60. Et duc mediam de 60, fient 30. Et quia in fronte 18 habet perticas, duc mediam de 18, fient 9. Duc novies 30, fient 270. In hoc igitur numero agripennus unus est et remanentibus 54 perticis. Scias autem nos ubique intendere, agripennum esse circumquaque 12 perticis.




CAPUT LXXI.

In campo rotundo numerum agripennorum nosse.

In campo rotundo, qui habeat in gyro perticas 418, sic numerum agripennorum comprehendere potes. De 418, vigesima secunda parte sublata, id est 19, reliquorum diametrum, id est tertiam sumas, id est 133. Deinde hujus tertiæ dimidiam, id est 66 S


per medietatem totius circuitus, id est 209 ducas, et totam indubitanter implebis aream 14898 et S perticis. Quibus per 144 partitis, erunt agripenni 96 S remanentibus perticis duabus et dimidia, sive agripenni 96 S 100, et nihil remanet.



CAPUT LXXII.

In civitate quadrangula ponere domos certæ longitudinis et latitudinis.

In civitate quadrangula, quæ habet in uno latere pedes 1100, in altero 1000, et in fronte una pedes 600, in altera totidem, si vis ponere domos ita ut cujusque longitudo sit pedum 40, latitudo vero 30, sic facito. Junge duas hujus civitatis longitudines: junctæ fient 2100. Similiter si fuerint duæ latitudines junctæ, fient 1200. Ergo duc mediam de 1200, fiunt 600. Rursus duc mediam de 2100, fiunt 1050. Et quia unaquæque domus habet in longo pedes 40, et in lato pedes 30, duc quadragesimam partem de 1050, fiunt 26, remanentibus 10; atque iterum assume trigesimam de 600, fiunt 20. Viginti ergo vigesies sexies ducti fiunt 520. Tot domus capiendæ sunt.



CAPUT LXXIII.

In civitate triangula de eadem re.


In civitate triangula, quæ habet in uno latere pedes 100, in altero 100, in fronte vero 90, si vis scire quot domus capiat, ita ut quæque domus habeat in longitudine pedes 20, in latitudine 10, ita facito. Duc mediam de lateribus junctis, id est de 200, fiunt 100. De fronte similiter, id est de 90, 45 fiunt. Et quia longitudo uniuscujusque domus habet pedes 20, et latitudo 10, duc vigesimam de 100, fiunt 5, et decimam de 40, fient 4. Duc igitur quinquies quatuor, fient 20; tot domus capiet hujusmodi civitas.



CAPUT LXXIV.

In civitate rotunda domos certæ longitudinis et latitudinis locare.

In civitate rotunda, cujus ambitus est 8008 pedum, domos locare si vis, quarum longitudo 30 sit pedum, latitudo vero 20, sic facias: vigesimam secundam partem, id est 364 auferas, reliquorum vero 7644 tertiam sumas, id est 2548; hos pro diametro habeto. Hujus igitur diametri medietas, id est 1274, si per medietatem ambitus, id est 4000 et 4 ducatur, impletur area tota pedibus quinquies millies ICMXCVI qui per 600, id est per vigesies 30 divisi faciunt domos 8301. remanentibus 496 pedibus.



CAPUT LXXV.

Basilicæ pavimentum quot laterculi debeant supplere.

Basilicæ, cujus longitudo pedum sit 240, latitudo 120, pavimentum quot laterculi supplere debeant, sic accipe (laterculus autem in longitudine 23 habeat uncias, in latitudine 12). Longitudo per latitudinem multiplicetur, id est 120 per 240, fiunt 28800. Hos per duodecies duodecim, id est per 144 (tot enim uncias habet pes unus multiplicans) invenies uncias quater MMCXLVII. CC. Quas si diviseris per duodecies 23, id est per uncias unius laterculi, quæ sunt 276, fient 15026, remanentibus 24 unciis. Tot igitur laterculi dictæ basilicæ pavimentum contegere possunt.

CAPUT LXXVI.

In lacuna, canna, etc., viam certa latitudine ducere.

In lacuna una, vel canna, vel cavana [*Glossa vel*, cavana, id est cellarium], quæ in longitudine pedes habet 100, in latitudine 64, cuppas longas pedibus 7, latas 4, si sic locare velis, ut pervium pedibus 4 atus in longum ducatur, sic facito. Vide quoties 7 in 100, et 4 in 64 habeantur: invenies quaterdecies 7 in 100, remanentibus duobus, et decies sexies 4 in 64. Sed ex his 4 ad pervium deputantur. Quia ergo in 60 quindecies 4 sunt, et in 100 quaterdecies 7, fiunt 210. Tot cuppas igitur in cavana dicta locare poteris.

CAPUT LXXVII.

In circulo embadum invenire.

In circulo, cujus diametrum sit pedum 14, embadum sic quæras. Duc diametrum in se, fiunt 196. Ducundecies, fiunt 2156, sume partem decimam quartam, fiunt 154; et tot pedum erit embadum.

in se fiunt 196, utrumque in unum fiunt 365. Deinde hypotenusa in se fient 225. His deductis de 365 fit reliquum 140. Hujus pars dimidia erit 70. Cujus decima quarta id est : 5 erit præcisura minor, in qua cadet cathetus. Hi in se fient 25. His ductis de 169 fit reliquum 144. Hujus latus, id est : 12 erit cathetus. Quo per basis dimidium multiplicato invenitur embadum.


In omni quadrato æquilatero scito diagonum ipsum habere in sui longitudine latus unum et lateris quadrati aream duplicare si vis, diagonum quadrati minoris spacio latus majoris.



CAPUT LXVII.

Oves in campo sic collocare, ut quævis certum spatium occupet.


In campo, qui habet in longitudine pedes 200 in latitudine 100 si sic oves mittere (velis) ut unaquæque habeat in longo pedes 5, in lato 4, sic facito : duc 5, vicenos, vel quintam partem de 100, fient 40 ; ac deinde 100 divide per 4 quarta pars centenarii 25 sunt. Sive ergo 40 vigesies quinquies, sive 25 quadragies duxeris, implebis 1000, qui est numerus collocatarum ovium.



CAPUT LXVIII.

Scire, quot agripennos claudat campus fastigiosus.

Campus fastigiosus, qui habet in unoquoque latere perticas 100, in unaquaque fronte 50, in medio 60, si vis scire quot agripennos claudat, facito ita : Junge frontem 50 et medium 60, fient 110. Tunc medietatem, id est 55 per longitudinem, id est 100 multiplica : fient 5500. Hæ sunt perticæ totius campi. Ut autem agripennos invenias, divide 5500 per perticas unius agripenni, id est per 144, secundum quosdam, qui dicunt agripennum in unoquoque latere 12 perticas habere, et invenies trigesies octies 144 in 5500, remanentibus perticis 28 sic scias esse agripennorum 38 numerum.




Si fuerit autem divisio per 72 (dicunt enim quidam apripennum in longo habere 12, in lato vero 6, sexies autem 12 sunt 72), erunt 72 agripenni, remanentibus similiter supradictis perticis. Hanc autem si probare vis regulam, taliter proba. Semotum ducas longilaterum, et dicas : quinquagies 100 erunt 5000. Deinde curvaturarum embada perpendere si vis, per cathetum utriusque curvaturæ, id est, 5 et 5, si dictæ regulæ in orthogoniis non immemor fueris, embadum invenies unius curvaturæ 250, alterius vero æqualiter, qui simul sunt 500. Ecce numerus perticarum fastigiosi campi 5500.

CAPUT LIX.

In campo quadrangulo agripennos cognoscere.

In campo quadrangulo, qui habet in uno latere perticas 30, in altero 32, in fronte una 32, in altera 34, sic cognoscas quot agripenni claudi debeant. Duæ hujus campi longitudines faciunt 62. Duc mediam de 62, fiunt 31. Duæ quoque latitudines ejusdem campi junctæ, faciunt 66. Duc etiam mediam de 66, fiunt 33. Has duas medietates invicem confer, fient 1023 Ecce numerus perticarum totius campi. Hunc divides per numerum unius agripenni, id est per 144, et invenies 7 esse agripennos in illo campo, remanentibus perticis 15.



CAPUT LXX.

In campo triangulo agripennos invenire.

In campo triangulo, qui habet in uno latere perticas 30, in alio totidem, in fronte vero 18, quot agripenni concludi debeant, sic accipito. Junge simul duas longitudines, fient 60. Et duc mediam de 60, fient 30. Et quia in fronte 18 habet perticas, duc mediam de 18, fient 9. Duc novies 30, fient 270. In hoc igitur numero agripennus unus est et remanentibus 54 perticis. Scias autem nos ubique intendere, agripennum esse circumquaque 12 perticis.




CAPUT LXXI.

In campo rotundo numerum agripennorum nosse.

In campo rotundo, qui habeat in gyro perticas 418, sic numerum agripennorum comprehendere potes. De 418, vigesima secunda parte sublata, id est 19, reliquorum diametrum, id est tertiam sumas, id est 133. Deinde hujus tertiæ dimidiam, id est 66 S


per medietatem totius circuitus, id est 209 duças, et totam indubitanter implebis aream 14898 et S perticis. Quibus per 141 partitis, erunt agripenni 96 S remanentibus perticis duabus et dimidia, sive agripenni 96 S 100, et nihil remanet.



CAPUT LXXII.

In civitate quadrangula ponere domos certæ longitudinis et latitudinis.

In civitate quadrangula, quæ habet in uno latere pedes 1100, in altero 1000, et in fronte una pedes 600, in altera totidem, si vis ponere domos ita ut cujusque longitudo sit pedum 40, latitudo vero 30, sic facito. Junge duas hujus civitatis longitudines: junctæ fient 2100. Similiter si fuerint duæ latitudines junctæ, fient 1200. Ergo duc mediam de 1200, fiunt 600. Rursus duc mediam de 2100, fiunt 1050. Et quia unaquæque domus habet in longo pedes 40, et in lato pedes 30, duc quadragesimam partem de 1050, fiunt 26, remanentibus 10; atque iterum assume trigesimam de 600, fiunt 20. Viginti ergo vigesies sexies ducti fiunt 520. Tot domus capiendæ sunt.



CAPUT LXXIII.

In civitate triangula de eadem re.


In civitate triangula, quæ habet in uno latere pedes 100, in altero 100, in fronte vero 90, si vis scire quot domus capiat, ita ut quæque domus habeat in longitudine pedes 20, in latitudine 10, ita facito. Duc mediam de lateribus junctis, id est de 200, fiunt 100. De fronte similiter, id est de 90, 45 fiunt. Et quia longitudo uniuscujusque domus habet pedes 20, et latitudo 10, duc vigesimam de 100, fiunt 5, et decimam de 40, fient 4. Duc igitur quinquies quatuor, fient 20; tot domus capiet hujusmodi civitas.



CAPUT LXXIV.

In civitate rotunda domos certæ longitudinis et latitudinis locare.

In civitate rotunda, cujus ambitus est 8008 pedum, domos locare si vis, quarum longitudo 30 sit pedum, latitudo vero 20, sic facias: vigesimam secundam partem, id est 364 auferas, reliquorum vero 7644 tertiam sumas, id est 2548; hos pro diametro habeto. Hujus igitur diametri medietas, id est 1274, si per medietatem ambitus, id est 4000 et 4 ducatur, impletur area tota pedibus quinquies millies ICMXCVI qui per 600, id est per vigesies 30 divisi faciunt domos 8301. remanentibus 496 pedibus.



CAPUT LXXV.

Basilicæ pavimentum quot laterculi debeant supplere.

Basilicæ, cujus longitudo pedum sit 240, latitudo 120, pavimentum quot laterculi supplere debeant, sic accipe (laterculus autem in longitudine 23 habeat uncias, in latitudine 12). Longitudo per latitudinem multiplicetur, id est 120 per 240, fiunt 28800. Hos per duodecies duodecim, id est per 144 (tot enim uncias habet pes unus multiplicans) invenies uncias quater MMCXLVII. CC. Quas si diviseris per duodecies 23, id est per uncias unius laterculi, quæ sunt 276, fient 15026, remanentibus 24 unciis. Tot igitur laterculi dictæ basilicæ pavimentum contegere possunt.

CAPUT LXXVI.

In lacuna, canna, etc., viam certa latitudine ducere.

In lacuna una, vel canna, vel cavana [*Glossa vel*, cavana, id est cellarium], quæ in longitudine pedes habet 100, in latitudine 64, cuppas longas pedibus 7, latas 4, si sic locare velis, ut pervium pedibus 4 atus in longum ducatur, sic facito. Vide quoties 7 in 100, et 4 in 64 habeantur: invenies quaterdecies 7 in 100, remanentibus duobus, et decies sexies 4 in 64. Sed ex his 4 ad pervium deputantur. Quia ergo in 60 quindecies 4 sunt, et in 100 quaterdecies 7, fiunt 210. Tot cuppas igitur in cavana dicta locare poteris.

CAPUT LXXVII.

In circulo embadum invenire.

In circulo, cujus diametrum sit pedum 14, embadum sic quæras. Duc diametrum in se, fiunt 196. Ducundecies, fiunt 2156, sume partem decimam quartam, fiunt 154; et tot pedum erit embadum.

CAPUT LXXVIII.


Ex diametro circulum indagare.

Ex diametro circulum sic quæras : diametrum, exempli gratia, 14 vigesies bis, fient 308, sumas partem septimam, fit 44 ; quod est circulus.

CAPUT LXXIX.

In hemicyclo embadum invenire.

In hemicyclo, cujus sit basis pedum 10, linea in centrum 5, embadum sic quæras : duc in se diametrum, fit 100. Hoc undecies multiplica, fit 1100. Hujus vigesimam octavam sume, erit in pedibus 39, duabus septimis remanentibus, id est 8 ; et hæc est area. Idem esset, si basim per lineam quæ ducitur in centrum multiplicatam undecies duceres, ac exinde decimam quartam acciperes. Quod verum est in omni integre dimidiata sphæra.



In circulo, cujus sit area pedum 616, diametrum sic quæras. Quater decies ducatur, fient area 8624. Hinc pars undecima fit 784. Hujus numeri latus fit 28 ; et hoc erit diametrum.

CAPUT LXXX.


In orthogonio, cujus cathetus sit pari numero notatus, basim et hypotenusam invenire.

In orthogonio, cujus cathetus sit pari numero adnotatus, velut 8, sic basim et hypotenusam quæras. Catheti sumpta pars dimidia, id est 4, in se multiplicentur, fient 16, et in his uno dempto remanet basis, cui duobus redditis fit hypotenusa.

CAPUT LXXXI.

In monte strabo jugera invenire.

In monte strabo [*Glossa vet.*, qui in altero latere præceps, in altero extentam declivitatem habet] qui habet ad pedem in circuitu pedes 1400, in acumine 200, in altitudine dexteræ partis 850, in lævæ vero 750, sic quæras jugera. Superioris circuitionis cum inferiore junctæ sume dimidiam, quæ fit in 800 pedibus. Has medietates invicem multiplica, et fiunt 640. In his vigesies bis reperies unius jugeri pedes 28800, remanentibus 6400.



CAPUT LXXXII.

Columnam facere, circulum incrassare, altitudinem rerum invenire.

Ad columnam faciendam longitudinis, septimam in inferiori circuitu des, octavam superiori.

Circulum incrassare si vis, diametrum ejus cubices, ipsam cubicationem ejus undecies ducas, et ex ea summa vigesimam primam accipias, et hæc erit sphæræ crassitudo.

Est etiam ratio alia altitudinem videndi, quæ est hujusmodi. Orthogonium, cujus cathetus 6 vel trium pedum sit, basis 8 vel 4, hypotenusa 10 vel 5, erigas ita ut terræ basis adjaceat : cathetus adversus illam rem, cujus altitudo perpendi debet, erectus habeatur ; hypotenusa vero a summo catheti ad terram, in summum basis deducatur. Sic directo illuc, ubi basis et hypotenusa junguntur, oculum apponas ad terram prostratus. Deinde huc illucque tandiu detrahas, oculo tamen semper apposito, donec tibi summum catheti illius rei, cujus altitudinem quæris, summitati adæquari videatur. Quo facto ponas signum, ubi oculum tenebat, et ex eo signo metire spatium usque ad pedem rei illius. Huic spatio per 4 partito quartam unam detrahas ; cæteras 3 pro altitudine illius rei, de qua quærebas, habeto. Hæc altitudinem videndi certissima ratio est, si tamen area, per quam cathetus erectus detrahitur non montuosa, non vallosa, sed plana fuerit.

CAPUT LXXXIII.

Putei amphoras nosse.

Puteus, cujus sit diametrum 7, altitudo 40 pedum, tot amphoras capiet quot processerint pedes ex hujusmodi diametri area, altitudineque in invicem multiplicata, si pede uno longa et alta fuerit amphora.

CAPUT LXXXIV.

Cuppa quod pedum solidorum sit, quotque amphoras capiat, invenire.

Cuppa, cujus latitudo ima pedum sit 3, summa 2, media 5, altitudo vero 12, quot pedum sit solidorum, ac per hoc quot amphoras capiat, sic quæras : latitudine media in se ducta, ac summa deinde excreta triplicata, diametrisque summo et imo in se singulatim ductis, omne in unum fit 88. His undecies ductis ac summæ exinde notæ quarta decima sumpta fiunt 69 et duæ quartæ decimæ, id est una septima. His per tertiam altitudinis, id est per quaternarium multiplicatis venit numerus amphorarum 276 et 8 quartæ decimæ, id est 4 septimæ.

Si fuerit cuppa, cujus ima latitudo sit pedum 3, summa 3, altiudo 9, quot amphoras capiat sic quæras : ima in se fit 25, summa quoque in se fit 9, utriusque in invicem fiunt 15. His tribus summis simul junctis fiunt 49. His undecies ductis fiunt 539. Horum pars decima quarta fit 38 S. Hæc per altitudinis tertiam ducta fiunt 115 S. Tot erunt amphoræ vel pedes solidi.

His tribus regulis, de puteo scilicet et de duabus cuppis diligenter inspectis, pene nullus erit puteus, vel cuppa, vel tonna aliqua, quin ejus possit indagari profunditas, nisi mira in eis fuerit diversitas.

CAPUT LXXXV.

Ex adunatione omnium numerorum, secundum ordinem naturalem prolatorum, scire quanta profunditas crescat, etc.

Ex adunatione omnium numerorum secundum ordinem naturalem prolatorum si vis scire quanta profunditas crescat, hæc tibi regula sufficiat, si tantum coadunatio illa ab unitate incipiat, et sic per regulas et per ordinem continuatim procedat. Si par numerus coacervabitur, per medium ultimi sequens multiplicabitur, v. g., 1 2 3 4 5 6, vel scire quot sint, per senarii medietatem subsequens, id est septenarius multiplicetur, et fient 21; quam summam similiter reddet supradicta coadunatio. Si autem impar numerus numerorum aggregabitur, per majorem sui partem ultimus aggregatus multiplicabitur, ut est 1 2 3 4 5 6 7. Multiplica septenarium per maximam sui partem, id est per 4. Quater 7 fiunt 28, qui omnes supra scriptos terminos claudunt. Si solummodo par, ut est 2 4 6 8, ducatur medietas ultimi aggregati per illum, qui sequitur ipsam, et si impar, ut 1 3 5 7 9, major pars ultimi in se ducatur.

CAPUT LXXXVI.

Circuli inauraturam invenire.

Circuli inauraturam sic quæras: diametrum circuli in se ductum vigesies bis multiplica. Effectæ summæ septimam accipias, et hæc circuli erit inauratura; quod idem esset, si per diametrum circulum multiplicares.

CAPUT LXXXVII.

Columnæ inæqualis pedes invenire

Si fuerit columna inæqualis, cujus ima latitudo pedum sit 13, summa 5, altitudo 30, ejus pedes sic quæras. Ima latitudine in se multiplicata, ac summa in se, ac utraque invicem, hisque tribus summis simul compositis fiunt pedes 259. His undecies ductis, ac exinde effectæ summæ quartadecima detracta venient 203 S., scilicet pedes arearum summæ et mediæ ac infimæ. His deinde per tertiam altitudinis multiplicatis erunt solidi pedes 2035.

CAPUT LXXXVIII.

Hexagonum facere.

Si volueris hexagonum facere, cujus latus habeat pedes 10, facies 10 pedum, lineam et in extremitate ejus circinum figas, et circulum facias; et qualis est linea a medio centro circuli usque ad extremitatem ejusdem, similes sex per extremitates circuli ducas, et hexagonum habebis.

CAPUT LXXXIX.

Intra quadratum æquilaterum octogonum designare.

Si volueris intra quadratum æquilaterum octogonum designare, diagonum medium sumas. Hic circinum spatiatum [*Glossa vet.*, extentum] in angulo quadrati infigas, et in utroque latere punctum, quousque circulus pervenerit, facias, ac sic per singulos angulos perque latera percurras. Deinde a puncto in punctum angulis quadrati extraclausis semper lineam ducas, et octogonum habebis.

CAPUT XC.

Structuræ circa puteum positæ pedes invenire.

Si datus fuerit puteus, cujus diametrum sit pedum 5, et circa eum fuerit structura alta pedum 20, lata pedum 2, ejus structuræ pedes sic quæras: structuræ latitudinem ducas in se, fiunt 4. His adjicias putei diametrum, erunt 9. Hi in se fient 81. Ab his diametro putei ducto in se dempto remanent 56. His undecies ductis, et a summa, quæ inde excreverit, quarta decima sumpta erunt pedes areæ 44. Hi per altitudinem, id est vigesies ducti fiunt 880. Tot erunt pedes areæ 44. Hi per altitudinem, id est vigesies ducti fiunt 880. Tot erunt pedes structuræ.

CAPUT XCI.

Prismatis pedes invenire in orthogonio.

Si data prisma fuerit orthogonii, cujus sit cathetus 19, basis 12, altitudo 20, ejus pedes sic quæras: per cathetum et basim aream prius orthogonii reperias, quæ erit 54. Hanc per altitudinem, id est 20 ducas, fient 1080; tot erunt pedes prismæ.

Quam inaurare si vis, circuitum ipsius orthogonii, id est 36 per altitudinem, id est 20 ducas et fient 720; qui erunt pedes inauraturæ.

CAPUT XCII.

In omni tetragono diagonium invenire, etc.

In omni tetragono sive æquilatero, sive longilatero diagonium sic invenies: latitudinem et longitudinem sigillatim in se multiplices, summarum crescentium in unum latus quæras. Hoc pro diagono habeto.

Trigoni orthogonii per cathetum sic invenis basim: cathetus ter ducatur, nona pars auferatur, reliqui dimidium sumatur, erit basis. Basi ablatum restituatur, erit hypotenusa. Vel ita: catheti dimidium sumatur, quod ter ducatur, remanet basis. Vel dimidium catheti sexies ducatur, nona tollatur, reliqui dimidium erit basis. Basi reddita nona erit hypotenusa.

CAPUT XCIII.

Quot stadia in terris respondeant Zodiaci partibus, etc.

Erat Osthenes philosophus, idemque geometra subtilissimus, magnitudinem terreni orbis noscere

volens, tali hujus artis dicitur usus argumento. Nam a mensoribus regis Ptolomæi, qui totam Ægyptum tenebat, adjutus a Siene usque ad Meroen stadiorum numerum invenit. Dispositis namque per intervalla locorum a septentrione meridiem versus horoscopicis vasis simili dimensione et gnomonum æqua longitudine formatis totidem doctos gnomonicæ supputationis homines, quot vasa fuerant, singulis quibusque in locis imposuit, atque una die omnes umbram meridiani temporis observare fecit, notare etiam unumquemque sui gnominis umbram, quantæ fuisset longitudinis. Atque ita comperit, quod ultra 700 stadia ad unius longitudinis gnomonem umbra non respondit, atque hac tali probatione conclusit quod partes 360, quibus omnis zodiaci circuli tractus dividitur, ad terras usque perveniant, et pars, quæ ibi incomperta et inæstimabilis mensuræ est, in terris non amplius quam septingentorum, aut paulo minus, stadiorum mensuram obtineat. Compertaque in terris unius partis, quæ ad zodiacum pertinet, et magnitudinem hanc ter centis sexagies complicando, circulum mensuramque terræ incunctanter quot millibus stadiorum ambiretur absolvit. Nam 25000 stadiorum circuitum universi terreni orbis esse pronuntiavit. Quæ summa, si in 360 partes æqualiter dividatur, liquebit, quod stadiorum unaquæque portio in terris esse debeat, quæ in cœlesti circulo ab ullo nullam humanæ conjecturæ dimensionem admittit.


Optimum est ergo umbram horæ sextæ deprehendere, et ab ea limitem inchoare, ut sint semper meridiano tempore ordinati, sequitur, ut orientis occidentisque linea huic normaliter conveniat. Scribamus primum circulum in terra loco plano, et in puncto ejus sciotherum ponemus, cujus umbra et intra circulum aliquando exeat, et aliquando intret. Certum est enim tam orientis quam occidentis umbras deprehendere. Attendemus igitur, quemadmodum a primo solis ortu umbra cohibeatur. Deinde cum ad circuli lineam pervenerit, notabimus eum circumferentiæ locum. Similiter exeuntem notabimus. Notatis ergo duabus circuli partibus intrantis umbræ et exeuntis loco rectam lineam a signo ad signum circumferentiæ ducemus, et medium notabimus, per quem locum recta linea exire debet a puncto circuli; per quam lineam cardinem dirigemus, et ab ea normaliter in rectum decumanos emittemus, et ex quacunque ejus lineæ parte normaliter invenerimus, decumanum recte constituamus.

(13) Textus hujus capitis perturbatus et obscurus est.

CAPUT XCIV.

Alia ratio meridianum describendi.

(13) Est et alia ratio, qua tribus umbris comprehensis meridianum describemus. In loco plano gnomonem constituemus *a b*, et umbras ejus tres enotabimus *c b e*. Has umbras normaliter comprehendemus, qua latitudine altera ab altera distent. Si autem meridiem constituamus, prima umbra erit longissima. Si post meridiem, novissima. Has deinde umbras proportione ad multiplicationem in tabula describemus, et sic in terram servabimus. Stat igitur gnomon *a b* planitie *b*. Tollamus maximam umbram in planitie, notemus signo *d*. Sic et terram signo *e*, ut sint in vasi proportione longitudinis sine *b e d c e*, numeramus hypotenusas ex *c*, in *a*, et ex *d* in *a*; nunc puncto *a* et intervallo *e* circulum scribimus.



GERBERTI

EPISTOLA AD ADELBOLDUM

De causa diversitatis arearum in trigono æquilatero, geometrice arithmeticeve expenso.

(Apud Pez, *ubi supra.*)

Adelboldo nunc usque dilecto semperque diligendo fidei integritatem, integritatisque constantiam.


In his geometricis figuris, quas a nobis sumpseras, erat trigonus quidam æquilaterus, cujus erat

latus 30 pedum, cathetus 26, secundum collationem lateris et catheti area 390. Hunc eumdem trigonum si absque ratione catheti secundum arithmeticam regulam metiaris, sic ut latus unum in se multiplicetur eique multiplicationi lateris unius numerus adjiciatur, et ex hac summa medietas sumatur, erit area 462. Videsne qualiter hæ duæ regulæ dissentiant? Sed et illa geometricalis, quæ per rationem catheti aream in 390 pedes metiebatur, subtilius est a me discussa, et catheto suo non nisi 25 septimas unius concedo, et areæ 385 et quinque septimas. Et sit tibi regula universalis in omni trigono æquilatero cathetum inveniendi; per latus semper septimam deme, et sex reliquas partes catheto concede.

Et ut quod dicitur, melius intelligas, in minoribus numeris libet exemplificare. Do tibi trigonum in latere 7 pedum, longitudinem pedalem habentem. Hunc per geometricalem regulam sic metior. Tolle septimam lateri et senarium, qui reliquus est, do perpendiculo. Per hoc latus duco, et dico: sexies septem, qui reddunt 42. Ex his medietas 21 area est dicti trigoni.

Hunc eumdem trigonum si per arithmeticam regulam metiaris, et dicas: septies septem, ut fiant 49, latusque adjicias ut sint 56, dividasque, ut ad aream pervenias, 28 invenies. Ecce sic in trigono unius magnitudinis diversæ sunt areæ, quod fieri nequit.

Sed ne dlutius moreris, causam diversitatis aperiam. Notum tibi esse credo qui pedes longi, qui quadrati, qui crassi dicantur, quodque ad areas mesiendas non nisi constratos quadratos recipere solemus. Eorum quantamcunque partem trigonus attingat, arithmeticalis regula eos pro integris computat. Depingere libet, ut manifestius sit, quod dicitur.



Ecce in hac discriptiuncula 28 pedes, quamvis non integri habentur. Unde arithmeticalis regula pro toto partem accipiens cum integris dimidiatos recipit. Solertia autem geometricæ disciplinæ particulas, latera excedentes abjiciens, recisurasque dimidiatas intra latera remanentes componens, quod lineis clauditur, hoc tantum computat. Nam in hac descriptiuncula, qua septenarius per latera metitur, si perpendiculum quæras, senarius est. Hunc per 7 ducens quasi quadratum imples, cujus sit frons 6 pedum, latus 7 pedum, et aream ejus sic in 42 constituis. Hoc si dimidiaveris trigonum, in 21 pedes relinquis.

Ut lucidius intelligas, oculos appone, et mei sem per memento

GERBERTI

POSTMODUM

SILVESTRI II PAPÆ

EPISTOLA AD CONSTANTINUM MONACHUM FLORIACENSEM

De Spæhræ constructione.

(Apud Mabill., *Analect.* nov. edit., pag. 102 seqq.)

ADMONITIO MABILLONII.

Hæc Gerberti epistola, quæ deest in editis libris, eruitur ex ms. codice bibliothecæ nostræ S. Germani a Pratis. Inscripta Constantino, monacho scilicet ac scholastico Floriacensi, cui Gerbertus alias direxit epistolas, nimirum 87, 142 et 161. Ejusdem etiam mentionem facit in epistola 92. Gerberto tribuendum existimo libellum in quemdam Porphyrii locum, cujus libelli præfatio ad Ottonem III imperatorem edita est in tomo I Analectorum. Opusculum istud esse Gebehardi Augustensis episcopi conjectabar in notis ad eam præfationem: at re maturius expensa, id Gerberto adjudicare visum est in addendis ad tomum I Analectorum. Ejusdem auctoris est sermo *De ordinatione episcoporum*, quem ex ms. codice bibliothecæ S. Martialis apud Lemovicas rogatu meo descripsit noster Petrus Trelius, a me jam laudatus. Exstat ipsiusmet Gerberti Geometria et Rhythmomachia in bibliothecæ Thuaneæ ms. codice, signato n° 283.

GERBERTUS CONSTANTINO.

Sphæra, mi frater, de quo quæris ad cœlestes circulos vel signa ostendenda, componitur ex omni parte rotunda: quam dividit circumducta linea mediam æqualiter in LX partibus divisa. Ubi itaque constituis caput lineæ,] unum circini pedem fige, et alterum pedem e regione ibi constitue, ubi VI partes finiuntur de LX partibus prædictæ lineæ; et dum circinum circumduxeris, XII partes includis. Nam mutato primo pede, secundus pes extenditur usque ad locum, quo de prædicta linea undecima pars finitur; et ita circumducitur, ut XII partes circumplectatur. Eodemque modo adhuc pes usque ad finem quintædecimæ partis prædictæ lineæ protenditur et circumductione XXX partes habens media sphæra secatur. Tunc mutato circino in altera parte sphæræ, ubi primum pedem fixeras, attendens, ut contra statuas, prædictam rationem mensuræ circumductionis et partium complexionis observabis. Nam V solummodo erunt circumductiones, quarum media æqualis est lineæ in LX partibus divisæ. Altero igitur istorum hemisphæriorum sumpto interius cavato, et ubi circini alterum pedem in prædicta linea ad circumducendum fixeras perfora, ut circumductio medium foraminis teneat. In capitibus quoque sphæræ, ubi primum pedem circini posuisti, singula foramina facis, ut medietas foraminum illorum terminet prædictum hemisphærium. Nam ita VII erunt foramina, in quibus singulis singulas semipedales fistulas constituis: eruntque duæ extremæ contra se positæ, ut per utrasque, tanquam per unam videas. Ne vero fistulæ hæc illac titubent, ferreo semicirculo, ad modum præfati hemisphærii secundum suam quantitatem mensurato et perforato, utere, quo superiores extremitates fistularum coerce: quæ hoc differunt a fistulis organicis, quod per omnia æqualis sunt grossitudinis, ne quid offendat aciem per eas cœlestes circulos contemplantis. Semicirculus vero duorum digitorum ferme latitudinis, ut omne hemisphærium XXX partes habet longitudinis, servans æqualem rationem divisionis, qua perforatus fistulas recipit. Notato itaque nostro borreo polo, descriptum hemisphærium taliter pone sub divo, ut per utrasque fistulas, quas diximus extremas, ipsum boreum polum libero intuitu cernas. Si autem de polo dubitas, unam fistulam tali loco constitue, ut non moveatur tota nocte; et per eam, stellam suspice, quam credis esse polum: et si polus est, eam tota nocte poteris suspicere; sin alia, mutando loca non occurrit visui paulo post per fistulam. Igitur prædicto modo locato hemisphærio, ut non moveatur ullo modo, prius per inferiorem et superiorem primam fistulam boreum polum, per secundam arcticum circulum, per tertiam æstivum, per quartam æquinoctialem, per quintam hiemalem[6], per sextam antarcticulos circulos metiri poteris. Pro polo vero antarctico, quia sub terra est nihil cœli, sed terra tantum per utrasque fistulas intuenti occurrit.

LECTORI.

Inter opera Gerberti recensetur « Rhythmomachia, edita Lipsiæ 1616 fol. cum gloriosissimi principis Augusti Lunæburgensium (sub pseudonymo Gustavi Selemi) libris quatuor de ludo Scacchorum. » Hæc Benedictini auctores Galliæ liter r æ. hæc Fabricius, hæc omnes qui duobus abhinc sæculis de scriptoribus ecclesiasticis commentati sunt. Quibus an merito fides hucusque adhibita ex libro ipso quem post Fabr. i Stapulensis, Buxerii et Barnozzi lucubrationes, S lenus edidit, inquirendum nobis erat; sed nihil lucis allu lit : totus est enim in ludi Scacchorum variis exercitationibus enucleandis. Pagina quidem 443 legitur titulus « Rhythmomachia, nobilis et vetustissimus ludus Pythagoricus, quem Gallico idiomate a Francisco Barrozzi, nobili Veneto, scriptum, Germanicum fecit Gustavius Selenus. » Nomen hujus opusculi fons Gerberti Rhythmomachia ? Sed de Gerberto nonnisi hæc mentio inter alia quæ apud Buxerum fol. 42 a et apud S lenum pag 494 leguntur :

« Thomas Topcliphus, Anglus, copiam mihi fecit cujusdam libelli qui, ut i le retulit, decerptus est ex quodam veteri libro Chaldaico, ac Anglico sermone donato, et quamdam ludendæ Rhythmomachiæ rationem continet; quam in hoc meo libello prætermittere nolui; præsertim cum in hac sim opinione, hanc progressionis formam (quæ scacchicæ respondet) nostri ludi perfectionem esse, quamque veteres in ludendo secuti sunt; qua de re conjecturam cap o progressum scacchorum et incessum mdidem suam originem traxisse. Hinc s tis integrum est intueri quam severe et stoice a quibusdam veteribus hic ludus descriptus sit : qui, dum contemplatione ludi contenti sunt, contempserunt id in hujus ludi exercitatione quod neque ingratum neque injucundum ludentibus fuisset. Hi vero sunt, GILBERTUS papa, Hermannus Contractus, Castrensis, Nicolaus Orestinus. Quos hac nostra memoria sunt imitati Orontius Finæus, Delphinus, Jacobus Faber Stapulensis; neque ego hactenus ab eorum vestigiis discessi. Sed cum viderem hanc contemplationem a recreatione sejunctam, interdum esse mole tam, valde lætor recepisse me id quod jampridem abscissum erat, et separatum quod ad hujus exactam explet onem maxime facere videbatur. »

Liber Jacobi Fabri Stapulensis, de quo supra Buxerus, nonnihil forsan lucis afferret, sed hucusque lucubrationem hanc videre nobis non contigit.

Eruditus lector habe: quæ de Gerberti Rhythmomachia conjicere potuimus : litem ipsi dirimendam relinquimus.

GERBERTI

POSTMODUM

SILVESTRI II PAPÆ

LIBELLUS

DE RATIONALI ET RATIONE UTI.

Ex cod. ms. inclyti monasterii Tegernseensis in Bajoria erutus ab Adm. R. D. P. Alphonso Hueber, eiusdem loci cœnobita Benedictino

(Apud R. P. Bernardum Pezium *Thesaurus Anecdot. noviss.*, tomi I parte II, col. 147.

PEZII MONITUM.

(*Dissertatio isagogica in tom. I Thesauri Anecd.*

De hoc libello, mere dialectico, jam diximus, eum nunc, et quidem integrum, prodire ex bibliotheca Tegernseensi, post quem ibidem illico exstabat *Sermo in concilio Mosomensi* a Gerberto habitus, a Guilielmo Caveo in Historia litteraria nondum editis accensita, cum tamen editissimus sit, unusque fere omnia illius synodi, quam Caveus paulo post recenset, acta conficiat. Porro epistola nuncupatoria Gerberti jam in tomo I Analectorum a Mabillonio edita fuerat, qui totum opusculum istud esse Gebehardi Augustensis episcopi in notis ad eam epistolam seu Præfationem conjectabatur. *At re*, inquit tomo II eorumdem Analectorum, pag. 215, *maturius expensa, id Gerberto adjudicare visum est in addendis ad tomum I Analectorum.* Ibidem Mabillonius sub nomine Gerberti edidit sermonem de informatione episcoporum, *et diversitate tituli deceptus, ut monet Itigius in Præfatione ad Tractatum de Bibliothecis et Catenis Patrum*, pag. XCIII, *nunquam antea editum putavit, cum tamen jam toties inter Ambrosii opera editus fuisset.* Sed ad opusculum Gerberti *De rationali et ratione uti* revertimur, quod non in sola bibliotheca Tegernseensi, sed etiam in Emmerammensi cœva prope manu exaratum vidimus. Idem, ni fallimur, in bibliotheca Cæsarea Vindobon. exstat. In Codice Emmerammensi totum opusculum quidam versus consequebantur, quos suo nos loco restituimus.

VERSUS IN LIBRUM GERBERTI DE RATIONALI ET RATIONE UTI.

(14) Quisqu s opaca velis Sophiæ scandere regna,
Istius in pratis pocula carpe libri.
Potatus citimum flectes per gramina gressum,
Organa doctorum quo sua castra comunt.
Adveniensque thronum capies cum laude coruscum,
Atque Soohia tibi talia fata dabit :

A Suavis amice meas properasti semper ad aulas :
Jam sine fine simul sceptra regamus ibi.
Imperium æquemus fastu comitante superbum,
Et jugiter mecum nomen in astra feras.
Arduus ast multi videas ut remige linguæ
Æquora per nostra lina novella trahunt.

(14) Hi versus desunt in cod. Tegerns. sed in Emmerammensi, sæc. circ. XI exarato, Gerberti Opusculo de rat. et rat. uti post paucula quædam subjiciuntur

INCIPIT

DE RATIONALI ET RATIONE UTI,

A SAPIENTISSIMO VIRO DOMNO GERBERTO, ET APOSTOLICÆ SEDIS SUMMO PONTIFICE EXCUSSUM, EXIGENTE OTTONE AUGUSTO TERTIO.

Domno, et glorioso Ottoni, Cæsari semper Augusto Romanorum imperatori, Gerbertus episcopus, debitæ servitutis obsequium.

Cum in Germania ferventioris anni tempus demoraremur, imperialibus astricti obsequiis, ut semper sumus, semperque erimus, nescio quid arcana divina mensuram secum tacite retractans motus animi in verba resolvit, et quæ ab Aristotele summisque viris erant difficillimis descripta sententiis, in medium protulit : ut mirum foret inter bellorum discrimina, quæ contra Sarmatas parabantur, aliquem mortalium hos mentis recessus habere potuisse, a quibus tam subtilia, tam præclara, velut quidam rivi a purissimo fonte profluerent. Meministis enim, et meminisse possumus, adfuisse tum multos nobiles scholasticos, et eruditos, inter quos nonnulli aderant episcopi, sapientia præclari et eloquentia insignes. Eorum tamen vidimus neminem, qui earum quæstionum ullam digne explicuerit, quod quædam nimis ab usu remotæ, nec dubitationem ante habuerint, et quædam sæpe numero ventilatæ dissolvi non potuerint. Vestra quoque divina providentia ignorantiam sacro palatio indignam judicans, ea, quæ *de Rationali et ratione uti* diverso modo a diversis objectabantur, me discutere imperavit. Quod quidem tunc et languor corporis et graviora distulerunt negotia : nunc secunda valetudine reddita, inter rei publicæ ac privatæ curas in hoc ipso itinere Italico positus, comesque individuus, quoad vita superfuerit, in omni obsequio futurus, quæ de hac quæstione concepi breviter describo, ne sacrum palatium torpuisse putet Italia, et ne se solam jactet Græcia in imperiali philosophia, et Romana potentia (15). Nostrum, nostrum est Romanum imperium. Dant viros ferax frugum Italia, et ferax militum Gallia et Germania, nec Scythicæ nobis desunt fortissima regna. Noster es Cæsar, Romanorum imperator et Auguste, qui summo Græcorum sanguine ortus, Græcos imperio superas, Romanis hæreditario jure imperas, utrosque ingenio et eloquio prævenis. Dicemus ergo in præsentia tanti judicis, primum quædam scholasticorum præludia, vel potius sophistica. : tunc philosophorum in his inventa persequemur; deinde finem propositæ quæstionis multiplex et spinosa complebit dialectica.

I. Quæritur, inquiunt, quid sit, quod ait Porphyrius, differentiam velut ad cognatam sibi differentiam prædicari, ut *Ratione uti ad Rationale;* cum majora de minoribus semper prædicentur; minora de majoribus nunquam; ut *animal*, quoniam majus est equo, et homo est, prædicatur, de quo et homo est : quomodo ergo *Ratione uti* prædicatur de Rationali, cum majus esse videatur *Rationale* quam *Ratione uti ?* Omne enim, quod ratione utitur, rationale est; sed *Rationale*, inquiunt, potestatis est sine actu : *Ratione uti*, potestatis cum actu. Plus vero est potestatis cum actu quam sola potestas. Jure, inquiunt, ergo prædicatur *Ratione uti* de *Rationali*, tanquam majus de minori.

II. Ad hoc respondetur : Quomodo quæ a generalissimis ad specialissima recta linea descendunt, vel subalterna genera, vel per differentias, sive sint ea in substantiis, sive in accidentibus collocata, talia sunt; ut inferiora universaliter prolata, superiorum omnium nomina, diffinitionesque ut sensibile, cum sit differentia posita sub animato corpore, universaliter prolata, suscipit nomen, et definitionem superiorum : omne enim sensibile et animatum corpus, et substantia est, et omnis virtus, et habitus, et qualitas. Quod si eodem modo *Rationale* sub *Ratione uti* positum sit, quomodo universaliter prolatum suscipiet nomen sui prædicati idem *Rationale?* Non enim omne quod *Rationale* est, *Ratione uti* putatur. Ergo si *Rationale* tantum potestatis est, et *Ratione uti* potestatis et actus, prædicabitur *Ratione uti* de *Rationali*. Et rursus, si *Rationale* universaliter prolatum non suscipit nomen supra dicti, id est *Ratione uti*, non prædicabitur *Ratione uti* de *Rationali :* eruntque duo contraria : prædicari et non prædicari, in eodem subjecto; quod fieri non potest.

III. Constituamus item, inquiunt, alias differentias secundum accidens, prædiceturque accidentalis differentia velut ad cognatam sibi accidentalem differentiam, ut ambulare ad ambulabile. Hoc autem secundum fiat accidentis naturam; ut quoniam in individuis primum accidentia considerantur, post in speciebus et generibus. Dicamus Ciceronem ambulare, quoniam ambulabilis est : et rursus, quia Cicero homo est, et ambulat, et ambulabilis est, dicatur et homo ambulare, et ambulabilis. Et item animal, cum ambulet, ambulabile est. In quibus videndum est, inquiunt, ne forte ratio causæ et effecti vitalibus esse videatur. Ut enim causa effectum præcedere dicitur, ut est : quia vidit, amavit; sic potestas actum omni necessitate præcedit. Et quia hæc præcedentia non solum priora, sed etiam interempta

(15) In margine hanc glossam codex exhibet ad hæc verba : *Italia fertilis in ferendis est frugibus, Gallia et Germania nobilis in nutriendis militibus. Nesciunt Itali quid sapiunt Galli. Itali, denarios accumulant, Galli sapientiam corradunt.* Quæ sine ullius injuria hic notata sint.

interimunt secum posteriora, necesse est, potestate ablata, actum quoque auferri. Si enim Cicero non est ambulabilis, id est, si ambulare non potest, omnino non ambulat, id est, non actum ambulandi exercet, quem sine potestate non est intelligere. Quod si *Ratione uti* actus cum potestate est, *Rationale* autem sola potestas, sublata sola potestate, quæ natura prior est, actus cum potestate esse non potest. Non igitur, quod natura posterius est, de eo prædicabitur, quod natura prius est. Est autem natura prius potestas, posterius actus : non igitur secundum potestatem et actum prædicabitur *Ratione uti* de *Rationali*.

IV. Sed merito, inquiunt, suæ dignitatis seu excellentia vel potentia numerosius est *Ratione uti*, quam *Rationale*. At natura generum, specierum, vel differentiarum non suscipit : homo enim et asinus æque sub animali sunt, et Deus atque homo æqualiter participant Rationali differentia. Non igitur, inquiunt, secundum dignitatem, vel potentiam, vel excellentiam prædicatur *Ratione uti* de *Rationali*.

V. His propositionibus, sive objectionibus multa ex adverso posse objici video. Quapropter sophistica, id est, cavillatoria colluctatione remota, quædam de natura potestatis et actus explicanda sunt, et in qua eorum specie *Rationale* et *Ratione uti* versentur : de natura quoque prioris, utrum prædicationibus conveniat; et nonnulla de prædicationum natura et ordine, et, quasi quodam filo ad id, de quo quæstio est, id est ad prædicationem, quæ est de *Ratione uti* ad *Rationale*, disputatio deducatur.


VI. Hoc autem majorum traditione, potissimumque Aristotelis fieri judico, quibusdam verbis ac sententiis ejus ad hanc rem pertinentibus breviter et dilucide interpretatis. *Quædam*, inquit, *potestates æquivocæ sunt*. Bene ait : *quædam* : quia non omnis potestas æquivoca est : quæ enim ex se species profundit [*cod.*, profunda], non æquivoca, sed univoca est. Ea autem potestas est æquivoca, quæ prædicatur de actu, et de ea potestate quæ potest pervenire ad actum. Nullam enim diffinitionem recipiet, quæ utrique sit communis; sed eam, quæ in actu est, et nomen et diffinitionem suis speciebus donat, de qua ita ait Aristoteles : *Manifestum est ex his, quæ dicta sunt, quoniam quod ex necessitate est, secundum actum est. Quare, si priora sempiterna, et quæ actu sunt, potestate priora sunt.* Et hæc quidem sine potestate actu sunt, ut primæ substantiæ. Alia vero sunt actu cum possibilitate, quæ natura priora sunt, tempore vero posteriora. Alia vero nunquam sunt actu, sed potestate sola. *Quæ necessaria sunt*, inquit, *in actu sunt*, eo scilicet, quem relinquere nequeunt, ut cœlum et sol proprium motum. Item quæ necessaria sunt, sempiterna sunt, et quæ sempiterna sunt, priora sunt his potestatibus quæ in actum nondum venerunt. Ergo actus, qui semper est, prior est eo actu qui nondum est. Actus enim, qui semper est, ex potestate non venit; quia quando res illa fuit, ab ejus substantia non defuit. In rebus itaque necessariis, in quibus actus sempiternus est, ipsas quoque res sempiternas esse necesse est, ut in cœlo et sole intelligitur, quæ non solum sempiterna, sed divina et immortalia philosophi putaverunt.

VII. Sunt non necessarii item actus quorum species duplex est. Alia enim eorum ex potestate ad actum venerunt; alia substantiam sui cum ipso actu sortita sunt : sed quæ ex potestate ad actum venerunt, hujusmodi sunt, ut quando Cicero sedet, antequam sederet, potuit sedere; neque enim sedisset, si potestatem sedendi ante non habuisset. Sedet ergo Cicero, id est, sedendi actum exercet; quia actus ex potestate venit. Alter vero actus, qui a potestate non venit, sed cum re subsistente semper subsistit, hujusmodi est : ut quando ignis calet, antequam ipse ignis esset, nulla calendi potestas præcessit; sed quod ejus substantia fuit, calere non destitit, id est, actum calendi non deseruit, quod sibi cum supernis et cœlestibus substantiis commune est. Distat vero quod illa superna in necessaria specie sunt, eorumque substantia, cum sit incorruptibilis, non solum actum nunquam deseruerunt, sed etiam ipsa non perimuntur. Ignis vero, cum sit in specie non necessaria, actum quidem, quousque subsistit, non deserit; sed quia in necessaria specie non est, actum simul cum substantia perdit. Quæ enim necessaria semper ex necessitate sunt, nec unquam non esse possunt. Ignis vero ex necessitate quidem non est, sed actum calendi ex necessitate habet, quousque est. Recte ergo dictum est ab Aristotele : *Quoniam quod ex necessitate est, secundum actum est.* Secundum necessitatem quippe omnia superna, quæ sunt et quæ subsistunt, nunquam interimenda suumque actum nunquam relictura. *Quare*, inquit, *si priora sempiterna, et quæ actu sunt, potestate priora sunt.* Ex natura rerum veritatem colligit propositionum. Quia enim omne quod est aut simplex, aut compositum, manifestum est prius esse simplicia quam composita. In divinis autem et supernis nihil compositum est, sed sunt omnia simplicia. Alioquin omne compositum necesse est ut in ea resolvatur unde compositum est. Non resolvuntur autem divinæ cœlestesque substantiæ, rerumque omnium elementa, quia simplicia sunt et incomposita. Quæ autem ex primis conjuncta sunt elementis, in eadem rursus resolvuntur. Priora sunt igitur sempiterna, quæ aliorum omnium principium sunt his quæ sempiterna non sunt. Sed quæ sempiterna sunt, sine actu non sunt, nec fuere : prior est igitur actus potestate.

VIII. Rursus Aristoteles autem velut genus constare volens ex natura rerum præjacentium, partitione facta, differentias ac species ejus determinat. Et hæc quidem sine potestate actu sunt, ut primæ substantiæ. Alia vero sunt actu cum potestate, quæ natura priora sunt, tempore vero posteriora. *Rerum*, inquit, *alia sunt actu sine potestate; alia actu cum potestate*, et actu quidem sine potestate, ut primæ

substantiæ. Quæ ideo primæ dicuntur, quia rerum principia sint. Sine potestate autem ea scilicet, quod utrumlibet potest. Cœlum enim et sol non possunt non moveri, et ignis non calere, et aqua non humida esse. Illa vero, quæ actu sunt cum potestate, ex motu animi descendunt, ut cum sedeo, motu animi ad hunc actum accessi, quem actum potestas sedendi præcessit : non enim sedissem, nisi prius mihi sedendi potestas fuisset. Et cum hæc potestas tempore præcedat actum, actus tamen cum potestate ab Aristotele prius esse dicitur quam sola potestas; *quæ actu*, inquit, *sunt cum potestate, natura priora sunt, tempore vero posteriora*. Hoc ideo fit : quia potestas, cum sit initium actus, imperfectum quoddam est; perfecta autem imperfectis priora sunt, et quæ a generositate suæ naturæ præcellunt, et quia ut bonitas, ut virtus æqualia sunt. Est autem prius æquale quam inæquale : omnis enim inæqualitas ab æqualitate descendit. Ergo actus, in quo potestas consummata et perfecta est, prius est quam potestas, quæ ante actum curta et est imperfecta : quæ quamvis tempore præcesserit, natura tamen velut minus habens a perfecto defluxit.

IX. Alia vero, inquit, nunquam sunt actu, sed potestate solum. Numerus namque potestate infinitus est; sed cum dixeris quemlibet, actu finitus est. Et de tempore eadem ratio est. Tempus enim potestate infinitum est : sed cum dixeris diem, mensem, annum, vel aliud quodlibet, actu finitum est. Facienda est igitur horum omnium descriptio, ut et figura, oculis subjecta, melius prædicta clarescant. In hac prima descriptione nihil aliud quam actus et potestatis æquivocatio demonstratur : solo enim nomine participant



X. Et de potestate quidem manifestum est, quia potestas dicitur : actus vero ideo potestas nominatur, quia quod est, esse potest. Altera vero descriptio divisionem generis continet. Est enim actus genus. Hujus species sunt duæ : necessaria, et non necessaria. Et de necessario quidem dictum est quod in supernis substantiis, semperque in sua integritate manentibus inveniatur. Non necessarium vero duas ex se species fundit : altera, quæ a potestate ad actum pervenerit; altera, quæ non a potestate, sed a subsistendi natura in actu proruperit. Si vero eam speciem, quæ nunquam est actu, sed sola potestate, in superiori formula concludere velimus, ut ita partiamur licebit : rerum alia sunt actu; alia potestate, actum significantes eum qui loco generis positus est. Potestatem vero rursum dividamus in eam quæ actu esse possit; et in eam quæ nunquam actu esse possit. His ita positis, quærendum est quænam sit potestas *Rationalis* differentiæ : utrum ea, quæ nunquam in actum venire possit, an ea, quæ in actum venire contingat; quive actus cum potestate, qui in altera differentia, quæ est : *Ratione uti*, proponitur? Isne quem potestas præcedat, an is quem potestas comitetur? Longe enim alia est ratio potestatis sequentis actum, et alia præcedentis; tantumque hæ potestates proprietate suæ naturæ disjunctæ sunt, ut ubi fuerit una non possit esse altera. Ergo est in rebus mutabilibus potestas, quæ vocatur utrumlibet præcedens et subsequens, ut quando Cicero ambulat, antequam ambularet, potuit ambulare et non ambulare : et qui ambulat, consequitur eum ambulare posse, sed non ex necessitate; potest enim et non ambulare. In rebus vero supernis et simplicibus rerum elementis nulla potestas reperitur quæ possit utrumlibet, nec ea quæ præcedit actum. Inest autem eorum actui

potestas immobilis et fixa, ac per hoc necessaria, quæ unum possit et non utrumlibet. Quia enim sol movetur, eum moveri posse manifestum est, et non moveri non posse necesse est. Et quia diversis rerum generibus, id est mutabilibus et immutabilibus, diversas potestates attribuimus, quærendum est ubi differentiæ *Rationalis*, et *Rationale uti* collocari valeant?

XI. Video autem Rationalem differentiam in sempiternis ac necessariis esse, et quorum substantia nunquam esse desinat. Substantiales quoque differentiæ, itemque species, et genera semper sunt. Alia sunt quidem rerum formæ, vel, ut ita dixerim, formæ formarum; alia sunt actus; alia sunt quædam potestates. Est igitur *Rationale*, dum est in intelligibilibus, sub necessaria specie actus, ubi non est ea potestas quæ possit utrumlibet, sed ea quæ sit fixa, immobilis et necessaria. Sed quia hæc intelligibilia, dum se corruptibilibus applicant, tactu corporum variantur, transeunt hæc omnia rursus ad eam potestatem quæ possit pervenire ad actum : aliter enim *Rationale*, vel, ut universalius dicamus, aliter genera et species, differentiæ, propria et accidentia in intellectibilibus, aliter in naturalibus. In intellectibilibus quoque rerum formæ sunt; in intelligibilibus alia sunt quidem passiones; alia sunt actus. Nam quoniam in anima versantur, dum intelliguntur, animæ passiones sunt; quia omnis intellectus animæ est passio. Dum vero accurato perfectoque studio ad scientiam veniunt, actus animæ sunt; quia omnis scientia animæ actus est. *Rationale* ergo aliter in sempiterna specie hominis consideratur, sive in intellectibilibus sive intelligibilibus, aliter in naturalibus. Ibi formæ, vel actus sempiterni sunt; hic potestas quæ ad actum pervenire possit, ut, quoniam Cicero homo est, homo vero rationalis dicitur, Cicero rationalis, quod ratione uti possit, id est, eum actum exercere, quia venit a potestate quæ est ad utrumlibet; potest enim Cicero uti ratione, et potest non uti. Ergo quia Rationalis differentia substantialiter inest Ciceroni, vel homini, ratione autem uti accidentaliter, merito *Ratione uti* dicitur prædicari de *Rationali*, tanquam accidens de subjecto : quod enim adest, et abest præter subjecti corruptionem, accidens est. *Ratione* autem *uti* ab homine, vel Platone, et de *Rationalibus* sine subjecti corruptione abesse videmus : accidens igitur est *Ratione uti*. Amplius : *Ratione uti* facere est; qui enim ratione utitur, aliquid agit, id est, quemdam actum ratiocinandi exercet. *Facere* autem unum ex generalissimis generibus accidentium est : igitur *Uti ratione* accidens est.

XII. Sed quod *Rationali* accidat, ita colligitur : quod *Rationale* est, *Ratione uti* potest; quod autem *Ratione uti* potest, ratione utitur : ergo *Ratione uti Rationali* accidit, prædicaturque *Ratione uti* de *Rationali* velut ad cognatam sibi differentiam. Ut enim rationali differentia a cæteris animalibus, quæ rationabilia non sunt, distamus, ita eo quia ratione uti-

mur, a cæteris, quæ uti non possunt, differimus. Item homo semper rationalis est, non autem semper utitur ratione. Non est igitur ratione uti substantialis differentia.

XIII. Sed forte quæritur quid sit hoc ipsum : *Uti ratione*, et quia hæc differentia sit cognata differentiæ *rationali? Quid est*, inquit Boetius, *uti ratione, nisi uti judicatione? Omne enim commune nobis est cum cæteris animantibus; sola ratione disjungimur.* Quod si sola quoque judicatione inter nos et cætera animalia est distantia, cur dubitemus *Ratione uti* hoc esse, quod est uti judicatione? Quod si quis ex rebus tollat, rationem hominis sustulerit : hominis ratione sublata, nec ipsa quoque humanitas permanebit. Si igitur secundum Boetium ratione uti a cæteris animalibus differimus, sicut differentia rationali, juste *Ratione uti* ad *Rationale* velut ad cognatam sibi differentiam prædicatur, et velut accidens de subjecto, sine quo esse non possit. Si enim tollas subjectum, id est rationale, nemo erit qui *utatur ratione*. Quod si accidens tollas, id est *Uti ratione*, non idcirco subjectum, id est *Rationale*, sustulisti. Potest enim homo esse qui etiam dormiens *Rationale est*, sed non *utitur ratione*.

XIV. Sed qui prædicatur, inquiunt, terminus, major, vel æquus debet esse subjecto : ut vero minor sit, esse non potest. Videtur autem *Ratione uti* minus esse *Rationali* : rationale namque totam speciem hominis, vel Dei comprehendit : *Ratione* autem *uti* non omnes, sed eos tantum qui rationis actum exercent. Quoniam ergo minus de majori prædicabitur, locus hic admonet ut de natura prædicationis pauca dicantur. Potest enim videri nonnullis hæc dubietas in aliis prædicationibus, ut cum dicimus : *homo philosophus est* : homo subjectus terminus est; philosophus prædicatus, nec videtur posse æquari. Prædicatur terminus de subjecto, sed multo minor est. Non enim omnes homines philosophi sunt. Sed hoc modo vis prædicationis non recte accipitur; fit enim prædicatio vel substantiæ de substantia, ut : homo animal est; aut accidentis de accidenti, ut : dialectica scientia est; aut accidentis de substantia, ut : homo albus est. Item accidens cum semper sit in subjecto, subjectum autem sit semper universale, aut particulare, accidens quoque secundum subjecti naturam aut erit universale, aut particulare, ut *scientia* : cum sit universale accidens (de multis enim prædicatur), cum est in Platone, particularis est et individua, sicut ipse Plato; cum autem proponitur esse in homine, in re scilicet universali, intelligitur et ipsa universalis, ut : *homo sciens est*. Et rursus, quoniam accidentia principaliter in individuis considerantur, id est in primis substantiis; idcirco enim ipsa individua primæ substantiæ dicuntur, sive quod ipsorum accidentium susceptiva sunt, sive quia prima ad notitiam veniunt. Ergo erit eorum intellectus in secundis substantiis secundum naturam primarum substantiarum, ut : quoniam calvities in Socrate est,

dicetur Socrates calvus ; et quia Socrates homo est, et animal, et substantia, dicetur quoque Socrates et homo calvus, et animal calvum, et substantia calva.

XV. Nec putet me aliquis hoc velle significare, ut minorum prædicatio redundet ad majora ; cum majora semper de minoribus prædicentur, minora de majoribus nunquam. Aliud est, generalia de specialibus prædicare ; itemque specialia de individuis sive in prædicamento substantiæ, sive in accidentium prædicamentis secundum uniuscujusque naturam ; longeque aliud, naturam accidentium ad substantiæ referre proprietatem. Ibi quoque consideratio est, quæ substantia, de qua substantia, et quod accidens, de quo accidenti prædicetur, hoc quomodo se habeat accidens ad substantiam, et in qua primum reperiatur, ut de Socratis calvitie hic dictum est. Neque enim quia Socrates, cum sit calvus, itemque cum sit homo, est Socrates homo calvus, ideo omnis homo calvus est, quod ex propositionum partitione manifestius erit hoc modo : propositionum aliæ sunt universales, ut : *omnis homo animal est ;* aliæ particulares, ut : *quidam homo animal est ;* aliæ indefinitæ, ut : *homo animal est.* Si ergo universalitas per se ipsam in propositionum terminis valeret, determinationes universale determinantes additæ non fuissent. Cum enim universale sit *homo*, determinatione apposita exprimitur utrum universaliter, an particulariter in propositione prolatum sit. Determinationes autem sunt : *omnis, nullus et quidam.* Cum ergo universale sit *homo*, nulla determinatione adhibita, cum de eo dixeris : *homo philosophus est*, nulla necessitas cogit intelligi omnem hominem philosophum esse. Cum enim Socrates philosophus sit, idemque sit homo, verum erit, cum dixeris : *homo philosophus est.* Ergo indefinitæ propositiones quæ universale subjectum habent, vim continent particularium propositionum. Cum enim dico : *homo philosophus est*, tale est ac si proponam : *quidam homo philosophus est.* Et quoniam *Rationalis* differentia, cum de ea *Ratione uti* prædicatur, universale subjectum sit, erit de ea indefinita propositio, vim particularis continens, ea, quæ dicuntur : *quia rationale est, ratione utitur :* quia propositio talis est ac si dicatur : *quoddam rationale ratione utitur.* Qui enim dicit : *omne quod rationale est, ratione utitur*, rem universalem universaliter enuntiavit, et est affirmatio falsa, cujus negatio, id est, *nullum rationale ratione utitur*, similiter falsa reperitur.

XVI. Amplius : in his quæ substantialiter prædicantur secundum universalem affirmationem et negationem, altera eorum semper vera est, altera falsa ; ut, si affirmatio vera sit, negatio inveniatur falsa ; et si affirmatio falsa, negatio inveniatur vera, ut : *omnis homo animal est, nullus homo animal est ; omnis homo lapis est, nullus homo lapis est.* Si autem secundum accidens prædicatio universaliter fiat, utrasque simul falsas inveniri necesse est, ut : *omnis homo philosophus est, nullus homo philosophus est.* Ergo *Ratione uti*, quoniam universaliter prædicatum de *Rationali*, utrasque enuntiationes, id est affirmationem, et negationem falsas efficit, non substantialiter, sed accidentaliter prædicabitur de *Rationali.* Falsus est enim, qui dicit : *omne quod rationale* est *ratione utitur ;* cum is qui dormit rationalis sit, et ratione non utatur. Et rursus, quia *nullum rationale ratione utitur*, cum multi ratione utantur : ergo *Ratione uti* prædicabitur de *Rationali* non substantialiter, sed accidentaliter, et tanquam differentia accidentalis de substantiali differentia. Sicut enim rationabilitas a cæteris nos separat animalibus, quæ rationabilia non sunt : ita etiam *Ratione uti* nos differre facit ab iis animalibus, quæ ratione non utuntur. Prædicabitur quoque *Ratione uti* de *Rationali* secundum naturam indefinitarum prædicationum, quæ continent particularium non secundum proprietatem determinationum, quæ subjecti terminis quantitatem demonstrant : neque subjectum *rationale* universaliter prolatum suscipiet nomen et diffinitionem prædicati, quod non fit, nisi in substantialibus prædicationibus. Substantiales autem prædicationes voco, quæ fiunt a generalissimis generibus usque ad specialissimas species, sive individua, sive in substantiis fiant, sive in accidentibus, ut quando *animal rationale mortale* (hominis definitio est : *animal rationale, mortale*) de homine prædicabitur. Omnis enim diffinitio de ea re prædicatur, quam definit. Et cum dico : *Dialectica est bene disputandi scientia*, hanc diffinitionem de dialectica prædico, et est utraque prædicatio substantialis, sicut utraque diffinitio ; omnis enim diffinitio a genere incipiens, perque differentias, usque ad speciem, quæ definit, perveniens, substantialis est.

XVII. Et quoniam, ut arbitror, plane demonstratum est quomodo *Ratione uti* prædicetur de *Rationali*, non necessarium duxi eis respondere, qui tam insulsa prædicatione commenti sunt, quæ in natura prædicationum inveniri non possunt. Non enim quia actus, et potestas, et plus sunt, et plus quam sola potestas, ideo *Ratione uti*, in quo utrumque est, prædicabitur de *Rationali*, ut : *ambulat*, in quo est actus cum potestate, de ambulabili non dicitur, id est, de sola potestate ; sed econtrario *non ambulat*, de ambulabili prædicetur ; nec unus, quia duos præcedit, ideo de duobus prædicabitur, nec primæ substantiæ de secundis sed secundæ de primis prædicabuntur.

Descripsi Gerbertus etsi a gravitate sacerdotali remota, non tamen ab imperiali studio aliena, maluique aliis displicere quam vobis non placere curi in hoc, tum in omnibus negotiis imperio vestro dignis. Legetis ergo hæc inter vestræ matheseos exercitia. An vero digna sacro palatio contulerim, nobilium respondebunt studia. Consulta non tacebit logica, nec jure culpari metuam, si id laboraverim effecisse, quod sacris auribus potuerit placuisse.

FINIS.

GERBERTI

POSTMODUM

SILVESTRI II PAPÆ

OPERUM PARS SECUNDA. — DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Sermo

DE INFORMATIONE EPISCOPORUM.

(Apud Mabill. *Analect.* nov. edit., pag. 105.)

Si quis, fratres, oraculi reminiscatur quo frugi famulum, de reservata sibi pecunia quam prærogandam susceperat, increpavit, dicens: *Tu dedisses pecuniam meam, et ego veniens cum usuris exigerem eam* (*Luc.* XIX, 33); non jam otiosus auditor collatam sibi divini muneris gratiam suis tantum usibus reservabit: sed, cunctis eam communicabilem faciens, copiosius prærogando securius possidebit, ut sibi per hæc et plurimis ædificationis exhibeat fructum, et velut decora arbor, pomis referta, non infructuosa probatur occupare terram, dum vivit, cum et ipsa suis pomis ornatur, et omnes qui ex ea fructum perceperint, saginantur, beato nos etiam Apostolo ad hæc eadem invitante: *Nolite quærere quæ vestra sunt, sed quæ aliorum* (*I Cor.* X, 24); et alibi: *Non quæro quod mihi utile, sed quod multis, ut salvi fiant* (*Ibid.*, 3). Idcirco nos quibus verbi Domini credita est dispensatio, et gregem Christi alendum nutriendumque suscepimus: non sine ingentis periculi noxa nos credimus evasuros, si non modo secundum hæc [non] vivamus, sed etiam si minime prædicemus. Et licet ad hæc prædicanda nos retardet vitæ improbitas, invitat tamen præcepti necessitas. Et ut væ mihi est, si minime prædicavero, et si susceptum thesaurum in terra defossum in meo corde diu occultavero, et lucernam divini verbi compressam sub modio retentavero, et non super candelabrum propositam cunctorum oculis manifestavero: ita, si claustra humanæ imperitiæ per claves illas regni cœlorum, quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minime reseravero, ut audire per hæc merear pro linguæ meæ modulo: *Euge, serve bone et fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam* (*Matth.* XXV, 21). Unde verens his increpationibus et suppliciis sub Dei timore pene perculsus, et amore fraterno invitatus, non jam ad subditum loquar vulgum, quos jugiter monere soleo: sed ad ipsos jam prædicatores vulgi mea convertam verba, et meis conservis, velut obediens servus, id est episcopus sacerdotibus, audaciter prædicare salutis munia non retardabo. Nec prærogativam mihi conscientiæ, si hæc meis consacerdotibus charitatis intuitu prærogem, vindicavero; aut vitæ perfectæ me esse fateor, cum de vita perfecta alios moneo: sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor audiam.

Aggrediar jam, divina ope suffultus, facultate qua valeo, et, eorum precibus adjutus ad quos noster respicit sermo desideratum iter carpam, et quasi tum in grenio sacerdotum positus ipsos alloquar sacerdotes. Audite me, beatissimi patres, et, si dignum ducitis, sanctissimi fratres: audite me, stirps levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces et rectores gregis Christi: audite me rogantem pariter et timentem, et commodis communibus sollicite consulentem, et honorem episcopatus demonstrare volentem: ut, cum honoris ejus prærogativam monstravero, merita etiam congrua requiramus. Nec falli possumus in opere, qui cognoscimus veritatem. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, et sic deinde servetur a nobis, ut psalmographi sententia repellatur a nobis: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* CXLVIII).

Honor igitur, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus æquari. Si regum compares insulas et principum diademata, longe erit inferius, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cum videas regum colla et principum genibus submitti sacerdotum, et exosculatis eorum decretis, orationibus eorum credant se com-

muniri. Quid jam de plebis multitudine dixerim, cui non solum præferri a Domino meruit, sed ut eam quoque jure tueatur paterno, præceptis imperatum est evangelicis? Sic certe a Domino ad beatum Petrum dictum est: *Petre, amas me?* et ille: *Tu scis, Domine, quia amo te* (*Joan.* XXI). Et cum hoc tertio fuisset interrogatus, et trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est ei a Domino tertio: *Pasce oves meas.* Quas oves, quem gregem non solum tunc beatus suscepit apostolus, sed et nobiscum eas accepit, et cum illo eas suscipimus omnes. Unde regenda sacerdotibus contraduntur, et merito rectoribus suis subdi dicuntur, quia, evangelico mandato coruscante, videmus nihilominus esse præfixum: *Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum: sed sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servus sicut dominus ejus* (*Luc.* VI, 40).

Hæc vero cuncta, fratres, ideo præmisisse nos debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri. Ut, cum dignitatem episcopatus demonstramus, episcoporum oculis et digni noscamur quod sumus; et quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus: ut nomen congruat actioni, et actio respondeat nomini: ne sit nomen inane, et crimen immane; ne sit honor sublimis, et vita pœnalis; ne sit deifica professio, et illicita actio; ne sit religiosus amictus, et irreligiosus profectus; ne sit gradus excelsus, et deformis excessus; ne habeatur in ecclesia cathedra sublimior, et conscientia sacerdotis reperiatur multo humilior; ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ovinam, et feritatem habemus lupinam; ut digne nobis per prophetam respondeatur a Domino: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX, 13). Quia, fratres, ut senatorem chlamys monstrat, agricultura rusticum, barbarum arma, nautam remigii peritia, et singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores; sic episcopum non nisi episcopalis opera signat, ut ex tempore magis quam professione noscatur, meritis episcopus quam nomine vocitetur; quia ut nihil esse dicimus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sua vita episcopus periclitetur, si sacerdes in crimine teneatur, si pontifex vitiorum maculis polluatur. Et ut levius est de plano corruere, sic qui ex sublimi ceciderit, grave incurrit exitium. Honor quidem coram hominibus episcopalis magnus; sed post lapsum (quod absit!) dolor magnus. In Ecclesia gradus alius; sed, si exinde per negligentiam delabatur, a cunctis miserabiliter denotatur. Magna sublimitas magnam cautelam desiderat; honor grandior grandiori sollicitudine indiget. Cui plus creditur, plus ab illo exigitur, et potentes potenter tormenta patientur; et scienti legem et non facienti, peccatum est illi; et servus qui novit voluntatem Domini, et non facit digna, plagis vapulabit multis.

A Aliud enim ab episcopo requirit Deus, et aliud a presbytero; aliud a diacono, et aliud a clerico, atque aliud a laico: et, licet cunctorum per singula requirat opus, plus tamen ab illo exigetur cui major est cura commissa; ampliores pœnas luet cui numerosior regendorum populorum, si neglecta credita est, dispensatio. Et ut ipsius episcopatus modum et formulam nostris consacerdotibus depingamus, apostolica nobis est per omnia regula revolvenda; quia de eis per singula episcopatus lineamenta distinguit, ne aliqui sacerdotum garruli querelentur commentis se nostris in hoc opere increpatos magis, quam apostolicis sententiis redargutos. Sic enim ad cunctos episcopos beatus ait apostolus: *Fidelis sermo* (*I Tim.* III, 1), ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciB ter dico, ne quis me existimet fuisse mentitum. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* hoc est: Episcopus esse cupis? Magnum est quod ambis; sed opus bonum simul, si amplecteris. Cæterum episcopus esse non poteris, si episcopales actus aspernari volueris. Et denuo infert, et ait: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse;* irreprehensibilem ait, nempe si reprehenderis, culpæ deformitati subderis. Et profecto culpa ad reatum trahit, reatui pœnæ subditus pœnæ servituti obnoxius erit, servituti obnoxius libertatem amittit. Ecce quæ evenit libertas episcopalis, per hos gradus quos diximus criminales. Sed ut reprehendi non possis, irreprehensibiles per omnia actus custodi. Post hæc addit: *Unius uxoris virum.* Si ad litteram respicias, bigaC miam condemnat, ne secundos noverit concubitus, qui episcopatus gradum consequi desiderat. Si vero allegoricis sentiatur sensibus, inhibet episcopo duas habere uxores, id est, ne post catholicum dogma, sensum hæreticum sumat; sed Christianæ tantum sinceritatis sibi associet fidem, ut unius uxoris tantum, id est, Ecclesiæ, vir, episcopus appelletur. Sequitur: *Sobrium.* Sobrium ait, hoc est non vino tantum, sed moribus parcum, ut ne vino amplius indulgeat, et mente sobrius gaudeat; qui si hoc non facit, episcopus non erit. Et adjungens sequentia ait: *Prudentem* (*I Cor.* III, 19). Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur quod stultitia sit apud Deum; sed spiritualem, id est, quæ et opere circumD specta sit et verbo perita, ut sit astutus sicut serpens et simplex sicut columba; qui si talis non est, episcopus non est. Et denuo infert: *Ornatum.* Si ad superficiem tantum litteræ attendamus, non aliud sacerdotis, quam amictum quæremus clariorem verbi gratia, castorinas quæremus aut sericas vestes: et ille inter episcopos se credet sanctiorem, qui indumentum [*l.*, vestem] habuerit clariorem. Sed sanctus Apostolus aliter se intelligi non vult, qui non carne episcopum sed mente ornare desiderat, ut ille sacerdos placeat Deo qui animam habuerit compositam Deo. Qui vero hæc non facit, episcopus non erit; et injusti infamiam incurrit, qui sanctum Apostolum contemnit. Et post hæc addit: *Hospitalem;* ut humanitatis intuitu hospitio reci-

piat non habentem hospitium, et egenum sine tecto in domum inducat suam; nec solum consumat dona Christi, quæ ei largita est bonitas Christi. *Docibilem*, id est si polleat sapientia, ut non solum creditum sibi populum sufficienter edoceat, sed et cunctarum queat hæresum contradictiones repellere, ne sua imperitia imperitos minime doceat, et hujusmodi eveniat quod scriptum est : *Cæcus cæco si ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* xv, 14). Qui vero talem se, ut diximus, ignorat, sacerdotium minime appetat, ne locum alterius adimat, qui fulgore suæ sapientiæ cunctos collustrare poterat. Item ait : *Non vinolentum*, hoc est non multo vino deditum, ut sic potet episcopus ut utrum biberit ignoretur, ne post largam potationem mulicbri delectetur libidine, quia per vinum, sicut ait Apostolus, omnis enutritur luxuria. Qui si hæc non potest, episcopus esse non potest. Demum subsequitur dicens : *Non percussorem, sed modestum*, id est manus improbas ad cædem non habeat, et suspicionibus pravis minime percutiat conscientias aliorum, ne dum petulans invenitur, ad cædem athleta magis quam episcopus judicetur. Sed e diverso illatas ab aliis patienter ferat injurias, ut mentis modestiam tranquillam monstret infirma patientia. Iterum dicit : *Non litigiosum*, id est linguam ad convicium non relaxet, ut qui Dei laudes personat, et divina sacrificia libat, litium venena non proferat; quia non potest ex sacerdotis ore benedici Deus, et homo maledici, qui imaginem Dei noscitur possidere, nec mala sibi et bona ullatenus poterunt convenire. Qui si hæc non agit, episcopus non erit. Et subsequitur deinceps : *Non cupidum*, hoc est, ne lucri cupidine in aliquo episcopus superetur, et turpis lucri gratia delicti factus obnoxius, radicem malorum omnium enutriat avaritiam, qui, stipendiis tantum contentus Ecclesiæ, penitus non ambiat quæ intelligit esse superflua; sed, ea ipsa potius pauperibus Christi impertiens, cœlorum sibi comparet regna. Et connectit deinceps consequentia, et ait : *Suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Domui, inquit, suæ bene præesse, scilicet ut corporis sui domum imperioso jure contineat; nec subdatur ipse a corpore, et in habenas luxuriæ infrenis nequaquam feratur et in præceps, ut suos possit filios castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam gubernare. Qui si hæc non egerit, episcopus dici non poterit. Deinde dicit : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* hoc est, nempe quod superius diximus, qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, ex cujus oculo festucam submovebit? Qui hoc non agit, episcopus non erit. Item sequitur, et ait : *Non neophytum*, hoc est, qui nuper ad fidem ex gentilitate venit, aut ex militia sæculi clericali officio est sociatus, non passim sacerdotii accipiat gradum, ne elatus *in superbiam et in laqueum incidat diaboli;* quia quod longo tempore minime didicit, in parvo tempore servare minime poterit, sed lapsus et inscius judicium suscipiet, quod meruit suscipere superbiens diabolus. Et concludens regulam et episcopalem formam, ad extremum incidit, dicens : *Oportet illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt* ; id est, hæreticis et schismaticis, qui extra sanctam Ecclesiam conventicula profana faciunt, apud quos tamen Apostolus testimonium dicit habere bonum de immaculata et sancta vita episcopum,... unde occasionem accipiant obtrectandi, et infamare incipiant religionis sanctæ catholicum dogma. Qui talis esse non poterit, episcopus quomodo esse poterit?

Ut reor, in hoc opere nos a grandi fenore persensimus liberatos, cum nos, non nostra contra episcopos, sed Apostoli opposuimus testimonia, ne velut nubes... Cum vero auctoritas nobis per singula sancti arriserit Apostoli, apostolorum potius, si ausi sunt, quam nos reprehendere audeant.

Coarctet nos licet libelli prolixitas properare ad finem, sollicitudo tamen fraterni retardat amoris, illorum præcipue sacerdotum qui, mentis torpore hebetati, diffamant sacerdotalem honorem; et qui novam prodigaliter regulam hac tempestate reperisse deflentur : et Giezi leprosi et Simonis magi sectantes exemplum, gratiam Spiritus sancti coemerunt pretio, et distraxerunt, nequaquam timentes, cum honorem coemerint sacerdotii, a beato se Petro apostolo cum Simone fuisse damnatos : *Pecunia tecum sit in perditionem, qui donum sancti Spiritus operati te pretio possidere;* et lepram cum Giezi a sancto se suscepisse Eliseo, cum gradum item sacerdotii pretio æstimant distrahendum. Et si, cum validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari : ita et isti qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere quod negligentum sacerdotum vitiositatis non inficeret virus. Et videas in Ecclesia passim sacerdotes, quos non merita, sed pecuniæ provexerunt, nugacem et indoctum, sacerdotalem arripuisse gradum : quos si percunctari fideliter velis quis eos præfecerit sacerdotes, respondent mox et dicunt : Ab archiepiscopo sum nuper ordinatus episcopus, centumque solidos dedi ut episcopalem gradum mihi conferret; quos si minime dedissem, hodie episcopus non fuissem. Unde melius est mihi aurum de locello minuere, quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, et episcopatum accepi; quod tamen, si feliciter vivo, recepturum illico non diffido. Ordino presbyterum, et accipio aurum; facio diaconem, et accipio argenti multitudinem, et de aliis nihilominus ordinibus singulis, et de abbatibus benedicendis et ecclesiis, pecuniæ quæstus profligare confido. Ecce aurum quod dedi, in meo locello illibatum habeo.

Respondeo ego : Nempe hoc est quod de te doleo, quia archiepiscopus carnaliter te episcopum fecit. Pecunia spiritualiter leprosum ordinavit; pecuniam

dedisti, Dei gratiam comparare æstimasti, et per hoc lepram ipsam suscepisti. Item pecuniam accepisti, et Dei gratiam pretio distrahere non timuisti; simul etiam lepram tradidisti, et commercium miserabile in animarum exitio peregisti. Abbatem propter denarios super monachos ordinasti, et leprosum hominem in mortem monachorum exaltasti. Et nescii homines in ordinationibus clamant vestris : *Dignus et justus est*; et conscientia misera clamat: Indignus et injustus est. Pronuntiat talis episcopus: *Pax vobiscum*, et ipse interius pacem non habet secum. Oculis carnalibus videtur episcopus *magnus*, et divinis obtutibus leprosus est maximus. Per pecuniam indebitum ordinem acquisivit, et Deum in interiore homine perdidit. Caro dignitatem suscipit, et anima honestatem perdit. Caro ancilla facta est domina, et anima domina facta et famula; hæc minor dominatur populis, et illa superior servit dæmoniis. Carni sacerdotium comparavit, et animæ detrimentum paravit. Et quid proderit hujusmodi homini, si totum mundum lucretur et animæ suæ detrimentum patiatur? Quod dedisti cum ordinareris, aurum fuit; et quod perdidisti, anima fuit. Cum ordinares alium, quod accepisti, pecunia fuit; et quod dedisti, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia vestra, quæ egistis in pernicie vestra.

Interrogo tamen paulisper fratrem coepiscopum, quia episcopus sum, et cum episcopo loquor. Dic mihi, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? — Quid? inquit. Gratiam episcopalem. — Et hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? — Cur? inquit. Ut reor, ab eo quod gratis datur, et ideo gratia vocitatur. — Et si gratia gratis datur, et auro non æstimatur, cur a te pecunia comparatur? — Sed non mihi, ais, daretur, si nummis non emeretur; nec episcopus ordinarer, si minime pecuniam darem. — Ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti; et si gratiam, frater, non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Si ad discipulos a Domino dicitur : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8), cur gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere? Ut video, et aurum, cum dares, perdidisti, et sanctam gratiam minime acquisisti.

Adhuc semel adjiciens, fratrem perquiro episcopum, ne quid nos de approbamentis veridicis prætermisisse videamur : Quis dat, frater episcope, gratiam episcopalem? Deus, an homo? — Sine dubio Deus, sed tamen per hominem. Homo imponit manum, et Deus largitur gratiam; sacerdos Deo servit supplici dextra, Deus benedicit potenti dextera; episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem. — O justitia! o æquitas! si homini pecunia datur, qui nihil in ordine plus operatur, nisi solum servitium quod ei conceditur; cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Justumne tibi videtur ut servus honoretur, Deus injuriam patiatur; et injuste sacerdos accipiat pecuniam, et Deus patiatur ab homine injuriam? Sed quia pro concesso ordine Deus a te nihil exspectat, cur a te sacerdos pecuniam impudenter exspectat? Deus homini concedere voluit gratis, et episcopus rapax pecuniam ab homine expetit! Gratis ei Deus ut benignus donavit, sacerdos ut malignus eum captivavit! Quid enim habes quod non acccepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Ecce ad quæ mala devolvitur deificus ordo. Ecce ad quæ sunt prohra prolapsi, qui audire meruerunt a Judice mundi : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14). Ecce quibus subjiciuntur gentes, quibus a Domino dictum est : *Vos estis sal terræ* (*Ibid.*, 13). Si lux es Ecclesiæ a Domino constitutus, ut imperitiæ tenebras prædicationis tuæ eloquio rutilante conscientiarum tenebras illumines, cur ipse tenebris pallibus teneris obstrictus per supra memoratos excessus? Et non solum quia hæc agis, ipse digne peris, et insuper alios tecum indigne perdis. Salis etiam si meruisti possidere saporem, ut insipientium queas arva condire, cur infatuatus tali dedecore vitiorum immundis te suibus conculcandum præbes, ut nec alios nec te ipsum post hæc condire possis? Oculorum etiam in corpore officium, id est in Ecclesia, voluptuarius appetisti, ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet; et nunc, quia lippitudine in caligine vitiorum obtenebratus[es], nec ipse lucem præbes, et aliis lucem adimis. De quibus oculis in Evangelio dicitur : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*; id est, si episcopus, qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitatis innocentia decoratur, omnis Ecclesia splendore radiabitur lucis. *Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit*; id est, si episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? id est, quid sæcularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis et actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem episcopus multitudinem provocaverit, ut nullum jam illicitum videatur quod ab episcopo quasi licitum perpetratur? Sed ipsum credunt magis cuncti laudabile, quidquid episcopus habuerit delectabile; nec quisquam agere timeat, quod agere pontifex minime dubitat.

Nomen quo censeris, te ipsum arguit. Episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris; et quid aliud episcopus, quam superinspector exponitur? Cum in Ecclesiæ solio editiore cunctos merito respicis, et cunctorum in te respiciunt oculi, ut des illis escam in tempore opportuno : cur velut tetrum te speculum universorum obtutibus monstras, ne possint obscuritate tua se exornare?

Sufficiat huc usque nostris consacerdotibus paululum dilatasse sermonem in quo eorum excellentiam simul et casum monstravimus, ne, confidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum, et non crederent se sacerdotes, si nomine tantum et non opere vocarentur. Et, quanquam sciam in hac discretione plurimos mihi sacer-

dotes, qui hæc amplecti negligunt, infideliter detracturos, credo tamen pluriores, qui hæc obnituntur assequi, fideliter oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum minime prægravamur, sic probatorum virorum orationibus adjuvamur. Age jam nunc, sanctificus Spiritus, qui nos in hoc opere divinis inspirationibus adjuvasti, sacerdotes cuncto adjuves, ut faciant quæ in hoc opusculo ipse jussisti, ut eis merito tribuas cœlorum regna quæ promisisti, qui cum Patre et Filio unigenito in trinitate et unitate vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

GERBERTI

POSTMODUM

SILVESTRI II PAPÆ

LIBELLUS

DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI,

Suo auctori primum restitutus ex cod. celeberrimi monasterii Gottwicensis in Austria, ord. S. Bened. a R. D. P. Hieronymo Pezio, Benedictino Mellicensi.

(Apud R. P. Bernardum Pezium, *Thesaurus Anecdot. noviss.*, tomi I parte II, col. 131.)

R. P. PEZII MONITUM.

(*Dissertatio isagogica in tom. I Thesaur. Anecd.*)

Dudum hoc opusculum tanquam anonymi editum fuit ab erudito viro Cellotio, de cujus genuino auctore scturus doctissimus Mabillonius in præfationis Sæculi IV. Bened. parte altera, § 3, ita disserit : « Etsi anonymus iste ingenio plane mediocri et vulgari eruditione præditus fuerit, fatendum est tamen ipsius testimonium non parum valere ad illustrandas sæculi noni ac decimi controversias, maxime si sæculo decimo, ut quibusdam visum est, eum vixisse constet. Auctor enim iste, qui Anonymus Cellotianus vulgo appellatur, propterea quod ab erudito Cellotio vulgatus primum est in Appendice ad Historiam Gothescalci, quatuor potissimum docet de his controversiis : Primum Rabanum Moguntinum archiepiscopum, et Ratramnum scripsisse adversus Paschasii sententiam, asserentis, in Eucharistia idem esse corpus quod natum est de Maria Virgine, quod etiam Anonymus iste impugnat; secundum, Stercoratiorum auctores esse Heribaldum Antissiodorensem episcopum, qui rem turpiter proposuit Rabano, et Rabanum ipsum, qui turpius assumit et turpissime conclusit. Quos etiam auctor refutare conatur; tertium, hoc commentum revixisse tempore ipsius Anonymi; quartum, vere Christi corpus et sanguinem nihilominus in Eucharistia contineri. » Subdit Mabillonius : « Hæc quanti momenti sint, nemo non videt; ac proinde aliquod operæ pretium fore putavi si, antequam agam de Paschasii adversariis, hujus Anonymi nomen ætatemque (quod utrumque apud studiosos controversum) significem. » Tum num. 47 et 48, qua conjecturis, qua Gemblacensis codicis, qui quingentorum annorum sit, fide ostendit, Herigerum abbatem Laubiensem libri Cellotiani auctorem esse. Qua diligentissima perquisitione quantum sibi Mabillonius apud omnes doctos viros applausum conciliaverit, vulgo notissimum est. Ast nequaquam omnis res confecta est. Sive enim Mabillonii conjecturas, sive citatos codices respiciamus, æque nobis fortia in contrarium argumenta occurrunt. Nam ad illas quod attinet, fatemur ex Chronici Laubiensis continuatore, Sigeberto Gemblacensi, et Gerardo Silvæ Majoris abbate certum esse, ab Herigero Laubiensi abbate opus quoddam *De corpore et sanguine Domini* compositum fuisse. Verum cum id Gerardus abbas *Epistolam quamdam* disserte nuncupet, in Anonymo autem Cellotiano nullum penitus epistolæ vestigium deprehendatur, causa nulla est cur hujus opusculum Herigero tribuatur. Porro codici Gemblacensi, qui nomen Herigeri ostentat, opponimus ejusdem ætatis insignem codicem Gottwicensem, in quo præter *librum Ratramni De corp. Domini* Anonymi libellus sub *Gerberti* nomine, minio distinctissime a prima manu picto, comparet. Et vero nulli dubitamus quin viri eruditi in nostram potius quam in Mabillonii sententiam concessuri sint. Qui audaculum stylum Gerberti ejusque ingenium dialecticis et mathematicis disciplinis imbutum norunt, etiamsi nullus codex suffragaretur, eis eadem suspicio vel ex ipso opusculo posset incidere. Id quod etiam in causa fuit quod Gerberti libello *De corpore et sanguine Domini*, mox aliud ejusdem opusculum *de Rationali et Ratione uti* ex Tegernseensi sexcentorum annorum codice subjunxerimus, quod etsi de se levis momenti videatur, ad ferendum tamen de uno utriusque opusculi auctore judicium perquam commodum est. Idem in utroque stylus, eadem brevitas et in disputando confidentia, idem dialectica schemata struendi artificium, etc. Quæ si cum Gottwicensis codicis fide conjungantur, vix dubio locum relinquunt quin genuinus Cellotiani opusculi auctor Gerbertus, qui sæculo decimo eruditionis laude sibi viam ad Romanum pontificatum stravit, nequaquam vero Herigerus, Laubiensis in Belgio monasterii abbas sit.

GERBERTUS

DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

I. Sicut ante nos dixit quidam sapiens, cujus sententiam probamus, licet nomen ignoremus: Intuentes, inquiens, Apostoli sententiam, qua dicitur: Quia « animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, » hæsitamus vehementer, ne minus spiritualiter viventes, cum de spiritualibus responsa paramus, qualia forte nec dum percepimus, in lapidem offensionis et petram scandali incidamus. Sed iterum cum internum aspectum ad eum dirigimus, qui dixit: « Aperi os tuum, et ego adimplebo illud (*Psal.* LXXX, 11), fidei integritate manente, provocamur respondere, de quo dignum est non tacere, de mysterio videlicet corporis et sanguinis Domini; dicentibus quibusdam idem esse quod sumitur de altari, quod et illud quod est ex Virgine natum; aliis autem negantibus, et dicentibus aliud esse; quibusdam etiam diabolica inspiratione blasphemantibus, secessui obnoxium fore. Super quibus periculosum esset aliquid respondere, sed magis aures obturare, nisi periculosius foret, eos talia proposuisse; quia hoc est pro lacte ab uberibus butyrum aut sanguinem elicere. « Mel, inquit Sapientia, invenisti? Comede, quantum sufficit (*Prov.* XXV, 16). » Et: « Nimius noli scrutator esse majestatis, ne a gloria opprimaris (*Ibid.*, 27). » Et his quidem, qui dixerunt, secessui obnoxium (quod nunquam est auditum) id est, Heribaldo Antisiodorensi episcopo, qui turpiter proposuit, et Rabano Mogontino, qui turpius assumpsit, turpissime vero concluſit, suus ad respondendum locus servetur. Propter eos autem qui idem quod natum ex Virgine, aut aliud dixerunt esse, diversæ sanctorum Patrum ponantur sententiæ: quæ eis quidem videntur diversæ, sed possent sufficere si ad plenum et discrete essent intellectæ. Dico autem Paschasium Ratpertum Corbeiensem abbatem, qui rogatus, incertum an provocatus, scripsit de eadem re libellum ad centum fere capitula satis utilem; quem cum resperserit multa multorum auctoritate Patrum, ponit ex nomine S. Ambrosii, « quod non alia plane sit caro quæ sumitur de altari, quam quæ nata est de Maria virgine, et passa in cruce, et quæ surrexit de sepulcro, quæque pro mundi vita adhuc hodie offeratur. » Contra quem satis argumentantur et Rabanus in epistola ad Egilonem abbatem, et Ratramnus quidam in libro composito ad Carolum regem, dicentes esse aliam; vel testimonio Hieronymi, qui dicit, *dupliciter dici* corpus Domini; vel auctoritate S. Augustini, qui dicit *tripliciter dici*. Et quia contendunt in libris Ambrosii non ita ad litteram inveniri, ponamus non solum ejus immutabiliter dicta; sed et beatorum Augustini et Hieronymi, et cæterorum, ut sunt inventa: ut, his diligenter perspectis, cui Deus, aut per quem dignatus fuerit aperire, pateat et tantos viros non dissentire, et in catholica Ecclesia unum et idem debere omnes sapere, et schisma non esse. Verum cum ad eos venerimus qui moderno tempore his contentionibus non timuerunt inservire, et ob hoc nihil dignum meruerunt diffinire, nec posteritati venturæ potuerunt satisfacere, illud beati Hilarii (lib. VIII *De Trinit.*) non dubitemus inculcare: « Non est, inquit, humano, aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum; neque per violentiam aut imprudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt, legamus: et quæ legerimus, intelligamus; tunc perfectæ fidei fungemur officio. » Hæc contra eos, qui putant Christum categorizasse, ubi ait: *Omne quod in os*, et reliqua. Vel contra eos, qui dogmatizant, quidquid de corpore Domini dicitur, vel in veritate, vel in figura, ac per hoc in umbra dici. Sed de his posterius. Nunc ut sese habent sanctorum Patrum dicta, immutabiliter ponamus.

II. Ambrosius, in lib. De sacramentis: « Ista esca, inquit, quam accipis: iste panis vivus, qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat: et quicunque manducaverit hunc, non morietur in æternum, et corpus Christi est. » Item: « Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est; vere ergo carnis illius sacramentum est. » Item: « Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus est potus. » Leo papa: « Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. » Augustinus: « Suscepit Christus de terra terram (quia caro de terra est) et de carne Mariæ carnem suscepit; et quia in ipsa carne ambulavit, ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. » Basilius: « O miraculum! o Dei in nos benevolentia! qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificii tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum, et cum benedictione complecti, fitque hoc totum sub oculis hu-

manis. » Item ipse : « Cum, inquit, sacerdos etiam sanctum Spiritum advocaverit, et reverendam illam immolaverit hostiam, communemque Dominum subinde contigerit, » et reliqua. Gregorius : « Christus resurgens a mortuis, jam, licet non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, tamen, in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. » Hæc ideo hic posita sunt, si forte per ea simplicitas Paschasii Ratberti possit excusari, unde maxime ab loquentibus [*f.* obloquentibus] Rabano et Ratramno [*Cod.*, Ratmanno] videtur suggillari, videlicet quia dixerat eamdem esse carnem, quæ de altari sumitur, et Virgine generatur, et quia quotidie adhuc pro mundi salute immoletur. Quia, licet nobis nihil placeat gratius et jucundius quam quod de hoc mysterio valet dici sublimius; tamen quod oblocutores ejus econtrario asserant quod non sit eadem, breviter ponamus.

III. Hieronymus : « Dupliciter, inquit, sanguis Christi et caro intelligitur; vel spiritalis illa atque divina, de qua ipse dicit : « Caro mea vere est cibus, « et sanguis meus verus est potus; » vel caro quæ crucifixa est, et sanguis qui militis effusus est lancea. » Augustinus autem scribens corpus Christi tripliciter dici, id est Ecclesiam, qui Christi corpus sumus, et illud mysticum, quod ex substantia panis et vini per Spiritum sanctum consecratur, subintulit, dicens : « Cæterum illud corpus, quod natum est ex Maria virgine, in quo illud corpus transfertur, quod pependit in cruce, sepultum est in sepulcro, resurrexit a mortuis, penetravit cœlos, et pontifex factus in æternum, quotidie interpellat pro nobis. Ad quem, si recte communicamus, mentem dirigimus; ut ex ipso, et ab ipso, nos corpus ejus, carnem ejus, illo manente integro, sumamus : quæ nimirum ipsa caro est, et fructus ipsius carnis, ut idem semper maneat, et universos qui sunt in corpore pascat. » Fulgentius : « Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis : cui cum Patre et Spiritu sancto a patriarchis, a prophetis et sacerdotibus tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur : et cui nunc, id est, tempore Novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini in fide et charitate sancta Ecclesia catholica per universum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, et sanguis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, et sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus apostolus dicit in Actibus apostolorum : « Attendite vobis « et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. » In illis ergo sacrificiis, quid nobis esset donandum, figurate significabatur; in hoc autem sacrificio, quid nobis jam donandum sit, evidenter ostenditur. » Eusebius : « Quia Christus corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, et sideribus illaturus; necessarium erat ut nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium; ut, quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetuo etiam esset redemptionis oblatio, et perennis illa victima viveret in memoria, et semper præsens esset in gratia. Vere unica et perfecta hostia, fide æstimanda, non specie : nec exterioris hominis censenda visu, sed interioris affectu. Unde merito cœlestis confirmat auctoritas quia « caro mea « vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum : quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. »

IV. Poteramus et aliorum, tam antiquorum quam et modernorum, sed et ipsius Ambrosii dicta his consentanea ponere, nisi putaremus hæc posse sufficere, videlicet hæc dici figurate, et tamen corpus Christi esse in veritate. Sed hæc non intelligentes nec ad liquidum discernere valentes, sed potius majorem minus capacibus errorem immittentes, non attendentes quod supra dixit Hilarius : « Non humano est aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, » argumentantur : aut omnino figuratum, et nihil veritatis in hoc mysterio constare; aut si veritas sit, jam figuram non esse. Sed Paschasius Radbertus sicut et alia multa in eodem libro ultra humanam æstimationem utiliter tractat; ita et huic sophismati fortiter obviat, dicens : « Figuram non semper umbram esse, et jure simul hoc mysterium et figura et veritate dici posse. » Quod si quis plenius voluerit scire, de ejus volumine, plena fultum auctoritate poterit mutuare. Nos autem *non alta sapientes, sed humilibus consentientes* (*Rom.* XII, 16), simpliciter fateamur quia figura est, dum panis et vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur. Et quemadmodum quidam sapiens moderno tempore dixit : « Sicut omnia in Christo vera credimus, veram videlicet divinitatem et veram humanitatem, verum Verbum et veram carnem, verum Deum et verum hominem : ita in mysterio corporis et sanguinis ejus, quod virtute cœlestis benedictionis et Verbi divini in id quod non erat consecratur, nihil falsum, nihil frivolum, nihil infidum sentiamus. » Sed quid ad nostram tantilitatem de tantorum, quorum prælibata sunt dicta, virorum discrepantia, sed videntibus consentanea dijudicare? At forte omnipotens Deus, et nostræ humilitatis conscius, et magis fidelium suorum, non impie dubitantium, saluti et hæsitationi sanandæ providus, dignabitur patefacere per nostræ inquisitionis munus, ut et tantæ utilitatis, quæ in eodem libro est, propter unum verbum non

depereat fructus : et beati Ambrosii, cujus præ cæteris libri indigent expositore (quia nullus Latinus ita Græcos secutus videtur esse) ipsius, inquam, auctoritas palmam digna sit obtinere.

V. Cyrillus : « Necessarie igitur et hoc adjicimus, annuntiantes, secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est Jesu Christi, et resurrectionem ejus, et in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur participes sacri corporis et sanguinis pretiosi Christi, omnium nostrorum redemptionis effecti : non communem carnem percipientes (quod absit!) nec ut viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem; sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni adjunctus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo, quamvis dicat ad nos : « Amen, « amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii « hominis, et biberitis ejus sanguinem, » non tamen eam ut hominis unius ex nobis æstimare debemus (quomodo juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit?), sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis est factus, et vocatus. » Magna auctoritas tanti viri, qua et carnem Christi vere vivificatricem esse dixit, et ipsius Verbi propriam factam, et vitam ut Deum naturaliter existentem. Hujus itaque tanti viri auctoritate solvitur ambiguum omne quod beatus Ambrosius dimisit in subauditione, *naturaliter* scilicet carnem Christi, quæ sumitur de altari, eamdem fore, quæ nata est de Virgine. Et idcirco, sive secundum Hieronymum dupliciter, sive secundum Augustinum dicatur corpus Christi tripliciter, *specialiter* debeat dici, cum sit *naturaliter* unum. Unde et Augustinus : « Ut ex ipso, inquit, et ab ipso nos, corpus ejus, carnem ipsius, illo manente integro, sumamus. » Quam bene facta distinctio! quod ita construitur : *Ut nos*, inquit, qui sumus corpus Christi, id est Ecclesia, *ab ipso*, qui natus est de virgine Maria *ex ipso*; id est, carnem ejus, quæ consecratur in altari, *illo manente integro, sumamus*. Ut autem certius demonstraret idem beatus Cyrillus hanc triplicem secundum Augustinum discretionem, specialiter dictam, naturaliter esse unam : « Non, inquit, ut viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem; sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam. » Ariani enim, qui negabant unam Patris et Filii substantiam, illud, quod ipse Filius dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), asserebant, intelligendum ex concordia voluntatis; quos manifestius confutat Hilarius, vere Romanorum Lucifer : quod ad intelligendum, quod Cyrillus dixerat, valet multipliciter.

VI. Hilarius (VIII, *De Trinit.*) : « Eos, » inquit, « nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatem ingerunt unitam, interrogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem factum cibo Dominico suminus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi, homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim in Deo omnes sumus : quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius, non naturaliter vel se in Christo, vel sibi Christum non esse; quia in Christo Pater, et Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus (quia Pater in eo est, et ille in nobis), quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis? Ipse enim ait : « Caro mea « vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui « edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in « me manet et ego in eo. » De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim, et professione ipsius Domini et fide nostra, vere caro est et vere sanguis est; et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. » Item post pauca : « Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus per carnem Christum manentem habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per Patrem. Si nos ergo naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam carnis suæ sumus adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem? »

VII. Hic videndum quomodo per id etiam quod hæreticis erat indubitatum, voluerit arguere quod erat dubium. Dubitabatur ab eis de unica Patris et Filii substantia; quia quod dictum est : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x, 30), » moliebantur ad unanimitatis referre consensum, ut unitas solum esset voluntatis, non naturæ; sicut « multitudinis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32). » Indubitatum vero erat quod vere Verbum caro factum fuerat. Nihilominus, quia Deus naturam carnis nostræ inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento hoc nobis communicandæ carnis admiscuit, ac per hoc nos in Christo unum corpus efficimur; et ideo per hoc omnes in Deo Patre et Filio unum sumus; quia Pater in Christo, et Christus in nobis esse probatur, videamus distinctionem. Christus naturam nostræ carnis assumpsit, cum de Vir-

gine natus homo processit. Ecce caro de Virgine! sub sacramento communicandæ carnis. Ecce quod sumitur de altari! Ad naturam æternitatis nos univit. Ecce corpus nostrum, quod est Ecclesia! Jam credo patere, quod beatus Ambrosius dixerat, tandem esse, ut subaudiatur *naturaliter*. Et Augustinus, Hieronymus et Fulgentius : aliud esse, ut subaudiatur *specialiter*. Et quia cultus justitiæ pietas est, vel sapientia pietatis est fructus, aliquando quidam simplices et idiotæ, ferventes vero bonis operibus et pietate, melius pura prof. cere fide, quam fucato sermone. Senes illi in Vita Patrum, alium æque senem ac virum sanctum, sed pro hoc mysterio dubium, non dialecticis argumentationibus, sed verbis simplicibus et oratione compulerunt ad credendum, illud quod suminus de altari, naturaliter esse corpus Domini, cum et in veritate, non figuratum. Ecce quantum fides proficit, ubi sermo deficit! Et nos aliquando, antequam tantorum virorum, Cyrilli dico et Hilarii, auctoritatibus instrueremur, hanc supra dictorum sanctorum (quæ [*cod.*, quia] posterioribus visa est) discrepantiam [*cod.*, discrepantia] alicujus dialectici argumenti sede absolvere meditabamur. Non enim ars illa, quæ dividit genera in species, et species in genera resolvit, ab humanis machinationibus est facta; sed in natura rerum ab Auctore omnium artium, quæ veræ artes sunt, et a sapientibus inventa, et ad utilitatem solertis rerum indaginis est usitata; sicut scriptum est : « Producat terra animalia in species suas (*Genes.* I, 24). » Sed primo occurrebat, aliquam medietatem arithmeticæ ponere, secundum aliquem de proportionalitatibus numerorum, quas in proportionibus, inque differentiis terminorum contemplamur. Sed nec et ista humanis machinationibus est facta, quia ineffabilis atque divinæ virtutis in ea est sapientiæ constantia, ad quam dicitur : « Omnia in mensura et pondere et numero constituisti » (*Sap.* II, 21). Constituantur duo termini supremi, et horum medius, æquis quidem differentiis, sed proportionaliter differentes. Ad hanc similitudinem iterum constituantur duo termini supremi, prædicatus, et subjectus, et horum medius subalternus; ut sicut primus prædicatur de medio, ita medius de ultimo, ac per hoc primus de ultimo. Ne ergo dubites ultimum inesse primo, id est primum prædicari de ultimo : cum, si ultimus insit medio, medius vero primo; certissime ultimus insit primo. Hac etenim similitudine et cosmopœia, id est, mundi factura, solidata est, scilicet quod duo extrema, id est ignem et terram, duo media, id est aer et aqua, indissolubiliter devinxerunt. Et hæ quidem similitudines sunt, quæ non ex toto, sed ex parte sui, sicut et aliæ multæ in divinis Scripturis aptantur triplicitati, secundum Augustinum, corporis Domini. In istis enim similitudinibus major terminus et minor, et prædicatum, et subjectum invenitur; in sacramento autem corporis Domini quid humana ad divina? Nihil majus, aut minus, non prædicatum et subjectum invenitur. Non est enim diversitas, ubi

A est unum; quia non duo aut tria corpora, sed unum. « Unus panis, » ait Apostolus, « unum corpus multi sumus in Christo (*I Cor.* X, 17). » Et : « Erunt duo in carne una (*I Cor.* VI, 16). Sacramentum hoc, » ait Apostolus, « magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia (*Ephes.* V, 32), » id est in nobis, qui sumus corpus Christi, quod est Ecclesia, et in carne Christi, quæ nata est de Virgine Maria; quibus, vel cui intervenit media, quæ utrasque juvat, quæ sumitur de altari, digne percepta.

VIII. Quam triplicitatem, sed unitam, significavit David in libris Regnorum, qui *efferebatur in manibus suis*. Non enim ad litteram quisquam ferri potest in manibus suis. Sed verus David, id est Christus, efferebatur in manibus suis, quando recumbens in cœna cum integro corpore, quod natum fuerat de Virgine, in morte ponendum, resurrecturum, cœlis tamen glorificatum inferendum, ad dexteram Patris collocandum, corpus, quod nos nunc sumimus de altari, manibus suis, id est, vero suo corpori connaturale et conformatum, discipulis suis, id est corpori suo, quod sumus nos vel Ecclesia, obtulit communicandum. « Nemo quippe ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III, 13). » Sed caro ascendit, quæ non descenderat, jam quippe deitati unita erat. Unde et beata Maria non solum *Christotocos* (Χριστοτόκος), sed etiam *theotocos* (Θεοτόκος) meruit fieri. Quapropter sic intelligendum : Nemo ascendit in cœlum cum carne, nisi qui descendit cum deitate. Ad hoc enim particeps factus est humanitatis nostræ, assumendo carnem nostram de Virgine : ut nos, id est Ecclesiam, participes factos divinitatis suæ, uniret corpori suo, sumpto de Virgine, eucharistia, quæ sumitur de altari, mediante et confirmante. Ipse namque reformavit corpus humilitatis suæ. Ergo sicut Pater in Filio per deitatem naturaliter, et sicut Filius in nobis secundum assumptionem humanitatis naturaliter, et sicut nos in eo sumus per unitionem carnis naturaliter, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est : ita naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit. Sicut ait ipse Christus : « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint (*Joan.* XVII, 21). » Et iterum : « Ut sint unum, sicut et nos unum sumus, et ego in eis, et tu in me (*Joan.* XVII, 22). Ecce evidens et manifesta ex ipsius Christi Domini nostri [verbis] præfata distinctio! Et ut per hoc evidentius elucescat hujus etiam sacrificii distinctio, ponamus figuratim.

KRYCTUC.	Eucharistiam	Ecclesia
Inconsumptibilis	Sumendam	Sumens,
Invescibilis,	Vescendam	Vescens,
Dat ab	Datam	Accipit.
Ipso	Ex ipso	Corpus. ejus.

Quod ita potest construi : Christus, inconsumptibilis, invescibilis. Eucharistiam, sumendam, vesceu-

dam, datam ex ipso. Ecclesia corpus ejus sumens, A vescens, accipit ab ipso datam. Quod nisi ita construatur, putabit aliquis esse accusativum casum; nos autem dicimus nominativum *Ecclesia*, quod est corpus ejus. Accepit itaque Christus carnem nostram, non phantasticam, sed naturalem. Ergo et caro nostra naturalis, unde sumpta est illa. Sed et illa naturalis, quæ uniret utrasque, et faceret connaturales, et ipsa connaturalis. Sed, ut ait quidam sapiens, non ob hoc plures carnes vel corpora, sicut nec multa sacrificia, sed unum; licet a multis offeratur per loca diversa et tempora. Quia divinitas Verbi Dei, quæ una est, et omnia replet, et tota ubique est, ipsa facit ut non plura sint sacrificia, sed unum licet a multis offeratur, et sit unum corpus Christi cum illo quod suscepit in utero vir- B ginali. Quam vigilanter, quam aperte, fit, inquit, unum corpus Christi cum illo quod suscepit de utero virginali! Vere enim et incunctanter credendum, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis precem cœlos aperiri, et illud angelico ministerio in sublime deportari altare, quod est ipse Christus, qui et pontifex et hostia, contactuque illius unum fieri. « Oquales, » ut ait S. Basilius, « oportet sacerdotis esse manus, tantarum rerum ministras, quæ communem Dominum angelico iterum revectum officio subinde contigerint [*cod.*, contigerit]! » Sed jam Paschasium Radbertum sufficiat excusatum, librumque ejus plurimorum utilitati defensum, qui in hoc tantum peccavit, quia de sententia beati Ambrosii non verbum de verbo, sed sensum de sensu C expressit. Quod autem iterum objiciunt, eum dixisse « toties Christum pati quoties missas contingat quotidie ubique celebrari, » ego certe in libro ejus non reperi: cum et Augustinus et cæteri, *illo manente integro*, dicant. Et S. Andreas: « Agnus, inquit, in suo regno integer perseverat et vivus. » Et beatus Petrus: « Christus, inquit, semel pro peccatis nostris mortuus est (*I Petr.* III, 18). » Et Paulus: « Christus resurgens jam non moritur (*Rom.* VI, 9) » : et pene totus textus Epistolæ ad Hebræos idem sonat.

IX. Sed illorum jam ineptiis respondendum, qui humano aut sæculi sensu in Dei rebus putant loquendum. Dominus etenim noster non de spiritali cibo, sed de carnali locutus est, cum diceret: « Omne D quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur (*Matth.* XV, 17). » Non autem in Scripturis omnibus semper pro categorico syllogismo prædiffinite accipitur: cum, etsi *de corde exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV, 19), ut idem Dominus dicit, non possunt exire etiam bonæ? Calumniati sunt hæretici ex hoc sermone, Dominum physicæ ignarum fuisse; physica enim sic se habet: Ignea virtus, cujus sedes in corde est, cibi potusque subtilem per occultos poros in diversas corporis partes vaporem distribuit; fæculentum vero in secessum discernit. Et nos sæpe videmus non modo infirmos sed etiam sanos, quod per os intromittunt, per vomitum rejectare, et aliquos per multa tempora sine digestione duxisse [*f. suppl.* vitam]. Et, licet quod sumebant, per nauseam stomachi revomeretur, subtilior tamen succus per membra usque ad ungues diffundebatur. Ergo dicendum, aut Dominum non prædiffinite locutum, aut quamcunque aporiam corporis, qua se subtilis cibi vapor diffundit, secessum dictum; et hoc, ne hæreticus garriat. Cæterum quia vere credimus non solum animam, sed et carnem nostram hoc mysterio recreari (totum enim hominem assumpsit qui totum hominem in Sabbato curavit), carni quidem caro spiritaliter conviscerata transformatur, ut et Christi substantia in nostra carne inveniatur, sicut et ipse nostram in suam constat assumpsisse deitatem: ut qui manducat ejus carnem et bibit sanguinem, vivat per animam et nunc et in æternum, et caro de terræ pulvere resuscitata viviticetur in novissimo die. Quapropter cujus potenti virtute panis iste communis quem quotidie sumimus, cum sit candidus, mutatur intra nos in colorem sanguineum vel alium humorem fluidum, ipsius potentia caro et sanguis ejus sumpta non in noxios et superfluos humores, sed in carne vere resuscitanda debeat reservari conformata. Et quia totum quod diximus, non ex nostro sumpsimus, de isto etiam quid quidam sapiens diffinierit, dicamus. « Scimus, inquit, hoc sacramentum mysterio et reverentia omnimodis a communibus escis secernendum quæ naturali et necessario usu sumuntur; ita enim omnes exposuerunt quod Apostolus dixit: « Non dijudicans » corpus Christi, id est, a cæteris escis non discernens, vel cujus excellentiæ sit, inconsiderans, quod unum idemque est. » Non enim excellentiam ejus reveretur qui secessui dicit obnoxium, sicut cæteras escas. Sed tamen eodem modo, quantum ad comestionem et haustum pertinet, percipitur [*cod.*, percipiuntur], videlicet trajiciendo per os, et in ventrem mittendo. Ubi quid Dominus de mysterio suo agere voluerit, suæ scimus tantum cognitum esse voluntati. Scimus enim consumi posse spiritali virtute; scimus et reservari posse inconsumptibili perennitate; quia quæcunque ex his Christus elegerit, de suo sacramento perficit. Absit tamen ut tantum mysterium secessui fiat obnoxium! in quo si forte ordo naturæ servatur, mysterium, quod sola fide conspicitur, humilietur. Si corpus in corpore ordinem servat, non violatur mysterium quod divinitatis firmavit sacramentum; nec spiritus amittit quod fide integra in re corporali spiritaliter sumpsit.

X. Sed jam forti syllogismo quod præmisimus, concludamus. Dixeramus Dominum non de spiritalibus escis, sed de carnalibus dixisse: *Omne quod intrat in os*, et reliqua. Est homo exterior, qui corrumpitur, est et interior, qui renovatur. Est autem corpus Christi spiritualis alimonia pertinens potius ad interiorem hominem, de quo digestio non prædicatur. Quod si ad exteriorem pertineat hominem pium sit et salutare, diffundi per membra credere profuturum resuscitandis in generali resurrectione. Liquet igitur non obnoxium secessui esse.

SELECTA E CONCILIO BASOLENSI GENUINA,

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, tom. I, pag. 635.)

La ville de Laon, dans laquelle Arnoul s'était réfugié avec Charles de Lorraine, fut livrée à Hugues Capet par l'évêque Adalbéron-Ascelin. Charles et Arnoul furent envoyés prisonniers à Orléans. Le roi convoqua un concile pour faire juger l'archevêque. Cette assemblée se tint, au mois de juin 991, dans l'abbaye de Saint-Basle (16), près de Reims (17). Il s'y trouva deux archevêques : Séguin de Sens et Daibert de Bourges, et onze évêques : Gui de Soissons, Adalbéron de Laon, Hervée de Beauvais, Gotesman d'Amiens,, Ratbode de Noyon, Odon de Senlis, Gauthier d'Autun, Brunon de Langres, Milon de Mâcon, Arnoul d'Orléans, Herbert d'Auxerre, et un grand nombre d'abbés. Arnoul, tiré de sa prison, fut amené pour être jugé par le concile.

La présidence fut déférée à l'archevêque de Sens, le plus ancien des métropolitains; Arnoul d'Orléans fut désigné comme promoteur. Après quelques préliminaires, le promoteur exposa la cause. Le président déclara que, selon les canons (18), il ne procéderait au jugement qu'autant qu'on promettrait de faire grâce de la vie à l'accusé, s'il était convaincu; alors commença le procès. On produisit contre Arnoul le serment de fidélité qu'il avait souscrit; le témoignage du prêtre Adalger, qui assurait n'avoir ouvert les portes de Reims que par les ordres de l'archevêque; la sentence d'excommunication qu'il avait portée contre les auteurs du pillage, et qui n'était plus, d'après sa conduite, qu'un stratagème pour cacher sa trahison. Les défenseurs : Jean, écolâtre d'Auxerre; Rotulphe, abbé de Senones, et Abbon, abbé de Fleury, firent valoir en faveur d'Arnoul : 1° qu'il ne pouvait répondre, ni par conséquent être jugé avant d'être rétabli; 2° qu'il fallait faire les sommations canoniques; 3° que la cause devait être notifiée au Saint-Siége; 4° que les accusateurs et l'accusé devaient paraître devant un concile plus nombreux. A ces moyens de défense on répondit : que les accusateurs étaient de caractère à n'être pas récusés : qu'Arnoul avait été cité plusieurs fois, et qu'il avait toujours refusé de comparaître : qu'il pouvait être jugé sans être rétabli, on en avait usé ainsi à l'égard d'Ebbon de Reims et d'Hildeman de Beauvais : qu'enfin le pape avait été consulté, et on produisait comme preuves les lettres du roi et des évêques. Le promoteur chercha à établir la compétence du concile dans une déclamation fort peu mesurée contre la cour de Rome (19).

Ensuite Arnoul fut introduit, et prit place au rang des évêques. Le promoteur lui reprocha son infidélité au roi; l'archevêque essaya de nier et de taxer d'imposture les témoins qui déposaient contre lui. Sur la proposition de quelques abbés, il se retira dans un lieu séparé, pour conférer avec quelques prélats qu'il choisit pour conseils : c'étaient l'archevêque de Sens, et les évêques d'Orléans, de Langres et d'Amiens. Là, à genoux devant eux, il s'avoua coupable : aveu qui fut réitéré en présence des évêques et des abbés. Telle fut la première session.

Le lendemain on se réunit de nouveau; les esprits étaient mieux disposés en faveur d'Arnoul : sa naissance, sa jeunesse, intéressaient les uns; les autres voyaient en sa personne tout le corps épiscopal compromis; tout annonçait une sentence favorable. Mais les deux rois, Hugues et Robert, se rendirent au concile, et se firent rendre compte de ce qui avait été fait. Arnoul, qu'on fit paraître devant eux, intimidé par leur présence, ne répondit qu'avec embarras aux questions qui lui étaient adressées, et finit par confirmer ses aveux de la veille. « Prosternez-vous donc, lui dit l'évêque d'Orléans, prosternez-vous devant vos maîtres, que vous avez offensés. » Arnoul se prosterna les bras étendus en croix, et demanda la vie avec des gémissements qui tirèrent des larmes des yeux de tous les assistants. L'archevêque de Bourges se jeta aux pieds du roi et demanda grâce. Hugues se laissa fléchir, sous la réserve que l'accusé resterait sous sa garde. Alors les évêques procédèrent à la déposition : on le dépouilla des insignes de sa dignité, et on lui fit souscrire un acte d'abdication copié sur celui d'Ebbon (20); et après qu'il l'eut signé, on lui répéta ce qui avait été dit également à Ebbon : *Secundum professionem tuam et subscriptionem, cessa ab officio* (21).

(16) L'abbaye de Saint-Basle, à Verzy, près de Reims, fut détruite après la suppression des ordres religieux en France.

(17) Nous avions eu la pensée de rapporter textuellement les actes de ce concile, rédigés par Gerbert. Mais plus on lit ces actes, plus ils paraissent suspects. D'abord l'écrivain est celui qui a pris la place du prélat déposé, et qui est intéressé à présenter les décisions du concile sous un jour favorable: et cet écrivain avoue dans sa préface qu'il a fait des additions, des suppressions dans les actes originaux; qu'il a commenté, paraphrasé les discours, etc. . .; ce qui ne prévient pas en faveur de sa fidélité. Ensuite les seules éditions que nous ayons de cette œuvre de Gerbert ont été données par des hérétiques : les continuateurs de Magdebourg et les héritiers d'A. Wechel; et ces éditeurs ne sont pas à l'abri du soupçon d'interpolation. Nous nous contentons alors d'une simple analyse.

(18) Concil. de Tolède, de l'an 633, can. 31.

(19) Ce discours seul trahit l'infidélité de la relation. Quelques auteurs ont voulu voir dans cette diatribe les maximes de l'Eglise gallicane; celle-ci repousse avec force une telle imputation : jamais catholique n'a pu prononcer ce qu'on met ici dans la bouche d'un évêque; et Gerbert lui-même, quelque intéressé qu'il pût être à exagérer les torts de la cour de Rome, n'a pas pu écrire les maximes hérétiques dont ce discours est rempli. Sans doute l'Eglise entière a gémi sur les scandales donnés par certains pontifes, mais il n'est venu dans la pensée d'aucun catholique de dire qu'un pape vicieux perd son autorité, et n'a plus les prérogatives de S. Pierre. Cette doctrine sent trop bien Wiclef et ses pareils pour ne pas laisser deviner la source d'où elle émane.

(20) Nous ne citons pas cette pièce qui est la reproduction de l'acte de démission d'Ebbon.

(21) Il est vrai qu'Arnoul avait manqué à la fidélité qu'il avait promise à Hugues Capet, pour embrasser le parti de la légitimité; mais une telle faute était bien excusable dans un prélat qui était lui-même de la famille déchue. On ne peut donc attribuer la rigueur de la sentence qu'à l'influence du roi; et l'assemblée de Saint-Basle doit être regardée comme une faction politique plutôt que comme un véritable concile.

Adalger voulut implorer la clémence royale, et rejeter sur son archevêque la faute dont il avait été l'instrument et le moteur : les évêques lui reprochèrent avec indignation d'avoir perdu Arnoul par ses conseils. On ne lui laissa que le choix de la déposition ou de l'excommunication perpétuelle. Il choisit la déposition, et il fut réduit à la communion laïque. Enfin le concile prononça de nouveau l'excommunication contre les auteurs du pillage, qui n'avaient pas encore donné satisfaction (22).

Arnoul déposé, il fallait élire un autre archevêque. Hugues Capet fit tomber le choix sur Gerbert, qui avait été le précepteur de son fils. Il fut dressé acte de l'élection du nouveau prélat, qui fit aussitôt sa profession de foi.

ACTE DE L'ELECTION DE GERBERT.

Semper quidem, dilectissimi fratres, judicia Dei justa sunt, sed interdum occulta. Ecce enim post dissolutionem beatæ memoriæ patris Adalberonis, quemdam ex semine regio prodeuntem nobis Ecclesiæque Remensi præfecimus, et clamore multitudinis impulsi, Scriptura dicente : « Vox populi, vox Dei, » et sanctorum canonum institutis, desiderium ac vota cleri et populi in electione episcopi perquirentium. Caligavit acies mentis nostræ, litteram incaute sequendo, concordem sententiam divinarum Scripturarum parum investigando : non erat quippe vox Dei, vox populi clamantis : « Crucifige, crucifige. » Ergo non omnis vox populi, vox Dei est, nec omnis cleri et populi vota et desideria in electione episcopi perquirenda sunt, sed tantum simplicis et incorrupti, id est spe quæstus minime illecti. Sententiæ Patrum exponendæ. « Non liceat, inquit, turbis electionem facere eorum qui ad sacerdotium provocantur; sed judicium sit episcoporum, ut eum ipsi qui ordinandus est probent, si in sermone, et in fide, et in episcopali vita edoctus est. »

A Nos igitur episcopi Remorum diœcesos, secundum has constitutiones Patrum, favore et conniventia utriusque principis nostri Hugonis augusti, et excellentissimi regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero et populo, eligimus nobis archiepiscoporum abbatem Gerbertum, ætate maturum, natura prudentem, docilem, affabilem, misericordem; nec prælerimus illi vagam adolescentiam, ambitionem se extollentem, omnia temere ministrantem, imo nec talibus subjugari patienter auditu perferimus, quorum sapientia et consilio ecclesiastica ac civilia jura administrari non posse scimus. Cumque in unoquoque episcopo sit hoc speculandum, maxime tamen in eo, qui cæteris præest, metropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertum qui..... fuit : hujus vitam ac mores a puero novimus, studium in divinis ac humanis rebus experti sumus, hujus consiliis ac magisterio informari quærimus; ejus electionem subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorum consultu.

B

PROFESSION DE FOI DE GERBERT (23)

Ego Gerbertus gratia Dei præveniente mox futurus archiepiscopus Remorum, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse confirmo; totamque in Trinitate Deitatem coessentialem, et consubstantialem, et coæternalem, et omnipotentem prædico; singulam quamque in Trinitate personam verum Deum, et totas tres personas unum Deum profiteor. Incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantum credo, ut, qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine matris filius, Deus verus ex patre, homo verus ex matre; carnem ex matris visceribus habentem, et animam humanam rationalem simul in eo utriusque naturæ; id est hominem et Deum, unam personam, unum Filium,

(22) Nous croyons devoir rapprocher de la narration de Gerbert, que nous avons analysée, le récit du continuateur d'Aimoin touchant le même concile : « In illis diebus in Remensium civitate erat archiepiscopus, vir bonus et modestus, frater (filius) Lotharii regis ex concubina, nomine Arnulfus. Hugo autem rex invidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii regis. Congregansque in urbe Remensi synodum, in eum locum idem Hugo rex invitavit archiepiscopum Senonicæ urbis, nomine Seguinum, cum suffraganeis suis. In quo concilio fecit degradari dominum Arnulfum archiepiscopum Remorum dolo nepotis sui (patrui), quem tenebat in carcere, dicens non debere esse episcopum natum ex concubina. In loco autem ejus consecrari fecit dominum Gerbertum monachum philosophum : qui Gerbertus magister fuit Roberti regis, filii istius Hugonis ; et domini Leutherici archiepiscopi successoris venerabilis Seguini : Arnulfum autem mancipari custodiæ

C in Aureliana civitate. Venerabilis autem Seguinus archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulfi, neque in ordinationem Gerberti : jussio autem regis urgebat. Alii vero episcopi, licet inviti, tamen propter timorem regis degradaverunt Arnulfum, et ordinaverunt Gerbertum. Seguinus autem, plus timens Deum quam terrenum regem, noluit consentire nequitiæ regis : sed magis quantum potuit redarguit ipsum regem ; propter quam causam ira regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli jussit Arnulfum de ecclesia B. Mariæ virginis Remensis, et sic alligatum retrudi in carcerem. »

(23) Voyez pour le texte de Gerbert, les centuries de Magdebourg et les *Archives administ. de la ville de Reims*, par M. Varin, tom. I, pag. 100. Voyez pour la critique l'*Histoire de l'Eglise gallicane* par Longueval, liv. 19, et la *critique de Fleury* par Marchetti, tom. I, pag. 177.

unum Christum, unum Dominum, creaturarum omnium quæ sunt et auctorem et dominum et rectorem cum Patre et Spiritu sancto confiteor; passum esse vera carnis passione, mortuum vera corporis sui morte, resurrexisse vera carnis suæ resurrectione, et vera animæ..... in qua veniet judicare vivos et mortuos assero. Novi et Veteris Testamenti unum eumdemque credo auctorem, et Dominum, et Deum. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium factum esse malum. Credo hujus quam gestamus, et non alterius, carnis resurrectionem A Credo judicium futurum, et recepturos singulos pro his quæ gesserunt, vel pœnas, vel præmia: nuptias non proh beo, secunda matrimonia non damno, carnium præceptionem non culpo, pœnitentibus reconciliatis communicare debere confiteor. In baptismo omnia peccata, id est tam illud or ginale contractum, quam ea quæ voluntate admissa sunt, dimitti credo; et extra Ecclesiam catholicam nullum salvari confiteor. Sanctas synodos quatuor quas universalis mater Ecclesia confirmat, confirmo (24).

SELECTA E CONCILIO REMENSI.

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, tom. I, pag. 611.)

En 993, Gerbert réunit les évêques de la province en concile, pour condamner Herbert III, comte de Vermandois, et d'autres seigneurs qui pillaient les biens de l'Eglise. Le concile adressa aux coupables la remontrance suivante :

MONITOIRE.

Gerbertus et omnes episcopi diœceseos Remensium pervasoribus ejusdem.

Gerbertus gratia Dei Remorum episcopus, Guido B Suessionicus, Adalbero Laudunensis, Ratbodus Noviomensis, Rotardus Cameracensis, Odo Sylvanectensis, Fulco Ambianensis, Framericus Morinensis, Heriveus Belvacensis, per gratiam sancti Spiritus episcopi. Vobis, Gerberto (25), et his qui subscripti sunt pervasoribus, carnificibus atque tyrannis, diu modestia sacerdotum furoris vestri rabiem sustinuit; et adhuc patienter exspectat. Quousque ergo insania vestra sanis intellectibus nostris obsistet? Clades clero infertis, a cleri, monachorum et pauperum rapinis non cessatis. Convenimus ergo conscientiam vestram omnes episcopi Remorum diœceseos, et ad satisfactionem invitamus, spatiumque pœnitentiæ usque in proximis Kalendis attribuimus, tunc vos aut fertiles Ecclesiæ palmites recogniturі, aut tanquam inutile lignum ab agro Dei gladio sancti Spiritus excisuri (26).

EXCERPTA E CONCILO MOSOMENSI.

Léon, abbé de Saint-Boniface de Rome, fut envoyé en France par le pape, en qualité de légat, pour terminer l'affaire d'Arnoul. Un concile fut indiqué à Nouzon, pour le mois de juin 993; il ne s'y trouva que quatre évêques, encore n'étaient-ils pas de France. C'étaient Liudulfe, archevêque de Trèves, Aimon de Verdun, Notger de Liége, et Sigefroi de Munster. Gerbert, cité au concile, s'assit en face des évêques, pour rendre compte de son ordination. L'évêque de Verdun exposa les faits dans un discours qu'il prononça en langue vulgaire, pour être compris des laïques. Ensuite il donna lecture d'une lettre du pape adressée aux métropolitains des Gaules sur cette affaire. Gerbert prononça lui-même son apologie, et la remit par écrit au légat. Après la délibération du concile, il fut ordonné à Gerbert de s'abstenir de toute fonction, et de garder la suspense jusqu'au prochain concile, indiqué à Reims pour le mois de juillet suivant. Gerbert voulut protester; mais sur les représentations de l'archevêque de Trèves, il consentit à s'abstenir de célébrer la messe.

DISCOURS DE GERBERT.

Semper quidem, reverendissimi patres, hunc C diem præ oculis habui, spe ac voto ad eum intendi, ex quo, a fratribus meis admonitus, onus hoc sacerdotii non sine periculo capitis mei subii. Tanti erat apud me peremtis populi salus, tanti vestra auctoritas, qua me fore tutum existimabam. Recordabar præteritorum beneficiorum, dulcis atque affabilis benevolentiæ vestræ, qua præstantium sæpenumero cum multa laude usus fueram : cum ecce subito contrarius rumor vos offensos insinuat, vitioque

(24) Gerbert, epist. 25 et 26 *bis*; Labbe, tom. IX, col. 739; Hardouin, tom. VI, part. 1, col. 721; Marlot, tom. II, pag. 49, etc.

(25) *Gerberto*, Herbert, comte de Vermandois.

(26) Gerbert, epist. 40 *bis*; Labbe, tom. IX, col. 740; Hardouin, tom. VI, part. 1, col. 725; Marlot tom II, pag. 49, etc.

dare laborat quod magna paratum virtute inter alios constabat. Horrui, fateor, et quos antea formidabam gladios, præ indignatione vestra posthabui. Nunc, quia propitia divinitas coram contulit quibus salutem meam semper commisi, pauca semper innocentiam meam referam, et quonam consilio urbi Remorum prælatus sim edisseram.

Ego quidem post obitum divi Ottonis Augusti cum statuissem non discedere a clientelâ patris mei Adalberonis, ab eodem ignorans ad sacerdotium prælectus sum, atque, in ejus discessu ad Dominum, coram illustribus viris futurus pastor ecclesiæ designatus. Sed simoniaca hæresis in petræ soliditate me stantem inveniens repulit, Arnulfum prætulit. Cui autem plusquam oportuit, fidele obsequium exhibui, donec eum per multos et per me apostatare palam intelligens, dato repudii libello, cum omnibus suis apostaticis dereliqui, non spe, non pactione capescendi ejus honoris, ut mei æmuli dicunt, sed monstruosis operibus diaboli territus in effigie hominis latitantis; non ideo, inquam, illum dereliqui, sed ne illud propheticum incurrerem : « Impio præbes auxilium, et his qui oderunt me amicitia jungeris, et idcirco quidem iram Domini mereberis (*II Par.*, XIX). » Deinde, sanctionibus ecclesiasticis per longa temporum spatia peractis legeque peremptoria consummata, cum nihil aliud restaret nisi ut judiciaria potestate principis coerceretur, et tanquam seditiosus et rebellis a principali cathedra removeretur; lege Africani concilii iterum a fratribus meis et regni primatibus conventus et commonitus sum, ut, excluso apostata, curam discussi et dilaniati susciperem populi; quod quidem diu distuli, et postea non satis sponte acquievi, quoniam quæ tormentorum genera me comitarentur, omnimodis intellexi. Hæc est viarum mearum simplicitas, hæc innocentiæ puritas, et coram Domino et vobis sacerdotibus in his omnibus munda conscientia. Sed ecce ex adverso occurrit calumniator; vocum novitatibus, ut major fiat invidia, obloquitur : Dominum tuum tradidisti, carceri mancipasti, sponsam ejus rapuisti, sedem pervasisti. Itane ego dominum tradidi, cujus nunquam servus fuerim, cui etiam nullum sacramenti genus nunquam (*sic*) præstiterim? Sed si illi ad tempus famulatus sum, fecit hoc imperium patris mei Adalberonis, qui me in Remensi ecclesia commorari præcepit, quoadusque pontificis in ea sacrati mores actusque dignoscerem. Quod dum opperior, hostium præda factus sum, et quæ vestra munificentia magnorumque decum largitas clara et præcipua contulerat, violenta prædonum manus abstulit, meque pene nudum gladiis suis ereptum doluit. Denique postquam illum apostatam dereliqui, vias et itinera illius non observavi, nec quolibet modo ei communicavi; quomodo ergo eum tradidi, qui ubi tunc temporis fuit nescivi? Sed neque eum carceri mancipavi, qui nunc nuper sub præsentia fidelium testium seniorem meum conveni, ut propter me nec ad momentum ulla detineretur custodia. Si enim auctoritas vestra per me staret, tantum Arnulfus vilesceret, ut mihi obesse minimum valeret. Quod si contraria mihi (quod absit!) sententia vestra decerneret, quid mea interesset utrum Arnulfus an alius Remorum constitueretur episcopus?

Jam de rapta sponsa, sedeque pervasa, quod dicitur ridiculosum est. Dico enim primum nunquam illius fuisse sponsam quam, pro legitima donatione spiritualis dotis, collatis ante beneficiis exspoliavit, proscidit, dilaniavit. Necdum sacerdotali annulo insignitus erat, et jam omnia quæ notatæ sponsæ fuisse videbantur, satellites Simonis vastaverant. Dico etiam : Si concedatur quolibet modo illius sponsam fuisse, utique esse desiit, postquam pollutam et violatam, et (ut ita dicam) adulteratam suis prædonibus prostituit. Num igitur eam, aut quam non habuit, aut quam suo scelere perdidit, illius sponsam rapui? Sedem autem multitudine populorum refertam advena et peregrinus, nullius fretus opibus, pervadere qui potui? Sed forte apostolica sedes nobis opponitur, tanquam ea inconsulta summum hoc negotium discussum sit, vel ignorantia, vel contumacia. Certe nihil actum est vel agendum fuit, quod apostolicæ sedi relatum non fuerit, ejusdem per decem et octo menses exspectata sententia. Sed dum ab hominibus consilium non capitur, ad Filii Dei supereminens eloquium recurritur : « Si oculus, inquit, tuus scandalizat te, erue eum, et projice illum abs te. (*Matth.* V.) » Et fratrem peccantem, coram testibus coramque Ecclesia commonitum, et non obtemperantem, decernit habendum tanquam ethnicum et publicanum. Conventus ergo Arnulfus, commonitus litteris et legatis episcoporum Galliæ, ut a cœpto furore desisteret, et, si valeret, quoquomodo se proditionis scelere purgaret; dum monita salubria contemnit, habitus est tanquam ethnicus et publicanus. Nec tamen idcirco dijudicatur ut ethnicus, ob sedis apostolicæ reverentiam, sacrique sacerdotii privilegia; sed a seipso in seipsum sententia damnationis prolata, hoc solum in omni vita sua præclare egisse dijudicatum est. Quia nimirum si, se ipso damnante, episcopi absolverent, pœnam sceleris ejus incurrerent. « Si, inquit, Magnus Leo papa, omnes sacerdotes et mundus assentiat (*sic*) damnandis, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem consensus absolvit. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui peccantem mundum generali diluvio interemit. » Et papa Gelasius : « Error qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto exsecrationem sui gestat et pœnam. »

Excluso itaque illo ab Remensi ecclesia, mihi reluctanti, multumque ea quæ passus sum, et adhuc patior, formidanti, a fratribus meis Galliarum episcopis hoc onus sacerdotii sub divini nominis obtestatione impositum est. Quod si forte quidpiam a sacris legibus deviatum est, non id malitia, sed temporis importavit necessitas. Alioqui tempore

hostili omne jus omneque licitum cavere, quid est aliud quam patriam perdere, et necem inferre ? Silent equidem leges inter arma, quibus ille Odo feralis bestia ita hoc tempore abusus est, ut reverendissimos sacerdotes Dei quasi vilia mancipia caperet, nec ab ipsis sacrosanctis altaribus temperaret, commeatus publicos intercluderet.

Redeo ad me, reverendissimi patres, cui specialiter ob salutem percuntis populi, totiusque reipublicæ curam, mors furibunda cum suis incubuit co- A piis. Hinc dira egestas; horrea et apothecas armata manus sibi vindicat : illic fortis gladius, intus pavor dies ac noctes reddiderunt insomnes. Sola vestra auctoritas, ut tantorum malorum levamen fieret, exspectata est, quæ tantam vim habere creditur, ut non solum Remensi, sed etiam omni ecclesiæ Gallorum desolatæ et pene ad nihilum redactæ subsidio esse valeat. Quod divinitate propitia exspectamus, et ut fiat, omnes in commune oramus (27).

CONCILIUM RAVENNATENSE

A Gerberto *archiepiscopo habitum anno* 997, *de multis ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus* (28).

(Apud Labb. *Conc.* tom. IX, pag. 769.)

Perpetuo regnante Domino nostro Jesu Christo, tempore pii Cæsaris Ottonis III, in anno II imperii ejus, indictione XI, sub imagine Salvatoris, infra valvas majoris ecclesiæ Ravennatensis, Gerbertus, ejusdem ecclesiæ præsul, residens cum pluribus episcopis et presbyteris ecclesiæ memoratæ, astantibus diaconibus et cuncto clero, dixit :

I.

« In sancta ac Ravennate Ecclesia, cui divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis orta, ut subdiaconus corpus Domini, quod formatum appellant, tempore consecrationis episcoporum, ipsis vendant episcopis, et chrisma vendant archipresbyteris annualiter parochiæ vestræ. In quibus apparet venditio Filii Dei, et venditio Spiritus sancti. Qua de re præsenti decreto constituo ut in hac sede et in his omnibus quæ ad nos pertinent, ulterius minus fiat. » Quod omnes statuentes laudarunt. Et dixit : « Si quis autem contra hoc decretum ausus fuerit attentare, anathema sit; » et responderunt omnes : « Amen. »

II.

« Statuimus etiam ut annualiter in festo sancti Vitalis omnes archipresbyteri ad nos pertinentes, pro respectu sedis, subdiaconis nostris annualem censum persolvant solidos duos, et quicunque concesserit censualiter, sentiat ultionem, arbitrio primorum hujus Ecclesiæ. » Et ab omnibus est laudatum.

III.

« Et quamvis antiquitus sit statutum ut nemo episcoporum alterius clericum sine eo mandante litteris B recipiat, aut ecclesiam [*f. deest* dedicet] in alterius diœcesi, vel per acceptam, sive promissam pecuniam; sed neque illum [*f. deest* promoveat] quem probabilem ad officium non invenit, aut immatura ætas vel crimen excludit; nec illum quem inscitia coerceat, vel leges infamia damnent, aut debilitas vel imminutio membrorum cohibeat, seu quem abjecta officia vel ministeria deformia notant, vel quem turpis lucri cupiditas abjicit, vel contra legem prohibitio; neque ullum eorum, quos neophytos dicunt, bigamos, curiales, vel laicos, vel eorum qui in canonibus et legibus cohibentur : unde competere non ambiginus ut præsenti concilio priscorum Patrum sanctiones firmantes teneamus, ut nemo nostrum ecclesiam vel aliquando oratorium in alterius diœcesi dedicare attentet sine permissu et consensu episcopi ad quem pertinet ipsa diœcesis; neque alterius diœcesenses vel parochianos recipere aut promovere seu retinere præsumat, sine canonicis epistolis quas Nicæna synodus, apud Bithyniam congregata, sancivit Latino more recitari formatas; et ut nullus sacris permittat ordinibus, nisi quem ætas, vita, doctrina, mores, auctoritas canonica commendat atque legalis. Ut autem hæc sanctio per omnia firmior teneat, et ut hoc indignis non concedatur, sub anathematis obligatione nosmetipsos constringimus, et successores nostros episcopos qui contra hæc decreta præsumpserint. Et si quis sacri ordinis de sepultura mortuorum aliquid acceperit, nisi forte quæ sponte ab amicis vel propinquis mortuorum ecclesiæ fuerint collata, hac maledictione teneantur obnoxii. »

(27) Labbe, tom. IX, col. 747; Hardouin, tom. VI, part. I, col. 733; Marlot, tom. II, pag. 54.

(28) Huic synodo interfuisse Ottonem Imp. ait Rubeus, Hist. lib. V; sed ex his actis falsi convincitur. Quam vero refert Rivesius in Historia conciliorum synodum Ravennæ hoc ipso anno habitam, Gerberto præside, in qua Hugonem abbatem Farfensem, inique et simoniace ingressum, pœnitentiam egisse ait, et Arnulfo Mediolanensi *papatum ablatum*, nullum ejus apparet hoc anno vestigium; at neque tunc Arnulfus ullus erat Mediolanensis archiepiscopus, cui *papatus auferretur*. Nam Arnulfus primus obiit anno 975, Arnulfus vero secundus anno tantum 999 archiepiscopatum iniit. Gabriel Cossart.

Et laudaverunt omnes pariter acclamantes placere A sibi, ac dicentes clamaverunt : Fiat, fiat.

Promulgata sunt hæc anno 997 incarnationis Dominicæ, die Kalend. Maiarum, indict. II, sub clementissimo imperio memorati principis Ottonis, siquidem tertii ; et subscribentes confirmaverunt episcopi qui intererant, et presbyteri cardinales Ecclesiæ Ravenn.

G. A. R.
Ubertus Liviensis.
Albardus Sarsinas.
Joannes Bononiensis.
Raimbaldus Corneliensis,
Ilildeprandus Faventinus.
Georgius Comaclensis.
Georgius Cæsenas.
Leo Ficodensis.
Teupertus Pupiliensis.
Christophorus, et Guinizo, nuntii sanctæ Parmensis Ecclesiæ.
Joannes, et Joannes, et Vannius presbyteri.
Anastasius, et Deus dedit, Paulus, et Leo.

CONCILIUM ROMANUM

Anno 1002 celebratum

PRÆSIDENTE SYLVESTRO II. PONTIFICE MAXIMO,

In quo inter cætera abbatiæ Perusinæ immunitas asserta.

(Apud Labb., *Conc.* tom. IX, pag. 1247.)

Quæcunque inter judiciali calculo definiuntur, optimum est ut scriptoris officio commendentur, ne protractu temporum oblivioni succumbant, et recidivo oriu præteritum errorem incipiant.

Præsidente itaque domno Silvestro II, Romanæ sedis pontifice, in synodo habita in palatio sacrosancto Lateranensi, anno quarto ordinationis suæ, mensis Decembris die tertia, indictione prima, astitit Petrus scriniarius ejusdem sacri palatii, et coram universa synodo hunc protulit sermonem, dicens : « Domine papa, hic abbas tuus de Perusia queritur adversus Cononem Perusinum episcopum, qui armata manu suorum satellitum de sub altare monasterii tui, cujus ipse regimen tenet, abstractus fuerit, et extractus de ecclesiæ januis, et fratrum claustris, omnia quæ ibi inventa sunt ad utilitatem fratrum, direptioni concesserint, de quibus partem noscitur habere episcopus ; quoniam eisdem sacrilegiis communicat episcopus, ejusdemque criminis nequaquam creditur alienus. » Ad quem præsens respondit episcopus : « Paratus sum me expurgare secundum istorum meorum fratrum judicium, quoniam neque mea præceptione, neque mea voluntate id factum fuerit ; et si abbas de aliquo mihi proclamaret, aut ad satisfactionem illum cogerem, aut, si non possem, meam gratiam cum omni beneficio sibi defenderem. Sed, omnium pontificum Pater, misericordiam tuam et totius conventus præsentis exoro, ut nullam mihi hodie præjudicium fiat. Tu mihi Ecclesiam Perusinam commisisti, et ut ego neque illam imminuerem, neque imminui consentirem, me fecisti jurare. Monasterium illud, quod iste abbas tenet, ad meum episcopatum proprie pertinet, et nulli alteri juri subjacebit ; si lex inde fieret, vester apostolatus nullam specialitatem in eo haberet. »

Cui reverendus papa subjunxit : « Ego monasterium Ecclesiæ tuæ neque subtraxi, neque subducere feci ; sub jure et dominio Ecclesiæ nostræ illud inveni, et ita possessum usque nunc tenui. Veniant privilegia nostrorum antecessorum paparum, et his perlectis censeant fratres coepiscopi quæ sit æquitatis rectitudo. » Prolatis ergo in medium privilegiis, Joannis scilicet papæ atque Gregorii, ejus prædecessorum, ac coram omni synodo perlectis, ait episcopus : « Privilegia hæc non reprobo, sed sine consensu antecessoris mei, cujus temporibus illud prius privilegium factum est, factum fuisse dico ; si solum viderem consensum, haberem inde æternum silentium. » Cui e contra omnis clerus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ait : « Vidimus omnes epistolam antecessoris tui, in qua et consensus erat, et precibus, ut hoc fieret, episcopus obnixe postulat ; cujus rei testes sumus, et secundum canonicam sanctionem verum fuisse comprobamus. » Oblatis denique Evangeliis, et clericis jurare paratis, episcopi hanc dederunt sententiam ut aut episcopus testimonia illa reciperet, et pœnam privilegii persolveret, aut monasterium illud refutaret. Episcopus autem prædictus Conon sanctæ Perusinæ Ecclesiæ, monasterium illud prænominatum sancti Petri non longe a Perusina civitate constitutum, cum omnibus ad id monasterium pertinentibus, et in præfatis privilegiis titulatis, domino suo Silvestro papæ refutavit, et præfato abbati pacis osculum attribuit, atque eum se adjuturum deinceps promisit. Post hæc autem idem reverendissimus papa hoc cum Romanis judicibus decrevit ut quicunque Perusinæ Ecclesiæ episcopus hanc definitam litem renovare contra hunc abbatem vel suos successores tentaverit, decem libras purissimi auri Lateranensi palatio compoat. Hæc definitio in æternum valitura permaneat.

GERBERTI

POSTMODUM

SILVESTRI II PAPÆ

OPERUM PARS III. — EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

SECTIO I.

Epistolæ ante summum pontificatum scriptæ.

CURANTE ANDREA DUCHESNIO.

(*Historiæ Francorum Scriptores*, tom. II, pag. 789-841.)

EPISTOLA PRIMA.

AD OTHONEM CÆSAREM.

Domino suo Othoni Cæsari semper Augusto, Gerbertus quondam liber. Dum regnorum publica perpendo negotia, serenissimi domini mei aures propriis occupare expavesco. Loquatur Dominus meus servo suo propriis epistolis solito more, ut ejus servitutis fiat exhibitio, tollatur ambiguitas epistolarum, quæ Cæsaris nostri gravitatem sæpe nobis compertam agentibus, cognitam non repræsentant. Denique signum erit nobis vos velle, aut nolle, sententia prolata bene aut non bene. Quantum enim in nobis est, quod possibile est esse, consequens est nos perficere, si vestrum cognoverimus velle. O! dicat dominus Gerebertus episcopus sententiam nostræ innocentiæ super Brovingo et Isimbardo: dicant Litefredus et Gerardus, cur eorum beneficium perceperit Rodulfus. Non dicatur majestatis reus, cui pro Cæsare stare semper fuit gloria, contra Cæsarem ignominia.

EPISTOLA II.

AD EUNDEM CÆSAREM.

Serenissimis auribus domini mei mallem referre læta quam tristia. Sed cum videam monachos meos attenuari fame, premi nuditate, tacere quomodo potero? Tolerabile quidem hoc malum, si non etiam simul melior spes foret ablata. Nescio quibus codicibus, quos libellos vocant, totum sanctuarium Domini venundatum est. Collecta pecunia nusquam reperitur, apothecæ et horrea exhausta sunt, sed in marsupiis nihil est. Quid ergo peccator hic facio? si cum gratia domini mei fieri posset, satius esset me solum apud Gallos egere, quam cum tot egentibus mendicare apud Italos. Rainerius Francigena nobis intimus, vestrique honoris cupidus, de statu imperii vestri meæ fidei multa commisit vobis referenda, A non autem legato credenda, sed nec chartis inserenda, nisi vestro consultu.

EPISTOLA III.

AD GEREBERTUM EPISCOPUM TERDONENSEM.

O nostri spes consilii, præsentis mali statum stultum est dissimulare, loqui invidiosum, ne odio personarum agi videamur. Si licet abbati quibuscunque personis tradere immobilia monasterii libellario nomine, mobilia obtentu eleemosynæ, nec relinquere si qua forte residua sunt, eorum hæredem fieri monachum, specialiter quo spectat novi abbatis ordinatio? Petroaldi dicuntur fuisse omnia, abbatis nulla: et ita esse constat, quoniam nihil nobis relictum est præter tecta et communem usum simplicium elementorum. Epistola domini mei jubet Petroaldum B coli, tenere quod tenuit: duplicatur pondus parentibus positis in eadem trutina. Vires negotii perpendite, considerate quid amiserim, quid secutus sim, præter gratiam domini mei; suscipite onus amici consilio et auxilio, et quid sit faciendum rescribite.

EPISTOLA IV.

AD BOSONEM.

Gerbertus Bosoni in Christo salutem.

Recedant multa verba, et sequamur facta. Sanctuarium domini mei nec pecunia nec amicitia vobis damus, nec, si datum est ab aliquo, consentimus. Fenum quod vestri tulerunt beato Columbano restituite, si experiri non vultis quid possimus cum gratia domini nostri Cæsaris, amicorum consilio et auxilio; his conditionibus leges amicitiæ non refu- C tamus.

EPISTOLA V.

AD PETRUM EPISCOPUM PAPIENSEM.

Quod abbatiam sancti Columbani habere videmur, Italorum nulli gratias agimus. Si ante Dominum nostrum a vobis laudati sumus, non indebitas vobis reddidimus laudes. Mutua exposcitis colloquia, et a

rapinis nostræ Ecclesiæ non cessatis. Nostra velut propria militibus dividitis, qui diversa in integrum revocare debuistis. Rapite, prædamini, vires Italiæ contra nos concutite. Opportunum tempus nacti estis. Dominus noster bellorum certamine occupatur, nos nec manus paratas eum juvare detinebimus, nec quod ejus officii est temere usurpabimus. Si pace uti poterimus, servitio nostri Cæsaris operam dabimus, cum præsentes tum absentes. Sin, ejus tantum præsentia nostram solabitur inopiam, et quoniam (ut ait poeta) nusquam tuta fides, et quia finguntur nec visa, nec audita, voluntatem nostram vobis non nisi scriptis aperimus, nec vestram aliter recipiemus.

EPISTOLA VI.

AD ADELAIDEM AUGUSTAM.

Dominæ suæ ADELAIDI semper Augustæ, GERBERTUS.

De beneficiis et libellariis, ex parte, nostrum velle ex voto domini nostri Cæsaris exsecuti sumus. Recordetur domina mea quod innuerit servo suo se oraturam pro pluribus, aliter quam fieri possit. Ex quo a vobis discessimus, nec Grifonem, nec ejus nuntium vidimus. Terram, quam nostris fidelibus heri concessimus, cras quomodo auferemus? At si omnia quæ omnes jubent fiunt, quid hic facimus? et si totum damus, quid tenebimus? Griphoni ubi possimus beneficium nullum concedimus.

EPISTOLA VII.

AD AIRARDUM.

GERBERTUS quondam scholasticus AIRARDO suo salutem.

Petitionibus tuis annuimus, nostra ut exsequaris negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur: qui Orbacis et apud sanctum Basolum sunt, prescribantur. Fac quod oramus, ut faciamus quod oras.

EPISTOLA VIII.

AD ADALBERONEM REMORUM ARCHIEPISCOPUM.

Mantuæ quid egerim super negotiis vestris, præsens melius explicabo verbis, quam absens scriptis. Claves librorum quas mitterem ignoravi, propter communem usum similium serarum. Historiam Julii Cæsaris a domino Azone abbate Dervensi ad rescribendum nobis acquirite, ut vos, penes quos nos habemus, habeatis, et quod reperimus speretis, id est octo volumina Boetii de astrologia, præclarissima quoque figurarum geometriæ, aliaque non minus admiranda. Fortunam nostram sola vestra conturbat absentia noctesque diesque.

EPISTOLA IX.

AD GISILBERTUM ABBATEM.

Si bene valetis gaudemus. Indigentiam vestram putamus nostram: quam patimur, ut relevetis rogamus. De morbis ac remediis oculorum Demosthenes philosophus librum edidit, qui inscribitur *Ophthalmicus*; ejus principium si habetis, habemus, simulque finem Ciceronis pro rege Dejotaro. Valete.

EPISTOLA X.

AD CÆSAREM.

Principiani monasterii duo fratres, velut exsules et peregrini, a nobis recepti sunt, qui desolationem sui loci a Laudensi episcopo, neophitoque abbate factam, molestissime ferunt, simulque referunt se alicui Ecclesiæ minime subjacere debere. Erit ergo vestræ prudentiæ ac pietatis, ut nec Laudensis Ecclesia debito privetur honore odio pastoris, nec monasterium subjaceat tyrannidi devastatoris.

EPISTOLA XI.

IDEM AD EUMDEM.

Quid ora caudæque vulpium blandiuntur hic domino meo? Aut exeant de palatio, aut suos repræsentent satellites qui edicta Cæsaris contemnunt, qui legatos ejus interficere moliuntur, qui ipsum asino coæquant. Taceo de me, quem novo locutionis genere equum emissarium susurrant, uxorem et filios habentem, propter partem familiæ meæ de Francia recollectam. Victis abest pudor. O tempora! o mores! ubinam gentium vivo! Si patriam sequor, sanctissimam fidem relinquo; si non sequor, exsulo. Sed potius licet cum fide in palatio exsulare quam sine fide in Latio regnare.

EPISTOLA XII.

AD HUGONEM SCHOLASTICUM.

HUGONI suo GERBERTUS quondam scholasticus.

Secundum amplitudinem mei animi amplissimis honoribus ditavit me dominus meus. Nam quæ pars Italiæ possessiones beati Columbani non continet? Hoc quidem ita ex largitate et benevolentia nostri Cæsaris, fortuna vero aliter instituit. Secundum amplitudinem quippe amici mei amplissimis me oneravit hostibus. Nam quæ pars Italiæ meos non habet hostes? Vires meæ impares sunt viribus Italiæ. Conditio pacis hæc est, si spoliatus servio ferire desinent, vestitum districtis persequentur gladiis; ubi gladio ferire nequibunt, jaculis verborum appetent. Contemnetur imperialis majestas, cum in me, tum in seipsa in divisione sanctuarii Domini secundum libellarias leges facta: quia consentire nolo, perfidus, crudelis, tyrannus cognominor. Ipse Cæsar omnium hominum excellentissimus, a furciferis asino coæquatur. O amicorum fidissime! ne deseras amicum consilio et auxilio. Recordare quod te oraverim me malle esse militem in Cæsarianis castris quam regem in extraneis.

EPISTOLA XIII.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Vestram felicitatem, gloriam existimamus esse nostram. Incommoditatem si quam sustinetis, simul patimur. Domini nostri Cæsaris magnanimitatem, intentionem, appetitum bonorum virorum supereminentem cognovistis. Proinde si deliberatis an scholasticos in Italiam ad nos usque dirigatis, consilium nostrum in aperto est; quod laudabitis laudabimus, quod feretis feremus.

EPISTOLA XIV.

D PAPAM JOANNEM.

Beatissimo papæ Joanni Gerbertus solo nomine officii Bobiensis cœnobii abbas. Quo me vertam? proh pudor! Sedem apostolicam si appello, irrideor, nec ad vos propter hostes est veniendi facultas, nec de Italia egrediendi libera potestas. Morari difficile, quando nec in monasterio nec extra quidquam nobis relictum est, præter virgam pastoralem et apostolicam benedictionem. Dominam Imizam, quia vos diligit, diligimus. Per eam nobis et nuntiis et epistolis significabitis quidquid nos facere voletis : simulque nos per eam vobis quidquid de statu et molimine regnorum cognoverimus vestra interesse. Valete.

EPISTOLA XV.

AD PETROALDUM MONACHUM.

Magnam intelligentiam tuam, frater, ne turbent fluitantia. Qui te quondam florentem Dominum clamabant et patrem, nunc conservum habere dedignantur et parem. Sors omnia versat. In dandis et accipiendis, ut monachum decet et nosti, nostra licentia utere. Ne negligas quod condiximus, ut tui memoriam frequentiorem habeamus.

EPISTOLA XVI.

AD GERALDUM ABBATEM AURILIACENSEM.

Occidit, occidit, mi Pater, status Ecclesiarum Domini. Respub. periit, sanctuarium Domini pervaditur, populus præda fit hostium. Consule, Pater, quo me convertam. Milites quidem mei arma sumere, castra munire parati. Sed quæ spes sine rectore patriæ, cum fidem, mores, animos, quorumdam Italorum pernoscamus? Cessimus ergo fortunæ, studiaque nostra tempore intermissa, animo retenta repetimus, quibus si placet magistrum quondam nostrum Raimundum interesse cupimus, interim dum Kal. Decembribus Romam iter intendamus.

EPISTOLA XVII.

AD EUMDEM.

Pater meus Adalbero Remorum archiepiscopus vos bene valere cupit, et quia vestram præsentiam non adiit, conturbatio regnorum fecit, specialisque contra suam Ecclesiam commotio Heriberti Tricassini, et Ottonis comitis filii Tedbaldi. Qui status regnorum penes vos sit scire cupit, et an Hugo, quem vestra lingua abbacomitem dicitis, uxorem duxerit. Quæ sua sunt nostra putate, et ne vestra gratis appetat, quid sui vobis placeat significate. Hoc signo, sagum linenm operosum vobis mittit, sicut olim per vestrum Airardum alterum miserat, sed planum. De multiplicatione et divisione numerorum libellum a Joseph Hispano editum abbas Guarnerius penes vos reliquit, ejus exemplar in commune rogamus. Si limina beatorum Remigii et Dionysii datur vobis copia videndi, nuntio præmisso vestris alloquiis poterimus condelectari.

EPISTOLA XVIII.

AD FRATRES BOBIENSES.

Scriptura sancta dicit : *Qui ficte Dominum quærunt, nunquam invenire mereantur.* Qui regulam sancti Benedicti professi estis, et pastorem deserendo abjecistis, colla tyrannis sponte subdidistis. Non de omnibus dico tyrannis vestris ducibus. Ante tribunal Christi quomodo apparere vultis? Hæc quidem non causa retinendi honoris scribo, sed loquendo loquens, cura pastorali animam meam crimine libero, non audientes implico. Apostolica privilegia revolvite, anathemata quæ mihi ostenditis ad memoriam reducite, insuper intelligite quod sacri canones dicunt : *Qui excommunicatis quolibet modo se junxerit, excommunicatus sit.* Videte in quanto periculo res vestræ sitæ sint. Supernus judex faciat vos sua præcepta cognoscere, et ea opere implere.

EPISTOLA XIX.

AD RAINAUDAM MONACHUM.

Recte quidem, frater, conquereris super abbatis tui privatione. Oves in convallibus ante ora luporum absque pastore, monachi in monasterio absque abbate. Secundum scire tuum et posse, bene te velle et facere adhortor, et moneo. Unius anni tria diversa imperia super te docent quæ vides, fallacia et inconstantia. Futuram desolationem, non tantum parietum quantum animarum ingemisce, et de Domini misericordia noli desperare.

EPISTOLA XX.

AD ADELAIDEM IMPERATRICEM.

Multa quidem peccata mea ante Deum, sed contra dominam meam, qui ut a servitio repellat, fidem promissam nunquam violavi, commissa non prodidi, pietatem sine avaritia exercere me putavi. Si erravi circa voluntatem vestram quid modicum, fecit hoc improvidentia, non deliberatio : sintque vobis satis continuatæ jam in pœnitentia Quadragesimæ, quod certe sic confido esse. Prævaluit ad tempus quorumdam nobilium pauperum cæca cupiditas, nunc prævaleat vestra, quæ semper fuit, circa justitiam pietas. Favet ao hoc divinitas, regna vobis concilians, et reges potentes vestro imperio subdens. Mea sententia hæc est. Quam fidem filio dominæ meæ A. servavi, eam matri servabo. Si nequeo præsens, saltem absens bene loquendo, bene optando, bene orando.

EPISTOLA XXI.

AD ECEMANNUM PALATINUM MONACHUM.

Benevolentiam tuam circa me sentiens, mi frater, tanti hominis gratulor amicitiæ. Eum vere te constantem in fide cum in me tum in his qui se tibi crediderunt, liquido deprehensum *. Neque enim domus admirabilis feminæ te aliter charum haberet. Suscipies igitur onus amici, bona verba suggeres, epistolas meas benigne interpretaberis, mea negotia tua putabis.

EPISTOLA XXII.

AD DOMINAM PMISAM.

Felicem me judico tantæ feminæ agnitione et amicitia, cujus fidem firmam, constantiam longævam admirari non sufficiunt Galli mei. Et quamvis vestra prudentia non egeat admonitione, tamen quia vos collaborantes et condolentes nostro infortunio sentimus, dominum papam conveniri nuntiis et epistolis vestris volumus, ac nostris : et si quos et specialiter et in communi habemus fautores et adjutores, ut qui simul tristamur propitia divinitate gaudeamus. Dominam meam Theophaniam imperatricem nomine meo convenite. Reges Francorum filio suo favere dicite, nihilque eos aliud conari, nisi tyrannidem Henrici regem se facere volentis sub nomine advocationis velle destruere.

EPISTOLA XXIII.

AD DOMINUM JOANNEM PAPAM.

Graviter et iniquo animo fero pervadi, diripi sanctuarium Domini creditum mihi a sancta Romana et apostolica Ecclesia. Porro, quid deinceps stabilietur, si id dissolvitur quod actum est consensu principis, episcoporum electione, cleri et populi voluntate, postremo omnium hominum excellentissimi papæ consecratione? si præcepta violantur, privilegia contemnuntur, divinæ et humanæ leges sustolluntur? Qua spe vos adeundi periculum faciam, ne dedignemini sacris apicibus significare. Alioquin ne miremini si his castris me applico, ubi maxima portio legis humanæ, nulla divinæ : humanitas quippe prima in activis, divinitas secunda in speculativis. Fiet hoc mea pusillanimitate, vestra cessante magnanimitate.

EPISTOLA XXIV.

AD LUPITUM BARCHINONENSEM.

Licet apud te nulla mea sint merita, nobilitas tamen ac affabilitas tua me adducit in te confidere, de te præsumere. Itaque librum de astrologia translatum a te, mihi petenti dirige, et si quid mei voles in recompensationem indubitate reposce.

EPISTOLA XXV.

AD BONI FILIAM GERUNDENSEM EPISCOPUM.

Multa quidem auctoritas vestri nominis me movet, cum ad videndum et alloquendum tum etiam ad obtemperandum : et hoc diu negatum distulit negata libertas ea cum dolore concessa. Domino meo Ottone Cæsare jam non superstite, fas et amicis loqui, et eorum imperiis obsequi. Si qua nobis significare voletis, usque ad Kalendas Novembris Remis, VIII Kal. Januar. Romæ erimus, si pace uti poterimus. De multiplicatione et divisione numerorum Joseph sapiens sententias quasdam edidit, eas Pater meus Adalbero Remorum archiepiscopus vestro studio habere cupit.

EPISTOLA XXVI.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 1.

EPISTOLA XXVII.

AD VILLEGISUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM EX PERSONA EJUSDEM.

Vide ibid., epist. 2.

EPISTOLA XXVIII.

EX PERSONA HIERUSALEM DEVASTATÆ UNIVERSALI ECCLESIÆ.

Ea quæ est Hierosolymis, universali Ecclesiæ sceptris regnorum imperanti. Cum bene vigeas immaculata sponsa Domini, cujus membrum esse me fateor, spes mihi maxima per te caput attollendi jam pene attritum. An quidquam diffiderem de te, rerum domina, si me recognoscis tuam? Quisquam ne tuorum famosam cladem illatam mihi putare debebit ad se minime pertinere, utque rerum infima abhorrere? Et quamvis nunc dejecta, tamen habuit me orbis terrarum optimam sui partem. Penes me prophetarum oracula, patriarcharum insignia. Hinc clara lumina mundi apostoli prodierunt, hinc Christi fidem reperit orbis terrarum, apud me Redemptorem suum invenit. Etenim quamvis ubique sit divinitate, tamen hic humanitate natus, passus, sepultus, hinc ad cœlos elatus. Sed cum propheta dixerit : *Erit sepulcrum ejus gloriosum*, paganis loca sancta subvertentibus, tentat diabolus reddere inglorium. Enitere ergo, miles Christi, esto signifer et compugnator, et quod armis nequis, consilii et opum auxilio subveni. Quid est quod das, aut cui das? nempe ex multo modicum, et ei qui omne quod habet gratis dedit, nec tam ingratis recepit, et hic eum multiplicat, et in futuro remunerat. Per me benedicit tibi, ut largiendo crescat et peccata relaxet, ut secum regnando vivas.

EPISTOLA XXIX.

AD WALONEM EJUSQUE PERTINACES EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 3.

EPISTOLA XXX.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODICENSEM EX PERSONA EJUSDEM.

Vide ubi supra, epist. 4.

EPISTOLA XXXI.

CONTROVERSIA DIEDERICI EPISCOPI METENSIS CONTRA CAROLUM.

DIEDERICUS, servus servorum Domini, imperatorum amator, prolisque tutissimus tutor, CAROLO sanguine nepoti, sed fidei impudentissimo violatori.

Fidem a nemine unquam bonorum violatam, ut nosti, præsente venerando Notegario episcopo, teque licet non nobilioribus, tamen veritate excellentioribus præsentibus; ante beati Joannis aram, in sacra verba datam, levissime transfuga, nec in hanc

nec in illam partem fidem habens, cæcus te amor regnandi debilitatum negligere coegit. Et quid mirum si in nepotem pestem tui sordidissimi cordis evomis, qui cruenta manu et ad omne scelus semper promptissima cum latronum grege et furum manipulo, dum fratri tuo nobili Francorum regi Laudunum civitatem suam, inquam suam, nunquam utique tuam, dolo malo subriperes, eumque regno fraudares, et imperatoriam sororem, regnique sui consortem infamares, tuisque mendaciis commaculares? Nihil unquam pensi habuistis, dilatate, incrassate, impinguate, qui non secutus patrum tuorum vestigia, dereliquisti Dominum factorem tuum. Recordare os tuum impudens quoties digito compescuerim, dum turpia in Remensem archiepiscopum, turpiora in reginam dementiendo serpentino sibilo effudisti. Quid in Laudunensem episcopum feceris ipse nosti melius. brevi tu Lothariensium regni angulo latitans, vanissimoque supercilio te toti præesse jactitans. Quid neptis utriusque nostrum femina, te te viro melior, cum nobilis indolis filio : quid apostolorum vicarii Ecclesiæ sanctæ ovilis pastores, quos tu canino dente noctu et interdiu rodere conaris : quid alii præterea principes, qui nihil tuo juri debent, ejusdem habeant Dominoque auctore possideant reminiscere : et ita tandem inania excutiens somnia, frontemque falsissimo poculo debriatam expurgans, poteris metiri nil esse quod agis ad nil divino nutu deveniendum quod moliris. Quorum ergo haud pro merito ascriptus numero, ligandi solvendique donatus honore, mihi indigno pastorali virga commissam defensurus Ecclesiam : Ecclesiam dico, non aliam quam summi pastoris sanguine redemptam, quam tu, divinum jus contemnens, cum tuis complicibus lacerare atque dilaniare pro posse tuo contendis : horribilem spernens illam Dominicam vocem, qua tonatur : *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, et aliam qua eodem modo dicitur : *Qui vos spernit, me spernit.* Tua hactenus vulnera curare studens, infudi oleum et vinum, idem mitia secreto per familiares nostros asperis publice miscens. Abhinc nisi resipiscas Spiritus sancti gladio, qui mihi commissus est, cum tibi computribilibus membris rescindam, atque igni tradam inexstinguibili : ut sicut fides tua, si non contemneres, esset cum superis, ita contemnenti sit perpetuo cum inferis. Quando jam confirmatis vectibus et cœlestis Hierusalem clausis portis a Virginis filio ipsius civitatis sponso dicetur reprobis: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus*, sicut scriptum est : *Væ qui prædaris! nonne et ipse prædaberis?* Cave ne in ea præda inveniaris in qua qui invenitur ab æterna hæreditate extorris redditur.

Infatuet Dominus consilium Achitophel.

EPISTOLA XXXII.

GERBERTUS EX PERSONA CAROLI.

CAROLUS sola Dei gratia si quid est, DIEDERICO hypocritarum ideæ, imperatorum infidissimo, prolisque parricidæ ac in commune hosti reip.

Gravitatis siquidem meæ fuerat, maledicta tua taciturnitate premere, nec pensi habere quod petulantia magis tyranni, quam judicium protulit sacerdotis. Sed ne silentium tuis conjuratis videatur facere confessionem, summam tuorum scelerum paucis attingam, et de maximis minima referam. Consilii quoque mei nonnulla prætermittam, ut qui velut inanis uter spiritu intumuisti, meo ut tu desipis incrassati, impinguati, dilatati, pressus pondere detumescas. Cur domnam ducem Beatricem cum filio regnique primatibus a nobis prætendis delusam? Te miser non sentis, nec quemquam pene fore tuæ conjurationis participem. Non solus, nec in angulo fidem integerrimam filio nostri Cæsaris astruo, ut tu nocturno mero eructas. Adsunt mecum Galliæ principes, reges Francorum, velis nolis præclarissimi Lotharienses fide devoti. His est curæ filius Cæsaris, hi nec regnum quærunt cripere, ut tu nec conregnantem instituere. Tu divina et humana confudisti jura, deque legibus oscitans ut limax in suo conclavi cornupeta tibi videris. Cur pastorali officio minas intendis? Quasi vero tu pastor, et non lupus rapax, et potius alter Judas, si Judas apostolus, qui Dominum suum triginta prodidit argenteis, et tu episcopus qui Dominum tuum regem hæredem regni regno privasti, spe famosissimi quæstus. Parvum tibi hoc, pœnas de eo quantum ad te fine carentes velut de hoste sumpsisti. Siccine Ottonum promeruerunt beneficia? Denique nunquam ad eos fidem habuisse, non solius filii causa convinceris. An cum Lotharium regem Francorum, quem gloriosum vocas, cum maxime oderis, hunc inquam cum regno pellebas, neque regnare cogebas, fidemne ei et mihi promissam servabas? Mihi promissam dico ante aram, quam impudenter nominas. Profecto intelligis quid feceris. Contra fratrem meum ac sororem domini tui me arma parare impellebas, ut omne genus nostrum regium mutuis vulneribus confoderes, tyrannos nomine regum substitueres, cum quibus contempto sacerdotio vacuis aulis incubare posses. Lædere me putas, si eos læsisse dicas, quorum gloria glorior, aversa opinione affligor. Verum aliter est, immanitas scelerum tuorum occultare te propria non patitur flagitia. Et quamvis purgatione uti velis, per emotionem in personam tuam pallor subinde, ac subinde rubor, silentium in loquendo subitum, verba subita prioribus non cohærentia, etiam non quærentibus ingens tormentum conscientiæ produnt. Erubesce, miser, et quod te solum scire putasti, ad omnium notitiam pervenisse cognosce. Peccatis tuis innoxios noli commaculare, et vitia tua turpissima aliorum metiri manibus toties perjurio pollutus. Cessa sacrosancta violare, et qui nobis indicis prior remedium pœnitentiæ, quære publicum. Perjurium peregisti, urbem propriam rapinis exhausisti, depopulatus es Ecclesiam tibi (ut ais) creditam. Acquiesco, redde ergo eo quod abusus es custodia dominæ tuæ quam humiliasti, erepta libertate, imposita servitute. Et qui pupilla Domini scriberis, pupilli et

viduæ lacrymis mensam tuam luxu Evangelici divitis extruxisti, ejusmodi miseriis montes aureos coacervasti. Super his infelix ingemisce privatim et publice, alioquin audi quid tibi intenditur : *Quoniam venient dies in te, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ.*

Audivimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia ejus et arrogantia ejus plusquam fortitudo.

EPISTOLA XXXIII.

PURGATIO GERBERTI OB CONTROVERSIAM A SE DESCRIPTAM.

Domino et reverentissimo præsuli DIEDERICO G. fidelis Cæsaris.

O decus Romani imperii ! tantumne rationis patri quondam reipub. deperisse dicemus, ut populus cum pastore velut ignavum pecus præda sit hostium ? Generositatem, magnanimitatem, prudentiam vestram, tanquam tres fortissimas legiones pro domo Israel opponite, ducem his divinitatem præficite : ne qui felicitatem vestram, gloriam existimavimus nostram, si decus imperii amittimus, proinde inglorii reddamur. Et nos quidem hæc dicimus, non ut admonitione egeatis, sed ut mentem nostram pro vobis sollicitam interpretemur. Quo genere interpretationis nuper usi sumus, in controversia acerrimi hostis, vestram majestatem exacerbantis, ubi culpam infidi interpretis subisse veremur, dum motibus animorum ejus orationem non æquavimus. At si hæc intentio placet, deinceps elaborabimus, et amicorum atque inimicorum affectus diligentius exprimemus, ut quid sequi, quid vitare debeatis, per nos plena fide pernoscatis. Qua in re vobis lucem, hosti tenebras offudisse gaudemus. Valete.

EPISTOLA XXXIV.

AD WILLIGISUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Multa chartis non credimus, quæ legatis committimus, ut huic abbati Airardo sibi intimo Pater meus Adalbero Remorum archiepiscopus, vobis per omnia fidus, multa commisit, de statu et pace regnorum vobiscum habenda. Insuper ea quæ per epistolam vobis significavit, sic se habere Dominum testem invocat. Ut sibi sic legato credite, et quæ vobis placeant, si non est aptum scriptis, ei vivis rependite verbis. Sed, o mi pater ! mœrens simili de causa mœrentem quibus affabor verbis ? Cæsare destituti, præda hostium sumus ; Cæsarem in filio superesse putavimus. O quis prodidit, quis nobis alteram lucem eripuit ? agnum matri, non lupo committi oportuit. Me quidem doloris immanitas mihi consulere non patitur, nunc fertur animus præceps in hostes Italos, qui mea funditus diripiunt : nunc quasi meliora deliberans, terrarum longinqua petit. Sed dum redit Otto, dumque hærent infixi pectore vultus, dum Socraticæ disputationes ipsius frequentes occurrunt, refringitur impetus, et peregrinationis meæ tædium apud Gallos utcunque relevatur. Consule, Pater, etsi erga majestatem vestram nulla mea sunt merita, tamen nec defuit, nec defectus aberit, si fortuna ut quondam riserit. Cum tempus opportunum nacti eritis, et cum imperatricibus, et cum his ad quos referre putabitis, me servum fidelem Cæsaris ab exsilio revocabitis, qui nihil deliqui, nisi quod Cæsari fidelis exstiti. Vos ergo soli onus meum fertis, quod nec amicis principibus communicare curavi, donec experirer quid per eum quem potissimum judico fieri posset.

EPISTOLA XXXV.

AD GERALDUM ABBATEM AURILIACENSEM.

Quantis occupationibus reipub. detineatur noster, ut ita dicamus, fiduciarius Pater Adalbero Remorum archiepiscopus, et tarditas hujus legati indicat, et præsens ab urbe Remensi absentia. Causa negotium continens, status regnorum est. Nam dum a Lothariensis regni primatibus obsides accipit, dum filio imperatoris parere cogit sub regis Francorum clientela, dumque Henricum in Gallia regnare prohibet, vestro nomini convenientia, quæ mitteret non habuit. At si vobis gratum fore senserit, vestem auro textam, quam verecunde veterem misit, nova immutabit, quod brevitas temporis non habuit : stola insuper Phrygii operis adjuncta, cum cæteris ejusdem generis. Statum regni nostri, quidve agat et moliatur ille Hugo Raimundi, per vos scire cupit. In commune hoc sentimus, quod vobis ratum, nobis præstantissimum.

EPISTOLA XXXVI.

AD WIDONEM ABBATEM GANDAVENSEM, EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 5.

EPISTOLA XXXVII.

AD ROBERTUM PALATINUM.

Plurimum te mei meminisse puto, quem dies noctesque privatis curis intersero. Itaque et dominam meam Theuphanu [Theophaniam] mei recordari facies, quam semper cupio bene valere, et cum filio feliciter imperare. Cujus memoriam, ut æquum est, frequentem habeo, ad cujus auxilium me quamplurimos declamatores, ut nosti, exacuisse Gallia testis est. Ergo tui officii erit rescire et rescribere, an in Francia velut miles succenturiatus pro castris Cæsaris remaneam, an paratus omne periculum subire vos adeam, an potius ad iter quod tu et domina mea bene novisti, me præparem, ut Papiæ in palatio dispositum est : simulque non tacebis, ubi, et quando, et quid tu de hac re sentias. Hoc quoque te nosse velim, quæcunque in eodem palatio tutis auribus commisi de fide, pietate, stabilitate illius famosi Adalberonis archiepiscopi erga herilem nostri Cæsaris filium, et fidenter, sic se habere juxta ejus sciere et posse.

EPISTOLA XXXVIII.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM, EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide ubi supra, epist. 6.

EPISTOLA XXXIX.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODIENSEM.

Vigilias ne PP. famosissimæ quondam fidei pro

castris Cæsaris, an cæca premente fortuna et temporis ignorantia, divina et humana jura pessumdari simul non cernis? Ecce palam destituitur, cui ob paterna merita fidem devovisti, devotam servare debuisti. Germanum Brisaca Rhenani littoris, Francorum reges clam nunc adeunt. Henricus reip. hostis dictus Kal. Febr. occurrit. Consule, mi Pater, modis omnibus resistendum, ne conveniant adversus Dominum et adversus Christum tuum. Turba regnans, regnorum perturbatio. Si totam difficile est excludere partem, delige potiorem. Ego quidem, cui ob beneficia Ottonis est multa fides, circa herilem filium sic protinus delibero. Novimus Henrici alta consilia, Francorum impetum. Sed quem finem habeat non ignoramus. Ne consortem regni facias quem semel admissum repellere nequeas.

EPISTOLA XL.

AD STEPHANUM ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONUM.

Dubia reip. tempora, mi frater, Gallias me repetere coegerunt. Tota Italia Roma mihi visa est, Romanorum mores mundus perhorrescit. In quo nunc statu Roma est, qui pontifices et domini rerum sunt: quos exitus habuit ille meus, specialiter, inquam meus, cui te commisi. Hæc et quæ circa te sint tibi læta obstantibus significare non dubites. Mihi quidem ac nostro A. archiepiscopo Suetonios Tranquillos, Quintosque Aurelios, cum cæteris quos nosti, per Guidonem Suessonicum comitem discrete ac sine lite, quis cujus sit, remittes, et quæ nomini tuo convenientia parcmus edisces. Ea quoque quæ de Græcorum imperio, Francorum regno, Italorum molimine, certa cognoveris, nos tibi amicos celare non debebis. Quod non habet verborum copia, continent sententiarum pondera.

EPISTOLA XLI.

AD ADALBERONEM EPISCOPUM VIRDUNENSEM.

Numerum linearum epistolæ hujus ne spectetis. In paucis multa perpendite. Tempora periculosa libertatem tulerunt dicendi quæ velis dilucide. Cumque fortuna Franciæ proficiat actu et opere, rapta occasione ex tempore fidelissimis convenimus legatis. Pro parte virorum Godefridi, fœdus quod quondam inter se ac inter Ottonem nostrum Cæsarem convenerat, vos velle innovare promisimus: adjuncto in fœdere filio, quo unico gaudet. Hoc ipsum Cæsarem morientem expetisse persuasimus per dilectissimum sibi filium Godefridi. Hæc itaque res in commune visa est solis nobis et filio Cæsaris. Quam cœptam si provehere vultis, vel destituere, ocius rescribetis. An simus in hoc negotio quamvis alicui periculoso, et in tuto otio, quæ molimina, quive impetus hac ratione conquieverint, non facile est dictu.

EPISTOLA XLII.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODIENSEM EX PERSONA ADALBERONIS

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII, in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 7.

EPISTOLA XLIII.

AD EUMDEM EX PERSONA GODEFRIDI.

Secundum promissa Treverensis archiepiscopi, ordinationem A. nostri III Non. Januar. inspecturi, ubi adhuc decreverit ducem itineris vestri V Kal. præmittemus, et quæ certiora cognoverimus denuntiabimus. Eo fratrem nostrum venturum dubium habemus.

EPISTOLA XLIV.

AD ECBERTUM ABBATEM TURONENSEM.

Cum mei memoriam frequentem habeatis, inter honesta uti plurimis accepi legatis, magnamque affinitatis jure amicitiam efferatis, existimatione vestra beatum me fore puto, si sum is qui judicio tanti viri inveniar dignus amari. Sed quia non is sum qui cum Panetio interdum ab utili sejungam honestum, sed potius cum Tullio omni utili admisceam: has honestissimas atque sanctissimas amicitias nulla ex parte suo cuique utili vacare volo. Cumque ratio morum dicendique ratio a philosophia non separentur, cum studio bene vivendi semper conjunxi studium bene dicendi. Quamvis solum bene vivere præstantius sit eo quod est bene dicere: curisque regiminis absoluto, alterum satis sit sine altero. At nobis in repub. occupatis utraque necessaria. Nam et apposite dicere ad persuadendum, et animos furentium suavi oratione ab impetu retinere, summa utilitas. Cui rei præparandæ bibliothecam assidue comparo, et sicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque et Belgica scriptores, auctorumque exemplaria multitudine nummorum redemi, adjutus benevolentia ac studio amicorum comprovincialium. Sic identidem apud vos per vos fieri sinite ut exorem. Quos scribi velimus, in fine epistolæ designabimus. Scribenti membranam sumptusque necessarios ad vestrum imperium dirigemus, vestri insuper beneficii non immemores. Denique ne plura locuti legibus epistolæ abutamur, causa tanti laboris contemptus malefidæ fortunæ, quem contemptum nobis non parit solo natura ut multis, sed elaborata doctrina. Proinde in otio, in negotio, et docemus quod scimus, et addiscimus quod nescimus.

EPISTOLA XLV.

AD RAIMUNDUM MONACHUM AURILIACENSEM.

Quanto amore vestri teneamur, noverunt Latini, ac barbari, qui sunt participes fructus nostri laboris. Eorum votum vestram expetit præsentiam. Quippe cum in propatulo sit nos curarum, plenos, non ob alterius causam studii loco immoraturos. His curis sola philosophia unicum repertum est remedium, cujus quidem ex studiis multa persæpe commoda suscepimus, velut hoc turbulento tempore motum fortunæ refregimus, cum in alios, tum in nos graviter sævientis. Etenim cum is status reipub. in Italia esset, ut sub juga tyrannorum turpiter esset eundum, si profiteremur innocentiam, vel si niti viribus tentaremus: clientelæ undique forent procurandæ, castra munienda, rapinæ, incendia,

homicidia exercenda. Delegimus certum otium studiorum, quam incertum negotium bellorum. Et quoniam vestigia philosophiæ dum sequimur non consequimur, impetus tumultuantis animi non omnes repressimus, modo recurrimus ad ea quæ reliquimus, nunc Hispaniæ principes adimus familiaris nostri abbatis Guarini adhortatione commoti, hunc sacris litteris dominæ nostræ Theuphanu imperatricis semper Augustæ, semper amandæ, semper colendæ, prioribus divellemur cœptis. In tanta rerum inconstantia, doloris metus, gaudii appetitus, fidissimi patris Geraldi, quem hæc non tangunt, specialis filius Gerbertus sequendorum deposcit sententiam. Vale, valeat pater Geraldus, valeat frater Airaldus, valeat sanctissimus ordo, meus altor et informator, meique sit memor in sanctis petitionibus, ac Patris A. archiepiscopi Remorum sibi per omnia devoti.

EPISTOLA XLVI.

AD GERALDUM ABBATEM.

An quidquam melius amicis divinitas mortalibus concesserit nescio, si modo ii sunt qui digne expetiti digneque videantur habiti. Felix dies, felix hora, qua licuit novisse virum, cujus nominis recordatio omnes a nobis molestias detorserit. Ejus si præsentia vel interdum fruerer, beatiorem me non frustra putarem. Quod ut fieret, sedes mihi non ignobiles in Italia collocaveram. Sed involvit mundum cæca fortuna, quæ premit caligine, an præcipitet, an dirigat me modo tendentem hac, modo illac. Adhærent vultus amici influi pectore : eum dico, qui est dominus et pater meus Geraldus, cujus deliberatio nostra fiet exsecutio.

EPISTOLA XLVII.

AD ADALBERONI VOCATUM EPISCOPUM VIRDUNENSEM ET HERMANNUM FRATRES.

Felices quibus paterna virtus exemplar sit imitabile. Vester genitor hoc petit. Repentinus casus ne vos deterreat, filio Cæsaris fidem quam promisistis inviolatam servate, omnia castra ab hostibus tuemini, denique nec Scarponnam, nec Haidonis castellum, nec quidlibet eorum quæ vobis reliquit, Francis reliqueritis : illecti aut vana spe suæ liberationis, aut terrore sui cruciatus, aut filii Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generosis filiis dedit. Sentiant in vobis hostes non se totum cepisse Godefridum, auxilia undique comparate, liberatores patriæ, vos similes patri in omnibus repræsentate. XVII Kalend. Aprilis me interpretem fieri voluit sibi quique fidissimum.

EPISTOLA XLVIII.

AD INNOMINATUM.

Obscuram epistolam et sine nomine paucis absolvimus. Lotharius rex Franciæ prælatus est solo nomine, Hugo vero non nomine, sed actu et opere. Ejus amicitiam, si in commune expetissetis, filiumque ipsius cum filio Cæsaris colligassetis, jamdudum reges Francorum hostes non sentiretis.

EPISTOLA XLIX.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODICENSEM.

Spectabile faciunt nomen vestrum præsentia tempora, quibus paucorum laudatur probitas, multorum prædicatur improbitas. Speculatur nunc amicus vester Godefridus, qui amicorum se potius quam sua amaverint, qui uxori ac liberis fidem laturi forent, si se ultima rapuisset dies. Et quia tantus vir de vobis optime sentit, hoc solum indicio esse potest, quanta in vobis eniteat virtus. Qui se amant, quique sui sunt, hortatur et admonet ut dominæ suæ Teuphanu, filioque ejus fidem habeant, minime viribus hostium sint infracti, nullo terreantur casu. Aderit læta dies, quæ patriæ proditores et liberatores vere suppliciis et præmiis distinguat, disgreget. Fidissimum vobis Adalberonem Remorum archiepiscopum nullo modo harum rerum conscium facietis, qui quanta prematur tyrannide testantur epistolæ ad archiepiscopos vestros directæ, in quibus nihil eorum quæ voluerint scripsit, sed quæ tyrannus extorserit oscitanti.

EPISTOLA L.

AD MATHILDEM COMITISSAM.

Deponat domina mea Mathildis omnem querimoniam : clarissimus vester conjunx Godefridus inter pares præcipuus, ac ipsis victoribus formidabilis, hoc præcepit. Exhilarate mentem, quia spiritus tristis exsiccat ossa, consilia turbat. Dominæ Teuphanu imperatrici semper Augustæ ac filio ejus semper Augusto cum filiis vestris fidem purissimam C servate. Pactum cum Francis hostibus nullum facite, Francorum reges aversamini. Castra omnia sic tenete, sic defendite, ut nullam in his habeant partem adversarii vestri, scilicet neque pro spe liberationis mariti, neque pro terrore peremptionis ejus, aut filii Friderici. Hæc XI Kal. Aprilis ad flumen Matronam meæ fidei commisit, quæ vobis plena fide retuli.

EPISTOLA LI.

AD SIGIFREDUM COMITIS FILIUM GERBERTUS.

Nimium amorem circa parentes vestros, qui nunc exsules sunt habentes, eos ad flumen Matronam XI Kal. Aprilis allocuti sumus. Et quæ dominam nostram Teuphanu de sua fidelitate scire voluerunt, per epistolam mandamus. Et quia cum benevolentia Ottonis D et Heriberti, quorum custodia servantur, eos alloqui valemus, quæcunque et vos et domina nostra eis mandare volet, litteris nos habere facietis. Hoc insuper vestræ fidei committimus, quia si Hugonem vobis in amicitiam colligaveritis, omnes impetus Francorum facile devitare valebitis.

EPISTOLA LII.

AD DOMINAM THEUPHANU IMPERATRICEM.

Cupienti mihi vos adire secundum imperium vestrum, non frustra renisa est divinitas. Nam XI Kal. Aprilis captos comites allocutus, Godefridum, patruumque ejus Sigifridum, inter hostium cuneos solus repertus sum vestrarum partium, cui fidenter de statu imperii vestri suas sententias concrederent.

Scripsi itaque exhortatorias epistolas secundum intellectum eorum, conjugibus, liberis, amicis : ut in fide vestra perstent, nullo hostium incursu terreantur, eorumque exemplo, si fortuna tulerit, exsilium potius eligant pro fide vobis servanda quam patriæ solum cum perfidia. Hos ego viros in primis charissimos habeo, quibus gravius est quod vestra negotia non valent exsequi, quam quod captivitati hostium videntur addicti. Sed quia principum dissensio interitus regnorum est, principum vestrorum concordia remedium tantorum malorum nobis fore videtur. Funiculus quippe triplex difficile rumpitur. Noveritis etiam reges Francorum nos non æquis oculis intueri, eo quod de vestra fidelitate eis contraria sentiamus, simulque quod multa familiaritate fruamur Adalberonis archiepiscopi Remorum, quem simili de causa insectantes infidissimum sibi putant. In his omnibus quid nos velitis facere, et si inter hostes via patuerit ulla, quo et quando vestram præsentiam possumus adire certius significate nobis, paratis per omnia vobis obtemperare. Res eo processit, ut jam non de sua expulsione agatur, quod malum tolerabile esset, sed de vita et sanguine certent. Hoc mihi secum commune est, quasi se contra conatus regios incitanti. Moles denique oppressionis tanta est, vestrique nominis tanta invidia, ut suas miserias nullis audeat vobis significare rescriptis. Sed hæc tyrannis si invaluerit, locusque ad vos profugiendi patuerit sibi, non frustra de vobis meliora senserit, spem certam habuerit, qui vobis ac filio vestro in quo valuit suffragium meditatus est.

EPISTOLA LIII.

AD LOTHARIUM REGEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 8.

EPISTOLA LIV.

AD TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide ubi supra, epist. 9.

EPISTOLA LV.

AD EUMDEM.

Vide ubi supra, epist. 10.

EPISTOLA LVI

AD EUMDEM.

Vide ubi supra, epist. 11.

EPISTOLA LVII.

OBJECTIO IN ADALBERONEM.

Vide ubi supra, epist. 12.

EPISTOLA LVIII.

PURGATIO.

Vide ubi supra, epist. 13.

EPISTOLA LIX.

AD DOMINUM RETENSEM EPISCOPUM DIEDERICUM.

Qui actus vel dispositio regia in præsenti sit, dubitatio legati Henrici Idibus Maii patefecit, cujus in reditu curiositas sciscitandi, et plurima perquirendi, aliud vultu prætendere, aliud mente gerere significavit. Dux Hugo ad sexcentos milites collegisse dicitur. Ea fama conventum Francorum Compendiaco palatio habitum v Idus Maias subito dissolvit ac liquefecit. Interfuerunt de vestris quidem dux Carolus, comes Reinharius, de nostris Herbertus Trecassinus, sed Otto acriori cura exclusus, adfuit etiam Gibewinus, episcopus Laudunensis Adalbero frater Gocilonis, obside pacis filio fratris Bardæ dato, ea conditione evasit, ut quod Sigifridus ac Godefridus facturi sint faciant. Quid hoc sit, Francis spes mera, nobis res certa? Tantum superest, quam patriam in manibus consilio et auxilio et viribus tenetis, hostibus consilio et auxilio destitutis tradere ne velitis. Urbem Virdunensium a paucis prædonibus quieto tueri, inquieto et iniquo animo fero, nisi forte hoc majori differtur consilio, ut unde non sperant præcipiti excidio tabescant.

EPISTOLA LX.

GERBERTUS INNOMINATO.

Res celanda multis committi non vult. Quod diverso stylo nobis scribitur, adversis tractari non injuria putatur. Silentium amici vestri Adalberonis proprium statum, simulque Ecclesiarum Domini ac palatii Francorum indicat. Quod ut potero breviter accingam. Ego fidelium Cæsaris non immemor. Conjuratio in filium Cæsaris ac in vos et acta est et agitur, non solum a principibus, inter quos Carolus dux jam non in occulto est, sed etiam a militibus, quos spe aut metu allici est possibile. Dux Hugo XIV Kalendas Julii regem ac reginam osculatus est tandem astutia quorumdam, ut in conjuratione tanti viri nomen fore putaretur, quod minime est, nec fore putamus hac tempestate. Sigifridus comes ad sua rediit, Godefridus comes, si Castrilucium cum Hainao Reniero redderet, seque filiumque suum comitatu ac episcopatu privaret Virdunensi : de reliquo integram fidem Francorum regibus exhiberet, datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret. Finis Theoderici ducis Hugonem ducem respicit, Ottonem Heribertus. Fidum vobis Adalberonem archiepiscopum pax sequestra nunc tandem conciliat, eo pacto, ut interim instituatur perpetua. Qua in re vestrum suorumque, pro quorum nomine antefertur, nec fieri potest ut quidquam instituatur, quod vestræ suorumque saluti obsistere possit. Latens ac furtiva expeditio nescio quibus vestrorum subito intenditur. Quid trans Rhenum gesseritis, nos de vestra salute lætantes non celabitis.

EPISTOLA LXI.

ADALBERONI ARCHIEPISCOPO GERBERTUS.

Ut voluistis consultum est, mora vestra usque ad determinatum colloquium in commune laudata. Amicitia Hugonis non segniter expetenda, sed omnino conandum ne bene cœpta male abutamur. Nam quidem intelligentia hæc est, sed nescio quonam pacto frater vester Godefridus atque Rainherius, Gobthero meo, quem Turonium miseram, dixerunt, vos præsto adfore, ut si quem nuntium Odo vobis mitteret, et alloqui possetis, et quæ significaret opere adimpleretis. Cæterum dux Hugo nacta occasione ex dissensione episcopi Parisiensis et abbatis

Gual. abbatem nostrum Airardum inter cæteros ad se venire orat. Id ut peragat persuasum iri posse confidimus. Colloquio soluto moras omnes solvite, urbique ac vestris vos restituite.

EPISTOLA LXII.

AD BEATRICEM DUCEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 14.

EPISTOLA LXIII.

AD EAMDEM.

Vide ubi supra, epist. 15.

EPISTOLA LXIV.

AD EAMDEM.

Vide ubi supra, epist. 16.

EPISTOLA LXV.

AD NITHARDUM ABBATEM MEDELECENSEM.

Semper quidem plurimorum utilitati prospiciendum, privatisque commodis publica præferenda. Fratrem Gaud. subito cum re omni familiari parata ac paranda redire cogitis, nulla temporis ratione habita. Soline tantos motus civilis belli non sensistis? qui domini rerum ac principes esse videmur, itinere frequenti equis attritis comites rariores habemus. Tædio monasterii eum nolle redire dixistis, id ne verum sit quoquo modo reducem tenetis. Consequitur ergo ut in hoc experiamur paucorumne commodum, an multorum, sit vobis pretiosius.

EPISTOLA LXVI.

AD NOTEGARIUM EPISCOPUM LEODICENSEM.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI *epist.* 17.

EPISTOLA LXVII.

AD EUMDEM EX PERSONA EJUSDEM.

Vide ubi supra, epist. 18.

EPISTOLA LXVIII.

AD ABBATEM RAINERUM.

Quamvis intelligentiam vestram non lateat artem artium regimen esse animarum, tamen tam occupatis in repub. suggessisse non inutile visum est. Fratrem Menig. quem suavi eloquio, affabilitate paterna transmarina mutare coegistis, hærentem ac dubium quibus valuimus sententiis vestram mansuetudinem sibi notam experiri persuasimus. Erit ergo docti viri, more boni medici, mellita proferre, ne primo gustu amaris ingestis antidotis, salutem suam formidabundus incipiat expavescere. Hac conditione, si placet, suscipite; si displicet, ne forte proditoris fungamur officio, quo velit redire æquo animo ferte.

EPISTOLA LXIX.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Non exsecutum esse quod ab urbe Virdunensi de reditu fratris G. mandavimus, acrior cura præsentium tempore effecit, dum et quod nolumus necessitas infert, et quod volumus aufert. Nunc tandem ne bene meritis appareamus ingrati, clementiæ vestræ ut possumus remittimus, hoc unum a solita benevolentia vestra expetentes, ut experiatur vestram affabilitatem ob nostram commendationem, et si pace vestra fieri potest, ne careat studiis quibus impensius operam dare disposuit.

EPISTOLA LXX.

AD MAIOLUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Etsi vigilanti cura super vestro grege assidue occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis cœnobii propter reverentiam Patris Benedicti summum locum penes monachos, ut aiunt, pervasor occupavit. Si vos tacetis, quis loquetur? Hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit? Nos quidem hæc zelo divini amoris dicimus, et ut nostro examine si probus est recipiatur, si improbus omnium abbatum ac monastici ordinis societate, ad pœnam suæ damnationis privetur. Quod vobis ratum litteris vestris nobis fiet acceptissimum.

EPISTOLA LXXI.

AD GERALDUM ABBATEM AURILIACENSEM.

O nimium dilecte Deo, ardere bellis orbem terrarum vides, et ad Omnipotentem manus pro statu Ecclesiarum Domini non erigis! Salutiferum quidem iter charitatisque plenum ad limina beati Geraldi nos habere cupitis: cui voto utinam faveat Divinitas! Sed id quam difficile factu sit facile intelligitur, nisi vestra obtineant merita. De rege Ludovico quis habeatur consulitis, et an exercitus Francorum auxilium Borello laturus sit. Horum primum a nobis minime quæri oportet, quoniam, ut ait Sallustius, omnes homines qui de rebus dubiis consulunt oportet esse remotos ab ira, odio, misericordia. Alterum suapte natura adesse, et non esse æqualiter vergens, nostra intelligentia magis videtur tendere ad non esse. Organa porro, et quæ vobis dirigi præcepistis, in Italia conservantur, pace regnorum facta vestris obtutibus repræsentanda. Quæ hosti juris sunt, ut vestra spectate. Desiderabilem præsentiam pii Patris, vel causa beati Remigii Francorum apostoli desiderantibus filiis exhibete, ut nostrum impossibile vestro solvatur possibili.

EPISTOLA LXXII.

AD STEPHANUM DIACONUM, DATA VI NON. MARTIAS.

Exsequiis domini Lotharii regis occupati multa tibi quærenti pauca rescripsimus. Lotharienses dudum capti omnes elapsi sunt, præter comitem Godefridum, de quo in brevi meliora sperantur. Quæ penes te nosque agantur rescribe, atque per hunc legatum libros tua industria nobis rescriptos consummata charitate remitte.

EPISTOLA LXXIII.

AD NITHARDUM ABBATEM MEDELECENSEM.

Quod vestra præsentia interdum non perfruimur, turbulentæ reipub. imputatur. Vos solum gravia pati putatis, quæque asperrima cæteris sint ignoratis. Sed cum agantur homines dubia sorte, mihique, non nostris, incerto certa quæratur sedes, cur tandiu penes me deposita male fidæ fortunæ thesaurizatis? Et quia, utpote fidissimus fidissimo lo-

quor, maturate iter. Nam aut imperialis cito me colliget aula, aut quantocius omissa diu repetet Iliberia.

EPISTOLA LXXIV.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII, in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 20.

EPISTOLA LXXV.

EX PERSONA EMMÆ REGINÆ AD MATREM.

Dominæ ADELAIDI imperatrici semper Augustæ EMMA quondam regina, nunc lumine Francorum orbata.

Elapsa sunt tempora mearum deliciarum, tempora decoris mei, o mi domina, et o dulcis mater : dum is quo florente florebam, quo regnante regnabam, conjugem in perpetuum viduam fecit. O amara dies VI Nonarum Martiarum, quæ mihi virum eripuit, quæ me in has miserias præcipitavit! Intelligat pia mater gemitum et angustias filiæ doloribus plenæ. Non esse me penitus præoptarem, nisi Divinitas solatio reliquisset mihi matrem. O quando videbo, quando alloquar! Nostri quidem vestræ præsentiæ, ac regis Conr. in vicinia Romarici montis, ubi confinium regnorum est, XV Kalend. Junii, me ac filium meum occurrere volunt. Sed hæc mora mille annorum mihi est. Noveritis interim Francorum principes mihi ac filio simul fidem sacramento firmasse. In hoc, et in reliquis, quæ sequenda, quæ vitanda sint, vestro judicio utemur. Ut non solum H. reginæ, sed omnium dicamini mater regnorum. Recordamini præterea verborum vestrorum, quod virum meum præ me dilexeritis, quodque ipse præ me vos amaverit. Prosint animæ ejus hi dulces affectus, et quod temporaliter exhibere non valetis, spiritualiter recompensetis per sanctos Patres, id est episcopos, abbates, monachos, ac per servos Domini quosque religiosissimos.

(*Num.* 76, 77, 78, 79, *exhibent epitaphia Lotharii regis Francorum, ducis Friderici, Adalberti Scholastici et Ottonis imperatoris. Hæc supra seorsim dedimus.*)

EPISTOLA LXXX.

INVECTIVA IN VIRDUNENSIUM ECCLESIAM.

Quod remedium morbis tuis inveniemus, Virdunensium exsecrata civitas? Unitatem sanctæ Domini Ecclesiæ scidisti, sanctissimam societatem humani generis abrupisti. Quid enim aliud egeris, cum pastorem tuum voluntate hæreditarii regis, consensu et favore comprovincialium episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minime recognoscis? teque velut membrum mutilum ac deforme, sine unitate corporis, ex olea in oleastrum inserere tentas? Ideo pastorem non recognoscis, quia regem tuum regno privare moliris. Non est tui juris creare novos reges ac principes, id est sub insolita transire juga. Gravissimum est peccatum tuum, impia civitas. Non confregit aries muros tuos, non fame infecti milites, nullo telorum genere pervasi sunt. Sanctuarium Domini corrupisti, sanctuarium Domini pervasisti, ac possides. Spelunca latronum facta es. Hostes humani generis amici tui obliti virginum, sanctique tori consanguinitatis et muneris, et jam in sacris diebus et in sacris locis horrendum lupanar fecerunt te. Altaria Domini calcibus allisa ac ligonibus effossa sunt. Opes religiosorum et pauperum rapinæ et incendiis patuerunt. Revertere, revertere ad pacem Ecclesiarum et ad unitatem regnorum, civitas virtutum expultrix, ac vitiorum receptrix. Et vos, si qui estis, Domini pars melior, redite et separamini velut oves ab hædis. Novimus antesignanos pollutæ civitatis, novimus satellites manipulares, quos divino gladio feriendos hactenus patientia tulimus. Nunc cæcitate mentis pressos et caligine mortis consopitos, sententia damnationis ex divinis legibus promulgata, communi omnium bonorum consultu percutimus.

EPISTOLA LXXXI.

AD ECBERTUM (29) ABBATEM TURONENSEM.

Ubi summa religionis norma esse debuit, summum esse illapsum crimen non immerito nos permovit et exterruit. Sed quis erit auctor hujus correctionis, tacentibus cunctis primatibus vestri ordinis? Nos quidem venerabili abbati Maiolo super his pauca præscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere scimus. Huic tanto negotio, et, ut verius fateamur, tantæ audaciæ ulciscendæ a nobis dux designatus est. Ejus sententiam qui prior nostrum noverit, alteri sine mora significabit.

EPISTOLA LXXXII.

AD ADSONEM ABBATEM DERVENSEM.

Rumpe moras omnes, mi pater, et III et II Kal. Jul. egredere de Ur Chaldeorum. Obtemperandum veteranis amicis ac in fide diu probatis. Noster Adalbero pater patriæ, quondam vobis fidus, et nunc fidissimus, morarum impatiens, vestram expetit præsentiam. Nefas absenti significare ea quæ volumus præsenti dicere. Charissima vobis ac nobis librorum volumina vestrum iter sunt comitata. Hoc tantum dixisse sufficiat.

EPISTOLA LXXXIII.

AD BOBIENSES.

GERBERTUS gratia Domini si quid est plurimam salutem dicit dilectissimis sibi filiis BOBIENSIBUS utriusque ordinis.

Rem dignam vestroque nomini convenientem penitus egistis, patrem quærendo, patrem visitando, quia jure vos veros filios esse docuistis. Ergo et pro vestra diligentia, et pro fide constanti circa me, nunc absens grates habeo, et mox propitia divinitate præsens debitas exhibebo. Ego quidem et si jam propemodum in portu constiti, vos tamen malignis fluctibus jactari iniquo animo fero. Sed scimus Dominum omnia posse, eumque motum prece pauperum confidimus afflictis opem illico laturum fore.

(29) Infra *Ewrardus* et *Ebrardus* dicitur.

EPISTOLA LXXXIV.

AD HUGONEM MARCHIONEM.

Non immerito vos plurimi facio, et vos et vestra votis et laudibus effero, qui tam occupati mei meminisse dignamini. Inter honesta hoc, itaque inter præcipua ponimus, ac proinde ad vos fidem plurimam habemus : et ut nostri memoria non excidat propensius oramus, et ut fessis jam rebus beati Columbani subveniatis, preces quas valemus absentes effundimus.

EPISTOLA LXXXV.

AD CONONEM ITALICUM MARCHIONEM.

Quamvis nullis officiorum meritis vestram promereamur gratiam, virtus tamen ac nobilitas vestri generis, ac propria, adducit nos de vobis bene sentire, meliora sperare. Quod si a parvis maxima juvari possunt, honori vestro studia nostra non deerunt in loco et tempore. Consultando, bona verba suggerenda, ut, dum vobis fortuna riserit, sub vestris alis nostra mediocritas requiescere possit.

EPISTOLA LXXXVI.

AD THEOPHANIAM IMPERATRICEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 20. 21

EPISTOLA LXXXVII.

AD CONSTANTINUM SCOLASTICUM FLORIACENSEM.

Sapienter et perite ille vir Domini pervasorem improbandum esse censuit, sed rem ad se minus significavit. Ipsum ante insignia honoris infamem, fautores in religiosos augendam infamiam, si sanctorum privetur consortio, caute prudenterque disseruit. Matura ergo iter, et XVI Kal. Septemb. nos revise, ut in his omnibus per te plenius instruamur, simulque lateris animadversione nostra in pervasorem, et qui te cœnum nostris putavit in naribus, de se dictum existimet, teque thymiama vaporatum redolere perhorrescat. Comitentur iter tuum Tulliana opuscula, et de repub. et in Verrem, et quæ pro defensione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conscripsit.

EPISTOLA LXXXVIII.

AD MAIOLUM ABBATEM CLUNIACENSEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 22.

EPISTOLA LXXXIX.

AD ECBERDUM [EBRARDUM] ABBATEM TURONENSEM SUB PERSONA ADALBERONIS.

Vide ubi supra, epist. 23.

EPISTOLA XC.

AD IMPERATRICEM THEOPHANIAM ET AD FILIUM OTTONEM.

Vide ubi supra, epist. 24.

EPISTOLA XCI.

AD RAIMUNDUM AURILIACENSEM ABBATEM.

Clarissimo patre Geraldo orbatus, non totus superesse visus sum. Sed te desiderantissimo secundum vota mea in patrem creato, denuo totus in filium renascor. Nec solus vestro honore gaudeo, gaudet pater Adalbero, se suaque vobis ex animo conferens, tanto arctius, quanto a plius luce religionis ac scientiæ collucetis : cujus ob meritum amorem, fere continuum triennium in Francia consumpsi. Ibi dum iras regum, tumultus populorum, regnorumque dissidentium æstus perfero, tanto tædio affectus sum, ut curam pastoralitatis suscepisse pene me pœniteret. At quoniam domina mea Theophania imperatrix semper Augusta, VIII Kal. April. proficisci me secum in Saxoniam jubet, eoque quosdam ex meis monachis ac militibus ab Italia convenire jussi, nunc non habeam quod certum scribam super organis in Italia positis, ac monacho dirigendo qui ea conducat, præsertim cum sine præsentia dominæ meæ Theophaniæ credere me non ausim fidei meorum militum quia Itali sunt. Nec satis sciam utrum exercitum arte autumnum in Italiam deducam, an in Germania demoremur, ut quam plurimas copias contra Ludovicum regem Francorum, nisi quieverit, comparemus, qui amicis inquietissimus, perniciosissimis hostibus non multum inquietus, quis sit, quidque de eo intelligi oporteat, velox exitus comprobabit. Clara indoles divæ memoriæ Ottonis Cæsaris, pace inter duces ac principes redintegrata, proxima ætate legiones militum duxit in Sarmatas, quos ea lingua Guinidos dicunt, ibique sex et quadraginta urbes munitissimas sua præsentia ac militum robore cepit, diruit atque vastavit. Salutat vos, et Airardum, Adalbero Remorum archiepiscopus, simulque omne collegium Aureliacensis cœnobii, me adjuncto per omnia vobis devotissimo. Iterum iterumque valete.

EPISTOLA XCII.

AD BERNARDUM MONACHUM.

Quæris, dulcissime frater, quæ et qualia gerantur a me, et an ea sint commoda et incommoda. Huic petitioni an satisfacere paucis possim addubito, quod altius ea rimanti nulla esse videantur : aut si quolibet modo sunt, maximam partem incommodorum secum trahunt. Primum quod in publicis causis versari nunc temeritatis est, quippe ubi divina et humana confunduntur jura, propter immensam avaritiam perditissimorum hominum, idque solum jus fore statuitur, quod libido ac vis more ferarum extorserit. Ast in privatis id præ me fero, quod amicos in adversis nulla oppressus calamitate destitui. Sed an memoria dignum sit aliorum judicio derelinquo, et quod Italia excessi, ne cum hostibus domini ac filii senioris mei D. M. Ottonis quolibet modo cogeret pacisci, et quod interdum nobilissimis scholasticis disciplinarum liberalium suavis fructus ad vescendum offero. Quorum ob amorem et in exacto autumno quamdam figuram edidi artis rhetoricæ depositam in sex et viginti membranis sibi invicem connexis, et concatenatis in modum ante longioris numeri, qui fit ex bis tredecim. Opus sane expertibus mirabile, studiosis utile, ad res rhetorum fugaces et caliginosissimas comprehendendas, atque

in animo collocandas. Ergo si quisquam vestrum cura talium rerum permovetur, et in musica perdiscenda, et in his quæ fiunt ex organis, quod per me adimplere nequeo, si cognovero certum velle domini abbatis Raimundi, cui omnia debeo, per Constantium Floriacensem supplere curabo. Est enim nobilis scholasticus apprime eruditus, mihique in amicitia conjunctissimus. Vale, dulcissime frater, meaque semper dilectione mutuo fruere, nostraque bona putato esse communia.

EPISTOLA XCIII.

AD ADALBERONEM ARCHIEPISCOPUM.

Corruptissimi temporis est, non posse decerni secundum popularem opinionem quid sit magis utile. Utile est quod agitis sententia multorum, utilius cum plures judicant in urbe sedere, paucam et ignavissimam prædonum deterrere manum, cum præsentia vestra tum militum numerositate. Vestrum fratrem vos debere alloqui censent, audire quæ velint Otto et Heribertus, mutua subito exposcentes colloquia. Quibus etsi nulla inest fides, tamen pro fortuna eis utendum. Certe cum in metu sint, periculum ipsorum ab eis exiget, quod propria non exegerit fides.

EPISTOLA XCIV.

AD EUMDEM.

Octavo Kal. Octob. Reinherius a responsis Remos rediit, vestra negotia exsecuturus. Ejus sententia hæc est, si de fratris fortuna certum finem cognoscere vultis, ac nulli mortalium indicanda nisi vobis, IV Kal. ad Altovillare fratri ac comitibus occurrere, nepotem vestrum Hecilonem, ac primos vestri generis consanguineos iterum nusquam sinatis abire. Magna res serio agitur. Mosomum et Macerias multitudine militum communite. Dux Cono pro suo Ottone insidias molitur, sed facile remedium penes nos reperietur. Laudunensis episcopus consilio Ottonis et Heriberti sibi faventium ducem adiit, eo loci quem dicunt Dordingum. Redite, mora sit nulla.

EPISTOLA XCV.

AD FRATRES FLORIACENSES EX PERSONA REMENSIUM ABBATUM.

Non immerito nos unius collegii esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem castissimamque amicitiam quorumdam fœdat ambitio lasciva, detestabilis audacia, dum per factionem is vobis præficitur pater quem verissimi non metuant damnare Patres. Et quomodo una est Ecclesia catholica, cunctorumque fidelium una societas, a sententiis eorum non deviare decrevimus, qui in Ecclesia Domini, velut clarissimæ stellæ relucent in perpetuas æternitates. An non lucidissima stella reverendus pater Maiolus? an non præfulgidum sidus pater Ecberdus [Ebrardus]? alter in epistola, quam patri nostro venerabili Adalberoni archiepiscopo nuper direxit (quærebatur enim ejus sententia de prælatura patris vestri) inter cætera sic dicit: « Persona quidem vobis jam olim infami conversatione erat famosa, sed hujusmodi arbitratu præter spem habita. Item in eadem post aliquanta. Quantum ergo nostra interest vicinos et contribules adhortari studuimus, si hoc nefas eliminare nequeunt, sanctorum consortio privandum infamabunt, nec erit Christi fidelis cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis. Facta laudare non possumus, quid futurum sit nescimus. Clamat alter, simulque nos denotans, inquit: Nec minus nos gravat quod magistratus ille cœnobialis, quem stare credimus in vertice religionis, dum vobis submilitat, a vobis discors, nos erroneos judicare audet. Et quis enim fraudulenta ambitione elatum audeat approbare, cum pater Benedictus dicat omnem exaltationem genus esse superbiæ? Item in fine ejusdem epistolæ: Etsi vobis non videtur fatuum, æterna clausura ejus ad nos damnabimus aditum. Faciant, judicent primates ut libet, nos pauperes Christi favor aut timor sæcularium ab hac sententia non flectet. » Attendite ad hæc, o socii et commilitones, secernite vos oves Christi ab eo qui non est pastor, sed lupus ovium depopulator. Prætendat sibi reges, duces sæculi, principes qui se favore solum modo eorum monachorum principem fecit, nec erubuit se ingerere qui ex humilitate debuerat refugere. Hactenus ignorantia nos deviasse sufficiat, carcat nostro consortio, qui talium Patrum damnatur judicio. Tunc nobis tantum uniatur, cum eorum sententia fuerit reconciliatus, quorum judicio nostro est nunc consortio privatus.

EPISTOLA XCVI

AD FRATRES BLANDINIACENSES.

Qui me vobis fratrem adoptastis, orbitatem vestram ut sentiremus magnopere effecistis: virque ille venerabilis memoriæ nos sui memores in æternum honestis obtinuit officiis. Ergo agite, patrem vobis dignum citius exquirite, ne grex Dominicus fluctuet sine pastore. Nostra ope si indigetis utimini, et consilio, et auxilio, juxta vires ac scientiam. Libros nostros festinantius remittite, et si is qui per Claudianum rescribi debuit, insuper mittetur, erit res dignissima vobis ac vestra charitate.

EPISTOLA XCVII.

EX PERSONA EMMÆ REGINÆ AD MATREM.

Aggravatus est dolor meus, o mi domina, o dulce matris nomen, dum conjugem perdidi. Spes in filio fuit, is hostis factus est. A me recesserunt dulcissimi quondam mei amici ad ignominiam meam ac totius generis mei. Nefandissima in Laudunensem confinxerunt episcopum. Persequuntur eum, proprioque spoliare contendunt honore, ut inuratur mihi ignominia sempiterna, quæ sit quasi justissima causa amittendi honoris mei. Adesto, pia mater, filiæ doloribus plenæ. Gloriantur hostes mei non superesse mihi fratrem, propinquum, amicum, qui auxilium ferre possit. Intendat ad hæc pia domina, redeat vestra nurus in gratiam. Sit mihi per vos exorabilis, liceatque suum mihi diligere filium, quem

meum patior ut inimicum. Astringite mihi principes vestri regni, proderit eis mea conjunctio. Otto et Heribertus comites potentissimi mecum in vestro consilio erunt. Si fieri potest, absolvite nos curis, ut mutuis fruamur colloquiis. Sin, antiquam sapientiam vestram undique colligite, Francis unde non sperant contraria parate, ut in nos graviter sæviens eorum refundatur impetus. Et interim quid vobis sit faciendum, et scriptis significate et nuntio fidissimo.

EPISTOLA XCVIII.

EX PERSONA LAUDUNENSIS EPISCOPI AD EPISCOPOS.

Quamvis regia potestate per quorumdam hominum factionem a propria sede sum ad præsens exclusus, episcopali tamen officio minime sum privatus : nec damnant crimina falso illata, quem innocens in hac parte non remordet conscientia. Sentiat ergo grex pastoris absentiam, sentiam et ego vos meam dolere vicem. Itaque moneo, rogo, oro, obsecro, ac pro nomine terribilis semper viventis Domini obtestor, me Ecclesiæ meæ quolibet modo, per quamlibet personam, sanctum chrisma tribuatis, nec episcopalem benedictionem, et missarum solemnia in mea parochia peragatis, quia scriptum est : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* At si divina et humana contemnitis jura, nec nostris monitis acquiescitis : quanquam divina ultione sitis feriendi, tamen ad majorem audientiam ecclesiasticæ legis vos provocatum iri pernoscatis.

EPISTOLA XCIX.

EX PERSONA ADALBERONIS ARCHIEPISCOPI AD BELLOVACENSEM.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, epist. 25.

EPISTOLA C.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Quantum utilitatis reipub. contulerit, quantumve collatura sit pax inter reges nostros bene fundata, testis est civitas Virdunensium, sine cæde et sanguine, sine obsidibus, sine pecuniis in integrum imperio vestro restituta. Testis erit Colonia, rebus sibi diu subtractis in integrum restituendis. Quod utique maturius foret, nisi acrior cura regnorum nuper in conficienda pace longius nos detinuisset, propter inversos mores quorumdam nostrorum. Nunc itaque tempus opportunum nacti, obsequio vestro adsumus. Monemus uti Dudo ac Gesilbertus comes rerum Ecclesiæ vestræ pervasores sine dilatione excommunicentur. Moneatur frater, ne amicus vester Adalbero Remorum archiepiscopus super Dudone, Guido Suessonicus episcopus super Gesilberto, ne filios suæ Ecclesiæ impune vos lædere sinant : sed excommunicatos a vobis excommunicent, donec consequantur a vobis veniam digna satisfactione, qui conati sunt sanctuarium Domini hæreditate possidere. Quid domina nostra Theophania imperatrix semper Augusta insequenti tempore rerum publicarum sit actura, quibusve in locis demoratura, et an Saxonum exercitus victor a consueto hoste redierit, significatum iri nobis plena fide oramus : vestra vestrorumque aversa tristi vultu accepturi, prospera jucundissimo animo laturi ac perlaturi.

EPISTOLA CI.

AD EUMDEM.

Multitudine curarum festinatæ legationis, simulque viarum prolixitate pressi, desiderabili colloquio vestro magna cum mœstitia privati sumus. Sed refecit nos præsentia spectabilis viri Folmari, in quo vestra virtus intellecta est, dum eo utimini ministro, qui voluntatem Domini etiam non monitus laudabiliter expleat. Addicti ergo sumus vestræ servituti, cum hac re, tum etiam plurima dilectione senioris nostri Adalberonis circa nos, qui earum rerum quas fecimus participes vos fore per omnia voluit. IV Kal. April. domina dux Beatrix apud palatium Compendiacum hoc effecerat, ut VIII Kal. Junii ad Montem Falconis dominæ Adelaidi imperatrici, duci Carolo, rex Ludovicus, regina Hemma, dux Henricus, causa conficiendæ pacis occurrerent. Sed quoniam per ignorantiam dominæ Theophaniæ imperatricis semper Augustæ hoc fiebat, dolum subesse intelligentes, uti per se potius pax fieret, consuluimus, utque prius per vos quæ conditio paris foret experiretur. Quod laudatum est, vestrique itineris socii denominati XV Kal. Junii Francorum colloquio nobis occurrendum. Ibique si pacem cum rege senior noster confecerit, pro pace regnorum plurimum elaborabit. Magnæ intelligentiæ vestræ pauca suggessisse satis est. Cæterum de terra, quæ in nostris partibus vi vobis eripitur, monemus ad præsens tacere, postmodum demonstraturi quid exinde facere debeatis.

EPISTOLA CII.

AD ADALBERONEM ARCHIEPISCOPUM.

Qua fiducia, quave cautela colloquia Ottonis et Heriberti expetenda vobis sint providete, ne forte propter præsentem obsidionem Caprimontis nova in vos novis dolis undecunque comparentur consilia. Mementote sortis Guifridi [Godefridi, et Virdunensis episcopi, ob pervasionem castri Luciliburgi.

EPISTOLA CIII.

AD DOMINAM THEOPHANIAM IMPERATRICEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII, in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 26.

EPISTOLA CIV.

AD ECBERTUM TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide ubi supra, epist. 27.

EPISTOLA CV.

AD FRATRES BLANDINIACENSES EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide ubi supra, epist. 28.

EPISTOLA CVI.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Quia diu optato consilio vestro non perfruimur, non satis patienti animo toleramus, instamus, casusque inter strepentes revincere laboramus. Synodus in partibus Rheni, ut fama est, indicta : nostrorumque episcoporum cum validiores morbi tum

etiam regia negotia, quam una voluimus interturbant synodum. Sed ne interim otio torpeamus, beati Ottonis suffragia ad præsens expetere in animo est, unde per vos reditum habere disponimus, ut prolixam disjunctionem nostram ea conjunctione castigemus. Et quoniam per Verdunum iter nobis est, eo crucem vestra scientia ut speramus elaboratam, si fieri potest, Kal. Novembris dirigite, sitque hoc pignus amicitiæ. Ita opus placens dum oculis crebrius ingeretur, indissolubilis amor in dies augmentabitur.

EPISTOLA CVII.

EX PERSONA REGIS HUGONIS AD SIGUINUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

Regali potentia in nullo abuti volentes, omnia negotia reipub. in consultatione et sententia fidelium nostrorum disponimus, vosque eorum participes fore dignissimos judicamus. Itaque honeste ac benigno affectu vos monemus, uti ante Kalend. Novembris, eam fidem, quam cæteri nobis firmaverunt, confirmetis ob pacem et concordiam sanctæ Domini Ecclesiæ, totiusque populi Christiani : ne si forte, quod non optamus, persuasione quorumdam pravorum diligenter vobis exsequenda minus audiatis, sententiam domini papæ et comprovincialium episcoporum duriorem perferatis, nostraque omnibus nota mansuetudo justissimum correctionis assumat zelum regali potentia.

EPISTOLA CVIII.

AD EGBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII, in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 30.

EPISTOLA CIX.

AD EUMDEM.

Vide ubi supra, epist. 31.

EPISTOLA CX.

AD COMPROVINCIALES.

Vide ubi supra, epist. 32.

EPISTOLA CXI.

AD BASILIUM ET CONSTANTINUM IMPERATORES ORTHODOXOS, HUGO GRATIA DOMINI REX FRANCORUM.

Cum nobilitas vestri generis, tum etiam gloria magnorum actuum, ad amorem vestrum nos hortatur et cogit. Ili quippe esse videmini, quorum amicitia nihil dignius in humanis rebus possit existimari. Hanc sanctissimam amicitiam, justissimamque societatem sic expetimus, ut nec regna nec opes vestras in ea requiramus. Sed hæc conditio quæ nostri juris sunt vestra efficit, magnoque usui, si placet, hæc nostra conjunctio erit, magnosque fructus efferet. Etenim nobis obstantibus nec Gallus, nec Germanus fines lacesset Romani imperii. Ergo ut hæc bona fiant perpetua, quoniam est nobis unicus filius et ipse rex, nec ei parem in matrimonio aptare possumus, propter affinitatem vicinorum regum, filiam sancti imperii præcipuo affectu quærimus. Quod si hæc petita serenissimis auribus vestris placuerint, aut scriptis imperialibus, aut nuntiis fidis nos certos reddite : ut per nostros legatos vestra majestate dignos quæ sonuerint chartis, compleantur in rebus.

EPISTOLA CXII.

EX PERSONA REGIS HUGONIS AD BORELLUM MARCHIONEM.

Quia misericordia Domini prævenions, regnum Francorum quietissimum nobis contulit, vestræ inquietudini quamprimum subvenire statuimus, consilio et auxilio nostrorum omnium fidelium. Si ergo fidem toties nobis nostrisque antecessoribus per internuntios oblatam conservare vultis, ne forte vestras partes adeuntes vana spe vestri solatii deludamur, mox ut exercitum nostrum per Aquitaniam diffusum cognoveritis, cum paucis ad nos usque properate, ut et fidem promissam confirmetis, et vias exercitui necessarias doceatis. Qua in parte si fore mavultis, nobisque potius obedire delegistis, quam Ismaelitis, legatos ad nos usque in Pascha dirigite, qui et nos de vestra fidelitate lætificent, et vos de nostro adventu certissimos reddant.

EPISTOLA CXIII.

AD ROTHARDUM ARCHIEPISCOPUM CAMERACENSEM EX PERSONA AD ALBERONIS.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 33.

EPISTOLA CXIV.

AD. . . . . EX PERSONA ADALBERONIS.

Vide ubi supra, epist. 34.

EPISTOLA CXV.

AD CAROLUM DUCEM.

Vide ubi supra, epist. 35.

EPISTOLA CXVI.

AD ROMULFUM ABBATEM SENONENSEM.

Divinitate propitia bene valentes, ut amplius valeatis optamus. Gratia et benevolentia principum, uti semper usi sumus, utimur, spem bonam in rem conversam iri, suo tempore exspectantes. Ubinam potissimum moraturi sequenti tempore, incertum propter incerta tempora. Operi nostro, quod non parvæ quantitatis fore scripsistis, quia mensuram voluminis ignoravimus, solidos duos per clericum quem misistis misimus, idemque si insinuetis faciemus donec completo opere dicatis : Sufficit.

EPISTOLA CXVII.

AD DOMINAM THEOPHANIAM.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII, in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 36.

EPISTOLA CXVIII.

AD CLERUM ET POPULUM. . . . .

Vide ubi supra, epist. 37.

EPISTOLA CXIX.

EMMA QUONDAM REGINA DOMINÆ AUGUSTÆ THEOPHANIÆ.

Pietas vestri nominis subveniat afflictæ, et a prædonibus captivatæ. Et mihi quondam fuit et genus, et dignitas, ac regium nomen. Nunc quasi sine genere, sine dignitate, omnibus afflicior contumeliis, ancilla captiva crudelissimorum hostium facta. Et quomodo ille impius Carolus vocem meam audiret, qui vestram

audire contempsit? et vos quidem me vestra memoria dignam habuistis, quæ fieri circa me velletis imperastis, hicque regiam urbem occupavit. Parere alicui non putat suo nomini convenire. Nolo ei spiritum explicare, quo sibi regna inaniter promittit. Hoc tantum oro, ne in me feminam illidatur, dum in mares retunditur.

EPISTOLA CXX.

DOMINÆ AUGUSTÆ THEOPHANIÆ, NOMINE HUGONIS REGIS. V. I. D. K. V. A. Z.

Benevolentiam ac affabilitatem vestram circa nos sentientes, obsides a Carolo accipere, et obsidionem solvere secundum voluntatem vestram voluimus fidissimam societatem ac sanctam amicitiam conservare cupientes. Porro hic Carolus legatos et imperium vestrum contemnens, nec super his acquiescit, nec reginam relinquit, nec ab episcopo ullos obsides accipit. Et hic quidem viderit quid sua sibi prosit pertinacia. Vestram autem amicitiam ad nos in perpetuum confirmare cupientes, sociam ac participem nostri regni A. decrevimus vobis occurrere ad villam Satanicum XI Kal. Sep. Ea quæ inter vos de bono et æquo sanxeritis, inter nos ac filium vestrum sine dolo et fraude in perpetuum conservaturi.

EPISTOLA CXXI.

AD TREVERENSEM V. V. D. K. A.

Vide Patrologiæ tom. CXXXVII in ADALBERONE REMENSI, *epist.* 38.

EPISTOLA CXXII.

ADALDERO ARCHIEPISCOPUS REMENSIS AD CAROLUM DUCEM.

Vide ubi supra, epist. 39.

EPISTOLA CXXIII.

AD THIETMARUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

Labore obsidionis in Carolum defatigatus, ac vi febrium graviter exagitatus, sincerum affectum meum circa te, dulcissime frater, explicare non satis valeo. Hoc tantum significo, impera, obsequemur, sitque nostra amicitia eadem velle atque eadem nolle. Et quia inter graves æstus curarum sola philosophia quasi quoddam remedium esse potest, ubicunque partes ejus imperfectas habemus, suppleat industria vestra. Ad præsens autem rescribite tantum quod deest nobis in primo volumine secundæ editionis Boetii in libro Peribermenias, hoc est ab eo loco ubi scriptum est : *Non currit vero et non laborat. Non verbum dico cum significat quidem tempus*, usque ad eum locum ubi dicitur : *ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt, et significant aliquid hic præceptis*, idem parte deficientis commentarii beneficii vestri non erimus immemores, fidem mente conceptam non deseremus, quod voletis pro viribus exsequemur.

EPISTOLA CXXIV.

A. H. C. H. J. V. B. Z.

Antiquis palatiis meis usque ad fundamenta dirutis, etiam renascens palatium, quod mihi ædificare instituistis, diluvio vestri pene absorptum est. Instamus, ac propriis sumptibus fabricam tanti operis novis artificibus insignimus, ne vestro superventu ad suburbana cogamur demigrare cubilia. Huic tam ingenti negotio adhuc dierum 15 spatium attribuite, vestrumque architectum A. remittite, qui cœpta perficiat non meis sumptibus, sicque nos ad perstringendam [*al.*, perfringendam] arcem montemque ab ipsis radicibus convellendum cum totis copiis, si ea voluptas in animo est, exspectate.

EPISTOLA CXXV.

INCERTO.

Cum multos nobis natura affinitate jungat, multos affectione, nullius amicitiæ fructus suavior est quam is qui fundamento nititur charitatis. Nam cujus obsequia aliquando sensimus aut elegantiora vestris aut jucundiora? Denique in tanta perturbatione nostræ reipub. cum perfidiam militum assidue patimur, assiduo oculos ad vos reducimus, ut spes certa est, non frustra solatium relaturi. Et quoniam vos et gravari et defatigari nisi in summa rerum necessitudine nolumus, Z. Z. Q. M. B. et si sic judicatis quemvis alium tantum cum militum robore, subsidio et V. Q. O. V. E. X. II Kal. Oct. ut et nostri refugæ perterriti redeant, et hostes novis ac insperatis copiis intabescant.

EPISTOLA CXXVI.

INCERTO.

Quia aversa valetudine revelati estis, non immerito longum mœrorem nobis diminuis. Gaudemus quippe si gaudetis, tristamur si tristamini. Sic sancta societas unum et idem sentiens manet : nec nos soli dulcem affectum vestrum circa nos sentimus, sentiunt et illi qui admirabile opus crucis a vobis nostro nomini elaboratæ non sine magna oblectatione conspiciunt, in quo pignus amicitiæ æternitatem sibi affectat.

EPISTOLA CXXVII.

INCERTO.

Molimur, conamur, quod volumus agimus, quod nolumus nequimus. Ecce Rai. atque G. quos missum iri ad vos usque innuistis, alter solita valetudine fatigatur, alter insolita quidem, sed cum tædio sui finita imperium vestrum exsequi qui minime potuerunt. Exsequetur autem R. quam proxime in melius commutatus, cujus obsequiis [*al.*, olim sequentis] Hermannum comitem adfore jamdudum in animo est. Et quia quanto silentio quantaque fide nostra secreta commiserimus novistis, vices nostras nostrique legati apud comitem Heribertum vos agere rogamus : facturi quidquid prudentiori consilio decernetis. Finitoque foro, uti audita, relata, inventa, conferre nobiscum dignemini, obsecramus, vestro per omnia usuri consilio sapienti.

EPISTOLA CXXVIII.

AD ADELAIDEM MATREM REGNORUM.

Quibus angustiis domina quondam Hemma afficiatur, quantoque prematur angore, testis est epistola

ipsius ad D. Q. V. M. H. E. jamdudum directa, cujus exemplar vobis misimus, ut et quid actum sit sciretis, et quam nihil sibi profuerit, et ut causam doli, si tamen dolus est, investigetis. Certe clarissimam dominam et matrem regnorum vos hactenus fuisse manifestum est, nostris periculis, si qua ingruerint, credimus velle succurrere, nedum filiæ quondam dilectæ, sive potestas erepta est sive non est, filiæ non subvenire, in mœstitia est. Hortamur tamen vos explorare apud Carolum, per valentes legatos, utrum velit eam vobis reddere, aut creditam commendare. Videtur quippe ideo illam sic obstinato animo retinere, ne videatur sine causa cepisse.

EPISTOLA CXXIX.

V. V. D. A. H. G. I. D. V. I. D.

Quamvis vos in propriis causis noverim satis occupari, tamen commune periculum magis sollicitos reddere debet. Scitis quas conventiones cum Odone et Heriberto comitibus habuerimus, et cur obsides donaverimus. Instant, et promissam amicitiam requirunt. Itaque nuntiis eorum respondere debeo de mea ac vestra voluntate III Non. Sept. Mores, studia, dolos, fraudes eorum inter quos habito, scitis. Redite ergo usque ad Bublionem, uti vobiscum loqui possim de his quæ mandare non possum. Sunt enim res grandes, et ad vos multum pertinentes, et quia civitatem sine forti periculo dimittere non possum, si placet, manus comitis [Manac. Comes] veniet vobis obviam, quæ vos omni securitate ad nos usque perducat. Valete, et quæ vobis cordi, velocius remandate.

EPISTOLA CXXX.

RAINAUDO MONACHO.

Non existimes, dulcissime frater, vitio meo fieri quod tandiu fratrum meorum præsentia careo. Postquam a te digressus sum, crebris itineribus causam patris mei Columbani pro viribus exsecutus sum. Regnorum ambitio, dira et miseranda tempora fas verterunt in nefas; nulli jure rependitur sua fides. Ego tamen, cum sciam omnia ex Domini pendere sententia, quæ simul corda et regna filiorum hominum permutat, exitum rerum patienter exspecto. Idem quoque facere te et moneo et hortor. Unum autem interim plurimum exposco, quod et sine periculo ac detrimento tui fiat, et me tibi quam maxime in amicitia constringat. Nosti quanto studio librorum exemplaria undique conquiram, nosti quot scriptores in urbibus aut in agris Italiæ passim habeantur. Age ergo, et te solo conscio ex tuis sumptibus fac ut mihi scribantur M. Manilius de astrologia, Victorinus de rhetorica, Demosthenes ophtalmicus. Spondeo tibi, frater, et certum teneo, quia obsequium hoc fidele et hanc laudabilem obedientiam sub sancto silentio habeo, et quidquid erogaveris cumulatum remittam, secundum tua scripta, et quo tempore jusseris. Tantum significa cui et tua munera et nostra porrigamus scripta, frequentiusque nos tuis litteris lætifica. Nec sit metus ad quorumlibet notitiam pervenire, quæ sub nostra deposueris fide.

EPISTOLA CXXXI.

Quod benevolentia vestra secundum dignitatem vestri nominis assidue perfruimur, plurimum congaudemus, cum nostri utilitate, tum vestri honoris provectione. Lætamur nunc præsentia nepotis Adalberonis Verdunensium episcopi, qui vos, habita ratione loci et temporis, cum copiis adfore pollicitus est. Itaque ei non dissimilem, quantum ad affectionem animi spectat, magnitudinem vestram urbi Remorum exhibebitis XII Kal. Octob. Quod et monachum latorem epistolæ celabitis, et rem tuto silentio tegetis, uti occultus ac improvisus ad nos possit esse vester adventus.

EPISTOLA CXXXII.

Quantum consilii quantumque rationis provida in mente versetis, cum aliis innotuerit, tum exitus viarum Caroli manifestius prodiderunt. Sed si eum a provincia vestra velut hostem propulsare nisi estis, amicorum vestrorum, Hemmæ reginæ, et episcopi Adalberonis meminisse debu'stis, et si velit amicum in regnum sublimare, nihilominus eorum oblivisci non oportuit, simulque apud infidos maleficia beneficiis non superari. Significate ergo si quid harum rerum in melius per vos commutari possit, et cur indictum colloquium pro pace inter reges neglectum sit, et si saltem futura quies inter eos constat. Interea si quidquam benevolentia promeruimus, multum petimus, multumque oramus, ne militi nostro We. pro Ber. præjudicium fiat. Est quippe eis commune prædium in lite cum Ecclesia, vultque B. sibi cedi in partem ex novi operis capella, quod non possit jure haberi nisi ex æquo facta divisione. Bene valete, ac nostrum codicem, si placet, per fidum nuntium resignate.

EPISTOLA CXXXIII.

Z. R. B. I.

Anxie quidem jamdudum vestra præsentia frustramur, multa vestris consiliis disponenda reservamus. Nostis quam paucorum fidei reipub. negotia sunt committenda. Itaque optamus, monemus, oramus omni affectu charitatis adfore vos Remis X Kal. Octob. cum pro summis rationibus, quas vobis tantum credere fas est, tum etiam pro habenda ordinatione O. Silvanectensis episcopi designati.

EPISTOLA CXXXIV.

AD REMIGIUM MONACHUM TREVIRENSEM.

Bene quidem intellexistis de numero D. quomodo se ipsum metiatur. Semel namque unus, unus est, sed non idcirco omnis numerus seipsum metitur, ut scripsisti, qui sibi æquus est. Nam cum semel IV sint IV, non ideo IV metiuntur IV, sed potius duo : bis enim bini IV sunt. Porro I littera quam sub figura X adnotatam reperisti, X significat unitates, quæ in sex et IV distributæ sequialteram efficiunt proportionem. Idem quoque in VI et duobus perspici licet, ubi unitas est differentia. Sphæram tibi nullam misimus, nec ad præsens ullam habemus, nec est res

parvi laboris tam occupatis in civilibus causis. Si ergo te cura tantarum detinet rerum, volumen Achilleidos Statii diligenter compositum nobis dirige, ut sphæram, quam gratis propter difficultatem sui non poteritis habere, tuo munere valeas extorquere.

EPISTOLA CXXXV.

AD ARCHIEPISCOPUM.

Sicut audita peregrinatio vestra mœrorem nobis intulit, ita permutatus rumor dilati itineris quasi fructum lætitiæ importavit. Anxiabamur quippe cum vestri absentia, tum quod tantæ personæ meritis non respondebant honores. Elaboramus ergo, et quod brevitas temporis non habuit spatio temporis attribuimus; ac munera juxta vires paramus. Vires dicimus, quia nostis inter quos habitemus, quanta perfidia quorumdam exagitemur, quia etiam obsidio Laudunensis urbis præterita pace sequestra intermissa est, x Kal. Novemb. repetenda. Quamobrem sicut monuimus, monemus, et pro solatio militum si indiguerimus, et pro auxilio capti confratris nostri A. utque B. et G. vestra exhortatione digniores se repræsentent germanos, in tanto discrimine rerum.

EPISTOLA CXXXVI.

Ne graviter et iniquo animo feras justissimam correctionem Domini, dulcissime frater. Divinitas quippe non dignatur impios suo flagello, æternis cruciatibus reservans puniendos. Disce constantiam servare in adversis. Et si Job et nostri ordinis antiquos sacerdotes non vales imitari, saltem nostri temporis laicum hominem, tibique affinem, exemplar habeto, comitem Godefridum. Nos quidem tuæ salutis immemores non erimus, nec quidquam eorum quæ pro te fieri oporteat intentatum relinquemus. Noverit ergo I. V. Q. omnia quæ circa te sunt, ut legatum nostrum Parisius in festo beati Dionysii certissimum in omnibus reddere possit, ut si obsidio futura est, et non est, alia atque alia refringantur consilia. Vale feliciter, et hoc unum attende, ne te præcipitem dederis, ut satius fuerit alio modo periisse, quam per interitum tibi tuisque posteris æternum opprobrium reliquisse. Iterum vale, et a I. V. I. Q. Z. II. Z. A. plurimum cave, ut a perfido et impostore.

EPISTOLA CXXXVII.

Absentia militum nostrorum res quam petistis plenum non habuit effectum; est tamen in voto, et in eorum reditu quod poterimus exsequemur. Sed si perpetuam pacem rusticis Asineti optatis veniam com. Cen. et ut ad nos usque quam proxime, ut et in merita comparentur consilia, et vestra militaris manus digna nobis conferat solatia, juxta quod per eum significabimus. Hæc tutis auribus committimus propter hostium multiplices insidias.

EPISTOLA CXXXVIII.

Gratulamur meliori habitudine corporis instaurata in vobis, simulque quod nostram scire voluistis. Nos quidem Domino propitio et bene valemus, et optima quæque votis optamus, nec cœptam amicitiam scienter violare molimur, nec acceptam a nostris injuriam propulsare, sed a Kal. Janu. usque ad initium Quadragesimæ, in confinio nostræ Franciæ, Burgundiæ ac Lothariensis regni occurrere vobis parati sumus, sicut designabitis diem certum, et locum suo nomine descriptum : ut pax et concordia regnorum, et Ecclesiarum Domini, nostro vitio non destituatur.

EPISTOLA CXXXIX.

Erudito homini, atque puram fidem, quæ hodie paucorum est, constanter tenenti, duo verba Christi, et nostrum consilium aperiemus, et propositæ quæstioni satisfaciemus. Dicimus autem : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;* et : *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* His animadversis, legitime injuncta ab episcopo honeste prosequimini. Contra fas porro a quolibet prolata devitabitis. Non inhoneste utantur suo tempore filii tenebrarum, filii Belial : nos filii lucis, filii pacis, qui spem in homine velut fenum arescente, non ponimus. Cum patientia exspectemus illud Prophetæ : *Vidi impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani; transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.*

EPISTOLA CXL.

Beneficiis liberatoris nostri grates persolvere dignas non sufficimus : etiam membra nostra, quæ infernus absorbuisse in vobis visus est, ab ejus faucibus erepta, victore Christo, lætamur. Verum quod hujus temporis est monemus, uti nostro colloquio perdiscatis quæ appetenda, quæ vitanda vobis sint, priusquam nostri regni principum conventibus misceamini. Simul etiam aut litteris aut fido nuntio significate, utrum tuta videatur vobis ad præsens profectio A. II. atque Ra. ad comitem Ottonem, et quo conveniant.

EPISTOLA CXLI.

Diutius consultando nihil tutius in commune repertum est, quam a colloquio vestri senioris ad præsens abstinere, si fieri potest honeste. Si autem non potestis majorum causarum summas attingere, nihil nisi evidenter utile definire bonum est. Porro omnium bonorum fide Ra. feria V vestrum legatum Silvanectis præstolabitur, vel Carnotim profecturus si laudabitis, et Compendiacum reversurus si sic annuetis.

EPISTOLA CXLII.

ADALBERO EPISCOPUS R. ET SCHOLARIS ABBAS, AD CONSTANTINUM SUUM.

Congratulamur tibi, dulcissime frater, pervasore atque hoste monasticæ religionis, ad multorum salutem humanis rebus exempto. Insta ergo, et si jam Patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus eum et nos præsentem tua opera proxime in festo beati Remigii, ut affectus noster a Floriacensibus te faciente paululum abalienatus, te faciente sit plurimum reconciliatus. Quod si hæc omnia fieri minus possint, liceat nobis et tua tantum perfrui præsentia, si quid unquam præstitimus quod

placuerit, et si dignaris præstare quod placere possit.

EPISTOLA CXLIII.

Si eam, quam in maximis rebus benevolentiam sine affectu contulistis, nunc in minimis causis præstatis, non parvam laudem nec minimum fructum sperare debetis. Laborastis quippe ut liberaremur ab hoste, sed contempti estis modo, quia liberavit nos Dominus de ore leonis. Solitam operam impendite, ut imperio senioris ac dominæ vestræ ille violentus prædo saltem supellectilem nostram reddere cogatur. Non aurum quærimus, nec massas argenti, sed quibus carere dedecus est. Dicimus autem aulæa, tapetia, et iis similia, simulque petimus nostram fidem non ex ejus fide perpendi qui nihil unquam spopondit quod ratum fore decreverit.

EPISTOLA CXLIV.

Sicut epistola regii nominis, quam vobis misimus, continet, monemus, rogamus, obsecramus, ut exsequi curetis, cum pro vestra benevolentia circa nos, tum propter pacem Ecclesiæ Domini pace principum proventuram, nisi forte desiderabili præsentia vestra frustramur, apud fidos infidi ac suspecti habemur.

EPISTOLA CXLV.

PARISIENSI EPISCOPO GERBERTUS.

Etsi omnis Ecclesia catholica una atque eadem est, singulis tamen sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quo se extendere, ubi terminos debeant collocare. Itaque in causa Rotberti abbatis, ob eam quam servamus ac semper vobis servare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus. Primum, non esse nostri juris falcem in aliena messe ponere: in quo multiplices rependimus grates etiam indebito dignari nos honore. Secundum, sancti Dionysii cœnobium ejus esse reverentiæ ac dignitatis, ut nullius ibi magistratus debeat deponi aut imponi sine comprovincialium, quorum interest, consensu ac favore solemni. Tertium proponimus, si rem in dilatione ponitis, vestræ mansuetudini suggerendum, quidquid honestius et utilius cum religiosissimis et amplissimis viris inveniemus.

EPISTOLA CXLVI.

Decimo Kal. Januar. a rege acceptam epistolam fraternitati vestræ direximus per R. æquivocum patri, in qua vester ac fratris mei adventus in urbe Remorum expetebatur, v Kal. Januar. regiis legatis obviam occursuri, qui ex condicto quidem venerunt, sed vos non invenerunt. Porro exemplar prioris epistolæ nostræ nunc mittimus, postulantes datum iri subitum responsum voluntatis propriæ simul et actionis.

EPISTOLA CXLVII.

EMMA QUONDAM REGINA FRANCORUM.

Acerba sunt hæc tempora, sacerdos Domini, quibus sanctissima fides usquequaque rarescit. Sed mementote illius quam semper promisistis, quamque a vobis conservandam credere malim. Moveat vos mea captivitas, prædonum manus. Apud scientem loquor, ego illa Emma quondam Francorum regina, quæ tot millibus imperavi, nunc nec vernaculos comites habeo, quibus saltim stipata conventus adeam tanti ducis Henrici, nec desiderabili præsentia vestra frui licet causa captandæ salutis atque consilii. Adsitis ergo nostræ causæ differendæ, non determinandæ usque ad mutua verba. De castro Q. G. R. dicimus, nec patiamini fratrem vestrum dici proditorem, quem hactenus probavimus in fide non ficta permanentem. Interea, quoniam rerum nostrarum, ut scitis, procurator nec rediit, nec quid ei obvenerit audivimus, ne vacua manu redeatis. Diu exspectatam pecuniam in loculis vestris referte, mercedem ac gratiam ob merita beneficia relaturi cum ex hoc, tum ex aliis sæpenumero collatis.

EPISTOLA CXLVIII.

AD REMIGIUM MONACHUM TREVIRENSEM.

GERBERTUS scholaris abbas REMIGIO monacho Trevirensi.

Prægravat affectus tuus, amantissime frater, opus Achilleidos, quod bene quidem incœpisti, sed defecisti dum exemplar defecit. Itaque et nos beneficii non immemores, difficillimi operis incœpimus sphæram, quæ et torno jam sit expolita, et artificiose equino corio obvoluta. Sed si nimia cura fatigaris habendi simplici fuco interstinctam, circa Martias Kal. eam exspecta, nisi forte cum horizonte ac diversorum colorum pulchritudine insignitam præstoleris, annuum perhorrescas laborem. Cæterum de dato et accepto inter nostros clientes sic jure constitit, ut nihil redderet qui nihil deberet.

EPISTOLA CXLIX.

Satis quidem moleste absentiam vestram ferimus, sed majori cura premimur ob ignorantiam earum rerum quæ circa vos geruntur. Nam cujus affectuum sumus participes, ejus certe progressus et exitus viarum ignorare minime debemus. Festinate ergo et litteris planum facere quid communium negotiorum ac privatorum postmodum egeritis, agatis, mox agere disponatis, simulque significate quid nos facere velitis. In electione episcopi II Iduum Februar. habenda, qua die et potius pridie vestra præstolabimur responsa, et quid Ansebo apud comites egerit, et cur ejus nuntium adhuc minime viderimus, et utrum regem ac comites prius convenire debeamus, et si iter ad injunctum colloquium Calæ differre debeamus, et si eo venietis, et cujus favore hæc et his similia, plenissimam fidem ad vos habentibus plena fide deponite.

EPISTOLA CL.

Gratuitæ benevolentiæ vestræ nullis respondemus meritis. Quid enim contulimus aliquando dignum legatione Roderici? Hoc solum superest ut intelligamus quomodo dictum sit, ne cujuspiam regis vel episcopi commoda vestris ac senioris vestri commodis anteferamus. Non satis quippe patet utrum, relictis omnibus quæ possidemus, jubeatis sequi vos ac vestra: an quodam genere loquendi spe consolatoria tantum nos relevare velitis ab impetu sævien-

tis fortunæ. Rex Hugo ac vicini episcopi, et qui sedem Remorum ambiunt, plurima offerunt. Sed nulla a nobis adhuc recepta sunt, nec sine vestro consultu quidquam agere molimur. Ea gratia regem adire distulimus, ne forte ab eo rapti vestra imperia refugisse videremur, ob dulcissimum affectum chari patris mei Adalberonis omnibus mortalibus anteponenda, quæ in vobis quodammodo intueri desiderabile est. Cætera, quæ in nobis mentis essent, et quæ fieri circa vos vellemus, Roderico diligenter exsequenda commisimus.

EPISTOLA CLI

GERBERTUS SALUTEM SIBI SCRIBENTI SUB NOMINE REVERENDI PATRIS ADALBERONIS VERDUNENSIS EPISCOPI.

Si de meo statu quæris, bona sententia quicunque familiaritatem prætendis, liceat respondere, tua pace me positum in adversis, virum fortem sequi, non consequi. Cæterum reipub. causas non significo, quoniam quid scribam nescio. Specialia tamen fratris morbo calculi laborantis plenius exsequerer, si inventa a prioribus intueri liceret. Nunc particula antidoti philoanthropos ac ejus scriptura contentus, tuo vitio imputa si quod paratum est ad salutem, non servando diætam, verteris in perniciem. Nec me auctore quæ medicorum sunt tractare velis, præsertim cum scientiam eorum tantum affectaverim, officium semper fugerim.

EPISTOLA CLII.

AD REMIGIUM.

REMIGIO fratri GERBERTUS.

Id momentum ac ea vis erat domini mei et patris mei Adalberonis in causis pendentibus ex æterno, ut eo in rerum principia resoluto in primordiale chaos putaretur mundus relabi. In tanta igitur perturbatione, et, ut ita dicam, confusione, mortalium officiorum immemor, quid optares, quid peteres, incautius perspexisti. Num in ejus modi discrimine, republica derelicta, demigrandum fuit ad philosophorum commenta, interdum non necessaria? Taceo de me, cui nullæ mortes intendebantur : et quod pater Adalbero me successorem sibi designaverat, cum totius cleri, et omnium episcoporum, ac quorumdam militum favore, et quod omnium rerum, quæ displicerent, me auctorem fuisse contenderent. Nam amici, qui familiaritate beati patris Adalberonis mecum usi fuerunt, mecumque laborabant, ob tornatile lignum deserendi erant. Patere ergo patienter moras necessitate impositas, ac meliora tempora exspecta, quibus valeant resuscitari studia jampridem in nobis emortua.

EPISTOLA CLIII.

OTTONIS IMPERATORIS AD GERBERTUM.

G. Philosophorum peritissimo, atque tribus philosophiæ partibus laureato, OTTO quod sibi (30).

Amantissimæ vestræ dilectionis omnibus venerandam nobis adjungi volumus excellentiam, et tanti patroni sempiternam nobiscum stabilitatem adoptamus, quia vestræ doctrinæ disciplinata proceritas nostræ simplicitati semper fuit haud fastidiens auctoritas. Attamen ut, omni ambage dimota, ad vos nudæ veritatis fruamur loquela, judicavimus, et firmum disposuimus, ut vobis manifestet hoc nostræ voluntatis epistola, quod in hac re summa nostræ adoptionis et singularitas est petitionis, quatenus nobis indoctis et male disciplinatis, vestra solers providentia in scriptis, nec non et dictis, non præter solitum adhibeat studium correctionis, et in republ. consilium summæ fidelitatis [*al.*, felicitatis]. Hujus ergo nostræ voluntatis in non neganda insinuatione, volumus vos Saxonicam rusticitatem abhorrere, sed Græciscam nostram subtilitatem ad id studii magis vos provocare : quoniam si est qui suscitet illam, apud nos invenietur Græcorum industriæ aliqua scintilla. Cujus rei gratia, huic nostro igniculo vestræ scientiæ flamma abundanter apposita, humili prece deposcimus, ut Græcorum vivax ingenium Deo adjutore suscitetis, et nos arithmeticæ librum edoceatis, ut plenter ejus instructi documentis aliquid priorum intelligamus subtilitatis. Quid autem de hac re vobis agendum placeat, quidve displiceat, vestra paternitas litteris nobis nuntiare non differat. Valete. Versus nunquam composui, nec in studio habui ; dum in usu habuero, et in eis viguero [*al.*, floruero], quot habet viros Gallia, tot vobis mittam carmina.

(30) *Al.*, Imperator Otto Gerberto magistro suo.

EPISTOLA CLIV.

GERBERTUS OTTONI CÆSARI.

Domino et glorioso OTTONI Cæsari semper Augusto GERBERTUS, gratia Dei Remorum episcopus, quidquid tanto imperatore dignum.

Supereminenti benevolentiæ vestræ, qua in sempiternum digni vestro judicamur obsequio, fortasse votis, sed respondere non valemus meritis. Si quo enim tenui scientiæ igniculo accendimur, totum hoc gloria vestra peperit, patris virtus aluit, avi magnificentia comparavit. Quid ergo? Thesauris vestris non inferimus proprios, sed resignamus acceptos, quos partim assecutos, partim vos quamproxime assecuturos indicio est, honesta et utilitas ac vestris majestate digna petitio. Nisi enim firmum teneretis ac fixum, vim numerorum vel in se omnium rerum continere primordia, vel ex sese profundere, non eorum plenam perfectamque notitiam tanto festinaretis studio : et nisi moralis philosophiæ gravitatem amplecteremini, non ita verbis vestris custos omnium virtutum impressa esset humilitas. Non tamen animi sibi bene conscii tacita est subtilitas, cum ejus, ut ita dicam, oratoriam facultatem et a se et a Græcorum fonte profluentem oratorie docuistis. Ubi nescio quid divinum exprimitur, cum homo genere Græcus, imperio Romanus, quasi hæreditario jure thesauros sibi Græcæ ac Romanæ repetit sapientiæ. Paremus ergo, Cæsar, imperialibus edictis, tum in hoc, tum in omnibus quæcunque divina majestas vestra decreverit. Non enim decesse possumus obse-

q io, qui nihil inter humanas res dulcius aspicimus vestro imperio.

EPISTOLA CLV.

OTTONIS AD GERBERTUM.

Otto Augustus imperator reverentissimo papæ Gerberto (31).

Quia divinitate propitia non solum sanguinis linea, verum etiam inter cunctos mortales quadam sui generis eminentia connectimur affectu, qualitate circa Domini cultum non dispares esse debemus. Ideoque nostro animo vestrum metuentes ingenium, hunc abbatem Petrum vestro commendamus apostolatui, ut quæ honesta et utilia circa suum monasterium fore agenda, et a se et a nostro legato cognoveritis, cum omni diligentia exsequi studeatis : ut dum martyrum memorias in commune honoramus, eorum beneficia in commune sentiamus. Valete.

EPISTOLA CLVI.

OTTONIS IMPERATORIS AD R. COMITEM.

Otto gratia Domini imperator Augustus R. comiti salutem.

Diversa regni negotia interdum cogunt nos incidere diversa imperia. Hinc est, quod abbatiam sancti Vincentii Capuæ sitam ob quarumdam rerum necessitudines nuper Joanni monacho donavimus, Rothfrido abbate nec adjudicato, nec deposito. Proinde respectu misericordiæ eidem abbati Rothfrido concedimus cellam sanctæ Mariæ, cum omnibus ad se pertinentibus, in Marsi comitatu, in eo loco qui dicitur Apininici, cum reliquis rebus sancti Vincentii in eodem comitatu positis. Cellam quoque sanctæ Mariæ in partibus Beneventi, ubi dicitur Sanus locus, cum omnibus sancti Vincentii rebus in terra Beneventana sitis. Unde tibi et Beneventano principi præcipimus, ut, sicut res vobis vicinæ sunt, ita ob nostram fidelitatem Rothfridum abbatem ejus res tenere juvetis sine ulla contradictione.

EPISTOLA CLVII.

OTTONIS AD ADELAIDEM AUGUSTAM.

Dominæ Adelaidi imp. semper Augustæ Otto gratia Domini imperator Augustus.

Quia secundum vota et desideria vestra divinitas nobis jura imperii contulit felici successu, divinitatem quidem adoramus, vobis vero grates rependimus. Scimus enim et intelligimus maternum affectum, et studia pietatis, quibus rebus obsequio vestro deesse non possumus. Proinde quia, dum promovemur, vester honor attollitur, rempubl. per vos promoveri, ac promotam feliciter in suo statu regi multum oramus et optamus. Valete.

EPISTOLA CLVIII.

OTTONIS AD GERBERTUM.

Reverentissimo papæ Gerberto Otto gratia Dei imperator Augustus.

Quia temporis difficultate astrictus vestris votis satisfacere nequeo, vehementi mœrore afficior. Moveor enim pietatis affectu circa vos, sed naturæ necessitas suo jure omnia constringens, qualitates Italici aeris qualitatibus mei corporis quadam sui generis contrarietate opponit. Mutamur ergo solum corpore, vobiscum mansuri mente, vestroque solatio atque subsidio primores Italiæ relinquimus. Hugonem Tuscum vobis per omnia fidum, S. comitem Spoletinis et Camerinis præfectum, cui octo comitatus, qui sub lite sunt, vestrum ob amorem contulimus, nostrumque legatum eis ad præsens præfecimus, ut populi rectorem habeant, et vobis ejus opera debita servitia adhibeant.

EPISTOLA CLIX.

GERBERTI AD ADELAIDEM AUGUSTAM.

Dominæ et gloriosæ Adelaidi reginæ semper Augustæ Gerbertus gratia Domini Remorum episcopus, et omnibus suis confratribus et coepiscopis Remorum diœceseos, bene valere in Christo.

Epistola vestri nominis læta principia pertulit, monita salubria habuit, sed tristi fine conclusa est. Suavem quippe animi vestri affectum circa me ostendit, ad propriam sedem reditum maturare admonuit. Sed quid sibi voluit tam acerba conclusio? Ita enim se habet : Cognoscite quia si modo hujusce monita parvi penderitis, utemur nostrorum et rebus et consiliis absque crimine vestri. Me urbi Remorum præsidente, quando non licuit, licet, vel licebit vestris uti consiliis, et rebus mihi commissis? An melius licuit Arnulfo eam obtinente? Sed ille eam vobis dolo et fraude abstulit, ego contra multorum dolos et fraudes vobis eam multis vigiliis multoque labore conservavi. Mirum nimis est vestrorum hostium vos non sentire insidias. Qui enim Arnulfum ad vestri regni confusionem suæ sedi restituere quærunt, non sibi hoc tutum fore putant, nisi me prius qualibet occasione perdant. Quod multum verisimile esse duplici capimus argumento, quia me Remis nuper posito eum absolvere decrevistis : et quia Leo Romanus abbas ut absolvatur obtinuit, ob confirmandum senioris mei regis Roberti novum conjugium, ut mihi a Remensibus per litteras significatum est. Accedit ad hoc discrimen fides a præsentibus corte Calmiciaca a Gibuino Gibuini nepote pervasa. Infinitus, credo, erat villarum numerus, nec ad possidendum sufficere poterant Remenses, nisi ad colonias obtinendas invitarentur Catalaunenses. Quid ergo? si Arnulfus absolvendus est, vel si Guibinus, vel alius quilibet in sede mea intronizandus est, reditum meum sine capitis mei periculo intelligere non est. Quod ita esse, sed vos minus animadvertere, dubitare non debeo. Novi enim studia vestra omnibus mortalibus prædicanda, novi animi vestri dulcissimos affectus circa me. Quibus si respondere nequeo meritis, respondebo votis. Quocirca ut mea vobis minus ingeram, deque me omnino taceam, quem divina gratia a periculorum immensitate liberat, et in quantum ad me solum attinet, in omni felicitate disponit et conservat, per terribile nomen omnipotentis Dei oro et deprecor, ut Remensi Ecclesiæ desolatæ et attritæ, si quolibet modo valetis,

(31) *Al.*, reverentissimo papæ Gerberto Otto Dei gratia imp. Augustus.

subveniatis. Quæ quoniam regni Francorum caput est, si deperierit, ut membra sequantur necesse est. At quomodo non deperit, quæ sub nomine duorum quasi inter malleum et incudem, disposita, dum eorum neutrum rectorem approbat, velut inter undas maris sine remige fluctuat? Quid porro fieri putatis, si tertius sine judicio Ecclesiæ ad numerum accesserit? Neque vero hæc loquor, tanquam augur aut divinus. Memini etiam meos conspirasse non solum milites, sed et clericos, ut nemo mecum comederet, nemo sacris interesset. Taceo de vilitate et contemptu, nihil dico de gravissimis injuriis sæpe mihi a pluribus illatis. Ad hæc ut redeam provocatis, et ut graviora patiar, minas superaddit epistola. Quid est? o divina majestas! adeone me infatuatum, vel a te abalienatum putant, ut vel gladios imminentes non videam, vel Ecclesiam tuam schismate confundam? Ego vero improborum versutias acute conspicio, et contra omnia schismata unitatem Ecclesiæ, si sic decretum est, morte mea defendo. Peto ergo, o domina mea semper Augusta, item a fratribus meis coepiscopis, qui pro causa traditoris Arnulphi, sive juste sive injuste sub anathemate positi sunt, ut me judicium Ecclesiæ exspectantem patienter ferant. Neque enim Ecclesiam, quam episcoporum judicio regendam accepi, sine A episcoporum judicio relinquere volo. Nec rursus contra episcoporum judicium, ubi major auctoritas adsit, eam quasi per vim retinere dispono. Quæ judicia dum exspecto, exsilium, quod a multis felix putatur, non sine multo dolore tolero.

EPISTOLA CLX.

Occurrit mihi senioris mei regis Rotberti clara facies, lætus aspectus, visitata colloquia, sermones vestri sapientia et gravitate pleni, tum principum et episcoporum grata affabilitas, quæ mihi dum eripitur, ipsa quodammodo vita onerosa est. Sola mihi solatio est clari Cæsaris Othonis pietas, benivolentia, liberalitas, qui tanto amore vos vestraque diligit, ut dies noctesque mecum sermonem conferat, ubi et quando vos familiariter videre possit: coævum sibi et studiis consimilem seniorem meum B regem Rotbertum alloqui et complexari. Si ergo Romanum iter, quod causa plurimum synodi me detinet, hoc tempore dilatum fuerit, circa Novembr. Kal. me exspectabitis, et harum rerum interpretem fidissimum, et per omnia vobis obedientem.

EPISTOLA CLXI.

AD CONSTANTINUM SCHOLASTICUM.

Vis amicitiæ pene impossibilia redigit ad possibilia, etc. *Exstat supra, libello De numerorum divisione præfixa.*

EPISTOLÆ ALIÆ GERBERTI

Curante Andrea Duchesnio primum ex ms. exemplari Jacobi Sirmondi Societatis Jesu in lucem editæ.

(*Hist. Franc. Script.* tom. II, pag. 828.)

EPISTOLA CLXII.

ELECTIO ARNULFI REMORUM ARCHIEPISCOPI A GERBERTO EDITA.

Sanctæ ac universali Ecclesiæ catholicæ salutem dicunt filii Remorum metropolis.

Divæ memoriæ patre nostro A. sensus corporeos relinquente, clarum lumen pastoris amisimus, præda hostium facti sumus. Itaque dum molimur, conamur tanti viri resarcire ruinas. Elapsa sunt canonica tempora, violatæ sunt leges, quibus cavetur nullam sedem amplius triginta dierum spatio vacare licere. Nunc que tandem pulsantibus divina lux se apparuit, et quo sequeremur ostendit, depulso antichristo, Simoniaca hæresi damnata. Nos, inquam, qui dicimur episcopi diœceseos Remorum metropolis, cum omni clero, diversi ordinis populo acclamante, orthodoxis regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in præsulem virum pietate præstantem, fide insignem, constantia mirabilem, in consiliis providum, rebus gerendis aptum. In quo hæ virtutes, quæ sic clare relucent, indicio sunt cæteras abesse non posse. Arnulphum dicimus regis Lotharii filium. Quem etsi altus sanguis vitio temporis sub anathemate positus aliquo infecit contagio; sed tamen hunc mater Ecclesia purificans C mysticis abluit sacramentis: hunc, inquam, dicimus Laudunensis Ecclesiæ filium, et, ut verius fateamur, Remensis. Ea quippe civitas Remense territorium, Remensis parochia est: nec sic a beato Remigio divisa, ut fieret aliena. Nimirum ille vir Deo plenus, unitatem appetens, non scissionem affectans, sic scidit ut cohæreret velut pars in toto. Et quis et quantus futurus esset intelligens, natale solum beavit sacerdotii dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulphum hinc ortum, hic educatum, Simoniacæ hæreticis expertem, a factione tyrannica remotum, sua cuique debita jura reddentem, sanctuarium Dei non dissipantem. Sint procul ab electione nostra dolus et..... nec putent eam ad se pertinere filii Belial, filii pacis et concordiæ stabilem et solidam in perpetuum faciant confirmando, D corroborando, subscribendo.

EPISTOLA CLXIII.

EX PERSONA ARNULPHI REMENSIS EPISCOPI.

Etsi adhuc neque in republica, neque in privata, nulla merita nobis sint, his tamen animus minime deest, specialiusque quodammodo inardescimus ad comparandos ac retinendos vestros affectus. Ob id itaque Gerardum antiquum militem vestrum vim inferentem, ac beneficium nostri fidelis Guenirici

pervadentem patientia ferimus, utque eum quiescere jubeatis oramus. Et si forte dissimulaverit, utrumque monitorem experiatur sui justissimum hostem.

EPISTOLA CLXIV.

E. EPISCOPO TREVERENSI EX PERSONA EJUSDEM.

Sciens benevolentiam, vel potius pietatem vestram, qua semper usi estis circa beatæ recordationis prædecessorem meum, feliciorem me judico, si eam sic accipio uti acceptam terminus nesciat. Itaque ex abundanti charitate a vobis facto principio congaudemus, ac mutua dilectione frui indissolubiliter optamus. Et quia tumultus dissidentium regnorum, ac novitas nostræ ordinationis decernere ac perficere, qui animose impediunt actuum nostrorum moderamina, consolidatæ prudentiæ vestræ delegamus : simul quoque oramus si fieri potest definite præscribi, ubi et quando post reditum vestrum a palatio convenire possimus, simusque ad præsens certi, si quid rerum novarum didiceritis, post plenius instruendi quod planius pernoscetis. Magnum argumentum est in sanctissima amicitia, ac firma societate nos in æternum mansuros, cum eisdem utamur auctoribus quibus apud prædecessorem meum in otio et negotio semper usi estis interpretibus.

EPISTOLA CLXV.

Plurimum intelligo vos intelligere motus animi mei, eoque amplius vos accurate diligo, et amplector. Recordor quippe honestissimæ admonitionis, qua me satis diu a communione quorumdam principum suspendistis, quid velletis significastis. Oro ergo per venerabile nomen patris mei, et per inviolatam fidem, qua se suosque semper colui, ne cogar eorum hominum oblivisci quos ob ejus amorem meis commodis neglectis præcipue semper dilexi. Dominæ meæ Theophanæ servata fides circa se suumque filium, ne sinat me fore gloriam suorum hostium, quos propter se, si quando valui, abduxi in opprobrium et contemptum. Iterum in commune oro, et obsecro ne ejus vobis displiceat servitus, cui vestrum imperium, honor, potestas, hactenus placuerunt. Facite vestra liberalitate ne absentia honestatis, fuga optimarum artium, efficiar sectator Catilinæ, qui in otio et negotio præceptorum Marci Tullii diligens fui exsecutor.

EPISTOLA CLXVI.

Non alienum est a vestra humanitate, et a sacrosancto sacerdotio, quærentibus consilium consilium dare. Nulli mortalium aliquando jusjurandum præbui, nisi D. M. Othoni. Id ad dominam meam Th. ac filium ejus Oth. Aug. permanasse ratus sum; quippe cum in tribus unum quidem quodammodo intellexerim. Quousque ergo hanc fidem servandam censetis? Dico equidem quod spoliatus amplissimis rebus imperiali dono collatis, apostolica benedictione confirmatis, nec una saltem villula ob fidem retentati vel retinendam donatus sum. Dico quod inter gravissimos hostes vestros positus, nullis eorum beneficiis quamvis ingentibus oblatis inflexus sum. Quousque ergo id genus amicitiæ exercebo? Consulite, ac solatium imploranti præbete, etsi non ob mea merita, sed tamen et propter vestra erga omnes semper laudata beneficia.

EPISTOLA CLXVII.

Conceptam lætitiam Romani itineris, quo vester comitatus ac dominæ Theophanæ semper Augustæ futurum alloquium ampliorem fecerat, senioris mei prohibitio conturbat. Vices ergo meas velut amicus amici obtinete. Et ut pallium a domino papa per vos consequamur, et gratiam dominæ nostræ per vos cœptam retineamus. Cujus obsequio, Deo annuente, in Pascha erimus, nec quisquam erit qui vos ab ejus ac filii sui fidelitate ac servitio prohibere possit.

EPISTOLA CLXVIII.

AD RAINARDUM MONACHUM BOBIENSEM.

Quidam Tetbaldus, ut ipse ferebat, monachus Bobiensis, præterita æstate, ad nos venit, per quem nostra scripta tibi direximus, quibus tuæ litteræ non satis respondent. Itaque et exemplar prioris epistolæ remittimus, et tuæ petitioni hoc modo consulimus. Si sub regula patris Benedicti ac spirituali abbate tibi militare delectat in alio monasterio, mea licentia utere, nec obsit tibi transitus causa religionis, et imperio abbatis tui factus. Cæterum in dando et accipiendo frena licentiæ relaxamus partim, partim restringimus : hoc modo servata discretione, ut quod jure et sine offensione divinarum legum dandum ac recipiendum est, des ac recipias. Nec putes ad meam licentiam pertinere, si quid tyranno aut impio sponte tribueris, vel ab eis acceperis.

EPISTOLA CLXIX.

AD REMIGIUM MONACHUM TREVIRENSEM.

Petitio tua, dulcissime frater, toties repetita, quibus jactemur fluctibus satis ostendit. Nescis, nescis quæ naufragia pertulerimus, postquam a te digressi sumus. Gravissimis quippe laboribus æstivis et continuis eos contraximus morbos quibus pestilens autumnus pene vitam extorsit. Accessit ad hæc violenta fortuna, cuncta quæ dederat repetens per eos prædones qui urbem Remorum depopulati sunt. Nunc amicorum captivitatem deflemus, et an sedes nobis sint permutandæ pervigili cura deliberamus. Eo in luctu, eoque in mœrore nostra patria est. Timor et tremor muros circumdant, inopia cives premit. Clerus utriusque ordinis propter futuram vastitatem ingemit. Ergo sit tui muneris manus levare ad Omnipotentem pro nobis. Et si Divinitas pœnam alleviaverit peccati erimus non immemores tui per omnia beneficii.

EPISTOLA CLXX.

GERBERTUS RAIMUNDO.

Nostro reverentissimo patri RAIMUNDO du. Filius.

Quo in portu agam navim gubernatore amisso, scire vos, dulcissime Pater, et quinam sit status in Francorum R. p. [republica]. Ego cum statuissem

non discedere a clientela et consilio patris mei beati Ad., repente sic eo privatus sum, ut me superesse expavescerem. Quippe cum esset nobis cor unum et anima una, nec hostes ejus eum putarent translatum, cum me superesse viderent, me ad invidiam Caroli nostram patriam tunc et nunc vexantis digito notabant, qui reges deponerem regesque ordinarem. Et qui R. p. permistus eram, cum R. p. periclitabar, velut in perditionem nostræ urbis pars prædæ maxima fui. Eaque res iter meum in Italiam penitus distulit, ubi et organa etiam servantur, et optima portio meæ supellectilis. Non enim potuimus obsistere præcipiti fortunæ, nec Divinitas declaravit adhuc quonam in portu me sistere velit. Igitur de me et de meis fortunis gavisuri, exspectant exitum instantis fortunæ. Dabo operam pro viribus, nec quidquam eorum quæ fieri oporteat intermittam, donec optatis perfruar sedibus, reddamque Deo vota mea in Sion. Vale, amantissime Pater, valeat frater Ariardus, valeat sanctissimum collegium tibi subjectum, meique sitis memores in contemplativis cum patre meo Adal.

EPISTOLA CLXXI.

VENERABILI ADHUC EPISCOPO A. GERBERTUS.

Itane socordiæ atque dubiis casibus credidisti, ut gladios cervici imminentes non videas, arietes ac vineas ilia tua pulsantes non sentias? Recordare, quæso, quid actum sit, o felix quondam et dulcis amice, sub imperio patris mei Adalberonis. Divi Aug. Lotharii germanus frater, hæres regni, regno expulsus est. Ejus æmuli, ut opinio multorum est, inter reges creati sunt. Quo jure legitimus hæres exhæredatus est, quo jure regno privatus est, et quo in paternam domum rediit? Quæ decreta Romanorum pontificum infantes baptizari vetuerunt? Qui sacri canones innocentes presbyteros ab altaribus removerunt? Agit Abraham cum Deo causam, utrum in Sodomis debeat perdere justum cum impio, et tu pastor non dubitas addicere pœnæ noxium simul et innoxium? Sed quid ego hæc minima, cum sciam accusationem tuam a sacerdotibus Dei descriptam, et plenam criminibus, gravidam scelcribus? Electi sunt judices, quorum judicio si defueris, de absentia nihil lucraberis. Et si adfueris, episcopus esse cessabis. Inventus est qui tuas vices sortiatur. Curre ergo dum aliquid otii superest, neque spem tuam ponas in Ligeri et Sequana, nihil profuturus. Ego quidem factionum, conspirationum, jurisconsulti ac consulentium conscius, ob fidele silentium hæc tibi causa veteris amicitiæ habui dicere, ut te lethargo alleviarem. Tuum sit plenius remedium quærere, qui etiam in comitialem morbum videris decidisse. Vale.

EPISTOLA CLXXII.

Immensæ benevolentiæ ac potius pietati vestræ circa nos immensas rependimus grates. Quanti nos habeatis compassione vestra profecto declarastis. Declaramus ergo et nos quid in futurum moliamur, non solum ex his quæ cum paucissimis pernoctamus, sed etiam ex anathemate in prædones Remensis urbis jam promulgato. Cujus exemplar vobis mittimus, ut ex eo pernoscatis cujus animi simus, simulque nos majora aggressuros, quæ suo tempori reservamus. Omnia enim tempus habent. Dicimus tacenda, tacemus dicenda. Agimus quod nolumus, quod volumus nequimus. Ita sunt omnia plena perturbationis, ac potius confusionis: nec se sic ingerunt expetenda, quemadmodum devitanda. Nam si oblata esset rationabilis facultas, jam dudum vestra colloquia expetissemus. Regium nomen, quod apud Francos pene emortuum est, magnis consiliis, magnis viribus resuscitassemus: sed propter impia tempora, propter perditissimorum iniqua commenta, clam agimus quod palam non possumus. Veniet, veniet, inquam, dies, et prope est, in qua uniuscujusque nostrum probentur et cogitata, et dicta et facta. Interim præscriptas vobis metas recognoscite, nec majora regni negotia velitis definire sine metropolitani conscientia, nec sententiam in his præcipitate quæ quo animo fiant ignoratis. Prudentiam roburque vestrum reservate, tunc fortissima pectora hostibus pro nobis exposituri, cum videritis victricia signa nobis ductoribus anteferri.

EPISTOLA CLXXIII.

Mare fluctuans ingressi naufragamur et ingemiscimus; nusquam tuta littora, nusquam portus occurrit. In vobis quietem quærimus. In vobis certe est, quod cum dederitis non desit, accipienti supersit. Petimus ergo omni affectu charitatis vos affore Remis II Kal. Aprilis, si jure amicitiæ quidquam promeruimus aut promereri posse putamus.

EPISTOLA CLXXIV.

AD ROMULFUM ABBATEM SENONENSEM.

Officia dantis et accipientis muneribus vestris exsecuti estis. Nihil enim nobis antiquius in humanis rebus clarissimorum hominum scientia, quæ utique multiplicibus librorum voluminibus explicatur. Agite ergo ut cœpistis, et fluenta M. Tullii sitienti præbete. M. Tullius mediis se ingerat curis, quibus post urbis nostræ perditionem sic implicamur, ut ante oculos hominum felices, nostro judicio habeamur infelices. Quæ mundi sunt quærimus, invenimus, perficimus, et ut ita dicam principes sceleris facti sumus. Fer opem, Pater, ut Divinitas, quæ multitudine peccatorum excluditur, tuis precibus inflexa redeat, nos visitet, et nobiscum habitet, tuaque præsentia, si fieri potest, lætemur, qui beati Patris Ad. absentia tristamur.

EPISTOLA CLXXV.

AD E. ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Pervenit, beatissime Pater, gladius usque ad animam: gladiis hostium undique perstringimur. Hinc fide promissa regibus Francorum urgemur. Hinc potestati principis Caroli regnum ad se revocantis addicti, permutare dominos, aut exsules fieri cogimur. Hoc solum spei superest, quod vos præscia divinitas germanitate quadam nobis devinxit, et ut

invicem onera portemus effecit. Ad vos itaque confugimus tanquam ad rectum præsidium, tanquam ad aram prudentiæ, tanquam ad divinarum atque humanarum legum interpretes. Eruntque perlata consulta filiis vestris cœlestia oracula.

EPISTOLA CLXXVI.

G. SAL. DICIT R. SIBI DILECTO.

Grandia quidem poscis, dulcissime frater, sed tuis meritis non indebita. Nam quid est tam optabile quod benevolentia tua non promereatur? quid tam humile quod conferri amicis hæc tempora sinant? Itaque cum tibi desit artifex medendi, nobis remediorum materia, supersedimus describere ea quæ medicorum peritissimi utilia judicaverint vitiato jecori. Quem morbum tu corrupte postuma, nostri apostema, Celsus Cornelius a Græcis ὑπατικὸν dicit appellari.

EPISTOLA CLXXVII.

AD ROMULFUM ABBATEM SENONENSEM.

Magno curarum pondere in momento temporis alleviatum iri existimamus deliberationibus nostris ad utile et honestum æque inflexis. Quod utique puris affectibus vestris in divina speculatione ut cœptum, ita consummandum est. Sicque aptiori loco mutua perfruendum charitate

EPISTOLA CLXXVIII.

AD BRUNONEM EPISCOPUM LINGONENSEM.

Serenissimi Augusti domini nostri desiderabilem præsentiam vestram causa consultandi jamdudum exoptant. Moneo ergo vos atque rogo causa salutis totius reipublicæ, quamprimum maturare iter. Et quia vos apud Roccium audivi pro mea salute, merear nunc Silvanectis audiri pro omnium bonorum liberatione.

EPISTOLA CLXXIX.

AD ECBERTUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Etsi prudentiam vestram in multis expertus sim, nuper tamen plurimum intellexi, cum querimoniam, quam ex persona Ar. archiepiscopi subornaveram, subtili responso perstrinxistis. Veritus itaque sum, famulante conscientia, ne in oculis vestris displicerem, qui mihimetipsi displicere jam cœperam, eo quod non socius vitiorum, sed princeps dijudicarer maximorum scelerum. Ille ego, qui sub imperio beatæ memoriæ patris mei Ad. militaveram in schola omnium virtutum, nunc ego regiam incolo aulam, cum sacerdotibus Dei verba vitæ conferens. Nec ob amorem Caroli vel Arnulfi passus sum diutius fieri organum diaboli, pro mendacio contra veritatem declamando. Oro itaque antiqua benevolentia vestra dignus inveniri. Quippe existimatione vestra conscientiam meam detexi, ut ex me pernoscatis quid de perditione Remorum intelligere debeatis.

EPISTOLA CLXXX.

AD ADALBERONEM EPISCOPUM VIRDUNENSEM.

Omnium consiliorum meorum participi ac conscio non multa verba facturus sum. Satis enim post Patris mei beati Ad. ad Dominum discessum cur tanto tempore Remis commoratus sum, quo ante perditionem urbis et post perditionem abire contenderim. Sæpius quoque illud Terentianum recepistis: Si non potest fieri quod vis, id velis quod possis. Et nunc quidem beneficiorum ac pietatis vestræ circa me non immemor, conceptum amorem erga vos vestrosque conservo, eoque me beatiorem fieri judico. Quomodo enim non diligam diligentes me. Sentio quippe vos condelectari quod sceleratorum hominum conciliabula effugerim, quod communioni ecclesiasticæ restitutus sim. Agite ergo causam amici solito more, id est ut Lelius ab Helvetiis vel Suevis redeat, Aquilæ dilecto diligendus conquiratur par, ut operum nostrorum sit finis consummata charitas.

EPISTOLA CLXXXI.

Præcipuam ac singularem amicitiam vestram dum arctius amplectimur, multorum hominum invidiam toleramus, maximeque eorum qui senioris vestri contra nos consilia conturbant. Crescit malum in dies. Multiplicantur inimici nostri, majoremque summunt audaciam spe dissidentium regnorum. Si ergo ea in vobis est virtus quam credimus et optamus, sentiamus non nobis obesse quod vestrum amorem amori regis O. præposuimus. Sentiant inimici nostri per vos stabilem esse regnorum concordiam, quam sine suo consultu posse fieri negant. Et quia credibilibus legatis inter hostes difficilis est via, vos legatorum nostrorum vices explete, quod honestum judicabitis pro nobis spondete. Sic de nobis absentibus præsumite tanquam de præsentibus; et si quid salutare reperietis, quamprimum litteris vel nuntiis significate, ut ignorantibus nostris æmulis per fidissimos internuntios utriusque partis cœpta amicitia corroboretur. Hoc ideo dicimus, quia majoris auctoritatis legatos cum sui magno periculo sine certa causa mittere nolumus, et quia conventus regum laboriosus est, et hoc tempore per omnia inutilis propter malivolos utriusque partis. Quod si pravorum hominum consilia convaluisse senseritis, nec honestam et utilem posse fieri amicitiam, inprimis quod maximum est consilium simul et auxilium a vobis imploramus. Neque nos deludi vana exspectatione sinatis, quos omni genere amicitiarum et affinitatis dignos hactenus duxistis.

EPISTOLA CLXXXII.

Felicitas vestra gloriam simul nobis parit et solatium. Ubi enim est una caro, et unus sanguis, ibi et unus affectus. Abiit illa dies, nec redeat unquam, in qua vester mœror ineluctabilem nobis parit dolorem. Et nunc quidem in pace, sicut et tunc in angustia, nos nostraque vestro condonamus obsequio: ut si quid magnum vestraque dignum memoria vel vi vel ingenio aggredi conamini, nostra utamini opera, diligentia, consilio, ingenio, viribus. Quod si quieti et silentio studetis, et ad præsens et in æternum liceat nobis gaudere vobis cum pace et quiete,

Nec glorientur æmuli vestri nominis plus sese obesse quam vos prodesse. Sit, si fieri potest, inter nos ac seniorem vestrum honestus habitus amicitiarum. Præscribite sequenda et vitanda, nec patiamini dolis et fraudibus nos circumscribi, qui nullorum hominum amicitiam contra vos decrevimus sequi.

EPISTOLA CLXXXIII.

EPISCOPI REMORUM DIŒCESEOS SALUTEM DICUNT REVERENTISSIMO PATRI R.

Quoniam frater et coepiscopus noster A. infra suam Ecclesiam captus, propter vim hostium, ut fertur, non satis quæ sui juris sunt exsequi valet, nos nostri officii non immemores, quod olim in famosissimos prædones suo consilio fecceramus, repetivimus. Hoc addito, quod in cibo et potu contra divinum ac humanum jus nulla misericordia abusi sumus, B ut ipse ; sed insuper duces et comites, et conscios totius factionis anathemate damnavimus, eamque Ecclesiam a divino officio suspendimus. Cæteris Christianis fidelibus sufficere posse judicantes. Itaque decreti atque anathematis exemplar vobis mittimus, nostræque sententiæ vos favere, atque idem facere hortamur, monemus, oramus.

EPISTOLA CLXXXIV.

AD GARINBERTUM ABBATEM.

Quod nostri curam geritis, nostrisque lætamini commodis, debitas rependimus grates. Nec sic locis disparamur remotis, nec ea utimur fortuna, divinitate propitia, ut antiquas non valeamus exercere amicitias. Procurabo igitur quod jussistis, et quoad potero persuasione vel gratia Augustorum uti, a vicinia Remorum procul dimovebo exercitum, donec in urbe recondatis, si quid residui habetis in agris. Procurate itaque et vos filium meum Aquilam, donec per fidissimos mihi remittatis amicos. Et ne ignoretis quæ synodus episcoporum nostræ diœceseos decreverit, exemplar rerum gestarum vobis nostrisque mitto sociis, ut exinde pernoscatis quid sequi, quid vitare debeatis.

EPISTOLA CLXXXV.

LIBELLUS REPUDII GERBERTI ARNULPHO ARCHIEPISCOPO.

Diu multumque mihi in animo replicanti infelicem statum nostræ urbis, nec exitum malorum sine strage bonorum reperienti, ea tandem sententia placuit, quæ et præsentibus mederetur incommodis, et in D futurum præcaveret amicis. Permutamus itaque solum solo, dominium dominio, vestraque beneficia emancipati vobis nostrisque æmulis ad invidiam relinquimus, ne fidelitatis promissæ hinc arguamur, inde genere amicitiarum ad patruum vestrum quodammodo se habentium perstringamur. Nihil enim alteri debetur eo quo vivimus pacto, fide in alteram partem prætenta. Nam si vos salvos esse volumus, quomodo patruo vestro præsumus ? Item si patruo vestro præsumus, quomodo vos esse salvos volumus ? Hanc litem sic diximus, ad alios demigrando, nec vobis nec illi quidquam præter benevolentiam debeamus gratuitam. Eam si amplectimini, domos, quas A proprio labore multis sumptibus exædificavimus, mihi meisque cum sua supellectili reservate. Ecclesias quoque, quas solemnibus ac legitimis donationibus juxta morem provinciæ consecuti sumus, nullis præjudiciis attingi oramus, de reliquo non multum deprecaturi. Hoc facto me olim libera colla gerentem ad obsequia vestra honeste invitabitis. Nec dubium erit, si hos terminos prætergrediemini, quin omnia quæ possidebamus ut a multis accepimus, æmulis nostris sacramento contuleritis, tunc cum secundum affectum vestrum acutissima pro vobis dictaremus consilia. Nec præteritorum malorum poterimus oblivisci, cum præsentibus admonebimur judiciis.

EPISTOLA CLXXXVI.

ELECTIO GERBERTI REMORUM ARCHIEPISCOPI.

Semper quidem, dilectissimi fratres, judicia Dei justa sunt, sed interdum occulta. Ecce enim post dissolutionem beatæ memoriæ Patris A. quemdam ex regio semine prodeuntem nobis Ecclesiæque Remensi præfecimus, et clamore multitudinis impulsi, Scriptura dicente, *Vox populi vox Dei*, et sanctorum canonum institutis desiderium ac vota cleri ac populi in electione episcopi perquirentium : caligavit acies mentis nostræ litteram incaute sequendo, concordem sententiam divinarum Scripturarum parum investigando. Non erat quippe vox Dei vox populi clamantis : *Crucifige, crucifige*. Ergo non omnis vox populi vox Dei est ; nec omnis cleri et populi vota et C desideria in electione episcopi perquirenda sunt, sed tantum simplicis et incorrupti, id est spe quæstus minime electi. Sententiæ Patrum exponendæ. Non liceat, inquit, turbis electionem facere eorum qui ad sacerdotium provocantur, sed judicium sit episcoporum, ut eum ipsi qui ordinandus est probent, si in fide et in episcopali vita edoctus est. Nos igitur episcopi Remorum diœceseos secundum has constitutiones Patrum, favore et conniventia utriusque principis nostri domni Ugonis Augusti, et excellentissimi regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero et populo, eligimus nobis archiepiscopum abbatem Gerbertum ætate maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, misericordem, nec præferimus illi vagam adolescentiam, ambitionem se extollentem, omnia temere ministrantem ; imo nec talibus subjugari patienter auditu perferimus, quorum sapientia et consilio Ecclesiastica ac civilia jura administrari non posse scimus. Cumque in unoquoque episcopo sit hoc speculandum, maxime tamen in eo qui cæteris præest metropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertum, qui fuit. Hujus vitam ac mores a puero novimus, studium in divinis ac humanis rebus experti sumus. Hujus consiliis ac magisterio informari quærimus. Ejus electionem subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorum consultu.

EPISTOLA CLXXXVII.

PROFESSIO FIDEI GERBERTI REMORUM ARCHIEPISCOPI.

Ego Gerbertus gratia Dei præveniente mox futurus archiepiscopus Remorum, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum esse confirmo, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem et coæternalem et omnipotentem prædico. Singulam quamque in Trinitate personam verum Deum, et totas tres Personas unum Deum profiteor. Incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantum credo, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre. Carnem ex matris visceribus habentem, et animam humanam rationalem simul in eo utriusque naturæ, id est hominem et Deum, unam personam, unum filium, unum Christum, unum Dominum, creaturarum omnium quæ sunt et auctorem, et dominum, et rectorem, cum Patre et Spiritu sancto, confiteor. Passum esse vera carnis passione, mortuum vera corporis sui morte, resurrexisse vera carnis suæ resurrectione, et vera animæ resurrectione, in qua veniet judicare vivos et mortuos, assero. Novi et Veteris Testamenti unum eumdemque credo auctorem et dominum et Deum. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium factum esse malum. Credo hujus, quam gestamus, et non alterius, carnis resurrectionem. Credo judicium futurum, et recepturos singulos pro his quæ gesserunt vel pœnas vel præmia. Nuptias non prohibeo, secunda matrimonia non damno. Carnium præceptionem non culpo. Pœnitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam ea quæ voluntarie admissa sunt, dimitti credo. Et extra Ecclesiam catholicam nullum salvari confiteor. Sanctas synodos quatuor, quas universalis mater Ecclesia confirmat, confirmo.

EPISTOLA CLXXXVIII.

GERBERTUS OTTONI CÆSARI.

Domino glorioso Ottoni Cæsari semper Augusto Romanorum imperatori Gerbertus episcopus debile servitutis obsequium.

Absentiam vestram longitudine terrarum disjuncti omnino moleste ferimus. Et quod fama nimium devia rerum præclare quidem a vobis gestarum, ut semper, nec ullam vobis scintillam attulit. De vita et moribus Harmandi comitis hoc tempore a me alienum est, ita genitus et suspiria fratris et significare mea vobis plurimum refert. Conqueritur quippe ille nobilis vir fratrem suum apud Gorziam fame necari contra suam suorumque natalium dignitatem, ignominiæque ducit hoc sempiternæ. Quod si verum est, quid sibi volunt tam dira supplicia? quod genus mortis acerbius fame? Omnia pœnarum genera sola fames exsuperat, mortem ipsam contemnit, ac eam contra naturæ usum in se provocat. Removere, quæso, tam immane nefas, et petenti fratri fratrem adhuc, ut dicit, spirantem, reddite. Eorum conditiones tantum mementote qui capiunt et capiuntur, ne capti post libertatem aut per se aut per suos capientes, vel amicos capientium pro causa captionis lædere valeant.

EPISTOLA CLXXXIX.

GERBERTUS OTTONI.

Domino excellentissimo Ottoni Cæsari semper Augusto, suorum episcoporum minimus semper et ubique debitæ servitutis obsequia.

Cum inter humanas res nihil dulcius vestro aspiciamus imperio, sollicitis pro vobis nihil dulcius significare potuistis, quam vestri imperii summam gloriam, summam cum dignitate constantiam. Et quænam certe major in principe gloria? quæ laudabilior in summo duce constantia, quam legiones cogere, in hostilem terram irrumpere, hostium impetum sua præsentia sustinere, seipsum pro patria, pro religione, pro suorum reique publicæ salute maximis periculis opponere? Quæ facta quam felices exitus habuerunt. Minori sumus affecti cura ob legationem Leonis abbatis vobis directam super illo Arnulfo, sed neque animo insedit ea legatio, quæ omnino falsa est, sed quæ Leo abbas a meis Gallis promissa exigit, vera fore putavit. Aut si ita est, novi ingenitam vobis benevolentiam, talibus ausis et velle et posse obsistere. Et quoniam noster Leo iter suum ad vos intenderit volando, ut ipse scripsit, VI Id. Sept. quando primum allata venit epistola, iniquis, ut credo, memorata ventis, nihil super Arnulfo consultum est. Sed fert secum alia ut magnis inventa ingeniis, ita magnis finienda consiliis. Æternum vale vobis vester G. Et quia ut magnifices magnifice magnificum Sasbach contulistis, æterno imperio vestro æternum se dedicat vester Gerbertus. Et quia R. S. V. D. æterno obsequio vestro se mancipat G. vester. Hinc a vobis liberaliter collata, sed a quodam nescio cur ablata, restitui sibi petiit vester G. Extremus numerorum abaci vestrum definiat.

EPISTOLA CXC.

Domino et reverentissimo patri ill. G. filius.

Sanctissimas amicitias firmissimasque societates luculenta oratione quam dulces, quamve utiles essent expressistis, meque tanto fructu divinitatis participem sociumque esse et fore dignati estis. Quid enim est aliud vera amicitia, nisi divinitatis præcipuum munus? Hac igitur amicitia vestra fretus, deque ea bene præsumens, atque in posterum meliora sperans, Arnulfi reditum ad urbem Remorum non expavesco, sed si ita pervenerit, ut Hungerius qui voluit retulit; ob quam causam de Hur Chaldæorum liberari confido, vestrisque obsequiis non deesse. Quodque semper volui, semper optavi, hæc causa comitem individuum efficiet, eique solemne imperium appellamus. Quare quid dulcius, quid præstantius? Non ergo suspirandum pro causa amici vobis fuit, vel erit, cum ex toto, cum ex communi voto et deliberatione cuncta provenerint, sintque proventura divinitate propitia, vobis consulentibus,

amicis juvantibus, imperio vestro omnia feliciter exsequente et procurante. Valete, et ob res nostri Cæsaris bene gestas, bene se habentes, mecum gaudete. Iterum et numerosius valete.

EPISTOLA CXCI.

OTTONI CÆSARI ET AUGUSTO IMPERATORI QUOQUE ROMANO GERBERTUS.

Domino et glorioso semper Augusto Ottoni Cæsari Gerbertus.

Scio me Divinitatem in multis offendisse, et offendere, sed vos vel vestros in quo offendisse redarguor nescio, et uti mea servitus sic repente displicuerit. Utinam a vestra munificentia cum gloria tanta collata aut non licuisset suscipere, aut suscepta cum tanta confusione perdere! Quid hoc esse putem, quod utique dedistis, aut dare potuistis, aut non potuistis? Si non potuistis, cur posse simulastis? Si autem potuistis, quis ignotus et sine nomine imperator imperatori nostro notissimo, et per orbem terrarum famosissimo, imperat? In quibus tenebris ille furcifer latitat? In lucem veniat, et crucifigatur, ut nostro Cæsari libere imperare liceat. A multis creditum est me apud vestram pietatem posse opitulari multis. Nunc operæ pretium est habere patronos quos olim defendendos suscepi, majorque fides hostibus meis habenda quam amicis. Amici quippe salubria cuncta, prospera omnia docuerunt. Hostes nec præcepta, nec beneficia mihi profutura, dulcia principia amaros exitus habitura, seu prophetico, seu fanatico spiritu prædixerunt. Quæ quidem mihi plus quam velim tristia, sed imperiali personæ minus convenientia. Tribus, ut ita dicam, sæculi ætatibus, vobis, patri, avo, inter hostes et tela fidem purissimam exhibui, meam quantulamquamque personam regibus furentibus, populis insanientibus pro vestra salute opposui. Per invia et solitudines, per incursus et occursus prædonum, fame et siti, vi frigoris et æstus excruciatus, infractus inter tot tempestates exstiti, ut mortem potius præoptarem quam filium Cæsaris tunc captivum imperantem non viderem. Vidi et gavisus sum, et utinam liceat usque in finem gaudere, et vobiscum dies meos in pace finire!

EPISTOLA CXCII.

ADALBERTO ARCHIEPISCOPO, ABBATI MAJORIS MONASTERII.

Servat natura vices, terraque bona, non suo judicio diu infecunda, mirandos flores fructusque parturit. Ecce enim beati Martini cellula monachorum agmina jam dudum emortua resuscitat. Martini virtus in suis discipulis dignoscitur. E quibus beatæ conversationis alumnam tanquam exemplar vitæ et morum accepisse Osulphum gaudemus. Hujus sanctissimos affectus vestris affectibus consociandos offerimus, ut qui se singulari certamine antiquo hosti opposuit, precum vestrarum clypeo victor evadat. Alleviemur ergo nos vestris meritis, qui nostris prægravamur offensis.

EPISTOLA CXCIII

GERBERTUS ARNULPHO AURELIANENSI EPISCOPO.

Multum mortalibus divinitas largita est, o mei animi custos, quibus fidem contulit, et scientiam non negavit. Hinc Petrus Christum Dei Filium agnoscit, et agnitum fideliter confitetur. Hinc est quod justus ex fide vivit. Huic fidei ideo scientiam copulamus, quia stulti fidem non habere dicuntur. Hanc vos habere fidem illa generosi animi præclara scientia indicat: hoc vestræ orationis series manifestat, qua eam inter nos æternari cupitis. Habeo igitur et rependo gratias tantorum munerum largitori, et quod mihi in nullo a me dissentientem amicum reservaverit, et quod æmulis nostris verisimilia non tamen vera narrantibus minus credidit. Hoc tui muneris esse, bone Jesu, qui facis unanimes habitare in domo: hoc ego sacerdos tuus coram te confiteor venerabilem artificem * tuum A. me colere, diligere, amare, cunctisque mei ordinis quos hodie noverim corde et ore proferre. Procul ergo esto omnis fraus et dolus, pax et fraternitas hic adesto, ut qui alterum lædit utrumque læserit. Me Christi potentia protegente non vis tyrannica ab hoc deterrebit incœpto; non minæ regum, quas in hoc Paschali festo pertulimus graves. Accusabamur quippe monachos sancti Dionysii injuste damnasse. Urgebamur coram damnatis divina obsequia celebrare, nec privilegiis Romanæ Ecclesiæ monasterio beati Dionysii factis contraire debere. Ad hoc opponebatur nobis, privilegiis canonum auctoritate promulgatis nos assensum præbituros: nec si quid contra leges ecclesiasticas decretum sit pro lege recepturos. Sed cum in me specialiter pondus causæ retorqueretur, mei juris illum non esse aiebam, nec me in meorum dominorum prosilire injuriam, ut insimulabar, ipsorum interesse cujus culpa eadem proferant, videre. Cum sententia sæcularium monachorum obtinuisset parti..... Hoc itaque se habere filius vestræ beatitudinis testis est Fulco, qui mei animi amaritudinem non sine lacrymarum effusione cognovit. Dolebam quippe, ac multum doleo..... vos insuper nescio a quo delatore insimulatum esse quasi regii honoris insidiatorem, et qui..... Non ergo, ut vobis relatum est, mea valentia in vos sævit, nec elocutio dura absenti amico detraxit. Sed dum vos excusare nisus sum, me pene accusatum palatinis canibus objeci. Sit itaque inter nos, ut vultis, est tantum, non autem est et non: sit auxilium in commune et consilium. Quod etiam in sacris per data verba, si vestræ sublimitati placet, confirmandum fore censeo, ut, amoto motu omnium suspicionum, sit nobis cor unum et anima una.

EPISTOLA CXCIV.

GERBERTUS CONSTANTINO MICIACENSI ABBATI.

Satis super venerabilis A. legatione miratus sum. Referebat quippe *. Hæc autem omnia non dolores, sed initia dolorum sunt. Majus est quod quæritur, et quod appetitur, quam ego humilis et parvus, verumque proverbium est: Tua res agitur paries cum

proximus ardet. Et divinus sermo : *A sanctuario meo incipite*, id est a regni fundamento et ab arce. Hoc factum qui doli comitentur, in aperto est. Hoc enim concesso, dignitas vel potius gravitas confunditur sacerdotalis, status regni periclitatur. Quod si hoc inconsultis episcopis agitur, episcoporum potestas, gravitas, dignitas annullatur. Qui episcopum quamvis sceleratum sacerdotio privare nec potuerunt, nec debuerunt. Si vero consultis, ipsi suæ damnationis testes sunt, qui a se non judicandum judicaverunt. Et qui contra professionem suam et subscriptionem suam in libello abdicationis a seipsis factam venire præsumpserunt. Reducetur ad memoriam ejus captio, carcer prolixus, alterius in ejus sedem ordinatio, ordinatores, ordinatus, atque ab eo ordinati calumniæ subjacebunt. Ipsi quoque reges in peccatis singulis peccatores apparebunt. Nec sibi quisquam blandiatur, quolibet conquassato, se incolumi, nec falso nomine sponsionis decipiatur, cum res et facta non ex indulgentia judicum, sed ex stabilitate pendeant causarum.

EPISTOLA CXCV.

LEODICENSI EPISCOPO NOCHERIO.

Licet non ignoremus ex quo fonte motus animi vestri in nos profluxerint, tamen ex officio nostro præstare debemus, sine gravi lite, quantum vestra interest, ut hic fons arescat, et hic motus conquiescat. Igitur ad petitionem venerabilis VV. Argentinæ civitatis episcopi nudiustertius descripsi materiam malorum nostri temporis; et quid inter partes conveniret vel disconveniret aperui, vobis tanquam probatis judicibus direxi. Et nunc ad votum meorum hostium, quia ex toto orbe fieri non potest, saltem ex toto nostrorum principum regimine, ut universale cogatur concilium, modis quibus valeo elaboro. Eo conveniendi et disceptandi, non solum curiosis, sed etiam hostibus, libera datur facultas. Tantum quippe a nobis abest maleficium, tantumque in innocentia confidimus, ut regulare judicium non solum non devitemus, sed etiam quasi toto orbe fugiens prosequamur. Ecce nunc tertio moniti si præsentiam suam exhibere noluerint, et appellatio et litis retractatio lege peremptoria sopientur. In qua re vestrum est animadvertere, cui ira Domini comminatur dicentis : *Væ illi per quem scandalum venit!* Cum enim Paulus apostolus dicat : *Nos quidem prædicamus Christum Jesum. Judæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam.* Non itaque Paulo est væ, sed his, ut ait propheta, qui dicunt bonum malum, et malum bonum. Novit Dominus qui sunt ejus, novit qui sui permoveantur zelo. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos? Oro ergo et deprecor per eam, si qua est in vobis pietas, ut non plus meis hostibus quam vobis de me credatis. Experimini an sim qui fuerim scilicet vobis per omnia devotus et obsequens, in commune fidus amicis, æqui et veri amantissimus, sine dolo et superbia, vestra vestrorumque usus amicitia, qui non meo vitio perditam a vestra virtute reposco : ea negata multum doliturus, itemque recepta multum gavisurus.

EPISTOLA CXCVI.

G. ABBATI S. GERALDI, ET FRATRIBUS.

Pro mei loci atque ordinis officio magnorum negotiorum occupationibus ad plurima distractus, nec legatis, nec litteris quæ circa me geruntur hactenus vobis significare volui. Nunc quoniam frater..... sicut per antiquiorem... gerulum scripseram, dum urbem Remorum causa Dei fugio, urbi Remorum gratia Dei prælatus sum. Quæ res gentes et populos in mei excitavit invidiam. Et quia viribus nequeunt, legibus ulcisci quærunt. Estque tolerabilior armorum colluctatio quam legum disceptatio. Et quamvis æmulis meis dicendi arte, et legum prolixa interpretatione, quantum mea interest, satisfecerim, non tamen adhuc semel cœpta deposuerunt odia. A teste ergo, reverendi Patres, vestroque alumno fusis ad Deum precibus opem ferte. Discipuli victoria, magistri est gloria. In commune quidem omnibus vobis pro mei institutione grates rependo, sed specialius patri R. Cui, si quid scientiæ in me est, post Deum inter omnes mortales gratias rependo. Nunc..... valeat sanctum collegium vestrum..... valeant quondam mei noti vel affinitate conjuncti, si qui supersunt, quorum tantum speciem nec omnia satis novi : non eorum aliquo fastu oblitus, sed barbarorum feritate maceratus, totusque, ut ita dicam, alteratus. Quæ adolescens didici, juvenis amisi : et quæ juvenis concupivi, senex contempsi. Tales fructus affero mihi. O voluptas! talia mundi honores pariunt gaudia. Credite ergo mihi experto. In quantum principes exterius attollit gloria, in tantum cruciatus angit interius.

EPISTOLA CXCVII.

Consulnistis utrum is qui sororem suæ conjugis adulterio polluit, post peractam pœnitentiam ad priorem copulam redire debeat, an alteram sortiri. Et alterum quidem permittitur, alterum penitus inhibetur. In conciliis Africanis, titulo 49, placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur, sed ita maneant ut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Quod si mulier duxerit alterum, non prius accipiat communionem, quam is quem reliquit de sæculo exierit : nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit. Agat ergo hic ad ultimum pœnitentiam lege eorum qui se incesto polluerunt, sed scilicet decennalem. Femina quoque nihilominus cognata, et, si fieri potest, castitatem professa, quod calore juventutis urgetur : timendumque ne a Satana tentetur. Nihil inde melius novimus, quam quod Leo papa de similibus dicit. Adolescens, inquit, si continens esse non potest, uxoris remedio potest sustineri. Ad hunc modum dici po-

test, ut si hæc adultera se continere non potest, nubat, ut ait Apostolus, tantum in Domino.

EPISTOLA CXCVIII.

GERBERTUS LEONI PONTIFICI.

Sciens magnam benevolentiam vestram erga me, tanti viri amicitia felicem me judico. Enimvero quia nostra servitus minus vobis obsecundata est quæ oportuerit, non malevolentiæ ascribendum est, sed necessitati. Inter varios quippe tumultus, quibus assidue quatimur, vix aliquis idoneus reperitur, cui tuto secreta pectoris reserentur. Ita sibi virtutis arcem dolus et fraus, simulatio et dissimulatio, vicissim occupaverunt. Hinc est quod postquam a me digressi estis, nulla litterarum mutua perfunctione usi sumus, nisi ea quæ vobis sub triplicatæ crucis signo direximus. Itaque nos et nostra sub vestra dispositione ita constituimus, ut qui forte nos læserit, domno Leoni pontifici injuriam irrogasse visus sit. Nec erit deinceps nostri juris quid, quantum, quibus, et quando placitura parentur : sed domno Leoni diligens aderit obsequium ministri. Saluto domnum episcopum amicum per omnia reverendum : multum de ejus sapientia et eloquentia præsumens, et singulari morum probitate, ac per hoc obsequio ejus me obnoxium reddens.

EPISTOLA CXCIX.

AD JOANNEM PAPAM.

Sanctissimo vestro apostolatui potuisse subripi me cujuspiam pervasionis reum videri, dolore vehementi afficior, et totis visceribus ingemisco. Eo quippe animo in Ecclesia Dei hactenus versatus sum, ut multis profuerim, neminem læserim. Non ergo Arnulfi peccata prodidi, sed publice peccantem reliqui : non spe, ut mei æmuli dicunt, capessendi ejus honoris, testis est Deus, et qui me noverunt, sed ne communicarem peccatis alienis.

EPISTOLA CC.

Quia vestris interdum non utimur alloquiis, non satis æquo animo ferimus. Per hæc enim mutua manet charitas, dissociata coeunt, aspera mitescunt, simultates intereunt, multaque præsentium comparantur commoda. At dum ista motu temporum minus assequitur, ut epistolaris brevitas inter nos affectus explicet, petimus benevolentiam vestram pro fratre..... ut prosit ei apud vos nostra intercessio, plusque sibi nostra obtineat epistola, quam fortuitu cujuspiam oblata munera. Temporum difficultatibus addicti regulariter convenire, et quæ Dei sunt quærere, hactenus non satis valuimus. Nunc quia Deo miserante respirare datur, censemus, vosque interesse omni evitabili excusatione postposita monemus et oramus. Licet omnibus sacerdotibus disciplinæ forma æqualiter proponatur, et cognoscendi et observandi sacros canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos; nobis tamen arctius indicitur quod in exemplar morum et vitæ a pastoribus acceptum in subditum gregem gratiosus propagetur. Cum ergo pecuniam in facie anteponimus, cur sanctarum legum jura illicita cupiditate calcamus? Et hæc quidem Dominus, et clamores quos assidue patimur, non sicut tyrannus tyrannorum præjudicio, sed sicut sacerdos sacerdotum judicio, pensetis, discernatis, dijudicetis. Hos motus compescite, has querelas sopite, morum gravitate, annorum teneritudine superate. Lectio continua, et interrogatio assidua mentem vestram exacuat. Cur judicium..... nos latuit? Cur ad majorem audientiam provocans suis rebus privatus est? Quod si non provocans, sed tacens spoliatus, quare in eum prolatum judicium ad nos non est relatum? Si hæc itaque scienter egistis, lex in contumaces est : si ignoranter, utique venia danda hoc pacto, ut illegaliter ablata presbytero restituantur legaliter : postquam, si ita videbitur, judicium legibus innovetur, ne si existimetis filium meum R. suæ diffidere causæ, quia nunc ex condicto non occurrit. Pluribus enim occupati negotiis, eum examini vestro dirigere usque in XV Kal. nequimus. Quas moras sibi non obfuturas pro summa benevolentia vestra circa nos omnimodis deprecamur. Quod si hæc mansuete feceritis, in ejus judicio sine personarum acceptione judicaveritis, plurima nos debere obsequio vestro facietis.

EPISTOLA CCI.

GERBERTUS ET OMNES EPISCOPI DIŒCESEOS REMENSIUM, PERVASORIBUS EJUSDEM

Girbertus gratia Dei Remorum episcopus, Guido Suessonicus, Adalbero Laudunensis, R. Noviomensis, Rot. Cameracensis, O. Silvanectensis, F. Ambianensis, B. Moriensis, Her. Belluacensis, per gratiam sancti Spiritus episcopi, vobis Girberto et his qui subscripti sunt pervasoribus, carnificibus atque tyrannis. Diu modestia sacerdotum furoris vestri rabiem sustinuit, et adhuc patienter exspectat. Quousque ergo insania vestra sanis intellectibus nostris obsistet? Quousque dissimulatio pravorum simplicium quietem turbabit? Cædes clero infertis, a cleri, monachorum et pauperum rapinis non cessatis. Convenimus ergo conscientiam vestram omnes episcopi Remorum diœceseos, ad satisfactionem invitamus, spatiumque pœnitentiæ usque in proximis Kalendis attribuimus : tunc vos aut infertiles Ecclesiæ palmites recogniturі, aut tanquam inutile lignum ab agro Dei gladio sancti Spiritus excisuri.

EPISTOLA CCII.

AD ERVEAM BELVACORUM EPISCOPUM.

Quod tanto tempore dilectum nobis D. retinuimus, non malevolentiæ causa, sed summæ utilitatis vestræ, et vobis honestum et utile parere possit. Et nunc quidem illum patriam parentesque, sed et omne amicorum genus nostrum ob amorem derelinquentem vestræ charitati, ut petitis, dirigimus. Quem velut thesaurum inæstimabilem e sinu nostro in vestri jura transfundimus. Suscipite ergo illum in disciplinis liberalibus eruditum, in opificum magisterio edoctum, a multis multa mercede expetitum

sed a nobis obtentum. Quem sic tractari et custodiri volumus, ut dolorem ei partum ex nostra absentia vestra sublevet indulgentia. Eaque munificentia et liberalitate illum habetote, quæ deceat G. Remorum archiepiscopum dantem et Bellovagorum episcopum accipientem.

EPISTOLA CCIII.

Oportebat te virginem spectabilem patris pacta et constituta laudare et corroborare. Sed quoniam ea dissolvisti, et quæ insuper egisti pernegare contendis, invitamus te ad tui peccati recognitionem. Te quoque R. a direptione rerum..... cessare jubemus, et male pervasa restituere. Nec te..... prætereundum existimes, te, inquam, tonsura clericum, sed vita et moribus ' triennium cum tuo complice N. Vos, inquam, omnes aut dignos pœnitentiæ fructus Ecclesiæ catholicæ ostendetis, aut velut ethnici et publicani ab Ecclesia catholica gladio sancti Spiritus propulsabimini.

EPISTOLA CCIV.

Suscepta querimonia, reverende pater, scripsimus cum fratribus et coepiscopis nostris pro eadem causa, contemptoribus quoque vestris commonitorias misimus litteras. Erit ergo vestræ prudentiæ propter pacis charitatisque custodiam, si resipuerint, eos velut exorbitantes filios blande suscipere. Quod si, quod absit, in malitia perseveraverint, tunc in celebri Ecclesiæ loco nostræ vocationis scripta ad legendum proponi jubemus. Deinde excommunicationem rationabiliter conscriptam, et a vobis solemniter celebratam celebri affigi loco, ejusque exemplar nobis dirigi, ut idem in nostris fiat Ecclesiis. Et quoniam eruditum vobis clericum mitti orastis, qui in his et in aliis adjumento esse posset, cum redierit meus D., dabimus operam ut vestris deserviat obsequiis.

EPISTOLA CCV.

Quanto moderamine salus animarum tractanda sit, et vestra fraternitas novit, summopere pensandum est, ut ne quid nimis. Ecce enim dum judicii severitatem in Ecclesiam scilicet exercetis, modum a patribus constitutum transcendistis. Nam quæ concilia vel decreta parvulos baptizari, vel fideles in cœmeteriis sepeliri vetuerunt? Quod si is locus interdicto vestro, et, ut solemniter dicamus, vestro banno jure tenetur astrictus, liceret innocentibus parochianis ad alia transmigrare loca, suisque legaliter uti sacris. Moneo igitur paternitatem vestram modum judicii temperare, totumque negotium ita pertractare, ut ante oculos divinæ Majestatis placere possitis, et coepiscoporum judicio non displiceatis. Varios mali temporis diu jam sufferens motus, ad vestrum solatium tanquam ad tutissimum confugio portum. Alioquin, aut vestra solabimur ope, aut peregrina nobis expetenda subsidia.

EPISTOLA CCVI.

GERBERTUS ADHELAIDI IMPERATRICI.

Sæpenumero mecum reputans ubinam fides, veritas, pietas, et justitia, domicilium sibi fecerint, vestra solum pietas et majestas occurrere potuit, qua virtus multiplex semper inhabitavit atque possedit. Ad vos ergo tanquam speciale templum misericordiæ supplex confugio, vestrumque semper salubre consilium et auxilium reposco. Quia enim... . in me unum acerba fremunt, vitamque cum sanguine poscunt. Additur ad malorum cumulum..... Sævit et ipsa quæ solatio debuit esse Roma. Oro ergo et deprecor vestra vestro imperio mitescant regna. Ego quippe totus ubique vester vestrum exspecto examen et levamen. Idque solum certum esse nosse qui velle, quod vobis constiterit placuisse.

EPISTOLA CCVII

Humanas res æterno regi consilio cum semper Divinitas ostenderit, tum præcipue vestro tempore consiliorum suorum vos esse materiam voluit. Exaltavit enim vos et humiliavit, eamque humilitatem sua bonitate modificans, extenuans, atque cum summa multorum populorum prosequente favore, vestræ sedi restituit, et tanquam aurum in fornace probatum in sua domo clarius relucere jussit. Laudo igitur et glorifico misericordias et miserationes ejus, cum in vobis, tum in me, quem peregrinum, totoque, ut ita dicam, orbe profugum quandoque requiescere jussit, certaque consistere terra. Dirigo vobis multum dilectum, quem a sacro fonte me suscipere voluistis. Sed utrum nobis erudiendum mittere debeatis, non est nostri judicii. Si enim recusamus, ingrati fortasse apparemus; et si laudamus, quiddam est sinistrum puero. Quod temporum difficultas intulerit, nostro imputabitur vitio.

EPISTOLA CCVIII.

GERBERTUS FULCONI EPISCOPO AMBIANENSI.

Inter varias magnarum rerum occupationes nulla molestia magis afficimur quam vestrorum excessuum crebra relatione. Etsi enim totius metropolis Remorum cura nobis injuncta est, sed vestri potissimum, qui et amorum teneritud.ne, et morum levitate pondus sacerdotale necdum ferre didicistis. Cur ergo, contra pactum in commune statutum, usque ad tempus consilii pervasionem in propria parœchia fecistis? Nec in hoc enim alleviamini, si res Ecclesiæ sunt quas diripuistis, cum hoc nisi legibus fieri non liceat. Accessit ad hoc illicitum armorum præsumptio, Ecclesiæ violatio, quasi sacerdoti omnia in ecclesiis liceant. Sed, ait Apostolus, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Licent per liberum arbitrium, quo male usi estis : sed non expediunt per jura divina, quæ contempsistis. Monemus itaque fraternitatem vestram errata corrigere, et nobis quos offendistis, si placet, satisfacere, ut horum excessuum recognitio multorum peccatorum possit esse abolitio.

EPISTOLA CCIX.

GERBERTUS ARCHEMBALDO ARCHIEPISCOPO TURONENSI.

Querelam vestram non sine fraterna compassione suscepimus. Unde consilium et auxilium, quantum

nostra interest, non differimus. Quia enim cæcus, A ut dicitis, beati Martini benedictionem vestram renuit, fiat ut scriptum est : *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo*. Pro accepta vero injuria repulsionis, pulverem calceamenti excutiendum esse contra illos Dominus docet.

EPISTOLA CCX.

ADELAIDI IMPERATRICI GERBERTUS.

Incredibili pene et nimium scelerata relatione tanto dolore affectus sum, ut lumen oculorum prope plorando amiserim. Sed quia jubetis ut vos adeam, consolationemque impendam, rem quidem bonam, sed impossibilem imperatis. Transierunt enim dies mei, o dulcis domina et gloriosa, senectus mea mihi diem minatur ultimum. Latera pleuresis occupat, B tinniunt aures, distillant oculi, totumque corpus continuis pungitur stimulis. Totus hic annus me in lecto a doloribus decumbentem vidit, et nunc vix resurgentem recidivi dolores alternis præcipitant diebus. Quod si quid requiei a doloribus dabitur, vestri beneficii immemor esse non potero. Licet sufficere posse videatur quod synodus Nicæna de communione privatis definit, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur, omni jussioni vestræ paremus tum in his, tum in quibuslibet honestis et competentibus negotiis. Sed quia cum magno moderamine salus animarum tractanda est, nec quisquam præpropere a corpore et sanguine Filii Dei submovendus, per quod mysterium vera vivitur vita, et quo juste privatus vivens mortuus est, dignum ducimus C militarem virum nostra primum admonitione conveniendum, si forte resipiscat, et vestræ reverentiæ satisfaciat. Et nos quidem illum jam dudum pro his proque aliis excessibus, a liminibus tantum Ecclesiæ cum aliis quibusdam submovimus, post separaturi a corpore Domini, ac deinde a fidelium communione, ut his quibusdam gradibus suæ salutis admoneatur, et unius contagio pro hujusce temporis male, necessaria sub nomine militari cohabitatione, populus Dei minus inficiatur, solusque suam interim portet malitiam, ignominiam et ruinam.

EPISTOLA CCXI.

CANONICIS SANCTI MARTINI EX PERSONA EPISCOPORUM.

Omnes episcopi qui ad concilium venerunt in ecD clesia sancti Pauli, omnibus clericis de monasterio sancti Martini.

Audita fama vestræ rebellionis contra fratrem nostrum Turonicæ civitatis episcopum, has litteras direximus, in commune decernentes, quatenus aut cum vestro episcopo redeatis in gratiam, aut ad placitum Chelæ habendum veniatis pro discordia diu retenta rationem reddituri VII Id. Maii. Quod si non feceritis, sciatis vos percelli censura canonicæ districtionis.

EPISTOLA CCXII.

GERBERTUS ARNULFO AURELIANENSI EPISCOPO.

Nullo genere locutionis affectum animi nostri erga vos explicare valeo, quippe qui omni simulatione mei capitis periclitarer. Quæ mihi vitanda essent, quæve sequenda docuistis, monuistis, præscripsistis. Et nunc quidem omni conamine, omnique nisu secundum meum scire et posse grates quas valeo rependo, vestræque clientelæ et dispositioni me meaque omnia committo; non dubiam spem pro me gerens præclara principia felices habitura. Et quoniam synodum..... unde omnixe precor ne ingentes curæ, quæ me ad præsens totum sibi vindicant, Ecclesiæ nostræ officiant. Dum enim post paululum B divinitate propitia respirare licebit, et de his et de aliis in vestra præsentia vestra exspectabimus sententiam.

EPISTOLA CCXIII.

GERBERTUS METENSI EPISCOPO.

Licet ea quæ in nobis est virtus multis ante innotuerit modis, nunc tamen ex superabundanti verbis et sententiis affectum sui explicans vel super candelabrum effulsit. Quia enim Apostolus ait : *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*, me a fratrum meorum indebita persecutione liberatum læto animo accepistis, vosque meis periculis nunc interfuisse doluistis. Quapropter et absens grates rependo, et præsens servitutis pensum si libet excipio. Cæterum..... alia memoratu digna non satis adhuc comperta habemus.

EPISTOLA CCXIV.

GERBERTUS VERDUNENSI EPISCOPO.

Communes filii R. et D. lætificaverunt nos ex dulci rerum commutatione. Quia enim, ut ait Apostolus : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, nec vos simplicitate gaudentes quorumdam Gallorum affectus varios et perplexos dulces in ore, amaros in corde subito deprehendere potuistis, ad nulla eorum commentitia stuporis plena non immerito mutati estis. Sed quia ingenita vobis prudentia diutius illudi non potuit, eorum simulationem ac dissimulationem vos ad plenum intellexisse gaudemus. Unde filium nostrum D. quem in multa rerum D scientia eruditum interpretem fidum omnium quæ in commune placeant habere poterimus. Vale.

EPISTOLA CCXV.

AD AZELINUM EPISCOPUM LAUDUNENSEM.

(*Vide infra in epistolis et diplomatibus post susceptum summum pontificatum scriptis.*)

EPISTOLA CCXVI.

AD ARNULFUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(*Vide ibid.*)

SUPPLEMENTUM AD GERBERTI EPISTOLAS

EDITIONIS DUCHESNII.

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, t. I, pag. 645 seq.)

EPISTOLA PRIMA.

AD VILDERODUM ARGENTINENSEM EPISCOPUM.

De Arnulfi depositione.

VILDERODO Argentinæ civitatis episcopo GERBERTUS.

Bene concepta meliusque retenta casta societas præstanti officio..... cum me remotum, vixque solo nomine cognitum, fidi interpretis dulci alloquio recreasti, eoque præstanti officio palam fecisti, cui et quanto Helvetia pareat sacerdoti. Arnulfus regis Lotharii, ut fama est, filius, postquam suum episcopum dolo et fraude circumventum cum propria urbe captivavit, post multum cruorem humani sanguinis a se effusi, post prædas et incendia in conventu totius Galliæ episcoporum damnatus est (32), ac deinde post obitum Adalberonis a solo Adalberone episcopo Laudunensi reconciliatus spe obtinendæ pacis, metropoli Remorum donatus, acceptis ab eo terribilibus sacramentis et libellari professione, pro fide suis regibus conservanda, quam viva voce in conventu Ecclesiæ recitavit (33) et propria manu subscribendo roboravit. Necdum a sua ordinatione sextus mensis elapsus erat, et ecce urbem ab eo proditam hostis invasit, sanctuarium Dei polluit, spolia diripuit, clerum et populum captivavit. Post hæc vero Arnulfus suos prædones sub anathemate posuit, et ut idem facerent Galliarum episcopi imperavit; prædia ecclesiæ quæ per sacramentum suis militibus dederat abstulit, hostibus contulit, conjuratorum manum contra suum regem ejusque exercitum in aciem sub signis Caroli perduxit. Interea legatis et litteris synodicis Romanus pontifex, ut ecclesiæ turbatæ subveniat admonetur; sed neque catholicis, neque clericis consulentibus consulit. Itaque gravium episcoporum facto consultu, legatis et litteris synodicis, ac trina admonitione Arnulfus convenitur, decem et octo continuis mensibus, ut a cœpto furore desisteret, seque a scelere proditionis et rebellionis quo impetebatur regulariter purgaret, noluit; sed cum a se fautores nequitiæ suæ discedere sensit, territus regem adiit, novisque sacramentis, ac novis rerum conditionibus regiæ mensæ particeps effectus est, atque ita ira regis sedata, omni se crimine exutum credidit; indeque mox rediens fidem sacramentorum rupit, conditionibus non servatis; at ii quorum intererat, toties decipi, toties bonis privari non ferentes, Lauduni arcem occupant. Arnulfus inter hostes regis invenitur, synodo repræsentatur, pro tot tantisque flagitiis rationem reddere deposcitur; qui diu secum ac cum suis complicibus multum deliberans, sua sponte in confessionem peccatorum suorum erupit, suisque confessionibus alios testes adhibuit, crimina sua in libellum contulit, eique coram Ecclesia viva voce recitato subscripsit; insignia sacerdotii deposuit eoque se abdicavit, confessoribus suis ac testibus attestantibus et respondentibus : secundum professionem et subscriptionem tuam, cessa ab officio... Respondent regem Arnulfo veniam tribuisse, nec postea quidquam veniabile commisisse; Romano pontifici injuriam factam, quasi sine ejus auctoritate, et sine juribus resumptis deponere non debuerit..... In epilogo : ego ille multum jactatus terris et alto, dum philosophorum inventa prosequor, dum gentes indisciplinatas fugio et non evado, Ego, inquam, qui magnæ urbis Remorum proditæ, et captivi ac spoliati populi pars non parva fui, ad te quasi ad tutissimum refugio portum. Ergo fluctuanti salutarem porrige manum, fessum alleva; edax livor diffamavit me alterius invasisse sedem, meo instinctu pastorem captum, accusatum, dejectum : quod ita non esse sacerdotalis dignitas Gallica testis est, testes reges et proceres, cur egenus et exsul, nec genere nec divitiis adjutus, multis locupletibus et nobilitate parentum conspicuis prælatus sit, nisi quod tui est muneris, bone Jesu, qui de stercore erigis pauperem, ut sedeat cum principibus. Tu scis me Germaniam et Belgium semper honorasse ut dominam, coluisse ut matrem... Et nunc quidem a te dulces affectus quos perdidi reposco; tuumque antistitem Will. gratiæ indebite amissæ reconciliatorem fieri oro, meæque interpretem innocentiæ coram præsulibus, coram rege nostro, cui favendo tempore regis Lotharii gladiis hostium addictus sum. Et nunc quidem mala pro bonis retribuuntur nobis, ab his quos pacis amatores, innocentum protectores existimabamus. Pressa jacet tyrannide omnis ecclesia Gallorum, atqui non a Gallis, sed ab his sperabatur salus; sed una salus hominis, Christe, tu es; et Roma omnium Ecclesiarum hactenus habita mater, bonis maledicere, malis benedicere fertur, et quibus nec *ave* dicendum est, communicare, tuamque legem zelantes damnare, abutens ligandi atque solvendi potestate a te accepta (34).....

(32) Voyez le concile de Reims, de l'an 987.

(33) Voyez le serment d'Arnoul.

(34) Marlot a donné un fragment de cette lettre (tom. II, pag. 51). Les éditeurs du concile de Saint-Basle, et d'après eux M. Varin, dans ses *Archives administratives de la ville de Reims* (tom. I, pag. 179), l'ont ajoutée aux actes prétendus de ce concile, beaucoup plus longue qu'elle n'est ici, mais avec des caractères visibles d'altération; elle se trouve surchargée de passages d'Hincmar, évidemment ajou-

EPISTOLA II.

AD SEGWINUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

(Anno 993.)

De interdicto contra Patres concilii Basolensis lato (35).

Oportuerat quidem prudentiam vestram callidorum hominum versutias evitasse, et vocem Domini audire dicentis : « Si dixerint vobis : Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite sectari (*Matth.* XXIV). » Romæ dicitur esse qui ea quæ damnatis justificet, et quæ justa putatis damnet : et nos dicimus quod Dei tantum est, et non hominis, ea quæ videntur iusta damnare, et quæ mala putantur, justificare. « Deus, inquit Apostolus, est qui justificat, quis est qui condemnet? » (*Rom.* VIII.) Consequitur ergo si Deus condemnat, ut non sit qui justificet. Deus dicit : « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum (*Matth.* XVIII), » et reliqua « usque ut ethnicus et publicanus. » Quomodo ergo æmuli dicunt quod in Arnulfi dejectione, Romani episcopi judicium exspectandum fuit? Poteruntne docere Romani episcopi judicium Dei judicio majus esse? Sed primus Romanorum episcopus, imo ipsorum apostolorum princeps, clamat : « Oportet magis obedire Deo quam hominibus (*Act.* V). » Clamat et ipse orbis terrarum magister Paulus : « Si quis vobis annuntiaverit præter quod accepistis, etiam angelus de cœlo, anathema sit (*Galat.* I). » Num quia Marcellinus papa Jovi thura incendit, ideo cunctis episcopis thurificandum fuit? Constanter dico quod si Romanus episcopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus Ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus episcopus præcepto Dei est habendus sicut ethnicus et publicanus. Quanto enim gradus altior, tanto ruina gravior est. Quod si propterea sua communione nos indignos ducit, quia contra Evangelium sentiendi nullus nostrum consentit, non ideo a communione Christi nos separare poterit : cum etiam presbyter, nisi confessus aut convictus, ab officio removeri non debeat, præsertim cum Apostolus dicat : « Quis nos separabit a charitate Christi? » Et iterum : « Certus sum enim quod neque mors, neque vita, etc. (*Rom.* VIII). » Et quænam major separatio, quam a Filii Dei corpore et sanguine, qui quotidie pro nostra immolatur salute, quemlibet fidelium removere? Quod si hic, qui vitam A appellandus est. Neque vero Gregorii sententia, ni ademit corporalem, vel sibi vel alteri homicida est : hic qui sibi, vel alteri vitam sempiternam, quo nomine populum relata, in episcopos referri potest : « Sive, inquit, juste sive injuste obliget pastor, sententia pastoris gregi timenda est. » Non enim episcopi grex dicitur ; sed populus. Quantum namque vita pastoris distat a grege, tantum vita pastoris distare debet a plebe. Non igitur a sacra communione, quasi criminosi confessi, vel convicti, suspendi debuistis (36) : neque vero veluti rebellis ac refuga, quia sacrosancta concilia nunquam devitastis : maxime cum actus et conscientia sit pura, nec legalis sententia damnationis in vos adhuc sic lata, nec legibus inferri possit. Legalis ideo illata non est, quia Gregorius B dicit : « Sententia sine scripto prolata, nec nomen sententiæ habere meretur. » Legibus inferri non potest, quia magnus Leo papa dicit : « Non tenetur Petri privilegium, ubicunque non ex æquitate fertur judicium. » Non est ergo danda occasio nostris æmulis, ut sacerdotium, quod ubique unum est, sicut Ecclesia catholica una est, ita uni subjici videtur, ut et pecunia, gratia, metu vel ignorantia corrupto nemo sacerdos esse possit, nisi quem sibi hæ virtutes commendarint. Sit lex communis Ecclesiæ catholicæ evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei constituti, et totius mundi reverentia consecrati, decreta sedis apostolicæ ab his non discordantia, et qui per contemptum ab his deviaverit, per hæc judicetur, per hæc abjiciatur. Porro hæc ser- C vanti, et pro viribus exsequenti, sit pax continua et continuo sempiterna. Vos bene valere optamus. XXCCV. Iterum valete, et a sacrosanctis et mysticis suspendere vos nolite. Qui enim accusatus ante judicem tacet, confitetur ; et qui judice judicante pœnæ se addicit, confitetur. Confessio autem fit aut salutis aut perditionis causa : salutis, cum quis confitetur de se vera ; perditionis, cum falsa de se confingit, vel in se patitur confingi. Tacere ergo ante judicem confiteri est : confiteri porro falsa et mortalia crimina, homicidæ est ; quia omnis qui sibi mortis causa fuerit, major homicida est. Et Dominus dicit : « Ex ore tuo te judico. » Repellenda igitur falsa accusatio, et contemnenda illegalis judicatio : ne, dum volumus videri innocentes coram Ecclesia, efficia- D mur nocentes (37).

tés à l'œuvre de Gerbert. Le texte que nous donnons ici, malgré ses lacunes, nous a paru plus authentique, et par conséquent préférable : nous l'avons tiré de la collection de D. Martenne, tom. I, col. 351.

(35) Le pape Jean XV, instruit par quelques évêques de ce qui s'était passé au concile de Saint-Basle, cassa les actes de ce concile, et suspendit de leurs fonctions tous les évêques qui avaient pris part à la déposition d'Arnoul. Gerbert, dont l'élection se trouvait ainsi annulée, fit tous ses efforts pour porter les évêques à mépriser la censure. C'est le but de cette lettre, dont les termes peu mesurés accusent le dépit de l'écrivain. Toutefois nous ferons observer que cette lettre a passé par les mêmes mains que les actes du concile de Saint-Basle.

(36) Le continuateur d'Aimoin prétend que Seguin ne consentit pas à la déposition d'Arnoul : il paraît pourtant qu'il souscrivit les actes du concile, puisqu'il fut frappé de suspense.

(37) Baronius, Annal. ad an. 993; Labbe, tom. IX; Hardouin, tom. VI, etc.

JURAMENTUM

Præstitum a* Petro *abbate Classensi Sancti Apollinaris* Gerberto *archiepiscopo Ravennati.

(Anno 998, 30 Novembris.)

(*Annal. Camaldul.*, tom. I, pag. 147, ex authentico archivi Classensis.)

Exemplum instrumenti, cujus tenor talis est :

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, anno, Deo propitio, pontificatus domni Gregorii quinti et universalis papæ in apostolica sacratissima beati Petri apostoli sede tertio, atque imperante domno Ottone tertio juniore anno tertio, die tricesimo mensis Novembris, indictione decima, Ravennæ.

Pastoralis ac pontificis domni et sanctissimi et beatissimi Gerberti archiepiscopi sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, et investitor meo providentia atque respectio, qui licet mihi indigno famulo tuo, nullis suffragantibus meritis, suæ laudis suæque pietatis clementia, sicut et omnibus subjectis suis, mihi largiflua suæ misericordiæ viscera clementer impendere, respirante illi divina virtute, dignatus est super me affluentem suæ pietatis misericordiæ exhibere, et me licet indignum et immerito et in cœnobio sancti Apollinaris Christi martyris ad conservandam sancti Benedicti regulam, et ad custodiendam secundum meam intelligentiam et possibilitatem gratia operante divina constituere me abbatem dignatus est. Idcirco ego presbyter et monachus, et electus a congregatione monasterii Sancti Apollinaris, quod vocatur ad Classem, promitto per hoc sanctum altare et sanctas ibidem conditas reliquias, et hæc sancta Dei quatuor Evangelia, quia ab hac hora inantea fidelis sum et ero omnibus diebus vitæ meæ sanctæ dominæ meæ Ravennati Ecclesiæ, et tibi domno meo Gerberto archiepiscopo Ecclesiæ sanctæ Ravennatis per rectam fidem tuisque successoribus in perpetuum, et omnem jussionem, voluntatem, seu consuetudinem sanctæ Ravennatis Ecclesiæ polliceor secundum meum posse completurum esse, et cum inimicis vestris nunquam ad damnitatem sanctæ Ravennatis Ecclesiæ et vestram infidelitatem me sociabo, sed totis viribus meis contra illos stabo pro vestra fidelitate, et quidquid ab illis scire potuero, aut per me, aut per meum missum nuntiare vobis, aut vestris fidelibus, studebo cito ut potuero ; et bene polliceor ut nunquam diebus vitæ meæ aut ad papam, aut ad majorem vel coæqualem patriarcham, aut ad imperatorem, aut regem vel aliquam personam majorem, vel minorem vadam, aut missum mittam contra sanctam vestram dominam meam Ravennatem Ecclesiam, aut contra vestram vestrorumque voluntatem agens per nullum ingenium sine vestra vel vestrorum successorum licentia. In festivitatibus quoque sanctorum martyrum Apollinaris et Vitalis omni anno ad synodum secundum antiquam consuetudinem occurrere promitto, excepta causa infirmitatis et itineris. Et de rebus monasterii Sancti Apollinaris, in quo me ordinare disponitis, ad nullam minorationem ab hac hora in antea aliquam scripturam aut chartam facere præsumam, nisi tantum per libellos aut emphyteusim bona renovanda, sicut per nostros antecessores firmiter sunt, seu prout melius posuero. Res ejusdem monasterii et possessiones omnes ad meliorationem renovabo, et ea loca quæ ad pensionem data sunt completa hæreditate contrahentium in salario jure, prout valuero, administrandas fruges recolligere totis viribus repromitto, quod ut vere ab omnibus credatur, et in futuro tempore a me observetur, manu propria scripsi.

Ego Petrus monachus, et presbyter et abbas monasterii Sancti Appollinaris in Classe, in hac promissione manu propria scripsi.

Et ego Artusinus notarius exemplavi.

SECTIO SECUNDA.

EPISTOLÆ ET DECRETA PONTIFICIA

Sylvester II monasterium S. Lamberti Seonense, petentibus fundatore Aribone comite et Ottone III imperatore, confirmat juribusque ornat, ea lege ut singulis annis denarii XII *sedi Romanæ solvantur a monachis.*

(Anno 999.)

[*Monumenta Boica*, Monachii 1763, 4°, tom. II, pag. 123.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei.

Si loca vel monasteria religiosis personis ac Deo devotis constructa nostra pontificali auctoritate corroborare et sublimare conamur, hoc procul dubio ad utriusque beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Quapropter noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium tam præsentium quam futurorum industria, qualiter Aribo comes, pro animæ suæ remedio suorumque parentum, in quodam suæ proprietatis loco olim Burgili vocato, sed

modo ab incolis Seuva Cella sancti Landperti martyris dicto, monasterium in honorem ejusdem sancti martyris Landperti amplifico benignitatis conamine construxit, ad augmentandum suæ salutis præmium et ex auctoritate sancti Petri principis apostolorum libertatis arbitrio corroboratum fieri postulavit. Igitur ex hac re gloriosissimi imperatoris Augusti Ottonis tertii piis interventionibus nostra apostolica auctoritas persuasa, præfato sancti martyris Landperti monasterio per hujus privilegii seriem liberum habere concessit arbitrium, ac ut monachis Deo inibi servientibus liceat secundum regulare beati Benedicti abbatis decretum eligere sibi abbatem. Insuper etiam placuit auctoritati nostræ concedere, ut prælibatus conservator monasterii advocatione utatur quandiu superstes est; sed post ipsius decessum potenter eligat sibi abbas cum fratribus advocatum quemcunque utiliorem comprobaverint; et ut absque omnijuga contradictione cujuscunque personæ cuncta loca urbana vel rustica, diversa prædia, culta vel inculta, cum omnibus eorum appendiciis quæ ab aliquibus Christianis concessa sunt vel concedentur, cum omni securitate quietus possideat, atque disponat, et post eum universi successores sui abbates in perpetuum. Qua ratione ipsum sæpe prælibatum monasterium per defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ liberalitate nostri privilegii confirmamus, ut neque nos, neque ulli nostrorum successorum pontificum, seu quilibet imperator aut rex, vendendi sive præstandi in beneficium vel tradendi habeat potestatem; et nullus dux, archiepiscopus, episcopus, comes, sive aliqua persona audeat inquietare, vel molestare, sive de rebus suis aliquid sine voluntate abbatis sibi usurpare. Et pro respectu testimonioque concessæ libertatis, sub honore XII apostolorum XII denarii ad limina apostolorum Petri et Pauli omni anno deferantur. Et si omni anno præsentari impossibile fuerit, infra spatium annorum XII persolvantur. Et pro vivo Romano pontifice ad missam amodo omni die una collecta fiat. Similiter et pro defunctis. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire aut agere tentaverit, sciat se domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris Jesu Christi in æternum ignem concremandum; simul et in voraginem tartaream demissus cum impiis deficiat. Admodum notum sit omnibus Christi fidelibus, quod si hoc præceptum meum non potuerit ista stabilitate, quod absit, æternaliter permanere; mox absque universorum contradictione rectorum ista abbatia sub præfatæ ingenuitatis honore, redeat liberaliter in proprietatem proximo hæredi de prædicti comitis Aribonis genere. Ea lege ut nec ipse proprie utatur, sed fidelis sit conservator donec iterum clementer habeatur sicut aliæ liberales abbatiæ regali tuitione providendæ. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino consequatur.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii S. R. E.

Data XIV Kal. Maii, anno Dominicæ incarnationis 999, indictione XII.

II.

Silvester II papa monasterii Fuldensis privilegia, petente Erkanbaldo abbate, confirmat.

(Anno 999, 31 Decemb.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, pag. 341.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio Erkanbaldo venerabili abbati sacri monasterii Salvatoris nostri Jesu Christi cunctisque tuis successoribus abbatibus ejusdem cœnobii in perpetuum

Pontificii nostri cura nos urget sanctarum omnium Dei Ecclesiarum utilitatibus favere ac, secundum quod unaquæque in proprio statu mansura sit, congruum eis impertire suffragium. Quocirca, dilectissime fili, omnia quæ a prædecessoribus nostris jure ac rationabiliter tui postulavere præcessores, tibi tuisque successoribus perpetuo confirmamus. Monasterium ergo Fuldense, quod sanctissimus Christi martyr Bonifacius primitus construxit, et regum ac principum donariis propriisque facultatibus magnifice ditavit, cum omnibus cellis, ecclesiis, curtibus, cunctisque ad se pertinentibus tibi nostri privilegii præceptione concedimus et confirmamus, ut nullus inde futurus abbas consecrationem unquam præsumat accipere nisi ab hac sede apostolica. Inter omnia Germaniæ cœnobia primum ordinem sedendi sive judicandi et concilium habendi tibi tuisque successoribus attribuimus. Nulli episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum temere, nisi a vobis accepta licentia, super altare vestri patrocinii missarum solemnia celebrare liceat. Nullius persona principis neque totum neque partem de rebus monasterii alicui mortalium subdere vel sub beneficii nomine dare præsumat, sed soli Romanæ sedi specialiter Fuldensis ecclesia semper libera securaque deserviat. Si, quod absit, aliquis abbas de vestro monasterio aliquo crimine infamis fuerit, constituimus ac præcipimus ut pulsationis judicium non sentiat, donec a nostra apostolica sede audiatur et examinetur. Liceat etiam tibi, charissime fili, tuisque successoribus abbatibus ejusdem monasterii episcoporum more apostolicam sedem ad defensionem tui tuæque Ecclesiæ appellare ac contra omnes æmulos vestros Romanæ majestatis scuto vos defensare. Decernimus hoc quoque deliberantes ut congruis temporibus nostræ sollicitudini intimetur qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur et concordia fratrum ecclesiastico studio custodiatur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ retorqueatur. Interdicimus, et hoc secundum decretum Zachariæ antecessoris nostri, ne ulla femina idem monasterium ingrediatur. Sed et hoc summo-

pere præcipimus et commonemus ut nullus de reditibus et fundis vel decimis cæterisque fidelium oblationibus a sancto Bonifacio martyre multisque aliis principibus Deo ibidem oblatis aliquid præter legitima ministerialium beneficia auferat vel cuiquam præstet, sed sicut beatus ille patronus vester constituit, omnia sint rata et ordinata, tam ea quæ ad hospitale pauperum et portam hospitum quam quæ ad necessitates fratrum pertinere videntur. Super hæc omnia constituimus per hujus decreti paginam, quam auctoritate principis apostolorum confirmamus, ut si quis hanc privilegii nostri chartam temerare audeat, anathema sit et iram Dei omnipotentis incurrens a cœtu sanctorum excommunicetur, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat.

Scriptum per manus Antonii notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Bene valete.

Datum II Kal. Januar. per manum Joannis episcopi sanctæ Albanensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus domni Silvestri junioris papæ primo, imperante domno Ottone IIIo pacifico, imperii ejus anno IIIo, indictione XIII.

III.

Silvester II papa Arnulfo Remensi, « quibusdam excessibus pontificali honore privato, quia ejus abdicatio Romano assensu caruerit, » concedit ut, recepto baculo et annulo, archiepiscopali officio fungatur et omnibus insignibus solito more perfruatur. — Ecclesiæ Remensis privilegia confirmat.

(Anno 999.)

[Duchesne, *Hist. Franc. script.*, II, 843.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Arnulfo sanctæ Remensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Apostolici culminis est non solum peccantibus consulere, verum etiam lapsos erigere, et propriis privatos gradibus reparatæ dignitatis insignibus informare; ut et Petro solvendi libera sit potestas, et Romanæ gloriæ ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi archiepiscopo quibusdam excessibus pontificali honore privato subvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per hujus privilegii nostri statuta, tibi baculo et annulo redditis, archiepiscopali officio fungi, et omnibus insignibus quæcunque ad sanctæ metropolim Remensis ecclesiæ pertinent, solito more perfrui. Pallio solemnitatibus statutis utaris, benedictionem regum Francorum et tibi subjectorum episcoporum obtineas, et omne magisterium quod tui antecessores habuisse visi sunt, nostra auctoritate apostolica geras. Præcipimus etiam ut nullus mortalium in synodo, aut in quacunque parte abdicationis tuæ crimen tibi quoquo modo opponere præsumat, A vel hac occasione in improperii contra te verba exardescat; sed nostra te ubique auctoritas muniat, etiamsi conscientiæ reatus accurrat. Confirmamus insuper tibi et concedimus archiepiscopatum Remensem in integrum, cum omnibus episcopatibus sibi subjectis, seu cum omnibus monasteriis, plebibus, titulis et capellis, atque cortibus, castellis, villis, casalibus, et cum omnibus rebus ad Ecclesiam Remensem pertinentibus, salvo et inviolabili testamento beati Remigii Francorum apostoli. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ quælibet magnæ parvæque personæ hoc nostrum privilegium infringere liceat. Si quis vero, quod absit, B hoc Romanum decretum violare tentaverit, anathema sit.

IV.

Silvestri II papæ epistola de electione Theotardi in episcopum Aniciensem.

(Anno 999.)

[Mansi *Concil.*, tom. XIX, col. 214.]

Silvester, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino filio Theotardo, sanctæ Vallavensis Ecclesiæ episcopo.

Quoties quæstiones ex adverso oriuntur, oportet ut synodali concilio finis quæratur, et secundum synodalem definitionem, quod statutum fuerit impleatur. Quocirca, quia constat ex generali synodo habita (38) Romæ, Stephanum tuæ Ecclesiæ invasorem C a prædecessore nostro Gregorio V jure damnatum, et ab omni sacerdotali officio depositum, quod Guidone vivente episcopo avunculo et prædecessore suo sit electus, sine cleri et populi voluntate, et a quibusdam tantum episcopis in episcopum post ejus mortem sit ordinatus, et quia in ea synodo clericis in Vallavensi ecclesia Deo famulantibus, licentia alium eligendi episcopum prius concessa, decretum est ut eorum electus a Romano pontifice in episcopum ordinaretur, et cum te ab eisdem electum didicerimus, ideo eorum electioni favente auctoritate apostolica, te in episcopum ordinamus, atque pastorali sollicitudine te, frater charissime, hortamur ut solerti cura gregem tibi commissum custodias, temetipsum sic in bonis operibus disponas, etc., ut si quis epi- D scopus te vel tuum locum ausu temerario excommunicare præsumpserit aut anathematis vinculo irretire tentaverit, nostro fretus munimine ipsam excommunicationem parvipendas.

V.

***Silvester II PP. sacram coronam Stephano Hungarorum duci mittit, quem regio quoque nomine cohonestat; variisque concessis privilegiis, Strigoniensem ecclesiam regni metropolim instituit* (39).**

(Anno 1000.)

[Cocquelines, *Bullarum Rom. pont. ampl. Collect.*, *I*, 399.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, Ste-

(38) Huic synodo subscripserat Silvester tunc archiepiscopus Ravennæ, sub nomine Gerberti.

(39) Celeberrimo huic monumento bullæ nomen addere non auserim; illud tamen hic referendum

PHANO duci Hungariorum salutem et apostolicam benedictionem.

Legati nobilitatis tuæ, in primis vero charissimus c..n'rater noster Astricus venerabilis Colocensis episcopus, tanto majori cor nostrum lætitia affecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, quanto divinitus præmoniti cupidissimo animo illorum adventum de ignota nobis gente præstolabantur. Felix legatio, quæ cœlesti præventa nuntio, atque angelico pertractata ministerio, prius Dei conclusa est decreto quam a nobis audita fuisset. Vere *non volentis, neque currentis, sed*, secundum Apostolum, *miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16) : qui, teste Daniele, *mutat tempora et ætates : transfert regna atque constituit ; revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta* (*Dan.* II, 21, 22), quia lux cum eo est, *quæ*, sicut docet Joannes, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Primum ergo gratias agimus Deo Patri et Domino nostro Jesu Christo, qui temporibus nostris invenit sibi David filium Geysæ, hominem secundum cor suum, et luce irradiatum cœlesti suscitavit illum pascere Israel populum suum, electam gentem Ungarorum. Deinde laudamus pietatem sublimitatis tuæ in Deum et reverentiam erga sedem apostolicam, cui, divina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio præsidemus. Tunc vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro apostolorum principi regnum, ac gentem cujus dux es, cunctaque tua ac teipsum per eosdem legatos et litteras perpetuum obtulisse digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte testatus es, et revera talem te merito esse demonstrasti, qualem ut nos te declararo dignaremur studiose expetivisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut quem tot ac talia præclara pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipse commendat, amplius commendemus. Quare, gloriose fili, cuncta a nobis et sede apostolica postulata, diadema nomenque regium, Strigoniensem metropolim et reliquos episcopatus, omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ejus auctoritate præmonente, atque ita jubente eodem omnipotente Deo, cum apostolica et nostra benedictione, libenter concessimus, concedimus et impertimur. Regnum quoque a munificentia tua S. Petro oblatum, teque una ac gentem, et nationem Ungaricam præsentem et futuram, sub protectionem S. Romanæ Ecclesiæ acceptantes, prudentiæ tuæ, hæredibus ac legitimis successoribus tuis, habendum, tenendum, regendum, gubernandum ac possidendum reddimus et conferimus. Qui quidem hæredes ac successores tui quicunque, posteaquam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis, et successoribus nostris per se, vel per legatos, debitam obedientiam ac reverentiam exhibere, seque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos, subditos esse ostendere, atque in catholica fide, Christique Domini ac Salvatoris nostri religione firmiter perseverare, eamdemque promovere. Et quia nobilitas tua apostolorum gloriam æmulando, apostolicum munus Christum prædicando, ejusque fidem propagando gerere non est dedignata, nostrasque, et sacerdotii vices, supplere studuit, atque apostolorum principem præ cæteris singulariter honorare ; idcirco et nos singulari insuper privilegio excellentiam tuam tuorumque meritorum intuitu hæredes, ac successores tuos legitimos, qui, sicut dictum est, electi atque a sede apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus decorare cupientes, ut postquam tu, et illi corona quam mittimus, rite juxta formulam legatis tuis traditam coronatus, vel coronati, exstiteritis, crucem ante se, apostolatus insigne, gestare facere possis et valeas, atque illi possint valeantque ; et secundum quod divina gratia te et illos docuerit Ecclesias, regni tui præsentes et futuras nostra ac successorum nostrorum vice disponere atque ordinare apostolica auctoritate similiter concessimus, volumus et rogamus, sicut in aliis litteris, quas in communi ad te, optimatesque regni, et cunctum fidelem populum per nuntium nostrum, quem ad te dirigimus, deferendis plenius hæc omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem Deum, qui te de utero matris tuæ vocavit nomine tuo ad regnum et coronam, quique diadema, quod duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandavit, augeat incrementa frugum justitiæ suæ ; novellas plantas suas regni tui rore suæ benedictionis perfundat largiter : regnum tuum tibi, teque regno servet incolumem : ab hostibus visibilibus et invisibilibus protegat ; ac post terreni regni molestias in cœlesti regno corona adornet æterna.

Data Romæ VI Kal. April., indictione decima tertia.

VI.

Epistola Silvestri II papæ ad Darferium comitem ejusque filios et nepotes.

(Anno 999.)

[Contatore, *Hist. Terracin.*, 41.]

Darferio comiti ejusque filiis et nepotibus, « maxime ob militare obsequium » sibi promissum, tribuit « nomine beneficii civitatem superiorem et inferiorem, quæ vocatur Terracina, cum omni districtione sua atque comitatu Terracinensi. » « Et quoniam, » inquit, « sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifices nomine pensionis per certas indictiones hæc et alia nonnulla attribuisse nonnullis indifferenter constat, cum lucris operam darent et sub parvissimo censu maximas res Ecclesiæ perderent, id genus doni totum in melius commutamus, uti [per] ea

patavi, magnum siquidem apostolicæ Romanorum pontificum sollicitudinis ad propagandam orthodoxam religionem documentum, illustre filialis regum Hungarorum erga Romanam Ecclesiam observantiæ, quæ non assimilis cæteris in regnis regibusque semper fuit.

quæ per hanc nostræ præceptionis paginam concedimus sub nomine beneficii, et stipendia militaria sunt; hoc quippe genus pensionis dignum ducimus, et milites in pace obsequio, in bello armis pro honore et salute sanctæ Romanæ Ecclesiæ decertent. Sed ne res ecclesiasticæ in possessionem vel proprietatem alicujus transire possint, sub nomine pensionis ab hac præsenti quarta decima indictione constituimus, ut actionariis sanctæ Romanæ Ecclesiæ tres auri solidi persolvantur, id est in mense Januario. »

VII.

Epistola Silvestri papæ II ad Azelinum Laudunensem episcopum. — Ipsum de multis criminibus accusatum ad proximam synodum Romæ evocat.

(Anno 1001)

[Apud Mansi *Concil.*, tom. XIX, col. 211.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, Azelino [*al.*, Ascelinio] Laudunensi.

Super salute et apostolica benedictione nihil est quod admirari possis, quoniam, sub pontificali nomine homo etiam moribus esse desiisti. Si fides mortalem Deo sociat, perfidia nihilominus rationabilem brutis animalibus æquat. Cum hoc totum te sapere constet, vehementer admiramur nativam te conditionem reliquisse, et nova et inaudita scelera inhumanius perpetrasse. Epistola regis Roberti et suorum pontificum, apostolicis et imperialibus oblata est manibus, quæ te coram universo clero ac populo his publicis accusat criminibus. Ad synodum habitam Compendio cum a Remensi et Turonensi archiepiscopis cæterisque confratribus invitatus fueris, acceptis a quibusdam eorum et aliorum sacramentis pro vitæ membrorum atque captionis securitate, tandem venisse diceris : synodalem severitatem cum libimetipsi conscius merito perhorresceres, ad misericordiæ preces, eadem epistola teste, venisti. Legibus te non posse objectis respondere manifestasti, dominum tuum regem offendisse te non negasti. Indulgentiam tantummodo postulans per universam synodum, regis gratiam innovatis perjuriis obtinuisti. Datis obsidibus, archidiacono scilicet tuo, et altero milite, turres Lauduni te redditurum promisisti. Magistrum tuum Remensem archiepiscopum pro accipiendis turribus sub Judæ specie tecum ducens, capere voluisti : carcer quippe cæterorum, fraudis in eum conceptæ detegit dolum. O Juda magistri proditionem innovans, et pontificalem gloriam nostris temporibus deturpans! Cum magistrum archiepiscopum tradere velis, domino regi non parceres, si posses. In carcere tenes traditos milites, et fefellisse non vereris regem. Exorationum epistolis quoties te monuimus, et ab his periculis eruere te desudavimus! Sed quoniam irruentibus peccatorum cumulis te coercere nequivimus, in hac proxima paschali hebdomada Romæ te adesse præcipimus, et generaliter ibi habendæ synodo repræsentare te monemus. Hujus ergo invitationis nostræ nulla occasione sis transgressor vel suspensor, quoniam, nisi adfueris, synodicæ auctoritati in eodem concilio subjacebis, et de absentia nihil lucraberis. Viarum excusatio nulla te premat, quoniam in Lotharicnsi regno nullæ te manent insidiæ, Italia vero nullam prætendit formidinem. Nisi corporis molestia occupatus fueris, aliter excusatio nulla esse poterit. Sed testes mittendi sunt, qui et tuum languorem confirment, accusatoribus tuis respondeant, et legibus te expurgent.

VIII.

Silvester II papa S. Urgellensis ecclesiæ bona et jura confirmat.

(Anno 1001.)

[Coequelines, *Bullarum summ. pont. ampliss. Collect.*, I, 301.]

Sylvester episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo sanctæ Urgellensis Ecclesiæ episcopo tuisque successoribus in perpetuum.

Desiderium, quod religiosorum præpositorum ordinatione et sanctorum locorum stabilitate permanere monstratur, sine aliqua est Deo auctore dilatione sustentandum, et quoties in suæ utilitatis commodis nostrorum assensus, et sanctæ apostolicæ auctoritatis exposcitur præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et rite pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc nobis quoque potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus conscribatur. Et ideo quia postulasti a nobis, ut præfatum episcopatum sanctæ Urgellensis Ecclesiæ apostolicæ auctoritatis serie muniremus, et omnia ei pertinentia, quæ juste et legaliter habere vel tenere videtur, perenni jure ibidem inviolabiliter permanenda confirmaremus, propterea tuis flexi precibus, per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes decernimus ut cuncta loca urbana vel rustica, id est, cortes, mansos, salas, castella, casales, vineas, terras diversaque prædia, culta vel inculta, cum decimis et primitiis suis, colonis vel colonabus suis, ancillis et aldionibus quæ ab aliquibus fidelissimis Christianis eidem episcopio concessa sint, sive in comitatu Cerdaniensi pagus Libianensis, Bergitanensis, Palionensis, Ribacurcensis, Jestabiensis, Cardosensis, Anabiensis, Turbiensis, et locum sanctæ Deodatæ cum finibus suis; castrum quoque Sanaugia cum finibus suis, Calbiciano, Feners, Submonte, Letone, Clopedera, cum silvis et finibus earum. In pago Ausonensi Castellato et Turizella cum finibus suis. In Marfano ipsum alaudem, qui fuit de Guisado episcopo. In Gerundense villa Adeiz cum omni alode vel ipsa parochia; item in Urgello villam, quam dicunt Bascharam, cum finibus suis, et ipsam parochiam de Alasse, et ipsam villam de Boxedera, Nocolone, Sardina, Sallellas, cum fevo et alode comitale. In villa sancti Stephani fevo et alode comitale. In valle Andorra omnes alodes comitales, et ipsam de Montani cello vel de Cubilare cum finibus eorum. Castrum de Catorbite cum finibus suis, et villam de Salente cum finibus suis, et ipsum fevum de Archavelle etiam, et monasterium Sancti Petri in Scha-

las cum omnibus suis pertinentiis. Et ipsam turrem, quæ fuit de Marchuz, atque aliam turrem in fines Ce's na, quæ fuit de Bellone, sive tertiam partem te'onei cum pertinentiis mercati, vel omnia quæ per aliqua munimina ad eumdem pium locum pertinere videntur, et quod amodo, et in antea, tu tuique successores legaliter ac quisituri fueritis, cum magna securitate pacifice et quiete habere vel tenere, et possidere debeatis in perpetuum, ita ut nullus rex, nullus princeps, nullus comes, nullus marchio, nullus judex, neque ulla magna parvaque persona aliquam vim aut invasionem in eodem episcopio neque in suis pertinentiis unquam facere præsumat. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire tentaverit, sciat te domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum, simulque et in voragine tartarea demersum cum impiis deficiat. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino consequatur.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione quarta decima.

IX.

Epistola Silvestri II papæ ad Robertum Vizeliacensem abbatem. — Privilegia Vizeliacensia confirmat.

(Anno 1001.)

[Mansi, *Concil.*, tom. XIX, col. 243.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Roberto, religioso abbati sancti Vizeliacensis cœnobii, omnique congregationi ejusdem monasterii, in perpetuum.

Quoties illa a nobis tribui sperantur quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertire suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et Christianissimo viro, nec non et Bertha uxore ejus, in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et veneratione beatissimæ Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri, constructum in regno Burgundiæ in parochia Augustodunensi, in pago Avalensi; quodque a præfatis fundatoribus B. Petro apostolorum principi liberali devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus, veluti a prædecessoribus nostris piæ memoriæ Nicolao papa, atque Joanne, jamdudum factum fuisse: inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus. Per quod apostolicæ auctoritatis privilegium confirmamus atque statuimus ut nulli imperatorum, nulli unquam regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædito dignitate, nulli cuiquam alii, de omnibus rebus mobilibus vel immobilibus A quæ eidem monasterio a jam dictis fundatoribus, vel ab aliis quibuscunque personis collatæ et concessæ vel in futurum a quolibet de proprio fuerint jure donatæ, sub cujuslibet causæ occasionisve specie liceat minuere vel auferre, neque suis usibus applicare: sed cuncta quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit a præsenti XIV indictionis tempore illibata et sine inquietudine, in sustentatione jam dicti monasterii, et usibus abbatum, et monachorum sub regula Patris Benedicti ibi Deo militantium, volumus atque præcipimus possideri; ea videlicet conditione ut nullus successorum nostrorum pontificum in hac sancta sede, cui Deo auctore servimus, unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quelibet con- B cedere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodo in testamento traditionis a fundatoribus, qui ex eodem monasterio hanc sanctam sedem Romanam hæredem fecerunt, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem monasterio, et tibi successoribusque tuis ac monachis sub jam dicti Patris regula ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus ut, obeunte abbate dicti monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei et institutionem regulæ B. Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex providerit ordinandum. C Unde constituimus, et apostolica auctoritate censemus, atque per hoc nostrum apostolicum privilegium confirmamus, ut nullus rex aut pontifex, vel abbas aut comes, vel qualiscunque magna parvaque persona, avaritiæ cupiditate corruptus, aut diabolica suggestione deceptus, audeat vel præsumat contra tuum honorem, o venerabilis Roberte abbas, qualicunque modo insurgere, vel in tuo loco aut de tuo honore molestias tibi inferre, vel de omnibus rebus monasterii quæ tibi tuisque decessoribus a nobis nostrisque antecessoribus per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones vel rapinas sive violentias inferre; si non vult, auctoritate Dei, et S. Petri, et nostra apostolica excommunicatione a corpore et sanguine Domini nostri D Jesu Christi, et ab ingressu ecclesiæ noverit se esse disjunctum. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nulli unquam liceat de regibus, nulli de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, aut clericorum, vel presbyterorum, aut de largitione chrismatis, vel de consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare; neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in

eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quocunque modo populari conventu valeat perturbari, neque mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium aut religiosorum virorum, atque beneficentiam quam jubet Apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci et facultate, non modo ibidem fieri denegamus, verum etiam suademus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat; et nisi ea quæ a se male acta sunt defleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loca justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud æternum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

A

B

X.

Silvestri II epistola ad Odonem episcopum Gerundensem.

(Anno 1002.)

[Florez, *España Sagrada*, XLIII, 419.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Odoni, episcopo sanctæ Gerundensis Ecclesiæ tuisque successoribus in perpetuum.

Desiderium quod, etc. Et ideo quia postulasti a nobis ut præfatum episcopatum sanctæ Mariæ Gerundensis Ecclesiæ apostolicæ auctoritatis protectione muniremus, et omnia ei pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanenda confirmaremus, videlicet quantum habere videtur infra muros civitatis Gerundæ vel in ejus comitatu, una cum ecclesia Sancti Felicis martyris et Sancti Narcissi, quæ est juxta portam civitatis Gerundæ, cum omnibus eorum pertinentiis, et ecclesiam Sanctæ Mariæ quam dicunt (vulgo *Labisbal*) episcopalem, simulque cum ipso alaude, vel fiscus quem dicunt Fontanetus et Fonte Edeta, et Apiliares, et Ventinaco, et muro et murello de Palatiolo, et ipsam Fontem. Hæc omnia cum decimis, et primitiis et oblationibus, et servitium fiscale, et ipsum alaudem quem dicunt Parietes Rufini cum terminis et adjacentiis suis, et omnes ecclesias parochiales, vel appenditios qui sunt in omni comitatu Gerundæ, et cum decimis, et primitiis, et oblationibus fidelium, et alaudes quæ ad ipsas ecclesias pertinent, vel habere videntur, et tertiam partem de ipsa moneta de civitate Gerunda, simul cum censu de ipsis Judæis, atque tertiam partem de ipso teloneo, de ipsis mercatis de prædicta civitate, vel de ejus comitatu, et tertiam partem de ipsis pascuariis de prædicto comitatu. Et in comitatu Bisuldunensi ipsum alaudem quem dicunt Bascara, et ipsum alaudem de Crispiano cum eorum terminis et adjacentiis. Et cellam Sancti Laurentii, quæ est supra castrum Bobeta, quemadmodum Fredolo per præcepta regalia detinet. Et ecclesiam Sancti Martini, quæ est in locum quem dicunt Calidas, cum omnibus quæ habere videtur. Et omnes ecclesias parochiales, vel appenditias, quæ in prædicto comitatu Bisuldunensi sunt, qui sunt de prædicta sede, vel esse debent, cum decimis, et primitiis, et oblationibus, et alaudes quæ ad ipsas ecclesias pertinent, cum tertia parte de teloneo, et mercatos suos, et ipsos pascuarios. Et in civitate Empurias omnia quantum ibi ipsa prædicta sedes habet cum ipso censu de ipso mari. Et in comitatu prædicto Empuriense ipsum alaudem quem dicunt Uliano cum terminis et adjacentiis suis et cum servitio fiscale, et ecclesias quæ ibi sunt fundatæ cum decimis et primitiis et oblationibus quæ ad eas ecclesias pertinent. Et ecclesiam Sancti Joannis quæ est in Bederga cum decimis, primitiis et oblationibus. Et omnes ecclesias parochiales cum earum appenditiis, quæ in prædicto comitatu Emporitanense sunt, una cum decimis, et primitiis, et oblationibus, et alaudibus suis, quæ sunt de ipsis ecclesiis. Et in petralata ecclesiam Sancti Martini, cum decimis, et primitiis, et oblationibus suis. Et in comitatu Petralatensi ecclesiam Sanctæ Mariæ cum decimis, et primitiis, et oblationibus, et alaudibus suis. Et omnes ecclesias parochiales cum earum appenditiis quæ sunt in comitatu prædicto Petralatensi cum earum decimis, et primitiis, et oblationibus, et alaudibus. Et tertiam partem de teloneo de ipsis mercatis, et tertiam partem de ipsis pascuariis. Et ut absque jugo seu ditione cujuscunque personæ eum stabilire nostri privilegii pagina corroboraremus. Propterea tuis flexi precibus per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes decernimus ut cuncta loca, etc., ita ut nullus judex, nullus marchio, etc. Qui vero custos, etc.

C

Scriptum per manum Petri notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Decembri, indictione prima. Bene valete.

XI.

Bulla Silvestri papæ II qua utrumque monasterium Stabulense et Malmundariense sub sua suscipit protectione, mandatque ut in abbatis electione ex Stabulensi, si dignus reperiatur, assumatur.

(Anno 999-1003.)

[Marten., *ampl. Collect.* II, 54.]

Silvester, summus et universalis papa et beati Petri vicarius, servus servorum Dei, venerabili Stabulensium et Malmundariensium abbati Ravengero et omnibus in Christo pie vivere volentibus veram in Domino Jesu dilectionem ac mutuam fraternæ charitatis unanimitatem.

D

Cum constat post primorum nostrorum parentum prævaricationem in liberi arbitrii abusionem genus humanum ei sententiæ addictum, ut et homo capitibus aliorum secundum Psalmographi vocem superponatur, ad compescendos scilicet humanæ voluptatis illicitos appetitus, et legibus non modo forensibus, verum etiam ecclesiasticis cohibeamur regulis ac rationibus, eousque progressa est auctoritatum institutio, ut sancta sanctorum loca, quæ devotione

fidelium fundata, cultui divino mancipata, plura a diversis stipendiorum eximia sunt adepta, non solum regalia, sed imperalia, ad immunitatem sui expostulent præcepta; verum etiam auctoritatis nostræ ad stabilitatem sui desiderent privilegia. Quapropter rogatu venerabilis Notgeri Leodiensis episcopi abbatiam Stabulensem vel Malmundariensem antiquorum regum et imperatorum munificentia nobiliter constructam, et semper tam nostrorum prædecessorum auctoritate quam regia immunitate defensam, sub eadem immunitatis nostræ tuitione suscipimus. Abbatem semper habeant, ea tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, ut quia beatus Remaclus utriusque monasterii constructor et Tungrensium antea episcopus et pastor maluit in altero eorum, id est Stabulensium, locum sepulturæ sibi diligere, ipsi primam electionis obtineant vicem, si apud eos melior meritis et instructior litteris inveniatur. Si autem non illic, sed Malmundarii melior reperiatur, utrique loco præficiendus potius quam externis assumptus intromittatur.

XII.

Silvestri II papæ epistola ad Odilonem abbatem Cluniacensem.

(Anno 999-1003.)

[Mabill., *Annal.* tom. IV, pag. 134.]

(40) Silvester episcopus, servus servorum Dei, Odiloni dilecto filio et abbati præclaro, atque universæ congregationi sibi commissæ, charam salutem et apostolicam benedictionem.

Vestris nos sanctissimis omni tempore committimus orationibus, et ut accipere dignemini, fidelibus exoramus petitionibus, quia in quocunque noster valuerit status, nullo modo vester defectum sentiet profectus. Ad hæc igitur, quæ nostræ auctoritati per Gerbaldum vestrum monachum discutienda præsentatis, APOSTOLICA AUCTORITATE, ET CONFRATRUM EPISCOPORUM CONSILIO, tali vobis respondemus judicio. Cognoscimus enim illum episcopum catholice fuisse ordinatum, et rationabiliter episcopale accepisse officium; sed postquam divino amore ductus, honoribus et officiis renuntiavit sæcularibus, non sibi licuit eadem exercere negotia quæ prius fecerat in communi vita. Unde, quia quod fecit, non temere nec contra catholicam auctoritatem præsumpsit, sed obedienter et simpliciter coepiscoporum licentia et sui abbatis exercuit; et quia bona intentio non est contraria Deo, volumus et judicamus ut quoscunque ille ad aliquem gradum ecclesiasticum promovendos duxit et benedixit, benedicti sint, et proprio fungantur gradu nostra licentia et benedictione. Qui vero superbe et præsumptuose in eodem gradu in quo eos ordinavit, noluerint persistere, ab illo suspendantur gradu, quem post suam [*al.*, pro sua] depositionem acceperint, sed illo fruantur licenter quem habebant, et ipse jam dictus episcopus posthac similia non præsumat. Valete.

XIII.

Silvestri II papæ epistola ad..... abbatem.

(Anno 999-1003.)

[Apud Theiner, *Disquisit. critic. in præcipuas canonum et decretalium Collectiones*, pag. 318, ex cod. Vatic. n. 1363, fol. 207.]

Silvester episcopus, servus servorum Dei, abbati..... salutem et apostolicam benedictionem.

De hoc unde nos consuluisti ideo respondere tibi distulimus, quoniam auctoritatem in Romanis voluminibus non habemus. Illos autem libros, in quibus specialem sententiam legimus, in Gallia relictos recolimus. Aliquid tamen memoria retinemus quod tuæ petitioni sufficere posse credimus. In iisdem libris *de episcopis per pecuniam promotis* legitur ut quisquis talis inventus fuerit, per biennium pontificali officio carens, duos dies per hebdomadem a vino et cocto se abstineat, et post finitum psalterium comedat. Hoc quippe traditionibus priorum Patrum concordare videmus, qui ejusmodi episcopos deponi sanxerunt. Officii suspensio sit cujusque depositio. Qui enim deponitur, a communione non privatur. Valet utique tantumdem biennii suspensio cum pœnitentia, quantum sola depositio. Qui vero post biennem suspensionem et pœnitentiam officio suo redditur, quasi post depositionem misericorditer reconciliatur. Incipe ergo post octavam Pentecostes prædictum biennium, et eo pacto tuo officio sis restitutus. Si fratrum custodiam et totius cœnobii sarcinam alicui fratrum committere possis, donec pœniteas, committe. Sin autem, oportet, quamvis graveris, ut ipse patienter totum sufferas. Multiplex igitur calor purius effundit a fornace metallum.

XIV.

(Fragmentum.)

Silvester II ecclesiæ SS. Gervasii et Protasii, in comitatu Gabalitano a Stephano vice-comite et Angelmoda conjuge constructæ, beatoque Petro oblatæ protectionem suscipit.

(Anno 999-1003.

[*Histoire de Languedoc*, tom. II, *Preuves*, pag. 154.]

Silvester episcopus, omnibus fidei Christianæ fidei cultoribus.

Notum esse volumus Stephanum vicecomitem et Angelmodam conjuges, ecclesiam sanctorum Gervasii et Protasii de suis propriis constructam in comitatu Gabalitano positam, nostræ S. R. E. per donationis paginam donasse, etc. Unde placuit nobis

40) Cum ad Cluniacense monasterium episcopi non pauci, abdicata dignitate, monasticæ vitæ professendæ causa se reciperent; contigit ut unus ex illis, coepiscoporum et abbatis sui consensu, quibusdam clericis ordines ecclesiasticos conferret. Hinc dubitatio nonnullis suborta, validæne essent illæ ordinationes; videnturque ab aliquibus improbatæ episcopis, qui ordinatos illos deposuerint: hinc nihilosecius, ad altiores gradus conscenderant. De his consulendus visus est Silvester secundus, litteris ad eum ab Odilone abbate scriptis, delatisque per Gerbaldum monachum, eum, ut puto, qui postmodum abbas Sanctæ Christinæ monasterii apud Olonnam in agro Mediolanensi factus est. Ad has vero litteras pontifex respondit in hunc modum.

eamdem prædictam ecclesiam..... sub nostra protectione, etc., jubemus ut nullus rex, marchio, dux, comes, vicecomes aut alius majorum, parvaque persona, illam ecclesiam aliquo modo inquietare vel molestare audeat, etc.

XV.

Silvester II monasterium S. Trinitatis et S. Petri Burguliense, ab Emma comitissa Pictaviensi conditum, privilegiis ornat.

(Anno 1003.)

[*Gall. Christ.*, tom. IV, edit. 1.]

Silvester, papa, Emmæ comitissæ Pictaviensium. Innotuisti auribus nostris quod, Deo donante et venerabili Gauberto abbate cogente et hortante, in loco qui vocatur Burgulius in honore sanctæ et individuæ Trinitatis et S. Petri apostolorum principis monasterium fundaveris, terris locupletaveris, rebus ditaveris, tuis precibus inclinati libenter assensum impendimus. Statuimus ergo, annuente Raynaldo Andegavensi episcopo, ut nullius civitatis pontifex A concilium in eodem monasterio absque consensu et voluntate abbatis et monachorum ejusdem loci celebrare præsumat. Electionem vero abbatis, monachis ipsius loci licet agere, non ex alienis, sed ex propriis, cujus vita et mores secundum Deum sint. Quo electo, duci Aquitanorum filiisque ejus eum repræsentent, et ipse ei donum præbeat sine ulla contradictione aut aliqua contrarietate. Si quis vero abbas cupiditate aliqua accensus, aut potentia sæculi munitus, cum vi intrare in hanc abbatiam voluerit et hanc supradictam scriptionem præterire ausus fuerit, in horrendo judicio Dei incidat. Ecclesiæ autem ipsius monasterii in quibuscunque territoriis sitæ maneant, absque alicujus episcopi, seu archidiaconi, nec non et alterius personæ inquietudine, excepto synodali, B vel quæ vulgo *circada*, vel *parada*, dicuntur, etc.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, indict. I. Bene valete, Sylvester, qui et Gerbertus papa.

DUBIA.

XVI.

Litteræ Silvestri II papæ ad Ottonem III imperatorem, quibus significat se episcopo Ticinensi commendasse monasterium monialium Ticinensium, quod Senatoris *apellatur, ipsumque rogat ut hujusmodi constitutionem confirmet.*

(Anno 1001.)

[Muratori, *Antiq. Ital.* V, 901.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Silvester, servus servorum Dei, apostolicæ sedis humilis episcopus, Ottoni imperatori. C

Pastorali cura semper vigilare ac laborare debita pro gregis salute decet, ut vestro fulta præsidio nostras Ecclesias protegere, tueri atque defendere nostra studeat providentia, ne iniquorum effrenata servicia, omnique timore libera, Deo famulantes sua peragere officia impediat. Vestris quippe antecessoribus, vestræque imperiali majestati notum esse scimus, monasterium quod Senator pro remedio animæ suæ et cunctorum fidelium, in honorem sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ Papiæ construxit, nostræ ditioni deditum eo tenore ut pro tempore abbatissam, ex eadem congregatione electam ibi, quæ sanctas moniales regeret, consecraremus, et ab omni malorum hominum locum illum molestatione defenderemus. Nunc vero..... abbatissam et sanctas moniales Deo servientes, pessimorum opprimente calumnia, dum longe positi, ut decebat, defendere non potuimus : per interventum Widonis nostri Vicarii, ejusdem loci episcopi, vestra quoque imperiali suggerente majestate, illud monasterium ecclesiæ Sancti Syri concessimus, non ad dominium per subjectionem, neque per extra..... dominationem, nec per aliquam conditionem, sed ad solam consecrationem et defensionem, ut pastor episcopus illius loci præsentem abbatissam et sanctas moniales ab omni inquietudine defendant, ita ut prælatus episcopus, vel aliquis de successoribus alicui meorum successorum aut imperatorum, per scriptum vel per aliquod ingenium..... constituere fecerit, statim monasterium nostræ consecrationis et vestræ defensionis revertatur. Quia nec nos nec aliquis aliter quam bonæ memoriæ Senator cum de eo constituerit, audemus..... vestram imperialem deprecamur clementiam, ut nostram constitutionem vestro corroboretis præcepto, et hanc firmetis rogo. Si quis vero episcopus aut aliqua magna vel parva persona bona ipsius ecclesiæ diminuere aut devastare, vel aliquod tributum exigere præsumpserit, anathematis vinculo ex parte S. Mariæ et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium electorum Dei et nostra, nisi resipuerit, alligatum se sciat, et cum Juda proditore Domini in æternum damnatum. Iloc quoque ut firmius habeatur, manu nostra subter firmavimus, et nostro sigillo signavimus.

Silvester..... episcopus et sanctæ Mariæ virginis D *Dei genitricis manu propria corroboravimus.*

Imperatoris Ottonis signum.

Scriptum per manus Petri scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Confirmatum per manus Gregorii chartarii sanctæ apostolicæ sedis.

Actum hoc Romæ, anno Dominicæ incarnationis millesimo primo, indictione tertiadecima, anno vero pontificatus Silvestri universalis papæ quarto.

Sigillum plumbeum appensum.

SILVESTRI II CARMINA.

I.

Epigramma Gerberti episcopi Ravennæ, post pontificis Romani, quod sic se habet inscriptum ad imaginem Boetii.

[Baron. *Annal. eccles.* tom. VII, Append. pag. 5.]

Roma potens dum jura suo declarat in orbe,
Tu Pater et patriæ lumen, Severine Boeti
Consulis officio rerum disponis habenas,
Infundis lumen studiis, et cedere nescis.
Græcorum ingeniis; sed mens divina coerce.
Imperium mundi; gladio bacchante Gothorum,
Libertas Romana perit : tu consul et exsul,
Insignes titulos præclara morte relinquis.
Nunc decus imperii summas qui prægravat artes,
Tertius Otto sua dignum te judicat aula,
Æternumque tui statuit monumenta laboris,
Et bene promeritum meritis exornat honestis.

II.

Epitaphium regis Francorum Lotharii.

[Apud Duchesn. *Script. rer. Franc.*, tom. II, inter epist. Gerberti.]

Cujus ad obsequium coiere duces, bonus omnis
Quem coluit, sate Cæsaribus, monumenta doloris
A Cæsar Lothari prætendis luce secunda,
Terrifici Martis quod eras conspectus in astro.

III.

Epitaphium ducis Friderici.

[Ibid.

Francorum placito nomen tulit hic Friderici :
Quem proavi fudere duces a sanguine regum,
Officio meritisque parem sopor ultimus hausit.
Mercurii cum celsa domus tibi, Phœbe, pateret.

IV.

Epitaphium Adalberti Scholastici.

[Ibid.]

Edite nobilibus studium rationis adepte,
Dicit Adalbertum te Belgica flore juventæ,
B Stare diu non passa, tulit fortuna recursus,
Bis senas Februi cum produxisset Apollo.

V.

Epitaphium Ottonis imperatoris.

[Ibid.]

Cujus ad imperium tremuere duces, tulit hostis
Quem dominum populique suum novere parentem,
Otto decus divum, Cæsar charissime, nobis,
Immeritis rapuit te lux septena decembris.

SPURIA AUT ALIENA.

ACTA CONCILII REMENSIS AD SANCTUM BASOLUM

AUCTORE GERBERTO ARCHIEPISCOPO.

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. III, pag. 658.

INCIPIT PROLOGUS SYNODI REMENSIS [35].

Licet æmuli mei dentes in me exacuant, dictaque et facta proscindere parent, plus tamen amicorum obsequio quam invidorum odio permoveor. Non enim, ubi non erat timor, timere didici, nec amicorum infecta relinquere negotia. Accingor igitur, et summarum quidem genera causarum in Remensi concilio exposita breviter attingam, ut et gestorum veritas innotescat, et quæ a summis viris retractata sunt agnoscantur. Peto autem ab hujus sacri conventus prælatis, si quid minus grave vel parum comptum expressero, non suæ injuriæ sed meæ ascribi ignorantiæ; ab auditoribus quoque, ne me aliena vel parum dixisse denotent. Siquidem triplici genere interpretationis utendum [35] fore censeo; scilicet ut quædam ad verbum ex alia in aliam transferantur linguam; in quibusdam autem sententiarum gravitas et eloquii dignitas dicendi genere conformentur [36]; porro in aliis una dictio occasionem faciat, et abdita investigari, et in lucem ipsos affectus manifeste proferri. Quæ etsi ad plenum assequi non potuero, his tamen modis doctissimorum hominum sententias conabor interpretari. Sed earum amplificationes, digressiones, etsi qua ejusmodi sunt, quodam studio refringam, ne odio quarumdam personarum potissimumque Arnulfi proditoris moveri videar, quasi ex ejus legitima depositione Remense episcopium legitime sortitus videri appetam. Alterius erit hoc operis aliisque implicitum questioni-

C

VARIÆ LECTIONES.

[35] r. G. papæ 1. [35] indum *corr.* utendum 2. [36] *ita* 1, 2.

bus, cum de propriis, communibus et differentiis episcoporum, archiepiscoporum, vel metropolitanorum [30*], patriarcharum, seu primatum, vel etiam Romani episcopi potestate, ut animo concepi, prolixius disputabo.

EXPLICIT PROLOGUS [31]. INCIPIUNT CAPITULA.

1. Qui, et quo, et ex quibus provinciis, episcopi convenerint.
2. Prælocutio Arnulfi episcopi de examinanda Arnulfi causa.
3. Responsio Siguini archiepiscopi de cognitione judicii.
4. Objectio Daiberti archiepiscopi et Hervei episcopi.
5. Conquestio Brunonis episcopi.
6. Prosecutio Gotesmanni et Brunonis episcoporum de discussione [31*] Arnulfi.
7. Ratbodus episcopus Lotharienses episcopos cirographum Arnulfi reprehendere dicit.
8. Libellus Arnulfi.
9. Arnulfus episcopus eundem libellum in parte vituperat et in parte laudat.
10. Exemplar libelli cujusdam heretici conversi.
11. Confessio Adalgeri presbiteri.
12. Odo [32] episcopus commonitorium Arnulfi et anathema inducit.
13. Gualterius episcopus ea reprehendit.
14. Guido episcopus aliud anathema inducit.
15. Siguinus archiepiscopus argumentatur, Arnulfum et suos complices dampnatos videri.
16. Exempla canonum de dampnatis qui ministrant.
17. Arnulphi episcopi admonitio pro defensione Arnulphi.
18. Siguini archiepiscopi anathema pro eadem re.
19. Qui Arnulphum defendere conati sunt, et quibus exemplis.
20. Epistola Stephani archiepiscopi ad Damasum papam.
21. Rescriptum Damasi ad eundem.
22. Ratbodus episcopus decretalem tomum sinodo porrigit pro Arnulfi defensione.
23. Brevis annotatio accusationis et defensionis Arnulfi.
24. Quod juste captus sit ex Affricano [33*] concilio.
25. Exemplar epistolæ regis ad Romanum pontificem directæ pro causa Arnulfi.
26. Item episcoporum ad eundem.
27. Quid regis et Brunonis episcopi legati Romæ egerint.
28. Luculenta oratio Arnulfi episcopi vim tocius sinodi continens.
29. Exempla canonum contra Arnulfum.
30. Arnulfus in sinodum deductus, episcoporum sententiis contradicit; sed Rainerii [33] sententiam non ferens, secessum petit.
31. Sinodus, abiente Arnulfo, in ejus crimina capitula annotat.
32. De confinitimis hostium sacerdotibus, qui sine regis licentia legationes agunt.
33. De his qui regibus fidem promissam non servant.
34. De clericis qui capitalia crimina committunt.
35. De confugientibus ad hostes.
36. De his qui, rege superstite, aut sibi aut aliis affuturum provident regnum.
37. De custodia vitæ principum.
38. De refugis atque perfidis clericis sive laicis.
39. De clericis vel monachis contra regem perjuris.
40. Episcoporum collectio, et Arnulfi confessio, et super ejus depositione questio.
41. De maximo episcopo deposito.
42. De Enticete presbitero.
43. De Ratherio et Petro ejectis.
44. De injuste depositis.
45. Quomodo Arnulfus deponi debeat.
46. Exemplum de Potamio archiepiscopo deposito.
47. De Egidio et Ebone depositis.
48. De judicio non innovando.
49. Sequentis diei sinodus.
50. Ingressus regum in sinodum.
51. Arnulfus episcopus præteriti diei acta breviter recapitulat.
52. Arnulfus episcopus Arnulfi confessionem subhornat, contra Brochardum [33*] comitem.
53. Arnulfus a regibus veniam petit, et accipit, modumque abdicationis agnoscit.
54. Libellus abdicationis Arnulfi.
55. Adalgeri presbiteri reclamatio et depositio.
56. Africanum concilium in quo modus Romani episcopi cognoscitur.

INCIPIT SYNODUS REMENSIS [34].

1. Anno ab [34*] incarnatione domini nostri Jesu Christi 991, indictione quarta, anno regni 5 [35] domni Hugonis augusti et excellentissimi regis Rotberti 4 [35*] congregata est synodus in Remensi territorio. Actum est autem magna industria principum, ut quia omnes Galliarum episcopi eo convenire non poterant, propter quasdam regni necessitudines, ii maxime convenirent qui conprovinciales [36] essent, deinde ex vicinis provinciis fama et dignitate honestiores, et qui legatione suarum provinciarum digni viderentur, suorumque fratrum a sentiam sua præsentia sustinere possent. Igitur 13 Kal. Jul.

VARIÆ LECTIONES.

[30*] metrapolitanorum 1. [31] E. p. sinodi remensis 2. [31*] discusione 1. [32] Odo 2. [33*] africano 2. [33] retineri 2, *et edd. Francof.* (1 *b*) *et Flacii* (2 *b*). [33*] c. b. 2. [34] 1. s. r. *desunt* 2. [34*] *deest* 2? [35] *deest* 2. V. regni 1*b*. [35*] *deest* 1. 1*b*. anno regni domini Othonis augusti nono et excell. regis Hugonis quarto 2*b*. [36] provintia *in* 2. *constanter scribitur.*

collecti sunt in basilica domni Basoli confessoris Remorum quidem diocesanei : Guido Suessonicæ [36a] urbis episcopus, Adalbero Laudunensis, Herveus Belvacensis, Gotesmannus Ambianensis, Ratbodus Noviomensis, Odo Silvanectensis; ex provincia Bituricensium, quæ Aquitanorum esse putatur, Daibertus archiepiscopus; ex provincia Lugdunensium prima : Gualterius [37] episcopus Augustidunensis, Bruno Lingonensis, Milo Matisconensis; ex provincia Senonensium, quæ est prima Sequanorum metropolis Remensique provinciæ contigua, Signinus archiepiscopus, Arnulfus Aurelianensis, Herbertus Autisioderensis. Præterea diversarum urbium abbates quam plurimi aderant, qui post solitariam episcoporum disputationem residere jussi sunt. Habitaque ratione totius summæ synodi, dignitas prælaturæ ac potestas quasi judiciaria stetit penes archiepiscopum Siguinum, quem et ætas et vitæ meritum ac scientia commendabat. Arnulfus autem, venerabilis episcopus, ordinis custos ac omnium gerendorum interpres declaratus est, eo quod inter omnes Galliarum episcopos sapientia et eloquentia clarior haberetur. Hunc post expositam allegationem eorum sacerdotum qui minime adesse poterant, postque totius cleri ingressum, quibusdam sententiis pertractatis, hoc modo prælocutum accepimus :

2. « Ita quidem est, ut dicitis, reverentissimi patres : nullus tumultus, nullus accusator improbus, nullus judex iniquus hoc sanctum concilium agitare debet. Servetur unicuique personæ suus locus, debita reverentia; nullusque aut se aut alium præjudicio gravari putet, cum sit libera facultas, et proponendi, et sciscitandi, et respondendi. Consultationes autem sive deliberationes sic in medio locentur, ut nemo causetur imponi sibi quod nolit, aut eripi quod velit. Sane quoniam me priorem dicere voluistis, dicam quod sentio, in præsentia vestra et cleri nuper admissi [37a], idque paulo altius repetam, ut res bene digestas melius innotescat. Ego quippe cum inter varios tumultus bellorum pro pace ecclesiæ, cui auctore Deo deservio, totis viribus elaborarem, novi nuncii fama, inauditi sceleris rumore, sic subito turbatus sum, ut etiam in vilibus rebus lingua balbutiret, intellectus hebesceret. Ferebatur quippe illa nobilis urbs Remorum dolo proditionis hostibus patuisse, prædæ ac direptioni cessisse; sancta sanctorum armata militum acie polluta fuisse. Horum omnium malorum incentor, auctor, quod sine magno dolore animi referre nequeo, is qui tutari debuerat, Arnulfus episcopus nuntiabatur. Sacerdotalis dignitas hujus causa impetebatur, vixque erat qui nostro ordini non insultaret. Nunc quoniam religionis amore et studio serenissimi regis nostri domni Hugonis congregati sumus, quærendum est, A quomodo tanta infamia carere possimus, et si frater et coepiscopus noster Arnulfus illata crimina declinare quærat [38], vel crimen regiæ majestatis propulsare. Scitis enim omnes nos insimulari probro [38a] infidelitatis et perfidiæ, causa unius. *Si, inquiunt, justi episcopi utuntur legibus fidissimique suis regibus sunt, cur hominem impurissimum suis legibus non puniunt? Nimirum aliorum flagitia ideo moliuntur celare, ut* [39] *impune liceat eis peccare.* Absit hoc a vestro sanctissimo cœtu! Absit ut contra divinas et humanas leges quemquam moliamur defendere vel dampnare! Dicant tantum qui noverunt seriem gestorum, iique [39a] suos exponant casus, qui graves, ut ipsi asserunt, injurias pertulerunt. Tum si qua contradictio fuerit oborta, discussis partibus ex auctoritate canonum judicium promulgetur [40]. »

3. Tum Siguinus : « Non patiar, inquit, discussionem fieri ejus qui dicitur esse majestatis obnoxius [40a], nisi forte convicto supplicii indulgentia promittatur. » Simulque 31 caput Toletani concilii prolatum est ex eadem [41] re :

Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt, et quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur [41a], non ulli discriminis sententia præparetur. Si quis etiam sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Caristum, et apud ecclesiam perdat proprium gradum.

4. « Gravissimum vero est, ait Daibertus, ideo te judicem præbere in alienis negotiis, ut cum reum convincis, tu concidas; cum dijudicas, tu damnatus abeas [42]. — Si hoc, inquit Herveus episcopus, periculosum est, videte ne sit periculosius judicio ecclesiastica deinceps a secularibus non expectari. Consequens enim est ad forensia jura nos protrahi, si divinis legibus in aliquo videmur obniti. At quomodo sine judicio relinquetur, quod commissum esse constiterit? vel cur contra principem nostrum causabimur, si quod attingere non audebimus, judiciaria potestate coercebitur [42a]? »

5. Bruno episcopus dixit : « Nullum certe vestrum æque turbat tanti discriminis examen Ego quippe solus ob hunc infelicissimum per ora omnium volito. Ego eum in has miserias præcipitasse videor, qui contra omnium bonorum vota, memetipsum in pignus obsidis dedi, pro spe conservandæ fidei; tanti [43]erant apud me regis Lotharii merita, tantumque me carnis affinitas permovebat. Et cum scirem hunc Laudunensis urbis pervasorem, totiusque tyrannicæ factionis fuisse principem, sub obtentu [43a] tamen hujus honoris, ad meliorem statum vitæ attrahere nisus sum, ut qui discordiarum et bellorum incentor ex-

VARIÆ LECTIONES.

[36a] suessionicæ 2. [37] gualterus *lb.* 2. [37a] ammissi 1. *constanter.* [38] queat *corr.* quærat 1. queat *lb.* [38a] probo *corr. rec. manu* probo 2. [39] an 1? [39a] sique *corr. rec. manu* sicque 2. [40] promulletur 2. [40a] obnixius 2. [41] eadem *corr.* exadem 2. [41a] promittetur 2. [42] habeas 1. [42a] conceditur *edd.* [43] Tanta *corr. eadem manu* Tanti 1. [43a] optentu 2. [44] visus 1.

titerat, pacis et karitatis ipse jaceret fundamenta. Attendite pacis principia, attendite hominem mala pro bonis reddentem, homines mihi percaros et ad usum vitæ multum necessarios, id est unicum fratrem meum comitem Gislebertum, meumque consobrinum comitem Guidonem, cum cæteris quorum amicitia gloriabar, sua simulata captivitate veræ captivitati contradidit [46a]. Me pacis sponsorem in mortis discrimine dereliquit; et o impudens audacia hominis, qui mei, immo sui, et totius ecclesiæ homicida, adhuc improba fronte negat quod negari non potest. Certe ex his quæ confitetur, eliciemus ea quæ propalare erubescit. Certe in præsentia regum, in præsentia episcoporum, ante ora cleri et populi, sacramento volens obligatus est, se principibus suis adjumento futurum, consilio et auxilio, secundum suum scire et posse, contra Karolum, itemque inimicis dominorum suorum nec consilium nec auxilium se laturum scienter ad eorum infidelitatem, neque pro præterito aut futuro sacramento se præsens relicturum. Annon erat inimicus Karolus qui regnum pervadere nitebatur? Annon inimici Rotgerus et Mannases, qui clerum et populum ejus in ecclesia ipsius armata militum manu ceperant? Hos ipse [48] consecretales et primos amicorum esse fecerat; hos eorum bonis ditaverat qui se elegerant, qui sibi principatum contulerant, quibus sine perjurio auferre nihil poterat, quos necessario juvare debebat nisi in se peccarent. At quid peccaverunt? Fidemne promissam servare quod sibi persuadere nisi sunt? Ignoscite, fratres, si dolor nimius de gravitate sacerdotali aliquid derogavit, et si orationem finire non sinit, quam vestra intelligentia ex præcedentibus ad plenum comprehendit. »

6. Hic Gotesmannus [48a], Ambianensis ecclesiæ episcopus, subintulit : « Multa venerabilis pater Bruno prosecutus [46] est, quæ quanto magis fidem dubiis faciunt, tanto magis reum majestatis arguunt, ac sacerdotio indignum revincunt. Sed quia paulo ante de periculosa discussione sermo habitus est, velim nosse, quid pater Bruno inde sentiat. Non est enim æquum nos fieri auctores effundendi sanguinis, qui debemus esse auctores salutis. » Et ille : « Sentio, inquit, reverendi Patres, et hoc vos intelligere quod dicitis, et alterum pudori esse quod tacetis. Nam movent vos [46a] divinæ leges, movet etiam homo affinitate carnis [47] mihi conjunctissimus, utpote avunculi mei regis Lotharii filius : habeo et rependo karitati vestræ multiplices grates. Sed absit hoc a me, ut amori [47a] Christi amorem sanguinis præferam, aut ut meo sanguine, quantum in me est, ecclesia Dei polluatur. Ergo, agite, discussionem simul et judicium aggrediamur [48], nec sanguinis effusionem perhorrescite, cum apud benivolentiam principum juste petita obtinere non difficile sit. Cum hoc maxime sit pertimescendum, ne dum forte uni personæ parcere volumus, sicut frater et coepiscopus noster Hervens paulo ante retulit, et eam et omnem ecclesiasticum ordinem sub periculo sanguinis relinquamus. Itaque is presbiter qui urbis portas aperuit, intromittatur si placet, atque gestorum ordinem pandat. » Ab universis dictum est : « Placet. »

7. « Quoniam, » inquit Ratholus, Noviomensis ecclesiæ episcopus, « a multis nostrorum fratrum audio dici, libellum fidelitatis sub specie cyrographi editum ab Arnulfo, ad dampnationem ejus posse sufficere, quoniamque Lotharienses quosdam contra hanc scripturam famâ est disputare, interim de hac re judicium tantorum Patrum experiri velim, quidque de eo sentiendum sit agnoscere. » Sinodus dixit : « Proferatur in medium. » Prolatus est itaque libellus cyrographi ad hunc modum :

8. « Ego Arnulfus, gratia Dei præveniente Remorum archiepiscopus, promitto regibus Francorum, Hugoni et Rotberto, me fidem purissimam servaturum, consilium et auxilium, sæcundum meum scire et posse in omnibus negotiis præbiturum, inimicos eorum nec consilio nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adjuturum. Hæc in conspectu divinæ majestatis, et beatorum spirituum, et totius ecclesiæ assistens promitto, pro bene servatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si vero, quod nolo et quod absit, ab his deviavero, omnis benedictio mea convertatur in maledictionem, et fiant dies mei pauci, et episcopatum meum accipiat alter. Recedant a me amici mei, sintque perpetuo inimici. Huic ergo cyrographo a me edito in testimonium benedictionis vel maledictionis meæ subscribo, fratresque et filios meos ut subscribant rogo. Ego Arnulfus archiepiscopus subscripsi [49]. »

9. Quo perlecto [49a], Arnulfus Aurelianensis ecclesiæ venerabilis episcopus subjunxit : « Habet, inquam, hæc scriptura maximam vim reprehensionis; habet etiam subtiles defensionis vires, habita ratione personarum. Nam ejus auctor Arnulfus detestabilis est, eo quod ob inmensum ambitum affectati honoris inauditum sæculo prius monimentum sui detestabile reliquit. Qui vero commentati sunt, rem utilem ac necessariam fecisse visi sunt, ut si aliquando fidem promissam pernegare vellet, scriptura contra se testis existeret, et si deviaret ipse contra suam professionem et subscriptionem veniens, honore se privaret; et ne forte peccans nomine summi pontifici diutius defenderetur, ipse summus pontifex sententiam suæ dampnationis in se dixisse visus est. Sed quia presbiter adest, finem dicendi faciam, ut ipsi locus pateat. » Interim tamen dum presbitero standi locus eligitur, significabat sibi assidentibus, quen-

VARIÆ LECTIONES.

[46a] contra dedit *corr.* contradidit 2. [48] iste 2. [48a] godesmannus 2. [46] propersecutus 2. persecutus 2*b*. [46a] nos *corr.* vos 1. [47] carius 1? [47a] amore 2. [48] aggediantur *corr.* aggrediatur 2. [49a] *vocem ex* Richero *supplevi*. [49] perfecto 2. peracto 2*a*.

dam episcopum, ex heresi ad fidem catholicam conversum, beato Gregorio similem libellum porrexisse; sed hoc interesse, quod hic Arnulfus malarum causarum rationibus permotus sit, id est [50a] perfidia et cupiditate, ille autem optimarum [50], id est fide catholica et amore habendi Deum. Erat vero ibi ita scriptum inter cetera :

10. « Et ideo postquam, comperto divisionis laqueo quo tenebar, diutina mecum deliberatione pertractans, prona et spontanea voluntate ad unitatem sedis apostolicæ divina gratia duce reversus sum; ne [50a] non pura mente sed simulate reversus existimer, spondeo sub ordinis mei casu et anathematis obligatione, atque promitto tibi, et per te sancto Petro apostolorum principi, atque ejus vicario beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius, me numquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo, ad schisma de quo Redemptoris nostri misericordia liberante ereptus sum, reversurum, sed semper me in unitate sanctæ ecclesiæ catholicæ et communione Romani pontificis per omnia permanere. Unde juratus dico per Deum omnipotentem, et hæc sancta quatuor [51] evangelia quæ in meis manibus teneo, et salutem geniumque Mauricii atque Theodosii dominorum nostrorum rei publicæ gubernatores, me in unitate sicut dixi ecclesiæ, ad quam Deo propitio sum reversus, et communione Romani pontificis semper et sine dubio permanere. Quod si, quod absit, aliqua excusatione vel argumento ab hac me unitate divisero, perjurii reatum incurrens æternæ pœnæ obligatus inveniar, et cum auctore scismatis habeam in futuro sæculo portionem. »

11. Adalgerus : « Scio me, inquit, non magnam habiturum expectationem in dicendo, reverentissimi Patres, cum omnia quæ pro defensione mea dicturus sum, contra me fortasse videantur. Hoc enim et in initio intellexi, cum Dudo, Karoli miles, ut hujus proditionis auctor existerem, machinatus est; cui cum responderem cur ex tanta massa hominum ego clericus et sacerdos potissimum eligerer, ut seniorem et episcopum meum traderem ob causam Karoli ad quem nihil attinebam, primum socordiam et fatuitatem hominum me scire dicebat; meum autem ingenium, prudentiam, animi magnitudinem, miris laudibus extollebat; denique ipsum meum seniorem hoc ita velle, sibique ita præcepisse. Cui cum fidem quasi spopondissem, non tamen satis tutum fore hoc mecum reputabam, nisi ex ipsius senioris ore non bene credita per memet ipsum sine interprete recognoscerem; ejus amor, ejus imperium me in has præcipitavit miserias. Quærebam tamen ex eo, cujusnam fretus auxilio imperata perficerem, et si [51a] sibi pertimescendum foret? Qui cum Karolum sibi patruum esse dixisset, Mannasen [52] quoque et Rotgerum sacramenta quæ voluerit præstitisse, avunculum suum Rotbertum, Karoli servum, comitem fidissimum fore designavit, cum aliis quibusdam. Et ut hoc factum sub specie honesti tegeretur, manus et sacramenta simul Karolo præbui, sed jussu ipsius; claves urbis accepi, sed a manu ipsius; portas aperui, sed illius præcepto. Hæc si quisquam vestrum aliter esse putat, meque indignum cui credatur, credat igni, ferventi aquæ, candenti ferro; faciant fidem tormenta, quibus non sufficiunt mea verba; ipsi hostes mei, quibus nuper invisus esse cœpi, testimonio erunt, cum suo me beneficio vivere comprobabunt; quando vestrum anathema perhorrescens, eorum tunc miseratione gladios Richardi, fratris episcopi, vix evasi, hanc meam confessionem expavescentis. »

12. Ad hæc Odo episcopus Silvanectensis : « Bene nunc, inquit, anathema in memoriam redit. Pater enim Arnulfus hunc nostrum Arnulfum in cyrographo se dampnasse dixit; nos autem quoddam scriptum ab eo in tempore ipso accepimus per manus Guidonis venerabilis episcopi; in quo et confessio sui facti et dampnatio ipsius contineri videbatur; quod in præsenti jubeat recitare sanctitas vestra. » Synodus dixit : « Recitetur. » Recitatum est itaque in hunc modum : « Arnulfus gratia Dei archiepiscopus, commonitorium [52a] prædonibus Remorum. Quid tibi vis prædonum Remensium scelerata manus? Nichilne te movent pupilli et viduæ lacrimæ? Nec advocatus eorum, velis nolis, Dominus tuus, ipse testis, et judex, et gravis ultor, cujus judicium non effugies? Vide quid ante oculos ipsius egeris : sanctam pudicitiam virginum non erubuisti; matronas etiam barbaris verendas nudas reliquisti; orphanum et pupillum non respexisti. Parum tibi hoc; accessisti ad templum matris Dei, cunctis mortalibus reverendum. Ejus atrium perfregisti, polluisti, violasti. Quod oculi ibi viderunt, concupiisti [53]. Quod manus attrectare [53a] potuerunt, rapuisti. Et nos quidem contra divinum ac humanum jus misericordia abutentes, quod cibi et potus abstulisti, non indulgemus, sed propter impia tempora non exigimus. Exigimus autem reliqua omnia quæ pollutis manibus pervasisti, ac retines. Redde ergo, aut sententiam dampnationis in pervasores rerum ecclesiasticarum a sacris canonibus promulgatam, eamque [54] in te latam multotiensque ferendam excipe : *ANATHEMA IN PREDONES* [54a]. *Auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, interveniente et adjuvante beata Maria semper virgine, auctoritate quoque ac potestate apostolis tradita nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, dampnamus, et a liminibus sanctæ matris ecclesiæ separamus vos Remensium prædonum auctores, factores, cooperatores, fautores, a propriis dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores. Obtene-*

VARIÆ LECTIONES.

[50a]... id 2. [50] opt. *corr.* obt. 2. [50a] nec 1. [51] quattuor 2. [51a] *deest* 1. [52] manassem 2. [52a] commonitorum 2. [53] concupisti 1. concupivisti 2. [53a] attractare 2. [54] eam 1. [54a] a. i. p. *desunt* 2.

brescant oculi vestri qui concupiverunt, arescant manus quæ rapuerunt, [debilitentur omnia membra quæ adjuverunt [83]*]. Semper laboretis, nec requiem inveniatis, fructumque laboris vestri privemini; formidetis et paveatis a facie persequentis, et non persequentis hostis, ut tabescendo deficiatis. Sit portio vestra cum Juda traditore Domini in terra mortis et tenebrarum, donec corda vestra ad plenam satisfactionem convertantur. Hic autem sit modus plenæ satisfactionis, ut omnia injuste ablata, præter cibum et potum, propriis dominis ex integro restituatis, coramque Remensi ecclesia pœnitendo humiliemini, qui sanctam Remensem ecclesiam reveriti non estis; nec* [83*] *cessent a vobis hæ maledictiones scelerum vestrorum persecutrices, quamdiu permanebitis in peccato pervasionis. Amen. Fiat. Fiat.* »

13. Quo perlecto, Gualterius Augustidunensis ecclesiæ episcopus : « Quidnam [84], inquit, hoc portentum est? Satisne sanæ mentis est hic episcopus, qui projactura vilissimæ supellectilis [85] reos dampnat, super sui autem et cleri et populi captivitate tacet? Pro pauperum tuguriis forte magis carie [87] quam vi ruentibus anathematizat, et pro templo Dei per orbem terrarum famosissimo nihil dicit? Nempe omnis terrena creatura homine vilior est, et omne manufactum ædificium templo Dei vilius. Sed quia [88] forte Apostolus dicit : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi* (*Rom.* XII, 20), tamquam pietate usus prædonibus cibum et potum indulget, attamen ab auro et argento deterret. Quid hoc ad pauperes Christi? Certe ii aurum et argentum non perdiderunt, quia non habuerunt; sed cibum et potum, quem ad usum vitæ non sine magno labore conquisiverunt. Ecce audistis, fratres, argumentum perditi hominis, pauperum necatoris, prædonum nutritoris. Intellexistis quia ad hoc voluit capi, ut sua simulata captivitas veram nobilium efficeret captivitatem. Ideo sacrilegos a communione non arcet, quia se auctorem sacrilegii esse cognoscit. Nec sic [89] tamen evadit, dum auctores, inventores, factores, cooperatores, fautoresque simul permiscet. Ipse enim auctor, cujus consilio et imperio proditio facta est; ipse factor et cooperator, ut per quemdam sapientem dicitur : *Comites illi tui, manus erant tuæ;* ipse fautor, qui usque in præsens tacendo consensit, et, ut fama est, magnis insuper beneficiis cumulavit. Tendit materia hæc in immensum; sed contrabo sermonem qua possum brevitate, ne videar quasi criminales dictare. »

14. Guido episcopus : « Si in propriis conscriptionibus, ubi cavere sibi potuit Arnulfus, ita lesus est, quomodo in proxima sinodo Silvanectis habita dampnatus non est? Convenerannus quippe in unum nos omnes qui hic adsumus Remorum diocesanei, conquestum sanctam Remensem ecclesiam, nostrarum omnium matrem, desolatum iri. Metropolitanus noster cum clero et populo teneri ab hostibus prædicabatur. Rumor tamen ab eo factæ proditionis frequens erat. Itaque nostrorum conprovincialium communi consultu statuimus anathema in reos, quod nullus aliquo modo se occultans subterfugere posset. Ejus exemplar [90], si placet, proferatur. » Prolatumque est in hunc modum :

« ORATIO INVECTIVA EPISCOPORUM REMENSIS DIOCESEOS VICE DECRETI HABITA SILVANECTIS.

« Quousque se extendet effrenata licentia vestra, alterius proditoris Judæ satellites? Ad quem finem scelerum progredietur incœpta audatia vestri ducis? ducis dicimus Adalgeri presbiteri, qui nomen sacerdotalis dignitatis suæ nomine polluit. Te igitur interpellamus, funeste presbiter; quid tibi visum est post illa cruenta arma, quibus te Lauduni exercuisti, ut iterum vilis apostata factus, Arnulfum Remorum archiepiscopum traderes, cum ante eum velut fidissimus custos cubares, conviva assiduus esses, consilia disponeres, sacrosancta administrares? Num rigorem æcclesiasticæ severitatis, vel judicium omnipotentis Dei effugere te putasti? Urbis portas aperuisti, hostes introduxisti, venerabile templum matris Dei atque ipsis barbaris reverendum, velut hostium castra oppugnasti. Num etiam vos prædonum maxima portio, qui æcclesiæ ingentibus beneficiis eratis obligati, qui dicitis : *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, qui signa militaria, loricati et galeati, cum scutis et lanceis ante aram beatæ Dei Genitricis intulistis; qui pollutis manibus pastorem cum clero et populo intra sancta sanctorum comprehendistis, custodiæ distribuistis, carceri mancipastis, et adhuc retinetis; num inquam vos divina jura effugietis? Vos quoque, quorum dolo et fraude, consilio et auxilio, tantum scelus factum est, cum his [91] qui principes tanti facinoris fuerunt consociandi estis, ut pœnam peccati simul feratis, qui in [92] causa peccati simul conspirastis, bonaque civium Remensium prædones impiissimi velut sub hasta distraxistis. Nec etiam vos abesse debetis, qui in Adalberonem Laudunensem episcopum non minus levia perfecistis; et ut pullulantem [93] heresim rescindamus, quæ dictitat omnia licere Karolo etiam in sacris locis, Remensem simul ac Laudunensem æcclesiam, utramque sacrilegio quamvis dissimili pollutam, a sacris removemus officiis, donec legitime reconcilietur utraque. Et ne quis nos talibus monstris hominum favere, talibus negotiis assensum præbituros putet, sed pro fide qua vivimus omnibus expositos periculis, sententiam nostram ita confirmamus, stabilimus, corroboramus : ANATHEMA IN REOS. Auctoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, interveniente et adjuvante beata Maria semper virgine cum omnibus sanctis, auctoritate quoque ac potestate apostolis tradita nobisque relicta, excommunicamus, anathematiza-

VARIÆ LECTIONES.

[83] *Hæc desunt* l. [83*] ne l. [84] quodnam 2. [85*] supp. 2. [87] *glossa* id est putredine l. *in margine ipse vocabulo erasō* carie 2. [88] f. q. 2. [89] *decet* l. [90] exē l. [91] iis *corr.* his 2. [92] *deest* l. [93] pulul. 2.

mus, dampnamus, et a liminibus sanctæ matris ecclesiæ separemus, Adelgerum presbiterum, diaboli membrum, episcopi cleri et totius populi Remensis traditorem; eos quoque qui hujus traditionis extiterunt inventores, auctores, factores, cooperatores, fautores, civiumque depopulatores et a propriis dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores. His adjungimus Laudunensis episcopii pervasores, ac ipsius episcopi gravissimos tortores. Fiat illis sicut Scriptura dicit: *Qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris eos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur et pereant. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra* (*Psal.* LXXXII, 13-19). Et quia pupillum et viduam non miserati sunt, neque templa Dei reveriti, dominiumque ecclesiarum sibi usurpaverunt, fiant filii eorum orphani et uxores viduæ; scrutetur fœnerator omnem substantiam ipsorum, et diripiant alieni labores illorum. Nutantes ejulando[64] ejulentur filii eorum, et mendicent, ejiciantur de habitationibus[64] suis. Fiant dies eorum pauci, et principatum eorum accipiat alius. Et duplici contricione contere eos, Domine Deus noster, nisi resipiscant et ecclesiæ catholicæ fructuosa pœnitentia satisfaciant. Amen. Fiat. Fiat. »

15. Siguinus archiepiscopus: « Pervenit hoc scriptum ad notitiam Arnulfi? » — Dictum est pervenisse. — Subjunxit: « Suspendit se post ab[65] eorum communione quos justissime damnatos accepit? — Immo, inquiunt, eos omni fidelium communione dignos habuit. — Ego, inquit, non satis admirari queo super ejus[66] audatia. Primum ipse prædones suos a communione removit eisque modum dampnationis præscripsit, ut omnia injuste ablata restituerent[67], coramque Remensi ecclesia humiliarentur, qui sanctam Remensem ecclesiam reveriti non essent; et sicut paulo ante a quibusdam fratribus mihi relatum est, restitutio amissarum rerum aut vix ulla facta est aut nulla; pœnitentia autem a nullo publice suscepta, ob facinus publice admissum. Occulte autem qui potuit, cum scriptum sit: *Qui publice peccat publice pœniteat;* vel quomodo pro vili supellectile[68] reos dampnavit, sicut frater et coepiscopus noster Gualterius paulo ante retulit, pro violata ecclesia a communione nullum removit? An vile putavit esse crimen, quod divinæ leges per se totum ulcisci posse non putant, nisi ad humana jura transfundant? Sic enim scriptum est in Toletano[69] concilio capitulo 10: *Nullo teneantur ventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserunt claustris. Si quis autem hoc decretum violare temptaverit, et ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, et severitatis regiæ ferietur sententia.* Ecce hic plane dicitur, quod ab episcopis excommunicandi sint hi sacrilegi, et a rege digna pro meritis pœna animadvertendi. Sed quis episcopus absolvere potest, nisi pœnitentem[70] et digna satisfactione veniam postulantem? At hi quando satisfecerunt ut absolvi possent, cum neminem revera captum abire liberum siverint? Sed esto, Arnulfus eos absolverit; cur ergo clericus ejus Raineri[71] vicedomini filius retentus est? Si per vim factum est, et Arnulfo invito, in crimine sacrilegii permanentes, etiam ab idoneo episcopo absolvi non potuerunt. Si autem eo consentiente, obligationem pro absolutione ab obligato acceperunt. Item esto; Arnulfus eos absolverit. Quomodo id sine suorum clericorum præsentia potuit? At eos non interfuisse constat, dum absolverentur. Interfuerunt autem dum obligarentur. Irrita igitur habenda est, quæ sollempnis debuit esse, si in abditis absolutio facta est. Scriptum quippe est in concilio Carthaginis capitulo 23, ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur. Et quia scriptum est: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contempnit* (*Prov.* XVIII, 3), tanto rum scelerum ipse sibi conscius, sacrosancta tractare non erubuit, in ecclesia quam fratres et coepiscopi nostri Remorum dioceseos nostro consultu a communione suspenderant justissimis de causis. Quapropter, si placet, capitula canonum super his perquirantur, ut nemo causetur, hunc nostro, sed sanctorum Patrum dampnatum esse judicio. » Synodus dixit: « Placet, perquirantur. » Perlatæ sunt itaque in medium hæ sententiæ:

16. *De dampnatis et ministrare temptantibus ex concilio Antioceno capitulo*[72] 4. Si quis episcopus dampnatus a synodo, presbiter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbiter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis, sed et communicantes ei omnes abjici de ecclesia, et maxime si, postequam didicerint adversum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare temptaverint. *Item:* Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se dampnationem protulit. *Ex concilio Cartaginis, cap.* 29. Item placuit universo concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus sive quilibet clericus, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se dampnationis judicetur protulisse sententiam. *Ex concilio Cartaginis, cap.*[73] 13. Ut episcopus qui contra suam professionem in concilio habitam venerit, deponatur. Si quis contra professionem vel subscriptionem suam venerit in aliquo, ipse se honore privabit.

VARIÆ LECTIONES.

[64] de h *desunt* 1. [65] hab 1. [66] hujus 2. [67] restituerant 2. [68] supp. 2. [69] toletanio 2. [70] pœnitentia 2. [71] reius 2. [72] kapitulo 2. [73] *deest* 1.

17. Arnulfus episcopus dixit : « Quamvis hæc ita se habeant, reverentissimi [74] Patres, certumque sit hunc Arnulfum omnium Patrum concordibus damnari sententiis, tamen ne in invidiam adducamur, admoveantur [75] si qui sunt studiosi ejus defensionis, habeantque locum contradicendi, suumque Arnulfum quomodolibet defensandi. Sitque hoc nostrum edictum sub disciplina æcclesiastica, ita ut nullus deinceps excusandi pateat locus. Excuset nunc, qui eum justas putat habere causas. Hic clerus ipsius adest; hic abbates scientia et eloquentia non ignobiles. Erigant jacentem, attollant humiliatum; et si injuste dejectum existimant, qua justitia reformari debeat edoceant. Non enim in ruina fratris et consacerdotis nostri lætari nobis fas est, nec quisquam injuriam [76] sui ducet, si ea quæ contra Arnulfum dicta vel facta sunt veracibus cognoverit refelli assertionibus. »

18. Siguinus archiepiscopus dixit : « Sicut frater et coepiscopus noster venerabilis Arnulfus peroravit, auctoritate Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus sancti, adjuvante beata Maria semper virgine cum omnibus sanctis, auctoritate quoque hujus sacri conventus, præcipimus ut nemo in hac synodo silentio tegat quæ pro defensione Arnulfi putaverit esse idonea, vel si ea quæ circa ipsum facta sunt reprehensione digna existimat. Nec deinceps alicui licentia [77] pateat refricandi aut remordendi, quod hoc sacrosanctum [78] concilium decreverit, qui se nunc defensioni subduxerit, cum utique et ex tanto tempore excurrere [79] potuerit, et nunc ei omnis copia dicendi adsit. Sed nec occasione insidiarum sibi quisquam blandiatur, cum sciamus principes nostros omnibus licentiam absque injuria veniendi et causas proprias exponendi quæ vellent concessisse. Sit, accusatoribus sive obtrectatoribus tam præsentibus quam futuris, vel contra Arnulfum, vel contra nos, testis conscientia præsens, qua in extremo examine quisque dijudicandus est; sit nobis judicantibus præsens forma Christi in ultimo judicio [80] judicantis; habeant defensores exemplar misericordiæ, qua misericordibus miserendum est. »

19. Hic cum ab universis Patribus pronuntiatum esset : « Placet, placet, hoc edictum Patris Siguini ! » stupor se quam plurimis infudit, qui pertinaci episcoporum sententia Arnulfum dampnandum fore putabant. Quosdam autem spes defendendi in magnam animi alacritatem perduxit. Et suæ quidem æcclesiæ filii accusare nolebant, pudore permoti; defendere autem minime præsumebant, conscientia simul et anathemate devincti. Sed aderant acerrimi defensores, scientia et eloquentia insignes, Johannes scolasticus Autisiodorensis, Romulfus abbas Senonensis, Abbo rector cœnobii Floriacensis, ignorantia præteritorum gestorum pressi, et anathemate ad dicendum provocati.

Facto itaque silentio, diversarum partium multiplicia librorum volumina subito apparuerunt. Multa denique in medium prolata, multa inter consedentes [81] collata, ingens spectaculum præbuerunt; in primisque Stephani archiepiscopi et trium conciliorum epistola ad Damasum perlecta est; itemque Damasi responsio continuata in hunc modum :

20 [82]. *Quod* [83] *episcoporum et summorum negotiorum ecclesiasticorum causæ semper ad sedem apostolicam sint referendæ.* Domino beatissimo et apostolico culmine sublimato sancto Patri patrum Damaso, papæ et summo omnium præsulum pontifici, Stephanus archiepiscopus concilii Mauritaniæ et universi episcopi de tribus conciliis Africanæ provinciæ. Notum vestræ facimus beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet episcopos, vobis inconsultis [84] proprio dejicere moliuntur gradu; cum vestræ sedi episcoporum judicia [85] et summorum finem ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reservare [86] sententiam, inquirendi reverentia, de Dei rebus, quas omni cura et sollicitudine observare debemus. Maxime vero debent ab ipso præsulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala dampnare, quam relevare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, ut quicquid horum quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel acipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut ejus auctoritate juxta quod fuisset pronuntiatum firmaretur, et reliqua multociens, talia et his similia quæ super his constituta sunt. Quibus si inlicite factum est, ut semper vestræ sedi consuetudo fuit, festinanter occurrite, et pro his viriliter ut pater pro filiis certantes state. Sicut bene ad Jesum filium Sidrach [87] dictum est : *Usque ad mortem certa pro veritate, et semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te* (*Eccli.* IV, 33). Accipere enim personam impii, non est bonum, ut declines a veritate judicii. Si [88] minus inlicita sunt hæc, pateat nobis talis omnibus licentia, beatissime Pater, aut si liceat, hos vel aliquos etiam minorum graduum clericos, nisi canonice tempore legitimo vocatos, aut sine legitimis accusatoribus aut absque veris et innocentibus testibus, vel nisi manifeste canonice convictos aut sponte confessos, vel a suis sedibus ejectos, aut suis rebus expoliatos vocare ad synodum vel dampnare; quia legimus eos non posse canonice ad synodum [89] ante suam diu tenendam et gubernandam juribus scilicet pleniter resumptis restitutionem vocari [90] [suisque omnibus sibi legaliter restitutis integerrime [91]] aut [92] ut veniant ad sinodus nisi sponte voluerint imperare; et reliqua.

21. *Item epistola Damasi ad eundem Stephanum et ad concilia Africæ, quod episcoporum judicia et majores causæ non aliter quam auctoritate* [93] *sedis apostolicæ sint terminandæ.* Damasus servus servorum Dei atque per gratiam ejus episcopus sanctæ catholicæ æcclesiæ urbis Romæ, Stephano archiepiscopo concilii Mauritaniæ, et universis episcopis Africanæ provintiæ. Lectis fraternitatis vestræ litteris, primo gratias ago, quod tantorum fratrum merui benedictione frui; deinde quod circa fratres sollicitos vos repperi, et cum eis crucem Domini

VARIÆ LECTIONES.

[74] reverendissimi 1? [75] admoneantur 2 [76] in i. 2 [77] scientia 2. [78] sacrosancto 1. [79] occurrere 2. [80] juditio 2. [81] consedentes 2. [82] *divisio nonnisi post* referendæ *legitur in* 2. [83] Quid 2? [84] i. a. p. 2. [85] juditia 2. *sæpius* [86] *i. e.* reservarunt. [87] sirach 2. [88] sin 2. [89] s. vocari a. 2. [90] *deest* 2. [91] *desunt* 1. [92] i. et sit imperare ut v. ad s. n. sp. v. et rel. 2. [93] *corr.* ex aucter. 2.

deferre qui ait : *Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24), et reliqua ad hunc modum pertinentia. Igitur quoniam in præsenti oportune gestorum consultatione apostolicis vestra beatitudo visceribus commota, nos orlata [95] est tuitionem fratrum apostolica impendere auctoritate et eorum injuriis subvenire, dum constet vos eadem cum Apostolo compassibiliter [96] dicere : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandilizatur, et ego non uror* (*II Cor.* XI, 19)? satagentes, ne aliquis de his qui nobis crediti sunt, a sævis bestiis laceretur aut capiatur ; pro qua re oportet juxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundum Domini divinam præceptionem, nos qui supra domum ejus, hoc est universalem catholicam æcclesiam, episcopale suscepimus ministerium, sollicite vigilare, ut ne quid de sacris ejus muneribus, id est apostolici juris, apostolorumque successoribus atque ministris, quisquam nobis dormitantibus valeat supprimi atque injuste nobisque inconsultis dampnari ; — scitis, fratres karissimi, firmamentum a Deo fixum et immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est omnium episcoporum, apostolicam sedem esse constitutam, et verticem æcclesiarum. Tu es enim, sicut divinum pronuntiat veraciter verbum, Petrus, et super firmamentum tuum æcclesiæ columnæ, qui episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt; tibi et claves regni cœlorum commisi [97], atque ligare et solvere potestatem quæ in cœlis sunt et quæ in terris promulgavi. Tu profanatorum hominum et membrorum meorum maximeque meorum discipulorum existis ut princeps et doctor orthodoxæ et inmaculatæ fidei; cujus vice hodie gratia Dei legatione pro Christo fungimur, et omnes hujus sanctæ sedis præsules ejus vicem gesserunt, gerunt, et gerent. Ideo omnia quæ innotuistis, non licere mandarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta super quibus consulitis inlicita esse non dubitetis. Discutere namque episcopos et summorum æcclesiasticorum causas negotiorum metropolitanos, una cum omnibus suis comprovintialibus, ita ut nemo ex eis desit, et omnes in singulorum concordent negotiis, licet; sed definire eorum atque ecclesiarum summas quærelas causarum, vel dampnare episcopos, absque hujus sanctæ sedis auctoritate minime licet ; quam omnes appellare, si necesse fuerit, et ejus fulciri auxilio oportet. Nam, ut nostis, sinodum sine ejus auctoritate fieri non est catholicum, nec episcopus [98] nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica vocatione congregata, definite dampnari potest; neque ulla umquam concilia rata legumur, quæ non sunt fulta apostolica auctoritate. Accusatores autem clericorum et testes, super quibus rogitastis, absque ulla infamia aut suspicione [99] vel manifesta macula et veræ fidei pleniter instructi esse debent; et tales, quales ad sacerdotium eligere divina jubet auctoritas. Quoniam sacerdotes, ut antiqua tradit auctoritas, criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eundem non debent nec possunt provehi honorem. Vocatio enim ad synodum juxta decreta Patrum canonica ejus qui impetitur [99], tam sua præsentia quam et scriptis atque apocrisiariis, per spacium fieri debet congruum atque canonicum ; quia nisi canonice vocatus fuerit suo tempore et canonica ordinatione, licet venerit ad conventum quacumque necessitate, nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus; quoniam nec sæculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis divinæ? De ejectis vero atque suis rebus expoliatis nihil vobis verius significare queo, quam sancti Patres definierunt, et nostri prædecessores apostolica auctoritate roboraverunt. Ita enim hæc se habent. Episcopos ejectos, atque suis rebus expoliatos, æcclesias proprias primo recipere, et sua omnia eis legaliter redili, sancti canones decreverunt; et postea si quis eos accusare vellet, æquo periculo facere sanciverunt; judices esse [100] decernentes episcopos, recte sapientes, et juste volentes ad tempus; diuque illis resumptis juribus [101] et suis potestative fruentibus rebus, amicisque et Dei servis sapientibus consulentibus viris in ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur; et reliqua ad hunc ordinem pertinentia, quæ prolixitatem vitantes hic non inseruimus, quia his sufficere credimus. Si quis autem his non est contentus, legat ea et saciabitur. Scimus enim homines inermes non posse cum armatis rite pugnare. Sic nec illi qui ejecti, vel suis bonis sunt expoliati, cum illis qui in suo stant statu, et suis fruuntur amicis atque bonis, litigari rite possunt. Nec sæculi quoque leges hæc sæcularibus fieri permittunt; sed prius ejectos vel oppressos aut expoliatos cum suis omnibus restitui jubent, et postea suo tempore, sicut lex eorum continet, ad placita venire præcipiunt; nec ulla carceris custodia appellantem arceri permittunt. Docent enim ex parte, sicut nostis, terrena, quæ sunt cœlestia. Accusatores vero et accusationes, quas sæculi leges non adsciscunt, nullatenus sunt in horum admittendæ causis; quia omne quod irreprehensibile [102] est, catholica defendit æcclesia; et hoc a majoribus definitum esse, propter pravorum hominum insidias, non dubitatur. Decet enim Domini sacerdotes fratrum causas pie tractare, et venerabiliter intendere [103] atque eorum judicia super sacrificia ordinare, ne proterve aut tyrannica dominatione, ut de quibusdam refertur, sed caritative pro Deo et fraterno amore cuncta peragere, et quod sibi quis fieri juxta Dominicam vocem non vult, alii inferre non præsumat; *et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2). Ea vero quæ apostolorum prædicatione et Patrum institutione percepimus, semper tenere debemus, ne aliqua nova cudere, aut ad noxam fratrum semper intendere videamur. Sed alterutrum onera portemus, ut juxta Apostolum legem Domini adimplere valeamus (*Galat.* VI, 2). Tempus enim congruum præveleri oportet, quando uniuscujusque accusatæ personæ causa rectissime in medium producatur, quatinus gravitatem ejus, et consonantiam quæ contra Patrum decreta, vel synodum [104] confessionem prodi minime cognoscatur, quam ordinabiliter omnes [105] intendant, ut ad eam in omnibus rationabiliter respondeant, et juste se velle manifeste ostendant. Nullus autem introducatur personaliter; sed accusatores et accusati æqua audiantur ratione juxta quod gestorum ordo exigit. Accusatores vero et judices non idem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine. Nam inscriptio primo semper fiat, ut talionem calumniator recipiat, quia ante inscriptionem nemo debet judicari vel dampnari, cum et sæculi leges hæc eadem retineant; de quibus omnibus vera semper fiat æquitas, quatinus accusationis et judicii ac testimonii mercedem per veritatem gestorum consequi valeant. Scriptum est enim : *Abhominatio Domino labia mendacia* (*Prov.* XII, 22); et : *Testem fallacem proferentem mendacia, et seminantem inter fratres scandala atque litigia* (*Ibid.* VI, 19); ipso

VARIÆ LECTIONES.

[95] h *adjectum in* 2. [96] cump. l. [97] commissi 1? [98] episcopos 2? [99] suspicione 2. [99] imp. 2. [100] judicentur 1? [101] viribus 1. [102] in *manu recentiori* 2. [103] attendere 2. [104] *ita* 1. 2. [105] o. i. ut ea, i. o. r. *desunt*. 1.

monente atque dicente : *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum : non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis, non considerabis personam pauperis, nec honores vultum potentis, juste judica proximo tuo* (*Levit.* XIX, 13-15); et : *Quod tibi non vis fieri alteri ne facias* (*Tob.* IV, 16), et reliqua maxime. Et præceptum habentes apostolicum, attendere nobis ipsis et gregi, in quo nos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Dei ecclesiam, quam adquisivit per sanguinem suum proprium (*Act.* XX, 28), convenit [106]. Attendite lupos, attendite malos operarios, qui perversa faciunt et adversa locuntur, ut detrahere semper discipulos Domini et infamare queant. Quos corrigere vos et omnes Domini sacerdotes summo studio oportet, quia pejus malum non est, quam ut cives civibus invideant, et sacerdotes vel clerici sacerdotibus vel pontificibus insidientur. Testante etiam veritatis voce : *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II, 8); et : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collum ejus et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6); et item : *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me* (*Matth.* XI, 6). Ille procul dubio scandalizatus est in Dominum [107], qui ejus scandalizat episcopum vel sacerdotem. Et multa talia, quæ hic non inseruntur, ne nimis prolixa efficiatur epistola. Monentes quoque instruere debetis memoratos vicinos vestros, ut a talibus se subtrahant, et quæ inlicite circa præfixos fratres egerunt, cito corrigant. Et quos nolis inconsultis leserunt, nobis inconsultis plena satisfactione sanent, et cito sibi eos reconcilient, si noluerint apostolicæ sedis suscipere censuram. Nam si quid fortasse in eis aut contra eos emerserat, nostrum fuerat expectandum examen, ut nostra, ut semper huic sedi fuit concessum privilegium, aut condempnarentur auctoritate, aut fulcirentur auxilio. Neque enim suo pro libitu nostra debuerant jura pervadere absque apostolicæ sedis dispositione mandante. A talibus deinceps omnes se abstineant sacerdotes, qui noluerint ab apostolicæ petræ, super quam Christus, ut prædictum est, universalem construxit ecclesiam, cui episcoporum summa judicia atque majorum causas [108], sicut paulo superius memoratum est, reservatæ sunt, soliditate atque sacerdotali honore secludi. Induciæ enim accusatis in criminalibus episcopis sex mensium, vel eo amplius si necesse fuerit, concedendæ sunt; quoniam et laicis hoc permissum, nullus secularibus imbutus disciplinis ignorat; quanto magis sacerdotibus, qui superiores esse eis non dubitantur? Habetur quoque in decretis Patrum sancitum, non fore canonicum quemquam sacerdotem [109] judicare vel dampnare, antequam accusatores canonice examinatos præsentes habeat locumque defendendi accipiat, id est [110] inducias ecclesiasticas ad abluenda crimina et cætera; nec extra propriam fiat provinciam primo discussionis accusatio sine apostolica præceptione, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri; quoniam et antiqua docet hoc Patrum regula, in qua et imperialia pariter statuta concinunt. « Criminum, inquiunt, discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est; nam aliubi criminum reus prohibetur audiri, et alibi in canonibus præcipitur, quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, » et reliqua. Talia et his similia, salva tamen in omnibus apostolica auctoritate, ut nihil in his diffiniatur, priusquam ei placere cognoscatur, qua omnes suffultos esse oportet. Et si quid eis grave intolerandumque acciderit, ejus est semper expectanda censura. Neque enim proterve aut stimulo suæ cogitationis impulsus, ut sæpe actum agnovimus, detrahere aut accusare præsumat quemquam sacerdotum; quia injuria eorum ad Christum pertinet, cujus vice legatione pro populo Christi sanguine redempto funguntur. Causas enim eorum, quia Dei causæ sunt, ejus esse judicio reservandas, qui valet corpus occidere et animam mittere in gehennam, qui dicit : *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* XII, 19); apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Instruendi etiam omnes sunt, quoniam per nos illis Christus intonuit non esse ovium lupi insidias prævidere, sed pastoris. Monet igitur beatus apostolus Paulus, ne de his temere leviterque præsumatur judicium, de quibus nemo potest verius vel melius judicare quam Deus : *Tu autem*, inquit, *quare judicas fratrem tuum? aut cur spernis eum? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Domino. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddit Deo* (*Rom.* XIV, 10-12). In hoc ergo non sibi quispiam temerarios ausus usurpet, ut præter quod ad concordiam pertinet, aliud agat, unde unitas ecclesiæ dissipetur. Non ergo leviter quisquam assentiat in detractione, vel judicatione, aut dampnatione fratrum, maximeque sacerdotum, qui proximiores sunt Deo, et qui proprio ore Christi corpus conficiunt; quia ob hoc venit ira Dei in filios prevaricatorum, qui Christum in suis persecuntur membris. Nolite, fratres, nolite effici participes eorum, nec communicetis peccatis talium, aut infructuosis verbis illorum. Magis autem et redarguite talium cœtus, qui extendere moliuntur quasi arcum in fratres linguas suas. Defendite ergo fratres, et omnes monete, ut armentur contra fratrum persecutores. Confidimus autem de vobis meliora et viciniora saluti; *quia neque mors neque vita, neque angeli neque principatus, neque instantia neque futura, neque fortitudo neque altitudo, neque profundum neque creatura aliqua*, Magistro gentium docente, *poterit nos separare a caritate* Domini nostri Jesu Christi (*Rom.* VIII, 38, 39), quæ maxime in sacerdotibus et reliquis perficitur membris ejus. Nolite itaque omittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Ecce enim judex ante januam assistit, coronas hilariter promittens, his [111] qui pro eo fratribus auxilium ferunt, et oppressis succurrunt, atque in caritate conlaborant. Quod si subtraxerit se quis, non placebit Deo, sed cadet [112]; quia non sublevavit cadentem sed emarcuit. Et post aliquanta : Temere enim judicat, si quis episcopum absque sedis apostolicæ auctoritate condempnat, cum ei, ut paulo superius prælatum est, hoc specialiter privilegium reservatum sit. Item post aliquanta : Ille procul dubio facit iniquitatem in judicio, qui ea sibi vindicat quæ ei vindicare non licet, ideoque huic sedi concessa sunt, ut [113] nullus usurpare sine ejus consultu præsumat, qui non vult honore ecclesiastico indignus aut contemptus judicari. Itaque oportet propulsare neglegentes, sed ita, ut nocentes non roborentur; et bonos improbis atque insidiatoribus fratrum resistere, ne, torpore desidiæ oppressi, tacituritatis teneamur obnoxii. Itaque qui potest obviare et perturbare perversos et non facit, nihil est aliud quam favere impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; et reliqua.

22. Allatus [114] est autem etiam tomus ab Lothariensi regno per manus Ratbondi episcopi Noviomensis, in quo hæc continebantur :

VARIÆ LECTIONES.

[106] c. Et iterum attendere lupos attendere 2. [107] deum 2. [108] *ita* 1. 2. [109] sacerdotum 2. [110] *id* 2. item 1? [111] promitens is 2. [112] cadit 2 [113] *deest* 1. [114] Ablatus *corr.* oblatus 2.

Ex decretis sancti Clementis papæ de accusatione episcoporum : Accusandi vel testificandi licentia denegetur, qui Christianæ religionis et nominis dignitatem [115] et suæ legis vel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerunt. Transgressores enim legis suæ sponte ejusque violatores apostatæ nominantur. Omnis enim apostata refutandus est, et ante reversionem suam non in accusatione aut testimonio suscipiendus.

Ex decretis Stephani papæ : Nullus episcoporum dum suis fuerit rebus expoliatus, aut a sese propria qualibet occasione pulsus debet accusari, aut a quoquam ei potest crimen objici, priusquam integerrime restauretur, et omnia quæ ei ablata quocumque sunt ingenio legibus redintegrentur, et ipse propriæ sedi et pristino statui regulariter reddatur.

Item ejusdem [116] : Accusatores et accusationes quas sæculi leges non recipiunt, et antecessores nostri prohibuerunt, et nos submovemus. Nullus enim alienigena, aut accusator episcoporum fiat aut judex. Unde et de Loth scriptum est : *Ingressus es ut advena, numquid ut judices?* (*Gen.* XIX, 9.) Accusator autem eorum nullus sit servus aut libertus, nullaque suspecta aut infamis persona. Repellantur etiam cohabitantes inimicis et omnes laici.

Ex decretis Sixti papæ : Nemo pontificum aliquem suis rebus expoliatum episcopum aut a sede pulsum [117] excommunicare aut judicare præsumat, quia non est privilegium, quo expoliari possit jam undatus.

Ex decretis Julii papæ : Si quis ab hodierna die et deinceps episcopum præter hujus sanctæ sedis sententiam dampnare aut propria sede pellere præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse dampnatum et proprio carere perpetim honore, eosque qui absque hujus sedis sententia sunt ejecti vel dampnati [118], hujus sanctæ sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, et in propriis restitui sedibus.

Item : Nocumenta episcoporum sunt prohibita, ita ut qui talia temptaverint, aut eis nocere præsumpserint, siquidem clerici fuerint, a proprio gradu decidant; si vero monachi aut laici fuerint, anathematizentur.

Ex decretis Symachi papæ : Ordinis dignitate et communione privetur, qui vivo pontifice quolibet modo episcopatum ejus convictus fuerit ambisse vel temptasse, omnesque pariter hujus culpæ reos anathematis pœna duximus plectendos.

Item : Nulli fas est vel velle vel posse transgredi apostolicæ sedis præcepta, nec ejus dispositionis ministerium, quod omnium sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat; nec de ejus judicio quisquam postea curam habeat, quoniam jam dampnatus a sancta et apostolica æcclesia ejusque auctoritate et propria inobœdientia, atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur, quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus, cui sanctæ æcclesiæ commissa fuerit disciplina, quia non solum prælatæ sanctæ æcclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam alios ne [119] præterirent insinuare; sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare apostolicis.

Ex decretis Eusebii papæ : Oves ergo quæ pastori suo commissæ fuerunt, eum nec reprehendere nisi a recta fide exorbitaverit debent, nec ullatenus accusare possunt; quia facta pastorum ovis gladio ferienda non sunt, quamquam recte reprehendenda videantur. Ideo ista dicimus, quia his scriptis vestris repperimus quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicione, et aliquos ex certa ratione, et idcirco quosdam suis esse rebus expoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos; quos scias nec ad synodum provincialem, nec ad generalem posse vocare, nec in aliquibus judicare, antequam cuncta quæ eis sublata sunt legibus potestati eorum redintegrentur.

Item ex ejusdem : Errorem vestrum corrigite, fratres, et ab omni erroris macula vos custodite, ut purum Deo munus offerre valeatis. Servos Dei nolite persequi; episcopos nolite infamare, neque accusare, quia Deus eos suo judicio voluit reservari.

Ex decretis Adriani papæ : Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venifici, adulteri, et qui raptum fecerit vel falsum testimonium dixerit, seu qui ad sortilegos magosque cucurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi. Qui crimen intendit, agnoscendum est si ipse ante non fuit criminosus, quia periculosum est, et admitti non debet rei adversus quemcumque professio.

Ex decretis Fabiani papæ: Similiter statutum est, et nos eadem statuta firmantes statuimus, ut si aliquis clericorum suis episcopis infestus aut insidiator fuerit, eosque criminari temptaverit, aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum judicium submotus a clero, curiæ tradatur; cui diebus vitæ suæ deserviat, et infamis absque ulla restitutionis spe permaneat; nec ullus umquam præsumat accusator simul esse et judex.

Ex decretis Marcelli papæ : Si qui episcoporum expulsi fuerint aut expoliati suis rebus, primo omnia legaliter reddi quæ eis ab inimicis aut a [120] persecutoribus ablata sunt, et sedes proprias cum omnibus ad se pertinentibus regulariter congregatis restitui, et postea tempore congruo vocari ad sinodum regulariter congregatam censemus; nec liceat ei, priusquam hæc fiant, de se juxta statuta prædictorum respondere, aut de suis impetitionibus, si se viderit prægravari, reddere rationem. Sed his rite peractis, suisque omnibus libere dispositis, si tum juste videtur, suis respondeat accusatoribus. Et si ei necesse fuerit, inducias accipiat non modicas, ut explorare valeat ea quæ objiciuntur ei, ne aliqua delusus fraude, nocenter ruat.

Ex decretis Anacleti papæ : Accusatores, inquit [121], et testes esse non possunt, qui ante hesternum [122] diem aud nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se velint. Inoffensus igitur accusatorum et testium affectus quærendus est et non suspectus.

Ex decretis Damasi papæ : Qui accusare alium elegerit, præsens per se et non per alium accuset; neque ullus umquam judicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Silverius autem papa de fraudulenta sui comprehensione quærimoniam faciens, inter cætera dixit : Qui talia contra me egerunt, anathematizavi et una cum episcopis apostolica et synodali auctoritate statui, nullum umquam episcoporum ita decipi, hujusmodi vero præsumptorem anathema maranatha [123] fieri in conspectu Dei et sanctorum angelorum.

23. In his omnibus qui defensioni [124] Arnulfi studebant, quattuor quædam principaliter ingere-

VARIÆ LECTIONES.

[115] dignitate l. [116] I. ex c. 2. [117] se depulsum 2. [118] dampnanti 2. [119] non *corr.* ne 2. [120] *decsi* l. [121] inquid 2. [122] esternum *rec. manu add.* 2. [123] maranata 2. [124] defensione 2.

bant [118] : primum ut suæ sedi restitueretur, neque enim spoliatum respondere debere ; deinde legitimas vocationes, et ut Romano pontifici causa significaretur ; tum accusatum, accusatores, testes, ac judices, in magna synodo discernendos [126] ; neque sibi aliter ex ratione canonum posse videri causam constare. Quibus omnibus diligenter consideratis, ab altera parte respondebatur, juxta hunc ordinem decretorum omnia pene consummata esse. « Nam ut ab ultimis, inquiunt, repetamus, accusator ejus ad hanc causam satis idoneus est ; quippe nec ante inimicos, nec ad accusandum metu aut præmio adductus, sed tantum zelo religionis permotus, et qui, si eum non cognovisset, eo quo utitur presbiteratu dignus haberi posset. Vocationes autem ejus ad synodum per epistolas canonicas et per apocrisiarios non solum sex mensium, sed etiam anni spacia transcendunt. » Addebant præterea sedi suæ minime posse restitui, eo quod etiam restitutus, vocem loquendi non haberet. Sic enim contineri in Africano concilio, titulo 12 : « Si clerici intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur. » Et quia captio ejus invidiosa putabatur, neque inusitatum neque alienum a sacris legibus idem repperiebatur. In historia quippe Remensium pontificum scriptum constabat, Hildemannum Belvacensem episcopum, detentum [127] in monasterio sancti Vedasti, synodum expectasse, eo quod apud imperatorem Ludovicum insimularetur ad Lotharium cæsarem profugere voluisse ; Ebonem quoque Remorum archiepiscopum idem molientem, per Rothadum [128] Suessonicum, et Erchenradum Parisiorum episcopum, in Vuldensi monasterio pro similibus similia sustinuisse (Flod. *H. R.* II, 20). Justum ergo videri, ut qui de regiæ majestatis crimine impetitus [129] vocationi episcoporum non paruerit, judiciaria potestate conventus sit, idque firmari ex Africano concilio titulo 38 :

24. Cresconius Villaregiensis episcopus, plebe sua derelicta, Tuburniensem invasit æcclesiam, et usque hodie, commonitus secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem quam invaserat plebem, contempsit adversus statuta quæ pronunciata fuerant. Confirmata quidem audivimus, sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo necessitate ipsa cogente liberum nobis sit, rectorem provintiæ secundum statuta gloriosissimorum principum adversus illum adire, ut qui miti ammonitioni sanctitatis vestræ adquiescere noluit [130] et emendare inlicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit : Servata forma disciplinæ, non existimabitur appetitus, si vestra caritate modeste conventus, recedere detrectaverit, cum fuerit suo contemptu et contumatia faciente, etiam auctoritate judiciaria conventus.

Item ex eodem concilio, titulo 43 : Sunt plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, ut dictum est, earum scalpentes aures ad seducendum vitiosæ vitæ homines ; vel certe inflati et ab A hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum, et nonnumquam conventi ad concilium venire detrectant, sua forte ne prodantur Legitia metuentes. Dico, si placet, circa hos non tantum dioceses non esse servandas, verum etiam et de propria ecclesia quæ illis male faverit, omnimodo adnitendum, ut etiam auctoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur. Oportet enim, ut qui universis fratribus ac toto concilio inhæserit, non solum sua jure integro, sed et dioceses possideat ; at vero qui sibimet putant plebes suas sufficere, fraterna [131] dilectione contempta, non tantum dioceses amittant, sed, ut dixi, etiam propriis publica careant auctoritate ut rebelles.

25. Ad Romanum autem pontificem causam perlatam fuisse dicebant exemplaribus in hunc modum prolatis [132] : « Beatissimo papæ Johanni, Hugo gratia B Dei Francorum rex. Novis atque inusitatis rebus permoti, summo studio summaque cura vestra consilia expetenda decrevimus, quippe cum sciamus vos omne tempus in humanis ac divinis studiis exegisse. Considerate ergo quæ facta sunt, et facienda præscribite, ut et sacris legibus suus honor reddatur, et regalis potestas non annulletur. Arnulfus, regis Lotharii ut dicunt filius, post graves inimicitias ac scelera quæ in nos regnumque nostrum exercuit, loco parentis adoptatus est a nobis, ac metropoli Remorum gratis donatus, jusjurandum præbuit, quod contra præterita et futura valeret sacramenta. Libellum fidelitatis sub nomine cyrographi conscripsit, recitavit, corroboravit, corroborarique fecit. Milites ac omnes cives jurare coegit, ut in C nostra persisterent fide, si ipse aliquando in potestatem hostium deveniret. Contra hæc omnia, ut certissimi testes sunt, ipse portas hostibus patefecit ; clerum ac populum suæ fidei creditum captivitati et prædæ distribuit. Sed esto, eum esse addictum alienæ potestati, ut ipse videri vult ; cur cives ac milites pejerare cogit? Cur arma contra nos comparat? Cur urbem ac castra contra nos munit? Si captus est, cur non patitur liberari? Si vi hostium oppressus, quare non vult sibi subveniri? et si liberatus est, cur ad nos non redit? Vocatur ad palatium, et venire contempnit. Invitatur ab archiepiscopis et coepiscopis, nihil se eis debere respondet. Ergo qui vices apostolorum tenetis, statuite quid de altero Juda fieri debeat, ne nomen Dei per D nos [133] blasfemetur, et ne forte justo dolore permoti, ac vestra taciturnitate, urbis excidium totiusque provinciæ moliamur incendium ; nec judici Deo excusationem prætendetis, si nobis quærentibus atque ignorantibus formam judicii dare nolueritis.

26. Item episcoporum epistola ad eundem [134] : « Domino et reverentissimo [135] papæ Johanni, episcopi Remorum dioceseos. Non sumus nescii [136], beatissime Pater, jam dudum oportuisse nos expetere

VARIÆ LECTIONES.

[118] ingerebantur 2. [126] discernos. 1. [127] decentem *corr.* decentum 2, [128] rothardum 1. [129] inp. 2. [130] nolunt 2. [131] per æterna 1. [132] *deest* 1. [133] vos 2. [134] l. e. e. ad e. *desunt* 2. [135] revendiss. 1 ? [136] *add.* o *secunda mann* 2.

consulta sanctæ Romanæ ecclesiæ, pro ruina atque occasu sacerdotalis ordinis. Sed multitudine tyrannorum pressi, longitudine terrarum semoti, desideria nostra hactenus implere nequivimus. Nunc itaque vestro examini non sine magno dolore perferimus novum atque inusitatum crimen, Arnulfi Remorum archiepiscopi, qui, famosus apostata factus, locum Judæ traditoris olim in ecclesia tenet; qui filius quondam ecclesiæ Laudunensis, cum episcopum suum dolo et fraude ceperit, ecclesiam ejus pervaserit, ad cumulum suæ dampnationis, Remensem, sibi creditam, cum clero et populo captivavit, nec movet eum nostra vocatio, vel potius saluberrima exhortatio [137], non archiepiscoporum conprovincialium multotiens repetita ammonitio, non canonice facta coram Deo et angelis ejus professio, non cirographi in conspectu ecclesiæ recitata descriptio, non numerosa sacramenta, miris excogitata consiliis. Stant suo vitio quam plures [138] ecclesiæ pastoribus viduatæ; pereunt innumerabiles populi sine sacerdotali benedictione et confirmatione; ipse factione tyrannica, divina humanaque jura contempnens, tyrannidem exercet. Regibus nostris, a quibus tantam gloriam gratis consecutus est, interitum meditatur. Ergo tandem ad monstra perditissimi hominis expergefacti, ivimus in sententiam Domini dicentis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore testium* [139] *duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem et ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 15-17). Adesto, Pater, ruenti ecclesiæ, et sententiam ex sacris canonibus promulgatam, vel potius ab ipsa Veritate prolatam, profer in reum. Sentiamus in vobis alterum Petrum defensorem et corroboratorem Christianæ fidei; ferat sancta Romana ecclesia sententiam dampnationis in reum, quem universalis dampnat ecclesia. Suffragetur nobis vestra auctoritas, et in hujus apostatæ dejectione, et in ejus qui domui Dei præesse possit archiepiscopi nova ordinatione, simulque invocatis episcopis nostris fratribus necessaria promotione, ut sciamus et intelligamus cur inter cæteros apostolatum vestrum præferre debeamus. »

27. Illis epistolis in media synodo recitatis, missionis earum tempus et relata legatio ab defensoribus Arnulfi perquirebatur. Et de primo quidem mensis undecimus repperiebatur; de altero autem nihil memoria dignum, sed legatos tantum scripta Romano pontifici porrexisse, primoque se blande acceptos esse, postea vero quam Heriberti comitis legati, equum corpore præstantem niveo colore insignem, cum aliis muneribus pontifici obtulerunt, se per triduum ante januas palatii defatigatos, nec admissos, infecto negotio redisse. Astipulabantur etiam huic rationi Brunonis episcopi præsentes clerici, qui se pro ejus captione Romanum [140] pontificem adisse dicebant; a quo maledicta in reos cum ex auctoritate apostolica expeterent, ejus ministri summam solidorum decem dari censebant. Quibus derisis, eo quod si [141] pecunia redimi posset, nec mille talenta moras inferrent, hoc tandem in responsis ab ipso pontifice acceperunt, ut is pro quo captus esset, bene illi prospiceret. Non ergo sedem apostolicam huic judicio præjudicare. Bene quoque Africanos episcopos super hoc Romanorum tipo permotos fuisse, qui super hac re synodo 217 episcoporum tempore Zosimi papæ inchoata et per tempora Bonefacii distenta, tandemque sub Cælestino consummata, quid de Romani episcopi potestate sentiri vellent, in æternis monimentis statuerunt. Quod concilium quoniam insigne est et beati Augustini præsentia illustratum, et artificiosis consultationibus expolitum, vimque multiplicis argumenti huic synodo præbuit, ad plenum his gestis adnectere utile judicavimus.

28. Multa super his Pater Arnulfus publice locutus est, multa cum sibi tantum assidentibus contulit; quæ ne forte minus suavitatis habeant ita sparsim posita ut sunt ab eo prolata, ea in unum colligere maluimus, ut continuata oratio plus utilitatis studioso lectori conferat. « Nos quidem, inquit, reverentissimi [142] Patres, Romanam ecclesiam propter beati Petri memoriam semper honorandam decernimus, nec decretis Romanorum Pontificum obviare contendimus; salva tamen auctoritate Niceni concilii, quod eadem Romana ecclesia semper venerata est. Statuta etiam sacrorum canonum [143] diversis locis, diversis temporibus, sed eodem Dei spiritu conditorum, in æternum valere præcipimus, ab omnibus servanda censemus. Duo autem sunt quæ magnopere a nobis prævideri [144] debent, id est [145] si Romani pontificis silentium aut nova constitutio promulgatis legibus canonum vel decretis priorum præjudicare [146] potest. Si enim silentium præjudicat, omnes leges, omnia priorum decreta, eo silente, silere necesse est. Si autem nova constitutio, quid prosunt leges conditæ, cum ad unius arbitrium omnia dirigantur? Videtis quia, his duabus causis admissis, ecclesiarum Dei status periclitatur, et dum legibus leges quærimus, nullas omnino leges habemus. Quid ergo? Num privilegio Romani pontificis derogabimus? Minime; sed si Romanus episcopus is est quem scientia et vitæ meritum commendet, nec silentium nec nova constitutio metuenda sunt. Quod si vel ignorantia, vel metu, vel cupiditate abalienatur, vel conditio invidiam facit, quod fere sub hæc tempora vidimus, Romæ tirannide prævalente, tunc

VARIÆ LECTIONES.

[137] exortatio 1. [138] *deest* 2. [139] d. t. 2. [140] romanorum 1. [141] se 1? [142] reverend. 1? [143] canonicum 1. [144] perviderі 2. [145] idem 1. [146] præjudicari 1?

multo minus idem silentium et nova constitutio formidanda sunt. Non enim is qui quolibet modo contra leges est, legibus præjudicare potest. Sed, o lugenda Roma! quæ nostris majoribus clara Patrum lumina protulisti, nostris temporibus monstrosas [147] tenebras futuro sæculo famosas offudisti! Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios. Quid dicam de Gelasio et Innocentio, qui omnem mundanam phylosophyam [148] sua sapientia et eloquentia superant? Longa series eorum est, qui sua doctrina mundum repleverunt. Eorum itaque dispositioni, qui vitæ merito et scientia cunctos mortales anteirent, recte universalis ecclesia credita est; quamvis et in hac ipsa felicitate hoc privilegium tibi ab Africanis episcopis contradictum sit, has credo quas patimur miserias, magis quam tipum dominationis formidantibus. Nam quid sub hæc tempora non vidimus! Vidimus Johannem, cognomento Octavianum, in volutabro libidinum versatum, etiam contra eum Ottonem, quem augustum creaverat, conjurasse; quo fugato, Leo neophytus [149] in pontificem creatur. Sed Ottone cæsare Roma discedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, Johannem diaconem naso, dextris digitis, ac lingua mutilat, multaque cede primorum in urbe debacchatus, in brevi moritur. Cui Benedictum diaconem cognomento Gramaticum Romani substituunt; eum quoque Leo neophytus cum suo cæsare non longe post aggreditur, obsidet, capit, deponit, perpetuoque exilio in Germaniam dirigit. Succedit Ottoni cæsari cæsar Otto, nostra ætate cunctos principes armis, consilio, ac scientia superans. Succedit Romæ in pontificatu horrendum monstrum Bonefacius [150], cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris pontificis sanguine cruentus; sed hic etiam fugatus atque in magna synodo dampnatus, post obitum divi Ottonis Romam redit, insignem virum apostolicum Petrum, Papiensis ecclesiæ prius antistitem, data sacramentorum fide, ab arce Urbis dejicit, deponit, squalore carceris affectum perimit. Num talibus monstris hominum ignominia plenis, scientia divinarum et humanarum rerum vacuis, innumeros sacerdotes Dei per orbem terrarum, scientia et vitæ merito conspicuos [151], subjici decretum est? Quid est hoc, reverentissimi Patres? vel quonam vitio fieri credendum est, ut caput ecclesiarum Dei, quod in sublime erectum, gloria et honore coronatum est, ita in infima dejectum, ignominia et dedecore deturpatum sit? Nostrum, nostrum est hoc peccatum, nostra impietas, qui quærimus quæ nostra sunt, non quæ Jesu Christi. Si enim in quovis ad episcopatum electo, morum gravitas, vitæ meritum, divinarum ac humanarum rerum scientia subtiliter investigantur, quid in eo qui omnium episcoporum magister videri appetit, investigandum non est? Cur ergo in summa sede sic infimus constituitur, ut etiam in clero nullum habere locum dignus inveniatur? Quid hunc, reverendi Patres, in sublimi [152] solio residentem veste purpurea et aurea radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum si caritate destituitur solaque scientia inflatur et extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens, et se ostendens tamquam sit Deus. Si autem nec karitate fundatur, nec scientia erigitur, in templo Dei tamquam statua, tamquam idolum est, a quo responsa petere, marmora consulere est! Quo ergo consultum ibimus? Evangelium docet quendam in ficulnea ter fructum quæsisse, et quia non reppererit, succidere voluisse, sed ammonitum [153] expectasse. Expectemus ergo primates nostros quoad possumus, atque interim divini verbi pabula, ubinam repperiri valeant, investigemus. Certe in Belgica et Germania quæ vicinæ nobis sunt, summos sacerdotes Dei [154] religione admodum præstantes inveniri, in hoc sacro conventu testes quidam sunt; proinde si regum dissidentium animositas non prohiberet, inde magis episcoporum judicium petendum fore videretur, quam ab ea urbe, quæ nunc emptoribus venalis exposita, ad nummorum quantitatem judicia trutinat. Quod si quispiam dixerit, secundum Gelasium, Romanam ecclesiam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus umquam judicio judicari, is, inquam, qui hoc dixerit, eum nobis in ecclesia Romana constituat, de [155] cujus judicio judicari non possit; quamquam hoc ipsum Africani episcopi impossibile judicant. *Nisi forte, inquiunt, quisquam est qui credat, unicuilibet posse Dominum* [156] *nostrum examinis inspirare justitiam, et innumerabilibus* [157] *congregatis in concilium sacerdotibus denegare.* Sed cum hoc tempore Romæ nullus pene sit, ut fama est, qui litteras didicerit, sine quibus, ut scriptum est, vix hostiarius efficitur, qua fronte aliquis eorum docere audebit quod minime didicit [158]? Ad comparationem quippe Romani pontificis, in aliis sacerdotibus ignorantia utcumque tolerabilis est; in Romano autem, cui de fide, vita, moribus, disciplina sacerdotum deque universali ecclesia catholica judicandum est, intolerabilis videri potest. Is enim est, ut quibusdam placet, qui secundum Ezechielem prophetam moratur in gazophilatio, quod respicit viam meridianam, et excubat in custodiis templi. Cur autem loco prior, scientia inferior, non æquo animo ferat judicium loco inferioris, scientia prioris? Certe ipse apostolorum princeps non abnuit judicium, quamvis loco minoris, Pauli, scientia prioris, in facie sibi resistentis; quoniam non sana videbatur doctrina magistri. Et Gregorius papa cum dicat: *Si qua culpa in episcopis invenitur, nescio quis apostolicæ sedi subjectus non sit*; subinfert: *Cum vero culpa non exigit*,

VARIÆ LECTIONES.

[147] monstruosas 2. [148] philosophiam 2. [149] neophitus 2. [150] *alia manu* malifacius 2. Malefacius 2*a*. [151] conspicuis 2. [152] sublimo 1. [153] adm. 2. [154] d. *in dele um* 2. [155] c. ut de ejus i. 2. [156] deum 2. [157] innummerabilibus 1. [158] di ficitur 1.

omnes secundum rationem humilitatis pares sunt. Invo'utus ergo criminibus, sentiat præesse sibi Romanum pontificem, et qui nullis atrocioribus factis prægravatur, intelligat parem, dignam se ac Romano pontifice in quolibet negotio laturus sententiam. Sed esto; ponamus nunc Romæ esse Damasum; quid contra ejus decretum actum est? Nempe si bene recordor, primum capitulum fuit, quod episcoporum et summorum negotiorum ecclesiasticorum causæ semper ad sedem apostolicam sint referendæ. Utique relatæ sunt non solum ab episcopis, sed etiam a principe nostro serenissimo; liberaque potestas apostolicæ sedi data est, et vera investigandi, et cognoscendi, et dijudicandi, per temporum intervalla nimis prolixa; nec prius ad causam accessimus, quam desperatione judicii ejus protraheremur. Consultus est ergo Romanus episcopus ut oportuit, et de hujus Arnulfi depositione, et de ejus qui domui digne præesse possit [159] substitutione. Sed cur nihil responderit, quorum interest ipsi viderint; nos autem Sardicense concilium, quod privilegio Romanæ ecclesiæ plurimum favet, ita ad hanc causam inflectimus, ut quod de solo episcopo in qualibet provincia relicto dicit, ad Romanum episcopum affectum esse credamus. Sic enim habetur, titulo 6 : *Osius episcopus dixit : Si contigerit in una provincia, in qua fuerint plurimi episcopi, unum forte remanere episcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare episcopum, et populi convenerint episcopos vicinæ provinciæ, debere illum prius conveniri episcopum qui in eadem provincia moratur, et ostendere quod populi petant sibi rectorem, et hoc justum esse, ut et ipsi veniant, et cum ipso ordinent episcopum. Quod si conventus litteris tacuerit, et dissimulaverit, nihilque responderit, tunc satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicinis provinciis et ordinent episcopum.* Juxta hujus sententiæ tenorem, ad petitionem populorum ab episcopis et principe conventus est, ut sua auctoritate Arnulfus deponeretur, et alter substitueretur. Quia ergo conventus litteris tacuit, et dissimulavit, et nihil respondit, nunc satisfaciendum esse populis censeo, ut episcopi qui ex vicinis provinciis convenerunt, et hunc Arnulfum, si depositione dignus est, deponant, et si forte qui domui Dei præesse possit repertus est, episcopum constituant. Et quoniam Damasus episcoporum summa negotia metropolitanis discutere concedit, definitionem eorum suæ potestati attribuit; Damaso quidem non resistimus, sed scriptum beati Gregorii in medium proferimus : *Lator, inquit, præsentium Nemesion ad nos veniens, indicavit Paulum Deaclinæ [160] civitatis episcopum, inter alia mala in corporali crimine lapsum, a suis fuisse clericis accusatum, atque habita cognitione, ita, quod sine dolore dicere non possumus, claruisse, atque insuper postquam convictus est, etiam libellum eum, in quo ea de quibus accusatus fuerat, vera esse confessus est, obtulisse. Qua de re illo deposito, episcopali sententia, ejus loco cum fraternitatis vestræ consensu esse episcopum ordinatum.*

« Ecce hic Paulus episcopus ignorante Gregorio deponitur, alter in loco ejus substituitur; causa cum suis effectis per latorem apicum Gregorio significatur. Non in depositores Gregorius ulciscitur, sed in depositum ulterius sævit; ait enim post aliquanta : *Qui si forte, quod non credimus, post depositionem suam inverecunde ac mente perversa aliquid de episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qualibet aspirare præsumptione temptaverit, fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnino vigor accendat, atque Dominici corporis et sanguinis communione privatum, in monasterio eum usque ad diem obitus sui ad agendam curet pœnitentiam retrudendum; quatinus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emundare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter augere desiderat.* Quomodo nunc decretum Eusebii papæ servatum est? Etenim paulo ante in tomo decretali lectum est : *Oves ergo quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenus accusare possunt;* quia facta pastorum ovis [161] gladio ferienda non sunt, quamquam recte reprehendenda videantur. Certe hic Paulus a suis ovibus, id est a suis clericis, reprehensus et accusatus est, non de fide sed de corporali crimine. In hac itaque decretorum vel canonum varietate hoc observandum est, ut causarum eventus finem accipiant juxta [162] æquitatem, nullis animorum perturbationibus improvide admixtis. Et quoniam summi negotii discussionem et definitionem a metropolitano primæ Justinianæ factam fuisse cognovimus, doceamus etiam nunc, quod episcopis etiam suorum metropolitanorum summa negotia discutere liceat. Scribit item Gregorius universis episcopis concilii Vizachii : *Sicut*, inquit, *laudabile discretumque est, reverentiam et honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis et Dei timoris est, si qua in eos correctionis indigent, nulla dissimulatione postponere; ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus invadere, si langor [163] non fuerit curatus in capite. Ante multum siquidem temporis quædam ad nos de fratre nostro Clementio, primate vestro, perlata sunt, quæ cor nostrum non modico merore transfigerent; sed prementibus diversis tribulationibus, et maxime circumsævientibus hostibus, ea nobis non fuit spatium requirendi. Et quoniam ita sunt gravia, ut transire indiscussa nullo modo debeant, fraternitatem vestram his hortamur affatibus, ut cum omni sollicitudine ac vivacitate, veritatis indagare substantiam multis modis debeatur; et ut audita sunt, ultione canonica resecentur, aut falsa, et fratris nostri innocentia diu sub nefandæ opinionis dilacera-*

VARIÆ LECTIONES.

[159] posset 2 [160] *ita* 1. 2. Tentinæ 1*a*. 2*a*. [161] oris 2? [162] *deest* 2? [163] languor 2.

tione non jaceat. Unde ne quis desidiæ tepor in requisitione sit, ammonemus [165] *ut non cujusdam personæ sit gratia, non favor, non blandimenta, vel quodlibet aliud, quemquam vestrum vel ab his quæ nobis nuntiata sunt molliat, vel a tramite veritatis excutiat; sed sacerdotaliter ad investigandam vos veritatem propter Deum accingite. Nam si quis in hoc aut piger esse, aut neglegentem se præsumpserit exhibere, dictis criminibus apud omnipotentem Dominum se noverit esse participem, cujus zelo ad perscrutandas* [166] *subtiliter nefandi causas facinoris non moretur.* Et hic profecto intelligimus, nullam personam peccantem esse, quæ judicio universalis ecclesiæ non subjaceat. Omnis enim criminaliter peccans, velut, ita dicam, alteratus, et quasi legibus capite minor censetur. Accusatur apud beatum [166] Gregorium Lucillus Militæ [167-68] (41) civitatis episcopus, et ex epistolis coepiscoporum illata crimina vera esse cognoscit. *Et ideo*, inquit, *quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri, fraternitas vestra tres vel quattuor de fratribus ac consacerdotibus sibi nostris adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus, prædicta ac satisfacta veritate, prædictum Lucillum de episcopatus ordine, quem hujus sceleris contagium maculavit, studeat sine ambiguitate deponere.* Progreditur ultra, et in conscios criminum dignam Romano pontifice sententiam jaculatur: *Quia vero, inquit, presbiteri vel diaconi quidam prodiæ iniquitatis fuisse conscii ac participes memorantur, sanctitas vestra subtili indagatione discutiat; et si ita reppererit, ab honoris sui et ipsos similiter gradu dejiciat, et in monasteriis, ubi digne valeant agere pœnitentiam, deputentur.* Non adhuc satis est, quia scit dictum Iezechieli [169] propbetæ : *Fili hominis, perfode parietem* (*Ezech.* XII.) — « Sed quia, inquit, per hos multi hujus labe peccati perhibentur esse conlapsi, cunctos qui rei [170] esse claruerint, Dominici corporis ac sanguinis participatione privare vos convenit. » Ecce hic Gregorius non nutrit vitia, sed amputat. Quid est enim aliud de manifestis peccatis tacere, quam scelera nutrire? Sed esto; taceamus de his in quibus nemo se ledi conqueritur; quid acturi erimus, si armati duces genialis lecti nocturna furta deprehenderint? Si irati reges quemlibet nostrum majestatis reum convicerint? Quid, inquam, acturi erimus, si quodam colludio longis ambagibus, proplexis cavillationibus se deludi senserint? Num eos judicii formam Romæ pecunia redempturos putatis, reumque sibi defuturum, quin auri et argenti montes Romanis [171] offerat, si se redimi pecunia speret? At si remota ab usu et consuetudine et spatio terrarum esse putatis quæ proponimus, sint vobis exempla e vicino petita. Egidius certe, Remorum archiepiscopus, quia Hilperici [172] regis amicitia usus fuisse convictus est ad Childeberti regis sui infidelitatem, in urbe Mettensi a Galliarum episcopis depositus, apud Argentoratum, quæ nunc Strateburgis dicitur, perpetuo exilio dampnatus est; cui mox Romulfus, Lupi ducis filius, jam presbiter substituitur; nec magnus Gregorius, privilegii Romanæ ecclesiæ acerrimus defensor, quicquam pro his aut contra hæc dixisse repperitur. Ebo etiam, ejusdem Remensis ecclesiæ metropolitanus, ob crimen regiæ majestatis apud Theodonisvillam [173] a Galliarum episcopis deponitur, longeque post a Nicolao papa requisita et cognita ejus depositio est, ac deinde a Sergio corroborata. Quid ergo? Num Damasi decreta dampnabimus? Minime. Sed in causis latentibus et in quibus ob magnitudinem sui justa provocatio fit, ad universale concilium vel ad Damasum recurremus, si tamen eum Romæ commorari audierimus; quamvis etiam ad Damasum provocatio Africanis inhibeatur conciliis, ut superius dictum et adhuc dicendum est. At in causis evidentibus et in quibus ad Romanum episcopum nulla provocatio fit, provincialibus vel conprovincialibus utemur conciliis. Quod etiam Antiocena sinodus velle videtur capitulo 14° : *Si quis*, inquit, *episcopus de aliquibus causis criminalibus in judicio episcoporum fuerit* [174] *accusatus, contingat autem de ipsis episcopis provintiæ qui convenerunt, diversas habere sententias, et alios quidem innocentem eum pronuntiare, alios reum : propter hujusmodi itaque controversiam amputandam, placuit sanctæ synodo metropolitanum episcopum alterius vicinæ provinciæ advocari et aliquantos cum eo episcopos alios; qui pariter residentes, quæcumque fuerint, dirimant quæstionem, propter hoc, ut firmum sit judicium, quod ab unius provinciæ episcopis fuerit promulgatum.* Quamvis et hoc concilium quod de privata coepiscopi nostri causa agitur, universale videri debeat, utpote plurium provinciarum judicia continens. Et ne forte ad placitum loqui videamur veterumque sententias male interpretari, audite quid hinc sentiat Hincmarus Remorum archiepiscopus, et in lege Dei eruditissimus. Scribens enim ad Nicolaum papam ita inquit : *Absit a nobis, ut privilegium primæ et summæ sedis sanctæ Romanæ ecclesiæ pontificis pro sic* [175] *parvipendamus, ut controversias et jurgia tam superioris quam etiam inferioris ordinis, quæ Niceni et cæteri sacrorum conciliorum canones, et Innocentii atque aliorum sanctæ Romanæ sedis pontificum decreta in synodis provincialibus a metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. At si forte de episcopis causa nota fuerit, unde certa et expressa in sacris regulis non habeamus judicia, et ob id in provinciali vel in*

VARIÆ LECTIONES

[165] adm. 2. [166] præscr. 2. [166] *deest.* 2. [167-68] mellitæ 2. [169] ezechieli 2. [170] regi *corr.* rei 2. [171] romanos 1. [172] chilperici *alia manu aliis erasis* 2. [173] teod. 2. [174] fuit 1. [175] Persiæ 2a.

NOTA.

(41) Malta.

comprovinciali nequeat examine diffiniri, ad divinum oraculum, id est [176] *ad apostolicam sedem, nobis inde est recurrendum.* De provocationibus autem idem Hincmarus æque nobiscum sentit, quod a suspectis judicibus et minoris auctoritatis, ad majoris auctoritatis judices legitima provocatio sit; ab electis vero et ubi reus causa decidit, nullam omnino fieri posse, de quo et in Africano [177] concilio ita legitur: UT AB ELECTIS JUDICIBUS PROVOCARE NON LICEAT. *Si autem fuerit provocatum, eligat, qui provocaverit, judices, et cum eo ille contra quem provocaverit, et ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* Item in eisdem conciliis de eadem re, cap. 22: *Quod si clerici ab episcopis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates suarum provinciarum, sicut et de episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverint appellandum, a nullo in terra Africa* [178] *in communione suscipiantur.* Nimirum per transmarina Romanam ecclesiam volentes intellegi, causam ubi orta est debere determinari, Africani episcopi confirmaverunt. Videat autem qui potest, quod non sine quodam scrupulo paulo ante lectum est: *Ut nostis,* inquit Damasus, *sinodum sine ejus* — id est [179] romanæ sedis — *auctoritate fieri non est catholicum.* Quid ergo, si barbarorum gladiis circumsævientibus, licentia commeandi Romam intercludatur? vel si Roma barbaro cuilibet serviens, motu libidinis ejus in aliquod regnum efferatur? num interim aut nulla concilia erunt, aut orbis terrarum episcopi ad suorum regum dampna vel interitus ab hostibus disponendarum rerum consilia et concilia exspectabunt? Et certe Nicenus canon, qui, ipsa Romana ecclesia teste, omnia concilia, omnia decreta eminentia sui exuperat, bis in anno concilia debere fieri dicit, nihilque inde ad Romani episcopi auctoritatem spectare præscribit. Sed insuper ejus privilegio, sicut Africana synodus interpretatur, multum derogat. Et de privatis quidem causis in provinciali synodo, de communibus autem in generali concilio, eadem Africana synodus judicandum præscribit capitulo nono concilii Milevitani. At nos, controversiarum lite depulsa, Romanam quidem æcclesiam ob memoriam apostolorum principis, ita ut a majoribus nostris accepimus, quoad possumus, amplius quam Afri colamus; et seu se digna seu indigna prolatura sit, si status regnorum patitur, ab ea responsa petamus; sicut etiam pro causa Arnulfi factum esse constat. Si in expetendis vel vitandis justam vel injustam judicii promulgaverit formam, in altero pax ecclesiarum et unitas conservabitur, in altero vocem Apostoli audiemus dicentis: *Quicumque vobis annuntiaverit præter quod accepistis, anathema sit, licet angelum de cælo esse se fingat!* (*Gal.* I, 8, 9.) Porro si tacebit ut nunc, consultæ leges voce conditorum loquentur. Sed o infelicia tempora, quibus patrocinio tantæ frustramur æcclesiæ! Ad quam deinceps urbium confugiemus, cum omnium gentium dominam humanis ac divinis destitutam subsidiis videamus? Ut enim planius dicamus palamque fateamur, post imperii occasum hæc urbs Alexandrinam æcclesiam perdidit, Antiocenam amisit, et ut de Africa taceamus atque Asia, ipsa jam Europa discedit. Nam Constantinopolitana ecclesia se subduxit, interiora Hispaniæ ejus judicia nesciunt. Fit ergo discessio, secundum Apostolum, non solummodo gentium, sed etiam ecclesiarum (*II Thess.* II, 3). Quoniam cujus ministri Galljas occupaverunt, nosque totis viribus præmunt, Antichristus instare videtur, et ut idem Apostolus ait: *Jam misterium iniquitatis operatur, tantum, ut qui nunc tenet, teneat donec de medio fiat, ut ille perditionis filius reveletur, homo peccati, qui adversatur et extollitur supra Dei nomen Deique culturam* (*II Thess.* II, 7, 8). Quod jam in aperto fit, et Romana potentia conquassata, religione profligata, nomen Dei frequentibus perjuriis impune humilietur; ipsius divinæ religionis cultus, etiam a summis sacerdotibus contempnatur [180]. Ipsa insuper Roma jam pene sola a se ipsa discedit, dum neque sibi, neque aliis consulit. Proinde si placet caritati vestræ quia Pelagium patriarcham a duodecim episcopis auditum esse scimus, ut beatus Augustinus in libro quodam [181] contra eundem Pelagium scribit; quoniamque Romana æcclesia a nobis consulta, nullam judicii formam promulgavit; ex sacris legibus capitula proferantur, et a quot episcopis episcopus in crimine detentus audiri debeat, et qui causæ suæ dicendæ adesse noluerint, quam sententiam excipiat. » Itaque, jubente sinodo, hæ sententiæ recitatæ sunt:

29 [182]. *Ex concilio Cartaginis titulo* 10: Felix episcopus dixit: « Suggero, secundum statuta veterum conciliorum, ut si quis episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, et fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis, et presbiter a sex episcopis cum proprio suo episcopo audiatur, et diaconus a tribus. »

Ex concilio Cartaginis, capitulo 7: Aurelius episcopus dixit: « Quisquis episcoporum accusatur, ad primatum [183] provinciæ ipsius causam deferat accusator; nec a communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum [184], die statuta, litteris evocatus minime occurrerit; hoc est infra spacium mensis ex ea die qua eum litteras accepisse constiterit. Quod si aliquis veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ inter alterum mensem integram habeat facultatem; verum tandiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se dampnationis sententiam dixisse judicetur; tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parochia communicet. » *De contemptu* [185] *judicii ex epistola papæ Bonefacii:* Probat vera esse

VARIÆ LECTIONES.

[176] idem 1. [177] africanis conciliis 2. [178] intra africam 2. [179] idem 1. [180] condemptatur 1. [181] *deest* 2. [182] *Codex* 2. *caput* 29. *vocabulo* Felix *incipit.* [183] primatem 2. [184] judicium 1? [185] contentu 1.

illa quæ adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult; et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum, ut absolvatur, qui est innocens quærit. Sed astuta cavillatio eorum, qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quisquis subterfugere judicium dilationibus putat; veniet tamen aliquando ille qui talis perhibetur in medium, nec prodest illi tociens latuisse, tociens subterfugisse, quem sui actus et commissa quocumque fugerit, ea quæ objiciuntur illi si vera sunt crimina persecuntur; ut si adesse voluerit præsens, si confidit, ad objecta respondeat; quod si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et tociens delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata tociens constet absentia.

30. His omnibus pertractatis, ab defensoribus Arnulfi venia postulatur, et quod ejus negotia minus caute prius inquisierint, et quod concilium longis dilationibus defatigaverint. Deinde adjungunt, non se controversiarum genere adductos ad studium defensionis accessisse, sed episcoporum anathema sibi necessitatem dicendi imposuisse. Episcopi vero et qui contra Arnulfum stetisse videbantur, æquo animo se objecta accepisse dicebant; sibi quoque placere, quod judicium posse fieri jam in commune legitimum putaretur, nihilque aliud superesse quam ut ipse Arnulfus in medium deduceretur, et de qualitate sui facti juxta quod vellet responderet. Itaque, jubente sinodo, in episcoporum ordine consedit. Cui Pater Arnulfus circa eum regis beneficia, itemque ipsius in regem maleficia, miti [186] alloquio commemorat. Negat ille se quicquam contra regis salutem egisse, sed pro fide [187] ad eum conservata cum clero et populo se in propria urbe ab hostibus captum fuisse; nihilque solatii proinde a rege tulisse, sed insuper maleficia pro beneficiis recompensata sibi esse. Opponit Pater Arnulfus præsentem presbiterum, qui urbis portas, acceptis a manu ejus clavibus, jussu ipsius affirmabat se hostibus aperuisse. Ille respondet [188], presbiterum longe meditata dicere, falsaque pro veris narrare, suamque innocentiam ejus fictis criminationibus haberi suspectam non debere. Cui econtra presbiter ingerebat, quod se ad accusandum nemo impulerit; quod locus fugæ sibi patuerit, quod sibi semper fidissimus fuerit, nichilque aliud in accusandi causa se habere, quam ut crimine proditionis liberaretur, qui ejus imperio parnisset; et si quid in veri confessione sinodus dubitet, vel suo vitio adscribat, sinodi decretis se subjacere pollicebatur; tantum ecclesiasticæ communioni restitueretur. Ad hæc Arnulfus teneri se ab hostibus [189] conquerebatur, nec aliquando se vidisse episcopum sic attractatum, ideoque se respondere nescire. Neque vero sibi relictos esse suos monachos, suos clericos, suos abbates, quibus quæ vellet præcipere posset: quod [190] dictum insulsi hominis esse putabatur. « Et quidnam, inquit Pater Arnulfus, iis [191] præcipiendum est? Num ut te a culpis eximant? [192] Equidem [193] si pro testimonio ferendo dicis, en tui episcopi, qui te frequenter pro temetipso, ut ad sinodum venires, ortati sunt, en tui abbates, tuusque clerus cum sibi prælatis! His omnibus datur licentia te defendendi, non solum voluntaria, verum necessitate imposita. » Ad hæc ille ad priora relabebatur; non se vidisse episcopum sic attractatum dicens, nec ita se habitum scire respondere. Doctum etiam hominem inter tot sapientes, insipientem videri posse. « Cur ergo, » inquit episcopus Guido, « secundum tua vota habitus, tociensque ab episcopis et domino tuo rege vocatus, respondere noluisti? » Et ille: « Delatus ad regem eram, et ideo quo vocabar ire non audebam. — Non ita est, » inquit Guido episcopus; « sed cum te in vicinia [194] Laudunensis urbis apud Cavinionem convenissem, coram fidelibus testibus, clericis ac laicis, tertio te ad fratrum tuorum conventum invitavi, sub obtestatione divini nominis, ex canonum auctoritate, et societate omnium fidelium; ad dominorum quoque tuorum præsentiam ire monui, per fidelitatem quam eis promiseras, per omnia sacramenta quæ ipsis præbueras. Unde perjurum te esse negare non potes, per cirographum, cui subscripsisti ac omnes nos subscribere fecisti. Sed cum tu responderes, non posse te ire sine ductoribus Oddone et Heriberto, eo quod vim tibi inferri timeres, fratrem meum Gualterium obsidem tibi obtuli, me et patrem meum, comitem Gualterium, itineris ductores pollicitus sum, ut sine periculo vitæ, membrorum, captionis, ad tua redires. Idem quoque in eodem momento sacramento firmare propria manu præsto fui. Cumque te a Karolo captum esse prætenderes, eique sacramenta et obsides præbuisse, ideoque sine ejus licentia ire non posse, percontabar a te, quinam obsides pluris tibi videretur; utrum Richardus frater tuus, Bruno episcopus consobrinus tuus, ejusque sororis filius, in regum potestate constituti; an milites tui Sehardus et Raynoldus [195], qui datis pro se pueris abire permissi sunt, quorumque beneficia simulatis captivatoribus tuis attribuisti, palam faciens, quanta in dante et accipiente obsidum diligentia fuerit. Quodnam etiam tibi sacramentum potius servandum foret, requirebam; scilicet quod regi et domino tuo sponte dederas, aut quod hosti armato invitus dare debueras? Tria autem erant sacramenta, quæ nulla arte, nullo ingenio effugere poteras: primum quo te obligasti, ut pro nullo a te facto vel faciendo sacramento a fidelitate dominorum nostrorum recederes; secundum ut si ab hostibus interceptus esses, sicut tunc simulabas,

VARIÆ LECTIONES.

[186] mitti 2. [187] sed perfide 2. [188] respondit 2. [189] ossibus 2. [190] quo 1. [191] iis *corr.* his 2. [192] existimant 2. [193] et quidem 2. [194] vicia 1. [195] raimoldus.

mox ut locus fugæ tibi pateret, ad dominos tuos redire per rectam fidem non differres, idque in præsenti facere monebam, cum tecum pauci essent, ego autem obtimorum [196] militum copias haberem. De tertio vero quid dicam, cum tam multiplicis perjurii reus sis, quot [197] esse perjuros facis? Omnes enim cives tui ac milites te Jubente juraverunt, ut si aliquando ab hostibus capereris, vel si ipse tua sponte a regis fidelitate deficeres, regi se fidem servaturos, urbemque et castra sub eorum jure retenturos. Econtra cum tu a fidelitate regis defeceris, contra omnes mortales tibi sacramenta præbere jussisti, domino tuo regi portas civitatis obstruxisti, Karolo quotiens sibi libuit aperuisti, nec ad professionem tui cirographi respicere voluisti, cum inimicis dominorum tuorum consilium et auxilium, secundum scire tuum et posse, subministrares. Numquid et hæc negare contendes? » Addebat etiam de pactis et constitutis in vulgari lingua cum eodem habitis, quibus episcopos a sua subjectione quasi emancipaverat, si a cirographi conditionibus declinasset, seque id ex sua ac reliquorum episcoporum persona jam dudum apud Cavinionem effecisse. Ad hæc ille de non servatis cirographi et sacramentorum conditionibus erubescebat; quibus tamen poterat modis hæc eadem attenuebat. Petebant ergo episcopi ut aliquis familiarium ejus testis horum admitteretur, cujus conscientiam vereretur. Admittitur ergo Raynerius [198], secretorum ipsius per omnia conscius, et qui eum inter alia perjuria etiam contra se ac suam uxorem et filium publice perjurum protestabatur. Cui cum a sacro conventu diceretur, quæ Arnulfus de regis infidelitate denegaret, tali cum sermone aggressus [199] est : « Cur omnem populum tuo errore perdis? Nescis quæ ante urbis traditionem juxta fluvium Axonam mihi retuleris? Et ut omnium melius recorderis, nescis te Ludovici amorem, filii Karoli, omnibus prætulisse mortalibus, et si tibi placere vellem, ut de ejus salute cogitarem? Vade ergo, et scelera tua episcopis confitere, ut quia corpus perdidisti, saltim animam per pœnitentiam salves, et populum qui de tuis criminibus adhuc dubitat, ab hoc errore absolvas. Quod si nolueris, coram episcopis coramque omni multitudine quæ pro foribus adstat, peccata tua, quæ adhuc dubia sunt, manifesta faciam, et scelera tua, quæ in nulla opinione populi sunt, in medium proferam, ut omnes sciant et intellegant quid de te sentire debeant. Et ut verbis meis fides in æternum habeatur, postquam peroravero, mea dextera ita esse sacramento firmabo, meumque vernaculum episcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te judicare manifestis declaret indiciis! » Ad hæc abbatum quidam dicebant debere dari Arnulfo [200] secessum deliberandi cum quibus vellet, ut consultius pro se respondere valeret. Quibus Pater Arnulfus : « Quis, inquit, prohibet? Surgat, et quoscumque delegerit, suis consultationibus adhibeat. » Surgens itaque ad criptæ secretiorem partem, hostiis [201] diligenter observatis, venerabiles deduxit episcopos, Siguinum Senonensem, Arnulfum Aurelianensem, Brunonem Linguonensem, Gotesmannum Ambianensem.

31. In horum absentia, multa ex canonum capitulis in sinodo prolata sunt, multa inter assidentes collata, utpote omnium ignaros quæ in abditis agerentur, non tamen nescios, imperatricis Theuphanu ac hostium regis colloquia, contra ipsius regis voluntatem et utilitatem Arnulfum expetisse, suorumque militum copias sub signis Karoli contra eundem regem in acie constituisse, et insuper criminis regiæ majestatis reum esse. Ita quoque variis sacramentorum generibus implicitum videri, ut a nemine sacerdotum tot perjuriis obvoluto, episcopale ministerium ullis legibus valeret impleri. Ad has autem causas hæ sententiæ quasi e vicino respicientes reperiebantur :

32. [202] *Ex concilio Toletano, capitulo* 30 : Confitemini hostium sacerdotes, præter eos qui a regia potestate licentiam acceperunt, a quolibet mandatum agentes extraneum, occulte accipere vel dirigere non præsumant. Qui autem deprehenditur aut convincitur, denuntiatus principi, apud concilium condigna animadversione multabitur. *Item ex eodem titulo* 75 :

33. Post instituta quædam ecclesiastici ordinis vel decreta, quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis [203] cunctis sacerdotibus sententia est pro robore nostrorum regum et stabilitate gentis Gothorum pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam regibus suis observare contempnant, et ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim regibus suis, et fidem quam pollicentur prævaricant; nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? Quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda [aliter quod fœdus [204]] post fœdus non violandum? Quæ in hostibus jura ista permanebunt sponsione, quando nec ipsis propriis regibus juratam fidem conservant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? Illi, ut notum est, immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos, suosque reges, proprias convertendo vires. Et dum Dominus dicat : *Nolite tangere christos meos!* (*1 Par.* XVI, 22.) et David : *Quis*, inquit, *extendit manum suam in christum Domini, et innocens erit?* (*1 Reg.* XXVI, 9.) illis nec vitare metus est perjurium, nec regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod si in bello fides vigeat, quanto magis in suis servanda est? Sacrilegium quippe est, si violetur a gentibus regum suorum promissa fides, quia non solum in eis fit pacti transgressio, sed et in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est quod multa regna terrarum celestis iracundia ita permutavit, ut pro impietate fidei et morum, alter [205] ab

VARIÆ LECTIONES.

[196] opt. 2. [197] quod 1. [198] rainerus 2. [199] adg. 2. [200] arnulfi 2? [201] hostiis *corr.* ostiis. [202] *cap.* 32. *in* 2. *vocabulo* Confitemini *incip.* [203] vobis *corr.* nobis 2. [204] a. q. f. *desunt* 1. [205] alterum 1.

altero solveretur. Unde et nos cavere oportet casum hujusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, et pœna puniamur crudeli. Si enim Deus angelis in se prævaricantibus non pepercit, qui per inobœdientiam cœleste habitaculum perdiderunt, unde et per Esaiam dicit: *Inebriatus est gladius meus in cœlo* (*Isa.* XXXIV, 5), quanto magis nos nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem sæviente gladio pereamus? Quod si divinam iracundiam vitare volumus, et severitatem ejus ad clementiam provocare cupimus, servemus erga Deum religionis cultum atque timorem, custodiamus erga principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem. Non sit in nobis, ut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdolæ mentis perfidia, non perjurii nefas et conjurationum nefanda molimina; nullus apud nos præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones civium, nemo meditetur interitus regum; sed, defuncto in pace principe, primatus gentis cum sacerdotibus successorem regni consilio communi constituant; ut dum unitatis [206] concordia a nobis retinetur, nullum patriæ gentisque discidium per vim ambitionis moveatur. Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit et ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audite sententiam nostram. Quicumque igitur a nobis vel totius Hispaniæ [207] populis qualibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salutæ gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis, pollicitus est, temeraverit, aut regem nece attractaverit [208], aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tirannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Dei patris et angelorum, atque ab æcclesia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, et ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ sociis; quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit inplicatos. Quod iterum secundo replicamus, dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hispaniæ [209] populis quolibet tractatu vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis, pollicitus est, violaverit, aut regem nece attractaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema in conspectu Christi et apostolorum ejus sit, atque ab æcclesia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, et ab omni consortio Christianorum alienus et dampnatus in futuro Dei judicio habeatur, cum comparticibus suis; quia dignum est ut qui talibus sociantur, ipsi etiam dampnationis eorum participatione obnoxii teneantur. Hoc etiam tertio adclamamus dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hispaniæ [210] populis qualibet meditatione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute gentisque Gothorum statu, vel incolumitate regiæ potestatis, pollicitus est, violaverit, aut regem nece attractaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus sancti et martyrum Christi, atque ab æcclesia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, et ab omni communione Christianorum alienus, nec partem habeat justorum; sed cum diabolo et angelis ejus æternis suppliciis condempnetur, una cum eis qui eadem conjuratione nituntur; ut par pœna perditionis constringat quos in perniciem prava societas copulat. Et ideo, si placet omnibus qui adestis, hoc tertio reiterata sententia vestræ vocis consensu confirmate [211]! Ab universo clero vel populo dictum est: « Qui contra hanc [212] vestram definitionem præsumpserint, anathema maranatha, hoc est perditio in adventu Domini sint, et cum Juda Scarioth partem habeant, et ipsi et socii eorum. Amen. » Quapropter nos ipsi et sacerdotes omnes ecclesiam Christi ac populum admonemus, ut hæc tremenda et totiens reiterata sententia, nullum ex nobis præsenti atque æterno condempnet judicio. Sed fidem promissam erga gloriosissimum dominum nostrum Sisenendum regem custodientes, ac sincera illi devotione famulantes, non solum divinæ pietatis in nobis clementiam provocemus, sed etiam grātiam antefati principis percipere mereamur. — *Item ex concilio Agathensi* [213], *titulo* 50:

34. Si episcopus presbyter aut diaconus capitale crimen commiserint, aut cartam falsaverint, aut testimonium falsum dixerint, ab officii honore depositi, in monasterium retrudantur, et ibi tantummodo quandiu vixerint laicam communionem accipiant. *Item ex concilio Toletano sexto, capitulo* 12:

35. Pravarum audacia mentium sæpe malicia cogitationum aut causa culparum refugium appetit hostium. Unde quisquis patrator causarum extiterit talium, virtutem potens defendere adversariorum, et patriæ vel genti suæ detrimenta intulerit rerum, in potestatem regis ac gentis reductus, excommunicatus et retrusus, longinquioris pœnitentiæ legibus subdatur. Quod si ipse mali sui prius reminiscens, ad ecclesiam fecerit confugium, intercessu sacerdotum et reverentia loci, regia in eis pietas reservetur, comitante justitia. *Item ex eodem concilio* [214], *titulo* 17:

36. [215] Quamvis in concilio anteriori, quod anno primo gloriosi principis nostri habitum est, de hujusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare quod convenit custodiri. Itaque regis vita constante, nullus sibi aliquo opere, vel delibe ratione, cujuscumque dignitatis laicus, seu gradu episcopi, aut presbyteri, aut diaconi consecratus, cæterisque clericatus officiis deditus, futurum regem provideat, contra viventis regis utilitatem et procul dubio voluntatem, nullo blandimento vel suasione pro eadem spe aut alios in se trahat, aut ipse in alium adquiescat. Iniquum enim et valde execrabile Christianis debet haberi, futuri temporis inlicitis prospicere et vitæ suæ ignaris ventura disponere. Quod si quisque jam talia iniqua deliberatione cum quocumque est meditatus, hoc sibi noverit esse sacerdotali moderatione concessum, si veniabiliter poscit, ut hoc sine mora præsentis principis auribus studeat publicare. Si autem retineat, et deliberationis suæ machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate. *Item ex eodem concilio, titulo* 18:

37. Jam quidem in antecedenti universali sinodo saluti nostrorum principum constat esse consultum; sed libet iterare bene sancita, et digna auctoritate munire salubriter ordinata. Ideoque testamur coram Deo et omni ordine angelorum, coram prophetarum atque apostolorum vel omni martyrum choro, coram omni ecclesia catholica et Christianorum cœtu, ut nemo intendat interitum regis, nemo vitam principis attractet, nemo eum regni gubernaculis privet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni usurpet, nemo quolibet machinamento in ejus adversitate sibi conjuratorum manum adsocie. Quod si quippiam horum quisquam nostrorum temerare [216] præsumptor extiterit, anathemate divino perculsus, absque ullo remedii loco habeatur condempnatus æterno judicio. Is autem qui ejus sedem fuerit adse-

VARIÆ LECTIONES.

[206] *lia* 1. 2. civitatis 2 *a.* [207] isp. *corr.* hisp. 2. [208] attrectaverit 1. *aliquotiens.* [209] isp. 2. [210] ispaniæ 2. [211] firmate 2. [212] *deest* 1. [213] agatensi 2. [214] *deest* 2. [215] XXXV. 2. [216] temerarie 2

cutus, si vult tanto expiari piaculo, quasi proprii patris ejus ulciscatur interitum. *Item ex concilio Toletano, era* 684 :

38. Non parum proficit ad emendationem multorum, si ea quæ constituta sunt per fraternam conlationem [517] ad memoriam reducantur, si illa etiam adjiciantur, quæ aut deesse videntur, aut omnino constituenda competenter existimantur. Quis enim nesciat quanta sint hactenus [518] per tirannos et refugas transferendo se in externas partes inlicite perpetrata, et quam nefanda eorum superbia jugiter frequentata; quæ et patriæ diminutionem afferrent, et exercitui Gothorum indesinentem laborem inponerent? Quod si quidem laicorum insania fuisset factum, tolerandum nobis forsitan aliquotiens videretur. Illud tamen est vehementius stupendum, quod pejus est, quia tanti ex religionis proposito in hac interdum præsumptione præcipites efferuntur, ut non ad levem confusionem nostram pertineat, si res ullatenus inulta remaneat, quam et mundana lege et ecclesiastica convenit instanter disciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus a maximo gradu usque ad minimum constitutus, in alienæ gentis regionem se quacumque occasione transduxerit [519] ut exinde superbiendo, vel reditum suum vel quodlibet aliud videatur expetere, sive etiam quod gentem Gothorum, vel patriam aut regnum specialiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuerit, vel aliquatenus fecerit. Sed et quicumque talibus consciis repperitur, eisque vel consilium vel opem administrare cognoscitur, qualiter aut ad gentem alienam fugam appeterent, aut in malis quæ cœperant [520] perdurarent, seu quamcumque læsionem genti Gothorum vel patriæ aut principi post fugam inferrent, atque in eadem pravitate perseverarent, quisquis hoc fecisse dinoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum ejus in quo ministraverat, alter continuo perpetim regendum accipiat. Ipse vero transgressor sub pœnitentia constitutus, si reminiscens mali quod fecerat, usque in diem mortis suæ si rectissime pœnituerit, in solo tantum fine communio ei præstanda est; ita ut antequam finis ejus tempus adveniat, si quispiam sacerdotum etiam ordinante principe ei communicare consenserit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat in perpetuum, ac simili cum eo cui communicaverit sententia condempnetur, quoniam potestati [521] principis nullus sacerdotum in hoc præbere debet assensum; unde vel perjurium videatur incurrere, vel quod absit, si quicumque catholicæ fidei prævaricator princeps surrexerit, sacerdos nullatenus vel favore principis vel terrore a rectæ [522] credulitatis lumine ad tenebras cogatur reverti. Sic enim nec super adnexa capitula vel imperiis principum vel terroribus opportebit umquam evacuari [523]. Quia novimus, omnes pene Hispaniæ sacerdotes omnesque seniores vel judices, ac cæteros homines officii palatini jurasse; atque ita nunc legibus [524] decretum fuisse, ut nullus refuga vel perfidus, qui contra gentem Gothorum, vel patriam seu regem agere, aut in alterius gentis societatem se transducere repperitur, integritate rerum suarum nullatenus reformetur, nisi forsitan princeps humanitatis aliquid personis talibus impertire voluerit; cui tamen non amplius quam vicesimam partem rerum ei qui perfidus extitit, de rebus unde rex elegerit, tribuendi potestatem habebit. Sed quia plerosque clericos instantis levitatis interdum pravitas ita elevat, ut prætermissa sui ordinis gravitate ac polliciti sacramenti immemores, constante principe cui fidem servare promiserant, in alterius erectionem temeraria levitate consentiant, abrogari decet hanc omnino licentiam et a nostro consortio penitus extirpari; ita ut, si quicumque laicorum quando quidem intra fines patriæ Gothorum superbiens, regni apicem sumere fortasse temptaverit, eique clericorum quilibet adjutorium vel favorem præstiterit, atque hunc qui superbire videtur ad eandem regni ambitionem prævalente delicto pervidere contigerit, ex eodem [525] quidem die vel tempore eundem episcopum vel cujuslibet ordinis clericum excommunicatum manere perpetim oportebit, quo tali se scelere implicavit. Tamen si propter improbitatem principis, cui inique consensit, non potuerit instantia sacerdotum a communione suspendi, saltem si superstitem post ejusdem regis obitum tempus invenerit, superiori anathematis correptioni subjaceat. Et quicumque illi præter in ultimo [526] vitæ suæ fine, si tamen eum legitime pœnitere probaverit, communionis gratiam consenserit impendendam, nobis interim ratio persuasit, sinodali super hoc constitutione decernere ut quicumque etiam laicorum interdictis capitulis, hoc est in adversitatem gentis aut patriæ vel regiæ potestatis, in externas partes se conferendo vel talibus opem præbendo noxius fuerit ultra repertus, non solum, ut dictum est, omni rerum suarum proprietate privetur, sed et perpetua excommunicatione dampnatus, numquam illi nisi ultimo mortis suæ tempore communio tribuatur; excepto, si communionis ejus remedium, vel eorum de quibus supra taxavimus imploratione sacerdotum, apud principem fuerit inpetratum. Nam si in derogationem aut contumeliam principis repperiatur aliquis nequiter loqui, aut in necem regis seu direptionem intendere vel consensum præbere, nos quidem hujuscemodi excommunicatione dignum censemus. Utrum tamen sit [527] illi quandoque communicandum, pietate [528] principis decernendum relinquimus; cujus procul dubio potestatis est, subjectorum culpas misericordiæ judiciique sententia temperare. Contestamur autem clementissimos principes, et per ineffabile divini nominis sacramentum obtestantes unanimiter obsecramus, ne quandocumque absque justa ubi necesse fuerit imploratione sacerdotali, excommunicationis hujus sententiam a perfidis clericis vel laicis ad externas partes se transferentibus vel consensum præbentibus quacumque temeritate suspendant. Nam hoc magis utilitatibus videtur ferre consultum, ut constitutionis nostræ forma servetur. Et ut execrandum anathema fiat, et velut prævaricator catholicæ fidei semper ad Dominum reus existat, quicumque regum deinceps canonis hujus censuram in quocumque crediderit vel permiserit violandum. *Item ex concilio Toletano, era* [529] 668 :

39. Frequentium [530] molestiarum nocens impulsus, contempni quidem magnitudine dicentis poterit gravitatis; sed quia honesta sollicitudo cohibere properat, quod frequentata usitatio vitare non curat, ideo cum et quorundam paternorum sanctionibus decretorum, et institutionibus sit legalibus cautum, ne contra salutem principum gentisque aut patriæ quisquam meditari conetur adversum, hoc unum specialiter nunc depromitur observandum, ut si quis religiosorum, ab episcopo usque ad extremum ordinis clericorum sive monachorum, genera juramenta in salutem regiam gentisque aut patriæ data repperiatur violasse voluntate profana, mox propria dignitate privatus, et loco et honore habeatur exclusus.

VARIÆ LECTIONES.

[517] consolationem 1. [518] actenus 2. [519] traduxerit 1? [520] coeceperant 2. [521] potestate 2? [522] recto 1. [523] evocari 1. [524] degibus *alia manu corr.* de regibus 2. [525] eo 2. [526] ultima 2. [527] t. si sit 2. [528] pietati 2. [529] era [1] est capitulo *superscriptum*] 1. era ::::::: capitulo II. 2. [530] Frequentiam 1?

40. Hæc et hujusmodi dum sibi quisque vel alteri replicat, episcopi qui in sinodo residebant, ab eis [331] convocantur episcopis qui Arnulfum ad remotiora comitati fuerant. Qui cum [332] convenissent, causam sui adventus non sine lacrimis et multo gemitu didicerunt. Erat autem Arnulfi causa Apiarii presbiteri causæ consimilis; de quo sicut Africani episcopi Celestino papæ Romano retulerunt, ita et hic de Arnulfo episcopi episcopis in hunc modum referre visi sunt: « Tergiversationes Arnulfi, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus judex justus et fortis et longanimis magno compendio resecavit. Tetriore quippe ac putridiore obstinatione compressa, qua tantum lividum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro ejus conscientiam coartante, et occulta, quæ in illius corde tanquam in volutabro criminum jam damnabat, etiam hominibus publicante, repente in confessione cunctorum objectorum flagitiorum dolosus negator erupit; et tandem de omnibus incredibilibus obprobriis ultroneus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum et credebamus et optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, convertit in gemitus; nisi quoniam istam nostram mœstitiam uno tantum solatio mitigavit, quod et nos labore diuturnioris quæstionis absolvit, et suis vulneribus qualemcumque medelam, etsi invita ac suæ conscientiæ reluctante confessione, providit. » Addebant præterea confessores episcopi, eum suis pedibus provolutum, cum lacrimis et gemitu sua crimina sub nomine confessionis declarasse, seque a sacerdotali officio, quo hactenus indigne usus fuerat, removeri velle. Sed episcopi, qui consentiente Arnulfo confessionis testes admissi [333] fuerant, ab ipsius ore se audire malle dicebant. Quod cum factum esset, episcopi per terribile nomen omnipotentis Dei, sub tremendo anathemate, præcipiunt, ne ulla formidine coactus aliquid falsi [334] de se proferat; seque illi omne solatium laturos, ac pristinum honorem etiam invitis regibus recuperaturos, pollicentur, tantum innocentiam ex æquo et utili astruere velit. At ille episcopis quidem [335] pro salutis suæ studio gratias agens, quæ eorum fidei commiserat, vera esse confirmat; nec se Deo, in cujus conspectu adstet, velle mentiri, ad cujus judicium ire formidet. Petebant ergo episcopi, quoniam ea quæ per confessionem protulerat gravissima sibi viderentur, ut abbatum et [336] clericorum doctissimos ac [337] religiosissimos intromitti liceret, quique sacramento vel anathemate devincti, et sua peccata fido silentio tegerent, et quid facto opus esset in commune decernerent, futuris quoque temporibus dictorum et factorum fidissimi testes existerent. Quod aliquamdiu secum reputans, fieri permisit. Admissi [338] ergo sunt ex omni abbatum vel clericorum collegio fere numero triginta, quibus, per conditionem anathematis, Arnulfi confessio ipso jubente in ipsius præsentia propalata [339] est. Itaque eo remoto, longis consultationibus definitum est, quomodo ejus archanum tegeretur, et clero ac populo absenti pro ejus depositione satisfieret. Jam enim eum, qui sibi delectos judices constituerat, ad alterius non posse commeare judicium, certum erat; jam episcopi invidia Romani privilegii carere videbantur, cum Arnulfus nec ad alios judices, nec ad sedem apostolicam provocasset, vel ante electorum judicum audientiam, quod bene quidem licuerat si se justam habere causam putasset, vel post eorundem judicum sententiam, quod minime licere manifestum erat; sed utpote reus a torquente se conscientia convictus, et sua sponte, ut videri tunc potuit, confessus, judicii formam improbus accusator sui expostulaverat. Quæsitum ergo est, qualiter ipsius depositio celebraretur, ut lege et consuetudine constaret. Et de lege quidem [340] manifestum erat, quod una et eadem semper ad æquitatem spectet; de consuetudine vero, quod neque una neque eadem sit [341], neque semper ad æquitatem intendat, sed eam præcellere, quæ legi vel æquitati vicina sit. Quærebatur ergo lex et consuetudo depositionis episcoporum vel archiepiscoporum; et lex quidem hæc reperiebatur in Africanis conciliis, sed sine depositionis celebritate et consuetudine [342]:

41. De Maximino autem Bagaiensi, et ad eum, et ad ipsam plebem, placuit de concilio litteras dari, ut et ipse ab episcopatu discedat, et illi sibi alium requirant.

42. Item Eutices presbiter in Constantinopolitana sinodo depositus, non aliud depositionis festum excepit, nisi quod anathema ipsi ab universis conclamatum est, et post aliquanta a Flaviano episcopo sententia in hunc modum prolata:

Per omnia Eutices quondam presbiter et archimandrites, ex his quæ ante acta sunt, et propositis ejus quæstionibus, Valentini et Apollinaris perversitate repertus est ægrotare, et eorum blasphemias incommutabiliter sequi; qui nec nostram reverens persuasionem et doctrinam, rectis voluit consentire dogmatibus [343]. Unde gementes perfectam ejus perditionem [344], decrevimus, per Jesum Christum [345] Dominum nostrum, ab eo blasphematum, extraneum esse ab omni officio sacerdotali, et nostra communione, et primatu monasterii. Sciant ergo et hi qui postea cum eo colloquentur, et ad eum convenerint, quoniam rei erunt et ipsi pœna excommunicationis si non declinaverint confabulationes ejus.

43. Item quæ circa Ratherium Veronensem episcopum, vel circa Petrum Ravennatem archiepiscopum, usu vel consuetudine provenerunt, ab omnibus abrogata sunt. Uterque enim nec abdicationis porrecto libello, nec sacerdotalibus depositis insignibus, successorem acceperat, Ratherius quidem

VARIÆ LECTIONES.

[331] iis *corr. alia manu* his 2. [332] *deest* 1. [333] ammissi 1. [334] false 1? [335] quid 2. [336] ac 2. [337] et 2. [338] Ammissi 1. [339] prolata 1. [340] quid 2. [341] *deest* 2. [342] c. De Maximino episcopo 2. [343] docmatibus 1. [344] perdictionem 1. [345] d. n. J. Ch. 2.

Mulonem, Petrus vero Honestum, monasterii beati Apollinaris abbatem. Quem Honestum domnus papa Johannes, cognomento Bonus, ad consecrandum prius sibi oblatum vidit, quam de Petri dejectione vel fama nuntiante cognoverit. Deferebatur ergo lex et consuetudo sive depositionis festivitas, ex concilio Toletano, capitulo 28 :

44. Episcopus, presbiter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda synodo innocens repperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, anulum et baculum; si presbiter, orarium et planetam; si diaconus, orarium et albam; si subdiaconus, patenam et calicem. Sic et reliqui gradus ea [346] in reparationem sui recipiant, quæ [347] cum ordinarentur perceperant.

45. Ex hac itaque sententia intellectum est, ut quæ in promotione sua quisque acceperat, ea in depositione reddere deberet. Arnulfus autem in sui promotione anulum et baculum acceperat, quoddamque genus orarii, quod per differentiam palleum [348] dicitur; hæc ergo eum reddere debere, neque vero in hoc facto primati Romano præjudicium inferri, quod neque ad eum ab Arnulfo provocatum sit, neque eidem Arnulfo depositionis necessitas ulla imposita, quodque ab episcopis et principe Romanus episcopus conventus respondere noluerit, cum ipse potius sacrorum canonum executor, et reum sua dampnare auctoritate, et episcopos judicium remorantes instigare debuerit, ut Gregorius episcopos concilii Vizachii pro crimine sui primatis. Item decretum pro Potamio Braccarensi archiepiscopo, ex concilio Toletano, lege et consuetudine valere constitutum est. Erat autem hujusmodi :

46. Adsumere poteramus canonicam in cantum fraternæ lætitiæ tibiam, quia divina pietas conventum nostrum ad concordiæ convocaverat studia. Et convenerat mœstitiam vitare, quoniam visitatione disciplinæ videbamur paternas regulas innovasse; sed gravius sistrum pro cymbalo [349] sumimus, et funus pro carmine decantamus: gementesque cum Hieremiæ questibus dicimus : *Dissolutum est gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus* [350] *noster* (*Jerem.* v, 15); Unde et væ coram nobis conspicimus, quoniam cecidisse coronam capitis nostri videmus, dum tam nobile in infimum corruit, quod justans sublime sanctitatis optimum sortit. Ecce etenim tractantibus nobis in pace de ecclesiasticis regulis, delatum est conventui nostro epistolium confusæ confessionis et abolendæ subscriptionis, quod Potamius Braccarensis ecclesiæ episcopus de factis propriis, suis verbis, suis annotarat articulis. Quo reserato, quid oblitteranda pagina et abolenda litterarum panderent elementa, fletibus potius quam sermonibus lacrimosa concio recensuit [351]. Tunc solitarie tantum secretimque adunatis pontificibus Dei, prædictum episcopum adesse fecimus coram nobis; quem singultibus adgredientes amplius quam loquelis, reseratam illi suæ deformitatis [352] et nostræ confusionis protulimus scripturam. Quam accipiens ac recurrens, scisciantibus nobis utrum sui operis et suæ adnotationis intimatio esset, ille suum actum, suique oris eloquium, suoramque digitorum esse robur adseruit, quod illic relegendo prævidit. Rursum divini nominis contestatione hunc adjurantes obtestati sumus, ut an de se sponte mendacium diceret, aut alicujus violentia premeretur, et perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce luminibusque madentibus ploratu [353] et fragore singultuum, cum unius Dei nominis juramento clamavit, se et vere [354] eadem mala de se confiteri, et ad hæc confitenda nulla se violentia prægravari. Unde etiam ferme per novem menses sponte deseruisse regimen ecclesiæ suæ, et ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus pœnitentiam se conclusisse, prædixit. Tunc per fidelem confessionem est agnitio, quod tactu femineo sorduisset, declarata; et licet hunc antiquitas paterna sacris regulis dejicere ab honore decerneret, nos tamen miserationis jura servantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione jam tulerat; sed valida auctoritate decrevimus, perpetua pœnitentia hunc inservire offitijs et ærumpnis; providentes melius illum per asperam ire pœnitentiæ solitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii mansionem, quam relictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna dampnatione. Tunc venerabilem Fructuosum, ecclesiæ Dumiensis episcopum, communi omnium nostrorum electione constituimus ecclesiæ Braccarensis gubernacula continere, ita ut omnem metropolim provinciæ Galliciæ, cunctosque episcopos publicosque conventus ipsius, omniumque curam animarum Braccarensis ecclesiæ gubernandam suscipiens, ita componat atque conservet, ut et Dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet, et nobis de incolumitate ecclesiæ ejus gaudium præstet. Quia vero ad futurum prospicere convenit, ne exoriatur in statu pacis quædam commotio litis, Patrum sententiam quæ jam dictum Potamium episcopum rectitudine dampnat, huic decreto conectere vigilantia nostra procurat. « Ex concilio Valentino, titulo 4. Nec illud, fratres, scribere alienum ob æcclesiæ utilitatem censuimus, ut sciretis, quicumque sub ordinatione, vel diaconatus, vel presbiterii, vel episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinibus submovendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendatio falsitatis. Neque enim absolvi potest in his, si in se ipsos dixerint, quod dictum in alios puniretur. Quoniam omnis qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit. » Multæ quidem et aliæ sententiæ huic poterant innecti decreto, quæ prædictum Potamium episcopum severissima austeritate abjicere jubent; sed ex omnibus hanc conscriptam ponere [355] sententiam maluimus, ne si tot condempnationis edicta replicassemus, gravissimæ ultionis auctores existere videremur.

47. Post hujus Potamii dejectionem, Remensium archiepiscoporum Egidii et Ebonis depositiones ad legem simul et consuetudinem valere visæ sunt. Quod ergo tertio factum sit, nec reprehensum, sed insuper æternis traditum monimentis, pro lege et consuetudine valere censebant. Nec quemquam episcoporum in depositione sua scindendum more Romanorum, honestum judicabant, cum hoc nec lege firmaretur, nec consuetudine factum in historiarum monimentis reperiretur. Africanum ergo concilium sequentes, ut ipsius Arnulfi verecundiæ parceretur statuebant, et propter ecclesiæ opprobrium, et propter insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas sacerdotalis pollueretur, et ne forte de iis [356],

VARIÆ LECTIONES.

[346] eas 1. [347] qui 1. [348] pallium 2. [349] cimbalo 2. [350] corus 2. [351] rec. *corr.* resensuit 2. [352] deformidatis 2.? [353] pl. m. 2. [354] vera 1. [355] s. p. 1. [356] iis *corr. al. m.* his 2.

de quibus impetitus et adhuc impetendus erat, publice convictus foret. Libellum ergo ejus depositionis dictandum, et coram eo ipsius jussu scribendum censebant, et propria manu corroborandum, et vivæ vocis confessione attestandum, ut ejus abdicatio, nec exquisita nec invita vel extorta fore videretur; tot enim sceleribus involutum sacris altaribus adstare non posse. Quod si corpore languens episcopus, abdicationis porrecto libello, secundum Gregorium successorem accipere potest, multo magis qui in anima Deo mortuus est, abdicationis porrecto libello, successorem accipere posse. Addebant præterea, quia si hæc ita festive et sollempniter determinata forent, omnino judicium hoc innovari non posset, idque firmari ex concilio Antiocheno, capitulo 15 :

48. Si quis episcopus criminaliter accusatus, ab omnibus qui sunt intra provinciam episcopis exceperit unam consonamque sententiam, ab aliis ulterius judicari non poterit. Sed manere circa eum oportet, tamquam convenientem, quæ ab omnibus prolata est, firmam ratamque sententiam.

Illis ita definitis, tum [337] discessum est.

49. Sequenti autem die, consedentibus [338] episcopis in basilica domni Basoli confessoris, totiusque cleri disposito conventu, pauca de civilibus, plurima vero de ecclesiasticis negotiis pertractata sunt. Rursumque Arnulfus Remensis in memoriam rediit. Cumque causa ejus jam non in defensione, sed maxime in conquestione versaretur, aliis illum propter genus, aliis propter florem juventutis miserantibus, episcopos ruina fratris et ignominia sacerdotalis dignitatis gravius stimulabat. Unusquisque enim casum ejus ex se ipso metiebatur, seque ab infamia liberari putabat, si is, qui publice impetebatur, a criminibus liber foret [vel periclitari, si causam perderet [339]].

50. Sed cum has in longum ducerent querimonias, ecce Francorum reges, cum primoribus palatii, sacro conventui sese inferunt. Episcopis gratias agunt, quod pro salute principum diutius consultando, devotionem suam plena fide signassent. Laudant, quod a pravorum hominum conspiratione non solum se removissent, verum etiam ipsa mente se alienos fuisse suo studio demonstrassent; simulque gestorum seriem breviter exponi petunt, et in quo fine constiterint.

51. « Non, » inquit pater Arnulfus, « hoc nobis adscribi debet quod minime promeritos constat. Pro salute enim vestra quamvis omni tempore consultandum sit, hoc tamen tempus saluti fratris nostri, in periculo positi, totum contulimus; et si res eo quo volumus [340] deducta non est, non utique amore et benevolentia [341] vestri vel odio ipsius hoc actum est, sed causarum difficultate; in quibus si aliqua similitudo defensionis apparuisset, argumentorum fortia machinamenta, sententiarum validissima jacula, pro ejus munimine excitassemus. Tanta nos pietas commovit, tantus caritatis fervor accendit. Denique non solum eos qui defendere parati erant pro eo exacuimus, verum etiam eos qui impugnare videbantur, nostro [342] anathemate dubitare coegimus. Itaque utrimque [343] numerosæ Patrum sententiæ prolatæ sunt, sed nulla earum adjutus est. Deductus quoque in medium est et interrogatus; qui primo quidem omnia negavit, sed cum sibi singillatim species causarum proponerentur, necesse erat sibi confiteri quod publice factum constabat. Cumque ex his quæ confitebatur, consequerentur ea quæ negaverat, illa quoque quæ plurimum celare nitebatur, in dubium adducebat. Inter has tergiversationes cum hæreret, propositum sibi est, ut sibi consuleret. Qui secessum petens, episcopos ad remotiora duxit. Ibique dum de qualitate purgationum agere putaretur, stimulante conscientia, subito in confessionem peccatorum suorum erupit, cunctosque qui aderant attonitos reddidit. Episcopis autem salutem illi promittentibus, nihilque grave passurum si rumores adversos [344] propelleret, ille nihilominus in sui confessione permansit, seque sacerdotio privari poposcit. Hujc confessioni quidam ex abbatibus, multi ex clero interfuerunt, secretorum Arnulfi testes per longa sæcula futuri. Sed si placet, in præsentiam omnium deducatur, coramque multitudine, ipse sibi testis et judex, causam suam exponat, simulque accusatores, testes, atque judices invidia liberet, in se uno horum omnium personam gerens. »

52. Quo [345] ingresso cum universo populo, post paululum silentium indictum est. Deinde pater Arnulfus ad Arnulfum : « Videsne omnium ora in te unum conversa? Cur pro te ipso non loqueris? » Qui cum male concinna verba effunderet, minusque intelligi posset, ait pater Arnulfus : « Esne adhuc in sententia in qua te sero reliquimus? » — « Sum, » inquit. — « Visne te abdicare a sacerdotii honore, quo hactenus abusus es? » Et ille : « Sicut dicitis. » Tum comes Brochardus : « Quid est, inquit, istud : *sicut dicitis?* Palam eloquatur, palam confiteatur, ne postmodum episcopos crimina quæ voluerint finxisse dictitet, se confessum esse abneget. » Et ille : « Palam, inquit, dico et profiteor me errasse, et a fidelitate regia deviasse. Sed peto, ut domno Arnulfo pro me loquenti credatis, ipsumque in vestra præsentia deprecor, sicut mihi conscius est et sibi placet, ut ita causam meam exponat. » — « Natura, » inquit pater Arnulfus, « taciturnus est, et insuper quæ sub testimonio Christi nostræ fidei celanda commisit, palam confiteri erubescit. Sufficiat vobis hoc tantum nosse, quod publice confitetur, scilicet sacramenta quæ regibus suis [346] publice præbuit minime conservasse; contra professionem et subscriptionem suam sub specie cirographi factam publice venisse. » — « Non est mihi satis, » inquit comes

VARIÆ LECTIONES.

[337] *deest* 2. [338] consid. 2. [339] *Hæc desunt* 1. [340] volumus 2 [341] benivolentia 2. [342] vestro 2. [343] utrumque 2. [344] aversos 2. [345] *glossa* episcopo 2. [346] *deest* 1.

Brochardus, « nisi publice fateatur, aut publice perneget, sub vestro testimonio, se traditionem fecisse, ut alteri sit libera facultas in ejus locum succedendi. » — « Immo, » inquit pater Arnulfus, « non eritis hodie pares sacerdotibus, quibus solis pura debetur confessio. Nonne si quis militum pro nominato crimine apud regem insimularetur, ipse autem illud quidem [367] denegaret, confiteretur autem ita se in aliis peccasse, ut nec prædium nec beneficium optinere posset, proque sola vita supplicaret; si ejus, inquam, prædium vel beneficium regali munificentia vobis offerretur, accipere recusaretis? Quid enim interest inter omnia mortifera crimina, utrum homicidio vel adulterio an veneficio quis puniatur? Satis ergo vobis sit, quod per confessionem nobis sua peccata manifestavit, quod publice se indignum sacerdotio protestatur, quod sic se peccasse coram regibus in conspectu æcclesiæ confitetur, ut nullo honore hujus sæculi dignus sit; non enim ad rem spectare videtur, utrum hoc an illo crimine se ipsum sacerdotio privet. »

55. Tum conversus ad Arnulfum : « Quid ad hæc, inquit, dicis, quæ pro te hactenus locutus sum? — Ita, inquit, dico et profiteor, sicut hactenus locuti estis. » — « Prosternere ergo, » inquit pater Arnulfus, « coram tuis dominis, coramque tuis regibus, quos inexpiabiliter offendisti, propriamque confitens culpam, pro tui vita supplica. » Qui cum in modum crucis prostratus, pro vita et membris ejulatu quo poterat supplicaret, in lacrimas et suspiria synodum totam convertit. Moxque Daibertus, Bituricensium archiepiscopus, ad genua principum obvolutus, humillimas preces omnium pro salute viri offert. Qui pietate flexi : « Vivat, inquiunt, vestro beneficio, nostraque degat sub custodia, nec ferrum nec vincula metuens, nisi forte in fuga spem posuerit. » Hoc dictum episcopis non satis placuit, quippe cum putarent adolescenti fugam facile posse persuaderi, ob eamque rem mortis legibus iterum subjacere. Iterant ergo preces, et iterum [368] optinent, juvenem minime gladio feriendum, nisi iterum digna ultore gladio committat. Elevatus itaque a terra nihilque grave ultra metuens, depositionem sui attonitus expectabat. Quærebatur itaque ab eo utrum abdicationem suam ex auctoritate canonum sollempniter celebrari vellet. Quod cum potestati episcoporum assignasset, persuasum illi est, ut culmen honoris, quod gradibus extulerat, gradibus deponeret. Resignat ergo regi, quæ [369] a rege acceperat; deponit quoque sacerdotalis dignitatis insignia apud episcopos, non quidem exigentes, nec retinere cupientes, sed iis quorum intererat in futurum reservare disponentes. Deinde libellum suæ abdicationis secundum exemplar abdicationis prædecessoris sui Ebonis perscribi rogat, perscriptumque hoc modo in medio conventu recitat :

54. « Ego Arnulfus, Remorum quondam archiepiscopus, recognoscens fragilitatem meam, et pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Siguinum archiepiscopum, Daibertum archiepiscopum, Arnulfum episcopum, Gotesmannum episcopum, Herveum episcopum, Ratbodum episcopum, Gualterium episcopum, Brunonem episcopum, Milonem episcopum, Adalberonem episcopum, Odonem episcopum, Guidonem episcopum, Heribertum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum, et puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse me [370] secrete ipsis confessus sum, et de quibus publice arguebar; eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alii succedendi et consecrandi in loco meo, qui digne præesse et prodesse possit æcclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi. Quo perlecto, ita subscripsi. Ego Arnulfus quondam archiepiscopus subscripsi. » Huic libello Arnulfi præsentes episcopi testes adfuerunt, atque ab eo rogati subscribere, subscripserunt, ac singillatim illi dixerunt : « Secundum tuam professionem et subscriptionem cessa ab officio. » Post hoc clerum et populum a sacramentorum nexu absolvit, ut omnibus libera facultas in alterius transmeandi jura pateret.

55. His sollempniter peractis, ecce Adalgerus presbiter ad regum pedes prosternitur, seque privari communione conqueritur, eo quod imperio domini et archiepiscopi sui, cui resistendum non erat, paruerit. Cui pater Arnulfus : « Aperuisti, inquit, portas urbis [371] hostibus? » Et ille : « Aperui. » Et pater Arnulfus : « Ingressus es templum Dei hostiliter? » Tum presbiter : « Negare non possum. » Et pater Arnulfus : « Ex ore, inquit, tuo te judico. Sanguis tuus super caput tuum! » Subjunxit Gualterius episcopus : « Quando, inquit, imperans episcopus ita multatus est, tu obtemperans ac manibus jussa perficiens, consequentem multam exsolves. » Et pater Bruno : « Tu, inquit, ac tui similes malis consiliis et malis executionibus juvenem perdidistis; ut ergo ille ploret, et tu cantes? Aut quomodo questibus temperare potero, si nulla afficiantur pœna, qui filium patrui mei in has præcipitavere miserias? » Itaque presbitero jubetur, ut quod malit eligat, aut perpetuum anathema, aut sui legitimam depositionem. Sua enim sponte venerat sub conditione, ne quid violentiæ pateretur. Diu ergo secum deliberans, maluit deponi quam sub perpetuo anathemate detineri. At episcopi, nulla miseratione circa eum adducti, veste sacerdotali induunt, ac mox illi singula quæque usque ad subdiaconatum sine reverentia detrahentes, singillatim per singula subinferunt :

VARIÆ LECTIONES.

[367] quid 2. [368] iterunt 1. [369] qui 2. [370] *deest* 2. [371] u. p 2.

« Cessa ab officio! » Deinde per legitimam reconciliationem laicam illi tantum communionem concedunt, ac pœnitentiæ subdunt. Eos vero sacrilegos urbisque proditores, qui nec sponte nec vi ad satisfactionem venerant, iterato anathemate dampnant. Post hæc concilium sollempniter determinatur.

EXPLICIT SINODUS REMENSIS [372].

56. Incipit Cartaginiense concilium Africanorum episcoporum a Girberto superiori sinodo conjuncto quantum ex eo utile fuit [373].

In hoc concilio actum est, ut Nicenum concilium ab episcopis orientalibus peteretur. Cui synodo interfuit legatio ecclesiæ Romanæ, Faustinus scilicet episcopus, Phylippus et Asellus presbyteri.

1. Allocutio Aurelii episcopi sancti ad synodum.
2. Responsio Faustini episcopi legati Romanæ ecclesiæ de his quæ in ecclesia partim canone, partim consuetudine, sunt firmata.
3. De commonitorio Romani papæ recitato.
4. Alippii papæ responsio pro veris exemplaribus Niceni concilii perquirendis.
5. Ubi Faustinus episcopus dixit, ut Romano papæ synodus perquirenda Niceni synodi veritate innotescat.
6. De sententia Sardicensis concilii recitati a postulante Novato episcopo.
7. Ubi Augustinus episcopus cum synodo Nicenum concilium conservare promittit.
8. Ubi Faustinus episcopus pro dubietate recitati capituli Romano papæ petit scribendum.
9. Ubi synodus exemplaria Niceni concilii magis ab orientalibus episcopis expetenda decrevit.
10. Professio fidei Niceni concilii.
11. Scripta Africani concilii ad Bonefacium urbis Romæ episcopum.
12. Rescriptum episcopi Romæ, Alexandriæ, Constantinopolitani, cum exemplaribus Niceni concilii Africanæ synodo destinatis.
13. Scripta Africani concilii ad Cœlestinum urbis Romæ episcopum.

Textum concilii Carthaginiensis omisimus.

VARIÆ LECTIONES.

[372] r. Girberti papæ 1. [373] Concilium cartag. africæ VI gestum. era CCCCLVII. ab episcopis CCXVII. 2.

LEONIS ABBATIS ET LEGATI

EPISTOLA (42)

AD HUGONEM ET ROBERTUM REGES.

(Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. III, pag. 686.)

L. [374] Postquam vestræ caritati legatum nostrum a Mosomo direximus, ut causam Arnulfi et Gerberti kanonice cum timore Dei ac regulariter intra vestrum regnum finiretur, die sancto pentecosten ablatus [374] est nobis libellus, in quo vestra synodus contra Arnulfum facta continebatur, immo adversus Romanam ecclesiam, tota injuriis et blasphemiis plena. Quo viso, admiratione et stupore attoniti, cogitavimus statim ad domnum apostolicum reverti, et ipsum ei apostaticum libellum portare. Sed ubi michi renuntiastis, quod omnia kanonice velitis diffinire, compulsi venimus ad cognoscendam hujus rei rationem. Nam, ut verius fateor caritati vestræ, in vobis evenit prophetia beati apostoli et evangelistæ Johannis, qui dicit : *Multi antichristi facti sunt; unde scimus, quoniam novissima hora est* (I Joan. II, 18). Et quid est antichristus, nisi contrarius Christo? Ecce Christus dixit, qui veritas est et mentiri non potuit, quod ecclesia beati Petri apostoli fundamentum sit omnium ecclesiarum. Et ubi ecclesiæ sperare debemus fastigium, nisi ubi locatum est fundamentum? ibi procul dubio et cacumen et tota æcclesia permanet. Econtra antichristi vestri dicunt, quod ibi sit statua marmorea, et ut templum sit idolorum. Absit, absit, ut hanc injuriam Petri, immo Christi, aliquis Christianus libenter audiat, et zelo Dei cor ejus contra talem heresim non accendatur! Et quia vicarii Petri et ejus discipuli nolunt habere magistrum Platonem, neque Virgilium, neque Terentium, neque ceteros pecudes philosophorum, qui volando superbe, ut avis aerem, et emergentes in profundum, ut pisces mare, et ut peccora gradientes terram descripserunt : dicitis eos nec hostiarios debere esse, quia tali carmine imbuti non sunt. Pro qua re

VARIÆ LECTIONES.

[374] *i. e.* Leo. [374] *aut* allatus *aut* oblatus *legendum.*

NOTÆ.

(42) Inveni eam codici regio Bruxellensi n. 503 signato, olim B. Mariæ Aureævallensis membr. sec. x, fol. 219 sqq. manu coæva inscriptam, v. Archiv. VII, 812; et cum ad historiam Arnulfi et Gerberti faciat, a V. Cl. Ludowico Bethmann exscriptam hic propono.

sciatis eos esse mentitos qui talia dixerunt. Nam Petrus non novit talia, et hostiarius cæli effectus est, ipso Domino ei dicente ; *Tibi dabo claves regni cælorum* (*Matth.* XVI, 19). Unde ejus vicarii et ejus discipuli apostolicis et evangelicis sunt instituti doctrinis, et non ornatu sermonum, sed ratione et sensu verborum ; quia scriptum est : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (*I Cor.* I, 27). Et ab initio mundi non elegit Deus oratores et philosophos, sed illitteratos et rusticos. Sed non est mirum, si vicarii Petri a pseudoepiscopis audiunt quod ipse a scribis et Phariseis audivit, qui ad ejus injuriam dicebant eum idiota [378] et sine litteris esse, et deridendo dicebant : *Musto pleni sunt isti* (*Act.* II, 13). Unde Johel propheta cæcitatem illorum redarguit ; qui inter cetera sic ait : *Et quidem super servos meos et super ancillas meas effundam de spiritu meo* (*Joel.* II, 28) ; non super scribas et Phariseos aut falsos sacerdotes, qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Et quoniam calumniatis Romanum pontificem, qui munera [376] sibi oblata recepit : in hoc non solum illi, sed omnibus apostolis eorumque successoribus detraxistis, immo ipsi Domino, qui caput omnium est ecclesiarum, quia magis oblata sibi munera non respuit. Etenim quia in vestro concilio vobis cura fuit, de pontificibus jam defunctis mentionem facere, quod quam sit contrarium omni Christiano, temere judicare de his qui ad Deum migraverunt, in secundo capitulo Anastasii papæ ad Anastasium imperatorem directum [377] invenire poteritis, et quomodo contra ordinem vestrum fecistis, facilius cognoscetis. Unde liquidius patet, quod Romanam ecclesiam, matrem vestram, a vobis separastis, cum de ea tantam injuriam scribere non timuistis. Non ergo ex pio corde vel ore aliquando tam prophana tamque perversa contra Romanam ecclesiam processerunt. Verumtamen si vestra fuerunt verba, quæ in despectu beati Petri apostolorum principis, immo Dei, cujus ordinationi resistitis, scripta, et quasi detrahentia sacratissimam ecclesiam composita sunt, fateor, non vos studiose sacras regulas, non venerandarum sinodorum actiones, non veraces probabilium virorum canones lectitasse, quando tanta conati estis in derogatione Romanæ ecclesiæ inutiliter atque incompetenter memorare. Denique si Cham, filius Noe, videns verenda patris irrisit, nec operuit, maledictionem perpetuam percepisse legitur : quanto potius hi, qui patres spirituales non solum minime cooperiunt, sed et deridendo et falso ad [378] subsannationem sui moris homines provocant? Scriptum quippe est : *Qui subsannat patrem et matrem ;* et reliqua (*Prov.* XXX, 17). Hoc itaque

A scientes Athanasius archiepiscopus et universi Ægiptiorum et Thebaidorum et Libiarum episcopi, quando a sancto Felice pontifice, nunc martyre, eodem tempore apud vestri similes homines invasorem æstimatum, consilium adversum hereticos petiverunt, quod Deo volente acceperunt. Sed quod ad eos pertinebat, quæsiverunt ; quod ad illos non pertinebat, Deo dimiserunt ; et in derogatione [379] Romanæ ecclesiæ siluerunt. Fuit namque quidam Dioscorus Alexandrinus archiepiscopus, cujus vos exemplum imitati estis, qui presumpsit contra Leonem pontificem et contra Romanam ecclesiam scribere ; sed in tantum illius presumptionem sancti Patres apud Calcedoniam detestati sunt, ut sine ulla restitutione eum dampnarent. Et nullam inquisitionem fecerunt, utrum juste an injuste vel quoquo B modo jam fatum Dioscorum contra Romanam ecclesiam dictasset ; sed absque omni controversia hoc in eo ulti sunt, quia, cum esset inferior, suo priore et magistrum conatus est lacessere contumeliis. Voluerunt nempe, in domo Dei nichil fieri confusum, nichil inordinatum. Verumtamen hæc parvipendebat pater Arnulfus, cum suo nescimus quo apostata filio (43), quando tanta contra Romanam ecclesiam ausi sunt scribere [380], quod nec Arriani heretici aliquando presumpserunt (*supra*, *conc. Basol. num.* 28). Certe scriptum est, quia venenatis filiis venenati parentes nascuntur. Contra quem beatissimus papa Bonifatius ait : *Nemo umquam apostolico culmini, de cujus juditio non licet retractari, manus obviat audacter* [381] *intulit ; nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari.* Nam etsi aliquando in aliquo Romana ecclesia titubavit, cum adjutorio Petri apostoli ipsa se erexit, et omnibus æcclesiis semper adjutorium prębuit ; ipsa tamen ab aliqua adjutorium minime quæsivit, non suis viribus, sed Dei adjutorio, qui ait ad Petrum : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 32). Ista igitur privilegia teste beato papa Nicolao Romanæ ecclesiæ a Christo donata, a synodis non donata, sed tantummodo celebrata et venerata, quæ nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari ; quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Verum ille potis- D simum peccat, qui Dei ordinationi resistere temptat. Ipsa namque privilegia Romanæ æcclesiæ impingi possunt, transferri non possunt ; trahi possunt, evelli non possunt : quæ permanet [382] illibata. Quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabit immutilata [383]. Et quoniam contra Romanam ecclesiam canones opposuistis, audite quid vobis Gelasius, multarum hereseon destructor, in

VARIÆ LECTIONES.

[373] *ita c.* [376] numera *cod.* [377] *ita c.* [378] ab *cod.* [379] inde rogatione c. [380] scibere *cod.* [381] aucdacter *cod.* [382] *sic.* [383] immulitata *cod.*

NOTÆ.

(43) Gerbertum intelligit, summum postea pontificem, qui se tunc temporis Remensis synodi scriptorem nondum professus esse videtur.

commo..itorio, Fausto magistro, fingenti legationem Constantinopolym, dato, inter cetera sic ait : *Nobis, inquit, apponunt kanones, dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi venire se produnt, quod primæ sedi* [285] *sana rectaque suadenti parere refugiunt.* Ipsi sunt kanones, qui appellationes totius ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsis vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullum commeare judicium, nec de ejus unquam preceperunt judicio judicari, sententiamque illius non oporteret dissolvi. Et quoniam quæ in detractione Romanæ ecclesiæ evomere potuisti, scripsisti; quod autem honor et decus illius est, latenter subtraxisti : verumtamen medicamentum animæ abscondisti, et venenum, unde incautos et simplices interficere possis, ostendisti. Enimvero quicquid interrogando, ut filii ad patres, Aurelius et Augustinus et Alippius et ceteri episcopi in Affrica constituti Bonifatio papæ miserunt, vos proterve et arroganter posuistis; quod vero propter tribulationem et angustiam, quæ ei imminebat ab Eulalio, qui in intentione uno die cum predicto Bonifatio ordinatus fuerat, et semper in dissensione fuit, quo vixit annos 3 et menses 5, et propterea illis scribere minime potuit teste Celestino papa, dicere noluisti. Epistolam vero ostendere predicti Celestini papæ, quæ laudans eos et amplectens eorum sententiam, quæ de libero arbitrio [286] diffinierunt, et arguens quod orientales ecclesiæ de Niceno concilio consuluerunt, cum per triginta et eo amplius annos in tantum heretici orientales ecclesias devastabant, ut pœne nullum librum de fide catholica dimittentes quem non falsaverunt aut non incenderunt. Insuper ipsum simbolum Niceni concilii conscriptum pauci abscondere potuerunt, unde plurimæ memoratæ orientales ecclesiæ a Romana ecclesia ipsum simbolum sibi conscribi petiverunt; et Athanasius archiepiscopus Alexandrinus, qui in diaconatu positus ipso Niceno interfuit, Marco pontifice, ut ei dignaretur conscribi, supplicando mandavit. Et quoniam postea temporibus Constantii et Juliani ipse pestifer morbus usque ad Romanam ecclesiam, quæ est caput [286] omnium æcclesiarum, pervenit, ideoque per diversas Romanas ecclesias dispersas tam predictam sinodum quam etiam decreta pontificum predictus Cælestinus in unum congregans maxime a Melchiade papa, sicut ei Damasus pontifex repromiserat, ipsi Aurelio remandavit eadem quæque [287] Isidorus asserit [288]. Sed vos hæc omnimodo reticendo celastis [289]. De Antioceno vero concilio quod scripsistis, si cum [290] ligatis Romanæ æcclesiæ factum est, et ipsi ibidem primatum habuerunt, ut judices, et sicut in omnibus sinodis subscripserunt, et epistola Leonis papæ illis directa sicut evangelium confirmaverunt. Si vero ultionem, ut audistis, Dioscorum Antioceni patriarcham fecerunt, obsecro per Deum, nolite occultare, quia Deus veritas est, et qui veritatem occultat, pro certo Deum negat. Nam quia beato Gregorio derogastis, ut de depositione episcoporum non requireret, considerate rationabiliter et probate, quod illius temporibus aut suum defensorem, aut notarium, aut subdiaconum, aut suum vicarium habebat, sicut in illius vita invenire poteritis, qui omnia sua vice ordinabat et disponebat, et quod rectum fatiebant, laudabat et confirmabat, quando inordinate, corrigebat et emendabat. Unde etiam Menne episcopo in sua præsentia se purificante, et dignitatem honoris et gratiam communionis reddidit. Similiter Januarium episcopum, et Stephanum, per defensorem suum Johannem audire et restitui fecit in ordine. Verum etiam non solum episcopis, sed etiam presbyteris, qui inordinate depositi [291] fuerant, ordini pariter et in dignitate restituit. Hæc etiam partim in vita illius, partim in regesto ejus invenire poteritis. Itaque Nicolaum papam ad vestrum testimonium deduxisti, eo quod adversum Romanam ecclesiam in depositione episcoporum siluisset. Qualiter contra Fotium invasorem Constantinopolitanæ ecclesiæ asterius [292] fuit, quousque Ignatium in sede propria revocaret, in epistolis illius invenire poteritis. Etiam et in Mettensi synodo contra reges et episcopos in excommunicando et non reconciliando quam asterius fuit, diligentius previdete. Semper hoc proprium habuit Romana ecclesia, ut justos justificet, et impios condempnet, hostes expellat, filios recreet. Et quoniam improperasti, quod orientales et Affricanas seu Hispanienses ecclesias ab ea se separarent, et in hoc vos falsa dixisse cognoscite, quoniam nunc Theodorus archiepiscopus Ægypti, et Horestus Hierosolimitanus, legatos suos [293] ad domnum apostolicum preterito [294] anno direxerunt, et de heresi Jacobitarum conversos, utrum ad clericatum venire debeant, consilium petiverunt, et quoniam pro metu Sarracenorum in omni ecclesia altare minime consecrare poterant, ut eis pannum consecrare liceret postulaverunt. Similiter de Africa Cartaginense clerus et populus temporibus domni Benedicti septimi papæ unum sacerdotem, Jacobum nomine, elegerunt et eum Romam, ut ubi consecraretur, mandaverunt. Epistola, quam secum detulit, inter cetera ita continebat : « Domno beatissimo et apostolico papæ Romanæ a Deo protectæ civitatis clerus et populus Cartaginensis. Postulamus beatitudinem vestram, ut succurratis miseræ et desolatæ Africanæ civitati, quæ ita ad nichilum redacta est, ut ubi olym metropolis fuit, vix ibi modo sacerdotes habeantur : et sicut nostri anteriores ad

VARIÆ LECTIONES.

[285] sedis *cod.* [286] arbitri *cod.* [286] apud *cod.* [287] q̄q̄. *c.* [288] assir *c.* [289] celasti *cod.* [290] sicũ *codd.* [291] positi *c.* [292] *i. e.* austerius [293] vos. *c.* [294] peterito *cod.*

vestros anteriores confugerunt, ita nunc quamvis parvi et indigni ad vos confugium facimus; et ideo et sacerdotem Jacobum ad vos misimus, ut eum nobis ordinando solatium præbeatis. » Quem predictus pontifex in nostro monasterio, quousque de fide catholica probaretur, misit; at [395] ubi eum orthodoxum repperit, consecrans archiepiscopum, eum cum privilegio ad propria remisit. Simulque de Hispania temporibus Johannis papæ, filii Alberici, quem vos incongrue derogastis, Julianus Cordubensis archiepiscopus de multis et de difficilioribus causis epistolam cum legatis mittens, consilium petens, non interrogans, quis aut qualis fuisset, sed venerationem præbens apostolicæ sedi, quod sibi utile erat quæsivit. Ex qua re cognoscite, Romanam ecclesiam adhuc ab omnibus ecclesiis honorari et venerari, solummodo a vobis detrahi et dehonestari [396]. Dicitis quod Deo, non apostolico mandaretis, et vobis responsum non dedisset. Notum est omnibus, quia in tanta tribulatione et oppressione a Crescentio. . . . [397] nunc positus fuit, ut quando voluit et qualiter voluit, nec vobis nec aliis responsum dare potuit; sed tamen citius quam potuit, nos ad investigandam et inquirendam vestram causam direxit. At ubi Aquis venimus, jam eum depositum invenimus, et neque aliquod responsum a vobis habere potuimus. Nobis vero reversis domum, apostolicus vos Romam invitavit; nec tamen ad eum venire voluistis (44). Et quia in itinere positus, non ut voluimus, sed ut potuimus, scripsimus, nunc ad vestram sinodum revertimur, quæ a vobis est venerata et laudata, a cunctis vero, qui audiunt, depravata et vituperata. Quis fidelium æquis auribus audire potest, archiepiscopum per fidem deceptum et in carcere diu maceratum, et sic nudum vinctum, cum multitudine strepentium militum ad synodum ductum, uno teste dampnatum? Quis talia audiens vestram synodum non maledicit? Neque ut in vestro libello habetur, ter quaterque [398] se culpabilem negantem esse, nullus vestrum eum audire voluit, sed cum uno presbitero eum dampnastis; quod omni auctoritate prohibetur. Quod nullius honoris, nullius dignitatis sit contra quemlibet laicum, unum testimonium credere debere: quanto magis adversus archiepiscopum! Quia vero dicitis, ipsum se accusasse et confessum fuisse, considerate, si fuit recipienda talis confessio? Nam ut in vestro libello habetur, dicebatis ei: *Pete veniam ut vita tibi concedatur.* O inutilis confessio! Acsi ei diceretur: *Nisi dixeris quæ volumus, vivere non poteris.* Ecce Arnulfus archiepiscopus ut patriarcha Joseph captus et in lacum missus, timens mori negavit [399].

A

B

VARIÆ LECTIONES.

[395] aut *c.* [396] honestari *c.* [397] *duo vel. tres litteræ exesæ; an* consule? [398] littera a *excsa est.* [399] *Il desinit pagina; sequens codicis quæ est ultima, theologica quædam continet, alia manu scripta.*

NOTÆ.

(44) Cf. Hugonis litteras ad papam ex cod. Lugdunensi in edit. Francofurtana synodi Remensis p. 149

ACTA CONCILII MOSOMENSIS

AUCTORE GERBERTO ARCHIEPISCOPO.

(*Ann.* 995, *Jun.* 2.)

Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. III, pag. 690.]

CONCILIUM MOSOMENSE [400]

Anno ab incarnatione Domini 995, indictione VIII, a papa Johanne synodus denuntiata est habenda in parrœchia Remensi metropoli. Itaque IV Nonas Junii convenientibus Mosomum venerabilissimis episcopis Liodulfo [401] Treverensi, Aymone [402] Verdunensi, Notkero [403] Leodicensi, Suitgero [404] civitatis Minigardevurdæ, Leo abbas monasterii sancti Bonefacii urbis Romæ vicem agens domni Johannis papæ, medius inter eos consedit, in æcclesia beatæ Dei genetricis Marie; atque in eorum prospectu Gerbertus Remorum archiepiscopus, pro sua ordinatione rationem redditurus. Interfuerunt etiam huic concilio diversarum urbium abbates non ignobiles, sed vita, moribus et scientia inter suos præclari. Ex laicis quoque admissi sunt Godefridus comes et reliqui. Facto itaque silentio, cunctis residentibus qui aderant, Aymo episcopus surrexit et Gallice concionatus est, domnum Johannem papam episcopos Galliarum causa synodi ad Aquasgrani palatii invitasse, et eos illo venire noluisse. Item invitasse ad Urbem, et eos non venisse. Nunc pro sua sollicitudine in Remensi provintia concilium statuisse, et quæ de Arnulfi dejectione et Gerberti promotione contraria sibi dicerentur, per suum vicarium velle cognoscere. Post hæc protulit epistolam plumbeo sigillo munitam. Quam dissolvens, coram omnibus recitavit hoc modo se

C

VARIÆ LECTIONES.

[400] MOSONSE *c.* [401] L. *c.* [402] A. *c.* [403] N. *c.* [404] S. *c.*

habentem : *Johannes episcopus servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis Galliarum salutem et apostolicam benedictionem*, et reliqua. Hac epistola recitata, surrexit Gerbertus Remorum archiepiscopus, et hanc orationem subintulit.

Exordium : *Semper quidem* (vide Patrologiæ tom. CXXXVIII, col. 166), usque *in commune oramus.*

Hanc orationem Gerbertus finiens, Leoni abbati scriptam protulit [308], et epistolam papæ recepit, atque ita resedit. Tum episcopi a concilio secedunt, et comitem Godefridum consultationibus suis adhibent. Post hæc Gerbertum ad se vocant, et Leonis abbatis monacum Johannem ad reges Francorum cum omni honore deduci faciat, orant et obtinent. Deinde Kalendis Julii Remis habendam synodum denuntiant. Jam synodus soluta esse videbatur, cum ecce Gerbertus [309] episcopus legatos episcopos accipit tanquam a parte Leonis, ut a divino officio usque ad denuntiatam synodum abstineat. Qui cum A renueret, in præsentia ipsius Leonis perventum est. Ibique breviter commemorat, non esse in potestate cujusquam episcopi vel patriarchæ vel apostolici, quemquam fidelium a communione removere, nisi sponte confessum vel convictum, vel ad concilium venire nolentem. Sibi autem nichil horum obstare, quippe qui nec confessus nec convictus sit, et qui solus de Gallia ad concilium venerit. Non ergo se suo judicio dampnaturum, qui in nullo genere oppositorum sibi male conscius sit. Sed modestia et probitate domni Liodulfi Treverensis archiepiscopi conventus et fraterne commonitus, ne occasionem scandali suis emulis daret, quasi jussionibus domni apostolici resultare vellet, sub nomine obedientiæ, ut a missarum tantummodo celebritate B abstineret, adquievit, usque ad proximas Kalendas Julias, quo tempore altera synodus indicta erat, Et sic discessum est.

VARIÆ LECTIONES.

[308] porrexit *in marg.* [309] girbertus *c.*

ACTA CONCILII CAUSEIENSIS

AUCTORE GERBERTO ARCHIEPISCOPO.

(Anno 995.)

[Apud. Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. III, pag. 691.]

ORATIO EPISCOPORUM HABITA IN CONCILIO CAUSEIO IN PRÆSENTIA LEONIS ABBATIS LEGATI PAPÆ JOHANNIS.

Exordium. — Impleta sunt vota nostra, reverentissimi Patres, quia tocius Galliæ episcopis in caritate conjunctis, apostolica sedes cœtui nostro præsidet per venerabilem abbatem et monachum Leo. In quo simul et in nobis eam prudentiam morumque probitatem esse confidimus, ut quæ probabiliter et necessario demonstravimus, non in statera dolosa et iniqua, sed in equa et rationabili lance appensa fuisse gaudeamus, juxta illud beati Augustini in secundo libro de baptismo : *Non offeramus*, inquit, *stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus tota die dimittamus pro arbitrio nostro, dicentes : Hoc grave, hoc leve est! Sed afferamus divinam stateram de Scripturis* D *sanctis tamquam* [307] *de thesauris Dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus, immo non appendamus, sed appensa a Domino recognoscamus.* Nimirum hic vir sanctus et sapiens hoc intelligere videtur, non ex hominum voluntario sed potius ex divino judicio majora vel minora habenda esse peccata. Neque enim dissimulando quodlibet illud peccatum tacuerimus, ideo illud peccatum non est? Nec si dijudicare noluerimus, ideo ante oculos C divinæ majestatis minus est? Non. Proinde pensate venerandi patres et fratres, quid nobis in causa Arnulfi judicandum fuerit, quem ante Dei et hominum oculos in immanum barathrum cecidisse constabat qui se ipsum proprio ore dampnabat, cujus pro rebellione et contumacia Africana concilia omne jus ademerant. Pensate, inquam, quid pro pereuntis populi salute, qui in tocius regni discrimine melius et utilius fieri potuerit, quam ut, tiranno excluso utilis populo et regno constitueretur pastor. Quod et populi quies et regni soliditas consecuta est. Sed ecce ex adverso hostis humani generis per organa sua proloquitur : Non hoc fieri licuit sine sedis apostolicæ auctoritate, non sine præsente legato nonnisi ab Arnulfo recepta ecclesia.

Reprehensio et confirmatio alternatim digestæ. — Hæccine est auctoritas, ut innumerabilis multitudo hominum assidue pereat? Nullus Romanus, etiam invitatus multumque rogatus, subveniat? Et qui potest, nisi præsente Romano nec audeat nec præsumat? Omittimus itinerum difficultates; sumptuum indigentiam, prudentis legati inopiam; et jam cum Romam ventum fuerit, non apostolicæ sedi liberum licebit proferre judicium, sed quod auri talentum obtinere poterit apud Crescentium, dia-

VARIÆ LECTIONES.

[307] tamque *codex.*

holi membrum. Non ignota loquimur. Regii ac nostri legati Romam profecti epistolas pontifici porrexerunt, et ab eo digne suscepti sunt. Sed, ut credimus, quia Crescentio nulla munuscula obtulerunt, per triduum a palatio seclusi, nullo responso accepto redierunt. Quod peccatis nostris provenire non dubium est, ut Romana ecclesia, quæ mater et caput omnium ecclesiarum est, per tirannidem oppressa, omnia membra debilitentur? Hæc, inquam, omittimus, et tamen in tanta rerum difficultate sacris obtemperatum legibus edocemus, ut apostolica sedes in Arnulfi causa honeste et utiliter vel addere vel mutare nichil potuerit, vel adhuc possit. Si enim quædam pontificum decreta ita sunt rata, et quædam concilia a sede apostolica ita corroborata, ut exinde permutari nichil oporteat, eorum decretorum et conciliorum executores per omnia laude et præmio digni, perturbatores autem vituperandi et omnium penarum genere afficiendi sunt. Item si sub beatissimis pontificibus aliqua provenerunt, quæ causæ Arnulfi similia sint, quod exinde judicatum est, in causa Arnulfi judicandum fuit. At Cresconius episcopus, quia rebellis et contumax, non contra principem sed contra episcopos, fuit, ab Africana synodo judicatum est, ut potestate principis coerceretur et ab ecclesia excluderetur. Et item universaliter episcopos conspirantes et ad conventum fratrum suorum venire nolentes sua forte ne prodantur flagitia metuentes, eadem synodus potestate principis cohercendos, a principalibus cathedris removendos, et ut propriis etiam careant, auctoritate publica ut rebelles auctoritate apostolica judicavit per Faustinum et Philippum et Asellum presbyteros. Quod autem apostolica sedes in Cresconium fecit et in alios fieri decuit, hoc idem in Arnulfo summa diligentia fuit observatum; id est quia ad fratrum suorum conventum amplius quam per anni spatium invitatus venire contempsit, et insuper in principem suum rebellis et urbis ac patriæ proditor extitit, principis potestate necessaria synodo repræsentatus est. Atque habita cognitione, qualis fuerat diffamatus talis etiam est sua professione detectus. Sed inquit omulus : Non potuit dijudicari; ecclesiam recipiat, suis viribus resumptis suisque diu retentis amicis, ad judicium provocetur. Quidnam est armatus a tirannide removeri? Immo non aliter quam spoliatus potuit dijudicari. Sed æque tirannus armis circumseptus nunquam ad judicium potuit adduci. Quid est autem ecclesiæ receptio, virium resumptio, amicorum retentio, nisi in reges nostros tirannidis extinctæ resuscitatio, injuriarum ultio, malorum sublevatio, bonorum omnium oppressio? Sed obsidibus, inquit, et sacramentis astringatur multis modis. Num plura et validioris generis sacramenta repperiri poterunt ante prolatis? Num obsides fratris ejus Richardi episcopo Brunoni ejusque sororis filio præferendi? Quo ergo jure Bonefatii pape decretum in irritum devocabitur, qui intonat, ut si reus adesse neglexerit, dilationem sententiæ vel absentiæ non lucretur. Nimirum hæc decreta apostolica nec fugientem protegunt, nec confessum vel convictum ecclesiæ restituunt. Non igitur jure spoliatus eam recipiet ecclesiam, quam nec sicut episcopus rexit, sed sicut prædo crudelissimus devastavit, sed dicant summi pontifices Leo et Zozimus magnusque Gregorius, quid de hujusmodi confessis vel convictis auctoritate apostolica statuerunt. « Hujusmodi, inquit Leo, lapsis ad promerendam Dei misericordiam ecclesia privata est, expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. » Et Zozimus Lazarus dudum in Taurinensi concilio gravissimorum episcoporum sententiis pro calumpniatore dampnatus, cum Brictii innocentis episcopi vitam falsis objectionibus appetisset, post vero ab eodem Proculo, qui inter ceteros dampnationi ejus in synode assenserat, sacerdotium consecutus est. A quo ipse vitæ suæ conscius, datis litteris in abdicationem sui se sponte submovit. Et Gregorius ad Johannem archiepiscopum primæ Justinianæ : « Dilectissimus inquit, lator præsentium Nemesion ad nos veniens indicavit, sicut et gestorum exemplaria quæ hic detulit continebant, Paulum Diaclinæ civitatis episcopum et post pauca etiam libellum, in quo ea de quibus accusatus fuerat vera esse confessus est, obtulisse. Qua de re sententia episcopali illo deposito se ejus loco [308] cum fraternitatis vestræ consensu esse episcopum ordinatum. » Et Johanne papa universis ecclesiis per Gallias constitutis « Prædictum, inquiens, Contumeliosum episcopum ut habeat pœnitendi licentiam, petitorium vobis dare censemus, ubi errorem suum evidenter alligans, sub die profiteatur et consule. » Non, inquit calumpniator, potuit Arnulfus se ipsum dampnare sine apostolicæ sedis legato. Quomodo ergo Lazarus quomodo Paulus et Contumeliosus, et, ut propius ad causam accedamus, quomodo Ebo Remorum archiepiscopus? Si enim Arnulfo non licuit, nec illis. Sed manifestum est illis licuisse. Licet enim mala relinquere et bona facere sine apostolicæ sedis legato et auctoritate. At criminosum in ordine pontificali stare malum est, et ab eo recedere bonum. Bene igitur Arnulfus fecit, si ab ordine pontificali recessit, in quo criminosus stare non potuit. Bene reliquit, quod contra divinas et humanas leges per dolum accepit. Cur ergo calumpniator, inquit, detinetur omni potestate exutus, ac non potius quo velit abire permittitur? Videlicet, quia Euthices archimandrita in synodo depositus ab imperatore est directus; sed hunc magnus Leo papa a remotiora duci jubet, ne in eo sæviens morbus suo contagio alios corrumperet. Juste ergo detinetur, qui adhuc necem patriæ meditatur, suosque satellites

VARIÆ LECTIONES.

[308] locum *codex*

crebris legationibus incitat, ut a cœpto furore non desistant. Videtis, reverendissimi Patres, nobiscum stare apostolica et ecclesiastica jura. Sed quid faciemus improbis hominibus, quibus nulla ratio sufficit, nisi etiam corporeis sensibus satisfiat? Cedamus talium importunitatibus, et nichil sine præsentia legati apostolicæ sedis in causa Arnulfi factum esse deceamus. Certe Seguinus, venerabilis viæ Senonensium archiepiscopus, Domini papæ Johannis vices per Gallias sibi creditas Romæ innovavit, et ita a latere apostolici cum decreto privilegii veniens ejus vices usque in præsens omnium episcoporum Galliæ consensu prosecutus est. In hujus ergo præsentia Arnulfus se ipsum sacerdotio exuit, atque juxta decreta apostolicorum virorum, Zosimi, Leonis atque Gregorii, petitorio vel confessionis, seu ita placet dici, abdicationis porrecto libello, sacerdotalia deposuit signa. Pro qua re ad judicium devocamur, quasi innocentem oppresserimus? Nos vero illum non solum non oppressimus, sed etiam per duodeviginti menses bella, seditiones, regni discidia molientem toleravimus, cum Africana concilia post secundum mensem vocationis eum a communione removerint, et anniversario concilio non occurrentem eum in se dixisse dampnationis sententiam judicaverint; neque post expletum annum ejus vocem penitus audiendam. Sedo Christiana fides, o religio Christiana; quis unquam nocens habebitur, si patriæ proditor hodie velut innocens absolvitur? Sileant ammodo leges, jura regum conticescant, si neminem in judiciis attingere fas est, nisi quem Crescentius tyrannus mercede conductus voluerit absolvere vel punire? Patriæ proditor ferat præmium, et qui eam liberaverit, propellatur in exilium. Sed non sic sanctus Spiritus per os David cecinit: *Semel*, inquit, id est incommutabiliter, *locutus est Deus* (*Psal.* LXI, 12); duo hæc quæ se audisse commemorat, scilicet quia Dei potestas in dampnando reprobos et misericordia in glorificando electos; quod ipse subinfert: *quia tu reddes unicuique juxta opera sua* (*Ibid.* 13), id est juxta hoc quod est, inquit, non juxta id quod non est, dicente propheta: *Ve his qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem* (*Isai.* v, 20). Si ergo beatorum pontificum, Gregorii, Leonis, Zosimi, decreta itemque Africana concilia rata habenda sunt, vituperandi ac penitus sunt contempnendi, qui Arnulfum irregulariter dejectum inmurmurant, nostramque simplicitatem apud apostolicam sedem insimulant, quasi eum pro sua innocentia sedem apostolicam appellantem deposuerimus, cum ipse potius ad electos a se ipse judices confugerit, atque ab eis post confessionem modum penitendi postulaverit. Quod imponit finem litibus jure Africani concilii.

Epilogus. — Nunc ad te qui vices domni Johannis papæ in hac synodo retines, abba Leo, recurrimus, et si qua te pietatis viscera movent, admonemus, ut pacis exturbatores auctoritate apostolica conquiescere facias. Neque enim zelo Dei aut fraterna caritate commoniti pro Arnulfi restauratione satagunt, quem Dei et universalis ecclesiæ judicio in perpetuum sacerdotali officio exutum esse sciunt; sed novitate rerumque permutatione delectati, sanctam et apostolicam ecclesiam contra nos incitant, ut dum non erit qui audeat contradicere, impune liceat eis peccare. Quod quantam [999] Romanæ ecclesiæ pariat invidiam, tua sanctitas recognoscit. Neque enim judicia populi ita retusa sunt, ut interdum quid sit equius et justius non intellegant. Cui rei dum a quibuslibet episcopis inconsulte resistitur, sacerdotii gravitas et dignitas nostro vitio dispicitur. Jungatur nobis per te beati Petri apostolatus, redintegretur per te jam scissum rete ecclesiæ, ut dum re bene gesta Romam redieris, spe, voto ac desiderio a Galliarum episcopis iterum revoceris.

Explicit concilium Causeium.

VARIÆ LECTIONES.

[999] quandam *c*.

ANNO DOMINI DCCCCXCV–MIII.

PURCHARDUS
MONACHUS AUGIÆ DIVITIS

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Joanne Egone, lib. *De viris illustribus Augiæ Divitis*, apud Bernardum Pezium, *Thesaurus Anecd.* I, III, 685.)

Sub florenti et numeroso Witegovi magisterio inter alios efflоruit Burcardus monachus ingenii et facundiæ gratia præstantissimus, poeta gravis et excellens. Inter cætera quæ scripsit, jubente Augiensi congregatione abbatis sui Witegovi res præclaras e gestas heroico metro cecinit. Exstat ejus carmen cum præfixa monasterii pictura in antiquo codice ms. cujus initium tale est:

Incipit hic textus per dicta poetica scriptus.

PURCHARDI

CARMEN

DE GESTIS WITIGOWONIS ABBATIS,

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. IV, pag. 621.)

ADMONITIO PRÆVIA.

Witigowo (1) abbas Augiæ divitis post Ruodmannum, Sangallensibus infestum, annis 985-997 præfuit (2). Cujus domi forisque gesta Purchart monachus ex decreto Patrum Augiensium scribenda suscepit, et anno 993 aut 994, incepta atque ad hoc tempus usque perducta anno demum 996, continuatione auxit, qua iter Ottonis III Romanum verbo attigit. Liber, sub forma dialogi inter Poetam et Augiam versibus hexametris scriptus, curas abbatis in colligendis bonis monasterii dispersis, in construendis adornandisque ecclesiis, recenset, itinera ejus in obsequio regis facta et iter Romanum leviter perstringit, et privilegia inde reportata memorat. Versus quisque, quemadmodum supra in Hrotsuithæ operibus vidimus, duabus partibus constat, in eumdem fere (3) sonum exeuntibus.

Codex unicus ex monasterio Augiæ divitis bibliothecæ Carlsruhanæ illatus, referente socio doctissimo et de re nostra optime merito v. cl. Molter, consiliario intimo et bibliothecæ præfecto, nobis innotuit (4), et serenissimi principis, Leopoldi Magni Ducis Badensis, jussu flagitanti mihi transmissus, jam editione nostra exprimetur. Est membranaceus in-4to autographus, manu sæculi x exeuntis exaratus, ab auctore ipso hinc inde correctus, et calamo paulo graciliori ad finem perductus. Habetur carmen in codice n. CCV, olim signato, foll. 71-84. Post Alcuini quæstiones in Genesim et Capitula propositionum ad acuendos juvenes, atque interpretationem parabolarum Salomonis præcedit, cujus primæ paginæ partem adversam explet; sed libro pauca ante sæcula denuo compacto, ordo paginarum turbatus est, ita ut quæ hodie numeris 71, 72, 73 84, continuis male signantur, ut sententiarum ratio indicat, numeris 71, 72, 79, 80, 81, 82, 77, 78, 73, 74, 75, 76, 83, 84, signandæ sint; quarum qui dem 71-78 quaternionem, 79-82 duernionem efficiunt, 83 dimidiata est, 84 parte aversa Parabolarum initium exhibet. Jam, justo ordine restituto, poetam nostrum audiamus.

DE GESTIS WITIGOWONIS ABBATIS.

Reverentissimo Augiensium Patrum senatui, spiritalem vitam in Christi dilectione possidenti, Purchart, juxta tantæ sublimitatis velle se ut inferiorem in omnibus obedire.

« Cum totius fons sapientiæ videatur derivatim e vestri cordium fluentis emanare, atque virentia prata vestrorum secundum apostolicam regenerationem filiorum indaganter irrigare, miror, cur me horum omnium stolidissimum, qui nec flosculo exarescentis feni ulla ratione possum comparari, ad tam sublime opus scribendum sicut in sequentibus apparet eligere dignaremini. Sed me ut existimo scire, vestra paternitas, semper pietatis visceribus redundans, dofuit me somno pigritiæ deditum imis incumbere, ac numquam ad aliorum matura studia me ipsum provocando erigere; ac ob id, ut credo, non pro idoneæ artis peritia, sed ut otio vacanti alicujus operis preberentur medicamina, injuncta est mihi a vobis sequentium rerum ad explicandam seriem, licet herilis, mihi tamen minus diserto impossibilis obœdientia. Scripsi enim, vestra coactus jussione, quando cepit, vel quomodo dominus noster venerabilis abbas Witigowo virtutum studiis in hac floruit potestate, quomodo etiam in suæ prelationis initio prædia nostra, tempore Ruodmanni abbatis captivata pace, ab invasoribus direpta penitusque vastata, in integrum adquirendo restituit, et quanto ardore in servitio Dei flagrans, ad ipsa divina officia celebranda qualia vel quanta æcclesiarum templa in quibusdam ad nos pertinentibus locis constituit, suisque de rebus opulentissime dotavit. Quid enim per decem annos hujus jam prelationis regimen subeundo in hoc loco fecerit sub æcclesiarum structuris, et in variis diversi operis arcuum columnarumque celaturis, in altaribus quoque et in cribus auro atque argento fabrefactis, illis quippe preciosis monilibus mira gemmarum textura insertis, non pretermittit intactum stilus hæc omnia scribentis. Et quod per singulos annos fecisse probatur, in uniuscujusque operis consummatione

NOTÆ.

(1) Witego vocatur in catalogo abbatum Augiensium, SS. II, 38.

(2) Herm. Contr.

(3) Nam e. g *felix* et *fidelis*, *opibus* et *beatus*, *faceret* et *notarent*, *laudes* et *clemens*, *refers* et *merens* sibi non plane respondent.

(4) Archiv II, 393. — Ex Egonis libro De viris illustribus Augiæ divitis cap. 24, laudat nostrum Neugart in episc. Constantiensi I, p, 321, nec tamen poema ipse vidit.

singulariter declaratur. Igitur sub quadam apellatione loci personam feci meis assertionibus occurrere; scribensque sub exametris versibus in propium currentibus, omnia studui, Deo adjuvante, vestrisque orationibus, fine tenus perficere. — Sed quia vestro, Patres reverentissimi, alligatus imperio, licet me per nullum utilitatis incrementum sciam subsistere, et tamen conatus sim me ad ea quasi audacter objicere, quæ etiam alii fortioris ingenii expavescendo neglexere, rogo, ut in tam audacibus ceptis non superbam æstimationem meæ protervitatis, sed pocius intueri velitis mei humillimam [1] intentionem obœdientis. Si qua etiam reprehensio, quam multam esse non nego, latitantis vitii in hoc opusculo a vobis possit videri, hanc, ne offendiculo fiat vera cognoscere volentibus, latenter emendare dignamini [2]. »

INCIPIT HIC TEXTUS PER DICTA POETICA SCRIPTUS,
FLOREAT IN QUANTIS ORNATIBUS AUGIA FELIX
HAC IN STRUCTURA, QUAM FECIT NOBILIS ABBA
DANS STUDIUM CHRISTO, QUI NOMEN HABET WITIGOWO.

POETA[3].

Inquisita refer, quid plores, Augia mater,
Auctrix cunctorum, Domino donante, bonorum;
Vertice crispantes aut quid divellere crines
Tu conare, genas aut dilaniare tenellas?
Quidve rigans lacrimis malas residere videris,
Vultu summisso, veluti sub carceris antro?
Quid pia mater, habes, quod sic tua tempora [defles,
Aureolæ [4] pacis semper vernantia ramis?
An donis Domini vis sic ingrata videri,
Anne recordaris niteas quo stemmate lucis?
Ipse tibi talem quoniam concessit honorem,
Semet in orbe locus de quo non jactitat ullus.
Nam pietate sua sic disponente, remota
Omnibus e terris, spetiali pace quiescis,
Libertate potens, terrena negotia spernens,
Solius Domini tantum sociaris amori,
Quod libertatis laus creditur esse perennis.
Servitioque sacræ fervens devota Mariæ,
Dignius in terris ejus thorus ipsa vocaris;
Quod speciale decus tibi contulit ipse benignus,
Inspirata sacro genuit quem Pneumate Virgo.
Cur non exultas, opibus quæ plena redundas?
Quod super astra volat, quicquid maris unda [ministrat,
Si quid gignit humus, tis [5] suppeditatur in usus.

AUGIA.

Fili, quid loqueris? puer es, puerilia dicis.
Quid me vexari luctu mentiris inani?
Cum me despiciat [6] sponsus solamque relinquat,
Acsi captivam, nullo solamine fultam.

POETA.

Ut mos est puero si nunc puerilia dico,
Est mihi dicendum, nulla racione silendum,
Numquam femineis credi debere querelis;
Sed de quo sperni videaris prode roganti.

AUGIA.

Credo, tui cordis non est presumptio talis:
Nescio sed cujus solamine tutus alius,
Blasphemas audes me contra mittere voces.
Non tamen hoc miror, cum sponso spreta re- [linquor,
Me vilem precii retinent quo judice cuncti.
Sed non sum vanis mulier clamosa querelis,
Perfectæ fidei volo qui [7] succumbere legi,
Pulcher apostolico quam laudat dogmate sermo
Dicens: « Vir talis qui non datur esse fidelis,
Debet salvari fretus muliere fideli (5). »
Et veniet tempus quando devictus amicus
Languet amore meo; remeat, stabilisque ma- [nendo
Congaudendo suæ sua tollit gaudia sponsæ.
Tuque tui similes, post fœdera tanta, calones,
Non estis ausi me voce lacessere turpi.

POETA.

Qui sub jure tuo servili compede vivo,
Debeo, si merui, te precipiente feriri;
Nam decet ut propriis dicionibus ipsa fruaris,
Atque regenda regas tu, non aliena potestas.

AUGIA.

Non aliena mihi possunt hæc jura videri,
In quibus ipsa potens sum sponsi sceptra ca- [pescens,
Tantum si stabilem mecum retinere valerem
Hunc preceptorem, virtutum flore nitentem,
Qui mihi totus amor sacer et moderaminis auctor
Claret, propterea sine quo non est mihi vita;
Nam sitis igne pio magis uror eumque bibendo.

POETA.

Cum stulte fusis a me sis lesa loquelis,
Territus inde meus cœpit decrescere sensus,
Ac ad quæ loqueris mihi surdo non patet auris.
Fac, rogo, quapropter, tibi quod sapientia mater
Suadendo jubeat, sonti tua dextera pareat;
In veniæ donis mihi sit correptio dulcis.

AUGIA.

Esto securus, quoniam patientia virtus
Me docuit veræ [8] convitia spernere queque;
Rebus in adversis nec abessent prospera [9] mentis,

VARIÆ LECTIONES.

[1] humillam *c.* [2] *finis paginæ* 71. *Pagina sequenti pictura ostendit quomodo* « *rusticus poeta* » *terræ prostratus Augiam alloquitur, præsente S. Maria V. cum infante Christo, adstantibus Witigowone abbate et S. Pirminio episcopo; tum pergit:* Incipit, *etc.* [3] *vox deest.* [4] Aureolæ *deleto* a *c.* [5] *i. c.* tui. [6] *ita c. distinguit.* [7] *ita c.* [8] *i. e.* vere. [9] prosera *c.*

NOTÆ.

(5) *I Cor.* VII, 14.

Si sponsus solum vellet sibi vivere mecum
Continuus, stabilis, nusquam pergendo localis.

POETA.

De pietate tua confidens, optima domna,
Ex his quæ dixi veniam me posse mereri,
Quæ nunc ignoro de te perquirere tempto.
Dic mihi, Ruodmanni post funera, patris amandi,
Qui diversorum tibi dotes auxit honorum,
Sed pro morte sua viduatis vestibus usa,
Quid sit quod thalamis iterum sociata fruaris.
Quis vel quantus erit, quem sic tuus ignis [adurit,
Aut quando tædas celebrasti dic, rogo, tantas?
Quæ sic obscuræ me tunc tenuere latebræ,
Quod non me tantis licitum fuit adfore festis?

AUGIA.

Hæc si nosse velis, penetrale revisere mentis
Te jubeo; pateat tibi quod mea dictio firmat.
Quod me conjugiis iterato fœdere cernis
Innexam, vita postquam privabar amata
Ruodmanni patris, mihi qui largitor honoris
Augebat dotes sub gaza divite polleas,
Ut ne mireris per dicta futura moneris.
Nam me cum solam, nullo custode, relictam
Sentirent homines sub iniqua peste latentes,
In me, nullus erat quia vindex, arma movebant,
Rebus me patriis, eversis funditus arvis,
Privantes, tractu sub predæ, flebile dictu!
Æquabatque solo me sternens dira cupido
Illorum, quondam cæli super astra levatam.
Ambicione pari necnon in pectore capti,
Predia sub scripto mihi tradita tempore prisco.
Nil sibi justiciæ servantes, obtinuere.
Talibus in furiis impune furentibus illis,
Sedi deplorans, pectus manibusque cruentans;
Nam fuit augmentum luctus geminata malorum
Sors, funus patris, funestaque preda latronis.
Sed tamen e tanto tractabam plurima damno.
Inter tot casus defensor cum mihi nullus
Staret, quo talem possem superare laborem,
Devenere mei turbato corde coloni
Acciti de me[10], mihi consiliumque dedere
Utile, quod signis ratio firmabat apertis.
Nostrum communem nam me replicante laborem,
Illorumque mei per casus damna videri:
Mater consiliis, dicebant, *utere nostris.*
Exagitent lites si te bellique furores,
Nec tibi nec nobis nullius summa salutis
Adsit, fautoris nec spes solatia dantis,
Te magis obtamus, quod honestius esse probamus,
Huic desponsari, cujus dicione tueri
Possis, raptori maneas quam pastus hianti·
Res etiam nostræ cujus munimine salvæ
Tutentur nobis sub pacis flore prioris.
Hunc ego conquirens, has cœpi promere voces:
Dicite, filioli, si vir queat unus haberi
Inventus, mundo qui converzetur in isto,
Tutis vel tantus, virtu ibus undique septus,
Ut pacem capiam, cui certo fœdere nubam,
Atque fugans hostes nobis hucusque nocentes,
Robur virtutis sponsi gerat ipse prioris.
Tunc monstrabatur, qui nunc superesse videtur,
Vir magni meriti, laudamine congruus omni,
Christo dilectus, domnus Witigowo vocatus,
Utilis in lingua, cui sancta sophya magistra.
Fecerat hunc omni doctorem celitus orbi,
Et bona quæ verbis docet, hæc colit omnia factis.
Nullius plectrum linguæ, non organa vocum,
Nec quæ de factis resonat scriptura beatis,
Enarrare valet pietas quam maxima constet
Huic domino patri, qui templum Pneumatis almi
Factus, divinæ sedes est atque sophiæ.
Hinc quoque consilii capiens munimina tanti,
Per regale datum, per pontificumque senatum,
Talibus electo meritis sum tradita sponso,
Qui decus omne mihi retulit mox dote recenti;
Ejus quin totum sub dextro jure sinistrum
Deficiens, in me nullam vim posset habere,
Ipse domi mecum si vellet vivere tantum,
Ut jam precinui, cessans hinc inde vagari.

POETA.

Quæ modo dicuntur de te, si firma probantur,
Tristibus abjectis decet ut magis ipsa fruaris
Lætitia, munitor cujus manet iste senator,
Tantas vel tales cujus fert actio laudes.
Sed quos flendo canis grandi gemituque revolvis
Motus instabiles ejus gressusque vagantes,
Ni fallor, credo, dubia nec mente recondo,
Ejus pergentis non se res ducit inanis;
Tu, tam continuus quo tendat transitus ejus
Dic inquirenti tantum ratione patenti,
Mentemque qua vadit res protinus ipsa probabit.

AUGIA.

Pulsat sepe viam diverso tramite tritam
Circumquaque vagus meus hic per devia sponsus.
Sepius ad regem cursum tenet ecce frequentem;
Quo per multorum morulas tardando dierum
Congaudet regi, quia collætatur et illi.
Nam cum doctiloquum sapientia conderet ipsum,
Dicitur os regis, populorum lingua salubris,
Inter catholicas primas rutilando columnas;
Regum rectores, comitum docet atque cohortes.
Rege jubente, suis parent simul omnia dictis.
Contra velle suum se vertit nemo retrorsum;
Esse manum regis nam plebs hunc predicat omnis.
Taliter hic tardans, sceptris regalibus astans,
Ecce domi sponsæ non vult memor esse relictæ.
Tandem sceptrigeram cum tardus deserit aulam,
Ad patriam rediens, demum venit alter ut hospes,
Mansitat atque meis exosa mente sub alis
Vix unam noctem, quod cogit transitus idem.
Hinc iterum votis capitur mens ire volentis,

VARIÆ LECTIONES.

[10] *ita c. distinguit.*

Oret apostolicas ut prona mente lucernas;
Ad persolvendum Romam vult visere votum.
Nilque moratur iter, veluti per tristia semper
Me paciens solitis post se clamare querelis.
Cursu continuo tardans hic tempore longo,
Clauso multorum remeat sub fine dierum:
Et veniens ad me, dicit: « Carissima, salve! »
Hoc etiam dicto, dicit: « Celer inde valeto! »
Primo fitque Vale, quam signent oscula Salve.
Circuit hinc omnem variis discursibus orbem,
Caute prospiciens cujus sit cespitis hæres,
Invenit et de me se predia multa tenere.
Tunc faciendo moras, sedet illic rite gubernans
Omne quod est fractum dinoscitur atque solutum,
Sedes desertas destructaque tecta reformans.
Colligit et fructus generat quos herbida tellus,
Nolens incultæ [11] sine fructu rura jacere.
Dives possessis ita semper gaudet in arvis;
Ex quorum sumptu desudat divite cultu
Pervigil, æcclesias Domini sub honore dicatas
Gemmis ornari varium per stemma metalli,
Et per structuras studet has augere politas;
Cujus opus studii tibi paucis intimo, fili. [tor,
Purchardus ductor (6), summæ probitatis ama-
Regalem fiscum, Sleitheim [12] cognomine dictum,
Ad laudem matris nobis dedit Omnicreantis,
Sic tamen hunc tribuens, post ejus vivere [13] pre- [sens
Conjugis atque suæ post nostrum dixerat esse.
Tunc stetit hic multos sine nostris usibus annos;
Nam postquam vitæ finem dux clauserat ipse,
Juxta condictum conjux (7) possederat illum,
Quæ post hunc multis in mundo vixerat annis.
At quando domini, superest qui, jura subivi,
Congruit ut donis promptus servivit in amplis
Matronæ tali regali stirpe fluenti,
Quod gessit studio sperans de fœnore tanto,
Quatinus hæc eadem flaglando [14] sic per amo- [rem
Hunc sibi continuo sociaret fœdere firmo.
Et devicta suis per dona monentia votis,
In sua jura locum propriæ [15] dedit ante notatum.
Plurima quid refero? Confestim venerat illo,
Mœnibus et cunctis noviter docteque paratis,
In partes varias quæ solverat ipsa vetustas,
Ædibus æcclesiam gemuit censuque neglectam.
Quam circumcingens et fundum lacius augens,
Fecit opus clarum, Domino pernobile templum,
Adjungens omnem qui congruit, ecce decorem.
Rebus et ipsius nunc æcclesiasticus usus
Sufficit ecce loco; laudetur Christus in illo.
Est alterque pagus noster Funginga vocatus,
Pulcher in aspectu, sub cultus fertilis usu,
Quem dedit inprimis mihi certo fœdere dotis

A Me sed adhuc teneram cum primo flore puellam
Presul Pirminius cepisset amare beatus,
Norma justitiæ sub sobrietatis amore;
Hunc Witigowo meus pro cujus (8) amore ma- [ritus
Diligit in tantum, ni fallor protinus ipsum
Ut mihi preferret, si res fortunaque vellet;
Præcinui dellens nam me velut ante relinquens,
Perdurare loco non semper cessat in illo.
Ac ibi cum modicum spectaret stare sacellum,
Quod signum tituli vox clamat garrula vulgi
Presulis ob meritum venerandi, qui dedit illum,
Esset ut ad munus mihi dotis in ordine primus,
Has minimas ædes ex cunctis partibus augens
Alte constructum perfecit nobile templum.
B Per girumque loci faciens habitacula claustri,
Adjunxit cellas Domino famulantibus aptas,
Hic ut securi vivant sine turbine mundi,
Addens ex opibus quæcumque poposcerat usus.
Tale monasterium Christi sub honore dicatum
Iste meus studio patravit vir Witigowo.
Est tamen hoc operum tenuis velut umbra suo- [rum,
Nam graviora quidem perterrent quemque lo- [quentem
Sit quamvis sapiens, his est tractatibus expers.
Finibus in multis, qua latus tenditur orbis,
Servitium Domini celebratur corde fideli
In sacris domibus, quas fæcerat ipse benignus.

POETA.

C Mater, mira refers muliebri pectore merens.
Gaudia lætitiæ tibi tergant vivere triste;
Convenit hoc pocius sub patris laudibus hujus.
Id non contemptus, sed honor tibi dicitur au- [ctus.
Intendit recte regum secreta tenere,
Ut sit principibus pariter perfectus amicus;
Inde potens vere tuus est defensor ubique.
Dic, si regificis umquam solamina donis
Ille tibi ferret, quando de rege rediret.

AUGIA.

Pre tulerat certe; non est mihi posse negare.
Nam testamentum quod per regale sigillum
Munitum fuerat, dudum redeundo ferebat,
D In quo libertas mea firmaturque potestas.

POETA.

Per quæ debet ei dare grates contio nostri;
Nam sunt communis liberrima scripta salutis.
Hoc ad gaudendum, non tristi more dolendum,
Te, rogo, commoveat quia sic tua sceptra co- [ruscant.
Dic et, apostolicos cum viseret ille patronos
Romæ, post reditum tibi ferret quale datívum.

VARIÆ LECTIONES.

[11] *i. e.* inculte. [12] *in marg.* Schleyten *manu sec. XVI.* [13] *i. e.* vitam. [14] *ita c.* [15] *i. e.* propric.

NOTÆ.

(6) Dux Alamanniæ.
(7) Hadawiga.
(8) Pirminii.

AUGIA.

Quod dedit ipse mihi, licet essem pectore tristi,
Tale fuit donum, quo non preciosius ullum;
In quo ponendo spem, nulla pericla pavesco:
Vas cristallinum, Christi de sanguine plenum.

POETA.

Dico lætanter: Gaude nunc, Augia mater,
Munere pro tali, cum sis felicior omni
Mundo; quam felix est et tuus ille fidelis,
Subtilis talem tibi cui conjunxit honorem,
In quo, domna, vales culparum tergere sordes,
Hostes ac gemini tibi non sunt, crede, timendi.
Et reliquis opibus si te pater ipse beatus
Non claram faceret, tamen hæc data dona no-
[tarent,
Ut præcessores meritis precelleret omnes.
Tantorum laudes operum, Deus accipe clemens!
Nam quod in his canitur tua gloria lausque pro-
[batur,
Es qui per patrem dignatus mittere talem
Augensi matri, quo plaudant munere nati.
Nobis alternis est sermo sed quia dictis,
Horum templorum structuram, quæso, tuorum
Ad laudem Domini quis fecerit, ede roganti.
Pingitur astrorum vario velut ordine cœlum,
Sic redimita tuis stellaris et ipsa sacellis.
Hoc decus esse tibi nec prisco tempore vidi,
Cum pater in mundo Ruodmannus vixerat iste,
Quamvis et ipsius stares ditissima rebus.
Mœnia tanta virum peragi sic posse per unum,
Miror, bis quinis tam parvi temporis annis,
Ex obitu numerus quos ordine continet ejus.
In meliora locum mutavit quis, rogo, totum
Hunc pulchre renovans gemmisque micantibus
[ornans?

AUGIA.

Pulchrius ut cernis quod fulget in ædibus istis,
Hoc totum fecit, modo qui proximus hæsit.
Nam velut ipse canis, domini de morte prioris
Ascendit decimum nunc orbita solis in annum,
Quos me predoctæ [16] Witigowo rexerat iste.
Ac ut precinui, licet huc illucque vagari
Numquam cessaret, mihi rarus semper et esset,
Impigre nullum tamen intermiserat annum,
Hunc operis facto quin claudere vellet in uno;
Et quando cepit vel quando cepta peregit,
Nunc tibi colloquiis a me monstratur apertis.
Ceperat in primo mihi cum dominarier an-
[no (985),
Est (9) latus æcclesiæ levum genitricis ad almæ,
Fundans eximium devota mente sacellum,
Quod Januarii voluit sub honore dicari,
Cælestis patriæ quem fecit amore subire
Palmam martyrii victrix confessio [17] Christi
In quo dispositis divinis cultibus aris,
A Una beate tibi protomartyr, Stephane, Christi
Est erecta, preces ut clemens ipse receptes,
Quas devotorum tibi fundit contio fratrum
Altera, Laurenti, tibi cernitur atque dicari,
Tu simul ut votis te rite precantibus ausis.
In medio quarum Witigowo, norma bonorum,
Erexit celsam studiis ferventibus aram,
Hanc ornans tabula gemmis auroque parata
Qua Januarii concluserat ossa beati.
In tali primum studio perduxerat annum.
Voces omnigenæ dicant: Tibi gloria, Christe! (10)
Ut cursus anni tunc advenere secundi (986),
Divini cultus non immemor ille beatus,
Pulchre formatam cepit fundare capellam,
Porta monasterii qua pandit pervia claustri,
B Omnibus aggressum demonstrans atque regres-
[sum
Quam sub Pirminii sacravit honore beati,
Qui pastor primo me rexit amore paterno.
Inde morans operi nil, junxit mœnia claustri,
Hic ubi circuitus fuerat non rite peractus,
Hac Januarii supera de parte beati
Culminis æcclesiæ, quem tum perfecerat ipse,
Atque gradus saxo fecit post ista polito,
Scanditur æcclesiæ per quos ad limina portæ.
Picta manet muro necnon Genitricis imago,
In gremio Christum gestantis, pignus amorum,
Quam graduum fratres proni super alta jacentes,
Orando tangunt, ac sancta per oscula lambunt.
At latus ad dextrum signat pictura beatum
C Evangelistam Marcum, faciemque decoram
Fert Januarius levo sub margine pictus,
Orat quos ambos devotio nostra patronos;
Pingi quos ideo voluit domnus Witigowo,
Ut defensores defendant undique tales
Nos ex insidiis his adversantibus hostis.
Jusserat et totum pictores pingere claustrum;
Sunt illæ tabulæ quæ per laquearia pictæ,
Signantes patrum facti monimenta priorum;
Vivere quod bellis, quæ conversatio pacis
Illis tunc fuerat, totum pictura figurat
Introitum claustri, quem verbis ante notavi,
Sub forma patrum jussit variare meorum,
Quos mihi prelatos fecit prelatio dignos,
In quocumque loco soliti sunt cernere primo
D Qui veniunt templum Domino sit quale para-
[tum:
« Tu (10) quoque vilescis tanti privata decoris,
Un non una tibi domus est, quæ possit haberi
Apta ministerio Christi, popularis et ordo.
Nec teneat spatium, sub quo glomeretur in unum.
Juxta quod possum, nunc est mihi velle beni-
[gnum:
Structuræ veteri, modo pars quæ tota sacelli
Constat, adæquatos forma conjungere muros

VARIÆ LECTIONES.

[16] i. e. prædocte. [17] confesio *c.* [18] *numerus anni exeuntis ab auctore in margine scriptus est*

NOTÆ.

(9) Scil. Witigowo.

(10) Witigowo Augiam alloquitur.

Æqualis spatii junctura circiter omni;
Fiat obumbratum pariter tectumque per unum
Illud opus nostrum, superest et quod modo [præscum,
Et sic æclesiæ firmemus culmina magnæ. »
Gaudia tunc animo fateor me promere leto,
Ejus quod dulci verbo me contigit uti;
Mecum nam raro verbum permusitat ullum.—
« Gratia, domne, tibi! tum flexo poplite dixi,
Miro qui cultu rerum varioque paratu
Me decus esse facis diversis partibus orbis.
Omnia quæ placeant, tibi quod sapientia pandat,
Fac, rogo, fac gaudens, ex ipsis nulla relin- [quens. » —
Plurima quid refero nimium jam tarda loquen- [do?
Omnia quæ dixit, tribus annis ipse peregit,
Æquali forma faciens compage venusta
Tale Deo templum, quo non spatiosius ullum.
Omni structura diverso stemmate fulta,
Ut domnus voluit, festinans ipse paravit
Huic arcus camyros (11) et subdidit undique [sculptos
Gipso, sub variis et verno flore figuris.
Fecerat hos sectas et sustentare columnas
Pulchræ de saxis distinctis atque politis.
Tunc opus omne quidem cum perduxisset ad [unguem,
Lætitia grandi templum sollemne dicari
Fecerat in sanctæ devotus honore Mariæ,
Virgineique chori, pro nobis in prece proni,
Et sub apostolicis Petri Paulique coronis.
Largitor studii talis tibi, Christe [19], volenti
Jura potestatis sex taliter indidit annis. (VI.)
Mox ut septeni devenit circulus anni (991),
Altius arrectam sursum construxerat aulam,
Sancte, dicata tibi, Michahel [20] archangele [Christi,
Quæ micat Otmaro pulchræ pariterque beato.
Quam per utrumque latus firmaverat ille beni- [gnus
Cum turri gemina, tereti sub imagine facta,
Fornicibus curvis per circuitumque reductis,
Ad quas ascensum monstrat gradus esse supi- [num.
Has inter, pretii mercatus pondere magni,
Cymbala signorum suspendit dulce [21] sonantum.
Ante domus sanctæ limen post ista Mariæ
Excoluit pulchrum, parvi licet æquoris, hortum.
Quem cingens muris ac arcubus undique curvis,
Fecit terrestrem paradysum luce micantem,
Qua longe splendet templi decus atque relucet,
Huc adventanti nova dans spectacula plebi.

A Hujus in æclesiæ medio, quam fecit et ipse,
In gradibus positam sublimem sustulit aram,
Fronte sub adversa quæ respicit ostia contra,
Ut mos est, tabulam cui tunc prefecerat unam
Fulgentem solidis auri de mole talentis.
Per cujus medium speculum patet ecce serenum,
Quod pariter viridis vitrei manet atque coloris,
In quo quisque suum valet apte cernere vultum.
Si quis in æclesiam graditur vel pervius ipsam
Coram se pronus, naturæ poscit ut usus,
Ecce retro positum rutilat spectabile totum.
Talibus in studiis me sic senioris amantis
Hoc pergrande decus se clausit septimus an- [nus. (VII.)
Auctor tantorum tibi sit laus, Christe [22], bonorum!
B Ut sol octavi metam tunc volverat anni (992),
Hoc paradisyaco coram fundaverat horto
Æclesiam sancti prepulcram Bartholomei,
Atque salutiferum juxta sacraria templum
Fecit, Herasme [23], tibi, simul et tibi, martyr Heracli [24].
Hoc statuit causam domnus Witigowo per istam.
Ædibus in sacris prefulgens ut locus omnis
Esset confugium, spes, tuta salusque precan- [tum,
Illorum sordes ut Christus diluat omnes,
Sanctorum meritis intervenientibus ipsis,
Nomen per quorum micat unumquodque sæcel- [lum.
C Sic ex octavo florens virtutibus anno (VIII)
Ascendit nonum (993), quem cepit ducere to- [tum,
Ornans aureolis altaria singula gemmis.
Ante, Maria, tuam, virgo prænobilis, aram
Una sub ascensu graduum miranda paratu,
Gemmis ac auro vestita nitescit ab illo.
Fecit et argenti plectro tabulata parari,
Cum quibus est laterum precingens undique [textum,
Aræ quem lecti speciæ [25] circumtulit ipsi,
Voceque de nostra Confessio dicitur alma.
Hidria post ipsam Domini stans comminus aram,
Qua fieri vinum fluxum præcepit aquosum,
Orantum votis et adhuc fert dona salutis.
D Hinc iterum Marco gaudens altare beato
Et simul in sanctæ Crucis unum fecit honore,
Pulchræ quæ cocto vestivit funditus auro
Et pinxit variæ [26] per gemmas atque monile.
POETA [27].
Hujus de cura cum sis de stercore fulta,
Dic pocius, vitæ sibi sint ut tempora longæ.
Talibus in votis appellans jura Tonantis.

VARIÆ LECTIONES.

[19]—ô—xpe *c.* = o Christe. [20] *addit.* ò *c.* [21] *in loco raso.* [22] ò *supra* xpe—*legitur :* o Christe. [23] ò *supra scripto.* [24] *ita c. i. e.* specie, specie. [25] *i. e.* varie. [26] *vox decst*

NOTÆ.

(11) Id est, camuros, curvatos.

Nam tibi cum patrem retinere licentia talem
Constat, reginæ semper dominaris in arce ;
At, quod non fiat ! si te pius ille relinquat,
Turpis semper eris, velut est ancillula vilis.

AUGIA.

Cum quis tristatur, qui captus mente tenetur,
Per consolantem sibi quærit habetque quie-
[tem ;
Sic ego, crede mihi, tua per solamina, fili,
Tristibus abjectis extollo gaudia mentis ;
Nam promissa tui firmat sententia veri.
Dum me norma regit senioris qui modo vivit,
Florent interea, stant firmiter et mea jura ;
Post hæc, ni fallor, capitis cum culmine pri-
[vor
Tanti, continuo vulgaris fabula fio,
Errans sicut ovis tergo prolapsa regentis.
Mecum propterea tua, fili [37], fundere vota
Da studium Christo, ne nos fortuna sinistro
Cum pede prosternat, nobis et gaudia demat
Tanti pastoris, pleni cælestis amoris !
Sancta Dei mater, Virgo, da vota frequenter
Nato, pro nobis, pro vita nosque regentis !
Ac omnes sancti, quorum sub honore dicari
Templa Dei fecit, quæ circumquaque paravit,
Ejus apud Dominum memores sine fine per
[evum,
Jura potestatis vernantia flore quietis
Adquirant illi, pro consolamine Christi ;
Et post depositam mortalis corporis umbram
Fiat eis socius cœlesti sede locatus !
Hoc velit ipse Deus, qui constat trinus et
[unus,
Ut Witigowo pater valeat jubeatque potenter,
Ac ipsius, Amen, vivat per secula nomen !
Carminis [38] hic finem dat clausula, fertque quie-
[*tem*
Curæ scribentis, quia labilis est labor omnis,
Præmia sed semper stabunt sine fine potenter [39].
† Post, ut in undecimum venit feliciter annum,
Commissas animas æquo moderamine frenans,
Martyris æcclesiæ Christi sub honore dicatæ,
Est qui Pelagius, canit ut scriptura, vocatus,
Ædes inclusas ac arto limite septas,
Quas structura prius non congrua sustulit
[intus,
Lumine quam nemo sapientum viderat æquo,
Dicens, hanc studiis fultam minus esse peritis,
Nunc sic informem pater instauraverat idem,
Æquans pulvereæ glomeratum pondus harenæ
Fecit honorificum spacioso margine templum.
Haud procul hinc domus est, regali stemmate
[fulgens,
Rebus et arte sua satis augustissima facta,

A Ipsius augusti quoniam construxit honori.
Est nec multorum series revoluta dierum,
Hic quod cum primis, quod nutrit Suevia du[c]is
[(996),
Ad Latium regem primus perduxerat orbem.
Illius hunc juri frenans terrore minaci,
Romulidas arces audenter et inde petentes
Milite cum multo, quem secum contulit illo,
Accumulans acies latæ fuit imperiales.
Dicebant Itali subita formidine læsi :
Tantæ virtutis quem vos hunc esse putatis ?
Isti sceptrigero non contradicere nemo
Debet, qui tantas hominum veit [40], *ecce, to-*
[*lumnas !*
B Hoc ut dixerunt, alii responsa dederunt :
Quam docet atque regit, nobis hunc Augia misit ;
Suevorum primas erit hic simul aureus abbas,
Utilitas nostri manet hoc, famulemur ut illi.
Romani proceres tunc se sua cunctaque dan-
[tes,
Regi cæsaream mox imposuere coronam ;
Cæsar et augustus post hac est ille vocatus.
His ita transactis remeavit pastor herilis
Ad gremium sponsæ, recreans sua membra
[quiete (IX)
Quis vel quantus erit, pietas sua rite pro-
[babit ;
Quam si scire velis nunc auribus ebibe cordis.
Vivit enim caste, gemino succensus amore,
Ac evangelico munitus corde sigillo.
C Serpentem nivea fovet absque timore columba,
Omnis et invidiæ fugit illum pallor ubique.
Jurgia semper odit, tranquilla silentia poscit ;
Sed velut exemplis res est bene cognita multis,
Gloria justorum, furor est ac ira malorum !
Hunc ita temptari patitur permissio Christi
Rebus in adversis, minima sed parte nocivis.
Nam cum per damnum tulerit quid mente mo-
[lestum,
Armatur telis quæ dat patientia fortis,
Invocat atque Deum, redimit qui protinus
[illum.
Sæpius hunc tanto vidi fluitare periclo,
Ut manus hostilis caneret cum voce jocantis :
D *Qui sapias gaude ! miser est jam perditus ille,*
Hostibus et lætis, fit luctus amarus amicis !
Interea Domino clamans de pectore prompto,
Omnia sustinuit, secum patienter et egit.
Post modicum Dominus venit, fit et iste re-
[demptus ;
Gloria venit ei, mox erubuere superbi.
Hic est de numero pacientum damna beato,
Cum Domino quorum sunt regna beata po-
[lorum.

VARIÆ LECTIONES.

[37] o *supra scripto.* [38] *Versus hi tres rubro colore scripti sunt.* [39] *Hinc alia manu sed ejusdem ævi per-*
gitur. [40] i. *e.* vehit.

CIRCA EUMDEM ANNUM.

GOZPERTUS

ABBAS TEGERNSEENSIS.

GOZPERTI EPISTOLÆ.

(Apud R. P. Bernardum Pezium, *Thesaurus Anecdot.*, tom. V, parte I, p. 121, ex coævo codice Tegernseensi.)

MONITUM.

Plenæ bonæ frugis sunt epistolæ Gozperti, exeunte fere sæculo x abbatis Tegernseensis, quarum quarta, quinta et sexta inscriptæ sunt *Meginhelmo, famosissimo comiti, summæ nobilitatis prosapia progenito*, cui familiam Tegernseensem, *in Oriente* gravi fame laborantem, his verbis commendat : « Petimus ut nobis aperiatis manum solitæ largitionis vestræ, et jubeatis nobis dari aliquantulum frumenti ob eleemosynam vestri in victum eorum in regione orientali, qua vos dominamini, ne fame penitus eos et inedia consummari vel mori videamus. » Quo loco *Orientem* et *regionem orientalem* esse *Austriam*, in qua hodieque quædam prædia juris Tegernseensis sunt, clarissime constat ex iis quæ de veteri Austriæ nomenclatione diffusius disputat reverendus Frater in *Dissertationibus prævis ad tomum I Scriptorum rerum Austriacarum*. Et tamen de hoc *famosissimo* comite, qui olim in Austria *dominabatur*, altum, quod ego quidem sciam, in vetustis nostris annalibus silentium.

EPISTOLA PRIMA.

AD RAMUOLDUM ABBATEM S. EMMERAMMI.

Se Ratisbonæ in festo S. Emmerammi futurum nuntiat, petitque sibi exscribendum transmitti librum plenariæ collationis.

Abbati R., monachicæ religionis speculo perspicacissimo, G. famulamini debiti discipulatus toto mentis affectu subjectus.

Ardenti desiderio præsentiam paternitatis vestræ sitimus : marcescentes artus, quos præ lassitudine senii laborumque ægre ferimus, penes vos aliquantulum animare cupimus; lepidissimo fratrum colloquio paululum recreari desideramus, quia nos tam longo temporis spatio a vobis disjunctum fore suspiriosum pectus sæpiuscule dolendo prodere non cessat. Proximo ducis nostri colloquio speramus nos præsentari conspectui vestro; quod si fuerit interdictum aliquo eventu præpediente, vel aliqua re annullatum, vestro tamen precamine fultus festo S. E. patroni nostri interesse non dubitamus. *Librum plenariæ collationis*, quem dudum petiveramus, quia in nostra non habetur bibliotheca, humo tenus geniculantes repetimus ut nobis præstari præcipiatis. Quam celerrime videlicet possumus, conscribi facimus, vobisque aut ipsi reportare, aut per nuntium remittere statuto tempore non tardamus. Valete.

EPISTOLA II.

AD ARNOLDUM COMITEM.

Illi pro impensis favoribus gratias cumulate agit, doloremque suum ob Adelheidis imperatricis obitum declarat, ac quæ pro ejus animæ requie a suis monachis persoluta sint perscribit.

Abbas G., monachici cultus solo nomine provisor constitutus, comiti A., stemmate generoso, nec minus dignitate nobilitato, felicitatem summæ salutis in Domino.

Nullo digno sermonum tractatu possumus grates conscribere beneficentissimæ celsitudini vestræ pro multiplici clementia quam nobis indignis nostrisque domesticis indefesse jugiter impertitis. Et quia nihil tale ullo unquam promeruimus servitio, Deo supplicamus ut vobis mercedem recompenset dono centuplicato; in primis ego, qui abbatis fungor vocabulo, devotaque cohors nostrorum commonasterialium usque modo memoriam vestri habuimus sedulis orationibus. Deinceps autem firmissime statuimus nomen vestrum in nostro monasterio die noctuque precaminibus memorialiter perpetuare.

Lugubre nuntium de obitu amicissimæ dominæ nostræ Adalheidæ nimium nos et... nostra, ut decuit in casu talis personæ, perturbavit, pro qua ex tunc usque nunc consuetudinarias complevimus precaminum celebrationes, et in semper annuali revolutione temporis vigilias missasque cum oblationibus sciamus facere. Diem Kal. jubete conscribi membrana, nobisque transmitti per præsentem peligerum. Valete.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

Maximas gratias agit pro fenestris templo Tegernseensi affabre comparatis, et pueros quos discendi causa hactenus in monasterio enutrivit, erudi.ionis specimina daturos remittit.

Dignissimo comiti A., gloria multimodarum virtutum ubique diffamato, abbas G. fratrumque sibi subjectorum conventus, sedulitatem precaminum et salutem in Domino.

Fidelissimæ devotionis exercitia, quæ tam longi temporis nobis ac nostris a vobis infatigabiliter diversitate laborum magnitudineque ministeriorum sunt impertita, cunctorum remunerator Deus sancti testis sui Quirini precibus, mercedibus centies centuplicatis remunerari dignetur coram cœtibus cœlestibus. Merito pro vobis Deo supplicamus, qui locum nostrum talibus operibus honorum sublimastis, qualibus nec priscorum temporibus comperti sumus, nec nos visuros esse sperabamus. Ecclesiæ nostræ fenestræ veteribus pannis usque nunc fuerunt clausæ. Vestris felicibus temporibus auricomus sol primum infulsit basilicæ nostræ pavimenta per discoloria picturarum vitra; cunctorumque inspicientium corda pertentant multiplicia gaudia, qui inter se mirantur insoliti operis varietates. Quocirca quousque locus iste cernitur tali decoratus ornatu, vestrum nomen die noctuque celebrationibus orationum ascribitur. Et ut omnium proximorum vestrorum memoria deinceps hic agatur, facite conscribi nomina quorumcunque vultis in membrana, nobisque transmitti per præsentem nuntium. Vestræ deliberationi dimittimus illos pueros probandos, si illud opus adhuc ita sint edocti uti vobis est honorificum nobisque necessarium; vel, si aliquid eis deesse inveniam, liceat eos remittere vobis causa melioralionis. Valete.

EPISTOLA IV.

AD MEGINHELMUM COMITEM.

Rogat ut sibi nonnihil frumenti in victum eorum qui in Austria monasterio suo serviunt, elargiatur.

G., abbas monasterii S. Q., *ill.* comiti venerando salutem in Domino.

In maxima necessitate fideles amici merito quæruntur, et, ut scriptum est, sine dubio tunc comprobantur quando solatium adjutorii largiuntur. Quia consolationem vestram semper habuimus in omnibus rebus nostris, idcirco etiam nunc, quasi unico patri et proprio domino, pietati vestræ querimoniam facimus de familia nostra quam in *Oriente* habemus, quæ præ penuria grani præsenti anno subjacet gravi periculo famis, cui de parte nostra non possumus subvenire sicut debuimus, quia in isto anno Ceres non bene fructificavit nobis in locis nostris. Sed petimus ut nobis aperiatis manum solitæ largitionis vestræ, et jubeatis nobis dari aliquantulum frumenti ob eleemosynam vestri in victum eorum in *regione orientali*, qua vos dominamini, ne fame penitus eos et inedia consummari vel mori videamus. Valete.

EPISTOLA V.

AD EUNDEM.

Gratias agit pro husonibus, piscium genere, quantumque precum Deo pro ejus conjugis anima offerant Tegernseenses, exponit.

Famosissimo comiti MEGINHELMO, summæ nobilitatis prosapia progenito, G. abbas cum grege monachico sibi subjecto salutem in Domino.

Quod singulis annis petendo vos sollicitamus, compellit nos instans necessitas, et solita atque annualis largitio benignitatis vestræ, quia vix potuimus scire, quid essent pisces quos *husones* nominant, nisi eleemosyna vestri. Volumus etiam vos nosse quod nullo anno prætermittimus censum orationis quem vobis promisimus, exceptis his quas pro eleemosynas nobis facientibus communiter celebramus; specialiter pro vobis amicisque vestris qui adhuc vivunt vel jam in Christo obierunt, ac felicis memoriæ conjuge vestra XLIII missas et psalteria X decantamus. Quin etiam nomina vestra scripta sunt apud nos propter jugem memoriam. Valete.

EPISTOLA VI.

AD EUNDEM.

Petit sibi suisque, cum carnibus monachorum more abstineant, husones mitti.

Domno M. boni nominis gloria ubique diffamato, GOZPERTUS abbas cum suis confratribus salutem in Domino.

Nullius servitii munus præ manibus habentes, accedimus ad vos magnas res postulantes, sed tamen audacter, qui confidentiam resumimus de conscientia totius bonitatis in vos. In *regione Australi*, sicut scitis, habitantes, more monachorum, ut decet, a carnibus abstinentes, captura piscium raro pascimur, quia piscosas aquas minime habemus. Sed si Deus anno præsenti fecundavit capturam husonam, nobiscum petimus ut jubeatis largiendo communicari, ut memoriam vestri deinceps coram Deo in orationibus nostris habeamus. Valete.

EPISTOLA VII.

AD GEBHARDUM EPISCOPUM AUGUSTANUM.

Ejus religionem ac pietatem laudat, spondetque se ad eumdem, cum per anni tempus licuerit, accessurum.

Domno pontifici G., sanctorum antecessorum meritis apostolica sede digne sublimato, G., servorum Dei ultimus, humilisque monachica congregatio sibi commissa, famulaminum precumque sedulitatem in Christo.

Virtutibus vestræ laudabilis famæ, quas pius rumor matris Ecclesiæ ubique diffundit, congratulamur, quosque sæpissime comperti sumus, frequentiori narratione venerandi antistitis nostri G. (*Goteschalchi ep. Frising.*), qui vos multum amat in Christo, cum priscorum prædecessorum vestri episcoporum gratia seu familiaritate admodum pleniter ob eleemosynam sui functi sumus, qui nos dilexerunt pro amore Dei sanctique Quirini, patroni nostri, eo ardentius etiam gratiam vestri præ cæteris habere spiritus desiderio sitimus, quo vos nomen religiositatemque *Benedictinæ vitæ* positum in apostolica dignitate præ aliis exornare moribus habituque sentimus. Quia gremio Augustensis ecclesiæ nutriti sumus a puero, sanctum locum sæpe sæpius visitare debemus, proximaque æstate, quando gramina sufficere possunt iteratoribus, vestris orationibus intus vos videre cupimus, vestraque animari præsentia, ut spiritus desiderat per singula momenta. Quocirca petimus, pontifex venerande, deinceps me-

mentote nostri : quando nos vestri obliviscimur, nec nostri recordamur. Valete.

EPISTOLA VIII.

AD BRUNONEM.

Ut decimas in vico Tatinhusa ecclesiæ Tontinhusanæ reddi jubeat.

Brunoni, domno beneficentissimo, abbas, vester servitor devotus.

Quidam viculus hæreditatis vestræ, Tatinhusa nuncupatus, duarum bobarum colonia possessus, memoria et ætate cunctorum qui adhuc supersunt, semper decimatus fuerat ad ecclesiam nostram, Tontinhusa nominatam. Et causamur pietati vestræ vestituram nobis injuste abstractam, petimusque ut, judicum vestri moderamine omnia justa libenter ponderante, nobis præcipiatis eamdem decimationem concedi, donec in concilio archipresbyteri et apud legum conditores dijudicetur quod justissimum sit; postea nolumus nec possumus contradicere, quidquid exinde facere præcipitis. Valete.

EPISTOLA IX.

AD OTTONEM COMITEM.

Commendat ei servum quemdam, rogatque ut duo ipsi palliola reddantur.

Ottoni comiti venerando Gozpertus abbas cum fratribus sibi commissis devotum servitium ac precum sedulitatem.

Diu noctuque vestræ pietati nimium confidentes, istum servum nostrum, omni solatio destitutum, commendamus vobis, post Deum unicissimum consolatorem de sibi nunc instanti tribulatione. Videlicet duo palliola, quæ remanserant in vestra potestate, sibi reddi præcipiatis pro amore Dei et S. Quirini eleemosynamque vestri. Si illum dignamini consolari, nos utique scitote multum exinde gratulari. Valete.

EPISTOLA X.

AD H. COMITISSAM.

Petit pecuniam pro quorumdam consanguineorum suorum redemptione.

Domnæ comitissæ H., bona opinione ubique diffamatæ, vester servitor devotus sedulæ orationis constantiam.

Instantis necessitatis meæ causam conqueror pietati vestræ, quia eos, ut audimus, benigne consolamini qui in angustia sunt. Quidam consanguinitate mihi juncti, qui fuerunt liberi, venundati ab iniquis hominibus, duro premuntur servitio. Sed domnus noster, dux Heinricus, ob eleemosynam sui præcepit ut liberi redeant, si ei et pretium reddamus. Ad hoc petimus ut nobis aliquod auxilium faciatis pro Dei amore, semper memor quod ereptores oppressorum sibi mereantur præmia æterna. Valete.

EPISTOLA XI.

AD OTPERTUM ABBATEM.

Ut quamdam inter utriusque servos commutationem fieri permittat.

Abbas Gozbertus cum fratribus dilecto domno et confratri Otperto salutem in Domino.

Rogamus vos per amorem amicitiæ quam inter nos habemus pro mercatione quam famulus noster et famulus vester inter se fecerunt, ut commutationem fieri ejusdem mercationis præcipiatis, et hoc perficiatur salva fide inter utrosquei ita tamen, si vultis et præcipitis, ut famulus noster cum juramento contestetur ne res famuli vestri pejorata sit in potestate sua de suo aliquo delicto.

EPISTOLA XII.

AD EIHSTATENSIS ECCLESIÆ FRATRES.

Ut diem obitus fratris sui ad se perscribant.

G., Tegernseensis monasterii abbas, quamvis indignus, fratribus Eihstatensis Ecclesiæ amandis tanquam uterinis Christianæ germanitatis.

Quamvis corporali localitate a vobis simus disjuncti, coagulatione tamen specialis commemorationis jugiter vestræ dilectioni sumus compaginati. Lugubre nuntium turbabat nos corde tenus, quia fratrem nostrum jam ad Deum migrasse audivimus, qui, dum vixit, dimidium animæ meæ fuit, cujus obitus diem Kalendario conscribi nobisque transmitti rogamus. Hoc unum viventi fratri nostro dare decrevimus, sed eum in Christo lætari speramus. Petimus ut pro memoria felicis animæ vobis ministrari jubeatis. Valete.

EPISTOLA XIII.

AD DOMNUM H.

Ut tertiam partem Historiæ Tripartitæ sibi utendam et exscribendam concedat.

Abbas G., quamvis indignus, domno H. salutem in Christo.

Recordamini, petimus, fidei charitatisque quam uterque vestrum alteri promiserat; et, ne ullo modo inter nos frigescat, si nobis aliquid vestri servitii præcipitis, devotus implere studebo. Tripartitæ Historiæ duas partes conscriptas habemus; tertia pars ideo deest, quia exemplar alias acquirere non possumus, nisi ob gratiam vestri nobis mittere dignemini.

EPISTOLA XIV.

AD R. COMITEM.

Immam ancillam cum filiis suis sibi lege deberi probat, ac reddi postulat.

Domno R., comitatus honore valde digno, Gozpertus abbas cum fratribus sibi subjectis salutem in Domino.

In omni potestate vestri præsidatus sapienter vos agere, et cuncta secundum legem decernere, semper audivimus. Ideo dolemus quod famula nostra Imma cum filiis suis nobis est a vestra potestate injuste rapta. Scimus enim, si legem patrum suorum haberet, quod filii ejus vestri servi essent. Illa autem perdidit legem patrum, quia in nostra potestate stuprata est et peperit filium antequam legitimum maritum acciperet; cujus rei testes sunt omnes qui illam cognoscunt, qui eumdem infantem viderunt. Idcirco petimus ut nobis eamdem servam cum filiis reddi præcipiatis, ne et vobis peccatum sit, si moram in reddendo facitis, et nobis necesse non sit,

cum negatione, contra sensum sit domno nostri duci de hac requerimoniam facere.

EPISTOLA XV.

AD P. COGNATUM SUUM.

Ut in egregio Tegernseensem familiam juvandi animo persistat, et quosdam famulos civitate pulsos, tueatur

G., in omnibus vester devotus servitor, P. amicissimo consanguineo domnoque charissimo sedulam orationem devotumque famulamen.

Deus, qui nullum bene operantem indonatum relinquet, restituat vobis remunerationis donum quod pro nobis constanter, devote fideliterque laborastis in eo quod ad vestrum solatium confugimus (12) justitiam Dei nostri monasterii exquirendam. Petimus vero ut pro amore Dei sanctique Quirini adhuc persistatis fido adjutorio, ut cœpistis, et usque ad fidelem finem, ut vobis confidimus, perducatis. Quidquid nos vel nuntii nostri vobis dare pro hoc negotio promisimus, quando vel ubi vultis, sine mora præsentamus, ita tamen si vestro juvamine nobis curtlia restituantur. Istos famulos nostros mittimus pietati vestræ, quos isti urbani de civitate expulerant propter despoliatos homines, quod bene nostis, quia illi de hac re aliquid non præsumpserant prius quam vestram et domni Taginini licentiam habebant. Quocirca rogamus ne eos extra potestatem vestram dimittatis, donec illos pacifice et sine timore in civitate manere faciatis. Valete.

(12) Videtur deesse aliquid.

EPISTOLA XVI.

AD EUMDEM

Conqueritur ob sui neglectum et oblivionem, rogatque ut aliquid cupri, stanni et plumbi ad fundendam campanam, et nonnihil thymiamatis ad cultum Dei et S. Quirini mittat.

Abbas G. cæterique fratres P. quidquid patres dilecto fratri filioque charissimo.

Plures anni computantur quod nativum solum dereliquistis, et regiones adistis ignotas, in quibus, ut libenter audivimus, etiam satis abunde ditatus estis. Sed miramur et dolemus quod nostri penitus ita oblitus estis, ut nec per nuntios, hinc inde sæpius cursitantes, ullum salutaminis verbum unquam nobis demandastis; cum menti nostræ, ut puerulus eratis, corde tenus semper amore sitis coagulatus. Ob recordationem non obliviscendæ priorisque amicitiæ rogamus nobis transmitti aliquantum cupri, stanni, sive etiam plumbi. Volumus enim, si Deus præibit, grandem fundere campanam ad honorem Dei et S. Quirini. His enim omnibus exhaustæ sunt nostræ patriæ civitates, nec ullo pretio aliquid istiusmodi possumus comparare. Ad thurificandum etiam domui Dei altarique S. Quirini petimus nobis aliquantulum thuris vel alicujus generis thymiamata transmitti. Si aliquid nobis per præsentes nuntios remandatis quod ad servitium vestrum facere possumus, omni devotionis studio libenter implebimus. Valete.

GOZPERTI EPISTOLÆ ALIÆ.

(Apud Mabill., *Analect.* nov. edit. pag. 434.)

EPISTOLA PRIMA.

AD UTONEM NEPOTEM SUUM.

Abbas Gozpertus, humilis Dei famulus, Utoni dilecto nepoti salutem in Deo.

Petimus vos per amorem Dei et sancti Quirini martyris sui, ut nobis decimam reddere præcipiatis quam debent hospites sancti Quirini in servitium habere, et pauperes in victum qui quotidie veniunt ad ejus monasterium. Timendum enim valde est, cum eleemosynam Ecclesiæ Dei pauperibus Christi injuste tollitis, ut tollatur vobis a Deo quod licenter et sine peccati periculo habere potestis; quod vos Deus vitare concedat. Valete.

EPISTOLA II.

AD COMITEM ADALP.

Nobilissimo comiti Adalp. Gozpertus abbas cum monachis sibi commissis, pignus superni salutaminis in Christo.

Quanquam in ultimis regionibus saxosis silvosisque locis habitemus, celebris fama pietatis vestræ, quam in nos nostramque familiolam exercuistis, sæpe sæpius relatu plurimorum ad nos usque pervenit. Qui nullo alio servitio possumus aut sufficimus, nomen vestrum in libro vitæ apud nos conscriptum habemus et quotidie supplicamus a Deo vobis remunerandum, pro cujus amore talia nobis nostrisque facitis. In talibus, ut prædiximus, locis degentes, piscationis magnam penuriam patimur. Quocirca petimus, si in manu vestra anno præsenti piscatura est prosperata, nobiscum solita clementia partiri præcipiatis. Valete.

EPISTOLA III.

AD ARNOLDUM NEPOTEM SUUM.

Gozpertus abbas nominatus, quamvis indignus, seniori Arnoldo, neptique nostræ conjugi vestræ Adalhaidæ salutem in Deo summo.

Necessitate maxima compulsi, amicorum nostrorum fida flagitamus auxilia, quia præsenti anno minime sufficiunt nobis victuum alimonia fructuum fertilitate, agrorum sterilitate suffocata. In omnibus rebus speramus vos nobis esse compatientes visceribus pietatis. Idcirco petimus ut in instanti periculo nobis subveniatis, et si aliquid grani dari præcipitis in nostrum victum vel familiæ nostræ, pro pretioso dono auri vel argenti honorifice accipimus. Valete.

APPENDIX AD EPISTOLAS GOZPERTI.

TEGERNSEENSIUM EPISTOLÆ.

(Apud Bernardum Pezium, *Thesaur. Anecd.* V, I, 130.)

EPISTOLA PRIMA.

AD GOZPERTUM ABBATEM SUUM.

De ducis animo quædam ablata restituere volentis, et de decimatione cuidam inclusæ olim donata.

Seniori nostro domno abbati G. fratres sibi subjecti, quidquid dilecto Patri.

Frater noster Nonnus Eigino, de itinere quo directus erat monasterium regressus, retulit nobis de domno nostro duce quod sponderat se libenter velle restituere quæ monasterio nostro abstracta sunt in Oriente, jussitque fratrem Meginh. inibi exspectare, ut se commonefaciat de his quæcunque sint illic requirenda, et hoc quando nunc proxime domnus noster dux illuc revertetur. Nam frater Meginh. adhuc illic exspectat, et in maturitate vindemiæ coactus et spe regressionis domni ducis. Remandate, precor, mihi servo vestro Froumund, si domnæ inclusæ ad Niunpure decimationem dedistis, quam antea ab abbate nostro habuit. Timeo namque ut penitus hinc pereat, quia nunquam [ad] investituram nostram venerat, sed semper per beneficia hinc inde vagabatur.

EPISTOLA II.

AD HENRICUM BOJARIÆ DUCEM.

De ejusdem Gozperti obitu novique abbatis electione, quam ut liberam sibi concedat, obnixe rogant.

Seniori nostro duci H. congregatio monasterii S. Quirini, paupercula eleemosynatrix vestra, instantiam orationis pro sospitate vestra diu noctuque.

Beatus Pater noster Gozpertus XII Kal. Febr. somno pacis requievit in Domino, pro quo miseri nequaquam possumus consolari, nisi vos, sicut unicissimus post Deum nobis estis domnus, ita etiam visceribus piæ paternitatis nostri misereri dignemini. Primum pedibus vestris solo tenus prostrati humili precatu supplicamus ne locum monasteriumque S. Quirini ullius alius unquam potestati concedatis nisi vestræ, ne vestris temporibus [res] quas pater vester cæterique parentes vestri ob eleemosynam sui huic monasterio concesserunt, subtrahi vel distribui ab aliquibus videntes, nos posterique nostri semper deinceps hæc damna doleamus.

Cum de infirmitate abbatis nostri causati sumus coram vobis, quod de electione nobis promisistis, quasi Dei ore prolatum adhuc firmum tenemus, iterumque petimus pro amore Dei et S. Quirini, ne extra petitionem nostram aliquem nobis abbatem constituatis. Quando denique felici regressione patriam venitis, coram vobis congregati, jussu vestro et licentia illum eligemus, quem regularis religionis putamus servatorem, vestrique servitii, quantum sufficit, nullo modo immemorem.

CIRCA EUMDEM ANNUM

THIETPALDUS

TEGERNSEENSIS MONACHUS.

THIETPALDI EPISTOLA AD S. ADELBERTUM

PRUSSIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUM.

Se, Aristotelica philosophia contempta, rebus sacris studere nuntiat, optatque ut ei omnia ex animi sententia eveniant

(Bernardus Pezius, *Thes. Anecd. nov.*, V, I, 131.)

Divini fluoris rore madenti, sanctæ Prussiensis ecclesiæ cathedræ præsidenti ADALBERTO, unicæ sibi dilectionis episcopo, THIETTALDUS, spiritu pauperum etsi extimus, aspersionem sanguinis Christi, et quidquid illud est quod egregius prædicator cum Christo in Deo absconditum esse testatur.

Novi, præsul verende, nihil sanctitatem vestram philosophicæ compilationis a mei pauxillitate exigere; sed si qua in re sunt, simplici potius veritate cudere velle, minime recordans quia stultam fecit Deus sapientiam mundi hujus, postquam exsiccavit fluvios Ethan. Præ dulcitudine enim decem chordarum Davidis, intromittentisque Dei, quantum ex me, suis, pene oblitus sum totidem Categoriarum Aristotelis. Quocirca elegi abjecta quasi et mediocria, cui ad unguem labra non maduere Pegaseo fonte, Domino meo præsentare, magis quam in quibus tantum inhonestius caderem, scrupulosius insudare. Si fatuus dicor remordens circuitum, gratias ago : et id quidem merito, dummodo refocillatum me fatear furfure Platonis, et te Patrem cognoscam satiatum super ferculum Salomonis. Quid plura? In primis vos valere et in omnibus prospere agere, meum pro certo sciatis gaudere : quia, ut decet in Domino, ex vestræ commoditatis, vel, quod absit! ineptiæ, utcunque se habeat, cumulo meum commodum vel infortunium specto. De voluntaria vero servitutis meæ in vos qualitate quid opus est verbis, cum ultra omnem vestræ subjectionis clericum vel clientem juxta majorem rerum mearum facultatem me in omni loco [non] possitis habere promptiorem simul et devotiorem ?

ANNO DOMINI MIV.

SANCTUS ABBO

ABBAS FLORIACENSIS.

VITA SANCTI ABBONIS

AUCTORE AIMOINO MONACHO.

(Apud. Mabill., *Acta sanctorum ord. S. Benedicti*, tom, VIII. pag. 30-58.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Non facile est æstimare uter felicior fuerit, Aimoinus, quod magistrum ac præceptorem habuerit Abbonem, an Abbo seu Abo ipse, quod Aimoinum Floriacensem monachum, suumque discipulum, vitæ suæ scriptorem sortitus sit. Aimoini quippe de Abbone lucubratio ejusmodi est ut nobis Abbonem ipsum referat ejusque dotes ac recte facta agregie repræsentet. Hæc a Joanne de Bosco Cœlestino primum typis edita est ex ms. codice Floriacensi, ad quem denuo libros editos contulimus, restituendis quibusdam locis, quæ apud Boscium ex difficultate scripturæ non parum detritæ aut vitiosa erant, aut vacua.

2. Præter Aimoinum, varii auctores Abbonem laudibus extulerunt, sive viventem, ut Fulbertus post episcopus Carnutensis, sive mortuum, ut Willelmus Malmesburiensis monachus, Ordericus Vitalis, auctores de Gestis sancti Oswaldi episcopi Wigorniensis, superius relati, ac plurimi recentiores. Willelmus et Ordericus maxime deprædicant Abbonis missionem in Angliam, quæ sane missio illustris fuit, cum ob restitutam monasticam disciplinam, tum ob studia litterarum in Anglicanis monasteriis denuo excitata. Willelmus in lib. III De pontificibus Anglorum, ubi de Oswaldo: « Præterea, inquit, literis excellentes viros, in Angliam evocatos, munificenter curare, ne illo bono fraudaret patriam sine quo cætera bona pene mihi videntur inania. Quorum unus fuit Abbo, Floriacensis monachus, qui multam scientiæ frugem Angliæ invexit, qui passionem Edmundi martyris, jubente Dunstano archiepiscopo, plenitudini litterarum adjecit. Is, domum reversus postea et ibidem abbas constitutus, severitati religionis sedulus exstitit. Quem morem cum in cella quadam cœnobii Floriacensis, quæ in Wasconia posita hodieque ad Regulam dicitur, exercere contenderet; non tulit Wasconia, sed lancea exanimatum superis transmisere. » Hæc de studiis Willelmus : at de monastica disciplina ita scripsit Ordericus Vitalis in lib. IV, pag. 517: « Horum precibus, » nempe Dunstani, Adelwoldi, et Oswaldi, « Floriacensis Abbo, sapiens ac religiosus cœnobita, missus est trans mare, et monasticum usum docuit Ramesiæ et aliis monasteriis Angliæ, sicuti tenebatur in Gallia eodem tempore. » Sic Gallia, quæ studiorum doctrinam ab Anglis, Alcuino, aliisque quondam acceperat, primo quidem per Grimbaldum et Johannem monachos in Gallicanis cœnobiis institutos, deinde hac secunda vice per Abbonem eamdem scientiæ lucem in Angliam refudit, tertio id

præstitura per Lanfrancum, Anselmum, aliosque, omnes ordinis sancti Benedicti commilitones.

3. Neque vero Gallia tanti luminis, quod Abbo tum doctrina, tum pietate circumquaque spargebat, potiorem sibi partem non vindicavit. Non solum enim Floriacense, sed alia etiam circumposita monasteria ab eo illustrata sunt. Unde Fulbertus epistolam 21 inscribit *pleno virtutis et gratia circumfuso charissimo Patri Abboni*; atque ejus opem implorat ad componendas factiones quæ in Carnutensi sancti Petri cœnobio ortæ erant de electione abbatis; tum in fine hæc habet: « Unde jam ad te revertens, venerande Pater, quem ego credo et video ad nitorem a Domino nobis esse provisum, cum domino meo tuoque fideli Rodulfo, deprecor et obtestor per ea quæ tibi data sunt sapientiæ sanctæ charismata, per dulcedinem fraternæ charitatis, si quid potes, impugna hostes Domini, fratres allisos refove, nec patire sinas inopia solatii tui, pro quibus credis e se fusum sanguinem Christi. » Eam ob rem Odolricus abbas Sancti Martialis Lemovicensis, in concilio Lemovicensi de sancti Martialis apostolatu, ait se apud monasterium « sancti Benedicti per plures annos artibus imbutum liberalibus » fuisse, tum scisci quid de sancto Martiale dixerit « pater illius loci Abbo florentissimus philosophus, quem multi vestrum, inquit, noverunt, et omni divina et sæculari auctoritate Franciæ magister famosissimus, et postmodum gladio persecutoris martyrio coronatus apud Wasconiam. » Sed nihil magis ad ejus elogium facit quam sermo cujusdam in eadem synodo Lemovicensi habitus in dedicatione sancti Petri. Hunc vero sermonem vir magnæ eruditionis Stephanus Baluzius, qui mihi ejus fragmentum ex ms. codice Colbertino communicavit, Ademari Engolismensis esse suspicatur. Sic autem habet fragmentum istud:

« Perlongum est tot patrum rata testimonia de ejus (*id est sancti Martialis*)... ad medium deducere. Unum tamen ex priscis auctoribus super hoc memorasse satis sit; illum certe nominatissimum patrem, cui in pastorali regimine ille totius scientiæ vir gravisque auctoritatis successit archiepiscopus Bituricensis, orthodoxæ fidei defensorem, catholicæ pietatis cultorem, bene nostis, et si non visu, sed auditu. Jam enim longe ante nos præcessit, martyrio coronatus, sanguine fuso ab impiis passus; ad cujus sepulcrum jam clarere audivimus miracula, verorum testimonio comprobata: cujus martyrium etiam in pluribus Ecclesiis more sanctorum martyrum solemniter celebratur. In quo martyre tantum domicilium sapientiæ sibi collocaverat, ut, sui temporis eruditi quanquam innumeri florerent, præ omnibus tamen auctoritas ejus maxime duceretur, ita ut in tota Gallia et Germania atque Anglorum gente (nam illic quoque famosissimus habebatur) de quacunque ventilaretur quæstione, si quis audisse se diceret ab illo definitionem, nihil plus auctoritatis requireretur; judicabatur ab omnibus ratum esse quod ab ore tanti viri auditum esset: qui auctoritate quasi alter Salomon præcellebat. Et si esset habitatu vel natu Francus, eloquio tamen Romano clarus, ac si alter judicabatur Tullius. In conciliis patrum coram regibus et principibus solus proposita discernebat, solus omnium magister paucis verbis dubitationi finem dabat. Omnes, licet peritorum peritissimi, ex ore ejus pendebant, eo præsente digitum ori superponebant. Ita magnus sapientia, præterquam quod septem columnis liberalium artium fulcitus erat, plenus auctoritatis et gratiæ, omni Ecclesiæ ornamentum erat. Conventus episcoporum decorabat, omnia sua dicta auctoritate divinarum Scripturarum approbabat; et quidquid ex ore ejus procedebat, quasi quodam modo non humanum, sed divinum sonabat. Hic in suo quodam tractatu Martialis veritatem tacere non potuit, dicens: « Summus pater iste Martialis in cœna omnino sat mystica Christo conviva fuit, cœlestis panis sumens reliquias; cumque discipulorum collegia postea surgens tersit, lætus ipse præbuit linteamina. Neque unquam refugit sacra contubernia, absque Thoma piorum ex timida caterva unus. Quin imo cum Christus peteret cœlestia, benedici meruit inter astantium agmina. Nec choros laudantium sprevit, sed cum eisdem sancti Spiritus tunc suscepit charismata et linguas multifidas: quibus subnixus, tandem Petro comite pervenit Antiochiam, ac dehinc urbem Romæ. Qua derelicta, pertransivit ad Galliam, cujus clara et nobilis est provincia Aquitania pars magna, ubi perveniens, totius provinciæ fit apostolus per cuncta sæcula. »

Nihil illustrius hoc elogio ad commendationem Abbonis afferri potest. Sed jam tandem ad singularia ejus facta veniamus, postquam cœnobii Floriacensis statum, qualis decimo sæculo erat, et abbatum ejus loci seriem exposuerimus.

4. Post sanctum Odonem abbatem, quem Floriaci collapsam disciplinam restituisse superius vidimus in ipsius actis, Floriacum rexit ab anno 942 Archembaldus seu Ercamboldus, qui Oswaldum ex Anglia isthuc profectum monastica veste induit, ex sancti Oswaldi Vita. Goslinus Tulli Leucorum episcopus Floriacum venit, et regulam cum accurato vivendi genere accepit ab hoc abbate: qui etiam sancto Cadroæ monasticum habitum dedit; itemque « regulam monasticam in monasterio sancti Remigii apud Remos restituit, constituens ibi abbatem Hincmarum ejusdem loci monachum, » teste Frodoardo in Historiæ Remensis lib. IV, cap. 32. Idem præstitit in Carnutensi sancti Petri cœnobio Wlfaldus ejus successor, duodecim monachis cum Alveo abbate eo missis, laudatus in lib. II De Vita sancti Odonis, cap. 2. Sub his duobus vixit Drogo monachus, postea eremita pietate insignis, teste Aimoino in lib. I De miraculis sancti Benedicti, cap. 4. Wlfaldo in sedem Carnutensem assumpto successit Richardus ab anno 962, cujus tempore, id est anno 974, Floriacense monasterium incendio conflagravit, ex Aimoino, ab eo intra triennium instauratum. Richardi tempore Ada-

lelmus miles beato Benedicto *insignem crucem argenteam, vultu nostri Salvatoris insculptam*, concessit cum quodam prædio pagi Senonici, nomine Villari, pro remedio *animæ senioris sui incliti Francorum ducis Hugonis, pro genitore suo Rotberto et genitrice sua Berta, atque Burchardo consobrino*, aliisque propinquis suis et amicis. Litteris subscribunt post Adalelmum et Burchardum *Hugo dux Francorum, Odo comes, Albericus, Emmo, Droco, Anselinus, Gualterius, Erveus, Gualterius et alter Walterius, Hugo, Corbo, Gausbertus, Rotrocus, Adela comitissa, Milo comes filius ejus. Actum Parisii in nobilium conventu publico*, VI *Idus Septemb. anno* 21 *gloriosi regis Lotharii, indict.* III, id est anno Christi 975. *Richardo Abbati* (Aimoini verba sunt) *Amalbertus successit, qui benignus natura, benignior etiam exstitit humilitatis sibi insitæ magnitudine.* Ab eo Aimoinus habitum religionis in tenera ætate se accepisse testatur: Amalbertum excepit Oilboldus, cujus tempore Arnulfus, eo nomine secundus Aurelianorum episcopus, Floriacenses, ob subjectionem quam ab eis exigebat, plurimum vexavit, ut mox exponemus. Denique Oilboldus anno 988 successorem habuit Abbonem, quem præ manibus habemus. De eo ita Aimoinus in lib. II De miraculis sancti Benedicti, cap. 1: « Igitur Oilboldo abbate in Christo quiescente, Abbo Deo et hominibus vir amabilis, a fratribus, Hugone annuente rege, electus, in gradum successit monastici regiminis. Qui præcedente hunc quo hæc scribimus anno, qui fuit ab incarnatione Domini millesimus quartus, in Vasconiæ partibus a perfidis illius nationis hominibus, nobis præsentibus, innocenter occisus, martyrii sanguine laureatus, ad regna est æterna a Christo vocatus. In cujus diebus res mirabiles per præeminentissimum patrem nostrum Benedictum ab omnipotente Domino patratas... digerimus stylo. » Post Abbonem vero Floriacensibus præfectus est Gauzlinus, nobilissimi Francorum principis filius manzer, ut loquitur Ademarus in Chronico pag. 172, id est *spurius*, « a puero in sancti Benedicti cœnobio enutritus, » quem repugnantibus ob natales monachis abbatem, et postea Biturjcensibus item reclamantibus archiepiscopum Rotbertus rex imposuit. De eo intelligendum est initium superioris sermonis de Abbone. Gauzlini successores abbates enumerat Tortarius monachus in libro De miraculis sancti Benedicti.

5. Duplicem Abbonis Romam profectionem commemorat Aimoinus in libri sequentis cap. 11 : unam ad Joannem papam XV, alteram ad Gregorium V. Joannem Simoniacæ labis notat Aimoinus. Verum Baronius, in addendis ad annum 992 post tomum XII, non in Joannem pontificem, sed in Crescentium ipsi papæ dominantem in Urbe tyrannum id criminis convertendum esse contendit. Quidquid sit, Abbo ipse in epistola ad L. abbatem Fuldensem, de prima sua profectione Aimoino attestatur. Quis sit iste L. Fuldensis abbas, nondum addiscere potui, cum nullus ab L. littera incipiens per id temporis apud Broxe rum reperiatur. Scripta autem est epistola anno 996, ut v. c. Stephanus Baluzius, qui eam in Miscellaneorum tomo I publici juris fecit, recte adnotavit, nempe ipso anno quo Gregorius Joanni, Bonifacio pseudopapa exstincto, suffectus est. Sic autem incipit:

« Facundiæ prærogativa cum vitæ merito et sapientiæ doctrina mirabiliter intonanti domno L. sancti Bonifacii charissimorum charissimo abbati, Floriacensis cœnobii humilis abbas ABBO, Spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum, replere illius ipsius scientiam et intellectum. Charitas, quæ est vinculum perfectionis, dum nos ambos Remis positos conglutinaret labiis privatæ collocutionis, tot oratorios rivos, tantos sanctæ Scripturæ favos bono zelo fulminea lingua vestra eructavit coram et secreto, ut exclamans compellar dicere: *Diffusa est gratia in labiis tuis*, etc. Inter familiaria verborum nostrorum arcana distillavit auribus nostris unum quoddam eloquium vestra magnificentia, quod non minus adimplere, si Deus voluerit, satago, quam vitam perpetuam mercari ex voto. Pretiosarum reliquiarum sancti Patris Benedicti insignia postulastis vobis dirigi, eo quod indubitatum penitus esset sanctissimam ipsius corporis præsentiam a nobis retineri; ideoque velle enixius in honore illius oratorium construi, itemque nobis de sancto Bonifacio, aut de sacris artubus cæterorum sanctorum nobis eadem recompensari. Adjecit insuper vestra incomparabilis bonitas quod, si nos urgeret super re domestica aliqua voluntas corroborare nostra privilegia per Romanæ auctoritatis stylum apostolicum, vos in omnibus et per omnia nostri fore fidelissimum collaboratorem. Hæc autem omnia perficere voti erat, quando magnifica principis apostolorum membra supplex adii; sed Romanam Ecclesiam *digno viduatam pastore*, heu proh dolor! offendi. Vestra autem absentia, profiteor, ita affectus sum sicut solet affici fetus gallinæ conquerens raucis vocibus abstractum esse unicum matris suæ præsidium. Nuper autem audivi nuntium, quod me lætificavit super aurum et topazium: erectum esse apostolicum decus per quemdam imperialis sanguinis virum, totum virtutibus et sapientia compositum. Vester vero reditus intonuit menti nostræ, velut paradisiacæ reversionis ineffabilis concentus. Nunc igitur, sicut locuti sumus ad invicem, et hæc epistola vestris aspectibus se præsentat, per hos sancti patris nostri Benedicti monachos audire placeat, et audita perficere, velut promisistis, cum summa fide et devotione. Ipse autem idem spiritus, qui inspiravit omnis eloquentiæ florem Gregorium, inspiret hujus suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerabilem apostolicum, vobisque concedat ut sitis eidem ipsi dulcissimus a secretis, ad consolidandam dejectionem apostolicæ auctoritatis. Valete. »

6. Tria in his litteris observanda veniunt: Primum est, reliquias sancti Benedicti petitas fuisse a Floriaco, ubi corpus ejus residere etiam Germanis

tunc persuasum erat. Alterum est primum Abbonis iter Romam, cujus sedem *digno pastore viduatam* fuisse conqueritur. Tertium electio Gregorii papæ V ex stirpe imperiali, de quo ita Chronicon Saxonicum ms. ad annum 996: « Joannes papa interim obiit. Unde rex Otto, in Italia jam positus, rumore incitatus, præmissis quibusdam principibus, publico consensu et electione fecit ordinari apostolicum, suum nepotem Brunonem, Ottonis filium, qui marcam Veronensem servabat, imposito nomine Gregorii. »

7. Ad hunc itaque Gregorium a Rotberto rege missus est Abbo. « Præcipua vero, inquit Aimoinus infra in ejus Vita, « earum pro quibus directus est causarum hæc fuit: quia Arnulfus, Remorum archiepiscopus, absque justa audientia sede sua privatus custiodiæque fuerat mancipatus. Ob hoc Gregorius... toti regno Francorum anathema se invecturum comminatus est. » Interim dum Abbo publicam rem sedulo exsequitur, de privatis etiam monasterii sui commodis cogitans a pontifice privilegium impetravit, cujus summam Aimoinus refert.

8. Ex hac maxime legatione intelligitur quanta fuerit apud regem Abbonis auctoritas; quod etiam liquido patet ex libera increpatione Rotberto regi facta ob ejus copulam cum Bertha ejusdemmet consanguinea et affini. Hoc Abbonis factum comparat Helgaudus in Vita Rotberti cum facto Nathanis prophetæ, aitque, ut David ab isto correptus est, sic « istum æque per domnum et venerabilem Abbonem, Floriacensium a Deo præelectum abbatem, nunc, Christi favente gratia, miraculis coruscum, spreta mortis formidine dure increpatum privatim et publice. Cujus sancti viri increpatio tandiu perstitit donec rex mitissimus reatum suum agnosceret, et, quam male sibi copulaverat, mulierem prorsus derelinqueret, et peccati maculam grata Deo satisfatione diluret. » Eadem auctoritas intelligitur ex collectaneo canonum Hugoni et Rotberto regibus porrecto, « in quibus et vestri, inquit, ministerii summam expressi, et qualiter vobis fidem servare debeant optimates regni non tacui. » Collectaneum istud habes in tomo II Analectorum. Quanti Abbonem fecerit Hugo rex, manifestum facit diploma ab ipso concessum, ex cujus autographo illud eruimus, prout sequitur.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Hugo, gratia Dei, Francorum rex. Mos et consuetudo regum prædecessorum nostrorum semper exstitit ut ecclesias Dei sublimarent, et justis petitionibus servorum Dei clementer faverent, et oppressiones eorum benigne sublevarent, ut Deum propitium haberent, cujus amore id fecissent. Hujus rei gratia, auditis clamoribus venerabilis Abbonis, abbatis monasterii sanctæ Mariæ, sancti Petri et sancti Benedicti Floriacensis, et monachorum sub eo degentium, nostram præsentiam adeuntium, pro malis consuetudinibus et assiduis rapinis, quas Arnulfus de Castro Everæ nomine advocati et vicarii accipiebat, in potestate ipsorum vocabulo Everam, quod antea nullus unquam fecerat; misi filium meum Rotbertum regem ad ipsam, ut eam sub defensione et munitione nostra revocaret, ut nullus suorum, vel servus vel liber, in ea aliquid præsumeret tollere; quod et ipse haud seguiter exsecutus est. Interea orta contentione Odonis comitis adversus me, inter cæteros necessarios et fideles nostros, quos in apparatu nostro commovimus, etiam Arnulfum episcopum Aurelianensem in adjutorium nostrum præmonuimus. Qua de causa petiit ut prædicto Arnulfo nepoti suo redderemus consuetudines, sicut prius ipse, licet violenter, tenuerat. Quem offendere pro suo servitio nolens, evocans prædictum abbatem, rogavi ut xxx modios vini in vindemiis solveret de ipsa potestate ipsi Arnulfo, quandiu viveret episcopus avunculus ejus, pro salvamento nostro, ea ratione ut nullus suorum, servus vel liber, inibi amplius exquireret. Post mortem vero ejus nec ipse Arnulfus, nec aliquis successorum suorum, vel hoc ipsum, vel aliud aliquid in ipsa potestate requirere audeat, aut in ea ingredi aut tollere ulterius quidquam præsumat. Ob rei ergo firmitatem et notitiam, hoc immunitatis nostræ præceptum pro ipsa causa prædicto loco feci et manu propria subterfirmavi, et filio meo Rotberto regi firmare feci, et annuli mei impressione signavi, ut nulla unquam ulterius persona, episcopus, abbas, dux, comes, vicecomes, vicarius, telonearius, vel quilibet publicus exactor, pro aliqua re exigenda nostris et futuris temporibus in eam ingredi valeat, vel aliquid exigere præsumat; sed liceat abbati et congregationi prædicti loci, sub immunitatis nostræ defensionem, ipsam possessionem quieto ordine possidere: et sicut cæteræ res prædicti loci per præcepta antecessorum nostrorum regum Francorum munitæ et defensæ perseverant, ita et hæc præsenti auctoritate præcepti nostri communita et irrevocata permaneat pro animæ meæ et filii mei eleemosyna et stabilitate imperii nostri perpetua. Actum Parisius civitate publice, anno Dominicæ incarnationis 993, indictione VI, anno VII, regnante gloriosissimo rege Hugone et inclyto filio ejus Rotberto. *Signum gloriosissimi Hugonis regis. Signum Rotberti inclyti regis.* »

9. Is de quo agitur hoc loco Arnulfus episcopus Aurelianensis, ipse est qui cum Abbone nostro graves simultates habuit, et adversus eum stetit in causa Arnulfi, archiepiscopi Remensis, in synodo. Sed interest Aurelianensium per sæculum X episcoporum seriem hic repræsentare, quoniam in editis, etiam apud Sausseyum, minus accurata est. Eam repetemus, præcipue ex Letaldo Miciacensi monacho, in lib. De miraculis sancti Maximini abbatis, vulgato in sæculo I. Agius Aurelianis præfuit regnante Carolo Calvo, successorem sortitus Walterium. Post Walterium Trohannus, Berno, Anselmus, Theodoricus *quatuor annis*, Ermentheus, et Ernulfus *nepos ejus* pontificatum rexere. Hæc ex Letaldo. Ernulfus seu Arnulfus iste sedem iniit anno 963, ut

patet ex diplomate Hugonis ducis, cognomento Magni, ecclesiæ Aurelianensi abbatiam sancti Joannis suburbanam restituentis *anno Domini* 975, *indict.* III, episcopo Arnulfo, *anno sui præsulatus* XII. Diplomati subscribunt *Hugo dux et Rotbertus filius ejus, Gaufredus comes et Fulco filius ejus, Henricus comes, Wauterius comes, Walterius et Radulfus filius ejus, atque Burchardus comes cum Burchardo hujus rei amanuensi.* Ernulfo seu Arnulfo successit Manasses, qui synodo Senonensi anno 981 interfuit. Huic alterum Arnolfum Sausseyo aliisque ignoratum admittere necesse est, eum nempe de quo in superiori diplomate mentio facta est. De hoc secundo Arnulfo Aimoinus agit in fine libri I, De miraculis sancti Benedicti, refertque miraculum ipsius Arnulfi occasione factum, tempore Oilboldi abbatis qui regimen cœnobii Floriacensis Abboni morte resignavit, sub annum 988. Aimoini verba hæc sunt ex cap. 19 : « Arnulfus Aurelianorum episcopus, alias sane bonus et ecclesiasticas regulas scientia et opere optime servans, nunquam ad purum prælatos hujus Floriacensis loci dilexit, ideo quam maxime quod illi, ditioni solum modo parentes regiæ, subjectionem, qua ipse ultra modum delectabatur, nequaquam ei ad ipsius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas sancti Benedicti, in suburbano Aurelianensis urbis, in loco qui Boaria dicitur, sitas, ut sui eas pervaderent satellites assensum præbuit, » etc. Laudabilis hoc loco Aimoini modestia et æquitas, qui absque felle scripserit de Arnulfo episcopo, a quo sciret Abbonem indigna pertulisse, imo ab ejus satellitibus contumelias et injurias.

10. Sed quæ qualisve fuerit ista subjectio, quam Arnulfus a Floriacensibus exigebat, dispiciendum est. Duplicem monasteriorum adversus episcopos subjectionem ab episcopis exigi olim solitam invenio : unam, qua abbas recens ordinatus episcopo suo solemnem in rebus spiritalibus subjectionem profitebatur ; alteram, qua monasteria in rebus temporalibus non regiæ, sed episcopi diœcesani auctoritati et ditioni obnoxia erant. De hac duplici subjectione aptior visus est disserendi locus in præfatione ad hunc tomum, ubi hoc Abbonis cum Arnulfo negotium expendimus.

11. Sed aliud non minoris invidiæ negotium Abbonem sollicitavit, nempe controversia de decimis, agitata in synodo Dionysiana prope Parisios. Has episcopi non solum laicis, sed etiam monachis auferre volebant. Restitit pro monachis Abbo ; sed laici in episcopos impetu facto, vix ac ne vix quidem ab eorum percussione temperarunt. Ejus facti invidia refusa est in Abbonem per Arnulfum Aurelianensem ipsi infestum ; ub Abbo ipse Apologetico se purgare coactus fuerit apud reges Hugonem et Rotbertum, quorum principatu, id est ante annum 998, hæc synodus habita est, ut fuse describit Aimoinus in sequentis Vitæ cap. 9, ex quo uno istius synodi notitiam accepimus. Fallitur quisquis est auctor schediasmatis in tomo IX Conciliorum apud Labbeum, col. 771, ubi Abbo « monachos sancti Dionysii et cæteros familiares illorum contra episcopos concitasse » dicitur. Id enim factum constat a laicis præsentibus, quorum maxime intererat decimas sibi asserere. Hoc Abbonis Apologeticum cum aliis ejus epistolis typis regiis nuper editum est cura illustrissimi Claudii Peleterii, regni administri. Huc spectare videtur Gerberti (CHESNII, t. II, pag. 856) quædam epistola ad Arnulfum Aurelianensem episcopum, ubi monachos sancti Dionysii sacris interdictos dicit, forsan ob illas turbas.

12. Sed tandem ad Abbonis mortem veniendum est, quæ accidit, teste Aimoino, « anno millesimo quarto, indictione secunda, die mensis Novembris decimo tertio. Martyrizatum » dicit Aimoinus, qui a Regulæ oppidi incolis tumultuantibus cæsus est, non a monachis, ut quidam fabulantur ; martyrizatum, inquam, dicit pro more illorum temporum ; quibus temporibus si quis piam ac innocentem vitam ducens necaretur, pro martyre habebatur, ut alias non semel observavimus. Eodem modo loquuntur auctores Aimoini æquales et suppares : Glaber in lib. III, cap. 3 : « His ita gestis, contigit ut venerabilis Abbo, pater monasterii sancti Benedicti, Floriacensis cognominati, gratia propugnandæ religionis monasticæ in provinciam transiret meridianorum Wasconum. Cumque illuc deveniens in quodam moraretur cœnobio, ibique more solito ea quæ Dei sunt sedulo exerceret, nimio a cunctis venerabatur affectu. Accidit igitur die quadam, ut in atrio ejusdem cœnobii, exardescentibus quorumdam litigiosorum irarum stimulis, nimium acer oriretur tumultus ; dumque vir reverentissimus, prædictus videlicet Abbo, comperiens, ad eumdem tumultum sedandum pugillares gerens in manibus tabellas cum stylo processisset ; unus e vulgo, afflatus spiritu diabolico, irruens in eum, ejusque latus lancea perforans, Christi martyrem fecit, qui etiam, ut fertur, paulo post arreptus a dæmone, miserabiliter vitam finivit. Corpus vero prædicti patris, tam sui quam cæteri quique fideles ejusdem provinciæ honorifice ibi sepelierunt ; ubi etiam ad laudem sui nominis perplura postmodum Dominus largitus est hominibus beneficia. » Et in Chronico Andegavensi apud Labbeum, in tomo I Bibliothecæ, pag. 286 : « Anno 1004 dominus Abbo martyrizatus est in Aquitania, in monasterio ad Regulam, prope Cassinogilum palatium quondam regium, qui cyclos XIX scripsit : » Odolrico abbati in concilio Lemovicensi jam laudato, « martyrio coronatus » in Wasconia dicitur, nempe in pago Burdegalensi, qui tunc ad ducatum Wasconiæ pertinebat. Ademarus in Chronico : « Abbo veniens ad sanctum Petrum Regulatensis ecclesiæ, quæ est possessio sancti Benedicti Francorum cœnobii, ibi tumultu Vasconico occisus est, ibique sepultus miraculis claruisse cœpit. Virga ejus pastoralis remissa est Franciam. Bernardus Wasconiæ dux necem tanti viri de interfectoribus punivit, alios suspendio, alios flam-

mis gradens, et omnem illius possessionem Regulatensem, quæ ante in lite invadentium erat, sine lite debinc monachis Francis sancti Benedicti paravit vindicandam. » In Necrologio Silviniacensi notatur « Idib. Novemb. depositio domni Abboni abbatis. »

13. Exstat in tomo primo Miscellaneorum Baluzianorum encyclica epistola monachorum Floriacensium de cæde ejusdem Abbonis, quam epistolam huc transcribere non pigebit.

« Universis abbatibus Christique fidelibus, quoquo locorum habitantibus, Floriacensis conciola dejecta et patre viduata. Fletu pene absorptis, dolore contritis, manum porrigite spiritalis auxilii, patres sanctissimi, per affectum fraternæ charitatis. Pane mœroris potuque amaritudinis cibati, vestris orationibus mereamur recreari, quorum cythara lætitiæ versa est in luctum mœstitiæ, quorum organum luctuose sonat lamentum, et jocunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris usque ad animam, dum deploramus pro sanctæ religionis studio domnum et abbatem nostrum Abbonem excessisse a sæculo, coronatum martyrio, qui Wasconum gladiis felix promeruit feliciter beatorum martyrum socius fieri. Cujus animæ contagia vestra oratio abstergat, qui vestri amator, omniumque Christi servientium verus semper exstitit dilector. Nobis quoque, quos orphanos reliquit, fraternis succurrite votis et Deum omnipotentem placate orationum hostiis, ut dignetur sua gratia gregem decapitatum et pio patre orbatum consolari. Obiit Idibus Novembris, die natalis sancti Brici. »

14. Annum ejus mortis signat ex Sigeberto Baronius *tertium* post millesimum, cum libellum de Abbonis vita per Aimoinum nondum vidisset. Sed postea edito per Joannem a Bosco isto libello, in quo Incarnationis annus *quartus* et indictio secunda diserte exprimuntur, ita rem componere sibi visus est ut diceret annum ab Incarnatione numerasse Aimoinum et indictionem secundam a Septembri, cum Sigebertus annum a Nativitate, quæ novem mensibus Incarnatione posterior est, computasset. At pace tanti viri dixerim, Aimoino annos Incarnationis non alios esse quam vulgatos a Nativitate; corrigendumque calculum Sigeberti, imo ejus interpolatoris (nam apud Mirræum alio charactere expressa est, Abbonis cædes) qui annum tertium pro quarto posuit.

15. Mirum est quam cito Abbonis cultus receptus sit in rebus sacris, adeo ut tempore Lemovicensis concilii, id est anno 1031, ejus « martyrium etiam in pluribus ecclesiis more sanctorum martyrum solemniter celebrarctur, » ut constat ex sermone tunc habito, cujus fragmentum supra, num. 3, retulimus. Unde in Kalendario Floriacensi pervetusto hæc secunda manu scripta leguntur : « Id. Novemb., in Vasconia, apud monasterium quod dicitur Squirs, passio beati Abbonis abbatis Floriacensis; » et in alio : « Id. Abbonis abbatis et martyris IV lectionum. » Hactenus ejus officium agitur in cœnobio Floriacensi et in Regulensi, ubi ejus corpus asservatur.

16. Quod attinet ad Regulæ [*la Réole*] prioratum, auctorem habet Gumbaldum Burdegalensem episcopum et Willelmum Sancii ducem Wasconum ejus fratrem; quorum hac de re instrumentum typis editum est in tomo II Bibliothecæ novæ Labbeanæ, pag. 543. Situm dicitur « in partibus Vasconiæ, in pago Aliardensi, supra ripam Garonnæ fluminis, » nempe decem leucis supra Burdegalam. Datum est instrumentum « anno 977, indict. V, » in gratiam Richardi abbatis monasterii Floriacensis, cui iste locus jam inde addictus est » , antiquitus dictus Squirs, modernis temporibus Regula. » Huic chartæ apud Labbeum subjectæ sunt « consuetudines ecclesiæ de Regula, » quas inter statutum est ut « nemo cultellum, ensem, lanceam, spiculum, securim, besogium, neque gladium in contentione trahat. » Quod statutum videtur occasione cædis Abbonis qui lancea confossus in contentione est. Subsistit prioratus Regulæ, etiam nunc conventualis sub congregatione sancti Mauri.

17. Restat paucis agendum de Abbonis scriptis, quæ magnam partem exciderunt. Varia enumerat Aimoinus in sequenti libello, nempe de syllogismis, de computo, de solis, lunæ ac planetarum cursu, in cap. 3, collectaneum ex Patribus, quod tempore suo Floriaci reperiri non potuisse, utpote ab exteris subreptum, ait Aimoinus in cap. 7. Et hoc puto esse collectaneum canonum, quod ex codice ms. sancti Martialis apud Lemovicas a nobis editum est in tomo II Analectorum. Ad hæc Apologeticum scripsit Abbo ad Hugonem et Rotbertum, cujus operis fragmenta refert Aimoinus in cap. 8 et 9. Varias item ejus epistolas commemorat, nempe duas ad Bernardum abbatem Bellilocensem in cap. 10; unam ad Gregorium V in cap. 12, aliam ad Odilonem abbatem Cluniacensem, cap. 13, ubi, præter acrostychos versus ad Ottonem tertium imperatorem, memoratur ejusdem Abbonis opus De paschalibus cyclis, Floriacensibus suis nuncupatum, quod sane ipsum apud Bedam vulgatum est ante Dionysii cyclos cum præfatione, in qua mentionem facit « de transitu sanctissimi patris Benedicti, » quod Aimoinus ibidem notat. Aliæ duæ ejusdem argumenti epistolæ ab ipsomet Abbone scriptæ exstant in tomo III Analectorum. His adjungenda est ejusdem epistola ad L. abbatem Fuldensem, a clarissimo Baluzio impressa in tomo II Miscellaneorum, cujus epistolæ fragmentum relatum est supra, num. 5. Papyrius Massonus codicem viderat Abbonis epistolas continentem, qui codex is ipse est ex quo nonnullæ Abbonis epistolæ cum ejus Apologetico nuper, uti jam observavimus, editæ sunt. Jam tandem Aimoini de Abbone libellum videamus, cujus hic titulus est in codice ms:

patet ex diplomate Hugonis ducis, cognomento Magni, ecclesiæ Aurelianensi abbatiam sancti Joannis suburbanam restituentis *anno Domini* 975, *indict.* III, episcopo Arnulfo, *anno sui præsulatus* XII. Diplomati subscribunt *Hugo dux et Rotbertus filius ejus, Gaufredus comes et Fulco filius ejus, Henricus comes, Wauterius comes, Walterius et Radulfus filius ejus, atque Burchardus comes cum Burchardo hujus rei amanuensi.* Arnulfo seu Arnulfo successit Manasses, qui synodo Senonensi anno 981 interfuit. Huic alterum Arnolfum Sausseyo aliisque ignoratum admittere necesse est, eum nempe de quo in superiori diplomate mentio facta est. De hoc secundo Arnulfo Aimoinus agit in fine libri I, De miraculis sancti Benedicti, refertque miraculum ipsius Arnulfi occasione factum, tempore Oilboldi abbatis qui regimen cœnobii Floriacensis Abboni morte resignavit, sub annum 988. Aimoini verba hæc sunt ex cap. 19 : « Arnulfus Aurelianorum episcopus, alias sane bonus et ecclesiasticas regulas scientia et opere optime servans, nunquam ad purum prælatos hujus Floriacensis loci dilexit, ideo quam maxime quod illi, ditioni solum modo parentes regiæ, subjectionem, qua ipse ultra modum delectabatur, nequaquam ei ad ipsius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas sancti Benedicti, in suburbano Aurelianensis urbis, in loco qui Boaria dicitur, sitas, ut sui eas pervaderent satellites assensum præbuit, » etc. Laudabilis hoc loco Aimoini modestia et æquitas, qui absque felle scripserit de Arnulfo episcopo, a quo sciret Abbonem indigna pertulisse, imo ab ejus satellitibus contumelias et injurias.

10. Sed quæ qualisve fuerit ista subjectio, quam Arnulfus a Floriacensibus exigebat, dispiciendum est. Duplicem monasteriorum adversus episcopos subjectionem ab episcopis exigi olim solitam invenio : unam, qua abbas recens ordinatus episcopo suo solemnem in rebus spiritalibus subjectionem profitebatur ; alteram, qua monasteria in rebus temporalibus non regiæ, sed episcopi diœcesani auctoritati et ditioni obnoxia erant. De hac duplici subjectione aptior visus est disserendi locus in præfatione ad hunc tomum, ubi hoc Abbonis cum Arnulfo negotium expendimus.

11. Sed aliud non minoris invidiæ negotium Abbonem sollicitavit, nempe controversia de decimis, agitata in synodo Dionysiana prope Parisios. Has episcopi non solum laicis, sed etiam monachis auferre volebant. Restitit pro monachis Abbo ; sed laici in episcopos impetu facto, vix ac ne vix quidem ab eorum percussione temperarunt. Ejus facti invidia refusa est in Abbonem per Arnulfum Aurelianensem ipsi infestum ; ub Abbo ipse Apologetico se purgare coactus fuerit apud reges Hugonem et Rotbertum, quorum principatu, id est ante annum 998, hæc synodus habita est, ut fuse describit Aimoinus in sequentis Vitæ cap. 9, ex quo uno istius synodi notitiam accepimus. Fallitur quisquis est auctor schediasmatis in tomo IX Conciliorum apud Labbeum, col. 771, ubi Abbo « monachos sancti Dionysii et cæteros familiares illorum contra episcopos concitasse » dicitur. Id enim factum constat a laicis præsentibus, quorum maxime intererat decimas sibi asserere. Hoc Abbonis Apologeticum cum aliis ejus epistolis typis regiis nuper editum est cura illustrissimi Claudii Peleterii, regni administri. Huc spectare videtur Gerberti (CHESNII, t. II, pag. 836) quædam epistola ad Arnulfum Aurelianensem episcopum, ubi monachos sancti Dionysii sacris interdictos dicit, forsan ob illas turbas.

12. Sed tandem ad Abbonis mortem veniendum est, quæ accidit, teste Aimoino, « anno millesimo quarto, indictione secunda, die mensis Novembris decimo tertio. Martyrizatum » dicit Aimoinus, qui a Regulæ oppidi incolis tumultuantibus cæsus est, non a monachis, ut quidam fabulantur ; martyrizatum, inquam, dicit pro more illorum temporum ; quibus temporibus si quis piam ac innocentem vitam ducens necaretur, pro martyre habebatur, ut alias non semel observavimus. Eodem modo loquuntur auctores Aimoini æquales et suppares : Glaber in lib. III, cap. 3 : « Iis ita gestis, contigit ut venerabilis Abbo, pater monasterii sancti Benedicti, Floriacensis cognominati, gratia propugnandæ religionis monasticæ in provinciam transiret meridianorum Wasconum. Cumque illuc devenieus in quodam moraretur cœnobio, ibique more solito ea quæ Dei sunt sedulo exerceret, nimio a cunctis venerabatur affectu. Accidit igitur die quadam, ut in atrio ejusdem cœnobii, exardescentibus quorumdam litigiosorum irarum stimulis, nimium acer oriretur tumultus ; dumque vir reverentissimus, prædictus videlicet Abbo, comperiens, ad eumdem tumultum sedandum pugillares gerens in manibus tabellas cum stylo processisset ; unus e vulgo, afflatus spiritu diabolico, irruens in eum, ejusque latus lancea perforans, Christi martyrem fecit, qui etiam, ut fertur, paulo post arreptus a dæmone, miserabiliter vitam finivit. Corpus vero prædicti patris, tam sui quam cæteri quique fideles ejusdem provinciæ honorifice ibi sepelierunt ; ubi etiam ad laudem sui nominis perplura postmodum Dominus largitus est hominibus beneficia. » Et in Chronico Andegavensi apud Labbeum, in tomo I Bibliothecæ, pag. 286 : « Anno 1004 domnus Abbo martyrizatus est in Aquitania, in monasterio ad Regulam, prope Cassinogilum palatium quondam regium, qui cyclos XIX scripsit : » Odolrico abbati in concilio Lemovicensi jam laudato, « martyrio coronatus » in Wasconia dicitur, nempe in pago Burdegalensi, qui tunc ad ducatum Wasconiæ pertinebat. Ademarus in Chronico : « Abbo veniens ad sanctum Petrum Regulatensis ecclesiæ, quæ est possessio sancti Benedicti Francorum cœnobii, ibi tumultu Vasconico occisus est, ibique sepultus miraculis clarescere cœpit. Virga ejus pastoralis remissa est Franciam. Bernardus Wasconiæ dux necem tanti viri de interfectoribus punivit, alios suspendio, alios flam-

mis iradens, et omnem illius possessionem Regulatensem, quæ ante in lite invadentium erat, sine lite dehinc monachis Francis sancti Benedicti paravit vindicandam. » In Necrologio Silviniacensi notatur « Idib. Novemb. depositio domni Abboni abbatis. »

13. Exstat in tomo primo Miscellaneorum Baluzianorum encyclica epistola monachorum Floriacensium de cæde ejusdem Abbonis, quam epistolam huc transcribere non pigebit.

« Universis abbatibus Christique fidelibus, quoquo locorum habitantibus, Floriacensis conciola dejecta et patre viduata. Fletu pene absorptis, dolore contritis, manum porrigite spiritalis auxilii, patres sanctissimi, per affectum fraternæ charitatis. Pane mœroris potuque amaritudinis cibati, vestris orationibus mereamur recreari, quorum cythara lætitiæ versa est in luctum mœstitiæ, quorum organum luctuose sonat lamentum, et jocunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris usque ad animam, dum deploramus pro sanctæ religionis studio, domnum et abbatem nostrum Abbonem excessisse a sæculo, coronatum martyrio, qui Wasconum gladiis felix promernit feliciter beatorum martyrum socius fieri. Cujus animæ contagia vestra oratio abstergat, qui vestri amator, omniumque Christi servientium verus semper exstitit dilector. Nobis quoque, quos orphanos reliquit, fraternis succurrite votis et Deum omnipotentem placate orationum hostiis, ut dignetur sua gratia gregem decapitatum et pio patre orbatum consolari. Obiit Idibus Novembris, die natalis sancti Brici. »

14. Annum ejus mortis signat ex Sigeberto Baronius *tertium* post millesimum, cum libellum de Abbonis vita per Aimoinum nondum vidisset. Sed postea edito per Joannem a Bosco isto libello, in quo Incarnationis annus *quartus* et indictio secunda diserte exprimuntur, ita rem componere sibi visus est ut diceret annum ab Incarnatione numerasse Aimoinum et indictionem secundam a Septembri, cum Sigebertus annum a Nativitate, quæ novem mensibus Incarnatione posterior est, computasset. At pace tanti viri dixerim, Aimoino annos Incarnationis non alios esse quam vulgatos a Nativitate; corrigendumque calculum Sigeberti, imo ejus interpolatoris (nam apud Miræum alio charactere expressa est, Abbonis cædes) qui annum tertium pro quarto posuit.

15. Mirum est quam cito Abbonis cultus receptus sit in rebus sacris, adeo ut tempore Lemovicensis concilii, id est anno 1031, ejus « martyrium etiam in pluribus ecclesiis more sanctorum martyrum solemniter celebraretur, » ut constat ex sermone tunc habito, cujus fragmentum supra, num. 3, retulimus. Unde in Kalendario Floriacensi pervetusto hæc secunda manu scripta leguntur : « II. Novemb., in Vasconia, apud monasterium quod dicitur Squirs, passio beati Abbonis abbatis Floriacensis; » et in alio : « Id. Abbonis abbatis et martyris IV lectionum. » Hactenus ejus officium agitur in cœnobio Floriacensi et in Regulensi, ubi ejus corpus asservatur.

16. Quod attinet ad Regulæ [*la Réole*] prioratum, auctorem habet Gumbaldum Burdegalensem episcopum et Willelmum Sancii ducem Wasconum ejus fratrem; quorum hac de re instrumentum typis editum est in tomo II Bibliothecæ novæ Labbeanæ, pag. 543. Situm dicitur « in partibus Vasconiæ, in pago Aliardensi, supra ripam Garonnæ fluminis, » nempe decem leucis supra Burdegalam. Datum est instrumentum « anno 977, indict. V, » in gratiam Richardi abbatis monasterii Floriacensis, cui iste locus jam inde addictus est, « antiquitus dictus Squirs, modernis temporibus Regula. » Huic chartæ apud Labbeum subjectæ sunt « consuetudines ecclesiæ de Regula, » quas inter statutum est ut « nemo cultellum, ensem, lanceam, spiculum, securim, besogium, neque gladium in contentione trahat. » Quod statutum videtur occasione cædis Abbonis qui lancea confossus in contentione est. Subsistit prioratus Regulæ, etiam nunc conventualis sub congregatione sancti Mauri.

17. Restat paucis agendum de Abbonis scriptis, quæ magnam partem exciderunt. Varia enumerat Aimoinus in sequenti libello, nempe de syllogismis, de computo, de solis, lunæ ac planetarum cursu, in cap. 3, collectaneum ex Patribus, quod tempore suo Floriaci reperiri non potuisse, utpote ab exteris subreptum, ait Aimoinus in cap. 7. Et hoc puto esse collectaneum canonum, quod ex codice ms. sancti Martialis apud Lemovicas a nobis editum est in tomo II Analectorum. Ad hæc Apologeticum scripsit Abbo ad Hugonem et Rotbertum, cujus operis fragmenta refert Aimoinus in cap. 8 et 9. Varias item ejus epistolas commemorat, nempe duas ad Bernardum abbatem Bellilocensem in cap. 10; unam ad Gregorium V in cap. 12, aliam ad Odilonem abbatem Cluniacensem, cap. 13, ubi, præter acrostychos versus ad Ottonem tertium imperatorem, memoratur ejusdem Abbonis opus De paschalibus cyclis, Floriacensibus suis nuncupatum, quod sane ipsum apud Bedam vulgatum est ante Dionysii cyclos cum præfatione, in qua mentionem facit « de transitu sanctissimi patris Benedicti, » quod Aimoinus ibidem notat. Aliæ duæ ejusdem argumenti epistolæ ab ipsomet Abbone scriptæ exstant in tomo III Analectorum. His adjungenda est ejusdem epistola ad L. abbatem Fuldensem, a clarissimo Baluzio impressa in tomo II Miscellaneorum, cujus epistolæ fragmentum relatum est supra, num. 5. Papyrius Massonus codicem viderat Abbonis epistolas continentem, qui codex is ipse est ex quo nonnullæ Abbonis epistolæ cum ejus Apologetico nuper, uti jam observavimus, editæ sunt. Jam tandem Aimoini de Abbone libellum videamus, cujus hic titulus est in codice ms:

INCIPIT

EPISTOLA AIMOINI FLORIACENSIS MONACHI

AD HERVEUM S. MARTINI THESAURARIUM

De vita et martyrio sancti Abbonis abbatis Floriaci cœnobii.

Reverentissimæ vitæ viro domno HERVEO (1) clerico, sancti pontificis Martini thesaurario, AIMOINUS monachorum beati patris Benedicti, sensu minimus, indeficientem æternæ vitæ thesaurum.

Quia superni gratia Redemptoris tuam, amantissime domne, sibi vitam pudicam elegit ac placabilem; nos omnes, quibus tua benignitas cordi est, gaudio gaudemus non modico. Reminiscimur enim jucundam tuæ pueritiæ indolem, quam lenis sodalibus, quam grata majoribus, ac (quod magis est) quam placita Deo fuerit ac sanctis omnibus. Tua quoque sanctitas memorem se fore ostendit bonorum quæ in hoc sacro Floriacensi cœnobio vidit, sive audivit, exemplorum. Dumque, quibus modis altioris vitæ vias incedat, quotidie comminiscitur, præceptorum ac assiduæ admonitionis nutritoris sui sancti patris nostri Abbonis haud segniter recordatur. Cujus erga tuam dapsilitatem sedulæ dilectionis A curam superfluum videtur replicare, cum constet id tuam benevolam haud unquam oblivisci mentem. Unde, manu sanctæ pulsatus charitatis, quia vel ab ipso es dilectus, vel ipsum tua probatur dilexisse devotio, una dierum meam admonere dignatus es parvitatem uti vitam ejus, seu quo ordine ad martyrium pervenerit, litteris mandare ad multorum studerem utilitatem. Verum ego, intelligens hoc opus multorum displicere animis, tamen tuæ dilectioni, quæ mihi a puero semper dulcis fuit, parere gliscens, inerti licet sermone, imperata studui perficere. Et floccipendens linguas derogantium, ad orationis tuæ, quam Deo beneplacitam novi, confugio auxilium, ut, tuo interventu, ejus misericordia pro hoc opere mihi conferat gaudia æterna, præ- B stante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre, etc.

INCIPIT PRÆFATIO VITÆ VEL MARTYRII SANCTI ABBONIS ABBATIS.

Antiquæ gentilitati id quondam fuit studii ut eorum quos unice dilexissent facta, etiam inhonesta, memorialibus mandarent litteris, et pro illorum bene gestis laudes suis referrent diis. Nobis vero, qui per Christi gratiam eorum evasimus errorem, idem quidem studium, sed dissimili intentione, est habendum; ut scilicet sanctorum vitas Patrum, ac martyrum victorias nostris pandamus scriptis post nos venturis sæculis. Verum hæc ipsa ad laudem nostri referamus Creatoris, per quem vel bene vivere, vel coronam potuerunt martyrii percipere. Quapropter unius dilecti domini, sancti videlicet patris nostri Abbonis, vitam, seu quo ordine pervenerit ad martyrium, rusticano licet sermone aggrediamur scribere. Nec oportet quemquam dubitare eum vere martyrem fore, [fuisse], quem constat pro veritate, quæ Christus est, mortem pertulisse; qui, etsi non revocabat homines a cultu idolorum, laborabat tamen liberare (quod majus est) a servitute vitiorum; quibus assidue dediti sunt, non Deo, sed dæmonibus servire probantur. Quod vero non diu pœnis tortus est, nulla gloriæ ejus vel laudi damna infert, cum constet quosdam martyrum, sola nominis Christi confessione, etiam absque baptismi perceptione, proprio per solam capitalem sententiam perfusos sanguine, regna cœlestia meruisse. Sin autem quispiam idcirco ei crediderit derogandum quod in vita sua vix ullum mirabile fecerit signum, legat Vitas excellentissimorum doctorum Augustini et Hieronymi, et in eis non prodigia temporalium signorum, quæ faciunt plerumque mali, sed vitæ puritatem, doctrinæ salubris eloquentiam, et fidei inveniet laudari constantiam; licet hic ter beatus in vita sua non caruerit C miraculorum gloria. His ergo contra obloquentes, si forte assurrexerint, præmissis, juvante nos Christi gratia ac hujus sancti orationibus, propositum aggrediamur opus.

INCIPIT LIBER.

CAP. I. *Abbo civis Aurelianensis. Floriaci studet. S. Benedicto traditus.* — Venerabilis igitur Abbo Aurelianensi ortus est in pago. Cujus patris vocabulum Lætus, matris Ermengardis exstitit; quos quidem non vana tumens et nobilitate superbus alebat sanguis, sed tamen avis atavisque derivata eos

(1) De hoc Herveo lege dialogum Hugonis archidiaconi Turonensis in tomo II Analectorum, a pag. 357, et Glabrum in lib. III, cap. 4.

honestabat, libertas, quodque omnibus superexstat causis, timor Domini moribus adornabat honestis. Talibus ergo Abbo ortus parentibus, in Floriacensi monasterio scholæ clericorum ecclesiæ sancti Petri obsequentium traditur litteris imbuendus, divina pro certo, ut credimus, id præordinante providentia, ut inde primordia sumeret litterarum, ubi postmodum, plenissime fluenta doctrinæ mentibus erat propinaturus sapientiam sitientium, redderetque illis, seu eorum posteris, duplicatum suscepti fenoris fructum, a quibus simplicia tantum acceperat rudimenta elementorum. Erant in eodem cœnobio duo præcellentes viri, quos carnis affinitas matri ejus propinquos effecerat : unus dicebatur Gunboldus, qui relictis hujus sæculi nugis, ob Dei timorem, habitum monastici susceperat ordinis; alter vocatus est Christianus, qui sub clericali veste Christo studebat deservire, grave sibi formidans dispendium imminere, si ejus non sequeretur pro posse mandata, a quo nominis etiam proprii duceret stigmata. Ambo amoris Domini igne ferventes, ambo in ordine presbyteratus, cum sacrificio nostræ redemptionis, seipsos quoque Deo in ara immolantes cordis. Horum itaque ferventi admonitione genitores memorati pueri Abbonis ipsum ad serviendum Christo et sancto patri tradiderunt Benedicto.

Cap. II. *Sub Wlfaldo abbate. Cum studiis pietatem conjungit.* — Agebat eodem tempore pastoralis curam sollicitudinis in hoc sacratissimo Floriacensi loco reverendissimus abbas, Wlfaldus vocabulo, Deo charus et omni populo. Huic igitur a parentibus jam dictus bonæ indolis Abbo puer traditus est, ut ejus magisterio eruditus Christi efficeretur famulus. Ante quem cum in conventu fratrum fuisset adductus, ab eo quo vocaretur nomine est inquisitus. Ille continuo interroganti responsum dedit Abbonem se dici asseruit. Tum sanctus vir Wlfaldus, prophetico mox spiritu afflatus, alludens ad nomen : « Abbo, ait, si ultima immutetur littera, patrem sonat in Achivorum lingua. » Et conversus ad puerum : « Hinc jam, inquit, puerorum dulcissime, talem te Christo exhibe ut dignus inveniaris tui nominis appellatione. Annuat hoc omnipotens Pater, a quo omnis paternitas in cœlo nominatur et terra (*Ephes.* III, 25), teque sua faciat servare præcepta, ut ad gaudia possis pervenire æterna. » Post hoc dictum, monachicum ei tradidit habitum, facta prius per parentes solemni traditione, juxta quod in sancti patris Benedicti continetur discretissima institutione. Traditus itaque scholis, nulli sodalium videbatur gravis. Inerat ei columbina simplicitas serpentinæ copulata astutiæ, ut et per mansuetudinem leniret benevolos, et per providæ mentis acumen devitaret subdolos. Jam vero litterariæ artis profunda tanta adhuc puerulus rimabatur instantia, ut a didascalis semel audita firmiter intra cordis conderet arcana. Egressus pueritiæ tempora, frequenti meditatione adolescentiæ satagebat reprimere vitia, sciens scriptum : quia « frequens meditatio carnis est afflictio. (*Eccle.* XII, 12) Quam idcirco jugi litterarum exercitio domare curabat ut spiritui eam servire cogeret. Nec tamen, uti a quibusdam juvenum fieri assolet, ob studium lectionis, intentionem deserebat devotæ orationis. Religionis namque propositum monasticæ, quod habitu portende bat, id tota mentis devotione diligebat, et, quasi proquodam levamine, post precum ad Dominum missa libamina, liberalium artium sumebantur exercitia. Erat ei hoc præcipuum adhærere lateribus senum; et, licet certis horis condiscipulorum gauderet societate suorum, incompetentibus (2) temporibus vicinior efficiebatur senioribus.

Cap. III. *Magister scholarum Floriaci. Academias lustrat. Scripta edit.* — Cum vero jam ad tantæ præfecisset fastigium scientiæ, ut aliis quoque percepti talenti valeret donativum erogare, imbuendis præficitur scholasticis; quos ille, per aliquot annorum curricula, lectione simul et cantilena cum tanta erudivit cura, ut palam se gaudere monstraret quoc pecuniæ sibi creditæ lucra augmentare valeret. Verum ipse, adhuc majora gliscens scientiæ scrutari arcana, diversorum adiit sapientiæ officinas locorum, ut, quia grammaticæ, arithmeticæ, nec non dialecticæ jam ad plenum indaginem attigerat, cæteras ingenio suo pergeret superadjicere artes. Quapropter Parisius atque Remis ad eos qui philosophiam profitebantur profectus, aliquantulum quidem in astronomia, sed non quantum cupierat, apud eos profecit. Inde Aurelianis regressus, musicæ artis dulcedinem, quamvis occulte, propter invidos, a quodam clerico non paucis redemit nummis. Itaque quinque ex his quas liberales vocant, plenissime imbutus artibus, sapientiæ magnitudine cunctos præibat cœtaneos. Supererant rhetorica, necnon geometria, quarum plenitudine n etsi non ut voluit attigit, nequaquam tamen jejunus ab eis funditus remansit. Nam et de rhetoricæ ubertate facundiæ Victorinum, quem divinæ interpres legis Hieronymus præceptorem se habuisse gloriatur, legit : et geometricorum multiplicitatem numerorum non mediocriter agnovit. Sic demum, vivaci mentis ingenio hæc universa strenue assecuto, facilis erat eorum operatio. Denique quosdam dialecticorum nodos syllogismorum enucleatissime enodavit, compotique varias et delectabiles, sæcularium in morem tabularum, texuit calculationes. De solis quoque ac lunæ seu planetarum cursu, a se editas disputationes scripto posterorum mandavit notitiæ.

Cap. IV. *In Angliam mittitur. Naufragium evadit. Is tum levita.* — Interea legatio gentis Anglorum ad Floriacense venit cœnobium, postulans aliquem sibi sapientum concedi virorum. Eadem quippe natio ad amorem sancti patris Benedicti memoratique loci

(2) S. Benedictus, in regulæ cap. 48, prohibet fratrem ad fratrem jungi *horis incompetentibus*, quo respicit iste locus.

duabus ex causis maxime accessit : una quidem, quia beatus papa Gregorius, missis ad eam convertendam fidei Christi prædicatoribus, ejusdem dilecti domini Benedicti regulam observandam specialius inculcavit; alia quidem, eo quod vir quidam magnæ apud eos nobilitatis, Oswaldus (3) vocabulo, spreto sæculo, ad serviendum Christo, in memorato Floriaco conversus est cœnobio, ex quo, ob bonæ vitæ meritum, a rege ipsius provinciæ ad archiepiscopatus assumptus gradum, Deo, ac patrono suo sancto Benedicto in regione Anglica construxit monasterium. Ex illo itaque cœnobio hi fuere legati quos ad Floriacum advenisse superior retulit sermo. Præerat per idem tempus sanctæ Floriacensi congregationi reverendus pater Oylboldus, vir secundum sæculi dignitatem genere ac moribus clarus, qui, non tam imperiosa auctoritate quam mansueta verborum lenitate, ab hoc beato exegit viro Abbone quatenus ad instruendas ejusdem nationis hominum mentes divina atque humana sapientia, qua ipse insigniter pollebat, ire non recusaret. Qui ille, jussionis haud segnis exsecutor factus, obedientiæ sibi familiaris intuitu, quo mittebatur proficisci non distulit. Et quamvis invidi ac calumniæ compilatores eidem Dei homini persuadere conarentur abbatem memoratum, malo accensum dolo, ipsum trans maria ideo velle dirigere, ut nunquam amplius inde valeret redire, ille tamen, de Dei fisus bonitate, illud apostolicum semper revolvebat in corde : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28). Verum aliter se rem habere ostendit apparatus itineris, qui magnificus a domno Oylboldo proficiscenti collatus est. Cumque ad Morinos ventum esset, a quibus brevissimus ad Anglos transitus est, per unum ferme mensem in littore resedit, prohibentibus nautis mare turbidum ingredi. Tædio itaque longæ defatigatus moræ, una dierum progressus ad portum, evocatum interrogat nauclerum an tuto mare ingredi possit. Cui nauclerus nunc quidem nequaquam utile fore dixit; sed, ex aurarum spiramine, se intelligere quod non diu prospera abesset navigatio. Tunc vir Domini ait : « Si, inquiens, omnipotenti Deo, intervenientibus sanctissimi patris nostri Benedicti meritis, placet ut ego ob aliorum utilitatem hoc transeam pelagus, ventura luce placidum efficiatur mare; sin alias summo placuerit Opifici, data die retrogrado calle incipiam regredi. » Igitur ad hospitium regressus, monachum quemdam, qui legatis se deducentibus præerat, Riculeum nomine, admonet ut in commune Dominum orarent quo, si illi propositum non displiceret, iter prosperare dignaretur; si vero id reprobaret, cordibus eorum voluntatem ad propria redeundi inspiraret. Quo annuente, post vespertinam synaxim Deo persolutam, ambo ad orandum solo prosternuntur. Finita oratione, quieti membra dederunt; et ecce, crepusculo sequentis dici, affuit nuntius naucleri, magna eos ad proficiscendum voce inclamans. Itaque, ascensa navi, comitantibus aliis octo navibus, cum in altum processissent, repente conspiciunt marsuppas et porcipisces in fluctibus ludere, balænas dorsa in modum maximorum tectorum attollere. Hæc omnia indicia imminentis tempestatis esse vir Dei a nautis audiens, ad orationum recurrit nota præsidia. Nec defuit effectus ejus precibus. Denique orta tempestate, navis in qua homo Christi residebat, cum aliis duabus quæ illam secutæ fuerant, illæsa ad portum perlata est; reliquæ vero sex, simul cum hominibus, procellis et impulsu piscium quassatæ, perierunt. Hoc signum per eum Dominus operari dignatus est, cum adhuc levitarum fungeretur officio.

A

B Cap. V. *Ramesiæ docet duobus annis. Omnibus charus.* — Tandem, post longos terræ ac maris excursus, Anglorum intravit fines. Primum itaque omnium Ramesense sancti Benedicti adiit cœnobium; sic enim appellabatur ille locus, qui a venerabili Oswaldo illis in partibus est fundatus, cujus superius mentionem fecimus. In quo, qui abbatis fungebatur officio, Germanus dicebatur vocabulo, et ipse ad tanti gradus honorem ex hoc sacro Floriacensi assumptus monasterio. Ubi dum sanctus Domini Abbo per duorum ferme annorum moratur spatium, aliquos monachorum scientia imbuit litterarum. Intra eorumdem sane spatium annorum regem adiit Anglorum, ac ejus ducem Hebelguinum (4). Sed a rege verba tantum, a duce vero condigne C suæ sanctitati suscepit munera, atque in magna apud eum, quandiu cum ipso fuit, est habitus reverentia. Pontificum quoque venerabilium, sæpe nominati Oswaldi, ac beatæ memoriæ Dunstani, amica sibi familiaritate usus est. Horum prior Eboracensium, sequens Cantuariorum archiepiscopus fuit. In quorum vita moribusque sibi bene complacuisse Christi ostendit gratia, eorum tumulos nunc usque miraculorum illustrando gloria. Hi in tanta admiratione hunc beatum habuere virum, ut in eo retinendo charitativa et, ut ita dictum sit, discordi inter se dissiderent concordia.

Cap. VI. *Floriacum revocatur. Muneribus ditatus, et presbyter factus.* — Per idem tempus, a venerabili abbate suo Oylboldo litteras suscepit, pater- D næ dulcedinis sollicitudine refertas. In quibus inter alia monetur ut ad sua quantocius reditum maturet, ac desiderantum se conspectibus repræsentet. De quibus nos principium et quædam alia excerpentes, huic inserimus volumini. Hoc ergo ipsa epistola habebat exordium : « Præscientia Dei abbas Oylboldus, et omnis concors patris Benedicti congregatio, dulcissimo fratri Abboni, quidquid pater filio, quidquid amicus amico. Gratiæ omnipotenti Deo, qui tuo inspiravit cordi ut in Babylonica captivitate memor esses gratissimæ Sion. Hostiam jubilationis im-

(3) S. Oswaldi acta superius relata habes ad annum 992, ubi de cœnobio Ramesensi, de quo infra.

(4) De hoc duce, Ramesensis cœnobii auctore, plura in Actis sancti Oswaldi. Est penes nos Abbonis epistola ad Ramesenses aliosque de rebus grammaticalibus.

molamus, quod per tuas litteras cor nostrum lætificatum est, et quod de te maxime timebamus a memoria et mente nostra expulit. Vere favus distillans sunt labia tua, quæ distillaverunt verborum fluenta, super mel et favum gutturi nostro dulcia, quæ super aurum et argentum recepimus, penesque nos servamus. Atque post pauca : Quandiu tu, lucerna ardens et lucens, et cæteri quoque soles, domum Domini prudentiæ, justitiæ et temperantiæ speculo irradiastis, gaudebant patres in filiis, lætabatur pater noster Benedictus in suis alumnis, quos ab ipsis incunabulis educaverat philosophiæ alimentis. » Tandem ipse vir Domini Abbo, juxta commonitionem honorabilis patris sui Oylboldi, nativæ faciem statuens revisere telluris, a memoratis pontificibus optimis honoratur muneribus. Et a venerabili quidem Dunstano magnifica excepit munia in argento, sancto patri perferenda Benedicto; a domno vero Oswaldo, cum gratia presbyteratus, etiam cuncta eidem gradui congrua ministeria est adeptus. Rediens igitur multiplicem secum advexit gazam, in suis speciebus dignam vitæ ejus continentem significationem. Nam armillæ torquesque aureæ congruam benefactorum dictorumve ejus significavere remunerationem; vestes vero sacerdotales præsentis futuræve gloriæ portendebant nitorem. At aureus calix et numerosum argenti numisma innocentis puritatem vitæ ac rutilantis præsagiebant eloquii jubar. Quibus omnibus, post suam ad floridi nominis cœnobium reversionem, ita mirifice pollebat ut in multorum et quos antea latuerat notitiam deveniret.

Cap. VII. *Abbas Floriaci creatur. Monitis optimis suos instruit; ad studendum et scribendum hortatur. Scripta ejus.* — Postea factum est ut, venerabili abbate Oylboldo humanis rebus exempto, communis Floriacensium electio fratrum usque perferretur, hunc sibi patrem postulantium. Præerat per idem tempus regiæ Francorum aulæ princeps, Hugo nomine, qui consensum præbere non distulit. Et quamvis, ut in talibus fieri assolet, aliqui ex fratribus huic electioni pervicaciter (5) renisi essent, tamen plurimorum et, ut post patuit, sanioris consilii prævaluit auctoritas. Susceptum ergo vir Deo dignus Abbo pastorale officium, uti ille qui quid suscepisset intelligeret, irreprehensibiliter disponere pro posse satagebat. Monebat ergo subditos, vitiorum abdicatis spinis, in areolis cordium divinarum serere aromata virtutum. Jam vero contra vitia carnis jugem aiebat debere haberi pugnam, omnique industria investigandum quibusnam armis quis ejus repugnet oblectamentis. Ad quod explendum, post orationum vota, post jejuniorum virilia certamina, multum prodesse censebat litterarum studia, maximeque dictandi exercitia. Quarum ipse perstudiosus existens, nullum pene intermittebat tempus quin legeret, scriberet dictaretve. Exstant multa scriptorum ejus insignia quæ proprio indigeant volumine. Nos interim aliqua, futuris profutura sæculis, succinctim nostris inserimus chartis. Nempe post elucidatos, ut prælibavimus, dialecticos syllogismos, post exaratas computi calculationes, post solis ac lunæ viarum declaratas dimensiones, in divinas quoque animum intendit Scripturas; assumptisque ex plurimorum Patrum auctoritatibus sententiis, velut prudentissima apis, variis favos componens floribus, mellitum defloravit opus. Quod licet ad præsens non (6) reperiatur, partim nostrorum negligentia, partim extraneorum subtractum cupiditate, certum tamen est idcirco eum excerpsisse quo haberet ad manum defensiones contra pontificem ecclesiæ Aurelianensis, non recta quædam ab eo exigentem.

Cap. VIII. *Arnulfus episcopus ipsi infestus. Abbonis liber apologeticus ad reges.* — Denique cum idem vir Domini paratus esset, juxta apostoli præceptum, subdi etiam omni humanæ creaturæ propter Deum (*I Petr.* II, 13), intelligens tamen loco quem regebat postmodum posse officere, si ei modos subjectionis (7) quos requirebat ad ipsius libitum penderet, id facere in omni sua recusavit vita. Unde idem pontifex, Arnulfus nomine, animadvertens nec ratione nec divinarum legum [verbis] eum posse convinci, altercatione manifestum se ei ostendit inimicum. Qua de re actum est ut satellites memorati pontificis eumdem virum Dei, Turonis ad festivitatem sancti Martini properantem, noctanter aggressi gravibus afficerent contumeliis, quibusdam obsequii illius hominibus ad necem usque vulneratis. Quam rem præfatus antistes, cum in reliquis actibus suis honestis semper se demonstraret pollere moribus, nequaquam, ut par erat, indigne tulit; verum, propter vulgi famam, aliquos eorum qui hoc perpetraverant scelus, quasi pro satisfactione, ut virgis cæderentur, ante eum adduxit. Sed Dei servus, perpendens hæc non recta fieri intentione, simulque memor Domini per Scripturam dicentis : *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* II, 22), quæ offerebantur accipere noluit, et, quia vindictam sumere per semet distulit, ut a Domino vindicaretur emeruit. Etenim quosdam ex ipsis morte subita interceptos in lectulis suis repertos mortuos, alios in rabiem esse versos fama vulgante didicimus. Enimvero, quia difficile est in prosperis invidia carere, a quibusdam aliis præsulibus, necnon nostri ordinis viris, videlicet monachis, quos nunc nominibus propriis designare supervacuum fore credimus, æmulo lacerabatur dente. Quapropter ad dominos rerum, inclytos scilicet Franciæ reges, Hugonem ac ejus filium Rotbertum, a quibus, pro summæ æquitatis ac veritatis tramite quem ipse Dei famulus inoffense diligens tenebat, quam maxime amabatur. Apologeticum scripsit librum, cujus hoc existit exordium :

« Sæpe contingit ut, dum nimius insurgentium

(5) De hac contradictione et turbis inde consecutis confer dicta superius in Elogio sancti Maioli abbatis, pag. 776 tomi superioris.

(6) Hoc ipsum esse puto collectaneum canonum editum in tomo II Analectorum a pag. 248.

(7) Lege observationes prævias, num. 9, et præfationem.

calamitatum horror mentem fatigat, ipso horrore non ea quæ dicere debuerat turbatus animus expediat; sed, phantasmate cogitationum aliorsum raptus, quæ tacenda sunt dicat, ac, quod est consequens, quæ dicenda taceat. Semper enim summæ tranquillitatis quietem diligit qui veritatis arcanum ratiocinando disponere gestit. Quapropter ab ipsis disciplinarum rudimentis : « Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea (*Psal.* XLI, 2) » laboriosum spiritualis philosophiæ otium, cum ad multorum utilitatem verterem in honestum negotium, cum, meis peccatis præpedientibus, eo relicto, quodammodo ad sæculi sollicitudinem sum reductus, qui sub cura pastoralis regiminis quotidie sustentor aqua angustiæ et pane tribulationis. Corrodit me canino dente æmulorum supplantatrix calliditas, circumlatrat adversariorum frequens acerbitas; nec aliud contra me immurmurant, nisi quod monachorum senatum salvum esse velim. Nostræ reipublicæ augmentum quæsivi, ac cavillationi insidiantium auctoritate qua valui contradixi. « Nec abscondi omnino misericordiam et veritatem a consilio multo (*Psal.* XXXIX, 11). » Pro hujusmodi malis meo insidiantur sanguini, me succenturiatis insequuntur odiis, adeo ut nec regia majestas eos deterreat quin me clanculum trucident, si eis locus tempusve arrideat. Unde sedulus in orationibus meis Dominum deprecor ut judicet et discernat causam meam solito, eripiatque ab homine iniquo et doloso (*Psal.* XLII, 1). » Hæreticorum autem in hoc eodem libro faciens mentionem, post nonnulla alia, hæc interserit : « Omnes, inquiens, hæreses ita persecuti sunt Patres nostri ut, primitus fide exposita, explorarent in suis concilliis ne quis sentiret contrarium ipsis apostolis. Qui repertus, absque ulla dilatione aut ad corpus Ecclesiæ est reductus, aut usque ad erroris abrenuntiationem perculsus anathemate, catholica privatus est communione. Nec magis serpentem tangere vitaverunt orthodoxi, quam adhærere hujusmodi lepra contaminatis. Unde in canonibus prohibemur, si nos catholicos esse scimus, ne cum eis saltem oremus. Nam sub Marciano principe, apud Chalcedoniam XV et eo amplius dierum actio de hac re ventilata est, residentibus episcopis DC, et, ut quibusdam placet, MCC; quibus omnibus pius princeps ex suarum rerum copia sumptus abundanter præbuit, quoad omnes hæreticos a se repellerent, id est eos qui in verbo vel opere aliter quam sancti apostoli sensissent. Quo facto, in tantum fidei puritas placuit pio principi, ut eam ipse cum sua conjuge sub chirographo publice profiteretur coram illo magno concilio. Cujus piam religionem imitamini, domni nostri Hugo et Rotberte, charissimi reges, si in terra viventium Christo vultis esse hæredes ac cohæredes; et de regno vestro omnem hæreticam pravitatem depellite, ut Deus vos custodiat in æterna pace. » Et post pauca, inter reliquas hæreses etiam de oratione [*f.* desolationem] Ecclesiarum in his deflens exsurrexisse regionibus, hæc infert : « Caveat, inquiens, quicunque vult salvus esse, eam, haud dubie quin Ecclesiam, alicujus alterius nisi solius Dei possessionem credere. Unde Petro principi apostolorum dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Meam, inquit, non tuam. Et Christus alibi : *Domus mea domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI, 13). Psalmista quoque : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo* (*Psal.* XCXII, 5). Si ergo Ecclesia non est Petri, cujus erit? Aut successores Petri audebunt potestatem sibi vindicare quam non habuit Petrus princeps Ecclesiæ? Certe, charissimi principes, nec catholice vivimus nec catholice loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam. Ac veluti quædam jumenta, comparati jumentis insipientibus, utrasque aliquando venales proponimus, propositasque ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo fertur altare esse episcopi, et ecclesiam alterius cujuslibet domini; cum ex domo consecrata et altari unum quoddam fiat quod dicitur ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore et anima. Videte, æquissimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas. »

A B C D

Cap. IX *Concilium apud S. Dionysium de decimis. Abbo apologiam texit.* — In illis sane diebus, in monasterio sancti Dionysii, haud procul a Parisius, concilium aggregatum est quam plurimum episcoporum. Qui, cum de fidei puritate, de corrigendis tam suis quam subditorum pravis moribus sermocinari debuissent, juxta vulgare proverbium cunctum suum sermonem ad decimas (8) verterunt ecclesiarum, quas laicis ac Deo servientibus monachis auferre moliti, resistente eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, promiscuam in se vulgi concitavere manum; ortaque subito seditione, tantus in episcopos timor irruit, ut, publica statione relicta, passim quisque diffugeret. Inter quos Sewinus Senonum archiepiscopus, primatum Galliæ in ea synodo sibi usurpans, primatum quoque fugæ arripuit, et, inter fugiendum, securi inter scapulas ictus lutoque a popularibus oblitus, ægre evasit. Uni quoque episcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, ut, affluentissimo prandii apparatu quem sibi exstruxerat relicto, vicinæ urbis Parisiorum mœnia fugitabundus expeteret. Totam ergo tantæ calumniam injuriæ, tam a præfato Arnulfo quam a reliquis pontificibus, sub semet devolvi perpendens hic Deo devotus Abbo, in eodem Apologetico non solum ab hoc, verum et a quibusdam aliis, hoc modo se purgat objectis :

« Nec me vestro, ait regibus, aliorumque sapientum examini subduco, qui contra canones sensisse suspicor. In episcopos manum monachorum movisse

(8) Sæculo X, de decimis monasteriorum itidem controversiæ emerserunt in Germania, ex sæculi XI, parte II, pag. 29.

accusor, vestram benevolentiam proprio episcopo A ad serviendum, ac ad Floriacense sancti patris Benedicti cœnobium miserat, litteris imbuendum. Quem hic totius bonitatis plenus Abbo, ex præcepto abbatis sui honorabilis Richardi susceptum, valde dilexit, et in quantum temporis opportunitas arrisit, liberalibus artibus erudivit. Sed idem Bernardus, non longo annorum interjecto spatio, a patre suo evocatus, Solemniacensi abbatia, quam sanctus quondam construxit Eligius, est donatus; ac non multo post, Bellilocensem locum, quem ejus genitor jure belli armisque conquisierat victricibus, est adeptus. Cui cum Willelmus comes Tolosanus Caturcensem præsulatum, quem nunc regit, committere disposuisset, et ob hoc, tam ipse comes quam et archiepiscopus Bituricensium, sub cujus diœcesi eadem ecclesia consistit, non minimam pecuniæ B summam ab eo exigerent, ad hunc alumnum suum sanctum dirigit Abbonem, quid facto opus esset interrogans. Ad quem ille charitativam direxit epistolam ita se habentem : « Quia te divina pietas servum suum multis bonoribus admodum extulit, quos virtutum prærogativa adeo excelis ut te imitabilem præbeas pluribus bonis, hortor et admonco ut, tuæ memor professionis, illos gradus excellentiæ appetas in quibus Dominum non offendas. » Et post aliquanta, eos denotans qui gratiam sancti Spiritus vel vendunt vel emunt, hæc dicit : « Hujusmodi emptores quasdam velut telas aranearum texunt quibus se defendunt, quod non benedictionem, sed res Ecclesiæ possessuri emunt. Cujus vero possessio est C Ecclesia, nisi solius Dei? Quis ejus dominus, nisi Deus? Quia etsi præsens Ecclesia indiget duobus advocatis, uno in rebus temporalibus, altero in spiritualibus; neutrum tamen habet ut dominum, qui eam vel vendere possit vel emere quam Christus redemit suo sanguine. » Dansque ei consilium, hujuscemodi clausula finem imponit epistolæ, « nunquam ergo, inquiens, fieri hæreticus ullo modo acquiescas, quia inaniter de peccatis pœnitentiam agit qui eam fidem impugnat quam sub sanctis apostolis catholica tenuit Ecclesia. »

Verum Bernardus, tandem aliquando bonorum hujus vitæ pertæsus, videns multorum frigescere charitatem et ideo superabundare iniquitatem, deliberavit animo, relictis omnibus quæ possidebat, Jerosolymam petere. Quod iter a patre ejus, pœnitentiæ voto, ante omnes fere in hoc tempore Galliæ D habitatores cœptum ac percursatum fuerat. Nec tamen hoc absque sui sententia didascali aut consilio perficere disponens, ad Floriacum venit monasterium, secreta cordis sui huic suo totius bonitatis patefacturus magistro. Ille, Jerosolymitano interdicto itinere, ne omnino ejus voluntati contraire videretur, Romam petere, montem Garganum adire concessit, paternoque affectu attributis comitatui sive obsequio illius aliquibus suorum, cum fraterna eos sivit abire benedictione. Qui propinquorum suorum æque limina apostolorum adeuntium coactus querelis, dicentium ejus abscessu clandestino inter se consurrexisse bella, Constantinum presbyterum,

accusor, vestram benevolentiam proprio episcopo tulisse blasphemor, quibusdam excommunicatis participasse criminor. Sed esto : cui sententiæ canonum contradixi, qui in illo concilio vix apertum librum videre potui? aut concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt et disconciliati recesserunt, cum ibi discordes reconciliari debuerint aut canonica districtione multari? Quid in me singulariter commiserunt episcopi, ut eis saltem cogitatione obesse voluerim, præsertim cum non inimicum, sed fide et opere amicissimum, graviora pericula pertulisse contigerit? Ecce coram Deo in Christo non mentior quia, audita insequentium conclamatione, ultra quam dici possit indolui, recordatus pristinæ amicitiæ et beneficiorum tanti viri, cujus nix venerandum caput ostendit, excepta primatis prærogativa et sacerdotali infula. Qua suggestione vos decepi, ut vestram benevolentiam optimis auferretis, malo meritis conferretis? Num ego Deus sum, qui mutat mentes, mutat corda, mutat regna et tempora? Vere fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didicisse. » Atque paulo post hæc addit : « Denique quod excommunicatis me miscuisse asserit, ejus exemplo utique feci qui filios Belial, nocturno latrocinio in meam necem grassantes, recepit, postquam eos anathematizaverat suus archiepiscopus, singularis meriti Sewinus, et Odo Carnotensium episcopus, necnon et alii magnæ vitæ et religionis viri. Et, iniqua indignatus exsurgere judicia, exsecrantis voce proclamat : O tempora! o mores! certe qui volunt exsequi in fabrateria mendacii cupiditates suas pravas, ipsi nituntur condere leges iniquas. » Ad ultimum, sua non ignorans multis displicere scripta, regibus sese commendat, præcipue domno Rotberto quem scientem litterarum ac idcirco diligentem fore noverat studiosorum, scribens in hæc verba : « Præterea dominos meos cum familiariter alloquens bona suadeo, multorum animos scio contra me concitos, juxta illud comici :

Obsequium amicos, veritas parit.
(Ter. *Andr.* I, i, 41.)

De quorum animositate non multum moveor, dulce decus meum, Rotberte, quem atavis regibus editum divina pietas perduxit ad regni fastigium, si, post Dominum et sanctos ejus, vestro specialiter sustentor auxilio et concilio, cujus mentionem in quotidianis orationibus meis nunquam prætereo. »

Cap. X. *Bernardus Bellilocensis abbas, clari generis, Caturcensis episcopus; Bernardus Bellilocensis, clari generis, Caturcensis episcopus; Abbo optima ei dat monita. Simoniam impugnat. Primæ Jerusalem peregrinationes. Bernardi iter Romam*, etc. *Abbonis alia epistola ad ipsum. Leges pro rerum circumstantiis debent explicari.* — Bernardo etiam abbati Bellilocensium, inter alia, duarum mittit textus epistolarum, quarum non putavimus prætermittendam commemorationem. Hunc sane Bernardum pater Hugo, haud infimo inter proceres Aquitanicos ortus loco, ex copiosa filiorum caterva Deo obtulerat

quem ei ut obsequeretur pius magister ipsi delegaverat, ex itinere ad eum remittit, mandans suorum necessitudine se domum redire compulsum; non tamen quidpiam se sine ejus præcepto acturum, quin potius ei per omnia, uti prius spoponderat, pariturum. Simulque quæstione proposita inquirit utrumnam melius esset cuncta relinquere, an, ut suis præsidio foret, sæculo specie tenus deservire. At veritatis amator Abbo, apicibus ad eum directis, et quid sibi rectius videretur exponit, et quid ipse tenere mallet liberam dat eligendi copiam. In quibus non solum ipsum Bernardum abbatem, sed etiam universos viæ ejus consortes, aut gravi laboravisse incommodo aut mortem obiisse condolens deflet. Inter quos domnus Remigius monachus, qui post cellæ in qua idem beatus Abbo corpore humatus quiescit præfuit, ab eodem Dei viro ad obsequium memorati abbatis, nunc episcopi, directus, magna vi febrium vexatus est. Sed nos memoratos apices ad demonstrandum hujus hominis Dei benignitatis affectum ex integro huic volumini inserere dignum duximus, in reliquis ejus epistolis abbreviationi operam daturi. Est enim hujusmodi :

« Domno meo, abbatum charissimo Bernardo, servus servorum Dei Abbo. Suscepi, venerabilis in Christo, vivas tuæ peregrinationis litteras, et ex pene mortuo presbytero addidici quid inter fluctus cogitationum semivivus lugeas, quem concepti voti impotem patriæ calamitas inpræsentiarum reddit et innatam devotionem, ut opinor, distulit, non funditus exstinxit. Quod audiens, fateor, nimis indolui et lacrymando dolori satisfeci; quandoquidem tui desiderio gemebat circumstans fratrum maxima multitudo, et, omnibus in commune gementibus, redibat ad memoriam quod vir magnæ gravitatis Hugo, tui comes itineris et socius laboris, multis bonis flebilis occidit, nulli flebilior quam tibi, pro cujus amore, post Dominum, patriam, parentesque relinquens, exsul vitam finivit. Cumque satis egissem mœroris, tandem mihi consului, quia tibi absenti non potui, quem in orationibus interdiu videre videor, dum omnipotenti Deo sacrificium spiritus contribulati offerre non desisto. Siquidem id nimium extimui, quod bajulus legationis innotuit, vultum videlicet vestrum ita emarcuisse ut vix queatis subsistere, non solum destitutus sobrietate et amicitia defuncti, verum etiam robore proprii corporis. Vereor itaque ne insidiæ diaboli, quæ multæ sunt et vias servorum Dei spinis circumsepiunt, te a via mandatorum Dei avertant et retro respicere compellant, priusquam ad Segor parvulam civitatem devenias, in qua tuam animam salvans salvare queas (*Genes.* xxn). Scio etenim quod nunc tibi circumstrepunt propinquorum greges, militum phalanges, amicorum multitudines; et succenturiati declamatorie persuadent quod sibi, non tibi utile dijudicant. Sed, domi vitulis religatis, nosti quid vaccæ fecerint quæ mugientes arcam testamenti portaverunt, et, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram, Bethsamis pertulerunt (*I Reg.* vi, 12). Cujus facti non immemor, recordare quod in sacrificio jubetur offerri cauda hostiæ, nec ulla rei familiaris cogitatio subrepat quæ te a recto itinere dimoveat. Nam occurrit animo quod mecum familiariter locutus es, dum Romam proficisci decrevisses, consulens utrum scilicet relinqui deberet semel suscepta cura pastoralis regiminis, et oporteret dare libellum repudii fratribus et filiis qui nobis adversantur in via Dei. Cui cum ego respondissem quod auctoritate Patrum certum noveram, et creditis ovibus mortem prævalere persentiscerem, te infructuosum saltem tibi persuadere nec ausus sum nec debui, exemplum proponens Pauli Damascum fugientis et beati patris Benedicti monachorum legislatoris. Denique in multis causis occasio se immergit, quæ difficultatem contrariæ legis bono exitu meliorem reddit. Quis enim non laudet curam pastoralis regiminis, si prosit? Quis rursus non laudet in se benevolentiam pastoris, si aliis non prosit? Solet nempe esse in præceptis divinis quod et in antiquis reperitur edictis. Lex est : Si quis masculus templum Veneris fuerit ingressus, capite puniatur. Quidam juvenis, præteriens templum Veneris, intus matrem cædi conspexit, et introgressus eam eripuit. Accusatur contra legem fecisse. Defendit se ille legi paruisse, et, inter dissidentes, si percussori ignorantia non prosit, juvat ex circumstantiis occasio pietatis. Idem est in nostris Evangeliis, ubi præcipimur non solum uxorem relinquere, sed etiam odisse, proposito præmio, quod qui hoc fecerit centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Rursus qui uxorem dimiserit, non quidem præmio, sed eo supplicio dignus scribitur quo mœchi damnari præcipiuntur. Porro et qui matrem eripuit, et qui uxorem dimisit, uterque præjudicium patitur, si supplicio punitur; quoniam inde auctori legis se placere putat, unde offendisse præjudicatur. Quapropter, dilectissime, non bonum malo melius existimes, sed bonum bono melius credas : et ex contrariis sententiis eam eligas qua vitiis abrenunties, et moralibus virtutum exercitiis crescas. Denique, dum, abbatis onus portare debeas, an debeas deponere, addubitas, discretionem, qua maxime opus habes, matrem virtutum assumas; et, conscendendo tribunal conscientiæ, judicio discute quid utilius honestiusve sit animæ tuæ. Nam officium abbatis implere, et lucrum animarum quærere honestissimum est, cui non impossibile est; cui vero malitia subjectorum impossibile est, quid superest, nisi ut honestius putet divino parere oraculo, quo scriptum est : *Fili, miserere animæ tuæ placens Deo?* (*Eccli.* xxx, 24.) Sane et apud Ezechielem speculator, clamans et non auditus, animam suam liberat; et, apud Benedictum patrem, pastor spretus et contemptus absolvitur, qui omnem curam exhibuit creditis ovibus. Cæterum, venerabilis pater, saltem in festu-

vitate patris nostri Benedicti quod tibi placeat innotesce, ut certi esse possimus quantocius de tua quam optamus salute. »

CAP. XI. *Abbonis duplex iter Romam. Gregorii papæ responsum ad ipsum.* — Interea eximius Abbo condigno apparatu Romam proficiscitur, privilegia ecclesiæ sibi commissæ corroboraturus, imo renovaturus. Sane non qualem voluit aut qualem debuit, sedis apostolicæ pontificem, nomine Joannem, invenit. Nempe turpis lucri cupidum atque in omnibus suis actibus venalem (8') reperit. Quem exsecratus, perlustratis orationis gratia sanctorum locis, ad sua rediit, emptis optimæ speciei aliquantis holosericis palliis ornatui ecclesiastico congruis. Porro, paucis labentibus annis, occasio se præbuit ut, rogatu ac precibus gloriosi regis Rotberti, Romuleam repedaret ad urbem. Præcipua vero earum pro quibus directus est causarum, hæc fuit : quia Arnulfus, Remorum archiepiscopus, absque justa audientia sede sua privatus custodiæque fuerat mancipatus. Ob hoc Gregorius, qui Joanni in apostolica successerat sede, non solum nobilitate generis, verum etiam probitate clarus mentis, toti regno Francorum anathema se invecturum comminatus est. Hac igitur ex re Italiam repetere servus Christi Dei cogitur. Et quamvis mole corporis gravaretur (nam, in transmarinis regionibus, peregrinorum ciborum inusitata qualitas decoctæque potionis haustus corpus ejus pingue reddiderat), nequaquam tamen labore fatigabatur. Nec vero ipsa ejus pinguedo ullam ei ingerebat dehonestationis maculam. Et cupidus pacis cum foret, leve ducebat omne genus defatigationis, dummodo eum reperiret virum per quem, fama vulgante, audierat ad pristinum posse statum religionis resurgere normam. Profectus ergo Romana iterato revisit mœnia, ubi, eo quem quærebat nequaquam reperto, per concava vallium, per prærupta montium investigans, tandem in finibus Spoletanorum invenit. Cumque se invicem duo Ecclesiæ lumina conspexissent, gaudio ultra quam credi possit gavisi magno, in mutuos ruunt amplexus. Et prior veræ humilitatis custos Abbo salutatoria a parte regis depromit verba. Tum sacerdos vere apostolicus, reddita benedictionis recompensatione, ait beato viro : « Bene te advenisse gaudeo, fili, Ecclesiæ veritatisque, ut comperi, custos ardentissime. Etenim surdus de te rumor meas repleverat aures, te tam divina quam humana pollere sapientia, nec qualibet amicitia a jure æquitatis abduci posse. Vere fateor me jam dudum desideravisse tuum intueri vultum, tuo concupivisse amicabiliter perfrui alloquio. Fruamur ergo cupitis sermocinationibus, alternisque divinarum atque mundanarum lectionum aliquandiu mentem relevemus studiis. Porro unum te volo nosse, legationem tuam me benigne suscipere, et quæque suaseris me facturum fore. Tuum autem erit petere, meum vero petitis pro posse assensum præbere. Novi namque nihil te contra jus fasque postulaturum, ac ideo me tibi contraire scio non esse æquum. » Post hæc verba, omnibus ei collatis victui necessariis, ad hospitium sivit abire. Sicque, octo ferme diebus, eum detinens et frequenter convivio suo eum asciscens, cunctis pro quibus erat libens annuit.

CAP. XII. *Privilegia et dona Abboni ab eo concessa. Privilegii summa. Arnulfi archiepiscopi restitutio.* — Tunc vere sollicitus pastor Abbo, memor utilitatis loci quem regebat, privilegium illi apostolicæ utilitatis fieri rogavit. Quod Deo dignus papa tam favorabiliter largitus est, ut non solum nullum pecuniæ quæreret lucrum, verum thymiamate ac planeta, qua inter missarum uteretur solemnia, donatum, eumdem Dei famulum gaudentem ad proprium remiserit solum. In eo sane privilegio inter alia continetur ut episcopus Aurelianensis, nisi invitatus, Floriacum nequaquam adeat cœnobium, neve unquam quilibet pontificum eidem monasterio divinum interdicat officium, etiamsi tota Gallia, ob populi peccata, anathematis feriatur vindicta a sede apostolica. Sed ne quis eos, domnum dico apostolicum et Abbonem sanctum, existimet in hoc facto contraria regulis sanctorum sensisse Patrum, necessarium nobis visum est, ex epistolis Magni papæ Gregorii panca de pluribus hic exempla inserere, in quibus exquirendis pia huic beato viro semper fuit intentio. Sciebat namque illum unnquam vel sensisse vel scripsisse contra canonum decreta. Scribit ergo idem egregius papa Gregorius Maximiano Ravennati episcopo, inter alia : « Quoties, pro utilitate monasterii sui, ad pontificem Romanum abbas venire vel transmittere forte voluerit, id ei modis omnibus liceat. » Quod vero ab episcopis et clericis monasteria inquietari non debeant, tam memorato pontifici quam ejus antecessori Joanni, frequentibus scripsit epistolis. Luminoso quoque abbati de eadem re, inter cætera, sic ait : « Castorio, inquiens, fratri et coepiscopo nostro nostra præceptione transmissa, ei successoribusque ejus a te monasterioque tuo cunctam læsionem abstulimus funditus potestatem, ut nec ultra in vestro versaretur gravamine, nec monasterii res describat, nec publica illic debeat esse processio. » Ad eumdem etiam Castorium, post aliqua, ita scribit : « Missas, ait, illic (haud dubium quin in monasterio) publicas per episcopum fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, popularibus præbeatur ulla occasio conventibus, et simpliciores ex hoc animos plerumque (quod absit!) in scandalum trahat frequentior quoque mulierbris introitus. » Quod autem divinum officium monasteriis interdici non oporteat, Joanni episcopo de Urbeveteri scribens, ita asserit : « Agapitus, abbas monasterii sancti Georgii, insinuavit nobis plurima se a vestra sanctitate gravamina sustinere; et non solum in his quæ necessitatis tempore monasterio aliquod possint ferro

(8') Id est Joannes XV, post annos pontificatus undecim mortuus anno 996, quo ei successit Gregorius V, a quem Abbo a Rotberto legatus est.

subsidium, verum etiam in hoc monasterio missæ prohibentur celebrari, sepeliri etiam ibidem mortuos interdicis. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi, et sepeliri ibidem mortuos vel celebrari missas nulla ulterius habita contradictione permittas, ne denuo querelam de his quæ dicta sunt prædictus vir venerabilis deponere compellatur. » Verum de his satis dictum; nunc cœptæ narrationis ordo repetatur.

Regressus itaque honorabilis Abbo ad regem a quo missus fuerat, cuncta pro quibus erat perfecta nuntiat. Arnulfum Remensem custodia (9) exemptum pontificatui restituit; pallium illi a domno papa directum reddidit. Post hæc, per internuntios, ipsi venerabili apostolico domno Gregorio amicabiles plenasque reverentiæ dirigit litteras, in quibus innotescit se cuncta uti jusserat perfecisse. Quarum istud est exordium : « Domino semper in Christo venerabili, sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis præsuli, ac ideo universalis Ecclesiæ doctori, suus ille, Abbo Floriacensium rector, in Christo salutem. Sæpius contingit ut puritas integræ veritatis vacillet sententia malofidi interpretis. Quod ego, venerabilis pater, cavens, vestri animi sensa fideliter simpliciterque, ut præcepistis, deprompsi, nec animositatem regis perhorrui, dum fidem, quam vobis promiseram, ex asse servavi, quandoquidem nihil addidi, nihil minui, nihil immutavi, nihil reliqui. Horum omnium ipse Arnulfus, e custodia liberatus et absolutus, testis est; cui vestrum pallium eo tenore (10) obtuli quomodo illud acceperam ex sanctis manibus vestris. » Meminit et in fine earum planetæ ab ipso sibi datæ, ita inquiens : « Nam, liberalitatis vestræ memor, ut servus Domino gratias refero, qui inter missarum solemnia, munere vestro usus planeta, vestri nullo modo oblivisci valeo in meis oblationibus. Cæterum vobis semper parere decrevi, cujus apostolatum Deus custodiat in æterna pace. »

Cap. XIII. *Abbonis epistolæ et scripta quædam.* — Ottoni quoque imperatori epistolam versibus conscripsit hexametris, nullis sapientum istius temporis comparandam carminibus, e Porphyriano utique sibi codice exemplar sumens, hunc versum, materiam et quasi fundamentum totius constituit operis.

Otto, valens Cæsar, nostro tu cede cothurno.

Is nempe versus in eadem desinit littera qua etiam incipit; sicque fit ut ipse principia versuum omnium finemque tenens, per medium quoque epistolæ erectus, itemque in transversum in modum crucis incedat, ipse nihilominus clausula carminis fieret. Atque hoc modo contingit ut et ipse sexies diversis modis legatur, et quatuor quadrangulos in epistola faciat, in quibus quadrangulis quatuor nomina erectim posita leguntur : in duobus quidem Otto et Cæsar, in aliis vero Abbo et abba, quæ minio scripta, licet separatim hoc sonent, tamen cum aliis versuum litteris in ordine rediguntur (*vide infra*).

Sed et idem venerabilis Abbo ad Odilonem Cluniacensium abbatem venerabilem, sanæ et religiosæ vitæ virum, scribens, quid capitula eræ (11) sive adnotata, quæ in Evangeliis habentur, inter se discrepent; quidve de ∴ aperta satis enodatione declarat. Existunt et alia ad alios hujus sancti patris scripta, quæ, ne lectori fastidium generent, nunc interim tegantur per silentium. Unum illud non omittendum, quod cyclos annorum incarnationis Dominicæ, ab incarnati Verbi initio ad sua usque tempora, juxta veracem Evangeliorum fidem correxit atque ad annos postea circiter mille quingentos nonaginta quinque dilatavit. Cujus operis præfatiuncula (12), fratribus ac filiis suis, nobis scilicet Floriacensibus consignans monachis, mentionem facit anni transitus sanctissimi patris Benedicti.

Cap. XIV. *Leprosus ab eo sanatus.* — Sufficiat jam nunc laudem fidelis linguæ ejus, stylique politi, quantum possibile fuit, deprompsisse elegantiam; illud celebri fama in populos propalare dignissimum, nequaquam hunc beatum virum a Deo expertem miraculorum relictum, dum adhuc carne præsens incoleret sæculum. Quin potius ejus sibi monstravit placuisse vitam quam miraculis voluit esse insignem. Eadem autem tempestate fuit quidam homo quem dira lepræ perfuderat macula. Hic admonitus est per somnium uti ab hoc Dei homine suæ sanitatis quæreret auxilium. Qui, veritus per seipsum accedere ad eum, quemdam boni testimonii optimæque conversationis adiit monachum, nomine Elisiernum, [*Boscio male*, Elizerium], huic eidem sancto familiarissimum. Illi ergo suæ necessitatis exponit causam, manifestatæque visionis modum. Revelatum quippe sibi fuisse aiebat debere eumdem Christi famulum aqua exorcizata manus abluere, quam videlicet aquam ipse æger suscipere deberet, languentiaque membra perfundere. Audiens hæc monachus primo detrectavit fidem ejus adhibere dictis, simulque eum his cœpit objurgare verbis : « Cur, inquiens, o homo, nos tentatum advenis, somniorum tuorum deliramenta pro veris inferendo? Noli, noli falsis tuis adulationibus nostras mentes seducere velle. » Tum ægrotus persancte dejerat se nullam fallaciæ nebulam prætendere, quin potius vera allegare. Abiit ergo frater ille ad hunc de quo sermo vertitur ter beatum, et divinum, quod a languente audierat, ei pandit oraculum. At ille paulo commotior et indignantis vultu expresso, peneque illacrymans :

(9) Hinc recte colligit Cossartius Arnulfum non statim a Remensi concilio anni 995, sub Joanne XV, restitutum fuisse, sed tantum sub Gregorio V, sub quo hæc legatio contigit. Adi tomum IX col. 757 et 758.

(10) Sic restituendus hic locus ex ms. codice difficili, cum Vossius legerit, *pallium cooperium*.

(11) Eræ seu heræ interdum sectiones capitum significant ex tomo II Analectorum, pag. 458, 459.

(12) De hoc opusculo actum est in observationibus prævis.

« Non, inquit, hactenus ea vobis contuli exempla, ut me adulationis quis æstimet desiderare obsequia. Quapropter si meum te vis vocari et esse dilectum, cave ex tuo ore istud deinceps audiam verbum, præcipue cum ad ista me nullatenus sciam fore [esse] idoneum, et sanctorum talia sint gesta virorum. Cui cum a fratre objiceretur non oportere illum gratiam sibi divinitus collatam occulere, quæ saluti petentium crederetur posse prodesse, præsertim cum id ille recta et simplici fide, non adulantium persuaderet voto; tandem se vinci passus est, allatæque benedicta aqua, manus lavit, memorato monacho tribuit, ut eam poscenti infirmo perferret imperavit. Acceptam ille aquam leproso perfert, eique infit : « Nunc, inquiens, tua infirmitas palam cunctis est. Si ergo tuis nos vis fidem accommodare sermonibus, postquam te his perfuderis aquis, die tertia nostris temet visendum repræsenta obtutibus. » Fecit æger ut sibi imperabatur, et ecce ante transactos præfati termini soles, dudum discolor cunctis naturali visebatur reinduta [*l.* reindutus] specie. Quod ubi fratri illi perspicaciter credibile apparuit, mox homini Dei quæ fuerant acta indicare curavit; a quo sub terribili Christi nominis invocatione interdictum suscepit ne hoc ulli hominum ipse vel is qui sanatus fuerat innotesceret, quandiu ipse sanctus in corpore maneret. In qua re Domini Christi et Redemptoris nostri imitatus exemplum est, qui, sanatum a se alloquens leprosum, *Vide*, ait, *nemini dixeris* (*Matth.* VIII, 4). Hæc nobis, post hujus sanctissimi viri transitum, præfatus domnus Elisiernus sub attestatione retulit veritatis; quæ nos, absque detrimento veri augmentove falsitatis, simpliciter referre studuimus. Ille venerabilis Elisiernus, ante peractum ex quo ista nobis retulit annum, laudabilis vitæ diem clausit ultimum.

Cap. XV. *Ornamenta ecclesiæ ab eo facta.*—Non abhorrere a recto laudis creditur genere, si ea quæ sub ipso vel per ipsum ad ornatum domus Dei, quæ est ecclesia, gesta sunt, noster explicet sermo, maxime cum inter Salomoniaca præconia hoc præcipue laudetur quod templum Domini magnificis exstruxerit impensis. Et quamvis ejus tenues copiæ divitiis nequeant locupletis Salomonis adæquari, tamen quæ, prout pauper quem regebat locus tempusque malignum persuasere, acta sunt, silentio non sunt digna obnubilari. Namque anteriorem tabulam altaris sanctæ Dei genitricis Mariæ, ab antecessore ejus domno Oylboldo auro constrni cœptam, ad perfectum usque perduxit, duas circumjacentes argento opertas augmentari fecit, et, ut breviter multa perstringamus, sex altaria, tam ejus quam monachorum sub ipsius regimine consistentium, devota intentione, argenteis sibi affixis præfulgent laminis : unum videlicet, sub nomine Patris Benedicti Deo dicatum aliud, sub nomine summæ ac individuæ Trinitatis, sancti quoque Stephani et sancti Aniani, necnon sancti Joannis evangelistæ fratrisque ejus beati Jacobi. Sed et paries ligneus, circa tumulum inclyti confessoris Christi Benedicti locatus, simili est comptus specie metalli, atque in eo quædam miraculorum ejusdem dilecti Domini cælatoria arte perspiciuntur expressa. Hæc itaque et alia nonnulla sub egregio patre Abbone in Floriacensi cœnobio perfecta sunt, instantia et procuratione honorabilis monachi Gauzfredi, cui ipse sacrorum commiserat custodiam thesaurorum, cujus etiam Gauzfredi sollicitudine gazophylacium lapideum est constructum, ad repellendam ignis, si (quod absit!) ingrueret, violentiam satis idoneum, eodem de quo loquimur venerabili patre Abbone sumptus subministrante, de cujus vitæ moribus et scriptis quia multa retulimus, ne fastidiosi in multiloquio simus lectori, stylum ad ejus enarrandum vertamus transitum.

Cap. XVI. *Regulæ monasterium reformaturus adit. Suos ibi relinquit.*—Igitur cum hic Deo amabilis hominibusque venerabilis Abbo per sexdecim annos continuos in a Deo sibi commisso pastorali strenue desudasset officio, Wasconiam proficiscitur. Est in illis partibus monasterium quoddam Squirs, ut fertur, antiquitus nominatum; a modernis, contrario nunc vocabulo, Regula vocitatum. Nulla quippe religionis norma, nulla aut rara bonæ conversationis saltem vestigia usque ad hæc in eodem loco apparuere tempora. Id Guillelmus Sanctionis filius, Burdegalensium comes ac totius Guasconiæ dux, audita fama religiosæ vitæ domni Richardi Floriacensium abbatis, ipsi successoribusque ejus ad regendum dudum commiserat, ut in libro (13) quem de vita vel actibus abbatum nostri loci scripsimus, plenius explanatum est. In quo loco, tam ab ipso venerabili Richardo quamque a duobus ejus successoribus, Amalberto ac Oylboldo, diu multumque elaboratum est, quo vere is locus, per habitatorum conversationem, vocabulo uteretur suo; nec quidquam utilitatis actum. Post quos dum hic vir beatus Abbo regiminis adeptus esset gradum, quibusdam sibi persuadentibus quatenus eo proficisceretur, respondebat cum joco se illuc iturum quando eum satietas cepisset vitæ. Et quanquam id ipse ludens diceret, tamen ita se post rei habuit exitus. Ferebatur denique nulli prædecessorum ejus post iter Guasconiæ diu vivere licuisse. Tandem ipse ad jam dictam pergit patriam, ejus regionis adit comites, memorati filios Guillelmi, Bernardum et Sanctionem, eumdem locum non pro suo, sed ipsorum disponit libitu. Et tunc quidem prospere ad sua rediit, quibusdam suorum, quasi ob tutelam loci, relictis. Verum hi quos relinquebat, perfidiam Guasconum veriti, et tunc inviti remanserunt, ac postmodum, multis a Guasconibus perpessis injuriis, cum his quos illis veluti adjutores miserat, ad eum revertuntur. Qui, eorum inertiæ culpam fore[fuisse] nactus, alios mittit qui quod priores neglexerant corrigere curarent. Illi, similia passi, legatos ad eum dirigunt, quid paterentur intimant, ac, ni maturato sibi subveniatur, locum deserturos

(13) Hunc librum excidisse, aut certe alicubi etiamnunc delitescere dolendum est.

atque ad propria minitantur se regressuros. Unum hoc sibi ex sententia comitum notum fore[esse] mandant: liberiorem sibi quam prius affuturam loci potestatem, si semel ad eos adeat, et tam comitibus quamque Amalguino vicecomiti, quem ipse eis advocatum dederat, quid ipse velit verbo tenus declaret: quos manere decreverit, mansuros; quos exire judicaverit, memoratos polliceri principes vi se expulsuros.

CAP. XVII. *Alterum ejus iter Regulam per Pictavos*, etc.—Tandem talibus impulsus allegationibus, impendente jam ultimo vocationis suæ die, secundo iter arripit, hos ex monachis itineris comites assumens: supra nominatum Remigium, meque qui hæc scribo Aimoinum, cum Guillelmo, suæ venerantiæ, juxta abbatum morem, tum bajulo (14). Jamque in via constitutus, legatis qui pro se venerant imperat se antecedere, comites advocatumque certos de suo adventu reddere, ne moram colloquii faciant, dum ipse ad eos venerit, procurare. Ipse, in nullo negligens utilitatis cœnobii quod regebat, Pictavos pergit, Guillelmum illius urbis adiit comitem, pro juvamine possessionis monasterii sui, quæ Salx dicitur, calumniis advocatorum valde oppressæ, eum rogaturus. A quo die dicta, in qua sibi post suam regressionem ab eodem comite justa deferretur audientia, pro re alia aliquantasper inibi moras nectit. Forte abbas monasterii Sancti Cypriani in suburbio Pictavorum siti, eidem sancto consanguinitate conjunctus, vocabulo Gislebertus, crimine falso impetebatur. Is eum humillima detinuit prece, uti suæ causæ, quam in proximo ventilandam antumabat, interesse dignaretur. Sed cum improbus subsedisset accusator, manifestusque fieri vereretur, vir Domini Abbo, qui cunctis injuriam patientibus, quantum in se erat, opem ferre cupiebat, litteras eidem propinquo suo, ex sua parte abbati Cluniacensium Odiloni, cui idem monasterium subjectum erat, perferendas tradit; quæ videlicet litteræ et ultimæ epistolarum ejus existunt, et apud nos cum reliquis (15) conservantur. Ipse iter quod cœperat maturare contendit. Nos ergo quinta postquam ibi adveneramus die, celebrata omnium sanctorum solemnitate, quinta æque feria inde progressi, per Karrofense [*Charroux*] monasterium, ad Nantoliacum devenimus cœnobiolum, in honore sanctissimi patris Benedicti fundatum; unde digredientes Sabbatorum die, Engolismam (16) advenimus; a qua urbe die Dominica egressi, dum incerti pro advenientis noctis hospitio, ac idcirco mœsti incederemus, ostendit Dominus nobis nequaquam se oblitum illum sanctum habere virum in cujus obsequio iter illud conficiebamus.

CAP. XVIII. *Domi a Giraldo exceptus et a matre Aimoini.* — Nam, dum ad castrum, cui Albaterra [*Aubeterre*] nomen est, tendere deliberassemus, repente dominus ipsius castri nobilis vir, nomine Giraldus, post tergum nostrum celerrime adveniens apparuit. Qui dum inquireret quinam essemus, et beatum patrem nostrum Abbonem adesse cognovisset, gaudens ob ejus præsentiam, ait ad eum: « Dominum, inquiens, fidemque meam testor, me admodum gaudere quod te, domine, videre merui; nam bonitas et sapientia tua universo nostro pervulgata sunt orbi. Unde, si tuæ placet benignitati, hospes tibi ero in hac nocte perliberalis, cuncta victui necessaria tribuens. » Fecit ut dixerat, et usque ad noctem permanens, etiam in obsequendo, famuli fungebatur officio. Cumque juxta quamdam sui juris ecclesiam nobis hospitium præbuisset, ad memoratum castrum incibatus abiit. Postero die, in statu perseverans hesternæ benevolentiæ, obviam ei processit, præmittens per internuntios piscium xenia, eumque aliquot deducens milliaria, tam ipsi homini Dei quam his qui hospitii gratia comitabantur, duces viæ largitus est. Sic demum benedictione postulata atque percepta, gaudens regreditur ad sua. Hæc ideo retulimus, ut aperte clareat huic sancto viro nunquam defuisse divinum, ubi humanum putabatur defore auxilium. Nec tunc solummodo, verum in omnibus itineribus ejus, ac præcipue per universam quam ea tempestate tenuit viam, sicut domini a servis, ita a cunctis per quos transitus fuit, jucundus ipsius præstolabatur adventus. Porro nos eadem die qua de Albaterra promovimus, transmeato Ella [*Ile*] flumine, una cum beato Abbone, in villa, quæ Ad-Francos dicitur, hospitati sumus. Suscepit nos inibi genitrix mea, memorati militis Giraldi consanguinea, vocabulo Aunenrudis, cum quanta potuit humanitatis exhibitione. Hæc devotionis et obsequii fervore circa eumdem Dei flagrans hominem, obnixe orabat ut biduo apud eam manere dignaretur. Quod ille vehementer abnuit, et, die data, suis ut viam maturato capiant imperat, tumque primum quasi præsagus brachium, in quo post percussus est, dolere sibi prædixit.

CAP. XIX. *Regulam tandem appellit.* — Inde ad Dordonæ [*la Dordogne*] fluenta ventum; quo enavigato amne, Guasconiæ fines ingrediuntur. Transmeantibus Dornoniam, antequam ad præfatum veniatur Regulæ cœnobium, Droth (17) torrens

(14) Bajuli abbatis erant ejus officiales domestici, quales erant capellanus, procurator et sigilli custos. Adi Glossarium ad Matthæum Parisium. Hic *bajulus venerantiæ abbatis* videtur esse gerulus sigilli, in quo expressa erat imago abbatis, aut certe capellanus, qui pedum pastorale ante eum gestare solebat. Et quidem *ferula* Abbonis post ejus mortem in *Franciam*, id est Floriacum, remissa est, testante Ademaro monacho in Chronico.

(15) Joannes a Bosco hic notat Papyrium Massonum, qui Abbonis epistolas penes se habebat, easque magno reipublicæ detrimento occultas retinebat; at nunc eas editas habemus ex codice Pithœano.

(16) *In monasterio S. Eparchii*, vulgo *S. Cybar* Engolismæ hospitatus est, teste Ademaro ejus loci monacho.

(17) Sic legitur in ms. codice quo usus est Joannes a Bosco, tametsi *Aroth seu Codrot* edidit, dubius scilicet utrum legendum esset.

occurrit, quem dum transire esset necesse, vir Dei lintrem, quæ perexigua illo habetur in fluviolo, dum ascendit, ea introrsus a latoso littore relabente, cingulo tenus pene in aquam decidit. Mirum dictu! vestigiis paululum madefactis, in reliquis indumentis vix tenuis apparuit humor. Transmeato sane hoc pessimi occursus torrente, postero die ad monasterium Regulæ ventum. Et primo quidem die, cum quiete manserunt; secundo sane, inter nostros et Guascones jurgium propter cibaria equorum ad vesperum ortum vixque a majoribus sedatum est. Quod ubi in crastinum venerabilis pater Abbo comperit, suos vehementer redarguit cur inermes et inter infensam sibi gentem bella cierent, monebatque patientiam servare, donec ipse cum comite ac loci advocato colloqueretur qui jam jamque affuturi credebantur. Tum demum suas suorumque, quos primitus ibidem reliquerat, injurias ad libitum ultum iri pollicebatur. His ac similibus verbis suorum furibundos sedare tentabat animos. Erat ea die celebris universo orbi beati pontificis Martini Turonici solemnitas, et sanctus vir magna cordis ac corporis alacritate missarum festiva celebravit solemnia. Qua die et sequenti, quæ Dominica fuit, idem Dei famulus Abbo, post sancti sacrificii per seipsum oblationem ac corporis refectionem, montem in quo monasterium situm est undique perlustrans, laudare simul ac mirari non solum loci firmitatem, verum etiam maximorum quæ inibi fuerant ædificiorum fundamenta cœpit. Horum itaque locorum situm, a sancto viro laudatum, succinctim litteris mandare opportunum fore credimus.

Cap. XX. *Regulæ situs. Cassinogilum. Regulensium factio in Abbonem. Abbonis plaga. Interitus. Seditiosorum furor. Abbonis funus. Sepultura cum solitis vestibus.* — Monasterium Regulæ, in honore principis apostolorum Deo dicatum, in monte est positum. Qui videlicet mons a tribus lateribus, orientali, aquilonali et occidentali, aliis cingitur montibus; a meridie Garonna vallatur flumine periculosaque vallis voragine. Ab oriente inter ipsum et alterum montem vallis existit perangusta, per quam fons meat, quam incolæ Mosellam nuncupant; simili modo ab occidente alterius fontis rapido alluitur cursu, cui Mosa nomen est. Hæc nomina a Francis illis imposita æstimantur, qui a Magno Carolo ad tuitionem provinciæ ibi relicti sunt. Non longe quippe ibi abest palatium ipsius magni principis Cassinogilum, sed quasi tribus milliariis, in quo idem imperator uxorem suam, Ludovici Pii matrem, gravidam reliquit, dum contra Sarracenos expeditionem in Hispaniis ageret. Quod et Heinardus vitæ illius relator scribit, et nos in libro miraculorum sancti patris Benedicti breviter expressimus. Locus sane Regulæ ob supra dictam positionem non facile hostium patuisset accessui, nisi ab aquilone parva ei adjaceret planities, cui conditor municipii vel, ut quidam volunt, civitatis, turrim quadris lapidibus exstructam opposuit, quæ nunc ruinarum tantummodo suarum indicia præfert. Igitur tam hujus quam cæterorum ædificiorum dirutos parietes, et per devexa totius montis latera propter firmam cæmenti tenacitatem dependentes, homo Dei conspicatus admiransque, læto nobis arridens vultu, infit: « Potentior, inquiens, nunc sum domino nostro rege Francorum intra hos fines, ubi nullus ejus veretur dominium, talem possidens domum. Sed heu proh dolor! aliter quam ei ac nobis utile fuit, hujus loci parabatur possessio.

Denique malignorum factio qui illis quos ipse sanctus pater ad eumdem miserat locum irrogaverant injurias, in id jam conspiraverat ut, ex qualibet occasione commoto tumultu, tanta famulos ipsius cædis contumelia afficeret, quatenus nec ipse, nec quilibet alter, eos ulterius adire auderet. Quod vero mortem illius inter dolos machinata sit non vere scitur, nisi quia is qui eum percussisse dicitur in jurgio nostris dixisse fertur pro nihilo se ducere si lancea ventrem ejus transforaret. Secunda igitur feria, qua sancti confessoris Bricii agebatur festivitas, monachum, qui hos esse dicebatur machinatus dolos, sanctus pater noster Abbo increpare cœpit, quod, sine ejus licentia de monasterio egressus, foras manducare præsumpsisset. Hic Anezan nomine dicebatur proprio, gente barbarus ac vocabulo. Qui dum sancti viri increpationem se patienter ferre simulat, sed circumstantibus contumaciæ verba respondet, subito auditur clamor mulierum, juxta morem (18) gentis illius, ubi seditio oritur aut mors hominis intervenit, conclamantium. Tum ille perfidus, solo nomine monachus, ad eos qui se circumstabant infit: « Nunc, inquiens, dicetur meo monitu hoc esse ortum scandalum. » Cui quidam ex his qui aderant: « Si, ait, id metuis, nobiscum ad hos sedandos progredere motus. Verum eo differente, ad nostros reprimendos is qui monita dederat cursim progreditur. Causa autem ortæ seditionis hæc erat. Tam Francis quam Guasconibus se alterutros conviciis lacessentibus, unus Francorum, nimium impatiens convicii domino suo illati, conviciatorem baculo inter cervicem et scapulas ictum humi prostravit. Eo prostrato, tam nostri quam seditiosi semet mutuo lapidare cœperunt. Interea vir Domini Abbo, intra claustrum monasterii residens et quasdam computi ratiunculas dictitans, tumultuantium clamore exaudito, foras ab interiori montis parte progreditur, et ad reprimendos suos, qui superiora occupaverant loca, festinans, ab uno adversæ partis satellite lancea tam valide vulneratur in lævo lacerto ut interiora costarum adactum penetraret ferrum. Qui percussus non clamavit, non titubavit, aut cadentium more loco motus est,

18) Hanc vocem esse *Biahore* ex Pithœo observat illustris. Petrus de Marca in Historiæ Bearnensis lib. III, cap. 11.

verumtamen, hoc tantum dicens : « Iste, ait, serio hæc fecit, » ad domum ubi sui famuli hospitium habebant ascendere cœpit. Sustentabat autem eum frater quidam, nomine Guillelmus, cujus supra meminimus. Ego, vestigia ejus persecutus, conspicio super limen domus, quam vir sanctus ingressus jam erat, partem coagulati sanguinis. Interrogansque de quo foret, hoc a Dei homine responsum accepi : « De me, inquit, est, testor Dominum; » continuo mihi stetere comæ; horrorque infusus corpori raucisonam reddidit vocem. Nondum enim quispiam animadverterat eum in carne esse vulneratum; sed tantum indumenta æstimabamus fuisse perforata. Itaque aio ad eum : Quanam in parte, inquam, tibi domino meo illatum vulnus est? Tum, eo elevante brachium ut plagam detegeret, repente ab intimis costarum recessibus unda sanguinis prorumpens, manica laxioris pelliceæ excipitur. Verum ipse nihilo tristior, nec vultus colore mutato, cum me trepidare magis magisque sensisset tam ex faciei permutatione quam ex verbis querimoniæ, alacri vultu et pene ridenti similis, ait : « Quid tu, inquiens, ageres, si ipse vulneratus esses? attamen noli metuere; quin potius foras ad nostros progredere, eosque ad me venire facito, ut hæc sedentur turbæ. » Quod cum fecissem, illique obtemperantes ingressi essent, ipse, jam exsanguis factus, inter manus discipulorum famulorumque se sustentantium, Idibus Novembris spiritum reddidit. Retulerunt autem qui ejus sanctum finem videre meruerunt (nam ego ob sedandos tumultuantes forinsecus remanseram) hunc ipsius ultimum fuisse sermonem : « Miserere, inquiens, Deus omnipotens, animæ meæ, locoque ac congregationi, quam nunc usque te concedente rexi. » Et ille quidem hæc effatus, ut prædictum est, animam efflavit.

At seditiosi domum, in qua beatus pater jam defunctus a suis lamentabatur, circumdantes, obseratos succiderunt cardines ostiorum. Sicque furens ingressa turba, aliquibus vulneratis, cubicularium viri Dei, vocabulo Adelardum, qui caput domini sui propriis genibus suppositum lacrymis rigabat, ad necem usque fustibus præacutis ac lanceis conciderunt; qui ægrum usque ad tertiæ feriæ diluculum protrahens spiritum, defecit ac mortuus est, sepultusque in claustro monasterii, juxta quem quoque custos equorum ipsius sancti postea tumulatus est. Qui, tunc quidem vulneratus, usque ad diem festivitatis sancti Andreæ languit, sicque obiit. Cæterum tantæ cladis compilatores, certissime agnoscentes beatum obiisse Abbonem, certatim cuncti in fugam vertuntur, ita ut, terris reddito die, ne mulieres quidem in universis forensibus ipsius villæ invenirentur domibus. Quatriduo post obitum sancti viri morati sumus, commorante semper nobiscum ob custodiam nostri quodam honorabili viro, nomine Guillelmo, Orioli filio. Qui videlicet Guillelmus, gratia beatum virum videndi, eadem die cum quibusdam aliis ibidem advenerat, eoque viso, ad metatum suum, quasi milliario ac semis distans a monasterio, secesserat. Is, ubi nostræ miseriæ nuntium accepit, ad nostrum auxilium cum suis velociter accurrit.

Hi ergo corpus beatum, quod adhuc in domo, in qua animam Creatori reddiderat, super nudam pene humum jacebat, tapeti impositum, ad nos usque pertulerunt, nostris propter caliginem noctis e claustro monasterii minime exire audentibus. Dubitatum aliquandiu est quonam in loco poni deberet. Tunc in commune placuit ut, quando innocenter ac pro veritate quæ Christus est interemptus erat, in ecclesia poneretur, ubi usque ad diluculum feriæ quartæ, duabus videlicet noctibus unaque die, eum, cum quanta potuimus psalmorum et lacrymarum devotione, insepultum servavimus. Referri nequit qui luctus quive gemitus ab his qui ad eum visendum e propinquis venerant locis editus sit, cum eum, quem viventem cernere concupierant, mortuum conspiciebant. Contemplabantur sane vultum ejus adhuc sudario nequaquam opertum, qui dormientis potius quam mortui speciem ex rubore præferebat, et lacrymis opplebantur; incredibileque, dum adviveret, videbatur eum tam ingentem post obitum, non solum a suis, verum etiam lacrymosum ab extraneis habiturum planctum. Nam quilibet adveniret, notus seu ignotus, ejus viso corpore, sive post tumulationem sepulcro, continuo in lacrymas prorumpebat. Matutino sane tempore feriæ quartæ, cum ipsis quibus indutus erat vestimentis, uti mos est sepeliri interemptos, illotus etiam, lapideo tumulatus sarcophago, in interioribus cryptæ, ante altare sanctissimi patris Benedicti. Et quidem satis decentissime, si non ei tam insperatus contigisset finis vitæ. Sed Scriptura teste novimus quia *justus, quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (*Sap.* IV, 7).

Cap. XXI. *Sociorum ejus reditus Floriacum. Abbonis mors luctuosa. S. Benedicti celebre festum Decembri.*—Nos igitur quarto a tumulatione sancti corporis die inde digressi, per biduum a vicecomite Amaluino ejusque uxore Rosemberga detenti charitativo sumus affectu. Cujus mulieris benignissimam erga nostros compassionem, nobis ad conclusionem voluminis tendentibus, breviter memorare congruit. Nam ipsa viro suo ut vulneratos etiam nolentes retineret suasit. Retentis autem ipsa cuncta tribuit necessaria, non solum languentibus, verum etiam eorum servientibus, atque equis, qui omnes sexdecim (19) erant numero. Medicum ipsa quæsivit, eique pro sanandis ægris ipsa pretium præbuit. A me quoque, ut cum eis remanerem, non solum mansueta prece, verum quadam imperiosa consanguinitatis exegit auctoritate. Hi vero qui sani evasere, a procuratoribus ejus, ipsa præcipiente, per omnes ipsius possessiones quæ in itinere erant, honorifice suscepti, tristem tanti doloris nuntium per omne spargentes

(19) Hic erat illis temporibus abbatum comitatus, qui etiam subinde ultra modum auctus est.

iter, tandem Floriaco cœnobio intulerunt. Quis tunc luctus quive dolor totam nostram sanctam invaserit congregationem, sermo explicare non sufficit, cum ab his quoque quibus ejus gravitas onerosa videbatur, inconsolabiliter lugeretur. Auxit hunc ingentem dolorem adventus plurimorum abbatum in imminente sancti patris Benedicti solemnitate, quæ in mense colitur Decembri, confluentium. Horum alii ab ipso, ob quasdam ordinandas utilitates, erant evocati ; alii suarum necessitatum certis ex causis eum consulturi advenerant ; inter quos reverendus Cluniacensium abbas Odilo aderat, charitativo laudabilis in Domino familiaritatis glutino ei in omni sua conjunctus vita. Talium itaque præsentia, et ipsius absentia, propter quem venerant, ingerebat mœstitiam, et nostris ampliorem addebat dolorem quod tali forent pastore desolati, cui prudens consilium aliorum expeterent prælati cœnobiorum.

Hæc de vita, moribus et actibus, necnon martyrio sanctissimi patris nostri Abbonis, partim a fidelibus viris audita, partim a nobis visa, ad te, reverentissime clericorum Hervee, ut tua sanctitas petiit, veraci pro posse relatu scripsimus. Nunc tuam exposcimus benignitatem quatenus pro nobis Domini implores clementiam, ut, si quid forte eum in nostra offendimus narratione, ipse sua piissima indulgere dignetur miseratione; et, qui ejus sepulcrum dignatus est miraculis illustrare, mihi facultatem dignetur conferre, in sequenti volumine, ea ad laudem nominis sui fidelibus manifestare.

MIRACULA S. ABBONIS,

Eodem auctore Aimoino.

1. Anno incarnationis Dominicæ millesimo quarto, indictione secunda, die mensis Novembris decimo tertio, martyrizatus est venerabilis abbas Abbo, cujus dies passionis cum celeri transitu, tum sancti Bricii, tum etiam festivitate cujusdam sancti, nomine Herardi, insignis habetur : cujus sancti caput in monasterio Regulæ, reliquum corporis in quadam ipsius cœnobii cella humatum servatur. De quo, quis fuerit quidve egerit, usque hodie in scriptis nil aliud reperire quivimus, quam diem transitus ejus. Porro de honorando patre nostro ea quæ per eum Dominus operari post ejus transitum decrevit miracula, litteris mandare dignum duximus ad notitiam posterorum. Dum igitur adhuc inhumatum corpus ejus in ecclesia servaretur, cuidam debili, quem longa vis febrium maceraverat, per visum revelatum est ut, si sanus esse vellet, dexteram manum ejus ablui aqua posceret, ipseque eam in potum sumeret. Quod cum a domno Remigio monacho, ejus loci postea præposito, poposcisset ac impetravisset, hausto potu pristinæ restitutus est sanitati.

2. Dein vero, die secunda obitus ipsius sancti viri, una ex his mulieribus quæ clamore suo seditionem concitaverant, mente capta totoque nuda corpore per ecclesiam rotabatur. Post hæc lepra percussa et a consortio hominum expulsa, usque ad finem vitæ non est mundata.

3. Porro die quarta, dum custos ecclesiæ duas lucernas (20) mensuræ semipedalis post synaxim completorii accendisset, unam ante altare sancti Petri posuit, alteram ante sepulcrum martyris Abbonis. Cumque ad matutinos surrexisset designandos hymnos, eam quam coram altare sancti Petri posuerat, arsam reperit; illam vero quam ad caput tumbæ sancti viri posuerat, pene integram se reperisse professus est ; quæ usque mane sequentis diei perdurasse visa est.

4. Cæcus quidam erat Petragorici pagi, cui per visum revelatum est ut, si videre vellet, sepulcrum hujus sancti expeteret, ut ejus interventu a Domino lumen reciperet. Qui cum juxta præostensam visionem ad locum Regulæ accessisset, ac ad sancti tumulum aliquantas pervigiles duxisset noctes, visum recepit. Unde, partem hæreditatis suæ sancto Petro ac beato Benedicto, necnon sancto martyri Abboni illisque famulantibus largitus, ad propria rediit.

5. Alter quoque cæcus de pago Burdegalensi, per visum itidem admonitus est uti monasterium Regulæ adiret: inibi esse sanctum, per cujus meritum Dominus ei lumen condonaret. Qui præcepto parens, locum adiit, spatio ferme dierum octo (21) ante sancti tumbam pernoctavit. Una vero noctium, dum fratres ad matutinos surgerent hymnos, puerum ante se jacentem excitavit, dicens : « Surge, ut pariter matutinalibus possimus interesse officiis. » Cui cum ille non se habere ubi accenderet lumen, obtenderet : « Video, ait, lucernam ante altare sanctæ crucis ardentem. » Ad hæc puer : « Si vides, inquit, vade, et eam huc defer. » Abiit ille, et apprehenso lumine, in superiora cryptæ, ad eos qui psalmodiæ insistebant, absque ductore ascendit. In crastinum, fratribus cuncta quæ sibi acciderant referens, ad reddendas Deo laudes eorum mentes accendit. Fidem verbis ejus accommodabat tam decora canities quam etiam vultus, ac totius corporis honestus status.

Semper qui proprios meritis exornat amicos,
Et dat Floriacos cœlo florere patronos,
Præstans perpetuam post carnis funera vitam.
Amen.

(20) Lucernæ nomine hic cereus intelligitur.

(21) Nondum ergo novenarum, quas vocant, usus obtinebat.

NOTITIA LITTERARIA IN S. ABBONEM.

(Apud Oudinum, *Script. eccles.*, tom. II, pag. 509.)

S. Abbo Floriacenis abbas et martyr, sive Sancti Benedicti ad Ligerim, in episcopatu Aurelianensi, vir doctus ac sanctus, cujus doctrinam varia ab illo scripta opera probant, cujus sanctitatem effusus ad conservandam observantiam ordinis atque oblatus sanguis testatur. Meminere hujus Abbonis, ut infra quoque dicemus, Sigebertus in Catalogo *Scriptorum ecclesiasticorum*, cap. 139, et in *Chronico* ad annum 990, et Senatus quoque Bravonius, sæculi XII scriptor, in Vita S. Oswaldi, apud Surium ad diem 15 Octobris. Ex quo cognoscimus hortatu S. Dunstanni, dum in Anglia moraretur, illum scripsisse *Passionem B. Edmundi regis et martyris*, quam habemus apud Surium tomo VI, ad diem 20 Novembris, et quæ manuscripta exstat in bibliotheca privata Lumleiana in Anglia, atque etiam in Regia Galliarum bibliotheca, codice ms. 3861, fol. 66. Exstant hujus Abbonis opera nonnulla impressa, alia temporum lapsu interciderunt. Scripserat *libros dialecticos et astronomicos*, ut testatur Aimoinus in ejus Vita, cap. 3, quos injuria temporum nobis abripuit. Ejusdem *Commentarius in Victorii Canonem paschalem*, quo Cyclos annorum ab incarnatione Domini ad sua usque tempora juxta veram Evangeliorum fidem correxit, lapsu temporum interiit: cujus memoriam nobis reliquit Sigebertus in libro *De illustribus Ecclesiæ scriptoribus*, cap. 139, his verbis: *Quantum valuerit in utraque scientia ostendit, cum super calculum Victorii commentatus est;* quem ad sua usque tempora adductum, ad annos postea circiter 1595 dilatavit. *Apologeticus* quoque *Abbonis ad Hugonem Francorum regem* (22) *pro immunitatibus monasterii Floriacensis*, periit; cujus exstant fragmenta apud Aimonium in *Vita Abbonis* capp. 8 et 9. Jam ad opera impressa veniamus. Exstat *Epitome ae Vitis Romanorum pontificum XCI*, collecta ex Anastasii Bibliothecarii Historia pontificia, et cum eadem Moguntiæ anno 1602 in 4 excusa, studio atque opera Joannis Busæi Noviomagensis, soc. Jesu theologi. *Vita sancti Edmundi Anglorum regis et martyris*, quam dum in Anglia commoratus est a Dunstano rogatus scripsit, exstat apud Surium ad diem 20 Novembris. *Epitome seu Collectiuncula canonum sub certis materiarum capitibus*, quam edidit Joannes Mabillon, tomo II Analectorum, pag. 218 et sequentibus, ubi varia præludit *De scriptis* tam editis quam deperditis Abbonis abbatis, de quo etiam pluribus agit sæculo VI *Sanctorum ordinis divi Benedicti*. Hunc autem huc attulimus ob *Epitomen canonum* quam Labbeus omisit, nondum quippe evulgatam. Audio recenter a Placido Porchero, Benedictinorum Sancti Germani Parisiensis bibliothecario, *Epistolas Abbonis* nonnullas in manuscriptis codicibus quibusdam Pithœanis inventas, quas bibliotheca quædam Parisina asservabat, quasque haud dubie eruditi hujus regiæ urbis viri dudum patere ineditas non paterentur. Harum *unam ad abbatem Fuldensem* edidit Stephanus Baluzius, tomo I *Miscellaneorum* pag. 409; fragmenta autem aliarum dedit Aimoinus in *Vita S. Abbonis*, Epistolarum quidem duarum *ad Bernardum abbatem Bellilocensem*, hujus Vitæ cap. 10. Alterius *ad Gregorium V, Romanum pontificem*, ibid. cap. 12. Denique epistolæ hexametris versibus *ad Ottonem imperatorem* scriptæ, ibid. cap. 13. Has olim *Abbonis epistolas* viderat Joannes Balæus, Anglus, quippe quarum assignatis earum titulis ipse meminit, in opere suo *De scriptoribus Angliæ*, ubi de Abbone ita habet: « Abbo, Floriacensis cœnobii abbas, Gallus, patria Aurelianensis, scripsit Vitam Eadmundi martyris, libris II; Apologeticum ad Francorum reges librum I; Super calculo Victorii lib. I; Additiones in eumdem lib. I; De motibus stellarum lib. I; De planetarum cursu, lib. I; Demonstrationes astronomiæ lib. I; Contra episcopum Aurelianensem lib. I; Rudimenta puerilia lib. I; Categoriarum spiritualium lib. I; De computo lib. I; Homilias in Evangelia lib. I; De cœna Domini lib. I; Epistolas ad Gregorium V, Robertum regem, imperatorem Ottonem, Bernardum Bellilocum, Odilonem Cluniacensem. De sancto Stephano protomartyre sequentiam unam et Responsoria quædam edidit; Circulos annorum incarnationis Dominicæ ad sua usque tempora correxit. Obiit anno 1004, a suis monachis interfectus, cujus Vitam scripsit Aimoinus Floriacensis. » Hæc Balæus, qui ex occasione Anglis suis hunc, Gallum, inseruit, forsan quod ejus Opera manuscripta simul omnia hæc in Anglia invenisset. *Epistolæ* porro *istæ* cum *Apologetico ad Francorum regem* hoc anno 1687 editæ sunt atque immissæ in Opera posthuma Petri Pithœi Trecensis, quæ tribus in folio voluminibus ex prelo Galliarum regio prodierunt, magno hujus insignis viri qui ab annis centum vel circiter obiit, multaque manuscripta reliquit, honore et desiderio. Exstat *Apologeticus iste Abbonis* cum *Epistolis variis* tomo I, pag. 393 et de sequentibus ad pag. 429. Quod diximus de ætate ejus, cognosci potest ex eo quod *Apologeticum* suum ad Hugonem Capetum filiumque ejus Robertum, Galliarum reges, scripserit. Nam hos et Ottonem tertium imperatorem συγχρόνους fuisse, apertum satis est. Idem indicant *Epistolæ Abbonis* plures ad Gregorium V summum pontificem atque alios, quæ nunc impressæ exstant. Hujus Abbonis Vitam ac

(22) Vide infra, col. 417.

mortem sanctissime obitam die 13 Novembris, Indictione II, anno Christianæ salutis 1004, in monasterio Squirs seu Regulæ ad Garumnam in diœcesi Vasatensi, descriptam ab Aimoino monacho Floriacensi, ejus discipulo ac comite, qui præsens aderat, habes in *Bibliotheca Floriacensi*, pag. 299, cum aliquot ejusdem viri miraculis insertam, studio Joannis a Bosco, Cœlestini, anno 1605, Lugduni, apud Horatium Cardon. Sigebertus attamen in *Chronico* eædem ejus, minus castigate, ad annum 1003 retulit, aliosque etiam summos chronologos in errorem induxit. Videndi quoque Glaber Rodulphus lib. III, cap. 3, Joannes Trithemius et recentiores alii, cum Labbeo in Dissertatione historica *De scriptoribus ecclesiasticis a Bellarmino recensitis*, tomo I, pag. 22; Joannes Mabillon., loco citato; Gerardus Joannes Vossius, lib. II *De historicis Latinis*, cap. 41, pag. mihi 334 ultimæ editionis, et pag. 331 editionis primæ; Jacobus Philippus Bergomas, lib. XII *Supplementi Chronicorum*, ad annum 982, qui eum *Albonem* perperam vocat; Carolus Sausseius in suis *Annalibus Aurelianensibus*, lib. IV, cap. 8; atque inprimis conservator *Epistolarum Abbonis*, Petrus Pithœus in *Collectione* seu *Collectaneo veterum historiæ Francicæ scriptorum*, ubi ex veteri membrana Vitam hujus Abbonis habes, quam citatus Balæus *Aimoni* seu *Aimoino* potius *Floriacensi monacho* attribuit, ut Labbeus scribit. Ibi inter alia exponitur quomodo, seditione inter Vascones et Francos coorta, lancea interemptus sit, quod anno 1004 contigit, Idibus Novembris, natali die sancti Bricii, qui dies et a monachis in honorem Abbonis celebratur: unde omnino diversus est ab Abbone illo Sancti Germani Parisiensis monacho et poeta, qui anno 886 et 887 floruisse legitur; Joannes Mabillon in *Actis sanctorum ordinis divi Benedicti*, sæculo sexto, parte I, pag. 39, editionis Parisiensis apud Carolum Robustel a. 1701, in fol.

MONACHORUM FLORIACENSIUM

EPISTOLA ENCYCLICA DE CÆDE ABBONIS ABBATIS

(Apud Baluz., *Miscellanea*, tom. II, pag. 114.)

Universis abbatibus Christique fidelibus quoquo locorum habitantibus, Floriacensis conciola dejecta et Patre viduata.

Fletu pene absorptis, dolore contritis, manum porrigite spiritalis auxilii, Patres sanctissimi, per affectum fraternæ charitatis. Pane mœroris potuque amaritudinis cibati, vestris orationibus mereamur recreari, quorum cithara lætitiæ versa est in luctum mœstitiæ, quorum organum luctuose sonat lamentum, et jucunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris usque ad animam, dum deploramus pro sanctæ religionis studio domnum et abbatem nostrum Abbonem excessisse a sæculo coronatum martyrio, qui Wasconum gladiis felix promeruit feliciter Leatorum martyrum socius fieri; cujus animæ contagia vestra oratio abstergat, qui vestri amator omniumque Christi servientium verus semper exstitit dilector. Nobis quoque, quos orphanos reliquit, fraternis succurrite votis, et Deum omnipotentem placate orationum hostiis, ut dignetur sua gratia gregem decapitatum et pio Patre orbatum consolari. Obiit Idibus Novembris, die natali sancti Bricii.

SANCTI ABBONIS

ABBATIS FLORIACENSIS

EPISTOLÆ ET APOLOGETICUS.

Prodierunt in Operibus posthumis Petri Pithœi, Cod. Canonum vet. Romanæ Ecclesiæ Parisiis, typis regiis, anno 1687, ad calcem tomi I, pag. 393, ex bibliotheca illustrissimi D. D. Claudii Lepelletier, regni administri, regii ærarii præfecti et supremi Galliarum senatus præsidis infulati, et apud Galland., *Bibliothecæ Patrum* tom. XIV.)

MONITUM EDITORIS PARISIENSIS.

Hic prodeunt, erudite lector, varias inter Petri et Francisci Pithœi fratrum lucubrationes, quæ inter eas reperta sunt Abbonis Floriacensis olim abbatis celeberrimi opuscula, et quorum huc usque non nisi fragmenta ab Aimoino ejus Vitæ inserta comparuerant. Elegantiorem in his cultum ornatumque non requires, modo nata memineris sæculo bonarum artium parum feraci. Sat bene, opinor, tecum actum existimabis, si nævi seu etiam fœditates orationis rerum fructu compensentur. Non ad eloquentiæ aut eruditionis jactationem scripsit

Abbo, Religiosi propositi tenax, nihil flagrantius desiderabat quam, solutum curis rerum humanarum, et a tumultu remotum, beato otio perfrui. Verum ad monasterii procurationem cum vocatus fuisset, multis negotiis implicitus est et constrictus, coactusque nonnunquam de re vili, de possessiuncula, de decimis aliisve juribus infestissime contendere cum præpotentibus viris, et præsulibus; et adversus eorum vim et insidias, Christianissimorum regum, et summorum pontificum auctoritatem implorare. Postremum hoc potissimum præstitit Apologetico et aliquot ex epistolis. De Abbone vero ipso cur nihil dicamus, in causa sunt veterum et recentiorum de eo testimonia quæ subjicimus.

VETERUM ET RECENTIORUM DE S. ABBONE TESTIMONIA.

Fulberti, episcopi Carnotensis, epistola 21.

Pleno virtutis, et gratia circumfuso, charissimo Patri Abboni, Fulbertus suus. Quanam te resalutatione digner, o sacer abba, o magne philosophe?

Sigeberti monachi Gemblacensis, in libro De illustribus Ecclesiæ scriptoribus, capite 140.

Abbo abbas Floriacensis quantum valuerit in utraque scientia ostendit, cum super calculum Victorii commentatus est. Martyr obiit.

Ejusdem, in Chronographia, ad annum 994.

Abbo abbas Floriacensis, qui super calculum Victorii commentatus est.

Senati Bravonii, in Vita sancti Osvaldi.

Porro in monasterio Rameseiæ Abbo Floriacensem monachum degere voluit morum sanctitate præclarum, et litteris egregie eruditum, ut monachos doceret, scholis præesset, et tum regularem sive monasticam disciplinam, tum litterarum scientiam promoveret. Is Abbo, Dunstani hortatu, beati Edmundi regis et martyris passionem accurate conscripsit. Tandem Floriacum reversus, et illic abbas effectus, a suis monachis occisus est.

Trithemii abbatis, libro De scriptoribus ecclesiasticis.

Abbo, Floriacensis monasterii abbas, ordinis Sancti Benedicti, vir in divinis Scripturis jugi lectione et studio exercitatus, et in sæcularibus disciplinis egregie doctus, vita quoque et conversatione insignis, et usque ad martyrii coronam dignus comprobatus. Dum in Vasconia verbum Dei prædicaret, fidei christianæ testis sanguinis effusione factus est. Scripsit super calculo Victorii librum unum, additiones in eumdem, librum unum, et quædam alia. Claruit temporibus Ottonis primi, anno Domini 970.

Jacobi Philippi Bergomatis, Chronicorum libro XII, *ad annum* 982.

Abbo etiam Floriacensis abbas: vir in divinis Scripturis admodum exercitatus, atque in sæcularibus disciplinis egregie doctus, ita quoque et mira conversatione insignis, etc., ut Trithemius.

Conradi Gesneri, in Bibliotheca.

Abbo Floriacensis cœnobii abbas, Gallus, Aurelianensis, scripsit Vitæ Eadmundi martyris libros duos; apologeticum ad Francorum reges librum unum; et super calculo Victorii librum unum; additiones in eumdem librum unum; de motibus stellarum librum unum; de planetarum cursu librum unum; Epistolas ad Gregorium Quintum, Ottonem imperatorem, Robertum regem, Bernardum Bellibecum, Odilonem Cluniacensem; Demonstrationum astronomicarum librum unum; contra episcopum Aurelianensem librum unum; Categoriarum spiritualium librum unum; de Computo librum unum, Homiliarum in Evangelia librum unum; de Cœna Domini librum unum; de sancto Stephano martyre Sequentiam unam, Responsoria quædam: Circulos annorum incarnationis Dominicæ ad sua tempora correxit. Obiit anno 1004, a suis monachis interfectus. Ejus Vitam scripsit Aimoinus Floriacensis.

SANCTI ABBONIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD GREGORIUM V SUMMUM PONTIFICEM.

Domino semper in Christo venerabili Gregorio sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis præsuli, ac ideo universalis Ecclesiæ doctori, suus illius Abbo, Floriacensium rector, salutem in Christo.

Sæpius contingit ut puritas integræ veritatis sententia vacillet malefidi interpretis; quod ego, venerabilis Pater, cavens, vestri animi sensa fideliter simpliciterque, ut præcepistis, deprompsi; nec animositatem regis perhorrui, dum fidem quam vobis promiseram ex asse servavi: quandoquidem nihil addidi, nihil minui, nihil mutavi, nihil reliqui. Horum omnium ipse Arnulphus Remensis archiepiscopus a custodia liberatus et absolutus testis est; cui vestrum pallium eo tenore obtuli quo illico acceperam ex sanctis manibus vestris. Testis etiam dominus meus Rodbertus, Francorum rex inclytus, vocatur, utique spiritualis in Christo filius, qui vobis parere decrevit, ac si beato Petro apostolorum principi, cujus vices in terris nunc geritis. Porro unum vestræ majestati persuadeo, quo prædictum archiepiscopum doceatis qualiter cum suis clericis conversari debeat, qualiter filios suæ Ecclesiæ a pristinis erroribus abstrahat, et prædia seu possessiones quas sancta Maria perdidit restituat. Nam, sicut ait quidam sæcularium:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
(Horat. *Ep.* I, II, 14.)

Ita Remensi Ecclesiæ accidit ut in rebus sanctæ Mariæ vindicatum sit quidquid Arnulphus et Gerbertus commiserunt mali; et, quia utrumque et amicum et colo et colui, si qua in eis reprehensione digna comperi, quamvis eis displiceret, non tacui. Nihil tamen ab his factum reprehensibilius didici, quam quod nobilissimam omnium Gallicanarum Ecclesiarum inopem, abjectam, vilem et desolatam suo litigio reddiderunt. Eidem vestra irrefragabili auctoritate succurrite, et eam ad illum pristinum statum reducite quo beatæ memoriæ Adalberonem

constat reliquisse. Cæterum suggero vestræ sanctitati ut eorum recordemini quæ per me vobis comes Fulco mandavit, malle se scilicet vetera monasteria diruta restaurare, quam nova a fundamentis condere. Quod quam frivolum sit et omnino vacuum, vicinum nobis Sancti Petri monasterium, quod dicitur Ferrarias, indicat, priscis temporibus regia munificentia magnificentissimum. Romanæ Ecclesiæ membrum, nunc vero suorum vassallorum beneficio ita corrosum, ut vix aliquid remanserit ad stipendia paucorum fratrum. Hæc et alia rogant violentorum lacrymæ : his consolationis manum porrigite, quam Dominus de cœlo prospexit, ut solveret gemitum compeditorum, quando vos fecit caput omnium nostrorum. Tandem quid et ipse patiar, innotescat. Est quidam Qanz, nepos Wal comitis de castro Nantonis, qui devastat possessiones nostri monasterii ; de quo precor ut cum ipso Wal, qui nunc Romæ est, loquamini, minando contra ejus nepotem virgam excommunicationis nisi resipuerit, si inveni gratiam in oculis vestris : nam, liberalitatis vestræ memor, ut servus Domino gratias refero, qui inter missarum solemnia, vestro munere plane usus, vestri nullo modo oblivisci valeo in meis orationibus. Cæterum vobis semper decrevi parere, cujus apostolatum Deus custodiat in æterna pace. Valete.

EPISTOLA II.

GREGORII V AD ABBONEM.

(*Vide in* GREGORIO V, *Patrologiæ tom. CXXXVII.*)

EPISTOLA III.

ABBONIS AD GREGORIUM V SUMMUM PONTIFICEM.

Domino semper venerabili sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ præsuli GREGORIO suus ille Floriacensium rector ABBO.

Multi se importunos ingerunt, qui me aliquid posse apud vestram clementiam suspicantur, genutenus implorantes pro suis peccatis opem intercessionis ; quorum opinionem adeo veram credidi, ut eorum declamatoriam orationem vestris auribus dispensatorie allegarem, arbitratus vestræ Ecclesiæ utilem fore, quam omnes expetunt qui in Christo pie volunt vivere (*II Tim.* III, 12). Quorumdam vero qui se se magni faciunt, preces abhorrui, ne forte ad iracundiam irritem, quam eis placare debueram. Si improbus seu etiam importunus intercessor accedam, siquidem Moises ad aquas contradictionis (*Num.*, XX, 24), dum rebelli populo prodesse voluit, sententiæ divinæ animadversionis vir mitissimus super omnes homines excepit. Unde mihi amicorumque necessitati consului, qui ante præsentiam vestræ majestatis, in quantum potui, nec tacenda dixi, nec dicenda reticui. Quare, vestra benevolentia usus, experimento didici quod vester animus compatiatur miserorum infortuniis, afflictorum calamitati, lapsibus humanæ fragilitatis ; dum enim vobiscum conferendo loquerer de passionibus animæ, quid aliud reperi nisi moralitatem Gregorianæ facundiæ et severitatem paternæ indulgentiæ ? Quibus illectus Floriacum lætus redii, et omnibus ad quos meus sermo pervenire potuit, plenam sanctitatis et reverentiæ vestram conversationem innotui, sicque mihi contigit ut regnæ Austri, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, reversaque in terram suam regem ac servos ejus beatificavit (*III Reg.* X, 1 et *seqq.*) : quamvis sane momento temporis in Italia vobiscum degui, vix diebus quibus spiritus hos reget artus referre valeo mira quæ audivi et vidi. Unde quædam venerabilis femina, Ildegardis nomine, super his obstupescens, cum Romam ire disponebat, lacrymabiliter expostulavit jure propinquitatis quatenus litteris nostris vobis commendaretur, quæ peccatrix est et nobilis, non autem ideo nobilis quia peccatrix, sed ideo peccatrix quia nobilis : nam, lenocinante humani generis inimico, multa in sæculo sæcularis mulier commisit, pro quibus pœnitentiæ remedium expetiit, et consilio bonorum virorum duo monasteria, unum canonicorum, alterum sanctimonialium ex propriis rebus et possessionibus construxit, in singulis quoque, novem ferme millibus a se invicem disparatis, tantos reditus delegavit, ut sufficere possint etiam plurimis quam sunt animæ utriusque congregationis. Porro monasterium alterum in honore sancti Petri apostolorum principis, alterum sancti Andreæ apostoli, Romanæ Ecclesiæ sub census tributo addicere cupit, et ea privilegio vestræ irrefragabilis auctoritatis muniri. Quapropter vestram serenitatem plus solito deprecor ut, prædecessorum morem sequendo, eisdem novis monasteriis novus auctor novos indiculorum bullos corroboretis, quibus ipsæ congregationes ab omni mundano strepitu quietæ Domino servire possint, maxime sub epitimio excommunicationis.

EPISTOLA IV.

AD GREGORIUM V, SUMMUM PONTIFICEM.

Domino semper venerabili sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ præsuli GREGORIO sui illius memor Floriacensium rector ABBO.

Experimento didici quod qui apponat scientiam, apponit dolorem (*Eccle.* I, 18). Cum intelligentia divinæ legis pretiosum separo a vili, et memoria præteritorum malorum cor pungit, quod se virtutibus minus servisse recognoscit : sicque fit ut scientia contra fragilitatis humanæ lenocinia inflet, quam charitas ædificat (*I Cor.* VIII, 1), sicut ex collatione quam ad invicem habuimus expertus sum, cum de passionibus animæ loquentes in Spoleti provincia itinera otium vertimus in honestum negotium. Cujus collationis recordatus paternitatem vestram oro et deprecor ut, vestris orationibus adjutus, Domino placentium meream adipisci consortium ; et hic vester fidelis nomine Humboldus erga se suamque necessitatem vestram sentiat bonitatem, quam totus orbis optat nancisci ad suam perpetuam pacem. Denique qualiter monachorum legislatoris Benedicti corpus in Galliam translatum sit, quæve in Cisalpinis partibus historialiter gesta habeantur, re-

quisistis; cui postquam historiam patefeci, eam, ut jussistis Transalpinis legendam dirigere non distuli: et hoc indiculo vobis satisfeci. Direxi etiam duo vascula Manzerina, in quibus anaglypho opere continentur Charitas et Ethica; quarum altera, id est Charitas, utraque manu Vetus et Novum Testamentum præfert per singula epithemata, Ethica alis suis complectitur historiam et allegoriam: ita ut utraque virtus, Charitas scilicet ac Ethica, quatuor virtutes per singula vasculorum ora exclusoris opere prætendant.

Fascibus exemptos dum cernimus Urbis alumnos,
Externis dominis subdita Roma furit.
Nec mirum cum scena sibi fit sævior illis,
Et crudelis habet, unde cruenta fiet.
Quam caveas alter mage, quam jam denique quintus
Gregorius, mundi pervigil excubiis.
Cujus amore vacas transcendi cernuus Alpes
Heridanique nives Abbo sequendo pares.
Translatos *Patris* cineres *Bene* nomine *dicti*,
Mandant Hesperiis et tibi, Sancte Dei.
Hos loculo pariter Franci veneramur ovantes,
Et venerare, cui gesta legenda dedi.

EPISTOLA V.

AD MONACHOS SANCTI MARTINI.

His patribus et fratribus in monasterio Sancti Martini communipularibus, maxime Heriveo bonæ indolis speculo, amatorum Christi amator Abbo.

Opportunitas temporis solet quæri ad exsequendam efficaciam cjuslibet negotii, quandoquidem nihil fit quod eo carere possit. Quod ideo vestræ charitati objeci, quia plus æquo distulistis mittere indiculum vestræ legationis: ac idcirco vobis parere mihi fuit impossibile, quibus placere omnimodis gestio, nec unquam bonorum præceptis inobediens apparebo, nisi constrictus aut religionis proposito, aut temporis articulo. Verum cum charitative ad expeditum iter monuissetis, hæc adeo deniror, cur causam promotionis in vestris litteris non significastis: nam auctoritates sanctorum Patrum, quas specialiter deferri jussistis, quoquo locorum præ manibus habeo, ne decipiar æmulorum lenocinio, qui fratri parant foveam, et fortassis incident in eam (*Eccle.* x, 8). Unum quasi ex vulgi opinione addidici, domnum videlicet AR. archiepiscopum contradicere privilegiis sancti M. communis patroni; quod quis desipiens crederet, ut vir tantæ auctoritatis et mansuetudinis contraire velit Romanorum pontificum decretis et sanctorum canonum institutis? Siquidem Romana Ecclesia sua super omnes Ecclesias excellentia hoc habet privilegii, ut, sicut claviger regni cœlestis obtinet principatum apostolici culminis, ita eadem Romana Ecclesia auctoritatem tribuat omnibus quasi suis membris, quæ sunt per quatuor climata totius orbis. Qui ergo Romanæ Ecclesiæ contradicit, quid aliud quam se a membris ejus subtrahit, ut fiat portio adversariorum Christi? Certe unicuique Ecclesiæ suum jubet servari privilegium, illud magnum et inviolabile Nicænum concilium, quod sanctissimus papa Gregorius ita se fatetur venerari, ac si sanctum Evangelium. De privilegiis quoque idem papa venerabilis scribit episcopo Joanni, inquiens: *Grave nimis et contra sacerdotale constat esse propositum, cujusquam monasterii privilegia olim indulta confundere, et arritum (sic) quæ sunt pro quiete disposita niti deducere* (lib VII, epist. 33). Et infra: Proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut a monasterii molestia se sine aliqua excusatione contineat, et quæ eis sunt diutius custodita, nullius occasionis tentet usurpatione convellere, sed cuncta illibate et sine aliqua studeat refragatione servare; et plus sibi in eodem monasterio, quam prædecessoribus suis licuit, noverit non licere. Absit itaque, absit ut sanctorum virorum, et maxime antiquorum pontificum Romanorum scripta modernorum sustineant præjudicia, et floccipendant posteriorum sensa, quorum venerantur memorias! Si enim juniores tempore veterum aspernantur edicta, quibus assensum præbere debuerant, quid restat, nisi ut plumbum aquis supernatet, lignum vero fundo tenus mersum dehiscat? præsertim cum scriptum sit: *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28). Hoc unum suadeo, ut perquiratis merita Turonensium et Romanorum pontificum, quorum alter edixit, alter conscripsit, et postea utrum illis a contradicentium industria præ pondere dijudicare poteritis. Valete.

EPISTOLA VI.

AD ROBERTUM REGEM FRANCORUM.

Rotberto regi Francorum inclyto famulorum Dei famulus Abbo, memor salis quod aliquando in palatio comedi.

Satis admodum miror unde hi sales eloquentiæ proruperunt, quorum amaritudinem, domine mi rex, inopinato abhorrui, abhorrens silentio tegere nequivi, nam palatina facundia hactenus usus sum, et ab ipsis cunabulis pene in monasterio veritatem puer didici, quam me amisisse causatur ille a secretis. Dum jam albet nix capitis, cui gratias refero, quoniam me ad me reduxit, quandoquidem hominem esse innotuit, quem mutabilis fortunæ casibus subditum et dixit et scripsit; ait enim Scriptura: *Omnis homo mendax* (*Ps.* CXV, 11); sed fortassis cum Propheta in exstasi hoc protulit, quod ego quoque benigne accepissem, nisi esset scriptum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Ps.* V, 7). Ad quid enim aliud amicus meus apostoli verba ad me retorsit, dum in sermone meo *est* et *non* esse enuntiavit (*Jac.* V, 12), nisi quia aut quod est non esse, aut quod non est esse latentem reprehendere voluit? cujus criminis in hac re me nullo modo reum esse sciatis, quippe ante has litteras, in quibus mendacii redarguor, neminem pro hujusmodi causa vidi cum quo *est* et *non* potuissem sermocinari. Quod vero adjecit, *sed sit*, in illo est, meæ fragilitatis modum considerans, hominibus quam Deo similis esse ma-

lui, abominatus superbiam illius qui fuit signaculum similitudinis Dei (*Ezech.* XXVIII, 12). Porro sicut nemo bonus, nisi solus Deus (*Marc.*, X, 18), sic nihil est in rerum creaturis, nihil enim in eis est quod mutabile non est, et si omnis creatura mutabilis est, quomodo verbum ejus mutabile non est? Sane hoc sibi proprium reservavit, de quo dictum est in Veteri Testamento : *Qui est misit me ad vos* (*Exod.*, III, 14). Ecce, venerabilis rex, meus apud majestatem vestram sermo apologeticus, et, ne hujusce locutionis ineptiis decipiamini, cautum esse opto et semper optavi. Valete.

EPISTOLA VII.

AD ODILONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

Domino semper venerabili ODILONI Cluniensis congregationis Patri, ejusdem officii ABBO, indignus famulorum Christi famulus.

Sæpe contingit ut spiritualis philosophiæ dapibus amicis convivia pro modulo nostro præparemus, sperantes hac introductione eorum deliciis communicare, quoniam, ut dicit Scriptura, amicorum sunt omnia communia ; quapropter quempiam solum suis studiis uti minime delectat, et charitatis epulas tunc bona voluntas libenter degustat, cum inter ejusdem scientiæ sectatores non est expers muneris quo sibi illicit amatores veritatis. Unde, venerabilis pater, floccipendens æmulorum vesaniam, instar commentatoris scribere decrevi aliquid gratum amicis, utile posteris, quo communicatum te esse volui, quem, postquam semel cognovi, semper in omnibus pio amore et diligo et dilexi. Nec pudet te habere judicem propositæ quæstionis, quem commendat lepor dulcissimæ affabilitatis, ut puta antiquæ nobilitatis comptum prosapia, cum eloquentia quam venustat frequens et humilis sapientia ; hanc nimirum plus solito expertus sum compendioso itinere, cum pariter remoraremur tam in nostro quam in Sancti Dei monasterio, ubi quidam ex fratribus vestris, ut mihi visum fuit, satis benevolus, attentus et docilis, requisivit de repetitione similium numerorum qui habentur frequentius in canonibus Evangeliorum. Quam quæstionem expediendo ei ad plenum satisfacere nequivi, partim ob difficultatem sui, partim quia nec locus nec tempus sufficiebat negotio hujusmodi ; nunc vero, occasionem nactus, explicabo quomodo se habeat congeries numerorum in prædictis canonibus, exposita prius ratione qua in singulis Evangeliorum libris sunt tripliciter præfixi numeri, quorum alii capitula, alii æras, alii subnotationes designant, communes scilicet et propriæ, et capitula quidem nec non æræ ex minio hoc videntur differre, quod capitula exprimuntur majore charactere, æræ vero nusquam denarium excedunt, nec infra denarium ex ordine se sequuntur, nisi contingat. Subnotationes quoque ex atramento in singulis evangelistis ab uno incipiunt, et in multam pluralitatem primæ vel solæ ordinabiliter lege numeri excrescunt : quod facilius intellectui patebit, si, quod faciendum in reliquis, unius evangelistæ adnotatio descripta pro exemplo sit. Sunt itaque apud Matthæum capitula XXVIII, inter quæ sunt subnotationes CCCLV, quibus singulis adjecta est sua æra, ex qua cognoscatur in quo canone ipsa subnotatio reperiatur. Ut autem decem sint canones et non amplius, in quibus evangelistæ sibi novies tantum conferuntur, illud facit quod Marcus hanc proprietatem servat cum Joanne, qua nusquam ei soli solvi consentit. Nec eidem cum altero, nisi cum Matthæo : nam inter quatuor si concordia sit, unus modus existit ; alter vero si discrepaverit, quatuor modi inveniuntur : si unus quilibet duobus conferatur, sex ad extremum erunt, si ad similitudinem monomachiæ unus reliquis sigillatim respondeat. Cæterum hoc in eisdem canonibus est animadvertendum, quod distinguuntur lineis directis a sinistra in dexteram legenti, inter quas usque ad finem quinque subnotationes fiunt, de singulis videlicet evangelistis qui sunt dispositi in capite uniuscujusque canonis. Inter primas igitur lineas primi canonis sunt subnotationes XX, ex quibus nihil ingerit dubietatis ille ordo in quo scribuntur apud Matthæum VII, apud Marcum II, apud Lucam VII, apud Joannem X. De reliquis quæstio est, quam illud facit, quod Joannes sparsim scripsit in diversis locis ea quæ alii colligentes semel dixerunt singuli in suis opusculis. Exempli gratia disponantur evangelistarum verba ut sunt in textu, propria cum subnotatione diversa.

M	XI	Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam ; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.
M	IIII	
L	X	
I	VI	
M	IIII	Et erat Joannes vestitus pilis cameli et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel sylvestre edebat, et prædicabat dicens : Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus : ego baptizavi vos in aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto.
M	XI	
L	X	
I	XII	
I	X	Ego quidem aqua baptizo vos, venict autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.
M	IIII	
I	XIII	
I	VI	Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens : Hic erat quem dixi qui post me venturus est, ante me factus est, prior me erat.
M	XI	
M	IIII	
L	X	
I	XII	Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos non scitis.
M	XI	
M	IIII	
L	X	

o		
l	XIIII	Hic est de quo dixi : Post me venit vir
y		qui ante factus est, quia prior me erat,
M	XI	et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur Israel, propterea veni ego in aqua baptisans.
a		
M	IIII	
v		
L	X	
o		
l	XXVIII	Ipsi vos mihi testimonium perhibetis,
y		quod dixerim : Ego non sum Christus,
M	XI	sed qui missus sum ante illum.
a		
M	IIII	
v		
L	X	

Iis ita præmissis, sobrius lector intelligit quia Joannes nunc hic nunc illic tetigit quod Matthæus et alii collegerunt in ordine unius suæ subnotationis : quapropter in ejusdem Joannis Evangelio post primam subnotationem quater est facta similium numerorum repetitio ; siquidem de viro venturo et de baptismo Joannis, ubi ille alterum retulit, alterum reticuit ; et rursus alibi utrumque simul dixit ; ad ultimum de prædicto viro venturo repetiit, quem Christum vocavit. Perspiciamus itaque primi canonis initium, post hanc unam concordiam omnium evangelistarum. Denique post secundam lineam Joannes unam subnotationem tertio repetiit, reliqui secundo : post tertiam quoque lineam idem ipse Joannes quinquies variavit, quod aliorum unusquisque semel suo loco exposuit. Hæc ratio observatur in aliis, qui sunt in collatione, canonibus. Nec hoc silendum est quod una et æqualis progressio fit subnotationum : sed in canonibus numero aliquando intermisso, in singulis Evangeliis numerorum ordine rato ; cavenda tamen est in his discordia in quibus nulla esse debet omnino diversitas ; nam ut de Matthæo loquar, qui principatum obtinet in prædictis canonibus, exceptis duobus a principio libri ejus usque ad finem prima æra primi canonis ordinat tenorem ; similiter secunda secundi, tertia tertii, sic de reliquis ; unde falso existimatur scripta esse illa subnotatio, quæ in textu Matthæi est LXXXVI, cum æra prima. Ideirco quia, evolutis quamplurimis Evangeliorum voluminibus, nusquam inter LXX et XCVIII subnotationem, ulla in canone reperitur, quapropter eamdem Matthæi LXXXVI scilicet subnotationem, in sexto tantum canone apud Matthæum reperire poteris, et nusquam alibi, ideoque non ibidem scribenda est æra prima, sed potius æra sexta, sicut unius antiqui voluminis series recensita innotuit. Nam quod sub hac digessit Matthæus, ipse ducentesima quadragesima quarta sub prima æra repetiit, ac ideirco reciproca vicissitudine eidem concordant reliqui, in qua Marcus CXXXVIII pene similia est prosecutus. Repetendum igitur quod illius evangelistæ qui primus habetur in quolibet canone, licet intermisso, ordinato tamen augmento subnotationum progressio sit : verbi gratia, apud Matthæum post subnotationem octavam undecima sequitur ; A apud Joannem post decimam quartam invenitur ; reliquorum vero eidem primo consentientium propter concordiam aliquando transgressio fit ; si qua sane in talibus dubitatio incidit, assumatur præ manibus de consensu Evangelistarum liber Augustini omnium ecclesiasticarum quæstionum singulariter subtilissimi expositoris ; post Ammonium enim, qui de quatuor Evangeliis fecit unum, ad similitudinem libri qui dicitur *Concordia regularum*, hic Augustinus omnes dubitabiles propositiones Evangeliorum decerpsit, atque in uno codice ordinavit, earumque obscuritati maximam lucem infudit. Post eumdem quoque Ammonium Eusebius Cæsariensis libros Evangeliorum ut fuerant remanere permisit, et eorum concordiam numerorum ratione distinxit, B quam Evangeliorum canones appellavit ; quem secutus Hieronymus divinæ legis interpres et de græco fecit esse latinum, atque, eorumdem canonum ordinatio qualiter intelligenda sit, ita scripsit ad Damasum : *Sciendum est*, inquiens, *ne quis ignarum ex similitudine numerorum error involvat, quod, sicut in subnotatione canonum distinctorum, in canone quolibet tres evangelistæ bis vel ter, vel quater aut etiam amplius eumdem numerum per ordinem habuerunt adnotatum, et quartus e contrario discrepantes, quod id quod tres illi in eo loco semel dixerint, quartus toties in corpore voluminis sui ponat, quoties diversi numeri in ejus canone positi sunt, contra prædictorum numerorum continuatas similitudines. Item si in uno quolibet eorum aut etiam duobus, ibidem in canone* C *numerus bis, ter aut eo amplius reperiatur in ordine collocatus, et dispar is inveniatur in cæteris, dubium non erit quod id quod illius illorumve canones numeris bis vel ter repetitis ab his in volumine semel dictum sit ; alteri vero eorum toties in uno atque eodem sensu loquantur, quoties præiulerint in numerorum adnotatione distantiam. Hoc et in omnium novem canonum collatione servabitur. Cæterum, in decimo quoniam propria singulorum tantummodo continentur, non potest contra id comparatio esse, quod solum est.* Tandem quia, venerabilis Pater, ex prælecti viri commentariis ista enodando transtuli, atque ea non præjudicii sed judicii censuræ direxi, qui, illius benevoli fratris sagacitati satisfacere volens, me apud vos fuisse verbosum aut nimis garrulum per- D timui, timendo plura dicere supersedi. Restat tamen ei, quia fortassis non didicit, quid sit æra proprie exponere, eo quod Isidorus, quem sum secutus, ea sit usus quam frequenter in canonibus. Æra est singulorum annorum suppulatio, dicta ab ære, quod singulis annis reddebatur Romanæ reipublicæ, ideoque Hispanorum consuetudine pro centesimo vel alio quolibet anno centesima vel alia quælibet ponitur æra. Cognoscat itaque ille meus familiaris exacter me attentum illi operam impendisse, ei ferculum de lignis Libani construxisse ea charitate media, qua Apostolus optat : *Deus patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum* (*Rom.* XV, 5). Siquidem vos utrique mihi

solatio estis, quos idipsum sapere desidero quod secundum illum Christum sapio, quatenus unanimes uno ore pariter glorificemus sub catholicæ fidei integritate. Valete.

EPISTOLA VIII.

AD G.... ABBATEM.

Domino in Christo dilectissimo fratri coabbati G. humilis Floriacensium rector Abbo.

Desiderii mei fuerat bonorum virorum studia moresque explorare, explorando imitari, imitando describere; non pravorum hominum plenam vitiis vitam investigare, investigatam multis lacrymis deplorando exponere. Quod ut facerem illa res compulit, qua ingemisco, quod sub novissima hora multorum charitas refrigescit, eorum maxime qui in habitu præferunt quod eis mundus crucifixus sit (*Gal.*, VI, 14), quandoquidem non tantum simulatione verum etiam dissimulatione provocant iram Dei; quorum dolos, venerabilis Pater, caveas, fraudulenta verba ne audias : quoniam sepulcrum patens est guttur eorum (*Psal.* V, 11) qui turbare rempublicam maximum lucrum putant. Sub ovina pelle lupi ad monasterii asylum confugiunt, subselliis se pro latibulis abscondunt, et, ubi tempus male faciendi invenerint, malefaciunt, simpliciores fratres falsis circumventionibus sollicitant, lenocinio blandæ perditionis incautos decipiunt, et corruptos veneno suæ iniquitatis præcipitant in labyrinthum sui erroris; melioribus se detrahunt, crimina auditu horribilia confingunt; quorum Deus venter est, et gloria in confusione (*Phil.*, III, 19) : quia nimirum, terrena sapientes, non gustaverunt quam suavis est Dominus et Christus ejus, sub quo vivimus, movemur et sumus (*Act.*, XVII, 28). Hæc idcirco tuæ sanctitati scribo, similibus similia conferens, quia in Sancti Martini Majori monasterio tibi satis admodum vicino talia facta rumor innotuit, quæ tuis rationibus possunt imputari, non quod malevolis assensum præbueris, sed quod inauditum nefas tua irrefragabili auctoritate corrigere neglexisti; siquidem, percurrentibus legatis e diversis mundi partibus, amatores sacræ religionis judices convenire oportuit, eorum sententia determinare objectiones criminis, et utrum judicio justo repulsam meruerit qui dicitur reus ante conspectum divinæ majestatis. Non enim ille sanctissimus et magnus papa Gregorius ita abbates pro recens ortis rumoribus tractari voluit, qui Lupo presbytero et abbati propter Siagrium Augustodunensem episcopum inter alia scribit, præcipiens ne solus episcopus civitatis præsumat judicare causas accusati abbatis; sed, adhibitis quampluribus coepiscopis, in concilio audientiam deferat, ut omnium communi parique decreto aut innocens absolvatur aut reus condemnetur. Idipsum etiam nostro privilegio inserendum credidi quod de sanctis manibus domni Gregorii nostra ætate papæ sanctissimi sub auctoritate sancti Petri suscipere, quamvis indignus, emerui : quapropter, venerabilis in Christo, non declamatorie sed dispensatorie tibi persuadeo, quem plurimum diligo, ne credas subornatis testibus, ne credas derepente falsis fortasse criminationibus, quia et diabolus, ut bonos decipiat, aliquando in angelum lucis se transfigurat (*II Cor.* XI, 14). Recordare testimonii presbyterorum quos convicit falsa dixisse, argumento usus, semel patratum scelus non potuisse fieri sub locorum diversitate; hinc sumptum est quod habetur in canonibus, ut in appellatione virorum sacri ordinis alii accusatores, alii testes sint, alii judices, et singulorum vita discutiatur, ne vindictam molliantur, ne velint exercere in innocentem suæ indignationis achimœniam rabiem. Quippe, juxta illud Sallustii (*Orat. Cæs. in Senatu*), necesse est ut omnes sint ab ira, odio, gratia et misericordia alieni. Die, quæso, ubi lectum est oves pastorem judicavisse? An ubi Judas Magistrum prodidit? sed ipse nec accusavit, nec judicavit. David, in circumcisione positus, in Saul dominum suum manus mittere noluit. Christ tamen oram chlamydis præscidit (*I Reg.* XXIV, 5), docens procul dubio subjectos prælatorum vitia ita manu humillimæ reprehensionis tangere, ut eorum nomen nolint exstinguere; non enim est potestas nisi a Deo; et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit (*Rom.*, XIII, 1, 2). Videant igitur monachi Majorianæ congregationis quid in abbatem commiserint, quorum fuit regula silentio vitam degere, nulli detrahere, nullum odisse, obmutescere non solum a malis verum etiam a bonis, maledicentes non remaledicere, sed magis benedicere. Quis eos a jugo regulæ absolvit, ut buccis crepantibus pacem prædicent, et dentibus mordeant, liberi per plateas discurrant, delationi inserviant, cum delatores morte mulctentur, aut humanius ad vitam reservati septennio pœnitentiæ remedio castigentur? Quis contemplativæ vitæ sectatores, qui pedes illius cum Maria lacrymis rigare debuerant, et infra septa sui claustri tribunal conscientiæ conscendere, sua et aliena peccata non detegere vel publicare, imo potius deflere; quis, inquam, docuit homines proscribere? in foris reos damnare? Ecce fama exiit quod contra divinas humanasque leges abbas ignito ferro se purgare voluit, cui audientia denegatur, prærogativa judicii excluditur, palam præjudicium passus asportatur, examen laicis datur, monachis subtrahitur? quibus sanior mens saniusque consilium, ac inter malesanos, unius lustri spatio, regularis ordo confunditur. Sed esto : conscius criminis prælatus [*edit.* prælibatus] obtunditur, furca dignus atque cruciatibus miserabilis obruitur. Numquid subditorum catenis colla committet? numquid suorum manibus dilaniandus deficiet? At fortassis ille quondam noster Fredericus bonorum æmulus fratrum, insidiator pessimus, hujusmodi apud vos scholas instituit; quatenus, sicut ab Ario, Ariani; a Gnatone, Gnatonici; ita sui discipuli a Frederico, Fredericiani! Certe, venerabilis Pater, cavenda est talium ansa calumniæ, cavenda mendaciorum fabrateria impunitæ licentiæ, ne sus

decipiant ullo modo, qui hactenus bonus odor estis Deo in omni loco : nam ego ab eis inter deteriores deterrimus adjudicor, parricida appellor, quibus si placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I, 10); vobis autem gratias refero, qui mea vice doluistis, et de me, licet minimo fratre vestro, maledicta perpeti non potuistis; de cætero vestris litteris scire velim utrum repudiatus abbas libellum repudii fratribus suis miserit, an præjudicatus violentiam sustinuerit : quoniam mecum ille totius religionis signifer Odilo contemnitur, et fratres Cluniensis cœnobii, ut nobis relatum est, de Majore monasterio cum dedecore sunt expulsi; et id duos tantum factionis principes egisse comperimus, quorum temeritas eo promptior ad audendum omne facinus, quo faventis conciliabuli major est potentatus. Sæpe namque, ut inductione cognovimus, easdem vires taciturnitas argumento invehit, quas eloquentia, quæ illationis necessitatem colligit. Quandoquidem et dicenda tacere malum est, et tacenda dicere pessimum. Quapropter, omnium amantissime, quam plurimos ejusdem congregationis bonos fratres ut in melius proficiant admone. Murmuratores autem ac bilingues, ut a nequissimo vitio desinant, corrige. Proposito exemplo de veteri lege : « Vas, » inquit Moyses, « quod cooperculum non habet, immundum est (*Levit.* XI, 33), » quia illud os animam coinquinat, quod absque moderationis obstaculo ad omnem turpitudinem proferendam patet. Recordentur suæ professionis, et discant subditi prælatis obedire, non imperare; cum humilitatis subjectione a priore quidlibet requirere, non superbiendo ejus imperiis contradicere : qui enim nituntur collum excutere de sub jugo regulæ, seniorem conantur non obsecrare, sed increpare, scandalum ei, non pacem quærere; conspirationi seu conjurationi semper satagunt inservire; nec metuunt pœnas conjurantibus propositas, quas patiuntur desertores militiæ vel rei majestatis imperatoriæ : nec ad hoc nostra procedit oratio, quo sanctorum virorum atque electorum judicum velim subtrahere examini patrem qui dicitur incestus vel sacrilegus, sed filiorum pietati ac miserationi consulo, ne veluti Cham nuditatem patris detegant, imo potius aversis vultibus abscondant (*Gen.*, II, 22 et 23). Quis enim ignorat quod ille postmodum paternam maledictionem in posteris sustinuit, et non fratrum servus, sed servus servorum fuit. Tandem his prælibatis unam de eadem re conditionaliter propositionem subnexui, ex qua oriuntur syllogismi quos ab antecedentibus, consequentibus ac repugnantibus, et si tua charitas non elicuit, tamen auctoritas vim necessariæ conclusionis suggerere quibit. Dum enim super causa Bernerii quod verum est assumpseris, quid inferendum sit absque ullius scrupuli ambiguo manifestabis; hæc autem sit : abbas si palam reus est intentati criminis, indignus est officio indultæ paternitatis. Sane sic alterum existit, ut in abbate aut hoc aut illud non esse necesse sit : non enim A et palam reus est intentati criminis, et non est indignus officio indultæ paternitatis. Porro ad ultimum unum persuadeo, ne laxioribus habenis parcas illi nostro jam secundo fraternæ necis æmulo; quia nimirum vir linguosus, ut in suis insulsis litteris agnovi, aut bonis detrahit, aut manibus et pedibus ad malum quasi serpens repit. Valete.

EPISTOLA IX.

AD BERNERIUM ABBATEM.

Utinam abbati B. auctoritas ecclesiastica nihil indiscussum præterit, quin patenter doceat qualiter vivendum seu conversandum sit prælatis cum subditis, qualiterque de suis commissis judicandi sint prælati et subditi; quod te ignorare non arbitror, qui ab ipsis cunabulis educatus es inter magistros B sacræ religionis, nec subterfugit judicium quo damnantur vel absolvuntur criminibus appetiti; nosti etiam quod Deus personas non accipit (*Deut.* X, 17), et quia monachalis professio inventa culpabilis magis damnat quam liberet reum ab objectis, nec valet ad defensionem criminis. Idcirco quid tua refert bonorum virorum exspectare sententiam, quem propria conscientia accusat, turpissimæ actionis opinio infamat? adeo ut, sicut relatu veridicorum didici, partem abominationis confessus detegas, partem sub nomine cujusdam facti mirabilis, discretor vitiorum, abscondas. Sed quid prodest utrum partem facti, an factum habeas, cum illum versiculum :

Dimidium facti qui cœpit, habet.....
(HORAT., *Ep.* I, 2, 40.)

C omnes laudent, omnes sapienter dictum existiment. Nec te juvat illa quæ est apud rhetores translatio criminis, aut transmutatum nomen facti, quando scelus quod in prostibulo perpetratum est cum uxore alicujus aliter vir, aliter reus nominat; alter enim de adulterio queritur, alter non adulterium, sed quod fecit in prostibulo, licuisse fatetur. Neutrum tamen firmas vires defensionis suggerit, maxime tibi qui incentor factus es vitiorum, ad hoc electus ut fieres magister virtutum. Plurimos commissi gregis tuo morbo contaminasse diceris, lepra fœdissimæ contagionis perdidisse convinceris, nihil aliud dicens nisi quia fecisti, sed non perfecisti : ferro socium, imo filium, et cum qui te suæ vitæ tutorem elegerat, transfixisti; venenum ei porrexisti; D ignem sacris ædibus injecisti : si ferro transfixus evasit, si venenum potatum non exstinxit, si ignis non convaluit, te peccasse negas, et nihil tua interesse affirmas. Resipisce, resipisce, inquam, et ad te redi; atque, si objectorum conscius es, noli abbates et monachos tecum infamare, quandoquidem non tu solus sed omnes tui ordinis tales esse creduntur. Ego autem in Christo verum fateor quia omnes qui tales sunt qualis diceris, et, ut audivi, confiteris, quia delatoribus non contradicis; omnes, inquam, et monachico habitu et abbatis officio indigni sunt. Verum tamen hoc absit a te! cujus defensionem, si fieri potest, ut nostram quærimus, quo mœrente mœrebimus, quo gaudente gaudebi-

mus; nec differas audientiam, quæso, si innocentiam defendis. Sin aliter, fratribus satisfac misso libello repudii, ac reddita episcopo cura pastoralis regiminis, ut alter qui dignus est quantocius succedere possit. Valete.

EPISTOLA X.

AD..... EPISCOPUM.

H.... episcopo amatorum Christi amator Abbo.

Quid prosit scientia litterarum agnoscitur ex difficultate quæstionum, quas dum enodare imperitia vulgi nescit, a docto earum sententiam investigare contendit; si tamen imperitos aliqua de inauditis rebus dubitatio attigit. Dum enim in rerum natura quidquid illud est quæritur an sit, quid sit, cur sit, et quomodo sit, nec has quæstiones etiam imperitum vulgus præterit, certum est quod de ignotis omnino rebus nihil quærit. Nam philosophia in his exercet suam operam etiam quæ non sunt, ut nihil naturæ, nihil moralitatis eam effugiat, de quibus subtiliter investigat. Quapropter de juramenti observatione proponitur, nec ignota quærendi via est, cui argumentandi copia præsto est; cum jurare nihil aliud sit quam jure orare. Qui enim orat, quantum ad veri falsique opinionem, unam tantummodo tractat orationis speciem, etiamsi necesse est juramento obnoxiam. Hanc autem orationem dialectici enuntiativam nuncupant, quæ, præsenti tempore contenta, præteritum respicit ex facti actione; futurum vero ex facti promissione. Sed facti actio enuntiari jurejurando potest, ut definite vera vel falsa sit apud eum qui rem definite novit; promissio vero futuræ actionis sicut definite sub scientia non cadit. ita juramentum de promissis rebus ignoratur verum falsum ne definitive sit, nisi de his quæ necessitas naturæ trahit, ut Deum immortalem esse et hominem mori; si quidem definite verum est quod omne ortum occidet. Illud autem quod contingit, quoniam non necesse est fieri, et opinabile plurimum existit, si quis jurejurando affirmare vel negare voluerit definite, id ratio facere non permittit; quoniam de contingentibus causis promissivus modus sæpe nos fallit, et aliter quam putamus res casu vel necessitate impulsa succedit. Qui ergo jurat, an jure oret, quæritur, et quæ juramenti circumstantiæ sint. Scilicet locus, tempus et persona considerantur, quippe si loco vel tempore seu persona legitima caruerit, juramento reus non erit; unde Dominus in Veteri Testamento per Moysen præcipit ut puella quæ adhuc in domo patris est, si votum voverit seu jusjurandum fecerit, ne voto vel juramento obligata teneatur, si, mox ut ad notitiam parentis pervenerit, paternæ auctoritatis invectione prohibita fuerit. Mulieris nihilominus, quæ sub viro agitur, votum vel juramentum irritum fiat, si virilis auctoritatis majestas assensum præbere noluerit, imo potius, ea die qua ejus stultitiam compererit, districtissima correctione inhibuerit (*Num.* XXX, 4 *et seq.*). Vota enim stultorum, ut ait Salomon, frangenda sunt (*Eccl.* V, 3). Idcirco ibidem Moyses prosequitur quod propitiationem Domini ipsa illa mulier meretur, quæ perjurii noxam incurrisse putabatur; sed et obstetricibus Hebræorum Deus bene fecisse legitur, quæ mendacio suo necandos filiorum Israel pueros a morte servasse dicte sunt (*Exod.* I, 20). Mendacii igitur et perjurii causa pensanda est, qua aliquando levius, aliquando gravius peccatum committimus, nec unquam absque peccato mentimur; quandoquidem omne peccatum ex diabolo esse perhibetur (*I Joan.*, III, 8). Alibi quoque Dominus per Prophetam præcipit, *juramentum mendax ne diligatis* (*Zach.*, VIII, 17): et quid est mendaciter jurare, nisi pejerare? Hoc autem vetat diligere, ac si concedat invitum pejerare, juxta illud Apostoli : *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio. Si autem quod nolo malum, hoc ago, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.*, VII, 19 *et seq.*). Idcirco cogitur exclamare : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Id. ib.*, 24). Huic sententiæ concordat illud Tobiæ, qui bonis naturaliter moribus instituens filium : « Noli inquit mentiri omne mendacium. » Id præceptum hoc continet : Non enim mendacio utendum est, hoc est, quodam mendacio utendum non est. Verumtamen veritas Evangelii non solum non omni, sed nec ullo mendacio utendum esse innotuit, ubi omne mendacium ex diabolo esse proposuit. Quidquid enim ex diabolo est, malum est : nullo autem malo utendum est; nullo igitur quod ex diabolo est, utendum est. Et omne mendacium ex diabolo est : nullum autem mendacium bonum est; nullum igitur quod ex diabolo est, bonum est. Porro Scriptura dicit : *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 11) est, siquidem eo vitio humanam naturam diabolus corrupit; ut et mortalis et mendax sit, nec mendax nisi unde mortalis, nec mortalis nisi unde mendax existit. In perjurio igitur, hoc est in juramento mendaci considerandum est vitium mendacii, et in vanum assumptum nomen Domini, quoniam illud solum ad mortem sufficit, juxta quod scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.*, I, 11); cui dum aliud malum supervenit, gravius peccatum gignit : quod nunc metu mortis committitur pro tuenda corporis salute, nunc spe lucri pro adipiscendis rebus terrenis; et hoc perjurium vocari placuit. Sed pro tuenda salute corporis peccatum commissum non magnificat miseratio humanæ compassionis, juxta illud comici :

Pro magno peccato paululum supplicii satis est pati;
(Terent. *in And.*, act. V, *scen.* III.)

metus enim et pietas æqualiter flectunt animum judicis ad misericordiam, qui trutina justi examinis distinguat modum culpæ levioris et gravioris; siquidem ejusdem legis capitula, quamvis sibi videantur contraria, nullus præterit nisi transgressor legis, quem tamen aliquando metus vel pietas absolvit. Denique lex jussit ut masculus qui intraret templum Veneris, capite puniretur; siquidem jussit ut qui

matrem cædi videret, nisi eam eriperet, capite puniretur : quidam itaque juvenis in templo Veneris matrem cædi vidit, et, ingressus templum, matrem eripuit. Quæritur quid magis observare debuerit, dum matrem cædi vidit ; seu enim intraret, seu non intraret, capite puniendus erat : sed pietas præjudicat, quæ pro matris affectu cum utilitate et honestate accusatum purgat. Similis est lex Moysi de circumcisione pueri, si ejus octava dies a nativitate contigerit (*Gen.*, XVII, 12). In Novo quoque Testamento alibi uxor diligenda, alibi odio habenda (*Luc.*, XIV, 26) præcipitur, quæ omnia discretionis ille gladius separat, quem ignoraverunt Judæi, qui ad interrogationem Jesu de baptismo Joannis timentes utrinque feriri, hebetes sunt facti (*Matth.*, XXI, 25, 26).

Cæterum quia nos de juramento cœpimus, dicendum est quod remota cupiditate neminem sponte delectet jurare ; sed sæpius a malo est juramentum, ut ait Evangelium (*Matth.* V, 34). Nam malus dives opprimit pauperem, malus latro spoliat viatorem, malus calumniator disceptat contra innocentem ; atque ita nequit miser effugere laqueos inimici, quem plus æquo patitur ignobilis. Dum enim, violentia exactoris quem vitare nequimus, jurare cogimur, aliquando in perjurium labimur necessitate coacti, aut quorumdam malesarta gratia illecti ; siquidem adulter, fugiendo mortem temporalem, absolvit se sacramento non esse reum adulterii, et ita se æternæ morti addixit. Quidam etiam in tumultu seu conspiratione militari juravit mortem optimi imperatoris. Et quid dicam ? Ille jam occidit suam animam, licet Veritas dicat : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere?* (*Matth.* X, 28.) Iste vero in affectione peccati adhuc deliberat, atque sub partibus deliberationis quid sit utilius vel honestius consulit ; cui consulenti exemplo sit factum illius manu fortis, qui, postquam juravit interfectionem Nabal viri stulti et impii, interventu Abigahil prudentis feminæ maluit perjurium pœnitendo delere, quam perpetrato homicidio mali voti compos existere (*I Reg.*, XXV). Quapropter si quem jurandi consuetudo ad hunc exitum vergit quo plerosque Deum offendisse non nescit, suademus aliorsum pedem leviter figere potius quam tale præcipitium appetere, quo difficilior resurgendi spes possit inesse. Sic de naufragio obsessæ civitatis evadere cupientes, illam partem muri expetunt quam breviorem noverunt ; sed per enim hostium cuneis circumsessi grave periculum vitamus, dum evadendi aditum quærimus ; siquidem multi labyrintho erroris perjurium vitare nequeunt, dum idipsum quod alter jurisjurandi sacramento astruit, alter rursus juramento negare contendit, et id pro dicto uterque accipit ; verumtamen altera pars contradictionis absque ullo scrupulo semper falsa existit. Quæritur quoque si rem suam sibi injuste ablatam debet repetere qui ne repetat tormentis compulsus est jurare. Quam quæstionem A argumentum a nota facillime dissolvit, dum jurare sit jure orare : qui enim falso veraciterve orat, jure aut non jure pronuntiat ; jure autem orat qui a veritate non declinat, non jure vero qui cogit veritatem involvere mendacio ; nec jure raptoris violentiam sustinet, qui juste accepit quod habet. Debet igitur repetere quidquid juste habuit, injuste perdidit. Attamen juravit, ait aliquis, licet defendi possit non jurasse qui non oravit jure, quandoquidem ad sui defensionem atque ad abluenda crimina dat locum juridicialis clementia et lex divina. Si autem audientia subtrahitur, non jure sed crudelitate exhibita innocentia damnatur : nam, sicut majus peccatum fuit Judæ tradentis quam Pilati crucifigentis, ita majus peccatum est pejerare cogentis B quam ejus qui innocens pejerat timore mortis ; quandoquidem Petrus, dum mori timuit, Vitam negavit. Verumtamen, humanæ fragilitati compatiens, respexit Dominus Petrum et ejus lacrymas quibus flevit amare, et non legitur eos respexisse quorum terrore defecit a Christi confessione ; siquidem incurrit non dissimiliter peccati foveam hujusmodi negator et pejerans, cum et ille nomen Domini confiteri erubescit, et iste in vanum assumit, videlicet, quantum est in se, aut timore aut cupiditate (et cupiditate quidem sicut negotiator, timore autem sicut fidei invitus proditor) ; unde Scriptura divina jurare prohibet, et additur quare? scilicet ne forte perjuret ; quia perjurare, non jurare, peccatum est. Alibi quoque scriptum est : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX, 4), quoniam C juramentum, sed mendax tantum, sequitur pœnitentiæ remedium. Hæc de juramentis sponte prolatis et violenter extortis tuæ fraternitati scribens distinxi, et eorum differentias collegi, ut, postquam ad tuæ peritiæ sacrarium pervenerint, tuoque examine quibusque fratribus placuerint, palam omnibus recitari possint. Nec differt is qui jurare compellitur ab eo qui violenter baptizatur, si uterque sacramenti violator habeatur ; quoniam, ut ait Augustinus, « ad Ecclesiam potest trahi nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens, fidem in corde non potest servare nisi volens. Quapropter D caveat quis ad sacramenta fidei nolentem compellere, ne damnationis compede se potius obliget quam illum quem violatæ fidei reum existimat ; nam veneni propinator et potator uterque moritur, sed ille in anima, iste violata corporis natura (*Aug., Tract.* XXVI, *in Joan.*). » Unde me tædet vitæ meæ, et aliquando satis lacrymarum effundo, dum innocentum calamitates intueor, et cum eis vim passus exclamare compellor : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis*, quoniam *cum his qui oderant pacem eram pacificus ; cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX, 2). Vale.

EPISTOLA XI.

AD MONACHOS MICIACENSES.

Floriacensium rector, fratribus Miciacensibus

maxime eorum decano CONSTANTINO, salutem in Domino.

Dum charitas sit bona voluntas, miror qua fronte eo bono carere non erubuistis, qui palam confitemini rancorem vestræ malæ voluntatis, non tantum verbis quantum litteris quas nostris fratribus direxistis; quod utique facere non debuistis. Neque enim illorum benevolentia libenter suscipit prædicatores scelerum, proditores reorum, accusatores fratrum, maxime ubi (23) non admittitur, ubi audientia reo denegatur, cum scriptum sit quod nemo absens damnari possit. Vere fateor, fratres nostros vestris laudibus commaculare voluistis, quos, ac si complices, vestræ calumniæ adjunxistis fautores, detrectationis judices, accusationis præsules. Verum eorum innocentia ab hujusmodi peste quam sit extranea, testatur Fredericus ignobilis scriba, qui nunc Hierosolymis exsulat pro suorum mendaciorum fabrateria, pro excogitatorum de suis fratribus vitiorum inaudita historia. Siquidem et in nostra professione singularis Odilo Cluniensium rector hujusmodi historiographos nuperrime detectos de suo monasterio flagris cæsos expulit, et ferro abscisionis terribiliter inussit. Prosequendi quippe sunt a Christianis Saterrici quos persecuti sunt pagani, quorum nunc multitudo excrevit: quam de sub cœlo exterminet clementia divinæ pietatis! Denique Acephalorum hæresis, quæ nunc exorta est, cum Saterris damnanda est: quoniam sine capite regnant, sine patre spiritali, contra jus fasque naturæ suos fratres dilaniant, et mordentes pacem prædicant, cum nullum genus animalium sæviat nisi in dispar feris. Quapropter, professionis vestræ memores, vos ad vos reducite; quid coram Deo et sanctis ejus voveritis, mementote; abbatem, quem cum sua una ovicula expulistis, regulariter vobis præesse desiderate; ejus arbitrio fratrum suorum culpas relinquite; et, si regula Benedicti monachorum legislatoris displicet, saltem Apostoli sententia placeat, qua dicit: *Tu qui es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit; stabit autem: potens est enim Dominus statuere illum* (*Rom.* XIV, 4). Si denique in pastorem vestrum manum reprehensionis mittitis, scitote quia Pastor pastorum Jesus Christus vobis contradicit, cujus exemplum imitatur in eo quod vos quasi nullius egentes in montibus reliquit, et unam ovem, quæ erraverat, ad gregem reducere quærit. Hoc quoque gravissimum in vestra conspiratione reperi, quod benignitatem domni Fulconis Aurelianensis episcopi contra vestrum abbatem exasperastis, ad inclementiam vestro concilio perduxistis, contra auctoritatem canonum in innocentem armastis. Innocentem autem idcirco fateor, quoniam bona conscientia, ut asserit, utitur, objectis respondere conatur, hæc quemquam vestrum legisse aliquando testatur; unde conjicimus quod invidia diaboli, qua mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24), depascat animum insidiantium gregem succenturiatorum, quandoquidem ei locum defensionis obstruunt, quod in Ecclesia catholica nulli hactenus fuit licitum.

Tandem ad te, mi quondam familiaris Letalde, nunc sermo dirigitur, cujus alias singularem scientiam mea parvitas amplectitur et summis laudibus extollere nititur. Quid tua interfuit unius miseri vitam corrodere, unius homuncionis quæ non erant vitia denotare, cum scriptum sit quod sapiens pœnitenda non committit? At fortassis tuorum factorum non pœnitet. Verumtamen quis ministerium diaboli libenter assumpsit, ut vitia hominum denotet, in cathedra pestilentiæ sedeat (*Psal.* I, 1), conciliabula malignantium unde struat? Hortor et obtestor, charissime, recordare infirmitatis tuæ, assume viscera misericordiæ, fratres tuos argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (*II Tim.* IV, 2), ita scilicet ut nec increpatio ad desperationem pertrahat, nec patientia vitiorum fomiti succumbat. Tu enim hujus conspirationis caput diceris; tu domni Rotberti abbatis tui officium, quod dictu nefas est, præsumpsisti, nec delatoris pœnam exhorruisti, quem expeditum omnibus malis absque ulla rebellione restituat omnipotens Deus patris et fratrum unanimitati. Vale.

EPISTOLA XII.

AD ODILONEM.

Prærogativa insignito ODILONI Cluniensium patri, amatorum Christi amator ABB. Floriacensium rector, salutem in Domino.

Proficiscenti mihi in Wasconiam ob institutionem monasticæ religionis, contigit devenire ad monasterium Sancti Cypriani martyris, situm in suburbio Pictavensis famosissimæ urbis; quem locum postquam reperi vestræ subditum ditioni, nostrum credidi; quoniam amicorum sunt omnia communia, ut est quorumdam sententia; atque idcirco nimis indolui de fama quæ tunc temporis volitabat per aures vulgi, quam vice discutiens vestra ultra modum ingemui, quod in viros nostræ professionis invidia diaboli per indisciplinatos subrepit, quod illi qui dicuntur monachi efficiantur satyrici criminatores fratrum, incentores vitiorum, ac viperino dente corrodunt viscera matris Ecclesiæ. Quorum insaniam, venerabilis pater, deterreri necesse est, ne conculcent sancta profani, ne vilescant pretiosi lapides sanctuarii; quandoquidem jam refrigescit multorum charitas (*Matth.* XXIV, 12), et mali cucullati sibi auxilio et consilio junguntur, ut de pennis Leviathan scribitur, quarum una uni conjungitur, et nec spiraculum quidem incedit per eas (*Job* XLI, 7). Delatores enim mundanis legibus capitali sententia puniuntur. Qua temeritate ergo audent miseri os aperire in necem fratris, in detractionem proximi, assumendo officium proditoris; quorum professio est tacere, etiam a bonis? Prudenter, dilectissime, horum præcave versutias, qui, mordentes bonorum vitam simplicem, et lupi sub ovina pelle, prædicant

(23) Hic aliquid, substantivum scilicet, deesse videtur.

pacem. Quo certe [tempore] lectum est monachos et sacerdotes Domini damnatos esse accusatione meretricis? quis monachus auctoritate Patrum abbatem suum ad sæculare judicium compulit? quis clericorum vel episcoporum concilio addixit? Vere fateor sævissima districtione feriendam esse hujusmodi præsumptionem; quia, ut ait discretissimus monachorum legislator Benedictus, suum et alienum peccatum ille, suæ professionis immemor, abbati vel spiritali seniorum debuit patefacere, non delegere et publicare, quod non vobis potestatem judicandi de fratribus vestris sustulit, cum hanc alteri commisit. Tandem, quia in objectione criminis, auctoritate Magni Gregorii, alii sunt accusatores, alii testes, alii judices; age, vir prudentissime, ut innocens expeditus crimine gaudeat, et accusator temerarius reum se sentiat, ne de pœnis innocentum rideat Vale.

EPISTOLA XIII.

ALBERTI ABBATIS MICIACENSIS AD JOANNEM XVIII PAPAM.

Domino sancto et venerabili papæ Joanni XVIII, ALBERTUS abbas abbatiæ Sancti protomartyris Stephani et Christi confessoris M. et omnis congregatio monachorum ejusdem loci, videlicet Miciacensis, salutem in Christo.

Novimus te, Pater reverende, constitutum in terris vicarium universali Ecclesiæ vice beati Petri, ut sustentes eos qui injuste opprimuntur, et opprimas eos auctoritate beati Petri, qui nimium se erigunt. Quapropter ad tuam confugimus reverentiam per hanc epistolam, ut subvenias nobis et facias quod precamur. Locus in quo habitamus dicitur Miciacus, quem sanctissimi viri, scilicet beatus Euspicius et nepos ejus venerabilis Maximinus regio munere Clodovei primi Christiani Francorum regis fundaverunt, et alii quamplurimi deinde proprio beneficio construxerunt; et idem præfatus locus in tantum floruit olim in spirituali et temporali bono, ut CXL monachi ibidem congregati Deo assidue famularentur; in tantum postmodum dissipatus pervasione malorum, ut nullus [ibi] vivere potuerit monachus; gratia autem Christi juvante, paulatim nunc, quasi quidam redivivus æger a longa ægritudine convalescens, ita idem locus a vilitate suæ dejectionis resurgere aggreditur per eleemosynas bonorum virorum ac mulierum, ex quibus hæc bona mulier est domna Regina nomine, quæ multa prædicto loco pro salute sua, et pro remedio animarum videlicet sui mariti et filiorum suorum jam defunctorum, Deo et sanctis ibidem venerans obtulit. Timet autem ut [*id est* ne] post suum obitum aliquis suorum vel extraneorum conetur aliquid auferre ex his omnibus quæ dedit Deo; et ob hoc suggerimus vestræ sanctitati, ut duos tomos quos in vestro nomine scripsimus, quorum unus proprietatem largiti beneficii hujus venerabilis feminæ continet, alter autem totius summam substantiæ nostri cœnobii corroboretis vestra auctoritate cum titulatione sigilli vestri nominis; et nos assidue pro vobis, vivo et mortuo, Deum deprecabimur. Dignum est enim, venerande Pater, ut prædecessorum vestrorum morem sequamini, et monasteriis noves indiculorum biblos corroboretis, quibus ipsæ congregationes ab omni mundano strepitu quiete Deo servire possint, maxime sub epitimio excommunicationis. Vestrum apostolatum Deus custodiat in æterna pace. Vale in Christo, beate Pater.

EPISTOLA XIV.

ABBONIS AD G....

Charissimo fratri G., amatorum Christi amator abba ABBO Floriacensium.

Sæpe contingit ut veritate odium crescat: quod sapientis animus patientissime tolerat, dum rei negotium utilem et honestum finem prætendit; pro quo illud sustinet, atque sustinendo pro inimicis clementer orat: quod te fecisse non abnego, qui pro injustitia quam pateris ad Deum clamas de profundis, et quibuscumque potes pro modulo tuæ possibilitatis declamatoriæ contradicis; inimicos sustines, quos amicos habere debueras, quoniam sui propositi obliviscuntur Christiani qui ad inimicitias erumpunt, dum agros non suos demetunt, aliena invadunt, stipendia servorum Dei diripiunt. Et, quid dicam? non id idiotæ faciunt, sed doctores Christianorum, rectores plebium, et ita, quodammodo obcæcati omnium radice malorum (24), pauperes Christi ad inopiam pertrahunt; quod procul dubio minime facerent, si illud divinæ Scripturæ vetitum perhorrescerent: *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, XXVIII), *non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum* (*Levit.* IX, 13). Et Dominus per Moysen prophetam: *Væ iniquo qui transfert terminum proximi sui!* (*Deut.* 28, 17.) Et rursus per Isaiam: *Væ, qui conjungitis domum ad domum et agrum ad agrum copulatis!* (*Isa.* V, 8.) Subjungit etiam inferius: *Væ, qui condunt leges iniquas et scribentes justitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes!* (*Id.* X, 1, 2.) Condunt quippe leges iniquas ut opprimant in judicio pauperes, quoniam dotes ecclesiarum non ecclesiis, quarum dotes sunt, derelinquunt, ut inde pauperes Christi sustententur, sed suis militibus aut pro donativis erogant, aut vice beneficiorum dispertiunt, fingentes tegnam Lonam sæculis inauditam, quod ipsæ dotes non sint ecclesiarum sed potius altarium; cum maximum altare lapsum uno tremisse valeat restaurari; ecclesia vero vix quamplurimis solidorum impensis.

Nec mireris, frater charissime, quod hæc hæresis nostro moderno tempore crevit, quo justitia excessit terris: quandoquidem nunc et novitates verborum placent, quas Apostolus prohibet (*I Tim.* VI, 20), et in templo Dei fit sæculare quod sanctum est. Altaria laicis in possessionem dantur, peccata populi non

(24) *Scilicet* superbia.

monachi vel clerici comedunt (*Os.* IV, 8), qui pro peccatis ejusdem populi apud Deum interveniunt; sed judicio episcoporum oblationes ecclesiæ plus equis et canibus laicorum prosunt, quam peregrinis, orphanis et viduis, aut restaurationi ecclesiarum: sua enim altaria esse astruunt, quæ absque ullis auctoribus ab ecclesia secernunt, eo errore ducti quo detinebantur hæretici, qui unam personam Jesu Christi in duabus naturis conati sunt dividere in personarum pluralitate, contra illud, *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* XI, 8). Siquidem Apostolus crucifixum asserit quem gloriæ sua confessione patefecit: quia, sicut anima et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, qui suam sponsam sanctam, videlicet Ecclesiam totam sibi consecravit, consecratam univit; et, si spectes ad templorum ædificia, fundamentum, parietes et tectum absque Christi mensa, domus est, non ecclesia, sicut et cadaver dicitur corpus absque anima. Hæc idcirco dixerim, ne quis individua velit dividere, aliud dicens ecclesiam, aliud altare, quia minus solers stulto consumitur labore qui conatur quod est impossibile. Quod vero sacerdotes Domini ecclesiarum dotes et decimas in manu sua consistere canonum auctoritate confirmant, nemo contradicit, qui eo loci *manum* potestatem intelligit. Nam prædictæ res in manu sunt episcopi, sicut regnum in manu regis, quatenus eorum potestate et judicio servetur unicuique æquitas ad res suas obtinendas. Ne quis autem me falso existimet de manu hanc fixisse significationem, recordetur quod peccator pavidus de manu mortis se frequentius orat eripi. Ipsa tandem Ecclesia cujus sit, Christus manifestius dicit: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). *Meam*, inquit, non *tuam*. Si ergo omnis Ecclesia Christi est, nulla autem Petri, aut alicujus est, restat ut hominum altercatio de pastibus seu bonis ejus nulla esse debeat, quandoquidem ejus est pars, cujus est totum. Si quid vero de temporalibus ejus bonis partiendum est, illis debet specialiter prodesse qui ecclesiæ spiritaliter deserviunt die ac nocte.

Verumtamen non mediocriter moveor quid illud sit quod, cum omnes decimæ in manu episcopi sint, tertiam seu potius quartam partem episcopo auctoritas canonum concedit. Cui enim totum concessum est, et pars; sin autem et pars conceditur, totum concessum fuisse frustra contenditur: nisi forte illud totum ad ordinationem episcopi, non autem ad illam cessionem juris pertineat ut dare, vendere, seu in proprios usus retinere queat. Quis enim ignorat clericos et ecclesiasticas res consistere sub manu episcopi, qui per œconomos dispensandi easdem res potestatem accepit. Cæterum de tertia seu potius quarta parte, ei ad votum competit quidquid, ut ecclesiastico dispensatori, agere placuerit: quandoquidem ei dono dare, vendere et possidere facultas arrisit; cumque in uno quolibet episcopio interdum mille sint ecclesiæ, mirum est si tanta est avaritia sacerdotum ut satiari nequeat tertia vel, quod minus est, quarta parte suarum ecclesiarum. Quod prævidens Bracharense concilium ait: *Tertiam partem ex quacunque oblatione populi in ecclesiis parrochialibus episcopus non requirat, sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ vel recuperatione servetur, et singulis annis episcopo exinde ratio fiat.* Cum igitur de hac parte ecclesiarum transcriptum sit, ubi quæso de dotibus vel decimis scriptura quælibet tradit quod singulis annis episcopo ratio reddenda sit? an aliquid ecclesiæ, maxime res immobilis, poterit abalienari? est sane rei alicujus abalienatio, talis in jure cessio ut post hanc nulla sit legitima repetitio, quoniam ad priorem possessio jam non pertinet. Omnino hanc abalienationem de rebus ecclesiæ non posse fieri tot sunt testes quot sunt legum seu canonum auctores.

Quidam igitur antecessor meus in possessione nostri monasterii ecclesiam ædificavit, dotem contulit, num idcirco monasterium possessionem amisit? aut abbas id abalienare potuit? Requisiti itaque in hoc hujus nostri monasterii libri politici a temporibus Magni Caroli pene vetustate consumpti, quid ædificata ecclesia mihi meisque fratribus debeat, innotescunt; quid contra illa dotis nomine data suis burdationibus solvat, ibidem perpendit procuratoris diligentia. Porro quod te aliquando sub mei præsentia turbavit, dum diceretur quod monachi ecclesias tenere nequirent, remove ab animo; et scito quod monachus, nisi ad clericatum promotus, ecclesiæ retentis ministeriis, deservire, ne quid de reditibus ejus seu oblationibus vivere debeat et possit (25). Hæc omnia tuæ fraternitati scribens, quibusdam capitulis ecclesiæ subjectis sollicitum et cautum contra obloquentes reddere volui, ne imparatum inveniat, qui nostris utilitatibus derogat; siquidem qui nos simplicitatem habere monuit columbinam, serpentinam astutiam tenendam præmisit (*Matth.* X, 16), ne alicujus fictæ amicitiæ malefacta gratia illiciat, ne versuta calliditas innocentes opprimat. Quoniam in Canticis canticorum præcipimur capere vulpeculas quæ demoliuntur vineas: nam flores apparuerunt in terra nostra (*Cant.* II, 15), divinæ gratiæ prærogativa quibus nutrimur, velut hæduli qui pascuntur in liliis (*I ibid.*, 16), peccatorum nostrorum conscii sub magisterio et regula legislatoris Benedicti; qui etiam ingemiscimus, quoniam eorum ferinos rictus patimur, quos ab aliis passos graviora non ignoramus: nec in eos audent retorquere vindictam, sed in nos minimos nostramque innocentiam movent persecutionem, juxta illud Maronis:

> Torva læna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
> Florentem cytisum sequitur lasciva capella.
> (Virg., *Ecl.* II, 63).

(25) Obscurus sane locus; quem mutilum aut corruptum vel primo intuitu facile quisque judicaverit.

Ne indigneris quod te capellæ similem dixerim, quæ lupo nonnunquam obediens murmurat, et flebiliter balatibus suam ærumnam ejulando conqueritur. Tu quoque, quia cogeris dulcia arva perdendo relinquere (Virg., Ecl. I, 3) de impatientia blasphemaris, de taciturnitate reprehenderis. Sed capella aliquando lacrymosis questibus de ipsis faucibus lupi eripitur, tacendo vero ad mortem præceps rapitur. Siquidem igitur potes, enitere, malis resiste, Christianum maxime episcopum, quia Christianus es, in te peccare noli permittere : ei alteram maxillam non præbeas, auferre volenti tunicam non dimittas (*Matth.* v, 39, 40), ne tua patientia illam perdas. Recordare proverbii quod scriptum est : *Malo arboris nodo malus cuneus quærendus est.*

Nec id dico uti monachus contra tuam professionem in aliquem manibus excedas, sed ut gladio divini verbi inferiusque prolatis sanctorum Patrum sententiis eum confodiens corrigas, qui, Christianæ professionis immemor, satagit esse rerum extortor, legumque contortor, dum fundatoribus ecclesiarum aut hæredibus eorum nititur auferre quod eis competit; et ita tuam ejusque animam salvans salvabis. Gregorius Magnus papa episcopis et clericis ad monasteriorum dominationem occasione regiminis importune tendentibus resistit in multis epistolis. De qua re Joanni Ravennati episcopo scribens (*Epist.* IV, 1), ait : « Pervenit ad me quod in ecclesiis fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt, dumque hi, qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis præponi appetunt, et per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo enim potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere, ut ipse districtionem monasterii teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc quolibet in loco factum emendare festinet, quia ego nullo modo patiar loca sacra monachorum ut per clericorum ambitum destruantur. » Item Mariano Ravennæ Episcopo (Id., *ibid.* VI, 40) : « Quod non debeat episcopus monasterium inquietare. Dudum ad nos multorum relatione pervenerat, monasteria in Ravennatibus partibus constituta omnino clericorum vestrorum dominio prægravari, ita ut occasione quasi regiminis ea, quod dici grave est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro litteras misimus, ut hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ termino citius occupatus [est], ne hoc onus in monasterio remaneret, fraternitati vestræ eadem nos scripsisse retolimus, et quia, ut comperimus, in hujus rei hactenus correptione cessatum est, hæc ad vos iterum pervidimus scripta dirigere. Hortamur ergo ut, omni mora omnique excusatione summota, ita monasteria ipsa ab hujusmodi studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis clerici, vel ii qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant nisi orandi tantummodo causa accedendi licentiam, aut si forte, ad peragenda sacra missarum fuerunt invitati mysteria. Sed ne vel per cujuslibet monachi aut abbatis promotionem, onus aliquod fortasse sustineant, studendum nobis est ut, si quispiam abbatum aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat, ut diximus, ulterius potestatem, ne monasteria hujus occasionis velamine ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundo commonita sanctitas vestra non differat, ne si post hoc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit quia tantæ necessitati servorum Dei congregationem amplius subjacere non patimur. »

De injusta excommunicatione episcopi, Januario quoque Karalitano (26) episcopo, post aliqua scribit dicens (Id., *ibid*, II, 34) : « Inter querelas multiplices, Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est; quod quamobrem factum fuerit, dum a clerico tuo qui præsens erat voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te injuriaverat factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit, quia, si ita est, nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti; unde de cætero omnino esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas : nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. » Luminoso abbati monasterii Sancti Thomæ de Arimino (Id., *ibid.*, IV, 14) : « Petitionem tuam congregationisque tuæ libenter suscepimus, secundum statuta Patrum jurisque formam tuis precibus accommodantes fidelem effectum. Castorio fratri et coepiscopo nostro nostra præceptione transmissa, ei successoribusque ejus a te monasterioque tuo cunctæ læsionis abstulimus funditus potestatem, ut nec ultra in vestro versetur gravamine, nec monasterii res describat, nec publica illic debeat esse processio, illa videlicet ei jurisdictione relicta, ut in defuncti abbatis locum, alium, quem dignum communis consensus congregationis elegerit, debeat ordinare. His ita perfectis, in Dei opere estote solliciti, et assiduæ orationi operam date, ne non videatur magis vobis quæsita mentis in oratione securitas, sed male, quod absit! degentibus episcopalis evitata districtio. » Gregorius Castorio episcopo Arimino, de supra dicta re (Id., *ibid.*, IV, 43) : « Luminosus abbas monasterii Sanctorum Andreæ et Thomæ in Ariminense civitate constituti, quas nobis lacryma-

(26) Legatur *Calaritano*.

biliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat, pro qua re fraternitatem tuam hortamur ut, obeunte abbate monasterii ipsius ecclesiæ, tua [cura] in describendis providendisque acquisitis acquirendisve ejusdem monasterii rebus, nulla se occasione permisceat. Abbatem vero eidem monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actuum disciplinæ monachicæ communi consensu congregatio tota poposcerit, ordinare te volumus. Missas autem illic publicas per episcopum fieri omni modo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, popularibus occasio præbeatur ulla conventibus, et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit! in scandalum trahat frequentior quoque muliebris introitus. Hanc autem scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore vel post episcopis ordinandis formam statuimus, illibatamque servari, ut tecum tua Ecclesia, juvante Domino, suo tantummodo sit jure contenta, et monasterium illud, nulli alterius aliique generali canonicæve jurisdictioni deserviens, remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant. Data mense Julio, indict. XIV. »

Quod non debet episcopus monasterium inhibere a missis nec a sepultura : « Gregorius Joanni episcopo de Urbe Vetere (*Epist.*, I, 12). Agapitus abbas monasterii Sancti Georgii insinuavit nobis plurima se [a] vestra sanctitate gravamina sustinere, et non solum in his [ad, *vel* contra] quæ necessitatis tempore aliquod monasterium possit subferre subsidium, verum etiam in ipso monasterio missas prohibeas celebrari, sepeliri etiam ibidem mortuos interdicas : quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi, et sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas, nulla ulterius habita contradictione, permittas; nec denuo querelam de his quæ dicta sunt prædictus vir venerabilis deponere compellatur; quod non debeat episcopus monasterium inhibere a missis. » Item Martiniano episcopo (Id., *ibid.*, VII, 18. Indict. I) : « Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere et de eorum securitate perpetua tractare, anteactum vos officium, quod in regimine monasterii exhibuistis, informat. Et ideo, quia monasterium beatorum Joannis et Stephani quod in Classitana civitate constitutum est, cui communis filius Claudius abbas præesse dignoscitur, multa a prædecessoribus vestris præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futura quiete salubri ordinatione disponat, quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, liberi perseverent. Sed ne, ex ea quæ magis emendanda est consuetudine, quisque illic quolibet tempore quidque molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Nullus igitur ultra audeat de reditibus, rebus vel cartis prædicti monasterii, vel de loco aliquo qui ad eum pertinet quocunque modo, qualibet exquisitione minuere, nec immissiones vel dolos aliquos facere. Sed si qua forte causa inter Ravennatem et præfatum monasterium evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud electos a partibus timentibus Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solertem de aliis monasteriis sibi similiter eligant ordinandum; neque venienti abbati quæcunque persona qualibet occasione in suo monasterio præponatur, nisi forte exstantibus, quod absit ! criminibus quæ sacri canones punire monstrant. Pariter autem custodiendum est ut, invito ejusdem monasterii abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant; sed si abundantes fuerint qui ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de his qui superfuerint offerat quos dignos coram Deo putaverit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennatis episcopus ad ordinanda alia monasteria de his qui supersunt tollat. Ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum pervenerit, ulterius illic ne potestatem aliquam nec licentiam habeat habitandi. Observandum quoque est ut descriptio rerum aut cartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit; sed abbas loci cum abbatibus aliis rerum inventarium faciat. Quoties autem pro utilitate monasterii sui ad pontificem Romanum abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea, cum episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeant exspectari, quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nuntiatum est prægravatum, oportet ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur : sed sic charitatis officium illic episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram vero fraternitatem prædictus abbas non solum non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit, sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit. »

Ut privilegia et ordinationes et decreta beati Gregorii et aliorum sanctorum sine aliqua refragatione serventur : « Bonifacio primo defensori (Id., *ibid.*, VII, 17) : Ecclesiasticis utilitatibus fideliter insudantes congruo sunt beneficio prosequendi, ut et nos respondisse eorum digne obsequiis videamur, et illi ex indulta gratia utiliores existant. » Et post aliqua : « Hæc itaque institutionis nostræ decreta,

quæ pro defensorum sunt privilegiis et ordinatione disposita, perpetua stabilitate et sine aliqua constituimus refragatione servari, sive quæ scripto decrevimus, seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse disposita, nec a quoquam pontificum in totum vel partem vel ex qualibet occasione convelli decernimus, vel mutari : nam nimis est asperum et præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quemplam quacunque rationis excusatione, ut quæ bene sunt ordinata rescindere, et exemplo suo docere cæteros sua quandoque posse constituta dissolvere. »—Joanni Episcopo Scillitano, item de eadem re (Ib., *ibid.*, VII, 32) : « Grave nimis et contra sacerdotale constat esse propositum, vel cujusque monasterii privilegia olim indulta confundere, et ad irritum quæ sunt pro quiete disposita niti deducere : questi namque nobis sunt monachi Castellienses, quod in fraternitatis vestræ civitate est constitutum, quia eidem monasterio quædam quæ prædecessoribus vestris permissa ac consuetudine longa servata sunt, festinetis inducere, et antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut, si ita est, ab ejus se molestia sine aliqua excusatione contineat, et quæ eis sunt diutius custodita, nullius occasionis tentet usurpatione convellere, sed cuncta illibate et sine aliqua studeat refragatione servare, et plus sibi in eodem monasterio, quam prædecessoribus suis licuit, noverit non licere. Quia vero pariter questi sunt fraternitatem tuam quædam de monasterio sub xenii quasi specie abstulisse, necesse est ut, si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis deburat magis munificentia demonstrare. » Item post pauca : « Indicaverunt etiam monachi monasterii castrum quod Scillacium dicitur, in solo juris monasterii eorum esse fundatum, atque ob hoc habitantes illic factis libellis solatium singulis annis expendisse; persolvere sed postea contempsisse, et ab eadem se præsentatione supervacue suspendisse. Fraternitas ergo vestra subtiliter veritatem curet addiscere, et, si ita repererit, instanter studeat ut ea quæ promiserunt, quia et ratio ita exigit, præbere non differant; quatenus et illi quiete quod tenent possideant, et monasterii jura præjudicium non incurrant. Præterea questi nobis sunt prædicti monachi monasterii abbatem suum intra Scillanum castrum quod sexcentos pedes extenditur sub prætextu fabricandæ ecclesiæ fraternitati tuæ donationis titulo concessisse, et ideo volumus quantum parietes possunt ædificatæ ecclesiæ circumdari, juri ecclesiæ vindicari. Quidquid vero extra parietes ejusdem ecclesiæ esse poterit, ad jura monasterii sine difficultate aliqua revertatur; quia nec mundanarum legum, nec sacrorum canonum statuta permittunt res monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. Quapropter donationem ejusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua restitue contradictione. Item æquitatis jus exigit ut hoc quod a prædecessoribus nostris cognita veritate est redditum, nostra debite denuo ecclesia tenere non debeat; ne, quod omnino contra religiosum constat esse propositum, non vera, sed imaginaria ac magis dolosa fuisse restitutio videatur. Et ideo, quoniam Stephanus abbas monasterii Sancti Marci quod constitutum juxta muros Spolitanæ civitatis esse dignoscitur, questus nobis est Massam Veneris in provincia Campaniæ sitam territorio Minturnensi, quam ei beatæ memoriæ decessoris nostri Benedicti redditam præceptione cognovimus, ab ecclesia nostra nunc indebite retineri; idcirco hac tibi auctoritate præcipimus ut, si manifeste ab ecclesiæ nostræ hominibus detinetur, in jure eam prædicti monasterii sine aliqua mora vel altercatione restituas. Si vero non a nostris, sed a quibusdam forsitan extraneis detinetur, strenua te agere sollicitudine volumus, ut in jure modis omnibus memorati debeat monasterii reformari, quatenus et ipsum quod suum est te sollicitante sine aliqua fatigatione recipiat, et alter de dispendio monasterii injuste lucrum non habeat. »

(Ib., *ibid.*, II, 39.) « De ecclesiasticis vero privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque ecclesiis sua jura servamus, nec cuilibet favente gratia ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante, derogabo; sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honores in oculos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. Responsalium vero vestrorum moribus valde congaudeo, in quibus mihi ostensum est quantum me diligitis, qui ad me electos fratres et filios transmisistis. »—(Ib., *ibid.*, VI, 32.) « Licet fraternitatem vestram erga monasteriorum curam pastorali vigilantia credamus esse sollicitam, ea tamen quæ de monasterio in Africana provincia posito cognovimus, vobis necessario prævidimus indicare illa. Queritur autem Concodeus abbas lator præsentium quia, si quando monachos quibus præesse dignoscitur sub regulari voluerit disciplina restringere, monasterium temere deserant, et licite quocunque voluerint vagantes existant. Quia ergo hoc et ipsis omnino perniciosum est, et aliis perditionis monstrat exemplum, hortamur fraternitatem vestram ut, si ita est, ecclesiasticam in illos correctionem exerceat, et cum gravi eos ultione a tali procul dubio præsumptione compescat; atque ita ad obediendum salubri provisione superbientes animos jugo disciplinæ subjiciat, ut quos ad hujusmodi pravitatis excessum eorum poterat imitatio provocare, emendatio a culpa revocet, et suis, ut dignum est, doceat præpositis obedire. Quia vero a quibusdam episcopis excedentes monachos perhibet defensari, fraternitas vestra in hoc studeat esse sollicita, et eos a tali defensione sua modis omnibus interminatione suspendat (Ib., *ibid.*, VII, 115). Cum piæ desiderium voluntatis et laudandæ devotionis intentio

sacerdotalibus sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete religionis et conversationis sint ordinata, ne dissimulatione negligere, ne quadam valeat præsumptione perturbare (27); sed, sicut hoc quod ratio exigebat non aliter oportuit definiri, ita quod definitum est non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus Francorum rex catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatensis civitatis monasterium virorum, ut scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit; cujus ne voluntas unquam duceretur in irritum, et ea quæ pro quiete monachorum disposita fuerant turbarentur, quæque [*pro* quæcunque] contulit in jure ejusdem monasterii epistolis suis apostolica petiit auctoritate firmari; hoc quoque suæ petitioni subjungens, ut eidem monasterio tam in dispositione rerum quam in ordinatione abbatis quædam pariter privilegia largirentur: sciens quippe eam apostolicæ sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreta disposita nullius deinceps illicitæ usurpationis molestia quaterentur. Unde, quia effectum et regia voluntas et res valde desiderata poscebat, a prædecessore nostro Vigilio Romanæ sedis antistite ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, ubi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat apostolicæ auctoritatis libenti animo subfirmata sunt; quia difficultates pati non potuit hujusmodi res petita. Sed ut fraternitas vestra quæ fuerint tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his prævidimus scriptis adjungi; quibus lectione percussis hortamur ut omnia sacerdotali, sicut decet, studio inviolata conserves, nihilque illic de vetitis, nihil permittas de illicitis. Ex abundanti tamen cuncta quæ pro hujus rei quiete a prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat, quatenus et omnem inquietudinis occasionem excludat, et aliis hoc operari studeat, dum se in custodienda defuncti piissima voluntate sollicitam, ut decet, exhibuerit et devotam. »

Item de servandis privilegiis Gregorius omnibus episcopis: « Nulli fas est vel velle vel posse transgredi apostolicæ sedis præcepta nec ejus dispositionis ministerium, quod omnium oportet sequi charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat; sed extorris a sancto ministerio fiat, ne de ejus judicio quisquam postea curam habeat, quoniam jam damnatus a sancta et apostolica Ecclesia ejusque auctoritate et propria inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur: quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum prælatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam alios ne præterirent insinuare, sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare apostolicis. » Dicta beati Hieronymi ad Jovinianum; qualis debeat eligi episcopus (*Libro* I *adversus Jovinianum*) : « Non ait Apostolus : eligatur episcopus qui unam ducat uxorem et filios faciat ; » sed « qui unam habuerit uxorem et filios in omni disciplina subditos. » Certe confiteris non posse esse episcopum qui in episcopatu faciat filios, alioquin, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint virgines quod mariti; aut, si sacerdotibus uxores non licet tangere, in eo sancti sunt quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed et hoc inferendum, si laicus et quicunque fidelis orare non potest nisi careat officio conjugali, sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia semper orandum est : si semper orandum, ergo semper carendum matrimonio. Nam et in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati, et vinum vel siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare. » De episcopis qui cum mulieribus habitant : « Nullus episcopus cum muliere habitet penitus; sin autem probatus fuerit hoc non observasse, episcopatus honore rejiciatur, quia ipse se indignum sacerdotio ostendit. » De clericis qui mulieres in domo sua habent : « Presbyteris et diaconis et in clero aliis scriptis non habentibus uxores, secundum divinas regulas interdicimus et nos mulierem habere in sua domo, exceptis matre et filia et sorore et aliis personis quæ omnem querelam effugiunt, permittimus. Si quis autem adversus istam observationem mulierem in domo sua habuerit quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, et ille a conclericis suis audierit cum tali muliere habitare, et noluerit eam a domo sua repellere, vel accusatore emergente probatus fuerit inhoneste cum tali muliere versari, tunc episcopus secundum ecclesiasticos canones a clero eum repellat. » De nuptiis clericorum. « Si diaconus vel subdiaconus futurus non habeat uxorem, secundum ea quæ superius exposuimus, sibi conjunctam, non aliter consecretur nisi prius a consecratore interrogatus promiserit posse post consecrationem et sine legitima uxore caste vivere, non concedendo consecratore tempore consecrationis diacono vel subdiacono futuro permittere ut post consecrationem uxorem accipiat. Quod si hoc permiserit fieri, episcopatu suo repellatur. Presbyter autem vel diaconus vel subdiaconus qui uxorem duxerit, repellatur quidem de clero, curiæ autem ejus civitatis in qua clericus erat cum facultatibus suis tradatur. Sin autem lector secundas nuptias contraxerit, vel primas quidem, sed duxerit uxorem viduam vel disjunctam a marito, vel canonibus vel legibus sacris reprobatam, in alium gradum

(27) Ultimis his duabus clausulis aliquid deesse videtur.

Ecclesiæ non procedat. Sed si quocumque modo in majorem gradum productus sit, rejiciatur ab eo, et priori restituatur. » De clericis qui nuptias contrahere non possunt : « Clericus qui supra lectores et cantores est, veluti subdiaconus vel diaconus, nullas nuptias contrahere audeat, alioquin sacerdotio cadat. Lector quoque si secundas contraxerit nuptias, ad majorem gradum ecclesiastici ordinis prohibeatur ascendere. Laicus etiam si appareat uxori conjunctus esse quæ alium maritum habuit, aut si non jure conjunctus sit, aut si ille aliam uxorem habuit, neque subdiaconus, neque diaconus, neque presbyter fieri poterit. Nam etsi clandestinis artibus ad consecrationem irrepserit, honor ejus cadit. Item qui duas nuptias contraxerit, diaconus vel presbyter fieri prohibetur. Sed et si mulierem disjunctam a marito suo quem ipsa reliquit, uxorem quispiam habuerit, neque diaconus neque presbyter fieri potest. Idem est si concubinam habuerit, quippe tales homines cum castitate vivere decet ; castus autem est qui habet vel habuit uxorem castam, et ipsam virginem, et ab ipso virgine receptam. Si quis autem presbyter vel diaconus aut subdiaconus uxorem duxerit, vel concubinam habuerit sive clam sive palam sive sub aliqua figura, cadat clericatus honore, et sit privatus et laicus. Item ea quæ de clericis diximus teneant etiam et in diaconissis. Diaconissas autem creari constitutio præcipit, si quinquaginta annorum ætatem agunt, ita tamen ut virgines sint, vel si unum maritum tantum habuerunt. Si autem mulier, propter aliquam necessitatem, minor quinquaginta annis diaconissa facta fuerit, non liceat ei alibi degere quam in archisterio sanctimonialium mulierum, ubi neque mares conversantur, neque vivere liceat ei quomodo velit. Nam diaconissæ super se habitare debent, vel nullum alium admittere secum, nisi revera fratrem ; sin autem aliqua suspicio sit quasi simulatus frater cum ea degat, vel ab initio non consecretur, vel, si consecrata fuerit, amittat honorem. »

De clericis : « Nemo clericus fiat nisi is qui et bonum testimonium habet et litteratus est. Qui enim litteras non scit, clericus esse non potest : docentur et presbyteri et diaconi sacras orationes et ecclesiasticos canones : quos scilicet consecrari oportet sine reprehensione, sine contradictione, sine pecuniarum datione, liberatos tam officiali quam curiali conditione, nisi forte secundum observationem quam in primo capite præsentis constitutionis exposuimus. Item sive lector, sive subdiaconus, sive presbyter clericatus honorem contempserit, et in aliam vitam transierit, duorum alterum sit : vel curiali conditioni cum suis facultatibus subjiciatur, vel si plures curiales civitates habeat, sive, ut ipse vilior sit, ad officialem conditionem trahatur, id est taxioticam. » De episcopis. « Hæc constitutio in primo capite consecrationis episcoporum loquitur quemadmodum oportet procedere. Necesse est enim prius disceptari de vita episcopi, utrum bona sit an reprehensibilis, et iterum bonis testimoniis muniatur, an non. Sed et si officialis vel curialis conditionis sit, prohibetur episcopus fieri, nisi forte a tenera ætate in monasterio fuit. Eoque modo liberatus est a prædictis conditionibus ; ita tamen ut quartam portionem substantiæ suæ curiæ præstet, secundum legis observantiam. Sed neque ex laico statim ad episcopatum ascendere licet, neque clericatus honorem simulatum habuisse sufficit. Oportet eum qui episcopus sit neque uxorem habere, neque concubinam, neque filios, neque nepotes seu legitimos sive legibus incognitos ; et si quis contra hæc fecerit, et is qui factus est, et is qui eum fecit, episcopatus expellatur honore. Ne liceat pecuniæ datione episcopum esse. Eum autem oportet qui episcopus fit, vel monachum, vel clericum : ita tamen ut non minus sex mensibus appareat eum in clericatu fuisse. Legere autem debet et sacros canones, eoque tempore quo consecratur, consulatur eum is qui consecrat, si possit facere atque custodire omnia quæ divini præcipiunt canones, et siquidem negaverit se posse custodire, non consecretur ; si autem pollicitus fuerit observaturum se quantum hominibus possibile est sancta canonum præcepta, tunc is qui consecrat eum admonere atque prædicere debet quod, si non observaverit canones sanctos, et alienus erit a Deo, et religiosis episcopis non connumerabitur : nam canones Patrum vim legum habere oportet. Sin autem aliquis pecuniam dederit, eodemque modo episcopus creatus fuerit, non solum ipse, sed etiam qui consecravit eum inter episcopos non erit, sed pecuniæ vel res datæ consecrationis causa sacrosanctæ Ecclesiæ addicantur, sive episcopus, sive est qui dedit. Is autem qui accepit, non solum res amittat, sed etiam gradum atque honorem clericatus. Similiter autem et si laicus sit qui pecuniam vel res accepit, et ipsas amittat, et aliud tantum quantum accepit pecuniæ nomine sanctæ Ecclesiæ præstare compellatur ; sed et si magistratum gerat, in magistratu esse desinat, et in exsilio irrevocabili condemnabitur. Sin autem aliquis presbyter vel diaconus constitutus pecunia data ad episcopatum pervenerit, non solum episcopus esse desinat, sed etiam priorem gradum presbyteratus vel diaconii amittat. Consecratio autem episcopi fiat ante omnem populum Christianitatis, ut sit facultas unicuique si velit contradicere. Et siquidem ante consecrationem facta fuerit contradictio, non prius consecretur episcopus nisi disceptatio de contradictione facta sit, et undique appareat innoxius. Is autem qui eum contradixit, calumniator, si contradictionis judicium deseruerit, et si non peregerit causam, prohibeatur sacra communione in omni vita sua ab eo qui consecraverit episcopum. »

De presbyteris constituendis statutum est : « Ut sine auctoritate vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur nec expellantur, et si laici clericos probabilis vitæ et doctrinæ episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituen-

dos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant. » In concilio Carthaginensi : « Ut cum omnibus omnino clericis extraneæ feminæ non cohabitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, et filiæ fratrum vel sororum. » Item in eodem concilio : « Ut clerici vel continentes ad viduas vel virgines, nisi ex jussu et permissu episcoporum, non accedant, et hoc non soli faciant, sed cum clericis, aut cum his cum quibus episcopus jusserit. Nec ipsi episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi feminas, sed aut ubi clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani. » In Ancyrano concilio : « Diaconi cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores, neque posse continere : hi postea si ad nuptias venerint, maneant in clero tantum, et a ministerio abjiciantur. Quicunque sane tacuerunt et susceperunt manus impositionem professi continentiam, et postea ad nuptias convenerunt, a ministerio et clero cessare debebunt, laicam tantum communionem recipientes. » In Decretalibus papæ Leonis : « Quod subdiaconis carnale connubium denegetur. Nam cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut et qui habent sint tanquam non habentes, et qui non habent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo vel secundo tertiove servandum est ne aut levitico, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a voluptate uxoris nec dum frenasse detegitur. » Innocentius papa : « Quod hi qui in presbyterio filios genuerint, removeri oportet ab officio. Qui zelo fidei ac disciplinæ doctus non patitur Ecclesiam pollui ab indignis presbyteris quos in presbyterio filios asserit procreasse, quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideo, fratres charissimi, libelli qui subjectus est tenore perspecto, eos qui talia perpetrasse dicuntur jubete in medio collocari, discussisque objectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio; quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiuntur a ministerio, quod vivendo illicite polluerunt. Miramur autem hæc eorum dissimulare episcopos, ut aut cohibere connivere, aut nescire esse illicita judicentur. »

In Nicæno Concilio de subintroductis mulieribus : « Interdixit per omnia magna synodus non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. » Hoc autem Nicænum concilium beatus Ambrosius in libro de Trinitate his verbis in immensum effert : « De conciliis vel potissimum sequar quod trecenti decem et octo sacerdotes, tanquam Abrahæ lecti judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt : ut mihi videatur hoc esse divinum quod eodem numero in conciliis fidei habeamus oraculum, quod in historia pietatis exemplum. » In Decretalibus; quæ feminæ habitent cum clericis : « Feminas vero non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum hisdem synodus Nicæna permisit. » In concilio Laodicensi : « Viris cum mulieribus lavacra non celebranda. Quod non oporteat sacris officiis deditos aut clericos aut continentes, vel omnem laicum Christianum lavacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud gentiles prima reprehensio est. » Non licere clericis judicris et spectaculis interesse : « Oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis aut in cœnis exhibentur interesse, sed antequam cemelici (28) ingrediantur, surgere eosdem convivio et abire debere. » In synodo Neocæsariensi, capitul. 1 : « Presbyter qui uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abjiciatur, et pœnitentiam inter laicos redactus agat. » In eadem Synodo, capitul. 12 : « Quæ forma servatur in clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat ut quisque correctus baptisatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere. » In synodo Carthaginensi, de continentia Aurelius episcopus dixit : « Cum præterito concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui conscriptione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, episcopos, inquam, presbyteros et diaconos, ita placuit, ut sacros condecet antistites, ac Dei sacerdotes, nec non et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Deo postulant impetrare; ut quod apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. »

In eadem synodo, de diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis Faustinus episcopus Ecclesiæ Potentinæ provinciæ Piceni legatus sanctæ Ecclesiæ dixit : « Placet ut episcopi, presbyteri et diaconi, vel qui sacramenta contractant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant. « Ab universis episcopis dictum est : « Placet ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur qui altari inserviunt. » Præterea cum de quorumdam clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, « placuit episcopos et presbyteros et diaconos secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere : quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio; cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum unius cujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere. »

(28) *Thymelici*, id est *tibicines*.

In synodo Romana cui beatus Silvester papa præsedit cum episcopis ducentis octoginta quatuor : « Nemo presbyter a die honoris presbyterii sumat conjugium : quod si quis hoc neglecto aliter egerit, duodecim annis eum dicimus privari honore. Quod si quis contra hoc chirographum præsens et publice dictum egerit, condemnabitur in perpetuum. » Ambrosius in epistola ad Titum inter cætera sic ait : « Unius uxoris virum, quamvis secundam numero uxorem non sit habere prohibitum, ut tamen quis dignus ad episcopatum sit, etiam licitam debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis, quia cæteris melior debet esse qui cupidus est sedis illius. Sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non obnoxium vino, non verberatorem, sed modestum; non litigiosum, non asperum, domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni charitate : talem hominem, qui hæc custodiat quæ enumerat bona, creari debere dicit episcopum : hæc enim signa sunt dignitatis episcopalis. Si quis autem potiora sectatus est, corpus et animam suam Deo dicaverit ne se copulet matrimonio, tanto magis dignior fiet; ideo enim inferiorem posuit, ut de potiore nemo dubitaret. Sit autem episcopus pudicus, quem Græci σώφρονα vocant, et Latinus interpres, verbi ambiguitate deceptus, pro pudico prudentem transtulit. Si autem laicis imperatur ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus Regum libros, et inveniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare D. D. et pueris ejus, nisi interrogaret utrum mundi essent pueri a muliere, non utique aliena, sed conjuge? et nisi eos audiisset ab heri et nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes quos prius negaverat concessisset. Quantum interest inter propositionis panes et corpus Christi? quæ differentia inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem? inter exemplaria futurorum et ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur? Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque et benignitas præcipue esse debent in episcopo et inter cunctos laicos eminentia, sic et castitas propria et ita dixerim pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera. Justus quoque episcopus debet esse et sanctus, ut justitiam in populis quibus præest exerceat, reddens unicuique quod meretur, nec accipiat personam in judicio. Inter laici autem et episcopi justitiam hoc interest, quod laicus potest justus apparere in paucis, episcopus vero in tot exercere justitiam quot et subditos habet. Sit quoque episcopus abstinens, non tantum, ut quidam putant, a libidine, ab uxoris complexu, sed ab omnibus animi perturbationibus, ne ad iracundiam concitetur, ne illum tristitia dejiciat, ne terror agitet, ne lætitia immoderata sustollat. Abstinentia autem in fructibus spiritus ab Apostolo numerata est. »

Isidorus Spalensis episcopus in libro Officiorum sacrorum : « Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam cum qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correptus ingerere : Ante te doce quæ recta sunt, o episcope! « Quapropter qui negligit recta facere, desinat recta docere; prius quippe semetipsum corrigere debet qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus et doctrina et opere provocet. Cui etiam et scientia Scripturarum necessaria est, quia si episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli potest prodesse sic vivendo. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest quoque cæteros instruere, et docere suos, et adversarios repercutere; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex et aptus; cujus præ cæteris speciale officium est Scripturas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus habere pacem, nec quemquam ex membris suis despicere, nullum damnare nisi comprobatum, nullum excommunicare nisi discussum : quique ita humilitate pariter et auctoritate præstabit, ut nec per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, nec per immoderatam auctoritatem severitatis potestatem exerceat, sed tanto cautius erga commissos agat, quanto durius Christum judicare formidat. » Idem in eodem libro : « Sint igitur et virgines episcopi, casti, mundi, et pergant viam sublimitatis; pede humilitatis sequantur Christum, tenendo perseveranter quod voverunt ardenter, ita ut professi hac servata integritate, cæteris etiam moribus congruant, sine quibus procul dubio otiosa et inanis manet virginitas. Illi ergo virgines esse probantur qui sic continentiæ inserviunt, ut nullis criminibus, nulloque terrenæ sollicitudinis honore prægraventur. Curam enim mundi conjugalis copula gignit, Paulo docente, dum dicit « *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori* (*I Cor.* VII, 32, 33). Unde agnoscitur non posse placere Deo hujusmodi continentiæ votum quod præpeditur sæcularium impedimento curarum. » Idem eodem libro : « Debent ergo et ipsi episcopi ita esse perfecti, et in officiis sacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco sancto, in atriis tabernaculi testimonii ipsi non peccando consumant. Quid autem est in loco sancto manducare peccatum? locus erat sanctus in quem pervenerat Moyses, secundum quod dictum est ad

eum : *Locus enim in quo stas terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Similiter ergo et in Ecclesia Dei locus sanctus est fides perfecta et charitas de corde puro et conscientia pura. Videant et discant episcopi quid sit tactus qui faciat immundum, quid vero sit tactus qui faciat mundum. Apostolus dicit : *Bonum est homini mulierem non tangere* (*I Cor.* VII, 1). Hic tactus immundus est ; hoc est enim illud quod Dominus in Evangelio ait : *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V, 28) : tetigit enim cor ejus concupiscentiæ vitium, et immunda facta est anima ejus. Si quis ergo hoc modo tangit aliquam rem, id est vel per mulieris concupiscentiam, vel per pecuniæ cupiditatem vel alio quolibet peccati desiderio, immundum tetigit, et inquinatus est. Oportet ergo te, si quid tale tetigeris, scire quomodo offeras sacrificium, secundum ea quæ in superioribus memoravimus, ut mundus effici possis. »

Ambrosius in Epistolam ad Romanos (c. VIII) : « Fratres, *quicunque spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei ;* si *prudentia carnis inimica est in Deum*, et *qui in carne sunt Deo placere non possunt*, arbitror eos qui serviunt officio conjugali quod prudentiam carnis diligant, et in carne sunt, a qua retrahens nos Apostolus, et jungens Spiritui deinceps loquitur (c. XII) : *Obsecro vos, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* » Idem post pauca : « Vide, frater, quanta pudicitia exigatur in episcopo, ut si filii ejus impudici fuerint, ipse episcopus esse non possit, et eodem vitio offendat Deum quo offendit et Heli pontifex qui corripuerat quidem filios, sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit, et mortuus est (*I Reg.* IV). In omni gradu et sexu tenet pudicitia principatum. Cernis igitur quod episcopus, presbyter, diaconus non ideo sint beati quia episcopi vel presbyteri sunt aut diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum : alioquin si diaconus sanctior episcopo suo fuerit, non ex eo quod in in feriori gradu est apud Christum deterior erit : ut Stephanus diaconus, qui primus martyrio coronatus est minor futurus in regno cœlorum multis episcopis, et Timotheo ac Tito : quos ut subjicere non audeo, ita nec anteponere (*I Tim.* III, 2, 3). *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse*, ut nulli vitio luxuriæ mancipatus sit : *unius uxoris virum*, qui unam uxorem habuerit, non qui habeat : *sobrium*, sive, ut in Græco dicitur, vigilantem, id est Niphanon [νηφαντόν] : *pudicum*, hoc enim significat Sophronon [σώφρονα], *ornatum* et castitate et moribus : *hospitalem*, ut imitetur Abraham, et cum peregrinis, imo in peregrinis Christum suscipiat : *doctorem*, nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi et creditum sibi populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrina, et eos qui contradicunt redarguere : *non vinolentum*, quia semper in sanctis sanctorum est, et offert hostias, vinum et siceram non bibit : *non vinolentum*, quia in vino luxuria est : *non vinolentum ;* sic bibat episcopus ut an biberit ignoretur. » Ambrosius in Epistolam ad Romanos : « Quanta felicitas non uxoris esse servum, sed Christi ; non carni servire, sed spiritui ! *qui enim adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VII, 17). Ac ne forsitan in eo quod supra dixerat : *Servus vocatus es, non sit tibi curæ, sed et si potes liber fieri magis utere* (*Ibid.*, 21), sugillasse continentiam videretur, et in famulatum tradidisse nos conjugum, infert sententiam quæ omnem cavillationem amputet : *Pretio magno empti estis ; nolite fieri servi hominum* (*Ibid.*, 23), neque conjugum, redempti sumus pretiosissimo Christi sanguine. Vere amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum, majorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigeris. Apostoli, uxoris onere contemplato : *Si talis*, inquiunt, *est causa hominis, cum uxore non expedit nubere* (*Matth.* XIX, 10). Quorum sententiam Dominus probans : Recte quidem, ait, sentitis, quod expediat homini ad cœlorum regna tendenti non accipere uxorem ; Sed difficilis est res, et *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* (*Ibid.*, 11). Et paulo post tractanda sententia est : *Sunt*, inquit, *qui se castraverunt propter regna cœlorum* (*Ibid.*, 12) : ergo qui se non castraverunt, locum non possunt accipere castratorum : *Qui potest*, inquit, *capere, capiat* (*Ibid.*). Grandis fidei est grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum. Totum se holocaustum offerre Domino, et juxta eumdem Apostolum esse sanctum et corpore et spiritu. Hi sunt eunuchi qui, se lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt per Isaiam (*Isa.* LVI) quod pro filiis et filiabus locum habeant in cœlis paratum. » Hieronymus : « Non potest Domini servire militiæ, qui servus est uxoris. De speculis mulierum jejunantium, quasi de purissimis corporibus Virginum. Luter in tabernaculo fundítus, et intrinsecus in sanctuario tam Cherubim, quam propitiatorium et arca testamenti, et mensa propositionis et candelabrum et thuribulum ex auro mundissimo sunt : neque enim in Sancta sanctorum poterat inferri argentum. Sicut in ligno vermis, ita perdit virum suum uxor maleficа. Si autem asseruerís hoc de malis dictum esse conjugibus, et ego tibi breviter respondebo : Quæ enim mihi incumbit necessitas venire in dubium utrum mala sit an bona futura quam duxero ? melius est habitare in terra deserta quam cum uxore litigiosa et iracunda. Quam rarum sit uxorem sine his vitiis invenire, novit ille qui duxit uxorem. Unde pulchre Varius Geminus, sublimis orator ? « Qui non, inquit, litigat, cælebs est : » *Melius est inhabitare in angulo tecti, quam cum uxore maledica in domo communi* (*Prov.* XXV, 24) : assiduis quippe jurgiis, et quotidiana garrulitate facit perpluere domum ejus, et ejicit eum de ædibus suis, id est de Ecclesia. Æstimo quod qui uxorem habet, quandiu ad idipsum revertitur, non tentet cum Satanas, quia in carne seminat, et non in spiritu ; qui autem in carne seminat, non

ego, sed Apostolus loquitur quod metat corruptionem (*Gal.* VI, 8). *Elegit nos in Christo* Deus Pater *ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati coram eo* (*Eph.* I, 4). *Ambulavimus in concupiscentiis carnis facientes voluntatem ejus et cogitationum ; et fuimus filii iræ sicut et cæteri ; nunc autem cum resuscitavit et consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 3, 5, 6), *ut deponamus secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria carnis* (*Ibid.*, IV, 22). Quæcunque ergo sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque ad castitatem pertinentia, his copulemur, hæc sequamur. »

D. Ambrosius ad Pammachium : « Consequens est ut secundum imaginem ejus qui sacerdotium Ecclesiæ dedit, etiam ministri et sacerdotes Ecclesiæ peccata populi accipiant, et ipsi, imitantes Magistrum, remissionem populo peccatorum tribuant. Debent ergo et ipsi Ecclesiæ sacerdotes ita perfecti esse, et in officiis sacerdotalibus eruditi, ut peccata populi in loco sancto, in atriis tabernaculi testimonii ipsi non peccando consumant. Quid autem est in loco sancto manducare peccatum ? locus erat sanctus in quem pervenerat Moyses, secundum quod dictum est ad eum : *Locus enim in quo stas terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Similiter ergo et in Ecclesia Dei locus sanctus est, fides perfecta, et charitas de corde puro et conscientia bona ; qui in his stat, in Ecclesia, in loco se sancto stare cognoscat. » Item post pauca : « Discant sacerdotes Domini qui Ecclesiis præsunt, quia pars eis data est cum his quorum delicta repropitiaverint (*Hebr.* II, 17) : quid autem est repropitiare delictum ? si assumpseris peccatorem, et monendo, hortando, docendo, instruendo adduxeris eum ad pœnitentiam, ab errore correxeris, a vitiis emendaveris, et effeceris eum talem ut ei converso propitius fiat, pro delicto repropitiasse diceris. Si ergo talis fueris sacerdos, et talis fuerit doctrina tua et sermo tuus, pars tibi datur eorum quos correxeris, ut illorum meritum tua merces sit et illorum salus, tua gloria. »

EPISTOLA XV.

AD LEONEM ABBATEM ROMANI SANCTI BONIFACII MONASTERII.

(Apud Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, tom. IV, Append., pag. 691.)

Facundiæ prærogativa cum vitæ merito et sapientiæ doctrina mirabiliter intonanti domino L. Sancti Bonifacii charissimorum charissimo abbati, Floriacensis cœnobii humilis abbas Abbo Spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum, replere illius ipsius scientiam et intellectum.

Charitas, quæ est vinculum perfectionis, dum nos ambos Remis positos conglutinaret labiis privatæ collocutionis, tot oratorios rivos, tantos sanctæ Scripturæ favos bono zelo fulminea lingua vestra eructavit coram et secreto, ut exclamans compellar dicere : *Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum.* Dum ergo ad talia rutilantium verberum fulgura stupui, coactus sum deinceps ubique confiteri vos tonitruum esse Spiritus sancti, qui super apostolos in igneis linguis descendit, qui etiam vos ardentem rhomphæam, ad secandos improbos de templo suo, septem donis gratiarum decenter elimavit. Inter hæc tandem, erectis animi luminibus, solares vestræ eloquentiæ radios aquilinis oculis conspicere volui ; et sicut ait Ecclesiastes, *Frater fratrem adjuvans quasi civitas munita et fortis*, baculum robusti adjutorii et columnam inseparabilis amicitiæ vos in æternum, si placet, habere decrevi. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ut det vobis id ipsum sapere per Dominum nostrum Jesum Christum, ut favus distillans labia vestra memoriale nostrum hæreditare possideant in sempiterna sæcula. Inter familiaria verborum nostrorum arcana distillavit auribus nostris unum quoddam eloquium vestra magnificentia, quod non minus adimplere, si Deus voluerit, satago, quam vitam perpetuam mercari ex voto. Pretiosarum reliquiarum sancti Patris Benedicti insignia postulastis vobis dirigi, eo quod indubitatum penitus esset sanctissimam ipsius corporis præsentiam a nobis retineri, ideoque velle enixius in honore illius oratorium construi, itemque nobis de sancto Bonifacio aut de sacris artubus cæterorum sanctorum nobis eadem recompensari. Adjecit insuper incomparabilis bonitas quod si nos urgeret super re domestica aliqua voluntas corroborare nostra privilegia per Romanæ auctoritatis stylum apostolicum, vos in omnibus et per omnia nostri fore fidelissimum collaboratorem. Hæc autem omnia perficere voti erat, quando magnifica principis apostolorum membra supplex adii ; sed Romanam Ecclesiam digno viduatam pastore, heu, proh dolor ! offendi. Vestra autem absentia, profiteor, ita affectus sum sicut solet affici fetus gallinæ, conquerens raucis faucibus abstractum esse unicum matris suæ præsidium. Nuper autem audivi nuntium, quod me lætificavit super aurum et topazium, erectum esse apostolicum decus per quemdam imperialis sanguinis virum, totum virtutibus et sapientia compositum. Vester vero reditus intonuit menti nostræ velut paradisiacæ reversionis ineffabilis concentus. Nunc igitur, sicut locuti sumus ad invicem, et hæc epistola vestris aspectibus se præsentat, per hos sancti Patris Benedicti monachos audire placeat, et audita perficere, velut promisistis, cum summa fide et devotione. Ipse autem idem Spiritus, qui inspiravit omnis eloquentiæ flore Gre-

gorium, inspiret hujus suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerabilem apostolicum, vobisque concedat ut sitis eidem ipsi dulcissimus a secretis, ad consolidandam dejectionem apostolicæ auctoritatis. Valete.

EPISTOLA XVI.

AD BERNARDUM ABBATEM BELLILOCENSEM.

(Vide supra in Vita S. Abbonis, num. 10.)

SANCTI ABBONIS

FLORIACENSIS ABBATIS

APOLOGETICUS

AD HUGONEM ET RODBERTUM REGES FRANCORUM.

Sæpe contingit ut, dum nimius insurgentium calamitatum horror mentem fatigat, ipso horrore non ea quæ dicere debuerat turbatus animus expediat, sed phantasmate cogitationum aliorsum raptus, quæ tacenda erant dicat, ac, quod est consequens, quæ dicenda taceat. Semper enim summæ tranquillitatis quietem diligit, qui veritatis arcanum ratiocinando disponere gessit : quapropter ab ipsis disciplinarum rudimentis, sicut cervus desiderat ad fontes aquarum (*Psal.* XLI, 1), ita desideravit anima mea laboriosum spiritalis philosophiæ otium quod ad multorum utilitatem verterem in honestum negotium ; sed, meis peccatis præpedientibus, eo relicto, quodammodo ad sæculi sollicitudinem sum reductus, qui sub cura pastoralis regiminis quotidie sustentor aqua angustiæ et pane tribulationis (*III Reg.* XXII, 27) : corrodit me canino dente æmulorum supplantatrix calliditas, circumlatrat adversariorum frequens acerbitas, nec aliud contra me immurmurant, nisi quod monachorum senatum salvum esse volui, nostræ reipublicæ augmentum quæsivi, ac cavillationi insidiantium auctoritate qua valui contradixi, nec abscondi omnino misericordiam et veritatem a consilio multo. Pro hujusmodi malis meo insidiantur sanguini, me succenturiatis insequuntur odiis : adeo ut nec regia majestas eos deterreat quin me clanculo trucident, si eis locus tempusve arrideat. Unde sedulus in orationibus meis Deum deprecor ut judicet et discernat causam meam solito, eripiatque ab homine iniquo et doloso (*Psal.* XLII, 1) ; et, si coram dominis meis episcopis, quos catholica fide orthodoxos didici, locum defendendi accipiam, credo me innoxium futurum a crimine, si jurgiorum originem examinaverint absque personarum acceptione. Quis enim suo præjudicio ad id deveniet, ut aliqua qualiscunque monasterii possessiuncula abalienari debeat ? Quis rerum extortor legumque contortor funiculos ecclesiasticæ hæreditatis miscendo confundere præsumat, cum scriptum sit : *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui ?* (*Prov.* XXII, 22.) Ecce, secundum regulas sanctorum Patrum, judicio episcoporum subditus audientiam non diffugio, villicationis meæ rationem redditurus, tantum fide accepta ut non ab insidiantibus interceptus aliquid patiar; qui paratus sum mori, si aliquando digna morte commisi. Et primum de fide mea discutiendum exopto, sine qua salvus esse non potero, ut mea examinatione alii proficiant, vel mea obtestatione se in hæresim cecidisse cognoscant, a qua conentur quantocius erui : ne in ea usque ad mortem manendo fiant stipula diaboli ; nam quicunque de Deo, de religione, de communi statu sanctæ Ecclesiæ aliter credit quam Christus docuit, aut sub sanctis apostolis catholica Ecclesia tenuit, suisque successoribus tenendum tradidit, non catholicus vel fidelis, sed plane hæreticus existit. Siquidem omnes hæreses ita persecuti sunt patres nostri, ut primitus, fide exposita, explorarent in suis conciliis ne quis sentiret aliquid contrarium ipsis apostolis, qui repertus absque ulla dilatione aut ad corpus totius Ecclesiæ est reductus, aut usque ad erroris abrenuntiationem perculsus anathemate, catholica privatus est communione, nec magis serpentem tangere vitaverunt orthodoxi, quam adhærere hujusmodi lepra contaminatis. Unde in canonibus prohibemur, si nos catholicos esse scimus, ne cum eis saltem oremus : nam sub Marciano principe apud Chalcedoniam XV et eo amplius dierum actio de hac re ventilata est, residentibus episcopis ducentis, et, ut quibusdam placet, mille ducentis, quibus omnibus pius princeps ex suorum rerum copia sumptus abundanter præbuit quoad omnes hæreticos a se repellerent, id est eos qui in verbo vel opere aliter quam sancti apostoli sensissent. Quo facto, in tantum puritas fidei pio placuit principi, ut eam ipse cum sua conjuge sub chirographo hoc publice profiteretur coram illo magno concilio, cujus piam religionem imitamini, domini nostri, Hugo et Rotberte, clarissimi reges, si in terra viventium Christo vultis esse hæredes et conæredes,

et de regno vestro omnem hæreticam pravitatem depellite, ut Deus vos custodiat in æterna pace. Sciendum quippe est quod sacerdos quotidie inter missarum solemnia non pro hæreticis vel schismaticis, sed pro orthodoxis tantum atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus Deo supplicans intercedit, a qua nimirum supplicatione alienus existit qui in verbo vel opere se ab eorum unanimitate superbiendo dividit; qui vero se peccatis obnoxium vel fide dubium humiliter confitetur, portandus et corrigendus est non ut extraneus, sed ut frater, quia nec dum partem suam posuit cum hypocritis, præsertim cum et Petrus princeps Ecclesiæ Deum negaverit, et Thomas in fide dubitaverit; siquidem ex utroque sexu fidelium tres ordines, ac si tres gradus, in sancta et universali Ecclesia esse novimus; quorum licet nullus sine peccato sit, tamen primus est bonus, secundus melior, tertius est optimus. Et primus quidem ordo est in utroque sexu conjugatorum; secundus continentium, vel viduarum; tertius virginum vel sanctimonialium. Virorum tantum similiter tres sunt gradus vel ordines, quorum primus est laicorum, secundus clericorum, tertius monachorum. Sed quoniam horum graduum differentias proposui, et alium alio meliorem seu sanctiorem dicere ratum duxi, qualiter singuli in suo proposito exspectant præmium æternæ retributionis, vel qualiter sanctorum Patrum auctoritate de suo gradu in alterum promoveri possint, breviter expediendum credidi.

Et conjugii quidem ratio sola indulgentia permittitur, ne fragilitate carnis in deterius ætas proclivior delabatur. Nulli enim conjugium interdicitur, nisi ei qui ob promerenda supernæ patriæ gaudia sponte sua delegit jugem continentiam, quam et si minus exhibuit, devotione secretius irrita, secretiori facinus delendum est pœnitentia: ita tamen ut in eo gradu permaneat, in quo malum se perpetrasse deplorat; sin vero sacerdotum Testamenti Veteris hanc sibi defendere voluerit, proprio gradu decidens, fletibus culpam diluit. Ecce ratio: si inter eos sit quibus licet, nulla pœna mulctatur, sed etiam digna præmio habetur, eo quod obediendo, castitate contenta sit quam Apostolus docuit; propterea autem adjectum est *si inter eos sit quibus licitum est*, quia sunt in utroque sexu qui se voto obligant ut, si virgines sunt, in virginitate permaneant; et, si virgines non sunt, spreta carnis copula in cælibatu perpetualiter vivant; est etiam cognatio vel propinquitas generis, a cujus carnali commistione prohibentur omnes qui sunt sub catholica fide. Porro inter eos qui se voto obligant, vel inter eos qui nec dum transierunt septimam generis lineam, detestabile connubium ita sub pœnitentiæ remedio solvendum est illico, sicut illud quod pœnitentia non indiget, quia ex auctoritate licet, nunquam solvendum est, nisi aut alterius conjugum morte, aut utriusque cælibatus professione.

Hinc transitur ad continentium vel viduarum excellentiorem ordinem, in quo, secundum Apostolum, si permanserint, tanto majorem æternæ remunerationis merebuntur coronam, quanto de experta carnis voluptate graviorem sustinent pœnam. His quoque per discretionem secundas nuptias indulsit, dicens quod *melius* esset *nubere quam uri* (*I Cor.* VII, 9). De tertiis vero vel quartis nec non et pluribus nuptiis, non me legisse memini utrum a catholicis debeant celebrari; sed hoc absque ullo scrupulo occurrit: quod si hoc facinus grave est in feminis, multo gravius est si contingat in viris.

Virginum quanta sit gloria, nullus ignorat. Quis scit hoc appetere hominem ex gratiæ prærogativa, quod habet angelus ex natura? quæ virtus virginitatis cum in humilitate solidatur, singularis meriti recompensatione donabitur, quia Deus repromittit virginibus quod *sequantur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4); hac virtute sanctimonialium decoratur venerabile collegium, hanc se gaudent multi per omnes viriles ordines promeruisse in gremio suæ matris Ecclesiæ.

Sed his posthabitis, primo de virorum ordine, id est de laicis, dicendum est, quod alii sunt agricolæ, alii agonistæ: et agricolæ quidem insudant agriculturæ et diversis artibus in opere rustico, unde sustentatur totius Ecclesiæ multitudo; agonistæ vero, contenti stipendiis militiæ, non se colliduntin utero matris suæ, verum omni sagacite expugnant adversarios sanctæ Dei Ecclesiæ.

Sequitur clericorum ordo, qui in tribus gradibus specialiter distinguitur, hoc est, diaconorum, presbyterorum et episcoporum: nam omnes qui sunt inferioris gradus per abusionem clerici vocantur, dum eis sicut et laicis ex indulgentia permittitur sociari conjugibus. Constat sane ab apostolis et eorum successoribus esse prohibitum clericos, id est diaconos, presbyteros et episcopos esse uxorios. Κλῆρος etenim Græce, Latine dicitur *sors*, unde clerici ad sacrificandum vel ad ministrandum in sortem Dei adsciti studeant non carnaliter sed spiritualiter filios gignere, ut semper sint memores sortis sanctorum in lumine; nam ipsi quotidiana sollicitudine omnium Ecclesiarum suscepta (*II Cor.* II, 28) in activa vita laborant cum Martha quæ turbatur erga plurima (*Luc.* X, 41). Porro illud unum quod est necessarium in contemplativa vita adepti monachi, cum Maria tanto magis delectantur pedes Jesu lacrymis rigare et capillis tergere (*Luc.* VII, 38), quanto remotiores sunt ab omnium negotiorum sæculi inquietudine: siquidem clericorum ordo inter laicos et monachos medius, quantum est superior inferiore, tantum inferior superiore, quandoquidem quo discrepat ab utroque ordinum jungitur ad alterutrum. Illi namque sunt conjugibus colligati, rei familiaris curæ dediti, sæculi actibus occupati: isti a sæculi actibus alieni, propriæ voluntati abrenuntiando, Patris spiritualis imperiis obsequendo, qui et eleemosyna bonorum virorum et labore manuum suarum vivunt, et possunt dicere cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27). Denique clericorum

vita irreprehensibilis speculum est totius Ecclesiæ, sicut monachorum habitus et professio firma exemplum est totius summæ pœnitentiæ; et quamvis clerici reprehensione digni, ne tractent sancta profani, degradentur certis ex causis, monachi tamen nisi causa superbiæ nunquam privantur ex toto fratrum suorum communione, cum et criminosos laicos vel clericos suscipiant, et se in crimine deprehensos regulari disciplina corripiant. Denique ex monachis presbyter ordinatus, vel ex clerico monachus factus sciat se non clericorum more ecclesiasticis officiis deservire, sed Gregoriani privilegii institutione missas celebret in congregatione. Verum quia de singulis ordinibus quæ videbantur dicta sunt, qualiter alterius in alterum promotio fiat tacendum non est. Promoventur namque ex laicis vel clericis ad monachatum, promoventur ex laicis vel monachis ad clericatum, quod quando vel quomodo fieri debeat sanctorum Patrum auctoritas liquido manifestat, quam qui secuti non sunt extra Ecclesiam catholicam a fide aberraverunt. Quamobrem in canone, dum orant pro orthodoxis atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus, cavendum illis summopere est, quod papa Gregorius in suo symbolo refert: *Una est*, inquiens, *fides, unum baptisma, una Ecclesia catholica, in qua sola possint relaxari peccata.* Si enim extra eam remissio peccatorum non est, hæreticus vel schismaticus ut quid jejunat? ut quid decimas dat? ut quid Deum supplex adorat? Nam sicut fuit *multitudinis credentium unum cor et anima una* (*Act.* IV, 32), ita, per totum orbem terrarum, eorum omnium qui, secundum doctrinam apostolorum, unum in Deo sapiant, una est Ecclesia, quæ de Græco in Latinum *convocatio* interpretatur, quia ad unam fidem et ad unum baptisma omnes vocamur. Quapropter unaquæque domus ubi erecto altari populus ad Deum supplicandum convenit, dum habeat nomen ecclesiæ, veneratione et summo honore digna est in omni gente, quoniam in ea renascimur ex aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III, 5), in ea divina celebrantur mysteria, in ea fit confessio et remissio peccatorum. Caveat igitur quicunque vult salvus esse eam alicujus, nisi solius Dei, possessionem credere; unde Petro apostolorum principi dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Meam inquit, non tuam; et Christus alibi: *Domus mea, domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI, 13). Psalmista quoque: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo* (*Psal.* XCII, 5). Si ergo Ecclesia non est Petri, cujus erit? aut successores Petri audebunt potestatem sibi vindicare, quam non habuit Petrus princeps Ecclesiæ? Certe, charissimi principes, nec catholice vivimus, nec catholice loquimur, quando ego illam ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam, ac veluti quædam jumenta comparati jumentis insipientibus utrasque aliquando venales proponimus, propositasque ab aliis emere non formidamus.

Est etiam alius error gravissimus, quo fertur altare esse episcopi, et ecclesia alterius cujuslibet domini, cum ex domo consecrata et altari unum quiddam fiat quod dicitur ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore et anima. Videte, æquissimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas (*Matth.* XXIV, 12); ex donis omnipotentis Dei, quæ gratis accipiuntur, mercatores efficimur, et vendere conamur quod profecto non possidemus. Nihil enim pene ad Ecclesiam, quæ est solius Dei, pertinere videtur quod ad pretium non largiatur, scilicet episcopatus, presbyteratus, diaconatus, et reliqui minores gradus, archidiaconatus quoque, decania, præpositura, thesauri custodia, baptisterium, sepultura, et si qua sunt similia. Et hujusmodi negotiatores subdola responsione solent astruere non se emere benedictionem qua percipitur gratia Spiritus sancti, sed res Ecclesiarum, vel possessiones episcopi, cum certum sit quod in catholica Ecclesia alterum altero carere non possit. An aliquis usus est igne sine ea, qua nutritur, fomenti materia? aut ignem aliquando tenuit, et calore caruit? Quis mel sine dulcedine? quis absinthium sine amaritudine deprehendit? Attamen eamdem aquam diverso tenore dulcem et amaram est inveniri possibile; quod, quia ex contingenti fit, aliquando nostram opinionem fallit, ut, quæ creditur dulcis, amara existat. Sic quoque talis negotiatio bona æstimatur, cum pro certo mala sit, quia turpis lucri gratia contingit: de qua re adeo consuetudo inolevit, ut hoc jam credatur sine peccato fieri. Verum Spiritus sanctus per os beati papæ Gregorii dicit: *Quia benedictio illi in maledictionem vertitur qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur, a qua maledictione nullus extraneus habetur, qui lucri cupiditate se ministerium ecclesiasticum invasisse lætatur* (L. VII, Epist. 3). Unde vero processerit usus ut laici vendant episcopatus, satis demiror, cum beatus Ambrosius in sermone pastorali, flendo, potius quam ridendo, post multa subjungat: « Videas, inquiens, in Ecclesia passim quos non merita, sed pecuniæ, ad episcopatus ordinem provexerunt: nugacem populum et indoctum, qui talem sibi adsciverunt sacerdotem. Quos si percontari fideliter velis quis eos præfecerit sacerdotes, respondebunt mox, et dicent: Ab archiepiscopo sum nuper ordinatus, centumque ei solidos dedi, ut episcopalem gratiam consequi meruissem; quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem: unde melius mihi est aurum de sacello invehere, quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, et episcopatum comparavi; quos tamen solidos, si vivo, recepturum me illico non diffido. Ordino presbyteros, consecro diaconos, et accipio aurum; nam et de aliis ordinibus nihilominus pecuniæ quæstum profligare confido. Ecce et aurum, quod dedi, in meo sacello recepi; episcopatum igitur gratis accepi. Nempe hoc est quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit: nam propter pecunias specialiter leprosum ordinavit: *Pecunia*, inquit, *tecum sit in perditionem*

(*Act.* VIII, 20), quia donum sancti Spiritus gratiæ pretio comparasti, et commercium miserabile in animarum exitium peregisti (*Lib. De dignitate sacerdotali*, cap. 5). » Hæc sanctus vir quo animo dixerit, ex præcedentibus et consequentibus facile datur intelligi.

Quod vero illi qui dicuntur Simoniaci laicos suæ immiscuerunt maledictioni, exemplo factum est sacerdotum, qui ad ministerium Dominicæ passionis adjunxerunt sibi Pilatum et Herodem principes suæ gentis. Nec illud nos latet quod pro hujuscemodi episcopis, qui non pro vitæ merito vel sapientiæ doctrina, sed magis eliguntur pro pecuniarum summa maxima, discordiarum semen et detrimentum regno accrescat, teste Gregorio, in Epistola ad Theodebertum et Theodericum reges scripta : « Fertur, inquit, Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, et in ipso ortu suo telo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari ; cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. » Et post pauca : « Hinc non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infigitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum episcoporum culpa, quorum intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. » Ac deinde : « Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. Nec hoc quoque malum sollicitudo nostra patitur negligenter omittere, quod quidam, instinctu gloriæ inanis illecti ex laico repente habitu sacerdotii honorem arripiunt, et, quod dicere pudet et grave tacere est, regendi rectores, et qui docendi sunt doctores, nec erubescant videri, nec metuant (l. IX, Epist. 110). » Huc usque S. Gregorius. Cumque hujusmodi prælati avaritiæ intenti ecclesias funditus dirui sinant, mores subjectorum suo exemplo perdant, quos corrigere debuerant, restat ut defensores ecclesiarum ac fundatores earum hæredesque fundatorum se subtrahant eorum communioni, ne participes sint maledictionis. Verumtamen si catholica sit pontificialis sublimitas et regalis majestas, æqua lance pensat utriusque auctoritas, ut prosint Ecclesiæ quam Christus redemit suo sanguine ; nam illius sublimitas lege Domini spiritaliter populis pronuntiat, quam istius majestas, si necesse sit, armorum defensione commendat : quapropter cavendum est ne ab invicem resiliant, quorum adinvicem ministeria concordant. Sed concordia eorum in diversis officiis tanto sibi consulit, quanto unanimiter consulendo de communi utilitate sentit. Ob hoc antiquorum conciliorum paginis præfiguntur nomina imperatorum vel consulum quorum favore magnorum habita sunt consulta episcoporum, qui semper prius diligenter discusserunt de fidei puritate, quos concilio dignos reperirent ex ordine. Quamobrem, piissimi, more prædecessorum vestrorum regum illis assensum præbete conciliis quibus per reconciliationem res publica melioratur et crescit ; quia, si quocunque conciliabulo alterius prædia vel possessiunculas alter privatis negotiis velit sibi adscribere, ac ideo, fratris damno, pecuniam per arcas et loculos aggregando, sitim suæ avaritiæ exstinguere, non observata tricennali lege quæ emanavit ex constitutione principum seu auctoritate canonum, sciatis procul dubio quod ad vos hoc malum respicit, qui idcirco regni apicem tenetis, ut justum judicium omnibus faciatis. Pro vobis nimirum dominis nostris unusquisque subjectorum ad Deum clamat et dicit : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis : judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio* (*Psal.* LXXI, 1, 2). Quorum versuum sensus quamvis referri possit ad Deum Patrem omnium Filiumque ejus unigenitum, tamen nihil obest intelligi de terreno rege precari, ut judicet populum non suo sed Dei judicio, cui rationem redditurus est etiam de otioso verbo.

Nec me vestro aliorumque sapientium examini subduco : qui contra canones sensisse suspicor, in episcopos monachorum manum movisse accusor, vestram benevolentiam proprio episcopo abstulisse blasphemor, quibusdam excommunicatis participasse criminor. Sed esto. Cui sententiæ canonum contradixi, qui nullo concilio vix apertum librum videre potui ? aut quod concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt et disconciliati recesserunt, cum ibi discordes reconciliari debuerint, aut canonica districtione mulctari ? quid in me singulariter commiserunt episcopi, ut eis saltem cogitatione obesse voluerim ; præsertim cum non inimicum, sed fide et opere amicissimum graviora pericula pertulisse contigerit ? Ecce coram Deo in Christo non mentior (*Gal.* I, 20), quia, audita insequentium conclamatione, ultra quam dici possit indolui, recordatus pristinæ amicitiæ et beneficiorum tanti viri, cujus nix capitis reverendum ostendit, excepta primatis prærogativa et sacerdotali infula. Qua suggestione vos decepi, ut vestram benevolentiam optimis auferretis, male meritis conferretis ? Num ego Deus sum qui mutat mentes, mutat regna et tempora ? Vere fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didicisse. Unde ille qui de hac re contra me queritur, neminem præter vos incusare videtur, qui, relicto tramite æquitatis, beneficiorum ejus vicissitudinem rependere neglexistis. Aut fortasse regiæ majestatis auctoritatem contemno ! Quantulumcunque vos exacerbavit, exacerbando irritavit, irritando offendit, offendendo placare distulit, et pro talibus beneficiis miratur sibi impendi munuscula justæ recompensationis ; nec sibi imputat quod promeruit, sed crimen transferre nititur in perniciem insontis : si enim nihil vos nocuisse putavit, dum nostra tulit, profecto nec dominos nostrarum rerum esse, nec defensores credidit ; si autem credidit, vos mecum lesit, nec

se læsisse ignoravit. Cur igitur me declamatorie accusat? cur mihi soli imputat quod illum gravat? An scire potero, quoties legatos misi, quoties de pace rogavi, quoties me supplicem obtuli? Testis mihi est Deus quod, salvo jure nostri monasterii, ad omnia quæ regulariter injunxisset obtemperare paratus fui, et, si aliquid mali commerui, manente rerum copia inconcussa, episcoporum justa jaculetur in me sententia; quia ipse solus, ut debuerat, nunquam justo amplius, nisi clandestina exsecutione, in me desæviet. Novi enim quam austerus in Letaldo Miciacensi monacho fuerit, quem oblitus reverentiæ sacerdotalis injuriose et sine ullis legibus tractavit; qui si epistolam Gregorii ad Lupum abbatem legisset, profecto nunquam tantum facinus perpetrasset: « Quoniam multæ, inquit, occasiones in deceptatione religiosarum personarum a pravis illic, ut dicitur, hominibus exquiruntur, presbyterum prædictæ Ecclesiæ nullomodo privandum deponendumque censemus, nisi causa specialiter criminis exigente; unde necesse est ut, si qua contra eum hujusmodi querela surrexerit, non solus episcopus civitatis causam examinet, sed adhibitis sibi coepiscopis suis subtili investigatione perquirat, quatenus, cunctis concorditer judicantibus, canonicæ districtionis censura aut reum ferire aut innocentem possit absolvere. » Denique quod excommunicatis me miscuisse asserit, ejus exemplo utique feci, qui filios Belial nocturno latrocinio in meam necem grassantes recepit, postquam eos anathematizaverat suus archiepiscopus singularis meriti Siguinus; et Odo Carnotensium episcopus, nec non et alii magnæ vitæ et religiosi viri. Hoc sane palam omnibus, sicut magnæ auctoritatis est, asseruit quod nemo possit eum excommunicare, qui emendationi et satisfactioni intendit, præsertim cum usque ad satisfactionem congruam suam ipse et alii episcopi prætendant maledictionis sententiam. Porro qui vel quot interesse debeant reorum obligationi, qui vel quot eorum absolutioni, nusquam me legisse memini, nisi in degradatione sacerdotis. Tantum evangelicus sermo prodit quod *si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, dic Ecclesiæ;* quod *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 15, 17). Ecce divinæ miserationis regula, qua jubemur reorum alios audientes pia correctione secretius arguere, alios non audientes publica invectione objurgare usque ad aures Ecclesiæ. Sed nunquid publica invectio secretam indulgentiam sustulit, aut secreta invectio publicam indulgentiam ademit? An publica invectio publicam indulgentiam, et secreta invectio secretam indulgentiam requirit? Porro qui offert munus suum ad altare, non ibi reconciliabitur mihi pro scelere, quia proditus est Ecclesiæ? (*Matth.* v, 23.) O tempora! o mores: Certe qui volunt exsequi in fabrateria mendacii cupiditates suas pravas, ipsi nituntur condere leges novas: sed Apostolus nobis consulens eis occurrit: *Si quis vobis*, inquiens, *aliud annuntiaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.*, I, 9). Quod anathema quantum cavendum sit, liber Judicum ostendit, ubi legitur: *Anathema in medio tui est, Israel, non poteris stare coram inimicis tuis* (*Josue* VII, 13). Nam quod leviter excommunicandum non sit, et quod membrum Christi a corpore cum gravi dolore resecandum sit, manifestum in concilio Africano caput est: « Quandiu, inquit, excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest. » Siquidem quidquid in Ecclesia fit, nisi auctoritate Patrum fulciatur, simulatio, non veritas judicatur; et scimus si qua simulatores et callidi provocant iram Dei, an presbyter vel episcopus habebitur, qui contra auctoritatem canonum ordinatur? Aut sine authentica degradatione presbyter vel episcopus cessabit ab officii sui munere? Nunquid credamus excommunicatum quem non remordet conscientia criminis pro quo debeat communione privari? Tunc enim justa est excommunicatio pastoris, quando canonica vocatio in reum præcessit, et ille reatum suum sub judicio Ecclesiæ corrigere noluit, eoque modo elatione tumidum a sanis ovibus segregat, quem divino judicio segregandum non ignorat; et quia in suum pastorem excommunicatus peccaverat, eum alter absolvere nec debuit nec potuit. Porro quicunque fratri meo in me peccanti excommunicationem intorserit, non ille ei peccatum dimittit, sed ego in quem peccavit, a quo excommunicationis malo regnum vestrum purgate, serenissimi principes, quia vix est in eo aliquis hominum qui saltem idcirco excommunicatus non sit, quoniam in convivio vel pacis osculo excommunicato adhæsit. Præterea dominos meos cum familiariter alloquens bona suadeo, multorum animos, scio, contra me concito, juxta illud Comici:

Obsequium amicos, veritas odium parit.
(TERENTIUS *in Andria*, Act. I, scen. v. 1.)

De quorum animositate non multum moveor, *dulce decus meum*, Rodberte, quem *atavis regibus editum* (28) divina pietas perduxit ad regni fastigium, si post Deum et sanctos ejus vestro specialiter sustenter auxilio et consilio, cujus mentionem in quotidianis orationibus meis nunquam prætereo, tandem capitulatim subtexam huic indiculo quæ maxime sunt corrigenda in vestro imperio, nec tamen hæc verbis meis, sed authenticis sanctorum dictis, ut postmodum episcopos moveatis hæc canonice emendare in suis conciliis.

Primitus de fide dicendum credidi, quam alternantibus choris et in Francia et apud Anglorum Ecclesiam variari audivi. Alii dicunt, ut arbitror, secundum Athanasium, « Spiritus sanctus a Patre et

(28) Orat. Od. I, 1.

Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens: » alii vero tantum, « Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus nec creatus, sed procedens, » qui dum, id quod est, *nec genitus* subtrahunt, synodicam domni Gregorii se sequi credunt, ubi ita est scriptum : « Spiritus sanctus nec genitus est, nec ingenitus, sed tantum procedens. » De fine quoque mundi coram populo sermonem in Ecclesia Parisiorum adolescentulus audivi, quod statim finito mille annorum numero Antichristus adveniret, et non longo post tempore universale judicium succederet: cui prædicationi ex Evangeliis ac Apocalypsi et libro Danielis, qua potui virtute, restiti. Denique et errorem qui de fine mundi inolevit abbas meus beatæ memoriæ Richardus sagaci animo propulit, post- A quam litteras a Lothariensibus accepit, quibus me respondere jussit; nam fama pene totum mundum impleverat, quod, quando Annuntiatio Dominica in Parasceve contigisset absque ullo scrupulo finis sæculi esset. De initio etiam Adventus qui ante Nativitatem Domini per singulos annos agitur, aliquando error gravissimus exstitit, aliis inchoantibus post v Kalend. Decembris, aliis ante, cum nunquam plus quatuor hebdomadas, saltem unam diem Adventus habeat; cumque de hujusmodi diversitate soleant contentiones in Ecclesia crescere, concilio determinandum est, ut omnes qui in ea vivimus unum sapiamus, quod vestra industria concedat, qui nos unanimes vult habere in domo sua.

SANCTI ABBONIS

FLORIACENSIS ABBATIS

COLLECTIO CANONUM.

(Apud. Mabill. *Analect.*, nov. edit., pag. 133.)

MONITUM.

Abo, seu Abbo, Floriacensis abbas, hujus canonum collectionis auctor, qualis quantusque fuerit, docet Aimoinus, ejus monachus, in libro de ipsius Vita : quo in libro ejus necem anno 1004 *contigisse memorat. Varias Abonis lucubrationes recenset is auctor, nempe De computo, deque solis, lunæ ac planetarum cursu; Collectaneum defensionis contra episcopum Aurelianens., Apologeticum ad Hugonem et Rotbertum reges, metricam epistolam ad Ottonem imperatorem, libellum super calculum Victorii, alium item libellum de capitulis evangelicis ad Odilonem abbatem Cluniacensem; ad hæc complures epistolas. Quibus commemoratis subdit Aimoinus in cap.* 13 : Existunt et alia ad alios hujus sancti Patris scripta, quæ ne lectori fastidium generent, nunc interim tegantur per silentium. *In his omnibus nullam superioris Collectionis mentionem facit; neque etiam Sigebertus monachus de Abone ita loquens in lib. De scriptoribus ecclesiasticis, cap.* 139 : Abbo abbas Floriacensis quantum valuerit in utraque scientia, ostendit, cum super calculum Victorii commentatus est. *Præter canonum Collectionem omisere etiam ambo isti auctores librum De Vita S. Eadmundi Anglorum regis, cujus tamen libri, uti et prædictæ collectionis, parentem esse Abonem indubium est.*

Liber Canonum, quem ex bibliotheca collegiatæ apud Lemovicas S. Martialis ecclesiæ noster Petrus Trelius eruit, mihi visus est luce haud indignus, tum quia ad restituendas veterum canonum lectiones et lacunas non parum conducere potest, tum quia quo in statu Francica respublica eo tempore esset, ex his canonibus facile elicitur, quos medendis regni malis ac infortuniis collegit Abo, et Hugoni regi atque Rotberto ejus filio cum patre regnanti obtulit ante annum 997, *qui Hugonis supremus fuit. Accedit quod nullas e supposititiis Romanorum pontificum epistolis collector adducat, tametsi per id tempus ejusmodi subditiliæ litteræ cæca religione admitterentur. Hæc canonum collectio inter Capitularia regum Francorum non immerito censeri potest; cujus inscriptio, quam ex membraneo codice fideliter exhibui, rectius instituenda videtur hoc modo;* INCIPIUNT CANONES ABONIS ABBATIS AD HUGONEM ET ROTBERTUM EJUS FILIUM FRANCORUM REGES.

INCIPIUNT
CANONES DOMNI ABBONIS ABBATIS,

ET REGIS HUGONIS, ET ROBERTI FILII EJUS FRANCORUM REGIS,

Excerpti de aliis canonibus.

PRÆFATIO.

Dominis meis gloriosissimis, Francorum regibus, Hugoni, filioque Rotberto speciem gerenti dignam imperio, humilis Floriacensium rector Abo, perpetuæ salutis munus in Christo.

Postquam divina providente clementia regni fastigium suscepistis, ad probationis emolumentum multa infortunia, occulto sed non injusto Dei judicio, perpessi estis. Nec id ab externis gentibus, sed a regni primoribus (29), ut vestri imperii primordia fermentarentur. Sed quia de omnibus vos eripuit omnipotens Dominus, recordamini bonitatis et pietatis Dei, recordamini prædecessorum vestrorum, bonorum regum; recordamini judiciorum justorum, ac semper habetote in animo parcere subjectis et debellare superbos. Certe, serenissimi domini, quia B vos in nostrum ordinem benevolos comperi, capitula inferius scripta ex canonum legumve libris, partim meis, partim aliorum sententiis uno tenore digessi; et vestro nomini consecrans, postquam contra æmulos Apologetico usus sum (30), uno tomo breviter collecta explicui. In quibus et vestri ministerii A summam expressi; et quanter vobis fidem servare debeant optimates regni non tacui. Ad defensionem quoque monastici ordinis plura congessi: qui monachorum senatum semper salvum esse et volo (31) et volui, quorum etiam vos piissimi defensores et advocati estis (32). Unde simul cum monachis vestri Abonis miseremini, ut det vobis Deus suam invenire misericordiam hic et in perpetuum cum regibus sanctis. Valete.

CAPITULA.

I. *De honore ecclesiarum vel monasteriorum.*
II. *De defensoribus ecclesiarum.*
III. *De ministerio regis.*
IV. *De fidelitate regis.*
V. *De privilegiis ecclesiæ et possessionum ejus.*
VI. *De præceptis regalibus vel imperialibus.*
VII. *De differentia testamentorum et precariis.*
VIII. *De eo quod necessitas excludat leges et canones.*
IX. *De differentia legis et consuetudinis.*
X. *De eo quod sacerdotes mandatum ad gentem extraneam non mittant.*

(29) *Regni primoribus.* De his primoribus, qui Rotberto regnum ineunti infesti fuere, agit Glaber Rodulfus in Historiarum lib. III, cap. 2.

(30) *Apologetico usus sum.* Istius Apologetici fragmenta refert Aimoinus in c. 8 et 9 de Abonis Vita, et Baronius initio XI tomi Annalium. In hoc opere purgat se auctor ab æmulorum calumniis, qui etiam ejus vitæ insidiabantur; ipsumque opus nuncupavit Hugoni et Rotberto regibus, quos ad hæreticam pravitatem, maxime Simoniam, e regno suo propellendam cohortatur. « Ad ultimum, inquit Aimoinus, sua non ignorans multis displicere scripta, regibus sese commendat, præcipue domno Rotberto, quem C scientem litterarum ac idcirco diligentem fore noverat studiosorum, scribens in hæc verba: « Præterea « dominos meos cum familiariter alloquens bona « suadeo, multorum animos, scio, contra me con« cito, juxta illud Comici:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

« De quorum animositate non multum moveor, dulce « decus meum, Rotberte, quem atavis regibus edi« tum divina pietas perduxit ad regni fasti« gium, » etc. Ubi Abo Horatium imitatus, Rotbertum *atavis editum regibus* prædicat: quod Glaber Rodulfus explicat in lib. I cap. 2, et sequentibus, ac initio lib. II fusius V. Cl. Hadrianus Valesius in notis ad Carmen Adalberonis episcopi Laudunensis. Ad hæc Carolus, cognomento Simplex, in litteris Uticensi monasterio concessis, Hugonem comitem, qui Rotberti avus fuit, *consanguineum* suum vocat. Cæterum etsi Rotberto regi tantopere acceptus erat Abo, cum tamen ob illicitam cum Berta copulam increpare non dubitavit, testante Helgado monacho in libro de Vita Rotberti; nec ea libertas piissimi principis animum ad iracundiam, sed ad pœnitentiam provocavit.

(31) *Monachorum senatum salvum esse volo.* Hinc traducendi vexandique Abonis materiam arripuere conjurati monachorum ejus temporis osores, uti Abo ipse in Apologetico conqueritur apud Aimoinum. « Corrodit me, inquit, canino dente æmulorum supplantatrix calliditas, circumlatrat adversariorum frequens acerbitas, nec aliud contra me immurmurant nisi quod monachorum senatum salvum esse velim. Nostræ reipublicæ augmentum quæsivi, ac cavillationi insidiantium auctoritate qua valui contradixi. Nec abscondi omnino misericordiam et veritatem a consilio multo. Pro hujusmodi malis meo insidiantur sanguini, me succenturiatis insequuntur odiis, adeo ut nec regia majestas eos deterreat quin me clanculum trucident, si eis locus tempusve arrideat. » Rem facto probat Aimoini liber de Abonis Vita, cap. 8.

(32) *Defensores et advocati estis.* Quanto studio in S. Benedictum ejusque ordinem affectus fuerit Hugo, Rotberti pater, testatur Helgaldus monachus, qui morientis Hugonis extrema ad Rotbertum filium verba refert, « specialiter inculcantis, ut nullo pacto ducem omnium Patrem Benedictum a se divelli pateretur. » Propensam hanc in S. Benedictum voluntatem testatus est Hugo, cum non solum pleraque monasteria, pridem a sæcularibus occupata canonicis, restituit monachis, sed etiam liberam eligendorum abbatum potestatem. Hugonis studium imitatus est Rotbertus, qui « Patri Benedicto et suis semper totis adhæsit præcordiis », inquit Helgaldus, adeo ut Adalbero Laudunensis episcopus, poetica usus licentia, id regi exprobraverit.

XI. *De clericis electis ab ædificatoribus ecclesiarum.*
XII. *De ordinatione vel degradatione presbyterorum.*
XIII. *De eo quod absque pecunia episcopi debeant ordinari.*
XIV. *De electione abbatis.*
XV. *De ordinatione abbatis, et de accessu episcopi ad monasterium.*
XVI. *De abbate, quod sacerdos esse debeat.*
XVII. *De accusato abbate quid agendum sit.*
XVIII. *De monachis et sanctimonialibus, ut regulariter vivant.*
XIX. *De abbate ad regem pertinente.*
XX. *De rectore Floriacensi.*
XXI. *De sacerdotio monachi.*
XXII. *De monachis non servantibus propositum.*
XXIII. *De clericis qui monachi fieri volunt, et de insolentia episcoporum in monachos.*
XXIV. *De clericis qui propter vanitatem efficiuntur monachi.*
XXV. *De possessionibus ecclesiæ, in auibus clerici ædificant.*
XXVI. *De sanctimoniali vel monacho in jus vocato.*
XXVII. *De his quæ offeruntur ecclesiæ.*
XXVIII. *De episcopis invasoribus prætermissa synodo.*
XXIX. *De tricennali præscriptione.*
XXX. *De dote ecclesiarum.*
XXXI. *De episcopo, quid habere debeat de ecclesia.*
XXXII. *De rebus ecclesiæ et de proximis fundatorum ejus.*
XXXIII. *De provisione suffragii episcoporum.*
XXXIV. *De indigentia eorum qui res suas obtulerunt ecclesiæ.*
XXXV. *De avaritia sacerdotum.*
XXXVI. *De injuste excommunicatis.*
XXXVII. *De ecclesiis et earum presbyteriis.*
XXXVIII. *De eo quod episcopus tertiam partem ecclesiæ potest dare cui voluerit.*
XXXIX. *De sanctitate vitæ clericorum.*
XL. *De filiis sacerdotum, vel ministrorum.*
XLI. *De rebus ecclesiæ dispensandis.*
XLII. *Ut nullus episcopus sibi eligat successorem.*
XLIII. *De Eucharistia.*
XLIV. *De accusatoribus sacerdotum.*
XLV. *De episcopis in judicium testimonii causa evocatis.*
XLVI *De his qui contra episcopum habent causam.*
XLVII. *De accusatis episcopis.*
XLVIII. *De testimoniis clericorum.*
XLIX. *De frequenti sacrificio.*
L. *De militantibus.*
LI. *De stipendiis militum.*
LII. *De militantibus clericis.*

I. — *De honore ecclesiarum et monasteriorum.*

Ecclesia quæ est templum Dei vivi, quo honore habenda sit, testatur ipse Dominus in Evangelio A quo dicit Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Quia igitur ipsa est oratorium, de quo beatus Pater Benedictus dicit (S. Benedict. *Reg.* cap. 52) : « Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quidquam aliud agatur aut condatur, » providendum est ne, cui Christus fundamentum est, in usus sæcularium transferatur propter rapinas suarum rerum, quia perhibentur Christiani intus vel foris violentiam ingerere atriis domus Dei. Unde Theodosius et Valentinianus Augusti, libro nono legum, capitulo 34, Antiocho præposito (*Cod. Theod.*, lib. IX, tit. 45) : « Pateant, inquiunt, summi Dei templa timentibus, nec sola altaria et oratorium templi circumjectum, quæ [*al.*, qui] ecclesias quadripartito intrinsecus pa- B rietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus; et aditum pariter templi, quem parietum descripsimus cinctu. Et post loca publica, januas primas ecclesiæ quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis et balneis, areis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendo eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere, neque [*al.*, ne qui hoc] ausus sit, cum discrimen suum videat, ad expendendam opem ipsi quoque confugiant. Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo et sacrosanctis altaribus confugientium C quemquam mane vel vespere cubare vel pernoctare liceat, ipsis hoc clericis religionis causa vetantibus. »

Interpretatio. Ecclesiæ sunt loca Deo dicata, et ideo reos, qui ibidem compulsi timore confugerint, ita tueantur ut nullus locis sanctis ad direptionem rerum vim aut manus afferre præsumat; sed quidquid spatii vel in porticibus, vel in areis ad ecclesiam adjacentibus pertinet, velut interiora templi præcipimus custodiri, ut reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, et loca venerabilia polluantur. Sane si qui ad sancta loca confugerint, arma, si qua secum portaverint, mox deponant, nec se æstiment magis armorum præsidio quam sanctorum locorum veneratione defendi. Quod si deponere arma D noluerint, et sacerdoti vel clericis non crediderint, sciant se armatorum viribus pertrahendos. Si vero aliquis extrahere de locis sanctis quemlibet reum quacunque ratione tentaverit, capitali supplicio esse damnandum.

II. — *De defensoribus ecclesiarum vel monasteriorum.*

Defensores ecclesiarum qui dicuntur hodie, contra auctoritatem legum et canonum sibi defendunt quod fuerat juris ecclesiarum, sicque violentiam clericis et monachis ingerendo, res ecclesiarum seu monasteriorum usufructuario diripiunt, colonos in pauperlatem redigunt, possessiones ecclesiarum non augent, sed minuunt, et quorum defensores esse

debuerant, eos vastant. Patet rerum copia cunctis hostibus prædæ, nec parant saltem vel verbis obviant, ut resistant, qui se putant non jam advocatos, sed dominos, dum post abscessum hostium consumunt quidquid fuerit residuum, juxta illud propheticum : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus*, etc. (*Joel.* I, 4). Denique idcirco videmus ecclesias destructas, monasteria quædam diruta, quædam ad summam inopiam redacta, quæ bonorum virorum eleemosyna aliquando floruerunt in magna gloria, quia multi se ultro offerentes sub advocationis obtentu, de possessionibus, de redditibus, de oblationibus maximam portionem intercipiunt, quam ecclesiastici capere debuerant. Unde ut talis præsumptio cessaret, ita cautum est in concilio Africano, cap. 64. « Placuit etiam ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi, Vincentius et Fortunatius, a gloriosissimis imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt vel in munere defensionis causarum, ut more sacerdotum provinciæ id ipsi, qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda ingredi judicum secretaria. »

III. — *De ministerio regis.*

Quale ministerium regis sit, et ipse sui officii nomine prodit, et totius regni suscepta cura innotescit; nec magis ulla sententia animum regis ad bene agendum subrigit quam diversorum principum clementia proposita sub exemplis, quia et Constantini imperatoris mansuetudo laudatur inter dissidentes episcopos, et Marciani pura fides inter hæreticos et orthodoxos. Sed de externis quid loquor, et loquendo immoror, cum ad dispensationem reipublicæ et utilitatem ecclesiarum tanta fuerit pietas ac prudentia Caroli, et filii ejus Ludovici? Certe utrique pro tempore ac ratione noverant parcere subjectis et debellare superbos. Unde ex libris, qui ex conciliis sui temporis effecti sunt cum subjectione episcoporum, quanta facile est reperiri, expressum libro II, cap. 1 (*Concil. Paris.* VI). post aliqua : « Justitia regis est, neminem injuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum et proximum suum judicare, advenis et pupillis et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et pejerantes vivere non sinere, ecclesias defensare, pauperes eleemosynis alere; justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum et hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere; per omnia in Dei vivere, prosperitatibus non elevare animum, cuncta adversa patienter ferre, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum. *Væ enim terræ, cujus rex est puer, et cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* X, 16). Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, et regem ad cœlestia regna meliora perducunt. »

IV. — *De fidelitate regis.*

Cum regis ministerium sit totius regni penitus negotia discutere, ne quid in eis lateat injustitiæ, quomodo ad tanta poterit subsistere, nisi annuentibus episcopis et primoribus regni? Et cum Apostolus dicat : *Deum timete, regem honorificate* (*I Petr.* II, 17), qua ratione sui ministerii vices exercebit in contumacium perfidia, si ei primores regni auxilio et consilio non exhibeant debitum honorem cum omni reverentia? Ipse enim solus non sufficit ad omnia regni utilia. Idcirco partito in aliis onere, quos dignos credit honore, honorandus est et ipse sincera devotione, ne quis ei contradicat quomodocunque, quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII, 12). Siquidem ut melius est non vovere quam post votum non reddere, ita melius est electioni principis non subscribere quam post subscriptionem electum contemnere vel proscribere, quandoquidem in altero libertatis amor laudatur, in altero servilis contumacia probo datur. Tres namque electiones generales novimus, quarum una est regis vel imperatoris, altera pontificis, tertia abbatis. Et primam quidem facit concordia totius regni; secundam vero unanimitas civium et cleri; tertiam sanius consilium cœnobialis congregationis. Et unaquæque non pro sæcularis amicitiæ gratia vel pretio, sed ad suam professionem pro sapientia vel vitæ merito. Porro ordinatus rex ab omnibus subditis fidem sibi sacramento exigit, ne in aliquibus regni sui finibus discordia generari possit. Hinc habes scriptum in concilio Toletano IV : « Post instituta quædam ecclesiastici ordinis vel decreta, quæ ad quorumdam pertinent disciplinam, postremo nobis cunctis sacerdotibus sententia est pro robore nostrorum regum et stabilitate gentis pontificale ultimum sibi Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta exstat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam regibus suis servare contemnant, et ore simulent juramenti professionem, dum retinent mente perfidiæ impietatem. Jurant regibus suis, et fidem quam pollicentur, prævaricant, nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio multaque pœnarum comminatio super eos qui jurant in nomine Domini mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis regibus juratam fidem conservant? quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu propria desecet? Illi, ut notum est, immemores salutis suæ, propria manu seipsos

interimunt, in semetipsos suosque reges proprias convertendo vires. Et cum Dominus dicat : *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* CIV, 15) ; et David : *Quis*, inquit, *extendet manum suam in Christum Domini, et innocens erit ?* (*I Reg.* XXVI, 9) illis nec vitare metus est perjurium, nec regibus suis inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur, id est, si bello fides valet, quanto magis in suis servanda est ? Sacrilegium quippe est, si violetur a gentibus regum suorum promissa fides, quia non solum in eis fit pacti transgressio, sed et in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. »

V.—*De privilegiis.*

Romanæ et apostolicæ sedis auctoritas Christo Domino propitiante refulget per universalem totius orbis Ecclesiam. Nec mirum, cum ejusdem sedis pontifices beati Petri, qui princeps est totius Ecclesiæ, videantur vices gerere. A Christianis quoque imperatoribus hanc eamdem obtinuerunt singularitatis excellentiam ut fundatis episcopalibus ecclesiis, virorum seu sanctimonialium monasteriis, legem quam semel sub excommunicationis anathemate imposuissent, nunquam, nisi necessitas impediret, deinceps perderent. Unde ita habes scriptum in concilio Nicæno, cap. 6. « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. »

Item, GREGORIUS JOANNI episcopo (GREG. lib. VII, ep. 33, ind. 1).

« Grave nimis et contra sacerdotale constat esse propositum, cujusquam monasterii privilegia olim indulta confundere, et ad irritum, quæ sunt pro quiete disposita, niti deducere. Questi itaque sunt nobis monachi tuæ diœceseos quia suo monasterio quædam contra ea, quæ a prædecessoribus vestris permissa ac longa consuetudine servata sunt, festinetis inducere et antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde de his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut, si ita est, ab ejus se molestia sine aliqua excusatione contineat, et quæ ei sunt diutius custodita nullius occasionis tentet usurpatione convellere ; sed cuncta illibate et sine ulla studeat refragatione servare, et plus sibi in eodem monasterio quam prædecessoribus suis licuit, noverit non licere. » Item in legibus cap. 510. « Possessiones ad religiosas domos pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad constructionem viarum vel pontium ædificationes, ita tamen, si habuerint possessiones intra territorium constitutas illius civitatis, in qua desideratur descriptio. Habeant autem immunitatem, sortitis muneribus extraordinariis et lucrativorum descriptione. »

VI. — *De præceptis regalibus vel imperialibus.*

Gloriosissimorum regum potentia stabile firmumque esse voluit quidquid verbo vel opere præcipiendo constituit, maxime quod ad utilitatem Ecclesiæ suorum procerum suggestionibus ratum esse judicavit. Quapropter qui præceptis regalibus contradicit, se regem non diligere nec timere ostendit, præsertim cum priscorum virorum fulciatur assertione, quam authenticam non ignorat esse. Nam Dominus dicit : *Si quis diligit me, sermones meos servabit* (*Joan.* XIV, 23). Qui ergo regem odit, odit præceptum illius ; sermones etiam irreprehensibiles reprehendere quærit. Sed unde hoc contingit, nisi ex nimia mansuetudine regis ? Omnia enim nimia nocent. Propterea denique jubemur habere simplicitatem columbinam ac serpentinam astutiam, ne ad utramque partem sit vehementior animus, qui nescit servare modum plus æquo anxius. Siquidem non de imperiali præcepto, sed de indiculis epistolarum suarum hoc Carolus proposuit edictum in libro IV capitul. suorum. « Si quis litteras nostras despexerit, id est tractatoriam, quæ propter missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet, amittat ; aut in loco in quo prædictos missos suscipere debuit, tandiu resideat et de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat, quo usque animo nostro satisfactum habeat : qui vero epistolam nostram quocunque modo, jussu nostro ad palatium veniat et ad voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber, id est ministerialis comitis, hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, sive beneficium, amittat ; et si servus nudus, ad palum vapulet, et caput ejus tondeatur. »

VII.—*De differentia testamentorum et precariis.*

Quoniam testamentorum alia fiunt dotis nomine, alia hæreditatis donatione, alia de rebus ecclesiæ, quas abalienari est difficile, et dicuntur precariæ : exceptis his, sunt præcepta regalis, id est imperialis, jussionis auctoritate roborata, quibus consentiunt Romanorum pontificum privilegia sub excommunicationis anathemate decreta. At vero precariæ, quæ ex conventione fiunt, et precibus obtinentur, aliæ sub quotlibet personis censualiter retinentur usu fructuario, aliæ per commutationis emphyteosim, id est contractum : quæ fit eo modo, quo habetur in libro Conciliorum tertio (33), cap. 22 : « Precariæ a nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate conventi [*al.*, convenienti] datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus ecclesiæ, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias et ecclesiasticas

(33) *In libro Conc. tertio.* Id habetur in cap. 22 concilii Meldensis anno 845 habiti ; quod decretum ex capitulis synodi Belvacensis desumptum est, relatum a Reginone in lib. I De ecclesiasticis disciplinis, cap. 363, a Burchardo item et Gratiano. Cum vero ex libro Conciliorum tertio id citet Abo, innuit fortasse concilium Meldense suo tempore in codicibus mss. habuisse rationem libri tertii inter concilia, quæ a Caroli Calvi principatu ad eum annum celebrata fuerant.

usu fructuario tenere voluerit. Si autem res propriæ ad præsens dimiserit, ex rebus ecclesiasticis fructuario usu in suo tantum quis nomine assumat, quia sic eas quemcunque tueatur oportet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem. Et a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo et sanctis dicatis, cum ratio et usus obtineant neminem, qui non vult, contra utilitatem et rationem præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit, quoniam præcepta in jure ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas regia, nisi ab ecclesiastico rectore petantur. Isdem autem custos ecclesiæ solertissime caveat ne sui ordinis et ecclesiasticæ communionis forte immemor contra auctoritatem præceptum regium pro quacunque assentatione fieri petat. Qui et si fecerit, non audiatur; si autem et obtinuerit, regia discretione et episcopali judicio idem rescindatur, et petitor injustus pro principis injusta suggestione digne corripiatur. »

VIII. — *De eo quod necessitas excludit leges et canones.*

Ecclesiasticæ regulæ, quas Græci canones vocant, a sanctis Patribus sunt inventæ ideirco, ut absque ullo erroris anfractu per justitiæ semitam gradiamur. Nec differt qua canonum institutione quis imbuatur ad competentem Christianæ fidei professionem, dum tamen inoffenso vestigio viam veritatis ingressus, per ducatum Evangelii non recedat a divinis oraculis. Non enim omnis inventio necessitatem comitatur, ut alio modo fieri impossibile sit quod aliquis utiliter invenit. Sicut in concilio Africano plura tractat Osius Cordubensis ad placitum, quæ libenter suscipit Ecclesia pro verissima institutione canonum. Unde considerandus est terrarum situs, qualitas temporum, infirmitas hominum, et aliæ necessitates rerum, quæ solent mutare regulas diversarum provinciarum. Potestate etiam multa mutata sunt pro communi utilitate ecclesiarum, quæ nemo reprehendit fidelium. Et quid mirum? cum nonnunquam inveniantur canones sibi contradicentes, et quod in altero concilio præcipitur, in altero prohibetur nec enim id frustra factum existimant, qui pro temporalis vitæ commodo nunquam cupiunt declinare a virtute ad vitia, nec a veritate ad mendacium. Nam in decretis pontificum eadem ratio existit, quorum tanta auctoritas est, ut sententiæ plurimorum unius Romani pontificis exspectent judicium. Semper igitur in talibus præponderat utilitas et honestas, non illecebrosa, quam sancti viri fugiunt, desideriorum voluptas. Sed ne incassum talia dicere videamur, exempla proponimus. Transmigratio episcoporum prohibita est in Nicæna et Chalcedonensi synodo; necessitate vel utilitate concessa est in Antiocheno concilio. Et necessitate quidem, propter frigus scilicet quod ejus debile corpus ferre non poterat, Silvanus ab Attico ex Philippopoleos in Trojam mutatus est. Potestate quoque Romani pontificis Perigenes in Petris ordinatus est episcopus, nec [*f.* nec non] receptus inthronizatus in Corinthio, defuncto ejus episcopo. Nec de his mirandum, cum odio habendam Christus docuit, quam Apostolus uxorem nos diligere præcepit. Gregorius quoque ab aliis episcopis damnatos suæ auctoritatis privilegio pristinis gradibus reformabat, episcopos unibat, successores episcopis dabat (Greg. lib. III, epist. 20). Salonitanæ civitatis episcopum, nomine Maximum, quia pecuniis ordinatus Simoniacam hæresim incurrerat, Gregorius excommunicavit. Qui excommunicatus missas celebravit; tamen post 7 annos pœnitentia ductum suæ sed restituit, et pallio donavit, accepto sacramento de interdictis super corpus sancti Apollinaris (lib. VII, epist. 82, ind. 2).

IX. — *De differentia legis et consuetudinis.*

Sicut rex a regendo dicitur, ita et lex a legendo. Quapropter legum promulgatio regum edictis extenditur, et unusquisque infra sui regni fines imperium Christianum pietate exsequitur. Cui consuetudo paret; quæ si publicis utilitatibus non impeditur ipsa pro lege succedit. Nam Cicero in rhetoricis harum similitudinem ac differentiam ita definitione pandere non supersedit (Cic. lib. II, *de Invent.*) « Consuetudinis jus esse putatur id quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit. » Jura vero legitima ex legibus cognosci oportebit, et a vulgari intelligentia remotiora sunt; ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam sæpe sunt inferenda. Quocirca, si bene memini, lex et mos species sunt juris. Nam lex est principum constitutio scripta; mos vero consuetudo vetustate probata, nec tamen scripta. An vetustas adeo sibi consensit in malo ut morum disciplinam nullus vellet aliquando? Sed hoc nusquam gentium didicimus, omnibus hominibus bonum naturæ etiam male agendo amantibus. Omnes igitur homines bonis legibus, aut bonis moribus utantur necesse est. Porro quosdam comperimus, qui nec bonis moribus per consuetudinem, nec ullis legibus se subditos arbitrentur; et qui sine lege vivunt, sine lege peribunt.

X. — *De eo quod sacerdotes mandatum ad gentem extraneam non mittant.*

Ex Toletano concilio IV, cap. 30 : « Confinitimi hostium sacerdotes, præter eos qui regia potestate licentiam acceperunt, quodlibet ad gentem extraneam mandatum occulte accipere vel dirigere non præsumant. Qui autem deprehenditur atque convincitur, denuntiatus principi apud concilium, magna animadversione et condigna multabitur. »

XI. — *De clericis electis ab ædificatoribus venerabilium locorum, vel hæredibus eorum.*

In legibus, cap. 456 : « Si quis oratoriam domum ædificaverit, et ipse vel hæredes ejus clericos in ipsa domo consecrare maluerint, sumptus administrantes ejusdem domus audiantur, si dignos nominaverint clericos; sin autem illi tales sint, ut divinis cano-

nibus non comprobentur, ad episcopum pertinebit alios clericos idoneos eligere. »

XII. — *De ordinatione vel degradatione presbyterorum.*

Ex Hispalensi concilio II, cap. VI. « Ecclesiæ [*al.*, comperimus Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ] presbyterum a pontifice suo injuste olim dejectum, et innocentem exsilio condemnatum. Quem rursus per subscriptionem nostram decrevimus, ut juxta priscorum Patrum synodalem sententiam nullus virorum sine concilii examinatione dejiciendum quemlibet presbyterum vel diaconum audeat. Nam multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica, damnant; et sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, et ad levem opinionis auram condemnant quorum crimina non approbant. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre non potest. Si enim hi, qui in sæculo a dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis nexum non revolvuntur, nisi publice apud proceres tribunali foro fuerint accusati, quanto magis hi qui divinis altaribus consecrati honore ecclesiastico decorantur? Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris sui privilegiis exui, sed præsentati synodali judicio, quod canon de illis præceperit, definiri. »

XIII. — *Ut nulla pecunia* (34) *data episcopi ordinentur.*

Ex libro Legum (35), cap. 430 : « Ante omnia illud observari sancimus, ut nemo sub præstatione auri vel alterius rei episcopus consecretur. Quod si tale aliquid admissum fuerit, seipsos et suas animas perdunt hi qui pecunias accipiunt vel præstant, et mediatores eorum secundum divinas regulas et sacros canones condemnationi subjiciuntur. Eapropter hoc et qui dat, et qui accipit, et qui mediator factus est, sacerdotio vel clericatus honore removeatur. Quod pro ea causa datum est, ecclesiæ vindicetur illi, cujus voluit sacerdotium emere. Si autem laicus erit, qui pro hac causa aliquid accepit, vel mediator rei factus est, ea quæ data sunt in duplum ab eo exigantur, ab ecclesia vindicanda. Non solum autem ea quæ data sunt, vindicari præcipimus; sed et omnem cautionem, et omnem aliam qualemcunque actionem cessare sancimus, ut ille qui promissionem accepit, non solum cautionem reddere, sed et aliud, tantum quantum cautio continet, conveniat Ecclesiæ dare. »

Item ex concilio Chalcedonensi, cap. 11 : « Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimo lucri commodo, is qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit; et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat; sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis, vel acceptis exstiterit, siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut monachus, anathematizetur. »

XIV. — *De electione abbatis.*

In Legibus, cap. 480 : « Restat ut de monachis dicamus. Igitur sancimus, ut abbas sive archimandrita in singulis monasteriis præponatur, non secundum gradum monachorum, sed quem cuncti monachi, vel melioris opinionis constituti elegerint, propositis sanctis evangeliis, dicentes quod non propter amicitiam vel gratiam, sed scientes eum fidei rectæ et vitæ castæ, et administratione dignum et potentem ad monachorum disciplinam et omnem monasterii statum utiliter custodire, eum elegerint. Et si sic electus fuerit, modis omnibus confirmetur ab episcopo, cui monasterium subjectum est. Quæ autem de monasteriis monachorum diximus, eadem teneant et in monasteriis et archisteriis mulierum. »

XV. — *De abbatis ordinatione, et de accessu episcopi ad monasterium.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ (*Greg.* lib. VII, ep. 18, indict. 4) :

« Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere et de eorum perpetua securitate tractare, ante actum vos officium, quod in regimine monasterii exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Joannis et Stephani, quod in Clasitana civitate est constitutum, cui communis filius Claudius abbas præesse dignoscitur, multa a decessoribus vestris præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futura quiete salubri ordinatione disponat, quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est, consuetudine quisquam illic quolibet tempore quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Nullus igitur ultra audeat de redditibus, rebus, vel chartis dicti monasterii, vel de loco aliquo, qui ad eum pertinet, quocunque modo, qualibet excusatione minuere, nec immissiones dolosas aliquas facere, sed si qua forte causa inter Ravennatem ecclesiam et præfatum monasterium evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud electos a partibus timentes Deum, sine volun-

(34) *Ut nulla pecunia.* Grassabatur per id tempus Simoniæ crimen, in quod stylum exeruere Abo ipse ad Bernardum abbatem Bellilocensem apud Aimoinum in ipsius Vita, cap. 10; et Glaber Rodulfus in Historiarum lib. II, cap. 6, aliique eorum temporum auctores, quibus præivit Gerbertus in sermone superius edito, ubi malum hoc suo ævo revixisse, hoc est invaluisse, conqueritur. Lege Liutprandum Ticinensem diaconum in Historia sui temporis.

(35) *Ex lib. Legum.* Harum legum nomine Abo intelligit librum Novellarum; is vero locus habetur in novell. 6, cap. 8, et novel. 123, cap. 1.

taria dilatione mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate, non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, et qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Neque venienti abbati quæcunque persona qualibet occasione in suo monasterio opponatur, nisi forte exstantibus criminibus (quod absit), quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est ut invito ejusdem monasterii abbate ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel ad clericatus officium tolli exinde monachi non debeant, sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Deo laudes, vel utilitates monasteriorum complendas sufficerint, abbas cum devotione de his qui supersunt, offerat, quos dignos eorum putaverit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas episcopus ad ordinanda alia monasteria de his qui supersunt, tollat; ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam, nec licentiam habeat habitandi. Observandum est quoque ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit, sed abbas loci cum abbatibus aliis rerum inventarium faciat. Quoties autem pro utilitate sui monasterii ad pontificem Romanum abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeat exspectari, quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nuntiatum est prægravatum : oportet, ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur, sed sic charitatis officium illic episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram vero fraternitatem prædictus abbas non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit, sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit. »

Et rursus eidem in alia epistola post aliqua (Lib. VI, ep. 40). « Hortamur ut, omni mora omnique excusatione submota, ita monasteria Ravennæ a vestro vestrorumque clericorum studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis clerici vel hi qui in sacro ordine sunt constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causa, accedendi licentiam, aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint invitati mysteria. Sed ne vel pro cujuslibet monachi aut abbatis promotione onus aliquod fortasse sustineant, studendum vobis est ut, si quispiam abbatum aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam (ut diximus) habeat ulterius potestatem, ne monasteria hujus occasionis velamine ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundo commonita sanctitas vestra non differat. »

Item Gregorius Joanni episcopo de Urbevetere (Lib. I, ep. 12). Agapitus abbas monasterii sancti Georgii insinuavit nobis plurima se a vestra sanctitate gravamina sustinere, et non solum in his quæ necessitatis tempore aliquod monasterio possint ferre subsidium, verum etiam in eodem monasterio missas prohibeatis celebrari, sepeliri etiam mortuos interdicas. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi, et sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas nulla ulterius habita contradictione permittas, ne denuo querelam de his quæ dicta sunt prædictus vir venerabilis deponere compellatur.

XVI. — *De eo quod abbas sacerdos esse debet.*

Eugenius papa (36) cap. 27 (Eugen. II, *in syn. Rom.*) : « Abbates per monasteria tales ordinentur, qui sibi subjectos bene regere possint; sacerdotalem quoque sint honorem adepti. »

XVII. — *De accusato abbate quid sit agendum.*

Gregorius Lupo abbati (37) (Gregor., lib. II, epist. 12) : « Quoniam multæ occasiones in deceptionem religiosarum personarum a pravis illic, ut dicitur, hominibus exquiruntur, præsbyterum prædictæ Ecclesiæ nullo modo privandum deponendumque censemus, nisi causa specialiter criminis exegerit. Unde necesse est, ut si qua contra eum hujusmodi querela surrexit, non solum episcopus civitatis causam examinet, sed adhibitis sibi coepiscopis subtili hoc investigatione perquirat quatenus cunctis concorditer judicantibus judicio canonicæ districtionis censura aut reum ferire, aut innocentem possit absolvere. »

(36) *Eugenius papa.* Nempe in synodo Romana anno 826 celebrata : cujus synodi verba adamussim non refert Abo, sed contracta, tum in hoc capite, tum in capite 37. Hinc vero patet Abonis tempore quosdam ordinis nostri abbates sacerdotii expertes fuisse, quales erant Nicolaus de Nortmannia cœnobii S. Audoeni apud Rothomagum abbas sub finem sæculi XI, qui tantum diaconus erat, uti et Goffridus abbas Vindocinensis, qui nonnisi post adeptam cardinalatus dignitatem presbyter ordinatus est. Legesis observationem 33 in præfatione prima Sæculi tertii Benedictini.

(37) *Greg. Lupo abbati.* In editis : *Luponi presbytero et abbati*, nempe monasterii S. Martini in suburbio Augustodunensi. Eamdem epistolam laudat etiam vetus auctor, qui libellum de vita S. Hugonis ejusdem loci monachi edidit, tametsi ejus epistolæ auctoritas a nonnullis impetitur, uti et duarum præcedentium; propterea quod in eis pœnas quasdam regibus, episcopis et aliis auctor interminetur, quas a Gregorii mente alienas esse putant. Frodoardus tamen, uno fere sæculo Abone superior, in Historiæ Remensis lib. III, cap. 27, laudat xenodochii Augustodunensis privilegium, ad cujus formam epistola, quæ Luponi inscribitur, dictata est.

XVIII. — *De monachis et sanctimonialibus, ut regulariter vivant.*

(*Ex conc. Vernensi* I, c. 5.) « Monasteria tam virorum quam puellarum, quæ contempserint secundum ordinem regulariter vivere, ab episcopo in cujus parochia esse videntur emendentur. Quod si non potuerit episcopus emendare, metropolitano innotescat. Quod si nec ipse emendare poterit, ad synodum publicam exinde veniant; et si publicam synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus episcopis; et talis in loco ejus in ipsa synodo constituatur voluntate domni regis, vel consensu servorum Dei, qui regulariter ipsam congregationem regat. »

XIX. — *De abbate ad regem pertinente.*

Ex concilio Verni palatii (*Ibid.*, c. 20). « In alia synodo nobis perdonastis, ut illa monasteria, ubi monachi vel monachæ vivunt regulariter, eis res dimitterentur, unde vivere possent. Exinde si regalis esset locus, ad dominum regem fecisset rationes abbas vel abbatissa; si episcopalis, ad illum episcopum. »

XX. — *De rectore Floriacensi.*

In concilio Tullensi (38), cap. 12 : « Tandem postulavit generalis synodus se ad terram usque prosternens ante Carolum gloriosum regem et Radulfum Bituricum archiepiscopum, obsecrans et adjurans per crucem et sanguinem Christi, ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverat, quodque idem Radulfus subscripserat, ratum et inconvulsum servare studerent. Quod si abbas negligens, et sacris regulis non conveniens per directos missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, et alius qui dignus repertus fuerit, substituatur, et privilegii auctoritas in eodem monasterio quacunque occasione non destituatur. »

XXI. — *De sacerdotio monachi.*

Gregorius Lucio [*al.*, Lucido] episcopo (Greg., lib. x, ep. 54).

« Filius noster Joannes abbas presbyterum sibi in monasterio suo ex congregatione eadem petiit ordinandum. Ideoque fraternitatem vestram præsenti auctoritate duximus adhortandam, quatenus virum, quem vobis de congregatione sua ad ordinationem obtulerit consecrandum, sicut est consuetudo, quæque sunt discutienda, subtiliter perquiratis; et si nihil in eo repertum fuerit quod ei possit obviare, A canonice, sicut mos est, consecretur. Nihil autem aliud ei privilegii concedentes, nisi ut in congregatione sua, quoties opportunum fuerit, sacra missarum debeat tantummodo celebrare mysteria. »

Et sanctus Benedictus in regula sua, cap. 62 : « Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ab abbate suo ei præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum, » etc.

XXII. — *De monachis non servantibus propositum.*

In Legib. cap. 490 : « Si quis monasterium suum reliquerit, aut ad aliud monasterium transierit, res ejus priori monasterio, in quo ante intraverat, competant. »

Item, cap. 16 : « Si quis in monasterio se collocaverit, et postquam vestem religiosam vestitus est, e monasterio recesserit, omnia bona ipsius quæ in monasterium introduxit, ad ipsum monasterium pertineant. » Idem est ex alia constitutione : « Etsi non introduxit. Omnes enim res cum ejus domino monasterii sunt. » B

Item, cap. 18 : « Si quis introierit in monasterium, et post religiosam vestem recesserit, vel militaverit, vel simpliciter laicus factus fuerit, spolietur cingulo militari, et vita libera non potiatur, sed officio præsidis provinciæ servire cogatur. Substantia autem ejus in monasterio maneat. »

Item exempla Siricii papæ ad Himerium episcopum Terraconensem, cap. 6 : « Præterea monachorum quosdam atque monacharum sive monialium abjecto proposito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu illicita, ac sacrilega se contagione miscuerint; postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint, quod et publicæ leges, et ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire. » C

XXIII. — *De clericis qui monachi volunt fieri, et de insolentia episcoporum* (39) *in monachos.* D

Cap. 52 [l., 50] ex Toletano concilio IV. « Clerici qui monachorum propositum (40) appetunt, quia

(38) *In conc. Tullensi.* Nempe apud Saponarias, qui locus est Tullo Leucorum suburbanus. In hujus synodi cap. 11, quod Aboni duodecimum est, hoc decretum habetur, cujus verba quædam perimit Abo de more, nam canones de verbo plerumque non adducit.

(39) *De insolentia episc.* Durior videri posset hæc inscriptio, nisi Toletani Patres in concilii Toletani IX, cap. 2, in eodem argumento prius usi fuissent *insolentiæ* vocabulo, quorum exemplo forsan adductus Abo, qui eumdem locum inferius refert in cap. 32, eamdem vocem adhibuisse videtur, quanquam titulum rectius temperasset hoc modo : *De insolentia quorumdam episcoporum in monachos.* Certe Regino in prima appendice collectionis canonum cap. 33, ubi idem concilii Toletani IV caput 51 adducit, hunc titulum apposuit : *De discretione potestatis episcoporum, quam in monasteriis habere possunt.*

(40) *Clerici qui monachorum propositum.* Hunc Toletanæ synodi locum si præ manibus habuisset Lupus abbas Ferrariensis, opportune admodum eo usus fuisset in epistola 29 ad Gueniloncm Senonensem episcopum, qui duos parochiæ suæ presbyteros a monastica professione retrahere conabatur, negans eis copiam relinquendi *suos titulos*, nisi Lupus id *absque vitio fieri posse*, auctoritate comprobaret.

meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eos ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. »

Item cap. 51 : « Nuntiatum est præsenti concilio quod monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, et jura monasteriorum contra statuta canonum illicita præsumptione usurpentur, ita ut pene omnis ex cœnobio [*l.*, pene ex cœnobio possessio fiat], atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos qui ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant, sed hoc tantum sibi in monasteriis vindicent sacerdotes quod præcipiunt canones, id est, monachos ad conversationem sanctam prædicare, abbates ad aliqua [*al.*, abbates, aliaque] officia instituere, atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quidpiam de monasterii rebus tentaverint; non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis. »

XXIV. — *De clericis qui propter vanitatem efficiuntur monachi.*

Ex concilio Cæsaraugustano cap. 6 (*concil. Cæsar., sub Damas.*) : « Si quis de clericis propter luxum vanitatemque præsumptam de officio sponte discesserit, ac se, velut observatorem legis, monachum videri maluerit esse quam clericum, ita de ecclesia repellendum, ut, nisi rogando et obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis episcopis dictum est : Ita fiat. »

XXV. — *De possessionibus ecclesiæ.*

Ex alio Toletano concilio cap. 4 : « Si quis sane clericorum agellos vel vineolas in terris ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causa, usque ad diem obitus sui possideat. Post suum vero de hac vita discessum, juxta priorum canonum institutiones jus suum ecclesiæ restituat, nec testamentario ac successorio jure cuiquam hæredum prohæredumque relinquat, nisi forsitan cui episcopus pro servitiis hac præstatione ecclesiæ largiri voluerit. »

Gregorius Joanni episcopo (Greg. lib. VII, ep. 33, ind. 1.)

« Questi sunt monachi tuæ diœceseos te quædam de monasterio sub xenii quasi specie abstulisse. Et ideo necesse est ut, si quid indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare. Questi quoque sunt monachi abbatem suum terram tibi donationis concessisse sub prætextu fabricandæ ecclesiæ. Et ideo, præter id quod circumdant parietes ecclesiæ, volumus ut in jura monasterii sine aliqua difficultate revertatur, quia nec mundanarum legum nec sacrorum canonum statuta permittunt res monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. Quapropter donationem ejusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua restitue contradictionem. »

Item in Legibus cap. 404 : « Si quis mala fide res alienas possidens vendiderit eas, vel donaverit, vel alio modo alienaverit, is autem qui se dominum carum putat, sciens hoc, testatione denuntiaverit ei qui res cepit intra decennium inter præsentes, vel inter absentes intra vicennium; res firmiter apud emptorem, vel qui donationem excepit, vel alio modo alienationes nactus est, permaneant. Quod si, ignorante domino, mala fide possessor alienaverit, non aliter hoc præjudicet domino nisi triginta annorum spatium transactum sit, quamvis is qui emit vel alio modo alienationes nactus est, bonæ fidei possessor fuerit. »

XXVI. — *De monacho, vel sanctimoniali in jus vocata.*

Ex constitutione 2, cap. 74 (*Novell.* 79, c. 1) : « Si quis cum monachis vel sanctimonialibus habeat litigium, non audeat eos ad civilem judicem accusare vel trahere, in archisterio vel monasterio constitutos; sed magis adeat civitatis episcopum. Ille enim æstimabit utrum repræsentari principalis persona debeat, an per defensorem, egumenum vel apocrisiarium defendi cum omni scilicet honestate, ita ut episcopus legibus et canonibus consentaneam sententiam proferat. »

De temeratoribus, cap. 4 : « Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu quidem positus 10 librarum auri pœna multabitur; exsecutor autem litium constitutus, in decanicis ecclesiarum reciudatur competentes pœnas luiturus; et postea non concedatur officium exsecutoris habere. »

XXVII. — *De his quæ a fidelibus in basilicis offeruntur.*

Ex concilio Aureliacensi cap. 11 (*conc. Aurel.* I, cap. 15) : « De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta serventur, et omnia in episcopi potestate consistant. De his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter episcopis deferatur. »

XXVIII. — *De episcopis invasoribus prætermissa synodo.*

Ex concilio Carthaginis, cap. 66 (*conc. Afric., seu Carthag.*, c. 87, sub Bonif. I et Cœlest. I) : « Placuit ut episcopi quascunque ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram existimant pertinere, non ita repetierint ut causas suas episcopis judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive

Quod aggressus est Lupus, tametsi id nunquam in controversiam vocatum, vel audisse se, vel legisse fateatur. Ejusdem fere argumenti est Gregorii Magni epistola 39, lib. 10, ad Desiderium in Gallia episcopum, qui, cum Pancratium clericum olim suum, postea monachum factum, in Ecclesiam cui man-cipatus antea fuerat revocare vellet, ut ne id tentare pergeret admonitus a Gregorio est. Insignis etiam ea de re epistola exstat Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis ad Attonem episcopum Trecensem in lib. II, epistola 50.

volentibus, sive nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque jam hoc fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc contendunt, ille inde discedat, quem constiterit prætermissis judicibus ecclesiasticis invasisse. Nec sibi quisquam blandiatur, si a primate, ut retineat, litteras postularit [*al.*, impetrarit]. Sed sive habeat litteras, sive non habeat, conveniat eum qui tenet et ejus litteras accipiat, ut appareat pacifice tenuisse ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos judices causa finiatur, sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos cum consulto primatus elegerint [*al.*, ex consensu delegerint]. »

XXIX. — *De tricennali præscriptione.*

Ex concilio Chalcedonensi cap. 17 : « Singularum ecclesiarum rusticas parochias, vel in possessionibus manere debere inconcussas illis episcopis qui eas retinere noscuntur, et maxime si per tricennium eas absque vi obtinentes sub dispensatione rexerunt. Quod si intra tricennium facta fuerit de his vel fiat altercatio, licere eis qui se læsos asserunt, ad sanctam synodum provinciæ certare. Quod si quis a metropolitano læditur, apud primatem diœceseos aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superius dictum est. Si qua vero civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones et publicas ecclesiasticarum parochiarum quoque ordinationes subsequantur. »

XXX. — *De dote ecclesiarum.*

Ex concilio Toletano III, cap. 19 : « Multi, contra canonum constituta, sic ecclesias quas ædificaverint postulant consecrari, ut dotem ejus ecclesiæ censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum et in præteritum displicet, et in futurum prohibetur; sed omnia, secundum constitutionem antiquam, ad episcopi ordinationem et potestatem pertineant. »

XXXI. — *De episcopo. Quid debeat habere de ecclesia.*

Ex concil., quo supra, cap. 2 (*conc. Bracar.* III, can. 2) : « Placuit ut nullus episcoporum suas diœceses perambulans, præter honorem cathedræ suæ, id est duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requirat; sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ vel recuperatione servetur, et singulis annis episcopo exinde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumen et sarta tecta abstulit ecclesiæ. Similiter et ut parochiales clerici servili more in aliquibus operibus episcopis servire non cogantur. Quia scriptum est : *Neque vi dominantes in clero* (*I Petr.* v, 3). »

XXXII. — *De rebus ecclesiæ, et de proximis fundatorum ejus.*

Ex concilii Toletani IX, cap. 1 : « Omnis itaque rei ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium animæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparat fraudatori. Et ideo nullus sacerdotum vel ministrorum ex rebus ecclesiæ, quæ in quibuscunque locis a fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri suo aut cathedræ propriæ utilitati convertat. Devotio enim uniuscujusque, sicut gratanter votum contulit Domino, ita definivit quod plenitudo votorum conservaretur in loco; in quo, velut si collata tenentur, manet gratia offerentis; ita, si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. Verum ut rei hujus potior soliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus honestioribusque propinquis ejus qui construxit vel ditavit ecclesiam licitum sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut, si sacerdotem vel ministrum aliquid ex collatis rebus providerint defraudare, aut commonitionis honesta conventione compescant, aut talia episcopo vel judici corrigenda denuntient. Quod si talia episcopus agere tentet, metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auditibus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcunque præsumere, sed solum in eo salutarem sollicitudinem adhibere, quod in nullam noxam operationis attingat, aut vel in multam, vel in aliquam partem salutaris merces assumat. Si quis autem deinceps hæc monita temerare voluerit, et male rapta cum confusione restituat et excommunicationis annuæ sustinebit sententiam. »

Item, cap. 2 (*Ibid.*) : « Cum sæpe sit solitum etiam illa quæ non debentur, prece supplicationis et vi quodammodo extorquere doloris, quanto magis sine obstaculo non cedi debent exquisita simul et ordine juris et dolore compassionis? Quia ergo fieri plerumque cognoscitur, ut ecclesiæ parochiales vel sacra monasteria ita, quorumdam episcoporum vel insolentia vel incuria, horrendam incidant in ruinam, ut gravior exoriatur ædificantibus mœror quam in struentibus [*al.*, construendo] gaudii existerat labor : unde [*al.*, ideo] pia compassione decernimus ut, quandiu earumdem fundatores ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, et sollicitudinem ferre præcipuam, atque rectores præcipuos vel idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi offerant episcopis ordinandos. »

In Legibus, cap. 456 : « Si quis oratoriam domum ædificaverit, et ipse vel hæredes ejus clericos in ipsa domo consecrare maluerint, sumptus administrantes ejusdem domus, audiantur, si dignos nominaverint clericos. Sin autem illi tales sint ut divinis canonibus non comprobentur, ad episcopum pertinebit alios clericos idoneos eligere. »

XXXIII. — *De prorisione suffragii episcoporum.*

Cap. 37 (*conc. Tolet.* IV) : « Quicunque episcopi suffragio cujuslibet aliquid ecclesiasticæ utilitatis providerint, et pro eo quodcunque modicum in remuneratione promiserint, promissi solutionem eos exsolvere oportebit, ita ut id ad concilium comprovin-

ciale deductum eorum conniventia confirmetur, quia, sicut apostolus Paulus ait, mercedem suam accipient (*I Cor.* III, 8). »

XXXIV. — *De indigentia eorum qui res suas contulerunt ecclesiæ.*

Cap. 38. (*Ibid*) : « Prædendum est a sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, et maxime his quibus restituenda vicissitudo est. Quicunque ergo fidelium de facultatibus suis ecclesiæ aliquid devotione propria contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, de eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim clericis vel monachis, seu peregrinis aut quibuslibet necessitatem patientibus, pro solo religionis intuitu, in usum res ecclesiasticæ largiuntur; quanto magis his consulendum est quibus retributio justa debetur? »

XXXV. — *De avaritia sacerdotum.*

Cap. 33 (*Ibid.*) : « Avaritia radix cunctorum est malorum : cujus sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amorem Christi et martyrum in parochiis episcoporum basilicas construunt, oblationesque conscribunt; sacerdotes autem auferunt, et in usus suos convertunt. Inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium ædificia basilicarum non reparantur, quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est a præsenti concilio, episcopos ita diœceses suas regere ut nihil ex earum jure præsumant auferre, sed, juxta priorum auctoritatem conciliorum, tam de oblationibus quam de tributis ac fructibus tertiam consequantur. Quod si amplius ab eis præsumptum exstiterit, per concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam illi a sæculo decesserunt. Noverint tamen conditores basilicarum, in rebus quas eidem ecclesiæ conferunt nullam potestatem habere, sed, juxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere. »

Gregorius leoni episcopo (Greg. l. VII, ep. 8, ind. 1).

« Volumus ut quidquid ecclesiæ tuæ ex redditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris, diaconibus ac clero, ut tibi visum fuerit, discrete dividere, et unicuique, ut meritum laboris exegerit. »

Quod quatuor fieri debeant portiones de rebus ecclesiæ, Gelasius in decretalibus, cap. 27 : « Quatuor autem, inquit, tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet facultas ecclesiæ permittit, sicut dudum est rationabiliter decretum, convenit fieri portiones : quarum sit una pontificis; altera clericorum; tertia pauperum; quarta fabricis applicanda ecclesiæ. »

Simplicius episcopus Florentino, Equitio et Severo episcopis (*Simpl. papæ Decr.* c. 2) : « De reditibus ecclesiarum vel oblationibus fidelium quid deceat, nescienti nihil licere permittat; sed sola et ex his quanta portio remittatur, duæ ecclesiasticis fabricis et erogationi peregrinorum et pauperum profuturæ a Bonagro presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur. Ultima inter se clericis pro singulorum meritis dividatur. »

XXXVI. — *De injuste excommunicatis.*

Ex concilio Africano, cap. 100 (41) : « Quandiu excommunicato communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest. »

Item ex concilio Coloniæ, cap. 56 (42) : « Ut nemo episcoporum quemlibet sine certa et manifesta peccati causa communione privet ecclesiastica. Anathema autem sine consensu archiepiscopi et episcoporum prælata etiam evangelica admonitione nulli imponat, nisi unde canonica doceat auctoritas, quia anathema æternæ mortis est damnatio, et nonnisi pro mortali debet imponi crimine, et illi qui aliter non potuerit corrigi. »

Item in Legibus, cap. 441 : « Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus eum excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat; is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum abstineat a sacra communione tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut id quod injuste fecit, ipse juste patiatur. »

XXXVII. — *De ecclesiis et earum presbyteris.*

Ex concilio Tolet. III, cap. 20 : « Multorum querela hanc constitutionem exegit, qua cognovimus episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire; et, dum scriptum sit : *Forma estote gregis, neque vi quasi dominantes in clero* (*I Petr.* v, 3), exactiones diœcesi suæ vel damna infligant. Ideoque censemus, excepto quod veterum

(41) *Ex conc. Africano cap.* 100. Deest hoc caput in editis concilii Africani seu Carthaginensis. Quæ collectio est diversorum capitulorum numero centum ex conciliis Africanæ provinciæ, quibus capitulis alia quinque subduntur de nonnullis episcoporum epistolis. In novissima conciliorum editione pro capitulo centesimo adducitur concluso concilii ex sententia Aurelii episcopi sic loquentis : « Juxta statuta totius concilii congregati, et meæ mediocritatis sententiam, placet facere rerum omnium conclusionem, » etc. Quod nullo modo respondet lemmati capituli centesimi, quod initio concilii præmittitur : *Ut non temere quemquam communione privet episcopus.* Optime vero lemmati quadrat caput istud apud Abonem, hoc ex loco in editis supplendum.

(42) *Ex conc. Coloniæ, cap.* 56. Non habetur hic locus in editis. Videtur autem esse decretum concilii Coloniensis, quod anno 870 in causa ecclesiasticæ disciplinæ celebratum est. Hinc vero colligimus multa fuisse ejus concilii decreta, cujus caput 56 Abo producit.

constitutiones a parochiis habere jubent episcopos, ut illis alia, quæ huc usque præsumpta sunt, denegentur. Hoc est, neque in angariis presbyteros aut diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videantur in Ecclesia Dei exactores potius quam Dei pontifices nominari. Ili vero clerici, tam locales quam diœcesani, qui se ab episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad metropolitanum deferre non differant : qui metropolitanus non moretur ejusmodi præsumptiones coercere. »

Eugenius papa, cap. 21 (*synodus Rom.*) : « Monasterium vel oratorium constructum canonice, a dominio constructoris [eo] invito non auferatur; liceatque illi presbytero cui voluerit, cum consensu sui episcopi, ne malus sit, commendare, ita ut ad placitum episcopi sacerdos obedienter recurrat. »

Item, cap. 24 : « Episcopi in propriis suis ecclesiis presbyteros ordinent. Quod si quilibet alius homo in sua basilica infra trium mensium spatium, ab episcopo monitus, presbyterum non miserit, episcopus principi suggerat ut hoc emendet. »

Item, cap. 25 : « Si destructæ ecclesiæ de propriis rebus reædificari non potuerint, a populo plebis auxilientur. »

Item, cap. 26 : « Nullus episcopus a nullo sibi subjecto clerico donationes ultra statuta Patrum exigat, nec angariat. »

XXXVIII. — *De eo quod episcopus habeat tertiam partem ecclesiæ, et potest dare cui voluerit.*

Cap. VI (*ex alio concilio*) : « Opportune duximus decernendum, ut episcopus tertiam, quam de rebus ecclesiæ sanctione Patrum debitam sibi novit, aut ipsi ecclesiæ cujus res esse patebit, aut alteri ecclesiæ, cui elegit, conferre decreverit; ut licitum maneat et irrevocabile robur cujus sententia ferat. »

Item ex Toletano concil. III, cap. 3 : « Nulli episcoporum liceat res alienare ecclesiæ, quoniam et antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid vero, quod utilitatem non gravet ecclesiæ, pro suffragio monachorum vel ecclesiarum ad suam parochiam pertinentium dederint, firmum maneat; peregrinorum vero vel clericorum et egenorum necessitati salvo jure ecclesiæ præstare permittuntur pro tempore quæ potuerint. »

XXXIX. — *De sanctitate vitæ clericorum.*

Siricius papa in epistola cap. 7 (SIRIC., *Decret.*) : « Plurimos sacerdotes Christi atque levitas post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis quam etiam de turpi coitu sobolem dilicimus procreasse, et crimen suum hac præscriptione defendere quia in Veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. Sed illi per successionem generis eligebantur de sola tribu Levi, quibus Deus dicit : *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XIX, 2). Unde et procul a suis domibus anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt, ne cum uxoribus possint carnale exercere commercium. Nos vero omnes sacerdotes atque levitæ insolubili lege constringimur ut, a die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in hisquæ quotidie offerimus sacrificiis placeamus. Qui ergo ignorantia lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut, sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quandiu vixerint, officio perseverent, si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Qui vero, exemplo veteris sacerdotii, quasi licito conjugio utuntur, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigni usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse divina attrectare mysteria deinceps ulla nostra indulgentia, sive sit episcopus, sive presbyter, sive diaconus. »

XL. — *De filiis presbyterorum, vel episcoporum, vel diaconorum.*

Ex conc. Tolet. IX, cap. 10 : « Quicunque vero clericorum ab episcopo usque ad subdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probantur, canonica censura damnentur; proles autem alienata [*al.*, tali nata] pollutione non solum parentum hæreditatem nunquam accipiet, sed etiam in servitutem ejus ecclesiæ, de cujus sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni permanebunt. Filii autem sacerdotum qui ante sacerdotium nati sunt, spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec spectent, licet hoc Christianis omnibus interdictum sit; et ubi blasphemiæ sunt non accedant, sicut habes in concilio Carthaginensi, cap. 15. »

XLI. — *De rebus ecclesiæ dispensandis.*

Ex concilio Orientalium episcoporum, cap. 14, de præsumptione episcopi in rebus ecclesiæ : « Si quis episcopus, nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut ubi forte non est presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, et in judicio episcoporum dejiciatur inauditus, et tanquam furti aut latrocinii reus a suo honore privetur. »

Item, cap. 16 : « Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, ut dispenset necessitatem patientibus cum omni reverentia et timore Dei; participare eum oportet quæ necessaria sunt, si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquid, aut necessitatem ullo modo patiantur, secundum sanctum Apostolum dicentem : *Habentes victum et tegumentum, his contenti sumus* (*I Tim.* VI, 8). Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas voluntates usurpare voluerit, et lucra ecclesiæ et fructus agrorum non cum presbyterorum vel diaconorum consilio intaminaverit, aut fratribus vel filiis vel quibuscunque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos res

lædantur latenter, hunc oportet obnoxium esse concilio. Similiter presbyteros et diaconos, si ea'em faciant, corripi oportet. »

A

XLII. — *Ut nullus eligat sibi episcopum successorem.*

Ex concil. Antioch. cap. 25 (*conc. Antioch.* sub Julio P. I) : « Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi constitutum. Servetur autem jus ecclesiasticum id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo et judicio episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus exstiterit, promovere. »

Item, Gregorius Anatolio Constantinopolitano subdiacono (Gregor., lib. 9, ep. 41).

« Nusquam canones præcipiunt ut pro ægritudine (43) episcopo succedatur. Et omnino injustum est ut, si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus, atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum anima mea ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est ut, si is qui est in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur qui possit ejus curam omnem agere, et locum ejus in regimine ecclesiæ, ipso non deposito, ac in custodia civitatis implere; ut neque Deus omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero isdem reverentissimus Joannes fortasse pro molestia sua petierit ut ab episcopatus honore debeat vacare; eo petitionem scripto dante concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non valemus. Quod si hoc petere noluerit; quod piissimo imperatori complacet, quidquid jubet facere, in ejus est potestate. Sicut novit, ipse provideat, nos tantummodo in depositione non faciat permisceri. Quod vero ipse imperator fecerit, si canonicum est, sequimur; si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro possumus, portamus. »

B

C

XLIII. — *De communione.*

Augustinus in ecclesiasticis Regulis (44) cap. 23 (*auctor Dogmat. eccl.*) : « Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen diebus Dominicis communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purgari. Et ideo, quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus. Hæc cum fecerit, confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia peccata non gravant. Nam quem mortalia post baptismum commissa premunt, hortor primum publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium vel condemnationem Eucharistiam percipere. Sed et secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, ut religionis studio per vitæ correctionem, et jugem, imo perpetuum luctum, miserante Deo, veniam consequatur, ita duntaxat ut contraria pro his quæ pœnitet, non [*al.*, *deest* non] agat, et Eucharistiam omnibus Dominicis supplex usque ad mortem percipiat. »

D

Gregorius (Greg., *in resp.* x *ad interrog. Augustini*): « Sanctæ communionis mysterium mulier percipere menstruo tempore non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna non præsumit percipere, laudanda est. Sed si perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est ibi aliquo modo culpas suas agnoscere ubi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur quod venit ex culpa. Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis actum est ut esuriamus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quæ naturaliter accidit; sed tamen quod natura ipsa vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo seipsam, qualis per judicium facta sit humana natura, cognoscit, ut homo, qui culpam sponte perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo feminæ seipsas considerent, et si in menstrua consuetudine ad sacramentum Dominici corporis et sanguinis accedere non præsumant, de sua recta consideratione laudandæ sunt; dum vero ad percipiendum ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ (sicut prædiximus) non sunt. »

Et infra. « Vigilanti vero mente pensandum est quod in monte Sina Dominus locuturus populo, prius eumdem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei reciperent, mulieribus misti non essent, quanto magis mulieres, quæ corpus omnipotentis Dei accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine graventur? Hinc etiam ad David de pueris suis per sacerdotum dicitur ut, si a mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent; quos omnino non acciperent, nisi eos David mundos esse fateretur. Tunc autem

(43) *Pro ægritudine.* Plura ejus rei statuta refert Burchardus in Decretorum lib. 1, cap. 88 et sequentibus. Huc spectant concilia Meldense anni 880, can. 47; Suessionense II anni 853, can. 9, et epistola Nicolai papæ I ad Wenisonem Senonensem archiepiscopum de Herimanni episcopi Nivernensis infirmitate.

(44) *Augustinus in eccles. Regulis.* Librum de Dogmatibus ecclesiasticis intelligit auctor; qui liber sæculo nono ineunte a nonnullis Augustino falso ascriptus, eidem protinus abrogatus est a viris doctis, maxime a clero Lugdunensi de Gothescalci causa scribente adversus Joannem Scottum, qui hujus libri, quasi esset Augustini, auctoritate abutebatur.

vir post admistionem conjugis, si aqua lotus fuerit, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei, juxta præfinitam sententiam, etiam ecclesiam licuerit introire. » Item de pollutione somnii (*resp.* II). « Hunc quidem Testamentum veteris legis pollutum dicit, et, nisi lotum aqua, usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens, sub eodem intellectu accipit : quia quasi per somnium illuditur qui, tentatus immunditia, vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat, et, nisi prius ignis tentationis recedat, reum se quasi ad vesperam recognoscat. Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quam subtiliter pensare debeas, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnino hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse. Cum vero appetitus gulæ ultra modum in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpi imaginatione non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur, quod ipsa mens rea non sit tunc, sed suo judicio libera, cum se, etsi dormienti corpore, nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo reatus suus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens.

Quando monachi et alii pœnitentes communicare debent, manifestat sanctus Eucherius (45) : « Detur pœnitentia sæculari, cujus adhuc cervix sub jugo dependet sæculi, et huic pro immanitate peccati sive delicti terminetur tempus, qui adhuc tempori servit. Cæterum abrenuntians sæculo et ejus militiæ, spondensque se cunctis diebus serviturum Deo ; cur pœnitentiam moretur, quilibet effectus velat onager sectatur eremi vastitatem? sicut ait Job : *Quis dimisit onagrum liberum in deserto? a leone fortiter caveat, et arentibus herbis poculo exiguo alatur in eremo* (*Job.* XXXIX, 5). Erigat in aera caput, et sic flagrantem nimium sitis ardorem sancti Spiritus aura restringuat, ne, dum valde desiderat amœna virentia, nimiis deliciis præpeditus periculum salutis incurrat. Igitur abrenuntianti pœnitentia publica non est necessaria, quia conversus ingemuit, et cum Deo æterno pactum iniit. Ex illo igitur die non memorantur ejus delicta quæ gessit in sæculo, ex quo facturum justitiam de reliquo promiserit Deo. Ergo chirographum, de quo se monachus debitum ex tota fide promiserit implere, etsi fidelis factus peccavit in sæculo, post abrenuntiationem suam iterum factam, Dominicum corpus non dubitet accipere, nec occasione humilitatis nimiæ prolongetur a corpore ejus et sanguine, cui se junxit, ut unum corpus efficeret. Communicare ergo non desinat, qui peccare quievit : tantum, ne de reliquo peccet. Nam sicut ignis ille visibilis duas in se quasdam efficacias habet, id est comburere fragilia et illuminare tenebrosa, ita ignitum illud Dominicum corpus, quando cum metu et reverentia grandi fuerit sumptum, corporis quidem delicta consumit, animæ vero sen-

(45) *Sanctus Eucherius.* Non reperi hunc locum in editis Eucherii Lugdunensis episcopi scriptis, neque in sermonibus nomine Eusebii Emysseni vulgatis, quos Eucherio Lugdunensi tribuendos esse non immerito viri docti arbitrantur. Eucherius hoc loco discrimen statuit inter eos qui monasticam vitam arripiunt, et alios pœnitentes, quod ab his pœnitentia exigenda sit ante communionem, non ab illis. Nimirum « abrenuntianti sæculo, inquit, pœnitentia publica non est necessaria, quia conversus ingemuit, et cum Deo æterno pactum iniit. » Cum enim ad hoc potissimum instituta sit pœnitentia ante communionem, ut pœnitentis probetur voluntas, an scilicet a peccandi affectu aliena sit ; nullum ejus rei dubium relinquitur in illis qui, sæculo nuntium remittentes, ardua vitæ monasticæ exercitia ex animo profitentur in probatis cœnobiis. Sic namque *cum Deo æterno pactum ineunt* divinæ justitiæ faciendi satis per totum vitæ suæ decursum. « Ex illo igitur die, ait Eucherius, non memorantur ejus delicta quæ gessit in sæculo, ex quo facturum justitiam de reliquo promiserit Deo. » Hujus loci occasione recurrit in mentem id quod legere memini apud Petrum Damiani in Opusculi XIII, cap. 6 et 7, adversus nonnullos monasteriorum rectores, « qui plus tribuentes monasticæ regulæ quam expediat, quibuslibet a sæculo venientibus, etiamsi graviter lapsi sint, aliam pœnitentiam non imponunt, nisi ut communem monasterii ordinem servent. » Quod quidem Petrus improbat hac ratione, quod « murmurare possint et juste conqueri, tam ii qui in puerili ætate, quam qui a gravibus custoditi ad conversionem veniunt, si eumdem vivendi modum tenere cum his qui criminibus gravati sunt, compelluntur. » Attamen huic doctrinæ adversatur factum sancti Bernardi abbatis Claræ-vallensis, qui homini reo, extremis pœnis ab se liberato, non aliam pœnitentiam imposuit, quam vitæ monasticæ in Claravalle professionem. Et sane si in omnibus monasteriis ita esset vita instituta quemadmodum eo tempore apud Claræ-vallenses, quibusvis pœnitentibus, quantumvis graviter lapsis, justus esset is pœnitentiæ modus. Neque vero alia quondam a sacerdotibus aliisque personis in graviora crimina lapsis pœnitentia exigebatur, quam in monasterium retrusio. Etsi enim hi nocentes sint in cœnobiis, alii innocentes ; utrisque tamen idem pœnitentiæ modus competere potest, siquidem, quod illi ex debito, præstant [hi] ex solo amore justitiæ.

sum illuminat. Et idcirco communicare frequentius debet. Si vero fuerit, sicut scriptum est, lepra in pelle, immunda erit, id est peccatum in monacho, quia pellem esse monachum Scriptura significat, mortificantem membra sua super terram. Cinis ossibus adhæsit, caroque immutatur propter oleum, et jejunio infirmatur, et genua velut fenum arescunt. Ergo si in hac pelle visa fuerit lepra, immunda erit, et nisi fuerit hyacinthina, aut rubra pura, ad ornatum tabernaculi non erit apta. »

Hæ sunt sanctorum Patrum sententiæ, discretionis plenæ, quibus monentur viri ac feminæ quando vel quales debent accedere ad communionem Eucharistiæ. Peccatorum enim quibus abstinere jubemur ab Eucharistia, alia nos trahunt naturæ vitio etiam invitos, alia voluntarios. Nam invitus lege peccati ducebatur, qui ingemiscens querebatur : *Video utique aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Unde Gregorius, discretionis et eloquentiæ singulariter magnificus, indulgendo infirmitati humanæ, accessum ecclesiæ et communionem Eucharistiæ talibus tribuens, dolentem consolatur, quia aliquando invitus et vir polluitur nocturno somnio, et mulier suo menstruo. Cujus auctoritate discimus quod solus sibi conscius in peccati opere, solus sibi erit judex, etiam post confessionem, in percipienda corporis et sanguinis Christi communione. Qui vero peccati lege voluntarius rapitur, hunc peccatorum recordatio non tantum contristat quantum delectat : quia ex consensu peccare deliberat. Ac idcirco, sicut Augustinus dicit : « Communione Eucharistiæ magis credendum est gravari quam purgari, » quandoquidem totus in affectu peccandi consistit. *Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI, 18). Sciendum itaque est de eo qui vel in se vel in alterum peccat libenter, quod a communione arceri debet, ne videamur margaritas nostras ante porcos ponere, esse participes et perditionis alienæ. At tamen Christi exemplum occurrit, qui Judæ proditori intinctum panem porrexit, de quo scriptum est quia *post buccellam introivit in eum Satanas* (*Joan.* XIII, 27). Sed ille, ut secretorum non ignarus, ad ostensionem perditi discipuli, panem porrexit ; nos vero, peccatorum nostrorum conscii, non ad ostensionem, sed ob commemorationem Christi, Eucharistiam præbeamus fratri. Unde Augustinus (tract. 61 *in Joan.*) : « Quid miraris, si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas e contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo ? Ita et malo bonum obfuit, et bono malum profuit. Scriptum est : *Quicunque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (*I Cor.* II, 27). Hic igitur si corripitur qui non dijudicat, hoc est non discernit a cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo damnatur qui ad ejus mensam, fingens se amicum, accedit inimicus ? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis, quæ pœna percutitur venditor invitantis ? Quid autem erat panis traditori datus, nisi demonstratio, cujus gratiæ fuisset ingratus ? Intravit ergo post hunc panem Satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet. »

XLIV. — *Qualiter sacerdotum accusatores examinandi sint, vel si scriptis inter partes sententia recitata est.*

Gregorius Joanni defensori, inter cætera (Greg., lib. II, ep. 52) :

« Quia igitur Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta, et de falsis se capitulis queritur accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed injuste se asserit condemnatum, diligenter quærendum est primum, si judicium ordinabiliter est habitum, aut si alii accusatores et alii testes fuerint. Deinde causarum qualitas est examinanda, si digna exsilio vel depositione fuit, aut si eo præsente jurejurando contra eum testimonium dictum est, seu scriptis actum est, vel si ipse licentiam respondendi et defendendi se habuit. Sed et de personis accusantium et testificantium subtiliter quærendum est cujus conditionis cujusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra episcopum inimicitias habuissent, et utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sint, vel si scriptis judicatum est, et partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si forte hæc solemniter acta non sunt, neque causa probata est quæ exsilio vel depositione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus revocetur ; hi vero qui eum contra Dei timorem et statuta canonum condemnaverunt, excommunicati in monasterium ad agendam pœnitentiam in sex mensibus sunt mittendi, ita sane ut, si cui eorum mortis contigerit imminere discrimen, viatici benedictio non negetur. Ipse autem qui eo vivente locum ejus temerarie ambiit, privatus sacerdotio, ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, atque eidem dilectissimo fratri et coepiscopo nostro tradatur, ut eum ecclesiastico judicio aut ipse ad nos transmittat, aut apud se in custodiam habeat. Episcopi vero qui eum ordinare præsumpserunt, vel perversæ ordinationi ipsius præbuere consensum ; communione privati in sex mensibus ad agendam pœnitentiam in monasteriis deputentur. Si autem episcopi in præjudicio condemnationis vel depositionis memorati Stephani se metu judicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte professi fuerint, tempus eis abbreviandum est, et modus pœnitentiæ temperandus. »

Item, de quodam episcopo in crimine accusato, et utrum noceat si sit extorta confessio.

Gregorius Constantio Mediolanensi (lib. VIII, ep. 30) :

« Relectis epistolis quas ad nos per Marianum latorem præsentium transmisistis, gratam nobis sollicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quod ea quæ ad vos de fratre et coepiscopo nostro Pom-

peio, qui adhuc ita nominandus est, pervenerint, A dissimulare minime pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex eo quod de eo dictum est, fuisset ambiguum; sed utrum verum, an esset compositum, patuisset, quia jam contra ipsum dudum in Sicilia apud reverendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum talis quæstio, ut cognovimus, mota est. Sed quia causa ipsius subtili omnino investigatione quæsita est, inventus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta sunt, non sub illa quæ decuit districtione quæsita sunt; et gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere: non levis res agitur, ut incaute vel in transcursu debeat definiri. Nam grave est satis et indecens, ut in re dubia certa dicatur ententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur: si tamen eamdem confessionem subtilitas examinationis ex occultis eliceret, et non afflictio vehemens extorqueret; quæ frequenter hoc agit ut noxios se fateri cogantur etiam innoxii. Nam postquam prædictus episcopus, ut dicitur, cruciari custodia cremarique fame se asserit, scire debetis, si ita est, utrum noceat si sic fuerit extorta confessio. Nunquid quando sententiam tales causæ suscipiunt, et ad sedem apostolicam appellatur, nonne et persona quæ judicatur, præsens est; et districtissime atque ab omni latere veritas quæritur, ut tunc si debeat manere sententia, decernatur? Necnon et si prædictus episcopus ad sedem apostolicam appellare voluerit, causa ipsius interius et cum omni diligentia est perscrutanda. Et ideo postquam et persona absens est, et gesta quæ ad nos transmisisti, nobis, sicut præfati sumus, idonee satisfacere non videntur, temere aliquid de episcopi persona decernere non debemus, nec possumus, ne (quod absit!) reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit retractare sententias. »

Item, de episcopo quem redarguit, quod non utiles viros in causam suam miserit, et quod sacramento præstito in gratiam rediit.

Gregorius Maximo episcopo Salonitano (lib. II, ep. 13): « Alia quidem scripta ad fraternitatem tuam antea fecceramus, sed et tempore quo homines tuos, quos ad nos misisti, relaxare voluimus, scripsisse te quibusdam nostris comperio, quod Veteranum presbyterum, atque Optatum defensorem tunc minime in causa transmiseritis; et idcirco ea quæ cum ipsis acta sunt, non debere subsistere. Sed Thomas, ecclesiæ tuæ defensor, non hoc verbum a te dictum perhibuit. Ex qua re jam nec præsentium portitoribus judicamus esse credendum, ne de ipsis quoque post hos similiter diceretur. Quia ergo hæc nos valde fecit ambigere et cautos esse debere præmonuit, si causam vultis dicere instructam de cætero, personam cum mandato legaliter facto tua ac presbyterorum seu diaconorum et testium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito transmittite, ut quidquid pro re actum fuerit, possit jure subsistere. Nam nos non solum tibi, sed etiam omnibus, quo! justum legitimumque fuerit, parati sumus, Deo juvante, per omnia custodire, tantum ut tu, quod lege præcipitur, facere non omittas. »

Item, Gregorius Castorio notario et chartulario Ravennæ (lib. VII, ep. 81, ind. 2): « Quantum credi tibi a nobis, et necessarias vides causas injungi, tanto te magis strenuum debes et sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmaverit se simoniaca hæresi non teneri; atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris, B tantummodo requisitus, innoxium se responderit; et de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputavimus, egerit: volumus ut, ad consolandum eum, epistolam quam ad eum scripsimus, ubi ei et gratiam nostram et communionem nos redidisse signavimus, experientia tua dare debeat; quia sicut in contumacia persistentibus severos esse nos convenit, sic iterum humiliatis et pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. »

Quidam episcopus per sacramentum purgavit se crimine ante corpus beati Petri. Gregorius ad Justinianum [*al.*, Justinum] (lib. II, ep. 23): « Proprium hoc habet antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum perpetratione Deo sibi resistente decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam, contra C sacerdotale propositum, de Leone fratre et coepiscopo nostro sinister rumor asperserat, utrum vera essent districta diutius fecimus inquisitione perquirere; et nullam in eo, de his quæ dicta fuerant, culpam invenimus. Sed ne quid videretur omissum, quod nostro potuisset cordi dubium remanere, ad beati Petri sacratissimum corpus fecimus sacramenta præbere. Quibus præstitis magna sumus exsultatione gavisi, quod hujusmodi experimento innocentia ejus evidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni charitate suscipiat, ac reverentiam ei, qualem sacerdoti decet, exhibeat: nec quædam cordi remaneat de his, quæ purgata sunt, dubietas; sed ita suprascripto vos episcopo devotissime oportet adhærere in omnibus, ut congrue decenterque Deum in ejus persona videamini, cujus minister est, honorare. »

D

XLV. — *De episcopis in judicium testimonii causa evocatis.*

Ex constitutione cap. 9: « Nullus episcopus cogatur ad judicium venire dicendi testimonii causa, sed judex ad episcopum mittat ministros suos, ut, propositis sanctis Evangelis, quod scit episcopus dicat, secundum hoc quod sacerdotibus honestum est. »

XLVI. — *De accusatis episcopis.*

Cap. 10: « Nullus episcopus neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis judicem, sive

civilem sive militarem, perducatur vel exhibeatur, nisi imperialis jussio processerit. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissione cinguli et XX librarum auri condemnatione plectatur, ut istæ XX libræ ecclesiæ addicantur cujus episcopus produci vel exhiberi jussus est. Litis autem exsecutor post cinguli amissionem tormentis subjiciatur, et in exsilium mittatur. »

XLVII. — *De his qui contra episcopum habent causam.*

Cap. 37 : « Si clericus vel si quis alius contra episcopum propter qualemcunque causam audiri maluerit, prius metropolitanus eorum secundum sanctas regulas et nostras leges discernat; et si quis judicatis contradixerit, ad patriarcham illius regionis res referatur, et ille secundum canones et legem finem ei præbeat. Si contra metropolitanum adire quispiam velit, regionis illius patriarcha discernat negotium. Quicunque episcopus apud quemvis judicem accusatur, omnino nullam fidejussionem neque promissionem pro litigio facere compellatur, sic tamen ut operam det intensiones et causas actoris dissolvere. »

XLVIII. — *De testimoniis clericorum.*

Cap. 33. « Presbyter et diaconus in causa pecuniaria si falsum testimonium dixerint, in tormentis non subjiciantur, sed per tres annos separentur a divino ministerio, et monasterio tradantur. Pro criminalibus causis si falsum testimonium dixerint, clericatus honore nudati legitimis pœnis subjiciantur. Cæteri autem in minore gradu clerici, pro quocunque falso testimonio, ordine ecclesiastico nudati, legitimis coercitionibus subjiciantur. Si quis contra clericum, vel monachum, vel diaconissam, vel monasterium, vel archisterium habeat aliquam actionem, adeat prius religiosissimum episcopum, cui eorum unusquisque subjectus est : ille autem rem in ipsos decernat. Quod si unus ex litigatoribus contradixerit judicatis, et ex imperiali vel judiciali jussione episcopus videat, ad imperatorem vel judicem qui jussit, referatur. Si de judicio ecclesiastico idem canonica causa emerserit, non magistratus, sed religiosus episcopus secundum sacros canones imponat negotio finem. »

XLIX. — *Quantum prosit frequens oblatio sacrificii.*

Gregorius in homilia 37 Evangeliorum : « Pensate, fratres, quam benignum sit, quod is qui adventu suo valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram, oblata cum lacrymis et benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur, quia is qui in se surgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius repa-

(46) *Exercet mercimonium.* Similia fere habet Hieronymus in epistola ad Nepotianum contra clericos negotiatores atque avaritiæ deditos, et contra

ramus. » Cujus rei exemplum idem doctor subintulit, cum de quodam in captivitate vincto, quoties solveretur, expressit. Ejus, inquit, uxor, putans eum esse mortuum, singulis hebdomadibus pro eo offerebat sacrificium; et, ut ipse domum reversus postmodum agnovit, toties solvebatur quoties pro ipso salutaris hostia offerebatur. »

L. — *De militantibus.*

Augustinus, de verbis Domini, homilia 19 : « Militare non est delictum, sed proptor prædam militare, peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est; sed ideo agere rempublicam ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea autem providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne, dum sumptus quæritur, præda grassetur. Illud autem quale est, [si] cum ob errorem aliquem a senioribus arguuntur, et imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas pervaserit, cædem cur turbulentus admiserit, statim respondeat : Quid habebant facere homo sæcularis et miles ? Nunquid monachum sum professus aut clericum ? Quasi omnis qui clericus non est aut monachus, possit ei licere quod non licet. »

LI. — *De stipendiis militum.*

« Dicitur secundum Evangelium : Interrogaverunt Joannem et milites : *Quid faciemus et nos ?* ait illis Joannes : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* III, 14). Hic jam cognoscere se debet qui militat. Non enim tantum de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur. Atque hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus. Quicunque enim stipendia sibi publice decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator et concussor Joannis sententia condemnatur. Usque adeo autem hoc insolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit, et nulla jam causa possit esse sine causa. »

LII. — *De militantibus clericis, et eorum stipendiis.*

« Hæc sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri, quia, etiamsi non militare videantur sæculo, tamen Deo militant, sicut ait Apostolus : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4). Videmur, inquam, non militare, remissis ac fluentibus tunicis : sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora constringamus. De quo cingulo Dominus ait : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35). Nam et catholicus clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit quæ de altario Domino jubente consequitur, sed exercet mercimonium (46), intercessiones ad Dominum vendit, viduarum mueos qui propudiosis obsequiis viduarum hæreditati obsidiabantur.

nera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri quam clericus. Nec dicere possumus : Nemo nos invasores arguit violentiæ, nullus accusat. Quasi non interdum majorem prædam viduis blandimenta alliciant quam tormenta. Nec interest apud Dominum utrum vi an circumventione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum. »

VITA SANCTI EADMUNDI

REGIS ANGLORUM ET MARTYRIS

AUCTORE SANCTO ABBONE ABBATE FLORIACENSI.

(Apud Surium, *Acta sanctorum*, ad diem 20 novemb.)

PRÆFATIO AUCTORIS

AD DUNSTANUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

Domino sanctæ metropolitanæ Dorobernensium Ecclesiæ archiepiscopo DUNSTANO, vere moribus et ætate maturo, ABBO Floriacensis monachus levita, etsi indignus. A Christo Domino irriguum superius et irriguum inferius.

Postquam, a te, venerabilis Pater, digressus sum cum multa alacritate cordis, et ad monasterium, quod nosti, festinus redii, cœperunt me obruere ii cum quibus fraterna charitate detentus hospitando hactenus degi, pulsare manu sancti Desiderii, ut mirabiliam patratoris Eadmundi regis et martyris passionem litteris digererem, asserentes id posteris profuturum, tibi gratum, ac meæ parvitatis apud Anglorum Ecclesias non inutile monumentum. Audierant enim quod jam pluribus ignoratam, a nemine scriptam, tua sanctitas ex antiquitatis memoria collectam, historialiter me præsente retulisset domino Rosensis Ecclesiæ episcopo, et abbati monasterii quod dicitur Mealmesbyry, ac aliis circum assistentibus, sicut tuus mos est, fratribus quos pabulo divini verbi Latina et patria lingua pascere non desinis. Quibus fatebaris oculos suffusus lacrymis quod eam junior didicisses a quodam sene decrepito, qui eam simpliciter et plene fide referebat gloriosissimo regi Ethelstano, jurejurando asserens quod eadem die fuisset armiger beati viri, qua pro Christo martyr occubuit.

Cujus assertioni quia in tantum fidem accommodasti, ut promptuario memoriæ verba ex integro reconderes, quæ postmodum junioribus mellito ore eructares; cœperunt fratres instantius meæ pusillitati incumbere, ut eorum ferventi desiderio satisfacerem, ac pro virium facultate tantorum operum seriem perire non sinerem. Quorum petitioni cum pro sui reverentia nollem contradicere; posthabitis aliquantulum sæcularium litterarum studiis, quasi ad interiorem animæ philosophiam me contuli, dum ejus, qui vere philosophatus est in throno regni, virtutes scribere proposui : maxime tamen eas quæ post ejus obitum sæculi inauditæ factæ sunt : quibus nemo crederet, nisi eas tuæ assertiones irrefragabilis auctoritas roborasset. Siquidem tu, cui nix capitis credi compellit, quando referebas de ea, quæ nunc est, incorruptione regis, quidam diligentius requisivit utrum hæc ita esse possent. Cujus quæstionis ambiguum volens purgare, tu vastæ peritiæ sacrarium pro [reserans] exemplo adjecisti, quod multo magis audientium attonita corda concussit, quia sanctus Domini Cuthbertus, incomparabilis confessor et episcopus, non solum adhuc exspectat diem primæ resurrectionis incorrupto corpore (47), sed etiam perfusus quodam blando tepore. Quod ego admirans pro argumento habui, quo tandem ad sancti regis gesta elucubranda certior accessi, fidens de ejus et tuis incomparabilibus meritis, cui primitias mei laboris consecrans, suppliciter obsecro ut vel una die vertas mihi tuum otium in honestum negotium, resecando hinc superflua, supplendo hiantia, quoniam ex ore tuo, præter seriem ultimi miraculi, omnia veracem secutus verax digessi, exhortans omnes ad mortem tanti martyris. Vale Pater in Christo.

INCIPIT VITA.

I. Asciti aliquando in Britanniam precario munere in perniciosum auxilium tres Germaniæ populi, hoc est, Saxones, Juti et Angli, primum Britonibus interdiu fuere præsidii (*forte*, præsidio). Qui cum

(47) Nota, lector, rem admiratione dignissimam. Porro autem etiam nostra ætate hujus S. Cuthberti corpus integrum repertum est. (Vide Alani Copi dialogum III, cap. 29.)

sæpius bello lacessiti, se et suos defensarent fortiter; illi vero ignaviæ operam dantes, quasi proletarii ad solam voluptatem domi residerent, fisi de invicta fortitudine stipendiariorum militum quos sibi conduxerant, ipsos miseros indigenas domo patriaque pellere deliberant, pactumque est: et exclusis Britonibus statuunt inter se dividere victores alienigenæ insulam, bonis omnibus fecundissimam; indignum judicantes eam ignavorum dominio detineri, quæ ad defensionem suam idoneis posset præbere sufficientem alimoniam et optimis viris. Qua occasione inducti, orientalem ipsius insulæ partem, quæ usque hodie lingua Anglorum Eastengle vocatur, sortito nomine Saxones sunt adepti, Jutis et Anglis ad alia tendentibus, in quibus suæ sortis funiculo potirentur, ne esset cum sodalibus ullum de possessione litigium, quibus supperet amplitudo terræ ad regnandi emolumentum. Unde contigit ut, per regiones et provincias divisa, p imum ducibus, deinde regibus sufficeret una eademque Britannia.

II. At prædicta orientalis pars, cum aliis, tum eo nobilis habetur quod aquis pene undique alluitur: quoniam a subsolano et Euro cingitur Oceano; ab Aquilone vero, immensarum paludum uligine; quæ exorientes propter æqualitatem terræ a meditullio ferme totius Britanniæ, per centum et eo amplius millia, cum maximis fluminibus descendunt in mare. Ab ea autem parte qua sol vergitur in occasum, ipsa provincia reliquæ insulæ est continua, et ob id *perria;* sed ne crebra irruptione hostium incursetur, aggere ad instar altioris muri fossa humo præmunitur. Interius ubere (*fort.*, uberis) glebæ satis admodum læta, hortorum nemorumque amœnitate gratissima, ferarum venatione insignis, pascuis pecorum et jumentorum non mediocriter fertilis. De piscosis fluminibus reticemus, cum hinc eam, ut dictum est, lingua maris allambit, inde, paludibus dilatatis, stagnorum ad duo vel tria millia spatiosorum innumerabilis multitudo præterfluit. Quæ paludes præbent pluribus monachorum gregibus optatos solitariæ conversationis sinus, quibus inclusi non indigeant solitudine eremi, ex quibus sunt sancti monachorum patris Benedicti cœlibes cœnobitæ, in loco celebri hac tempestate.

III. Sed ut ad propositum revertamur, huic provinciæ tam feroci [rex fuit] ex antiquorum saxonum nobili prosapia oriundus, a primævo suæ ætatis tempore cultor veracissimus fidei Christianæ. Qui atavis regibus editus, cum bonis polleret moribus, omnium comprovincialium unanimi favore non tantum eligitur ex generis successione, quantum rapitur, ut eis præesset sceptrigera potestate. Nam erat ei species digna imperio, quam serenissimi cordis jugiter venustabat tranquilla devotio. Erat omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratia præclarus, et inter suos cœvos mirabili mansuetudine residebat dominus absque ullo fastu superbiæ. Jamque vir sanctus præferebat in vultu, quod postea manifestatum est divino nutu; quoniam puer toto conamine virtutis arripuit gradum, quem divina pietas præsciebat martyrio finiendum.

IV. Nactus vero culmen regiminis, quantæ fuerit in subjectos benignitatis, quantæ in perversos distinctionis; non est nostræ facultatis evolvere, qui ejus minima, quo conveniret sermone, non possumus expedire. Si quidem ita columbinæ simplicitatis mansuetudine temperavit serpentinæ calliditatis astutiam, ut nec antiqui hostis deciperetur simulatione fraudulenta, nec malignorum hominum reciperet contra justitiam sententias, rem quam nesciebat, diligentissime investigans, gradiensque via regia, nec declinabat ad dexteram, extollendo se de meritis, nec ad sinistram, succumbendo vitiis humanæ fragilitatis. Erat quoque egentibus dapsilis liberaliter, pupillis et viduis clementissimus pater, semper habens præ oculis dictum illud Sapientis: « Principem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis (*Eccli.* xxxii, 1). » Cumque tam conspicuus in Christo et Ecclesia emineret bonorum actuum ornamentis, ejus patientiam, sicut et sancti Job, aggressus est experiri inimicus humani generis: qui eo bonis plus invidet, quo apparitu (*sic*) bonæ voluntatis caret.

V. Quocirca unum ex suis membris ei adversarium immisit, qui, omnibus quæ habuerat undique sublatis, ad impatientiam, si posset, erumpere cogeret, ut, desperans, Deo in faciem benediceret. Fuit autem idem adversarius, *Inguar* vocabulo dictus: qui cum altero Hubba (Stubba) nomine, ejusdem perversitatis homine, nisi divina impediretur miseratione, conatus est in exterminium adducere totius fines Britanniæ. Nec mirum, cum venerint indurati frigore suæ malitiæ ab illo terræ vertice, quo sedem suam posuit qui per elationem Altissimo similis esse concupivit. Denique constat, juxta prophetæ vaticinium, quod ab Aquilone venit omne malum, sicut plus æquo didicere perperam passi adversos jactus cadentis tesseræ, quo aquilonalium gentium experti sunt sævitiam; quas certum est adeo crudeles esse naturali ferocitate, ut nesciant malis hominum mitescere: quando quidem quidam ex eis populi vescuntur humanis carnibus, qui ex facto Græca appellatione *Anthropophagi* vocantur. Talesque nationes abundant plurimæ infra Scythiam prope Hyperboreos montes, quæ antichristum, ut legimus, secuturæ sunt ante omnes gentes, ut absque ulla miseratione pascantur hominum cruciatibus, qui characterem bestiæ noluerint circumferre in frontibus. Unde jam inquietando Christicolas, pacem cum eis habere nequeunt: maxime Dani, Occidentis regionibus nimium vicini, quoniam circa eas piraticam exercent frequentibus latrociniis. Ex eorum ergo genere prædicti duces Inguar et Hubba Nordanhumbrorum (Nordanimbrorum) primitus aggressi expugnare provinciam, gravi depopulatione totam pervagantur ex ordine. Quorum pessimis conatibus nullus resistere potuit ex provincialibus,

quin multarentur merita supernæ indignationis ira, agente ministro iniquitatis Hubba : quem præda facta Inguar reliquit ibi crudelitatis socium, et a boreali parte orientali subito astans cum magna classe ad ejus quamdam civitatem latenter appulit. Quam ignaris civibus introgressus, ignibus cremandam dedit; pueros, senes, cum junioribus in plateis civitatis obviam factos jugulat, et matronalem seu virginalem pudicitiam lubidrio tradendum mandat. Maritus cum conjuge aut mortuus aut moribundus jacebat in limine : infans raptus a matris uberibus, ut major esset ejulatus, trucidabatur coram maternis obtutibus. Furebat impius miles lustrata urbe ardendo ad flagitium, quo posset placere tyranno, qui solo crudelitatis studio jusserat perire innoxios.

VI. Cumque jam multitudine interfectorum Achæmeniam rabiem non tantum exsaturasset, quantum fatigatus in posterum distulisset, evocat quosdam plebeios, quos suo gladio credidit esse indignos, ac ubi rex eorum tunc temporis vitam degeret, sollicitus perscrutator investigare studet. Nam ad eum fama pervenerat quod idem rex gloriosus, videlicet Eadmundus, florenti ætate et robustis viribus, bello per omnia esset strenuus : et idcirco festinabat passim neci tradere quos circumcirca poterat reperire, ne stipatus militum agmine ad defensionem suorum posset rex sibi resistere, qui morabatur eo tempore ab urbe longius in villa, quæ lingua eorum Hagislidun dicitur (aqua et silva vicina eodem nomine vocatur); existimans impiissimus, ut se rei veritas habebat, quia quantos suus funestus satelles præoccuparet ad interitum perducere, tantos, si dimicandus esset, regius occursus in exercitu contraheret minus. Classem quoque absque valida manu non audebat deserere; quoniam, velut lupis vespertinis mos est, clanculo ad plana descendere, repetitis quantocius notis silvarum latibulis, sic consuevit eadem Danorum et Alanorum natio ; cum semper studeat rapto vivere, nunquam tamen indicta pugna palam contendit cum hoste, nisi prævenia insidiis, ablata spe ad portum navium remeandi.

VII. Quapropter circumspectus plurimum, accito uno ex commilitonibus, eum ad regem, hujusmodi curarum tumultibus expeditum, dirigit, qui exploret quæ sit ei summa rei familiaris, improvisum, ut contigit, quærens subjugare tormentis, si ejus nollet obtemperare feralibus edictis. Ipse eum, grandi comitatu succenturiatus, lento pede subsequitur, et iniquæ legationis bajulo imperat ut, timoris periculo nudus, ita incautum adoriatur : « Terra marique metuendus dominus noster Inguar, rex invictissimus, diversas terras subjiciendo sibi armis, ad hujus provinciæ optatum littus cum multis navibus hiematurus appulit; atque idcirco mandat ut cum eo antiquos thesauros et paternas divitias, sub eo regnaturus, dividas. Cujus si aspernaris potentiam innumeris legionibus fultam, tuo præjudicio et vita indignus judicaberis et regno. Et quis tu, ut tantæ potentiæ insolenter audeas contradicere? Marinæ tempestatis procella nostris servit remigiis, nec [nos] removet a proposito directæ intentionis : quibus nec ingens mugitus cœli, nec crebri jactus fluminum unquam nocuerunt, favente gratia elementorum. Esto itaque cum tuis omnibus sub hoc imperatore maximo, cui famulantur elementa pro sibi innata clementia; quoniam novit piissimus in omni negotio parcere subjectis et debellare superbos. »

VIII. Quo audito rex sanctissimus alto cordis dolore ingemuit, et, accito uno ex suis episcopis, qui ei erat a secretis, quid super his respondere deberet consulit. Cumque ille, timidus pro vita regis, ad consentiendum pluris hortaretur exemplis, rex, obstipo capite defigens lumina tecræ, paululum conticuit, et sic demum ora resolvit : O episcope, vivi ad id pervenimus, quod nunquam veriti sumus! Ecce barbarus advena districto ense veteribus nostri regni colonis imminet, et quondam felix indigena suspirando gemens tacet. Et utinam impræsentiarum vivendo quique gemerent, ne cruenta cæde perirent : quatenus patriæ dulcibus arvis, etiam me occumbente, superstites fierent, et ad pristinæ felicitatis gloriam postmodum redirent! » Cui episcopus : « Quos, inquit, optas esse superstites patriæ, cum jam hostilis gladius vix aliquem reliquerit in plena urbe? Hebetatis securibus tuorum cadaveribus, te destitutum milite, veniunt loris constringere. Quaproter, rex, dimidium animæ meæ, nisi fugæ præsidio aut deditionis infausto patrocinio præcaveas, hic statim aderunt tortores, quorum nefando obsequio pœnas lues. » Ad hæc rex beatissimus : « Hoc est, ait, quod desidero, quod omnibus votis antepono, ne supersim meis charissimis fidelibus, quos cum liberis et uxoribus in lecto eorum animas furando perdidit pirata truculentus. Et quid suggeris? ut in extremis vitæ, desolatus meo satellite, fugiendo inferam crimen nostræ gloriæ! Semper delatoriæ accusationis calumniam evitavi, nunquam relictæ militiæ probra sustinui, eo quod honestum mihi esset pro patria mori : et nunc ero mei voluntarius proditor, cui pro amissione charorum, ipsa lux est fastidio! Omnipotens rerum arbiter testis assistit quod me seu vivum seu mortuum nullus separabit a charitate Christi, cujus in confessione baptismatis suscepi annulum fidei, abrenuntians Satanæ et omnibus pompis ejus. Qua abrenuntians contigit ut ad laudem et gloriam æternæ Trinitatis tertio mererer consecrari, delibutus ob compendium perennis vitæ sanctificati chrismatis perunctione. Primo quidem, accepta stola lavacri salutaris; secundo, per confirmationem exhibitam majusculo pontificali signaculo; tertio, ubi vestra et totius populi acclamatione usus sum hoc regni perfunctoria potestate. Sicque unguento mysticæ consecrationis tripliciter irroratus, Anglorum reipublicæ decrevi plus prodesse quam præesse, aspernando subdere colla jugo nisi divino servitio. Nunc simulata benevolentia præten-

dit callidus suæ machinationis muscipulam, qua servum Christi irretire deliberat, maxime cum promittit, quod nobis largitas superna concessit. Vitam indulget, qua necdum careo; regnum promittit, quod habeo; opes conferre cupit, quibus non egeo. Pro his ergo nunc incipiam servire duobus dominis qui me sub Christo solo vivere, sub Christo solo regnare, præsentibus palatinis devoverim. »

IX. Tunc conversus ad eum qui, de conditione regni loquturus, ab impiissimo Inguar fuerat missus : « Madefactus, inquit, cruore meorum, mortis supplicio dignus exstiteras; sed, plane Christi mei exemplum secutus, nolo puras commaculare manus, qui pro ejus nomine, si ita contigerit, libenter paratus sum vestris telis occumbere. Ideo pernici gradu rediens festinus, domino tuo hæc responsa perfer quantocius : Bene filius diaboli patrem tuum imitaris, qui, superbiendo intumescens, cœlo corruit, et mendacio suo humanum genus involvere gestiens, plurimos suæ pœnæ obnoxios fecit. Cujus sectator præcipuus me nec minis terrere prævales, nec blandæ perditionis lenociniis illectum decipies, quem ex Christi institutis inermem reperies. Thesauros et divitias quas nobis hactenus contulit propitia divinitas, sumat, consumat tua insatiabilis aviditas; quoniam, etsi hoc corpus caducum et fragile confringas velut vas fictile, vera libertas animi nunquam tibi vel ad momentum suberit. Honestius enim est perpetuum defendere libertatem, si non armis, saltem jugulis, quam reposcere amissam lacrymosis querimoniis; quoniam pro altero gloriosum est mori, pro altero vero opponitur contumacia servilis, quippe servum, quascunque domini conditiones accepit, servire convenit. Si eas quaslibet iniquas respuit, reus majestatis adjudicatur servilibus supplicii. Sed esto, gravis est hujus servitutis usus; at gravior ulceratio quæ solet nasci ex hujusmodi infortunio. Siquidem, ut noverunt qui frequentius ratiocinando forensibus causis intersunt, ex repugnantibus facta complexionis consequentia, certum est quia, si libertas petitur, procul dubio Dominus suo contemptu læditur. Idcirco seu sponte, seu invitus de carcere suo meus ad cœlum evolet liber spiritus, nullæ emancipationis aut abalienationis specie contaminatus; quia regem, diminutum capite, nunquam Danus videbit ad triumphum supervivere. Sollicitas me spe regni, interfectis omnibus meis, ac si mihi tam dira sit cupido regnandi, ut velim præesse domibus vacuis habitatore nobili et pretiosa supellectili. Ut cœpit tua sæva feritas, post famulos regem solio diripiat, trahat, conspuat, colaphis cædat, ad ultimum jugulet. Rex regum ista miserans videt, et secum, ut credo, regnaturum ad æternam vitam transferet. Unde noveris quod pro amore vitæ temporalis Christianus rex Eadmundus non se subdet pagano duci, nisi prius effectus fueris compos nostræ religionis, malens esse signifer in castris æterni regis. »

X. Vix sanctus vir verba compleverat, et renuntiaturus miles pedem domo extulerat, cum ecce Inguar obvius jubet breviloquio utatur, illi pandens per omnia arcana regis ultima. Quæ ille dum exsequitur, imperat tyrannus circumfundi omnem turbam suorum interius, solumque regem teneri, quem suis legibus rebellem jam cognoverat. Tunc sanctus rex Eadmundus in palatio ut membrum Christi, projectis armis capitur, et vinculis arctioribus arctatus constringitur, atque innocens sistitur ante impium ducem, quasi Christus ante Pilatum præsidem, cupiens ejus sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia : vinctus itaque multis modis illuditur, ac tandem, fustigatus acri instantia, perducitur ad quamdam arborem vicinam. Ad quam religatus, flagris dirissimis diutissime vexatur, nec vincitur, semper Christum invocando flebilibus vocibus. Quare adversarii in furorem versi, quasi ludendo, ad signum, eum toto corpore sagittarum telis confodiunt, multiplicantes acerbitatem cruciatus crebribus (*sic*) lorum ictibus, quoniam vulnera vulneribus imprimebant, dum jacula jaculis locum dabant. Sicque factum est ut spiculorum terebratis aculeis circumfossus palpitans horreret, velut asper hericius, aut spinis hirtus carduus, in passione similis Sebastiano egregio martyri. Cumque nec sic Inguar furcifer cum lanistis assensum præbere conspiceret, Christum inclamantem jugiter, lictori mandat protinus ut amputet caput ejus. Ille seminecem, cui adhuc vitalis calor palpitabat in tepido pectore, ut vix posset subsistere, avellit cruento stipite festinus, avulsumque, retectis costarum latebris, præpunctionibus crebris, ac si raptum equuleo aut sævis tortorum ungulis, jubet caput extendere, quod semper fuerat insigne regali diademate. Cumque staret mitissimus, ut aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam sæculo, divinis intentus beneficiis, jam recreabatur visione internæ lucis, qua in agone positus, satiari cupiebat attentius; unde, inter verba orationis, eum arrepto pugione spiculator uno ictu decapitando hac luce privavit. Atque ita duodecimo Kalendas Decembris Deo gratissimum holocaustum Eadmundus, igne passionis exanimatus, cum palma victoriæ et corona justitiæ, rex et martyr intravit senatum curiæ cœlestis.

XI. Talique exitu crucis mortificationem, quam jugiter in suo corpore rex pertulit, Christi Domini sui secutus vestigia consummavit. Ille quidem purus sceleris, in columna ad quam vinctus fuit, sanguinem non pro se, sed pro nobis [fundens], flagellorum suorum signa reliquit; iste pro adipiscenda gloria immarcessibili cruentato stipite similes pœnas dedit. Ille integer vitæ, ob detergendam rubiginem nostrorum facinorum, sustinuit benignissimus immanium clavorum acerbitatem in palmis et pedibus; iste, propter amorem nominis Domini, toto corpore gravibus sagittis horridus, et medullitus asperitate tormentorum dilaniatus, in confessione patienter persistit, quam ad ultimum, accepta capitali sententia, finivit. Cujus corpus ita truncum et aculeis hirsutum re-

linquentes, cum suo auctore Dani, ministri diaboli, illud caput sanctum quod non impinguaverat peccatoris oleum, sed certi mysterii sacramentum, in silva, cui vocabulum est Hagdesdum, recedentes asportaverunt, ac inter densa veprium fruteta longius projectum occuluerunt, id omni sagacitate elaborantes ne a Christianis, quos vix paucos reliquerant, sacratissimum corpus martyris cum capite pro tumulantium modulo honestæ traderetur sepulturæ. Huic autem spectaculo tam horribili quidam nostræ religionis delitescendo interfuit, quem, subtractum, ut credimus, paganorum gladiis, divina providentia ad manifestandum hujus rei indaginem reservavit, licet omnino ignoraverit quid de capite factum esset, nisi quod cum eo carnifices Danos interiorem silvam petere conspexisset.

XII. Quamobrem quantulacunque reddita Ecclesiis pace cœperunt Christiani de latibulis consurgere, diligenti inquisitione satagentes ut caput sui regis et martyris inventum corpori unirent, et juxta suam facultatem condigno honore reconderent. Siquidem paganis abeuntibus, et depopulationi (in regione scilicet Estrangulorum) quoquo locorum operam dantibus illud corpus sanctissimum, adhuc sub dio positum, facillime est repertum in eodem campo ubi rex occubuit, completo cursu sui certaminis. Quo, propter antiquam beneficiorum memoriam, et ingenitam regis clementiam, populi undique gratuito confluentes, cœperunt mœsto animo graviter ferre quod caruissent tanta corporis portione. Quorum animis superna inspiravit benignitas, postquam audierunt illius verba utilia qui tantæ visionis, ut dictum est, particeps astiterat; ut, collecta plurimorum multitudine, quaqua versum per invia silvarum experirentur si ad id loci devenire contingeret quo viri sancti caput jaceret. Pro certo enim omnibus vere sapientibus inerat quod alienæ sectæ cultores, invidendo nostræ fidei, sustulissent caput martyris, quod non longius intra densitatem saltus abscondissent, aut vili cespite obrutum, aut avibus et feris devorandum. Cumque inito consilio omnes pari affectu ad id concurrerent, ut cornibus vel tubis ductilibus singuli contenti essent, quatenus, circumcirca pervagantes, vocibus aut tubarum strepitu sibi mutuo innuerent, ne aut lustrata repeterent, aut non lustrata desererent. Quod ut factum est, res dictu mirabilis et sæculis inaudita contigit. Quippe caput sancti regis longius remotum a suo corpore, prorupit in voce absque fibrarum opitulatione, aut arteriarum præcordiali munere. Vespillonum sane more pluribus pedetentim invia perlustrantibus; cum jam posset audiri loquens, ad voces se invicem cohortantium, et, utpote socii ad socium, alternatim clamantium *ubi es?* illud respondebat, designando locum, patria lingua dicens : *Her, her, her;* quod interpretatum Latinus sermo exprimit : *Hic, hic, hic.* Nec unquam, eadem repetendo, clamare destitit, quoad omnes ad se perduxit. Palpitabat mortuæ linguæ plectrum intra meatus faucium, manifestans in se Verbigenæ magnalia, qui ruenti asellæ humana compegit verba, ut increparet prophetæ insipientiam. Cui miraculo rerum Conditor aliud annexuit dum cœlesti thesauro insolitum custodem dedit. Quippe immanis lupus eo loci divina miseratione est repertus, qui illud sacrum caput inter brachia complexus, procumbebat humi, excubias intendens martyri. Nec sibi depositum permisit lædere quampiam bestiarum, quod inviolabile, solo tenus prostratus, oblita voracitate servabat attentius. Quod stupefacti videntes qui confluxerant, beatissimum regem et martyrem Eadmundum illi vero desideriorum indicaverunt meritis similem, qui, inter esurientium rictus leonum, illæsus sprevit minas insidiantium.

XIII. Assumentes ergo unanimi devotione quam invenerant inæstimabilis pretii margaritam, cum profusis præ gaudio lacrymarum imbribus retulerunt ad suum corpus, benedicentes Deum in hymnis et laudibus, prosequente usque ad locum sepulcri lupo, earumdem reliquiarum custode et bajulo. Qui eis a tergo imminens, et quasi pro perdito pignore lugens, cum neminem etiam irritatus læderet, nemini importunus existeret, nota dilectæ solitudinis secreta illæsus repetiit; nec ulterius in illis locis lupus, specie tam terribilis, apparuit. Quo tandem recedente, cum summa diligentia et omni sagacitatis studio aptantes, quibus creditum est, caput corpori sancto, pro tempore tradiderunt utrumque pariter junctum competenti mausoleo. Quo loco etiam, ædificata vili opere desuper basilica, multis annis requievit humatus, donec, sedatis omnino bellorum incendiis et valida tempestate persecutionis, cœpit respirare religiosa pietas fidelium, erepta de pressuris tribulationum. Quæ ubi tempus opportunum invenit, devotionem quam erga beatissimum regem et martyrem Eadmundum habuit, operum exhibitione multipliciter propalavit. Idem namque sanctus sub vili tugurio sanctificatæ domus, cujus esset apud Deum meriti, crebris manifestabat miraculorum signis. Quibus rebus permota ejusdem provinciæ multitudo, non solum vulgi, sed etiam nobilium, in villa regia quæ lingua Anglorum Bedricesgueord (*Beodricheswort*) dicitur, Latina vero (Beodries) Bedrici curtis vocatur, construxit permaximam miro ligneo tabulatu ecclesiam, ad quam eum, ut decebat, transtulit cum magna gloria.

XIV. Sed, mirum dictu! cum illud pretiosum corpus martyris putrefactum putaretur ob diuturnum spatium transacti temporis, ita sanum est repertum et incolume, ut non dicam caput redintegratum et compaginatum corpori, sed omnino in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit. Sicque cum reverentia nominandus sanctus rex et martyr Eadmundus, integer, et viventi simillimus, ad prædictum locum est translatus, ubi adhuc in eadem forma exspectat beata resurrectionis gaudia promissa. Tantum in ejus collo, ob signum martyrii, rubet una tenuissima riga in modum fili coccinei, sicut testari

erat solita quædam beatæ recordationis femina, *Osuven* vocabulo dicta : quæ paulo ante hæc nostra moderna tempora apud ejus sacrosanctum tumulum jejuniis et orationibus vacans, multa transegit annorum curricula. Cui venerabili feminæ, aut divina revelatione aut nimia devotione, mos inolevit ut, patefacto beati martyris sepulcro, quotannis in Dominica Cœna ejus attondendo præcideret capillos et ungues. Quæ omnia diligenter colligens, et in capsella recondens, non neglexit, quandiu vixit, excolere mira affectione, posita super altare ejusdem ecclesiæ, ubi adhuc reservantur debita veneratione.

XV. Sed et beatæ memoriæ Theodredus, ejusdem provinciæ religiosus episcopus, qui propter meritorum prærogativam *Bonus* appellabatur, quod de incorruptione sancti regis diximus, tali ordine est expertus. Cum, ut narrare adorsi sumus, præfato loco, martyris tumulationi congruo, a quibusque religiosis multa conferrentur donaria, et ornamenta in auro et argento pretiosissima, quidam malignæ mentis homines, omnis boni immemores, aggressi sunt sub nocturno silentio eamdem infringere basilicam latrocinandi studio. Fuerunt autem octo, qui, absque ulla reverentia sancti, decreverant satisfacere suæ vesanæ voluntati, rapiendo furtim omnia quæcunque invenissent sibi utilia intra ejusdem monasterii septa. Unde, sumptis machinis et quibuslibet ustensilibus quibus ad id perficiendum habebant opus, quadam nocte aggrediuntur præmeditatum facinus, et, stantes in atrio ecclesiæ, diverso conatu unusquisque instat conceptæ nequitiæ. Quorum alius scalam postibus applicat, ut per insertam fenestram se ingerat; alius cum lima aut fabrili malleo instat seræ aut pessulo; alii cum vangis et ligonibus suffossionem parietis machinantur. Sicque disposito opere, cum singuli certatim insudant pro virium facultate, sanctus martyr eos ligat in ipso suo conamine, ut ne pedem loco possent movere, nec arreptum officium deserere; sed alius cum sua scala penderet sublimis in aere, alius palam incurvus fossor fieret, qui ad id operis furtivus venisset. Interea quidam matriculariorum, qui intra basilicam jacebat, somno excitatus, lecto procumbebat invitus, quem martyris potentia suo conatu vinxerat, ne, sui obvius factis mirabilibus, sonus fragoris creber custodis pulsaret aures interius. Sed quid dicam? non posse surgere, quando nec in vocem poterat erumpere? Tandem mane adhuc persistentes fures in cœpto opere, comprehensi a pluribus traduntur vinculis arctioribus, et tandem prædicti sancti episcopi Theodredi judicio subduntur. Qui impræmeditatus sententiam dedit, quam se dedisse postea omni tempore vitæ suæ pœnituit. Nam omnes simul jussit affigi patibulis, eo quod ausi fuissent atrium sancti Eadmundi martyris furtive ingredi; non reducens ad memoriam, quod Dominus per prophetam admonet : « Eos, qui ducuntur ad mortem, eruere non cesses, » factum quoque Elisei prophetæ, qui latrunculos de Samaria pastos pane et aqua, remisit ad propria, dicens regi volenti percutere illico, quod non eos cepisset in gladio et arcu suo (*IV Reg.* VI, 22). Apostoli etiam præceptum, quod dicit : *Sæcularia negotia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia*, id est, viros sæculares *constituite ad judicandum* (*I Cor.* VI, 4). Unde canonum auctoritas prohibet ne quis episcopus, aut quilibet de clero, delatoris fungatur officio ; quoniam satis dedecet ministros vitæ cœlestis, assensum præbere in mortem cujuslibet hominis. Quo circa prædictus episcopus in se reversus graviter indoluit, et, sibi pœnitentiam indicens, diutius gravibus lamentis se dedit. Qua tandem peracta pœnitentia, populis suæ diœceseos mandat, mandando convocat, convocando suppliciter persuadet ut triduano jejunio a se divinæ indignationis iracundiam removeant, removendo avertant; quatenus, sacrificio spiritus contribulati placatus, Dominus illi suam gratiam concederet, qua corpus beati martyris tangere et levare auderet, qui, licet tantis virtutibus floreret in mundo, vili tamen et sibi incongruo continebatur mausoleo; factumque est : et illud sanctissimi regis corpus, ante dilaceratum et truncum, ita, ut jam retulimus, unitum et incorruptum reperit, tetigit, lavit, et rursum novis et optimis vestibus indutum ligneo locello reposuit, benedicens Deum, qui *mirabilis est in sanctis suis, et gloriosus in omnibus operibus suis* (*Psal.* LXVIII).

XVI. Non piget referre de quodam magnæ potentiæ viro, Leofustano vocabulo, qui, juvenilis ætatis impetum non refrenans, ad id flagitii lasciviendo prorupit, ut sibi quadam singularis potentiæ auctoritate præciperet ostendi corpus tanti martyris. Cuique inhiberetur a pluribus, maxime tamen a sctis fidelibus, prævaluit imperium ejus; quoniam, propter arrogantiam suæ nobilitatis, omnibus erat terrori. Reserato ergo locello, astitit, aspexit, et eodem momento in amentiam versum *tradidit illum Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I, 28) : ac pœna sua didicit quia præsumpsisset quod non licuit.

Quod audiens pater ejus, vir religiosus admodum, cui erat Alfgarus vocabulum, exhorruit facinus flagitiosissimum, ac martyri gratias retulit, filiumque a se removit. Qui tandem, ad summam inopiam perductus, judicio Dei vitam finivit, a vermibus consumptus. Sicque sanctus rex et martyr Eadmundus omnibus innotuit non se esse inferiorem meritis Laurentii beati levitæ et martyris, cujus corpus, ut refert beatus pater Gregorius, cum quidam seu digni seu indigni levare volentes conspicerent, contigit ut septem ex eis ibidem subita morte perirent. O quanta reverentia locus ille dignus exstitit, qui sub specie dormientis tantum Christi testem continet, et in quo tantæ virtutes fiunt, et factæ esse referuntur, quantas hac tempestate apud Anglos nusquam alibi audivimus ! quas ego brevitatis studio prætereo, ne alicujus fastidiosi offensam incurrerem justo prolixior, credens ista posse sufficere, quæ dicta sunt, ardenti desiderio eorum qui,

præter Deum, hujus martyris patrocinio nihil præferunt. De quo constat, sicut et de aliis sanctis omnibus jam cum Christo regnantibus, quod, licet ejus anima sit in cœlesti gloria, non tamen per visitationem die noctuque longe est a corporis præsentia, cum quo promeruit ea quibus jam perfruitur beatæ immortalitatis gaudia. Nam, dum in æterna patria ei junguntur qui ubique totus est, de eo habet posse quidquid habuerit et velle, præter id solum, quod infatigabili desiderio concupiscit, ut per resurrectionem circumdetur stola demutatæ carnis : quoniam tunc erit perfecta beatitudo sanctorum, cum ad id fuerit, Christo largiente, perventum.

XVII. Sed de hoc sancto martyre æstimari licet cujus sit sanctitatis in hac vita, cujus caro mortua præfert quoddam resurrectionis decus sine sui labe aliqua; quando quidem eos qui hujuscemodi munere donati sunt, extollant catholici Patres suæ relationis indiculo, de singulari virginitatis adepto privilegio, dicentes quod justa remuneratione etiam hic gaudent præter morem de carnis incorruptione, qui eam usque ad mortem servaverunt, non sine jugis martyrii valida persecutione. Quid enim majus A sub charitate Christianæ fidei, quam adipisci hominem cum gratia, quod habet angelus ex natura? Unde divinum oraculum, quasi singulari quodam dono, repromittit quod *virgines sequentur Agnum, quocunque ierit* (*Apo.* XIV, 4). Considerandum igitur, quis iste fuerit qui, in regni culmine, inter tot divitias et luxus sæculi, semetipsum calcata petulantia vincere studuit, quod ejus ostendit caro incorrupta. Cui humano obsequio famulantes satagant illi ea placere munditia, quam ei perpetuo placuisse manifestant membra incorrupta; et si non possunt virgineo flore pudicitiæ, saltem expertæ voluptatis jugi mortificatione. Quoniam, si illa sanctæ animæ invisibilis et illocabilis præsentia alicujus famulantium spurcitia offendatur, timendum est B quod propheta terribiliter comminatur : *In terra sanctorum iniqua gessit, et ideo gloriam Domini non videbit* (*Isai.* XXVI, 10). Cujus terrore sententiæ permoti, hujus sancti Eadmundi regis et martyris imploremus patrocinium, ut nos cum sibi digne famulantibus expiet a peccatis quibus meremur supplicium, per eum qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. ABBONIS CARMEN ACROSTICHUM

AD OTTONEM IMPERATOREM.

(Apud Fabricium *Biblioth. Lat.*, tom. III, lib. IV, cap. 1.)

OTTO VALENS CÆSAR NOSTRO TV CEDE COTURNO
Te felix atavis quoT cœlo sidera lucenT
Te dominum sibi Saxo Tulit, et Roma notaviT
Orbis et ipse capit, solO contentus alumnO
Virtutum titulis et Vir cognosceris actV
Ac domitor patriæ pAcis sectator in aulA
Lumen ubique micans jubar Lucendo velut soL
Ergo Dei sOlita reddEntur sanCta benignE
Nec deeriT virtus omNis, qua grAtia culmeN
Scandit eT occultiS ——— vEnia causiS
Certe nos Omnes tibi Cæsar neScius et nunC
Austrasios quæ terra mAnet cereAlis opimA
Et fœcunda fecu pollEt satis ubelte glebaE
Summis cara viriS ac sævis plena coloniS
A patris imperio nonAbsit ismaelithA
Rexit cum solers et Regnans induperatoR
Nunc Auguste tuum poNam venerabile nomeN
OTTO VALENS CÆSAR NOSTRO TV CEDE COTVRNO
Solus enim regnans abSens, o Cæsaris hæreS
Totus avo similis, si Te nova vita resignaT
Rex fuit ille potens Romanæ legis amatoR
Omne decus patriæ soliO prognatus avitO
Tempora pacis erant, Tali dum jure vigereT
Vir tantus quem sic dVxi describere versV
Cur ergo nAtale tuum, Cur contrAhis et nunC
Exulis in Bellis defErs pia deBita pompaE
Dum vates Bonus opto Dari miraBilis istuD
Expandes Opus, ipse mEum tractAbilis indE
Cæsar ut invictis sCuto minutuS et ex hoC
Omnibus utilior, mirO datus ante triumphO
Terribilis clemens tuTo diademate risiT
Vultus avi patrisque tVi præclarus amictV
Rursus uterque fuit diRo sub tempore VictoR
Nunc unum vivens digNum cum patre vocameN
OTTO VALENS CÆSAR NOSTRO TU CEDE COTURNO

DE OPUSCULO SUBSEQUENTI ADMONITIO

Et de S. Abbonis Anglicano itinere.

(Apud MABILL., *Annalium Benedictinorum* lib. XLIX, tom. IV, pag. 29.)

. . . . Legatio gentis Anglorum ad Floriacense monasterium directa est ad postulandum sibi quemdam sapientium virorum, qui anglicanos monachos pietate ac litteris informaret. Id vero duabus ex causis accidisse ait Aimonius in libro de Vita sancti Abbonis : una quidem *quia beatus Gregorius, missis ad eam gentem convertendam fidei Christi prædicatoribus, ejusdem dilecti domini Benedicti regulam observandam specialius inculcavit.* Altera vero, *quod vir quidam magnæ nobilitatis, Oswaldus nomine, spreto sæculo, ad serviendum Christo in memorato Floriaco conversus est cœnobio : ex quo, ob bonæ vitæ meritum, a rege ipsius provinciæ ad archiepiscopatus assumptus gradum, Deo ac patrono suo sancto Benedicto in regione Anglica construxit monasterium*, scilicet Ramesiense, quod a prædicto Oswaldo Eboracensi archiepiscopo conditum fuerat. Ex illo itaque cœnobio hi directi sunt legati, de quibus modo facta est mentio.

Illi Floriacum appulere, cum primum Oilboldus præfecturam iniit. Is, non tam imperiosa auctoritate quam lenitate verborum Abbonem monachum suum, tum diaconum, perpulit ut pro ea qua pollebat divinarum humanarumque litterarum peritia, instruendorum illius gentis hominum provinciam ne defugeret. Abbo vero, obedientiæ sibi familiaris intuitu, abbatis voluntati obsequitur incunctanter, rejectis quorumdam susurronum maliguis consiliis, qui abbatem suum dolo malo eum trans maria velle abigere ut nunquam indo redire valeret, clanculum suggerebant. Ast longe aliter rem se habere ostendit apparatus itineris magnificus, quem Oilboldus discedenti Abboni suppeditavit ; et maxime ipsius Abbonis in Galliam reditus, quem Oilboldus ipse ex Anglia post biennium revocavit. In illo itinere cum ad Morinos, qui brevissimo ab Anglis freto disparati sunt, ventum esset, per unum fere mensem, nautis ob turbidum mare trajicere cunctantibus, illic subsistere Abbo coactus est. Hic tædio tam longæ defatigatus moræ, monachum quemdam, qui legatis se deducentibus præerat, Riculeum nomine, admonet hortaturque ut in commune Dominum precarentur, quo, si illi suum propositum non displiceret, iter fortunare dignaretur ; si vero illud non probaret, voluntatem ad propria redeundi ipsis inspiraret. Nec mora, post vespertinam synaxim, ambo ad orationem humi procumbunt. Votis eorum annuit propitius Deus : nam primo crepusculo diei insequentis adfuit nuntius naucleri, magna eos ad trajiciendum voce inclamans. Conscensa mox navi, comitantibus aliis octo navibus, cum in altum processissent, repente apparent marsuppæ, porci-pisces in fluctibus ludentes, et balenæ, dorsa in modum maximorum tectorum attollentes : quæ omnia imminentis indicia tempestatis esse cum a nautis didicisset Abbo, mox ad solita recurrit orationis præsidia, idque obtinuit quod petebat ; nam, orta tempestate, navis ejus cum aliis duabus eam sequentibus illæsa ad portum perlata fuit : reliquæ vero sex simul cum hominibus in eis contentis, procellis et impulsu piscium quassatæ, perierunt. Hoc signum per eum Dominus operari dignatus est, cum ille adhuc levitæ officio fungeretur. Ingressus demum in terram Anglorum, ad Ramesiense monasteriium se contulit, cui abbas, Germanus nomine, præerat, ex Floriacensi assumptus cœnobio : ibique per duos annos moratus Abbo, quosdam ejus loci monachos imbuit scientia litterarum. Hoc temporis spatio magnam de se opinionem vir Dei conciavit, regni primoribus, in primis Oswaldo et Dunstano sanctissimis archiepiscopis acceptissimus, qui apud se eum retinere certatim contendebant.

Dum illic moraretur, a discipulis suis de quibusdam grammaticalibus quæstiunculis consultus epistolam rescripsit, quæ cum in editis desit, hic exhibenda est ex codice Peleteriano. Quæstiunculæ Abboni proponuntur quas sequuntur ipsius responsa. In his laudatur *Dei Palinodia*, quam *composuit Hilarius Pictavensis episcopus*, id est canticum *Te Deum laudamus*, Augustino ascriptum, quod Abbo sancto Hilario tribuit.

SANCTI ABBONIS

FLORIACENSIS ABBATIS

QUÆSTIONES GRAMMATICALES.

(MAI *Classici Auctores*, V, 329.)

MONITUM.

Prodit hoc opusculum ex codice regio Vaticano cujus ætas ipsi auctori suppar videtur. Profecto hujus opusculi perbrevem partem vulgavit Mabillonius in Annalibus Bened., tom. IV, append., p. 631*; sed quia pars multo maxima hactenus erat inedita, eam hic trado.*

1. Dilectissimis in Christo Angligenis fratribus, maximeque in monasterio sancti Patris Benedicti sub schola virtutum regulariter vitam degentibus, ex Floriacensi cœnobio ejusdem Patris vernula ABBO, genere Francus, professione monachus, officio diaconus, in essentialiter bono salutis perpetuæ munus.

Omnipotentia divinæ majestatis, quæ tempora mutat et ordinat, me ab ineunti ætate, prout voluit, multifariam et multis modis tentari permisit, quoad juvenilis ætatis robur adversitatibus assuesceret, cui ad cumulum virtutis tandem succresceret infortunium oblatæ peregrinationis. Quam etsi inter tot religiosæ vitæ viros, Deo auctore, perfero, qui me quasi seipsos diligunt, ut ipsa re conjicio; non tamen voti impos, sine dolore recordari valeo, quod illius mei spiritalis alumni in præsentiarum corporali præsentia minime perfruor, quæ aliquando perfruenti erat vita ipsa dulcior. Nunc quia ita contigit per obedientiam, quæ melior est victimis, non solum fratrum cum quibus moror imperiis deservire gestio, verum etiam quibusque hujus insulæ juxta modulum meæ parvitatis desidero prodesse, quoniam non sine divino constat moderamine gestum quod, sedatis fluctibus marinæ tempestatis, ad id deveni exsilii cum mira tranquillitate tam vasti æquoris; ubi dum quibusdam studiorum occupationibus detineor, levior sit calamitatis miseria quam tolero, quandoquidem benevolentia eorum cum quibus habito ad id me compellit ut non solum pro posse velim fraternis necessitatibus succurrere, sed etiam ultra vires velle. Quocirca omnium apud Anglos, ubi ubi positorum objectis respondere decrevi, quatenus habeatis, charissimi, aliqua monimenta vestri exsulis, quibus valeatis intendere acumen exercitatæ mentis. Nec fraudabor vos quæstionibus expeditis, quas vel tentando vel dicendo objiciunt quique studiosi. Cui etsi ab aliquo opponatur æmulo, in silvam ne ligna feras, certum tamen habeo quod vestri ingenii sterilitas vel inopia mei non sit indigna convivii copia, quæ hoc modo se habeat.

2. In quæstione prima quæsitum est *fabris* penultima correpta, an producta dici debeat, vel conveniat. Quibus ego proposui quæ in antiquis Latinæ linguæ auctoribus me legisse pro certo habui, et ne vestra memoria laberentur, etiam litteris digessi. In primis Donatus dicit quod si in trissyllabis et tetrasyllabis et deinceps, si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, et antepenultima gravi accentu pronuntiabitur, ut *Catellus*, *Metellus*: ita tamen si positione longa, non ex muta et liquida fuerit; nam mutabit accentum, ut *latebræ*, *tenebræ*.

Quo loco inoluit quia si cujuslibet partis penultima syllaba desinat in correpta vocali, quæ excipiatur a duobus consonantibus, quarum sit prior muta et sequens liquida sit, nunquam illa pars trisyllaba vel tetrasyllaba acuetur in penultima, sed mutato accentu potius in antepenultima, licet in medio utrumque fieri liceat, prout fuerit poetæ voluntas. Nam si sint verbalia feminini generis, vel alia quæque naturaliter producta, propter mutam et liquidam breviari non possunt ullo modo; hoc enim significat conditio apposita, si talis syllaba positione longa sit, accentum in antepenultima mutari.

3. Sed natura exemplorum penultimæ longæ sunt, sicut quidam volunt, qui putant ea derivari a verbis secundæ conjugationis, a secunda scilicet persona imperativi modi quæ est producta, ut *teneo*, *tenes*, *tene*, *tenebræ*; *lateo*, *lates*, *late*, *latebræ*. Accentus igitur ante penultimam non mutatur. Sic etiam a verbis primæ conjugationis æstimant fieri, *lavo*, *lavas*, *lava*, *lavacrum*, *arutrum*, *ventilabrum*; et a tertia conjugatione *terebrum*, et si qua sunt similia: quæ etiam absque ulla regula, seu Græca sint seu Latina, eodem modo pronuntiant, ut *theatrum*, *feretrum*, *pharetra*, *cathedra*. Quorum omnium nominum et reliquorum similium, si penultimæ natura longæ sunt, nec etiam in metro breviari possunt. Sed teste Donato falsum est quod præcedit; falsum ergo est et quod sequitur. Illa vero his similia quæ per syncopam perdunt unam litteram, semper servant, teste Martiano, in eadem syllaba accentum quem prius habuerant, ut *manipulus*, *maniplus*, *venabulum*, *venablum*. Denique de his quæ a nominibus fiunt, auctor est Priscianus quod nominativo primitivi aliquando ultima subtrahitur, et additur *bris*, ut possit esse *mulier*, *muliebris*, et *salus*, *salubris*, quod etiam nominativum *saluber* protulisse veteres ostenditur hoc versu:

Phœbe saluber ades.

Unde conjicitur quod satis regulariter ejus penultima producitur, dum de nominativo producto ipsum solum habetur. Nam syllabam naturaliter productam nusquam in metro correptam me legisse memini, nisi per figuram systolen; excepto quoties vocalis ante vocalem producitur, ut *illius*, *unius*, *diei*, *speciei*; siquidem verbalia feminini generis producta, ut supra dixi, nullo modo invenietis corripi eorum extrema syllaba, quoniam *t* habent ante *rix* præteriti participii desinentis in *tus*.

4. A quibus oriuntur ista verbalia, ostendam vobis regulas. Exceptis quatuor participiis, quæ sunt *satus*, *ratus*, *status*, *datus*, reliqua omnia habentia *a* ante *tus* in præterito producuntur, ut *amatus*, unde *amator*, *amatrix*.

Inveniuntur producta participia, quæ habent *e* ante *tus*, ut *recensetus*. Unde Prudentius in passione Hypoliti martyris:

Cumque recensetis constaret partibus ille.

Si vero *i* ante *tus* habuerit, ubique penultima corripitur, nisi veniat a verbis quartæ conjugationis, ut *domo*, *domas*, *domitus*; *moneo*, *mones*, *monitus*; *audio*, *audis*, *auditus*; *condo*, *condis*, *conditus*: unde masculina *domitor*, *monitor*, *auditor*, *conditor*. Ex his feminina *domitrix*, *monitrix*, *auditrix*, *conditrix*. Producuntur in tertia conjugatione *oblitus*, *quæsitus*, *tritus*, *petitus* et *cupitus*, et quæ ex his componuntur. Notandum tamen quod *oblitus*, si a verbo componitur quod est *lino*, corripitur. Et in quarta tantum corripiuntur duo, *queo* simul et *eo*, et quæ ex his componuntur, ut *eo*, *itus*; *exeo*, *exitus*, ex quibus verbalia non legi. Denique si *u* ante *tus* habuerit idem præteritum, tunc ejusdem præteriti

penultima fit brevis, si a verbo *ruo* compositum fuerit; ut *eruo, erutus; obruo, obrutus.* In reliquis producitur, ut *induo, indutus; exuo, exutus; adjuvo, adjutus*, unde *adjutor* et *adjutrix*. Quod si *o* ante *tus* exstiterit, semper erit longa, ut *moveo, motus; foveo, fotus; lavo, lotus*, quod et *lautus* facit. Tandem ex hujusmodi regulis scire potestis quod naturaliter productas syllabas penultimas propter mutam et liquidam nulla necessitas metri corripit, cum omnes tales naturaliter correptæ produci possint. Quapropter Donati vel Prisciani potius regulis dare operam suadeo, quam audacibus juniorum inventis ex improviso, et dicere in prosa penultima correpta, *candelabrum, delubrum, aratrum, lavacrum* et si qua sunt similia, præter illa quæ excepta sunt, et unum nomen *october*, ut post modum queatis producere metri necessitate.

5. De nomine quod est *mulier* requisistis quo accentu ejus genitivus debeat pronuntiari. De quo sciendum est quia, quamvis ejus penultima brevis sit, euphoniæ causa solet acui, sicut et verba *calefacio, calefacis*. Cum enim omne nomen dissyllabum et deinceps in *er* desinens brevietur, si genitivus ejus supra duas syllabas excreverit, semper penultimam corripit, nisi positio adsit, aut penultima nominativi naturaliter producta sit, ut *October, saluber, equester.*

De pronomine quoque, ut quibusdam placet, quod est *alter, alterius*, cum sequatur regulam pronominum in *ius* desinentium, quæ in prosa penultimam producunt, hoc solum excipitur, propterea quod solum duas syllabas plus habet in genitivo quam in nominativo. In quinta quoque declinatione unius genitivi trisyllabi penultimam corripi in prosa sciatis, ut *fides, fidei*; quia non habet *i* ante *e*, sicut habent reliqua trisyllaba genitivorum declinationis quintæ.

6. Verba quoque proposita, quæ sunt *irrito, assevero, persevero, radico*, et ex eo compositum *eradico; relego* et *allego, instigo* et *subrepo*, notate semper penultimis productis. De eo quidem quod est *irrito* Virgilius sic ait in x :

Irritatque virum telis et voce lacessit.

licet quidam vitiose scriptum legant *irritat atque virum telis*, quod nullo modo posse fieri, ordo præpositivæ conjunctionis ostendit. Et idem Virgilius in IV :

Illam terra parens ira irritata deorum.

Nec vos turbet quod *irritus, irrita, irritum* penultima correpta dicimus, ut idem Virgilius in V :

Ante locum et variis assultibus irritus u get.

Idem in X :

Irrita deflexit partim stringentia corpus.

Quod *assevero* ditrochæus sit, sicut et *persevero*, ex nomine agnoscitur, quod est *severus*, ex quo tractum videtur. Est enim *severus* amphibrachys, teste Prudentio in Psychomachia :

Frontе severus adhuc, et multo funere anhelus.

(18) Hymnis scilicet.

De eo quod est *radico*, sciendum est quod sicut fiunt verba ex obliquo casu nominis neutri generis, ut *munus, muneris, munero, muneras*, et *decus, decoris, decoro, decoras*; unde Flaccus :

Ac bene nummatum decorat suadela Venusque.

sic etiam *index, indicis; indico, indicas; fornix, fornicis; fornico, fornicar; cornix, cornicis; cornico, cornicar*; unde Persius :

Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;

et *radix, radicis; radico, radicas*: unde est illud :

Radicet altis sensibus.

Est enim dimeter iambicus, qui in Ambrosianis (48) primo loco semper iambo vel spondæo est contentus. Ut vero penultima corripi putetur, Phocæ auctoritas compulit, qui ipsum nomen inter correpta excipit, licet producta ubique inveniri possit, ut Virgilius :

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Horum namque quatuor quæ protuli, duo penultima genitivam corripiunt, id est *index* et *fornix*; duo producunt, id est *cornix* et *radix*. *Relego* et *allego*, notate quod si a verbo primæ conjugationis ponantur, semper penultima producitur; sin a tertia conjugatione gaudet correptione (49) unde est, *culpam releget lubricam*. Est quoque hic dimeter iambicus, cujus secundum locum semper sibi vindicat iambus. Nam *lego, legas*, quod est legatione fungor; unde legatus, missus, longam habet *le*, *lego* vero, *legis*, in quacunque alia significatione correptam, sicut et *ligo, ligas*, unde *religatus*, id est iterum vinctus. Quomodo pronuntiandum sit *instigo*, Virgilius ostendit in V :

Instigant studiis, resonat clamoribus æther.

Eodem modo *investigo, castigo, inspico*. *Subrepo* quoque, si a verbo quod est *repo* componitur, productione lætatur, sin a *rapio*, corripitur; et illud præteritum *subrepsi*, istud facit *subripui*.

7. *Exaro, denoto*, penultimas corripiunt, ut Virgilius in primo Georgicon :

Nudus ara, sere nudus,

Et Horatius :

Paterna rura bobus exarat suis;

qui versus trimeter est iambicus totus solis iambis compositus. *Demeto, demoror*, penultimis correptis. Horatius :

Accidit ut quidam testes caudamque salacem.
Demeteret ferro.

Virgilius in X :

Turne sed infelix Teucros quid demoror armis,

De eo quod est *exhalo* Lucanus in quarto :

Exhalat nebulas quidquid concrescere primus.

Et de eo quod est *mano* Virgilius in III :

Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

De eo etiam quod est *infidus* et *getulus*, Lucanus in IV :

Infidusque novis ducibus dubiusque priori,

(49) Cod. *productione*.

Et :

Inculto Getulus equus.

Diffidit, *discidit*, si a *findo* vel *scindo* composita sunt, penultimam corripiunt. Horatius :

Diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit æmulos.

Est enim *diffidit urbium* choriambus cum pyrrhichio ; deinde sequitur versus asclepiadeus. Idem Horatius glyconico versu :

Nequidquam Deus abscidit.

8. Nec vos latet quod omnia præterita participii desinentia in *sus* penultimam producunt, ac a verbis secundæ et tertiæ conjugationis veniunt ; ex quorum secunda persona præsentis temporis agnosci poterit ejusdem participii penultima natura an positione sit longa, quoniam nisi in illius secundæ personæ penultima positio sit, in præfato participio nunquam erit ; exceptis *sedeo*, *fodio*, *quatio*, *patior*, *pateo*, *careo*, *maneo* et *cedo*, quod est locum *do*, et quæ ex his componuntur. Et positione producuntur *mordeo*, *morsus*, *findo*, *fissus* ; natura vero, *cædo*, *cæsus*, *fido*, *fisus*, et alia plurima, quæ idcirco proposui ut non solum scripto, sed etiam sono distinguatis, *fisum* et *fissum*, *cæsum* et *cessum*, *ferum* et *ferrum*, *pyrum* et *Pyrrhum*, et si qua sunt similia ; quia fortius sonat omnis consonans in medio unius partis repetita, quam cum est sola. *S* autem quæ in media parte simplici nunquam finit syllabam consonante sequente (sicut nec *b* nec *p*, nisi cum ipsæ se præcedunt,) tam evi sono ubique sola exprimitur ut apud Græcos, auctore Prisciano, pro ea aspiratio nonnunquam scribatur, ἥμισυ pro *semis*, ἕξ pro *sex*, ἑπτὰ pro *septem*. Inter duas etiam partes cum *s* præcedit, ut *Deus summus*, ne nimius sibilus sit, prior *s* sonum perdit, quæ et eo loci sequente vocali interdum synalœpham facit. Virgilius in XII :

Inter se coisse viros, et decernere ferro.

E contra illa canina littera *r* semper aspere sonat, nisi cum in media parte orationis post vocalem inchoat syllabam.

9. De mutis, quæ quamlibet syllabam vel partem cujusque linguæ possunt terminare, dicendum est in commune quod satis juste agunt qui ipsis eumdem sonum in fine partium tribuunt, quem dum semet-ipsas præcedunt, primæ habere possunt, ut *Obbaob*, *Job*, *occidit*, *hæc*, *illac*, *addo*, *ad*, *illud*, *agger*, *Agag*, *merop*, *attinet*, *amat*, *docet*. Sed *t* in eadem syllaba, præcedente consonante, sonat expresse ut *fest*, *est*, et nonunquam sine consonante causa differentiæ, maxime dum sequitur vocalis in altera parte orationis. Nos quia humanus spiritus tres earum sine aspiratione leves, cum aspiratione asperas facit, id est *c*, *p*, *t*, quarum medium obtinent tres reliquæ ipsarum mediarum voces in dictionibus positarum, exprimimus sono levium, dum in finibus partium sunt Nec mirum, cum inter has et illas tanta sit vicinitas, ut ad sonum *c* et *g* prope eodem modo collidatur palato plectrum linguæ, ad sonum *p*, *b* vix distinguatur pulsus in labrorum agitatione, a sonum *t* et *d* satis parvam differentiam faciat, dum resilit a dentibus summitas linguæ ; sicque fit ut etiam per se positæ inveniri possint, quandoquidem dicimus *quingenti* pro *quincenti*, et *actus* pro *agtus*, et *scriptus* pro *scribtus*, et *attinet* pro *adtinet*, et id genus plurima.

10. Constat igitur ex his quæ dicta sunt *c* et *g* pene æqualiter pronuntiari, sequente qualibet vocali. Sed tribus vocalibus, id est *a*, *o*, *u*, eas sequentibus, omnibus ferme notum est quod sonant in faucibus. Cum vero *c* litteram sequuntur in eadem syllaba *e* vel *i*, trifariam solet pronuntiari, et nunc quidem ut fere videatur sonare *g*, maxime *s* præcedente, ut *suscipio*, *suscepi*, *suscepit* ; nunc autem cum quodam sibilo, ac si *s* illi hæreat, ut *cujus*, *cœpit* : quod magis solet fieri ubi *t* profertur sono *z* in principio syllabæ, ut *lætitia*, *justitia*. Denique qui tertium modum addunt sono quæ vel qui, easdem syllabas pronuntiari decernunt, et *susquipio* pro *suscipio*, et *susquepit* pro *suscepit*, et *quivis* pro *civis* ; quod quam frivolum constet, omnibus vera sapientibus liquet. Cur enim scriptitant Latini *sequor*, *sequeris* vel *sequere*, *sequitur* ; et non *secor*, *seceris*, vel *secere*, *secitur*, cum ab eo sit *secutus* ? et *qui*, *cujus*, vel *quæ*, *cujus*, mutatis primis litteris nominativi et genitivi, si, ut isti garriunt, *ce* et *ci* sonum habent *que* et *qui*, maxime cum eidem litteræ simillima *g* distinguatur vocalium mutatione ? Siquidem *vinco*, *vinci*, *vince*, *vincam*, mutato cum vocalibus sono dicimus, quemadmodum et *lego*, *legi*, *lege*, *legam*. Quod si post *g* idem quis fecerit, proponimus unde sit imperitia notabilis ; et stultum est dicere *pingue* pro *pinge*, et *lingue* pro *linge*, et ut Servio placet in IX Æneidos, *ungue pro unge*, unde et *ungentum* sine *u* dicit esse cum *g* ; sicut et *q* tunc tantum pinguem sonum habeat, si ei *v* ante alteram vocalem adhæreat, qua amissa, *g* quidem permanet, sed *q* manere non valet ; quin in *c* transit, statim ut *u* ante alteram vocalem perdiderit, ut *sequor*, *secutus*.

11. Denique quoniam omnes consonantes, et præcipue mutæ, velut exanime corpus jacent, quousque illas singulæ vocalium pro suo nutu animando movent, certum est quod nonnunquam Romani superfluas litteras judicent, quæ hoc motu carent, ut *h*, *k*, *q*. Sed *k* et *q* figura et nomine a *c* discrepant, cum sono vocis per *a* et *u* conveniant ; *h* vero tantum metro utilis, semper absque ullo sono vocalibus præponimus, ubi ascribenda videtur ; et consonantibus, quibus apponenda est, postponitur, ut ab interiore spiritu pinguior proficiscatur. Est autem una semivocalis *r* ; mutæ tres, quibus aspiratur, ut dictum est ; de quarum omnium sono nemo dubitat, nisi fortassis tunc quando inter *c* et *e*, vel *i*, interponitur nota aspirationis, ut *Chereas* et *parrochia*. De qua re sciendum quia ut in Latinis exemplaribus discimus, nostri interpretes si qua Græca Latinis admiscuerunt, quæ per *k* Græce scripta sua littera *c* exprimerent, cum scriptura sonum mutavere, juxta

proprietatem utriusque linguæ, ut Κῦρος, *Cyrus*, κοινόν, *cœna*, κῆρας, unde *primicerius*. Nec mirum, cum mutetur Θεὸς et dicatur *Deus*. Similiter πορφύριος, *purpureus*. Quando vero *ch* pro χ, sicut et *ph* pro φ, et *th* pro θ in aliquibus dictionibus scribunt nostri, certum est quod illæ dictiones Latinæ non sint, et idcirco illas proferimus Græcarum litterarum sonis, licet quidam figurarum similitudine decepti pronuntient x pro χ, et dicant *arxe* pro eo quod est ἄρχη, et *maxæra* pro μαχαίρα. Quapropter cum Græce scribitur Χαρπας, ita proferatur ac si scriberetur *Kereas* et παροιχία quasi *parrœchia*; quem tamen sonum mutat sigma, si pro illa sit χ posita ut σχῆμα; quam vim et apud Latinos servat *s*, apud quos *ti* semper enuntiatur sono *ci*, (50) si post illam in altera syllaba sequatur vocalis, nisi ipsa *s* præcesserit, ut *lectio*, *quæstio*, *testium*, *legentium*; quam etiam *s* duplicabant antiqui pro littera *z*, quæ ubicunque in extrema syllaba dictionis ponitur, ejus penultima in prosa producitur, cum in metro communis habeatur.

12. De littera *g* scitote quia si non sequatur *n*, propter diphthongum non impinguatur, ut *lagœna*, *tragœdia*. Sed aspirationes bene vos, Angli, pervidere potestis; habent sonum vestræ litteræ, et qui pro θ frequentius *b* scribitis, sicut pro digammate effertis *l*. Ante consonantem quoque in eadem syllaba *par sest*, pro *pars est*, et *feli xes* pro *felix es*. *Pupugit* et *tutudit* in penultimis corripi non ignoretis. A *tundo*, *tunsus* in compositione perdit *n*, *obtusus* et *retusus*, sicut et *nanciscor*, *nactus*: *dissero* quoque perdit *s* in præterito, *disertus*. Horatius:

Fecundi calices quem non fecere disertum,

Quod a *cedo* ita scribatur præteritum, quomodo et a *cado*, videlicet *cecidi*, auctor est Priscianus, qui docet quod omnia verba quæ crescunt in præteritis, semper repetunt non solum primam consonantem, sed etiam primam vocalem primæ syllabæ.

13. Tandem dicendum est quod vitando cavenda est collisio quæ solet fieri vel pronuntiatione vel scripto ut ve (51)... *t* rex, pro eo quod est *venit* præsentis temporis tam in prima quam in secunda syllaba præteriti, nisi illa prima vocalis præsentis temporis sit *a*, ut *tendo*, *tetendi*; *posco*, *poposci*, *tundo*, *tutundi*; exceptis *pello*, *pepuli*; *spondeo*, *spopondi*; nam si littera *a* sit in præsenti, semper prima syllaba præteriti in *c* desinit; secunda vero modo in *e* producta, modo in *i* correpta, ut *fallo*, *fefelli*; *parco*, *peperci*; *tango*, *tetigi*; *cano*, *cecini*. Secundum analogiam *cedo cecedi* facere debuit, sed majorum auctoritate tantum penultima diphthongus mutatur in productam *i*, manente priore syllaba correpta, quæ antecrevit, sicut in omnibus ejusmodi præteritis; de quibus in commune speculandum est, quod si componantur pro voluntate scriptorum, inveniuntur eadem antecrescentem syllabam servare vel perdere; nos tamen quid magis in usu sit debemus perspicere. Horatius:

Spectatum (52) meritis uiram qui contudit hydram.

14. Quia de verbis requisistis, quæ sunt *fulgeo*, *mulceo*, *ferveo*, *strideo*, *oleo*, *tucor*, *conireo*, *sedeo*, *pendeo*, *cieo*, *frendeo*, *degeo*, *excelleo*, *tergeo*, cum apud poetas secundæ et tertiæ conjugationis legantur, quam earum conjugationum in prosa magis tenere conveniat; vos scire volo quia VIII, prius proposita conjugationis secundæ regulam servant in præsenti, reliqua deinde conjugationis tertiæ, exceptis *cieo* et *pendeo*, quorum primum, vel simplex vel compositum, nunc est conjugationis secundæ, nunc quartæ, quod ostendunt passivi præterita, quorum penultima est correpta vel producta. *Pendeo* vero simplex a *suspendendo*, est secundæ, et a *solvendo*, tertiæ: quamvis compositum in prosa nunquam dicatur secundæ, sicut nec a *sedeo* tertiæ, nisi tantum *consido*. Et notandum quod *sedeo*, vel simplex vel compositum, sub tertia conjugatione gaudet penultima in *s* desinente producta, ut *sido*.

15. De prima quoque et secunda persona plurali præteriti perfecti, et futuri conjunctivi modi, quas si bene memini semel tantum in metro, et hoc in Virgilio legi, hanc regulam esse sciatis quod, excepto tempore præsenti indicativi modi quartæ conjugationis, et secunda persona plurali præteriti ejusdem modi, in omni modo vel conjugatione *i* ante extremam litteram in secunda persona singulari, et ante novissimam syllabam primæ vel secundæ personæ pluralis, ubique brevis sit, nisi tantum *sis*, *simus*, *sitis*, *velis*, *velimus*, *velitis*. Nec mirum, cum omnia verba in eisdem locis *a* vel *e* habentia longa sint, præter unum quod, sive simplex sive compositum sit, *da* ante penultimam ubique corripit, ut *damus*, *circumdamus*; et aliud quod est *es*, et ex eo composita, in secunda persona breve est. Nos tamen regulam ob id in præfatis temporibus conjunctivi floccipendimus, quia in metro semel inventam Servius per systolam tradit legendam. Meam denique reprehensionem non pudet vobis exponere, qui cum aliquando cuidam fratrum vestrati, proferenti ex libris moralibus *myrmicoleonta*, assensum præbuissem, sannam passus reticui. Sed tamen ille si animadvertisset in eodem libro genitivum *myrmicoleontis*, non negaret nomen appellativum desinere in *on*, cujus genitivus etiam simplicis more Græco *t* assumit, ut *leon*, *leontis*.

16. Hæc in *on* terminantia Græca, quæ apud illos penultimam genitivi producunt et corripiunt, aliquando more Latinorum nominum apud nos in *o* desinunt; et tunc eamdem litteram servando, in obliquis casibus producunt; quam, nisi sequeretur *et* corriperent, si a nominativo in *on* terminante ve-

(50) Hinc promiscua scriptura *otium*, *ocium*; *vitium*, *vicium*, etc.

(51) Verba aliquot perierunt propter abscisam codicis membranam.

(52) Cod. *spe ratum*.

nirent, ut *Simon* et *Simo*, *Sidon* et *Sido*. Virgilius in primo :

Sidoniam puer ire parat mea maxima cura.

Idem in IX :

Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido.

Cratera, *statera*, *panthera*, seu Græce seu Latine declinentur, penultimas productas invenio, veluti in superiore versu Virgilii. Accusativus Græcus tertiæ declinationis frequenter desinit in *a* : *aera*, *æthera*. Similiter, auctore Prisciano, omnia Græca in *a* desinentia, et diphthongo antecedente, si ad Latinam declinationem inflectantur, mittunt eamdem diphthongum et in *ei* vel in *i* productas, *Calliopeia*, *Calliopea*; *comœdeia*, *comœdia*. Sed cum in metro *i* corripiatur, in prosa tamen naturalem servat accentum, excepto uno nomine *Alexandria*, quod et *Alexandrea* facit, unde producta penultima dicimus *psalmodia*, *melodia*, ut saltem ex hoc Græca esse intelligantur. Metri causa tamen brevia sunt, Horatius in poetica :

Effutire leves indigna tragœdia versus,

Eadem dicta sint de his et similibus, *spondæus*, *Matthæus*, *platea*, *Nicæa*, quæ non esse Latina monstrat pronuntiatio ipsa. Extra hanc regulam sunt *ecclesia*, *neomenia*, et si qua sunt similia. Simili modo *Heliodorus*, *Polydorus*. Virgilius in III :

Fas omne abrupit, Polydorum obtruncat et auro,

Juvenalis :

Tonsoris Licini (53) damno rapit Heliodorus,

Sic et reliqua *Pandorus*, *Gassiodorus*. In *or* vero propriam penultimam genitivi habent correptam, ut *Castor*, *Castoris*, *Nicanor*, *Nicanorus*.

17. De eo quod est *bos*, scitote quod dativus et ablativus plurales tertiæ declinationis formantur a genitivo suo singulari, interposita *bu*, ut *pater*, *patribus*; similiter, *bos*, *boris*, *bovibus*, cujus prima syllaba brevis dum syncopam patitur, prolongatur. Virgilius :

Ille meas errare boves.

Horatius Saphico versu, cujus secundo loco est spondæus :

Quæque vos bobus veneratur albis.

Putatur tamen mutare *o* in *u*, dum producitur, et hinc *buculam* et *bucolica* carmina per *u* productam scribenda. *Os*, *ossis*, et *ossum*, *ossi*, declinaverunt antiqui, et ideo ut sit differentia singularis et pluralis numeri, per duo *u* scribunt moderni. Nec mirum cum Virgilius sola causa metri dixerit in VIII :

Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.

Nec hoc recedat a vestra memoria quod nomina trisyllaba et deinceps, quorum extremæ syllabæ incipiunt ab *n*, penultimam habeant longam *a*, vel *e*, vel *u*, terminatam, ut *Garganus*, *tribunus*, *terrenus*. Excipiuntur tantum *sagana*, *lagana*, *orphanus*, *Satamon*.

(53) Notemus egregiam lectionem *Licini*, pro spuria et absurda *tantum* quæ obrepsit in ed. Juven. sat VI, 372.

18. Solet quæstio fieri in libro Machabæorum quæ constructio sit, *et meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham, Isaac, et Jacob servorum suorum fidelium*; quasi dicere debuisset, *ad Abraham et cæteros suos fideles servos*. Sed dicimus quod zeugma est, ut sit, *meminerit testamenti sui quod locutus est*, et cætera; et, *meminerit servorum suorum fidelium*. Illa etiam constructio *et sermonem quem auditis non est meus*, similis est, *urbem quam statuo vestra est; lectionemque quam auditis vobis prodest*. Quæ licet solœcismo sit notabilis, hypallagem tamen figuram exigit; ut illud :

Cæsarie caput ille niger, Pie, talia dicta,
Cui relegendo placent quos facit ille modos.

19. Comparationum gradum dicunt grammatici servire semper ablativo casui; sed in opusculis Augustini legi quod si rebus propositis eumdem casum comparativus junxerit, extra ipsas res erit quod idem gradus intulerit, ut puta sint tres docti : si requiris quis eis doctior sit, quartum procul dubio tibi reddi cupis; sin per genitivum quis eorum sit doctior investigas, unum ex his tribus doctiorem scire desideras. Quocirca, ut idem doctor ait, cum nominentur tres virtutes, fides, spes, charitas, melius est dicere neutraliter, *major horum* quam *major his est charitas*, ut non quartum aliquid introducas, sed in rebus propositis quid majus sit secernas. Unde Martianus in Philologiæ Nuptiis, *major filiorum Prognæs*, inquit.

In dei Palinodia, quam composuit Hilarius Pictavensis episcopus, non juxta quorumdam imperitorum errorem *suscepistis*, sed potius *suscepturus* legendum est : *Tu ad liberandum suscepturus hominem*. *Futurus* enim participii activi, cum ejusdem significationis verbo junctus, suggerit consequentiam cujusdam competentis ordinis conditionaliter, ut vix possibile sit alterum fieri, nisi alterum præcesserit. Ut, *Visitaturus fratres Anglicos, Os., archiepiscopum, non horrui maris periculum*, etc.

20. (54) Sicut lustrum dicebatur spatium quinque annorum, quo lustrabatur urbs, et ab omnibus gentibus solvebatur tributum, ita etiam olympias dicitur spatium quatuor annorum, quod inventum temporibus Oziæ sacerdotis exigebat, ut hoc spatio peracto solverent ludos Jovi olympico. Unde et Dominus fertur centesima nonagesima tertia olympiade natus; et in libro De laude virginum ducentesima sexagesima septima olympiade fuisse Diocletianum novimus persecutorem Christianorum. A prima enim olympiade quidquid factum dicitur per quaternarium multiplicata, numeri summa manifestatur, sicut in chronicis dicitur.

21. In fide quoque catholica quam assertor veritatis edidit Athanasius, post multas persecutiones repertus per omnia orthodoxus, unus versiculus ita legendus est : *Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*.

(54) Hic articulus 20, quomodo ad quæstiones grammaticales pertineat, non video.

licet multi pro simplicitate intellectus sui conentur abradere id quod est *nec genitus*, propterea quod apud alios catholicos sæpe legitur *Spiritus sanctus nec genitus, sed procedens*, licet multi *nec ingenitus, sed tantum procedens.* Qui correctores si recurrerent ad interiorem logicæ considerationem, profecto perviderent in utraque assertione stabilem fidei firmitatem. Habet sane eadem fides in divinitate Trinitatis quod alia sit persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, quas proprietatibus informant catholici, non diversas temporibus aut locis. Nam quod Pater non est factus nec creatus, commune est ei cum Filio et Spiritu sancto ; quod vero non est genitus, commune est cum Spiritu sancto, sed non cum Filio; quod autem Filius est genitus, differt ab eo Pater et Spiritus. Cum ergo Pater sit ingenitus, Filius genitus, Spiritus vero sanctus nec genitus nec ingenitus, constat quia nec Pater, nec Filius qui neutram earum personarum differentiam sortitur. Sed si Spiritus sanctus non est genitus, ait aliquis, procul dubio est ingenitus. Quod non ita esse, cum Aristotelis sententia reclamat locutio consueta, qua nos patimur etiam ab inimicis, levius non esse sapientes, quam insipientes, dici ; et non esse justos potius quam injustos, cum palam omnibus causa humilitatis id ipsum profiteatur. Quis enim ægrotus, cum sciat se non esse sanum, patienter audiat se esse insanum ? Sic fit ut quædam absque privatione negata, vera sint, quæ privatorie affirmata, vera esse non possint; quibus tamen privatoriis si hyperbatice superveniat negatio, restituit ea veritati aliquando. Nam dum dicitur de quolibet, Non est sanus, addubitat aliquis utrum insanus velit intelligi ; id enim possibile est consequi, et idcirco, a dicente necessario subjungitur quia nec sanus est nec insanus. Similiter ergo dum dico Spiritum sanctum non esse genitum, quantum ad veritatem sufficit ; sed ad ansam calumniæ solvendam proficit, si nec genitum, nec ingenitum esse tractatus patefecerit : siquidem privatio exigit negationem ; negatio vero privationem necessario nomine, quia non omne quod non videt cæcum est, cum omne quod cæcum est non videat : et non omne quod justum non est injustum est, cum omne quod injustum est, necessario constet quod justum non est.

22. Denique cum talia plurima suppetant argumenta, satis sit ostendisse in numeris, quorum doctrinalis sententia multipliciter suggerit rationes physicas. Constat nimirum quia numero Deus impare gaudet ; qui Trinitatis suæ assertor exstitit, dum omnia in numero, mensura et pondere constituit. Et ideo Trinitatis quodam modo differentiam per trium imparium se, paribus intermissis, sequentium censeo naturam discutiendam ; quorum primus sit quinarius, secundus septenarius, tertius novenarius, inter quos duo intermissi signant duplicem naturam unius Jesu Christi, quoniam ille VI ex primo impari duplicato perfectus existit : hic IX vero ex primo pari quadruplicato diminutionem recipit sub ostensione cubicæ quantitatis, ut perfectum Deum innuant paulo minus minoratum ab angelis sub forma servi. Cum itaque infra denarium, excepto septenario, omnes numeri aut gignant, aut gignantur, horum præscriptorum imparium primus gignit, sed non gignitur; secundus nec gignit, nec gignitur; tertius autem gignitur, sed non gignit : quorum singuli quibus conveniant personis nemo dubitat fidelis, maxime cum gentium philosophi propter supradictam causam septenarium Minervæ attribuerint, et nos illi sapientiæ, quam numerando constat, nunquam simplicem non esse.

23. Sed quia de his, ut mihi visum est, satis disserui in libellulo quem precibus fratrum coactus De numero, mensura et pondere, olim edidi super calculum Victorii (55), idcirco hic plura dicere supersedi, ne prolixitas charitativæ epistolæ fastidium ingereret lectoris ignaviæ.

Unde quodam compendio evisceratis objectarum quæstionum intimis, quas vestra fraternitas perlegendo discutiat, discutiendo perlegat, terminum his imponerere decrevi, maxime quia disputando perveni ad eum qui est initium et finis. Valete.

Addit Mabillonius.

O Ramesiga cohors, amplis quæ claudere stagnis,
Purior obryzo niteris esse Deo.
Vasta palus, piscosa nimis, sua dyndima pandit,
Ut nova sint eremi claustra reperta tibi.
Nam qua corviferæ consurgit proditor hydræ,
Insula silvoso gurgite pulchra nitet.
Et qua splendentis se mergunt lora bootis,
Pons est inde suis pervius Angligenis.
Qua Cynosura poli fixum regit undique gyrum,
Anguillosa palus nescit habere modum.
Unde refert umbras vaga lux Phœbea sinistras
Terra patet, nullo continuata vado.
Huc me forte dedi ignotis ignotus alumnis,
Quos, Benedicte Pater, jure tuere paras.

(55) Prolixum est neque adhuc vulgatum hoc Abbonis opus, quod ego quidem in antiquo codice lego, et aliquando editurus sum. Perbonam interim in eo legendo hausi notitiam, quod nempe Abbo et Virgilium grammaticum, a me nunc vulgatum (*a*), præ manibus habebat, et quod ejusdem patriam Tolosam esse sciebat, nobisque insciis gratissime patefecit. Sic enim Abbo : *scripulus appenditur* XVI *granis lentis, licet* VIRGILIUS TOLOSANUS *in suis opusculis asserat pensari* XVII, *granis hordei, annumerans tria grana singulis siliquis.* Quod autem supradictum testimonium in editis a me Virgilii epistolis grammaticalibus non occurrat, nil mirum, nam nos et alia exstitisse Virgilii scripta de re grammatica scimus.

(*a*) Classici auctores, V, init.

SANCTI ABBONIS

EPITOME

DE XCI ROMANORUM PONTIFICUM VITIS.

E libro de vitis Romanorum pontificum qui Anastasio Bibliothecario tribuitur desumpta et nunc primum ex vetusto ms. cod. in lucem vindicata.

(Ex editione cui titulus : *Anastasii S. R. E. Bibliothecarii Historia de Vitis Romanorum pontificum a B. Petro apostolo usque ad Nicolaum I, nunquam hactenus typis excusa ; deinde Vita Hadriani II et Stephani VI, auctore Guillelmo Bibliothecario ; ex Bibliotheca Marci Velseri Augustanæ R. P. ill. viri. Accessere variæ lectiones*, etc. — Data est editio Moguntiæ anno 1602 in typographeio Joannis Albini.)

EXCERPTUM

De gestis Romanorum pontificum ex libello, qui continet gesta Romanorum pontificum quæ de singulis eorum suo ordine utilia posteris judicavit Albo (*sic*) Floriac [*erasum erat in ms.* Monachi, *vel* abbatis] breviter ac utiliter decerpsit, secutus veritatem Damasi Romanæ Ecclesiæ Pontificis, qui eumdem libellum scripsit rogatu Hyeronimi divinæ legis interpretis.

I.

Beatus Petrus, princeps Apostolorum, Antiochenus, filius Joannis, provinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primum tenuit cathedram Episcopatus in Antiochia annis 7. et post in urbe Roma annis 25. mensibus 2. diebus 3. Hic ordinavit tres Episcopos, Linum, Cletum et Clementem. ex quibus, Linus et Cletus præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo supervenienti exhibuerunt, dum ipse Petrus orationi et prædicationi vacaret. Clementi vero cathedram, vel Ecclesiam omnem disponendam commisit. Post hæc martyrio cum Paulo coronatur post passionem Domini, anno 38. et sepultus est via Aurelia in templo Apollinis juxta locum ubi crucifixus est, in Vaticano, 3 Kalend. Julii.

II.

Linus, natione Italus, regionis Tusciæ, patre Herculano, sedit annis 11. mensibus 3. diebus 12. Et constituit ut mulier in ecclesiam velato capite introiret ; martyrioque coronatus sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, sub die 9. Kalend. Octobr.

III.

Cletus, natione Romanus, de regione vici patritii, patre Æmiliano, sedit annis 12. mense 1. diebus 11. Martyrioque coronatus, sepultus est juxta corpus B. Petri, 6. Kalend. Maias. Et cessavit Episcopatus diebus 30.

IV.

Clemens, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino sedit annis, 9. mens. 2. diebus 10. Et fecit duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Hic dum nonnullos libros zelo fidei Christianæ religionis adscriberet, exsilio relegatus est, martyrioque coronatus, sepultusque in Græcia, 8. Kalend. Decemb. et cessavit Episcopatus dies 21.

V.

Anacletus, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, sedit annis 9. mens. 2. dieb. 10. qui et memoriam B. Petri Apostoli construxit. ubi tamen et ipse sepultus est juxta corpus ejus. Et cessavit Episcopatus dies 13.

VI.

Evaristus, natione Græcus, ex patre Judæo, nomine Juda, de civitate Bethlehem, sedit annis 9. mens. 10. dieb. 2. Hic titulos in urbe Roma divisit, et 7. diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Et sepultus est juxta corpus B. Petri Apostoli. Et cessavit Episcopatus dies 18.

VII.

Alexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput tauri. sedit annis 10. mens. 7. d. 2. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Qui sepultus est via Numentana, ubi decollatus est, ab urbe Roma non longe milliario 7. 5, non, Maii. Et cessavit Episcopatus dies. 35.

VIII.

SIXTUS, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Vialata, sedit annis 10. mens. 2. die uno. Hic constituit ut ministeria sacra non tangerentur, nisi a ministris. Et ut quicunque Episcoporum evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam rediens ad parrochiam suam non susciperetur, nisi cum formata. Qui et ipse sepultus est juxta corpus B. Petri, 3 nonas April. Et cessavit Episcopatus dies, 2.

IX.

TELESPHORUS, natione Græcus, ex anachoritis, sedit annis 11. mensibus 3. dies 21. Hic constituit ut per septem hebdomadas ante Pascha, jejunium celebraretur. Et in Natali Domini Missæ per noctem; nec unquam ante horam tertiam Missas ullus celebraret. Et ut ante sacrificium hymnus celebraretur angelicus. Qui martyrio coronatus, sepultus est juxta corpus B. Petri 4. non. Januar. Et cessavit Episcopatus dies 7.

X.

HYGINUS, natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cujus genealogiam non inveni; sedit annis 15. mens. 3. dieb. 4. Et sepultus est juxta corpus B. Petri, 3. Idus Januar. Et cessavit Episcopatus dies 2.

XI.

PIUS, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia. sedit annis 10. et 9. mensib. et 3. diebus. Sub cujus Episcopatu Hermes librum scripsit, in quo continetur quod angelus Domini in habitu Pastoris ei præcepit ut Pascha die Dominico celebraretur. Hic constituit hæreticum venientem ex Judæorum hæresi suscipi et baptizari. Qui sepultus est juxta corpus B. Petri, 5. Idus Jul. Et cessavit Episcopatus dies 14.

XII.

ANICETUS, natione Syrus, ex patre Joanne, de vico Humisa, sedit annis 12 mens. 4. diebus 3. Hic constituit ut clericus comam non nutriret. Martyrque obiit, et sepultus est in cimiterio Callisti 12. Kalend. Maii. Et cessavit Episcopatus dies 17.

XIII.

SOTHER, natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, sedit annis 9. mensibus 6. dieb. 21. Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sanctam ecclesiam. Qui sepultus est juxta corpus B. Petri, 9. Kalend. Junii. Et cessavit Episcopatus dies 21.

XIV.

ELEUTHER, natione Græcus, ex patre Habundio, de oppido Nicopoli, sedit annis 15. mens. 3. diebus 2. Hic accepit epistolam a Lucio Britonum rege, ut Christianus efficeretur. Et iterum firmavit ut nulla esca rationalis et humana a Christianis repudiaretur, maxime fidelibus. Qui sepultus est, juxta corpus B. Petri 9. Kalend. Jun. Et cessavit Episcopatus dies 15.

XV.

VICTOR, natione Afer, ex patre Fence, sedit annis 15. mensib. 3. dieb. 10. Hic constituit ut necessitate faciente, ubi inventus esset gentilis, baptizaretur, et ut a quartadecima Luna primi mensis usque vicesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha. Qui sepultus est juxta corpus B. Petri 5. Kalend. Aug. Et cessavit Episcopatus diebus 12.

XVI.

ZEPHIRINUS, natione Romanus, ex patre Habundio, sedit annis 8. mens. 6. dieb. 3. Hic constituit ut sub presentia omnium clericorum, et laicorum fidelium, clericus, levita, sive sacerdos ordinaretur: et coronam sacratam accipiat presbyter tradendam populo. Qui sepultus est in cimiterio suo, juxta cimiterium Calixti via Appia, 6. Kalend. Septemb. Et cessavit Episcopatus dies 6.

XVII.

CALLISTUS, natione Romanus, ex patre Domitio, de urbe Ravennatium. Sedit annis 6. mens. 2. dieb. 10. Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri. Martyrioque coronatus, sepultus est in cimiterio Calepodii, via Aurelia, milliario 3. 3. Idus Octob. Et cessavit Episcopatus dies 6.

XVIII.

URBANUS, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annis 9. mense 1. dieb. 2. Hic sua traditione Valerianum sponsum S. Ceciliæ, et multos alios usque ad martyrium perduxit. Qui confessor factus, sepultus est in cimiterio Prætextati, via Appia, 8. Kalend. Jan. Et cessavit Episcopatus diebus 30.

XIX.

PONTIANUS, natione Romanus, ex patre Calpurnio, sedit annis 9. mens. 5. dieb. 2. Hic et Hippolytus presbyter exilio sunt deportati ab Alexandro de Sardinia insula Butiana, ibique defunctus, martyrio coronatus est 3. Kalend. Novemb. Quem B. Fabianus adduxit cum clero per navim, et sepelivit in cimiterio Calixti via Appia. Et cessavit Episcopatus dies 10.

XX.

ANTHERUS, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annis 12. mense uno. dieb. 12. Hic martyrum gesta diligenter inquisivit, et in Ecclesia recondidit. Martyrioque coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 3. nonas Januar. Et cessavit Episcopatus dies 13.

XXI.

FABIANUS, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annis 14. mens. 11. dieb. 10. Hic regiones divisit diaconibus, et fecit sex diaconos, qui septem Notariis imminerent. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit Ecclesiam. Fabianus vero martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 13. Kalend. Februar. Et cessavit Episcopatus dies 6.

XXII.

CORNELIUS, natione Romanus, ex patre Castino,

sedit annis 2. mensibus 3. et dieb. 10. Qui Centumcellis pulsus est, et ibidem accepit a Cypriano martyre in carcere scriptam. Quo etiam loco decollatus, martyr effectus est. Cujus corpus noctu collegit B. Lucina cum clericis, et sepelivit in crypta juxta cimiterium Callisti, via Appia, in prædio suo. 18. Kalend. Octobris. Et cessavit Episcopatus diebus 35.

XXIII.

Lucius, natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annis 3. mens. 7. dieb. 6. Hic in exilio fuit. Sed postea incolumis ad Ecclesiam suam reversus præcepit ut duo presbyteri, et tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum. Qui etiam a Valeriano capite truncatus 3. Nonas Mart. sepultus est in cimiterio Calixti via Appia. 8. Kalend. Septemb. Et cessavit Episcopatus dies 35.

XXIV.

Stephanus, natione Romanus, ex patre Jobio, sedit annis 6. mensib. 5. dieb. 2. Hic constituit sacerdotes et Levitas, ut vestibus sacratis non nisi in Ecclesia uterentur. Martyrioque coronatus sepultus est in cimiterio Callisti via Appia, 4. Nonas Aug. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.

XXV.

Xistus, natione Græcus ex Philosopho, sedit anno 1. mens. 10. diebus 26. Martyrioque coronatus sub Valeriano 8. Kalend. Aug. Post cujus passionem tertio die passus est B. Laurentius archidiaconus. Denique Beatus Xistus sepultus est in cimiterio B. Calixti via Appia. Et cessavit Episcopatus diebus 35.

XXVI.

Dionysius, ex monachis ; cujus generationem non potuimus reperire. sedit annis 6. mensibus 2. diebus 4. Hic presbyteris Ecclesias dedit, et cimiteria, et parochias diœcesis constituit. cujus depositio 6. Kalend. Januar. in cimiterio Calixti via Appia. Et cessavit Episcopatus dies 5.

XXVII.

Felix, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annis 4. mensibus 3. dieb. 25. Qui constituit supra memorias martyrum Missas celebrari Et fecit basilicam in via Aurelia, ubi martyrio coronatus, sepultus est, 3. Kalend. Junii milliario ab urbe Roma secundo. Et cessavit Episcopatus dies 5.

XXVIII.

Eutychianus, natione Thuscus, ex patre Marino, de civitate Lunæ, sedit annum unum, mensem 1. diem 1. Hic constituit ut fruges super altare tantum, fabæ et uvæ benedicerentur. Et sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 8. Kalend. Augusti. Et cessavit Episcopatus dies 8.

XXIX.

Gaius, natione Dalmatinus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaio, sedit annis 11. mensibus 4. diebus 12. Hic constituit ut ordines omnes sic in Ecclesia ascenderent. Si quis Episcopus esse mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, et exinde Episcopus ordinaretur. Qui fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur, et sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 10. Kalend. Maii. Et cessavit Episcopatus dies 11.

XXX.

Marcellinus, natione Romanus, ex patre Projecto, sedit annis 9. mensibus 4. diebus 16. Quo tempore fuit persecutio magna, ut intra 30 dies, 17 hominum millia promiscui sexus per diversas provincias coronarentur. Inter quos ipse Marcellinus ductus est ad sacrificandum, ut thurificaret, quod et fecit. Et post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano capite pro fide Christi truncatus est. Cujus corpus jacuit in platea diebus 25. et exinde Marcellus presbyter collegit noctu, et sepelivit eum via Salaria in cimiterio Priscillæ juxta corpus sancti Crescentionis, 7. Kalend. Maii. Et cessavit Episcopatus annis 7. mensibus 7. dies 25.

XXXI.

Marcellus, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Vialata, sedit annis 5. mens. 7. dieb. 21. Hic fecit cimiterium via Salaria, et comprehensus damnatus est in catabulo. Quo novem mensibus exactis in oratione et jejunio nocte venit clerus ejus, et exuit eum, et perduxit ad domum Lucinæ viduæ, quam dedicavit titulo sanctæ Ecclesiæ. Hoc audito, Maxentius jussit ut ibidem animalibus deserviret, unde in servitio animalium nudus amictus cilicio defunctus est. Cujus corpus collegit beata Lucina, et sepelivit in cimiterio Priscillæ, via Salaria. 17 Calend. Febr. et cessavit Episcopatus dieb. 30.

XXXII.

Eusebius, natione Græcus, ex medicis, sedit annis 6. mens. 1. dieb. 3. Sub hujus temporibus inventa est crux Domini 5. Non. maji. a Juda, qui post baptizatus est. Hic hæreticos invenit, quos per manus impositionem reconciliavit. Qui etiam sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 6. Non. Octobris. Et cessavit Episcopatus dies 7.

XXXIII.

Melchiades, natione Afer, sedit annis 4. et constituit nulla ratione Dominica, aut 5. feria jejunium celebrari : fecitque ut ablationes sacræ, quod est fermentum ex consecratione Episcopi per Ecclesias dirigerentur, ac sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia 4. Idus Jan. Et cessavit Episcopatus diebus 16.

XXXIV.

Silvester, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annis 23. mens. 10. diebus 11. Hic fuit in exilio in monte Soracte. Et postmodum rediens cum gloria baptizavit Constantinum Augustum, quem curavit Dominus a lepra. Cujus temporibus factum est Concilium ipso præcipiente in Nicæa Bithyniæ, et congregati sunt trecenti 18. Episcopi Catholici,

qui damnaverunt Arrium, Photinum, et Sabellium. In urbe quoque Roma congregavit ipse cum consilio Augusti 277. et damnavit iterum Calixtum, Arium, Photinum et Sabellium. Constituit etiam ut baptizatum liniret presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis, et ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, et ut nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante judicem causam diceret, nisi in Ecclesia. Et ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo; sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea munda sepultum est. Ut si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, ut esset Lector annis 30. exorcista diebus 30. acolythus annis 5. subdiaconus 5. diaconus 7. presbyter tribus, probatus ex omni parte, et ab his, qui foris sunt, testimonium habere bonum, unius uxoris virum a sacerdote benedictæ, et sic ad ordinem Episcopatus accedat. Hic sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, ab urbe Roma milliario 3. prid. Kalend. Jan. catholicus et confessor quievit. Cessavitque Episcopatus dies 21.

XXXV.

Marcus, natione Romanus, ex patre Prisco. sedit annis 2. mens. 9. dieb. 20. Hic constituit ut Episcopus Ostiæ, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur, et ab eodem Episcopus Urbis Romæ consecraretur. Qui obiit Nonis Octob. et sepultus est in cimiterio Balbinæ, via Ardeatina. Et cessavit Episcopatus dies 20.

XXXVI.

Julius, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annis 15. mens. 2. diebus 5. Hic fuit missus in exilium a Constantino Imperatore hæretico mensibus 10. Post cujus mortem reversus est. Et constituit ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret: et rerum gestarum notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per notarios colligeretur, et in Ecclesia a clericis servaretur. Qui etiam sepultus est, via Aurelia, in cimiterio Calepodii milliario 3. pridie Idus April. Et cessavit Episcopatus diebus 25.

XXXVII.

Liberius, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annis 6. mens. 4. dieb. 8. Hic pro eo, quod noluit consentire hæresi Arrianæ, fuit in exilio annis 3. Cujus consilio Felix venerabilis presbyter in loco ejus ordinatus est Episcopus. Qui invenit duos presbyteros Ursacium et Valentem, consentientes Constantio Augusto Arriano, et damnavit eos in Concilio 48 Episcoporum. Qui Ursacius et Valens post paucos dies zelo ducti, rogaverunt Constantium, ut de exilio revocaret Liberium. Qui consensit eis, ut una tantum participatione communionis conveniret cum hæreticis, tantum ut non rebaptizaretur. Post hæc fecit Constantius Concilium cum aliquibus, qui ex fece Ariana erant, et ejecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, et revocavit Liberium. Depositus vero Felix 4. Kalend. Augusti, habitavit in prædiolo suo, via Portuensi. Ingressus quoque Liberius in urbem 4. Non. Augusti consensit hæreticis, non tamen rebaptizatus. et tenuit basilicas B. Petri et Pauli, et Constantinianam annis 7. Et fuit persecutio magna in urbe Roma. Omnes itaque anni Felicis in hujus ordinatione dinumerantur. Sepultus tamen est Liberius via Salaria in cimiterio Priscillæ. Et cessavit Episcopatus dies 7.

XXXVIII.

Felix, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno 1. mens. 3. dieb. 2. Hic declaravit Constantium filium Constantini hæreticum, et rebaptizatum secundo ab Eusebio Episcopo Nicomediensi in villa quæ appellatur Aquilon. Pro quo facto capite truncatur cum multis clericis et fidelibus occulte juxta muros urbis ad latus formæ Trajanæ, 3. Idus Novemb. Et exinde rapuere corpus ejus Christiani, cum Damaso presbytero, et sepelierunt in basilica supradicta ejus via Aurelia 17. Kalend. Decembr. in pace. Et cessavit Episcopatus dies 38.

XXXIX.

Damasus, natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annis 18. mens. 3. dieb. 10. et cum eodem ordinatur sub [contentione.] intentione Ursinus. Qui facto Concilio sacerdotum ejectus est ab urbe, et Neapoli constitutus Episcopus. Damasus fultus plurima multitudine in sede Apostolica permansit præsul. Qui tandem accusatus incriminatur de adulterio, et facta Synodo purgatur a 44 Episcopis, qui etiam damnaverunt accusatores ejus, Concordium et Callistum, et projecerunt de Ecclesia. Quæsivitque multa corpora Sanctorum, et invenit, ac eorum memorias versibus decoravit. Constituit quoque, ut psalmi die noctuque canerentur per omnes Ecclesias, ac sepultus est via Ardeatina in basilica sua 3. Idus Decembr. juxta matrem suam, et germanam suam. Et cessavit Episcopatus dies 31.

XL.

Siricius, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annis 15. Hic constituit ut nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam. nisi consecratum Episcopi susceperit, quod nominatur fermentum. Qui etiam exosos habuit omnes hæreticos, maxime Manichæos, quos inventos in exilium deportari fecit, et constituit, ut si quis de Manichæis conversus rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaret, nisi tantum relegatus monasterio usque ad finem vitæ suæ jejunus et orationibus vacans viaticum ei largiretur. Constituit etiam hæreticum sub manu impositionis reconciliari præsente cuncta Ecclesia. Qui sepultus est in cimiterio Priscillæ, via Salaria, 8. Kalend. Maii. Et cessavit Episcopatus dies 20.

XLI.

Anastasius, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annis 3. diebus 10. Hic constituit ut quoties-

cunque Evangelia sancta recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent, et ut nullus clericum transmarinum susciperet, nisi sui Episcopi chirographum designaret, quia eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe. Sepultus est autem in cimiterio suo ad Ursum pileatum. 5. Kalend. Maii. Et cessavit Episcopatus dies 21.

XLII.

Innocentius, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annis 15. mensibus 3. dieb. 21. Hic invenit Pelagium et Cœlestium et hæreticos damnavit. Constituitque ut natus de Christiana denuo nasceretur per baptismum, hoc est, baptizaretur, quod Pelagius damnabat. Constituit quoque ut Sabbathi jejunium celebraretur, quia Sabbatho Dominus in sepulchro positus est, et discipuli jejunarunt. Sepultus est autem in cimiterio ad Ursum pileatum 5. Kalend. Aug. Et cessavit Episcopatus dies 22.

XLIII.

Zozimus, natione Græcus, ex patre Abrahamio, sedit annis 7. mens. 4. dieb. 24. Hic constituit ut diacones lævam tectam haberent de palliis linostimis, et per Parrochiam concessit ut cereos benedicerent. Et ut nullus clerico poculum publicum propinaret nisi tantum in cella fidelium, maxime clericorum. Et sepultus est via Tiburtina, juxta corpus B. Laurentii martyris 7. Kalend. Januar. Et cessavit Episcopatus dies 11.

XLIV.

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo presbytero, sedit annis 3. mens. 8. dieb. 6. Hic sub intentione ordinatus est cum Eulalio uno die. Et fuit diebus 15. et mensib. 8 dissensio magna in clero. Quod audiens Placidia Augusta cum filio Valentiniano Augusto, dum sederet Ravennæ retulit Honorio Augusto Mediolanis : et horum præcepto expulsi sunt ab urbe ambo. Sed Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiniana, præsumpsit intrare urbem et baptizare : et celebravit Pascha in supradicta basilica. Hoc audientes Augusti, miserunt, et ejecerunt eum foras in Campaniam, Bonifacium vero revocaverunt in urbem et constituerunt Episcopum. Quo defuncto clerus et populus petiit Eulalium revocari, sed ille reverti noluit. Denique Bonifacius constituit ut nulla mulier, aut monacha pallam sacratam contingeret, aut incensum poneret, nec servum clericum fieri, nec obnoxium curiæ. Qui etiam sepultus est via Salaria juxta corpus S. Felicitatis martyris 8. Kalend. Novemb. Et cessavit Episcopatus dies 9.

XLV.

Cælestinus, natione Campanus, ex patre Prisco, sedit annis 9. mensib. 10. diebus 17. Hic constituit, ut psalmi David 150. psallerentur ante sacrificium antiphonatim : ante enim tantum epistola B. Pauli recitabatur, et sanctum Evangelium. Sepultus est. a. in cimiterio Priscillæ via Salaria, 8. Idus April. Et cessavit Episcopatus dies 20.

XLVI.

Xistus, natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annis 8. dieb. 19. Hic post annum unum et mensem 8. incriminatus est a quodam Basso. Quod audiens Valentinianus Augustus jussit synodum congregari, in qua examinatur a 46. Episcopis, et purgatur Xistus, et condemnatur Bassus, ita ut ultimo die viaticum ei non negaretur. Contra quem Valentinianus Augustus furore sancto permotus, prædia facultatum ejus Ecclesiæ Catholicæ sociavit, ac post tres menses moritur. Cujus corpus Xistus Episcopus suis manibus tractans sepelivit ad B. Petrum Apostolum in cubiculo parentum ejus. Qui etiam sepultus est via Tiburtina in crypta juxta corpus B. Laurentii. Et cessavit Episcopatus dies 22.

XLVII.

Leo, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annis 21. mense uno, diebus 13. Hic invenit duas hæreses, Eutychianam et Nestorianam. Pro qua remisit ad Marcianum Augustum, orthodoxum principem et catholicum, ut congregaret Concilium Episcoporum. Quod statim factum est, et congregati sunt sacerdotes 256, aliorum vero Episcoporum 408, Chirographus cucurrit cum chirographo S. Episcopi Leonis, hoc est, tomo, ubi continebatur fides Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ. Sub præsentia igitur Martiani Catholici Principis factum est Concilium 630 Episcoporum in Chalcedonia, in martyrio S Euphemiæ. Qui exposuere fidem Catholicam, dicentes, in uno Christo Deo et homine duas naturas esse. Ubi piissimus Augustus cum Pulcheria conjuge sua Augusta, deposita regia majestate, fidem suam sub chirographo exposuerunt ante conspectum omnium Episcoporum, qui damnaverunt Eutychen et Nestorium, et expositam direxerunt ad Leonem Papam beatissimum. Hic constituit ut monacha non acciperet velamen benedictum in capite, nisi probata in virginitate fuerit 60 annis, et ut intra actionem sacrificii diceretur : *Sanctum sacrificium*, etc. Sepultus est autem apud B. Petrum Apostolum, 3. Idus April. Et cessavit Episcopatus dies 7.

XLVIII.

Hilarius, natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annis 6. mens. 3. diebus 10. Hic firmavit 3. Synodos, Nicænam, Ephesinam, et Chalcedonensem, vel tomum sancti Episcopi Leonis, et damnavit omnes hæresiarchas ac sequaces eorum. Confirmavit quoque dominationem et principatum sedis Catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Qui sepultus est ad S. Laurentium in crypta juxta corpus B. Xisti Episcopi, 4. Idus Septemb. Et cessavit Episcopatus dieb. 10.

XLIX.

Simplicius, natione Tiburtinus, ex patre Castorio, sedit annis 15. mense uno, diebus 7. Cujus temporibus venit relatio de Græcia ab Achatio Constantinopolitano Episcopo affirmante quod Petrus Alexandrinus Eutychianista hæreticus factus esset, et quod

in morte cujusdam presbyteri Catholici permixtus esset. Quod audiens Simplicius præsul dissimulans non rescripsit Achatio, sed Petrum damnavit, expectans tempus pœnitentiæ. Hic sepultus est in basilica B. Petri Apostoli 6. Nonas Martias. Et cessavit Episcopatus diebus 6.

A

L.

Felix, natione Romanus, ex patre Felice presbytero de titulo Fasciola. sedit annis 8. mens. 11. dieb. 17. Quo tempore iterum venit relatio de Græcia Petrum revocatum ab Achatio Episcopo Constantinopolitano. Quod audiens Felix Romanus Episcopus mittit defensorem cum consilio Sedis suæ, et in Concilio damnavit Achatium cum Petro. Post annum tertium iterum venit relatio ab Imperatore Zenone ut pœnitens rediret Achatius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos, Mesenum et Vitalem, ut si invenirent complicem Petri Acatium, iterum damnarent eos. Si non, offerrent libellum pœnitentiæ. Qui cum introissent Constantinopolin, corrupti sunt pecunia, et non fecerunt ut præceperat Dominus Papa. Qui post eorum reversionem, facto Romæ Concilio examinavit ambos Episcopos, id est Mesenum et Vitalem, et reos rejecit a communione. Sed Mesenus non tacuit peccatum suum, et ob hoc concessum est ei tempus pœnitentiæ. Sepultus est autem Felix in basilica B. Pauli Apostoli. Et cessavit Episcopatus dieb. 5.

B

LI.

Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annis 4 mens. 8. diebus 18. Hic invenit Manichæos in urbe, quos in exilium deportari præcepit, et eorum codices incendio concremari, et in synodo cum fletu sub satisfactione libelli purgatum Mesenum Episcopum revocavit, et suæ Ecclesiæ restituit. Iterum venit relatio de Græcia quod a Petro et Achatio multa mala et homicidia fierent. Quo tempore fugiens Joannes Alexandrinus Catholicus Episcopus venit Romam. Quem B. Gelasius cum gloria suscepit, et ei secundam sedem præbuit, factaque Synodo misit per tractum Orientis, et iterum damnavit in perpetuum Petrum et Achatium, si non sub satisfactione libelli postularent pœnitentiam. Fecit etiam sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone. Qui sepultus est in B. Petri basilica 11. Kalend. Decemb. Et cessavit Episcopatus dies 7.

C

D

LII.

Anastasius, natione Romanus, ex patre Petro de regione quinta Caput tauri, sedit anno 1. mensibus 2. diebus 24. Hic propterea quia communicavit cuidam diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communis erat Acatio sine consilio Episcoporum, presbytororum, vel clericorum Ecclesiæ Catholicæ, suspenderunt se ab ejus communione. Qui etiam, cum voluisset Achatium occulte revocare, et non potuisset, nutu divino percussus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 13. Kalend. Decemb. Et cessavit Episcopatus dies 4.

LIII.

Symmachus, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annis 15. mensibus 7. diebus 27. Hic sub intentione ordinatus est una die cum Laurentio, et Symmachus quidem in basilica Constantiniana, Laurentius in basilica S. Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus, et divisus est Senatus. Et facta intentione utraque pars constituit, ut ambo ordinati ad judicium Regis Theodorici Ravennam pergerent. Quod dum factum fuisset, judicavit Rex ut qui primus ordinatus fuisset, vel cui maxima pars consentiret, ipse teneret sedem Apostolicam. Unde factus Præsul Symmachus est, et constituit Laurentium in Nucerinam civitatem Episcopum intuitu misericordiæ. Post annos vero quatuor zelo ducti aliqui ex clero, et ex Senatu, maxime Festus et Probinus, accusaverunt eundem Papam apud Theodoricum crimine pessimo, et subornaverunt falsos testes, quos miserunt Ravennam, et interim occulte revocaverunt Laurentium. Divisus quoque est iterum clerus. Tunc accusatores Symmachi miserunt ad regem, ut daret visitatorem sedis Apostolicæ. Quod factum est, et dedit Petrum Altinæ civitatis Episcopum, quod canones prohibent. Unde prædictus Papa congregavit Episcopos 115. et facta Synodo purgatur a falso crimine : et damnatur Petrus Altinus invasor sedis Apostolicæ, et Laurentius Nucerinus pro eo quod vivente Episcopo persuaserunt sedem ejus ; nam Symmachus a suis omnibus in sedem suam cum gloria restituitur. Quapropter indignati Festus et Probinus intra urbem cœperunt pugnare, maxime contra Faustum exconsulem, et omnes qui communicabant Symmacho, quandoquidem gladio occidebantur clerici, sanctimoniales et virgines, quas de monasteriis extrahebant nudas. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia idem Papa invenit Manichæos in urbe, quorum libros incendit, et eos exilio relegavit. Hic omni anno per Africam vel Sardiniam ad Episcopos, qui exilio erant retrusi, pecunias et vestes ministrabat, et captivos per diversas provincias redemit. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli confessor. 14. Kalend. Aug. Et cessavit Episcopatus dies 7.

LIV.

Hormisda, natione Campanus, ex patre Justo, de civitate Frisinone, sedit annis 9. dies 17. Hic ex constituto Synodi, et cum concilio regis Theodorici, direxit ad Græcias, humanitatem ostendens sedi Apostolicæ : quia Græci obligati erant sub vinculo anathematis propter Petrum Alexandrinum et Achatium Constantinopolitanum sub Joanne Episcopo, legatos mittens Ennodium Episcopum Ticinensem, et Fortunatum Episcopum Catinensem, et Venantium presbyterum urbis Romæ, et Vitalem Diaconum, et Hilarum notarium, ad Anastasium Augustum, qui nihil egerunt. propterea quia ipse in hæresim Eutychianam communicaverat. Item secundo misit Ennodium, et Peregrinum episcopum Mesenensem, quos dum voluisset Anastasius pecunia corrumpere, nul-

latenus consenserunt, nisi satisfactionem sedis Apostolicæ operaretur. Tunc imperator repletus furia ejecit eos per posterulam, et imposuit in navim periculosam, præcipiens Heliodoro et Demetrio ut nullam civitatem Græcorum ingrederentur. Legati vero secretius sanctas epistolas fidei 19. per manus monachorum orthodoxorum exposuere per omnes civitates, quas Episcopi, qui erant complices Anastasii Augusti pro crimine Constantinopolim direxerunt. Qui furore repletus inter alia sua sacra hæc scripsit, dicens : Nos jubere volumus, non nobis juberi; et post hæc nutu divino percussus fulmine obiit. Cui successit in imperium Justinus Orthodoxus, qui direxit auctoritatem suam ad Hormisdam Papam Romanum, ut redintegraretur pax Ecclesiarum. Quam auctoritatem Papa suscipiens cum consilio regis Theodorici direxit Germanum Capuanum Episcopum, Joannem et Blandum presbyteros, Felicem et Dioscorum diacones, et Petrum notarium, munitos fide et textu libelli pœnitentiæ. Venientes autem juxta Constantinopolim tanta gratia fidei refulsit, ut multitudo monachorum orthodoxorum, et illustrium virorum, Justinus quoque Imperator, et Vitalianus Consul simul occurerent ad castellum rotundum, quod ducit ad civitatem. Suscepti itaque sunt cum gloria et gaudio magno a clero et Joanne Episcopo. Quod sentientes complices Anastasii se incluserunt in Ecclesia majore, quæ vocatur sancta Sophia, et consilio facto mandaverunt Imperatori, dicentes : Nisi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus est Episcopus noster Achatius, nullatenus consentimus Sedi Apostolicæ. Hic quoque damnavit Petrum et Achatium, vel omnes hæreses, et invenit Manichæos, quos cum examinatione plagarum in exilium deportavit, et eorum codices incendio concremavit. Eodem tempore venit cum gemmis pretiosis a rege Francorum Clodovæo Christiano donum B. Petro Apostolo. Sepultus est autem in basilica B. Petri Apostoli, 8. Idus Aug. Consulatu Maximi. Et cessavit Episcopatus dies 6.

LV.

Joannes, natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annis 2. mensib. 9. diebus 17. Hic vocatus est a rege Theodorico Ravennam, quem et misit in legationem Constantinopolim ad Justinum Imperatorem orthodoxum, qui ejus consilio usus voluit amore religionis Christianæ hæreticos extricare, ut Ecclesias Arrianorum Catholicas consecraret. Pro qua re hæreticus rex Theodoricus exarsit, et voluit totam Italiam gladio extinguere. Tunc Joannes Papa ægrotus cum fletu ambulavit, et senatores, et Consules cum eo, id est, Theodorus importunus, Agapitus Patritius, accipientes in mandatis, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis, quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui dum ambulasset, occurrit ei omnis civitas cum cereis et crucibus in honore B. Apostolorum Petri et Pauli. Et gaudebat Justinus Augustus se suscepisse in partibus Græciæ Joannem Papam Romanum, sicut Constantinus Augustus susceperat Silvestrum Episcopum. Qui Justinus dans honorem Deo humiliavit se pronus, et adoravit Joannem beatissimum rogantem cum grandi fletu ut legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui postquam obtinuit, propter quod ierat, ipsi Justino Augusto, ut vicarius B. Petri Apostoli rogatus manibus suis cum gloria coronam imposuit. Eodem tempore Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores præclaros et exconsules, Symmachum et Boethium, et interfecit eos gladio. Cum vero Joannes venerabilis Papa, et Senatores ejus comites reverterentur a Constantinopoli, prædictus Rex hæreticus cum grandi dolo et odio suscepit eos, quos etiam gladio voluit interficere, sed non ausus est metuens indignationem Justini Augusti, quanquam permiserit in custodia afflictos [*cruciari*] cremari. Ipse vero Papa afflictus in custodia defecit, et mortuus est martyr, 15. Kalend. Jun. Quem statim derepente est intereundo subsecutus ipse Theodoricus rex hæreticus. Corpus vero B. Joannis translatum est de Ravenna, et sepultum est in B. Petri basilica 6. Kalend. Jun. Et cessavit Episcopatus dies 58.

LVI.

Felix, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annis 4. mensibus 2. dieb. 13. Et sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 4. Idus Octob. Et cessavit Episcopatus diebus 3.

LVII.

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Sigebaldo, sedit annis 2. diebus 26. Hic fuit ordinatus in basilica Julii sub intentione cum Dioscoro, qui ordinabatur in basilica Constantiniana. Fuitque dissensio in clero et senatu dies 28. Sed Dioscorus ipso anno 2. Idus Octobris defunctus est. Quem Bonifacius zelo ductus eum grandi amaritudine sub chirographo anathematizavit, et eum archivo Ecclesiæ retrusit. Sed ei nullus subscribere voluit. Hic congregata Synodo in basilica B. Petri Apostoli, fecit cum chirographis sacerdotum jusjurandum ante confessionem Apostoli Petri in diaconum Vigilium, ut sibi succederet. Unde facta iterum Synodo censuerunt sacerdotes omnes propter reverentiam sanctæ Sedis, quia contra canones hoc fuerat factum, et quia culpa eum respiciebat, qui sibi successorem constituisset. Quapropter Bonifacius reum se confessus est, quod in Diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli fecisset, ipsumque chirographum sub præsentia omnium sacerdotum et cleri, et senatus in incendio consumpsit. Tunc venit relatio ab Afris Episcopis de constitutione, et ut consilio Domini Papæ omnia Carthaginensis Episcopus faceret. Sepultus autem est in basilica B. Petri Apostoli, sub die 17. mens. Octob. Et cessavit Episcopatus dies 15.

LVIII.

Joannes, qui et Martirius, natione Romanus, ex

patre Projecto, de Cælio monte, sedit annis 2. mensibus 4. diebus 6. Eodem tempore Justinianus Augustus, vir religiosus summo amore Christianæ religionis misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad sedem Apostolicam per Episcopos Epatium, et Demetrium. Sepultus est autem Joannes Papa in basilica B. Petri Apostoli, 6. Kalend. Junias. Et cessavit Episcopatus dies 6.

LIX.

Agapitus, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero ad sanctos Joannem et Paulum, sedit mensib. 11. diebus 18. Hic libellos anathematis quos invidiæ dolo extorserat, Bonifacius a presbyteris et Episcopis contra canones et contra Dioscorum in medio Ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, et totam Ecclesiam absolvit. Denique missus est a Theodato rege Gothorum ad Domnum Justinianum Augustum, qui indignabatur contra eumdem regem quod occidisset Reginam Amalsuenham commendatam sibi, filiam scilicet Theodorici regis, qui eum regem fecerat. Ingressus ergo Agapitus Constantinopolim 10, Kalend. Maii susceptus est cum gloria, et cœpit altercationem habere cum Justiniano Augusto de religione. Responsumque reddidit constantissime de Domino Jesu Christo, Deo et homine, quod in una persona Jesu Christi duæ sint naturæ. Qua altercatione Anthemium Constantinopolitanum Episcopum invenit hæreticum. Dixit itaque Imperator Agapito : Aut consenti nobis, aut in exilium deportari te faciam. Cui respondit : Ego quidem peccator ad Justinianum Imperatorem Christianissimum venire desideravi, nunc autem Diocletianum inveni. Scito tamen, te et Episcopum tuum idoneos non esse Christianæ religionis, nisi duas naturas in Christo confiteamini. Tandem ex præcepto Augusti accersito Anthemio, et discussione facta, nunquam voluit confiteri in doctrina catholicæ responsionis, sed convicit eum Sanctus Papa Agapitus, et ob id ab omnibus Christianis est glorificatus. Tunc Imperator, gaudio repletus, humiliavit se, et adoravit beatissimum Papam Agapetum, quia communione ejecit Anthemium, et expulit in exilium, et loco ejus Mœnam nomine consecravit Episcopum Catholicum. Qui etiam, postquam omnia obtinuit, pro quibus directus fuerat quadam ægritudine defunctus est Constantinopoli 10. Kalend. Maii. Cujus corpus in loculo plumbeo translatum est in basilicam B. Petri Apostoli, ubi et sepultum est, 12. Kalend. Octob. Et cessavit Episcopatus dies 58.

LX.

Silverius, natione Campanus, ex patre Hormisda Episcopo Romano, sedit anno 1. mensib. 5. dieb. 11. Hic levatus est a tyranno Theodato sine deliberatione decreti. Qui corruptus pecunia talem timorem induxit clero, ut qui non consentiret in hujus ordinatione gladio puniretur. Quocirca sacerdotes non subscripsere ante ordinationem ejus secundum morem antiquum, sed postmodum. Post menses vero duos A nutu divino exstinguitur Theodatus, et elevatur rex Vuitigis. Qui Ravennam veniens tulit sibi uxorem filiam Amalasuentæ reginæ. Unde indignatus Imperator Justinianus misit Belesarium patritium cum exercitu, ut liberaret omnem Italiam a captivitate Gothorum. Tunc veniens patritius in partes Siciliæ, audivit quod Gothi fecissent sibi regem. et inde per Campaniam properavit Neapolim, quam et obsidere cœpit, quia cives Neapolitani noluerant aperire ei. Qui pugnando civitatem introivit, et ductus furore interfecit et Gothos, et omnes cives Neapolitanos, ita ut nulli sexui, vel ætati parceret, nec sacerdotibus, aut servis Dei, vel sanctimonialibus. Factoque maximo bello contra Vuitigis, ingressus est urbem Romam 4. Idus Decembr. et civitatem munivit. Nocte B ipsa, qua introivit urbem, hi qui erant in civitate, vel foris, fugerunt Ravennam, et omnes portas dimiserunt apertas. Tunc colligens Vuitigis rex multitudinem exercitus Gothorum regressus contra Romam 9. Kalend. Mart. et fixit castra ad pontem Milvium, et uno anno ita obsessa est civitas Romana, ut nulli esset facultas exeundi, vel introeundi. Intra civitatem autem grandis fames erat, ut aqua venundaretur pretio, nisi Nympharum [*remedium*] rechedus subvenisset. Pugnæ autem maximæ erant, Belesario defendente Romanos vel civitatem : quam et liberavit a Gothis ; quos postmodum Ravennam fugere compulit. Tunc erat Vigilius Diaconus apocrisiarius in Constantinopoli, qui sciebat dolorem Augusti pro Anthemio Patriacha, qui depositus fuerat C a sanctissimo Agapito Papa, eo quod hæreticus repertus esset, et in locum ejus Mænam servum Dei constituisset. Consilio denique Vigilii misit Romam epistolas Silverio Papæ, rogans et obsecrans : aut ad nos, ne pigriteris venire : aut certe revoca Anthemium in locum suum. Quas litteras dum legisset B. Silverius, ingemuit, et dixit : Modo scio, quod hæc causa finem vitæ meæ adduxit. Fiduciam tamen habens in Domino rescripsit Augustæ. Domina Augusta, ego rem istam nunquam facturus ero, ut revocem hominem hæreticum, in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit ad Belesarium jubens per Vigilium diaconem. Vide aliquas occasiones in Silverium Papam, et depone illum ab Episcopatu, aut certe festinus transmitte eum ad nos. D Ecce ibi habes Vigilium archidiaconem, et apocrisiarium nostrum carissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthemium patriarcham. Suscepta jussione Belesarius dixit : Ego quidem jussionem facio, sed ille qui interest in nece Silverii Papæ, ipse reddat rationem de factis suis Domino Jesu Christo. Et urgente jussione, exierunt quidam falsi testes, qui dixerunt : Quadam vice invenimus Silverium Papam scripta mittentem ad regem Gothorum, in quibus continebatur. Veni ad portam, quæ appellatur. Asinaria juxta Lateranis, et civitatem trado ac Belesarium patritium. Quod audiens Belesarius non credidit, sciens quod per invidiam hæc dicerentur. Sed dum multi in eadem accusatione

ne persisterent, timuit, fecitque Silverium ad se A venire in palatium Pincis, et foris retineri omnem clerum. Cumque ingressus esset cum solo Vigilio, Antonina patritia, ut jacebat in lecto, videns eum dixit : Dic Domine Silveri Papa, quid fecimus tibi et Romanis, ut tu velles nos in manus Gothorum tradere ? Adhuc ea loquente, ingressus Joannes Subdiaconus regionarius primæ sedis tulit pallium de collo ejus, et duxit in cubiculum, ubi exspoliatum eum induit veste monachica. Quem Xistus subdiaconus regionis sextæ videns monachum, egressus foras nunciavit ad clerum, dicens : Quia domnus Papa depositus est, et factus est monachus. Qui audientes, fugerunt omnes. Suscepit autem eum Vigilius archidiaconus in sua quasi fide, et misit in exilium in Ponzas, ac sustentavit eum pane tribula- B tionis et aqua angustiæ. Qui deficiens confessor mortuus est, et sepultus in eodem loco 12. Kalend. Jul. ibique salvantur infirmi. Et cessavit Episcopatus dies 5.

LXI.

Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne Consule, sedit annis 17. mensibus 6. diebus 26. Eodem tempore Belesarius commisit bellum contra Vuitigem regem Gothorum, quem fugientem nocte insecutus est Joannes Magister militum, cui cognomentum Sanguinarius, et tenuit eum, adduxitque ad Belesarium, qui perduxit eum sub sacramento salvum ad Imperatorem Justinianum Constantinopolim. Quem Imperator fecit patritium et comitem, transmisitque juxta fines Persarum, ubi vitam finivit. C Belesario vero egere gratias Imperator et Augusta, et remiserunt eum in Africam, quæ redacta est sub republica, interfecto sub dolo pacis [*Gundaro*] Vuimarith rege Vandolorum. Quo tempore scripsit Theodora Augusta ad Vigilium Papam : Veni, adimple nobis, quæ prona voluntate promisisti de patre nostro Anthemio, et revoca eum in officium suum. Ad hæc rescripsit Vigilius : Absit hoc a me, Domina Augusta. Prius locutus sum male et insipienter, modo autem nullo modo tibi consentiam, ut revocem hominem hæreticum et anathematizatum. Quod si indignus vicarius sum B. Petri Apostoli, quomodo fuerunt antecessores mei sanctissimi, Agapitus et Silverius, qui eum damnavere? Tunc Romani suggesserunt, quod consilio Vigilii depositus fuisset D Silverius, mandantes, quia male agit cum Romanis servis tuis, et cum ipsa plebe tua : sic enim est furiosus, ut daret alapam notario suo, qui mox cadens ad pedes ejus expiravit. Item dedit neptem suam Vigiliam Astherio Consuli filio mulieris viduæ, quem fecit teneri nocte, et tamdiu cædi, quamdiu vitam finiret. Quo audito, Augusta misit Anthemium Scribonem cum virtute majori ad Romam, dicens : Excepto in basilica S. Petri, parce, cæterum, si in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet Ecclesia inveneris Vigilium, impositum mox navi perduc eum ad nos. Quod nisi feceris, per viventem in sæcula excoriari te faciam. Qui Anthemius Scribo veniens Romam, invenit eum in Ecclesia S. Ceciliæ 10. Kalend. Decemb. erat enim dies natalis ejus. Qui munera erogando ad populum repertus est, et depositus ad Tyberim, missusque in navim; quem plebs et populus sequebatur, clamando, ut orationem ab eo acciperet. Et data oratione, dixit omnis populus, Amen. Et mota est navis. Videntes Romani, quod mota est navis, in qua sedebat Vigilius, tunc populus cœpit post eum jactare lapides, fustes, cacabos, et dicere : Fames tua tecum, mortalitas tua tecum. male fecisti cum Romanis, male invenias ubi vadis. Et quidem amatores ejus secuti sunt eum de Ecclesia. Qui ingressus Siciliam in civitate Catinensi permissus est facere ordinationem per mensem Decemb. presbyteros et diaconos. Ex quibus retransmisit Romam Ampliatum presbyterum vicedominum suum, et Valentinum Episcopum ad S. Rufinam, et Secundum ad custodiendum Lateranis, et gubernandum clerum. Qui valefaciens omnibus ingressus est Constantinopolim in Vigilia Domini nostri Jesu Christi. Quem obvius Imperator osculatus est, et cœpit flere, ac plebs illa psallebat ante eum usque ad Ecclesiam S. Sophiæ, *Ecce advenit dominator Dominus*, etc. Per biennium enim fuerant intentiones de Anthemio patriarcha, ostendentes cautionem manus ejus, qua promiserat eum revocare in locum suum. Sed Vigilius magis desiderans mori, quam vivere, nullatenus voluit eis consentire, et dixit : Ut video, non me fecerunt venire ad se Justinianus et Theodora, sed Diocletianus et Eleutheria. Facite ut vultis, digna enim factis recipio. Tunc dedit alapam in faciem ejus quidam, dicens : Homicida, nescis quibus loqueris? nescis, quia Silverium Papam occidisti? et filium mulieris viduæ calcibus et fustibus interfecisti ? Tunc fugiens in basilicam S. Euphemiæ tenuit columnam altaris. Qui tractus ab ea, et ejectus foris Ecclesiam, fecerunt mitti funem in collo ejus, et traxerunt eum per totam civitatem usque ad vesperum. Tunc missus est in custodiam, ubi dabantur ei modice panis et aqua. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missus est in exilium per diversa metalla incidenda. Tunc Gothi cum suo rege Bandua, qui Totila nuncupabatur, descendentes Romam obsederunt eam, et facta est fames in civitate Romana, ut etiam natos suos vellent comedere. Quadam itaque die intravit rex Romam a porta S. Pauli, indictione 13 et habitavit cum Romanis, quasi pater cum filiis. Quidam vero de Senatoribus fugientes ingressi sunt Constantinopolim, et venerunt ad Imperatorem afflicti et desolati. Quos consolatus est Imperator, et misit Narsetum Eunuchum et cubicularium suum in Italiam. Cui data pugna cum Gothis donavit Deus victoriam, et occisus est rex et multitudo Gothorum interfecta est. Tunc adunatus clerus rogavit Narsetem, ut una cum ejus suggestione rogaret Principem, ut si adhuc viveret Vigilius Papa, aut presbyteri, seu diaconi, vel clerus, qui cum eodem fuerat in exilium deportatus, reverteretur. Suscepta relatione Narsetis, vel cuncti

cleri Romani lætus effectus est Imperator et omnes inclyti ejus, eo quod requiem dedisset Deus Romanis. Mox misit, per diversa loca, ubi fuerant in exilium deportati, in Gypso et Proconeso, et jussit ante se venire Imperator, dicens eis : Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa vester, an archidiaconum vestrum Pelagium, et manus mea erit vobiscum. Responderunt omnes : Imperet Deus pietati tuæ, ut restituat nobis modo Vigilium, et quando voluerit eum Deus transire de hoc sæculo, tunc cum vestra præceptione donetur nobis Pelagius noster archidiaconus. Tunc dimisit omnes cum Vigilio, et venerunt Siciliam in civitatem Syracusis, ubi afflictus calculi dolore mortuus est. Cujus corpus translatum est Romam, et sepultus est ad S. Marcellum, via Salaria. Et cessavit Episcopatus menses 3 et dies 5.

A

B

LXII

Pelagius, natione Romanus, ex patre Joanne Vicariano, sedit annis 11 mensibus 10, diebus 18. Quem, dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, eo quod multitudo religiosorum sapientium, et nobilium subduxerat se a communione ejus, dicens, quia in morte Vigilii Papæ se immiscuit, ut tantis pœnis affligeretur, ordinaverunt duo Episcopi, Joannes de Perusia, et Bonus de Ferentino, et Andreas presbyter de Hostia. Nam non erat in clero vel monasteriis, qui posset promoveri. Tunc Narses et Pelagius Papa consilio inito sumpta Litania a S. Pancratio cum hymnis et canticis spiritualibus venerunt ad S. Petrum Apostolum, ubi idem Papa tenens Evangelia et crucem Domini super caput suum in ambonem ascendit, et satisfecit populo, quia nullum malum peregisset contra Vigilium, petiitque confirmari, ut si quis ille est in sancta Ecclesia ab Ostiario usque ad gradum Episcopi, neque per aurem, neque per aliquas promissiones proficiat, quia Simoniacum est. Mortuus est autem et sepultus in basilica B. Petri Apostoli. Et cessavit Episcopatus menses 2, dies 25.

C

LXIII.

Joannes, ex patre Anastasio illustri, sedit annis 12. mensibus 11. dieb. 26. Eo tempore Heruli in Tharsiam venerunt, levato super se rege Sindaldo, et premebant cunctam Italiam. Contra quos Narses egressus, regem eorum interfecit, et omnem gentem subjugavit. Deinde simili modo Immingus et Bucellenus duces Francorum premebant Italiam, sed auxiliante Domino, et ipsi a Narsete interfecti sunt. Cumque tali eventu gauderet tota Italia, Romani invidia ducti suggesserunt Justiniano et Sophiæ [*Sophiæ*], quia Romanis magis expetierat Gotis servire quam Græcis, ubi Narses Eunuchus imperat. Quod Narses audiens de Roma venit Campaniam, et indignatus scripsit genti Langobardorum, ut venirent, et possiderent Italiam. Quæ omnia, ut cognovit Joannes Papa, festinus venit Neapolim, et obtinuit a Narsete, ut reverteretur Romam : qui relicta Italia, pro qua valde laboraverat, Constantinopolim redire decreverat. Utrique ergo reversi sunt. Et sanctissimus quidem Joannes habitavit multo tempore in cimiterio Sanctorum Tiburtii et Valeriani. Narses vero Romam ingressus post multum temporis mortuus est. Sanctissimus quoque Joannes et ipse mortuus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli. Et cessavit Episcopatus mensibus 10. diebus 3.

D

LXIV.

Benedictus, natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annis 4. mense 1. diebus 29. Eodem tempore gens Langobardorum invasit omnem Italiam, simulque et fames nimia adeo, ut etiam multitudo castrorum se traderet Langobardis, ut temperare possent ab inopia famis. In istis itaque laboribus et afflictionibus positus sanctissimus Papa mortuus est, et sepultus in B. Petri Apostoli basilica in secretario. Et cessavit Episcopatus menses 3. dies 10.

LXV.

Pelagius, natione Romanus, de patre Unigildo, sedit annis 10. mens. 2. dieb. 10. Hic ordinatur absque jussione Principis, eo quod obsiderent civitatem Romanam Langobardi, qui Italiam multa vastatione infestabant. Cujus temporibus tantæ pluviæ fuerunt, ut omnes dicerent, quia aquæ diluvii superinundaverunt, et talis clades fuit, qualem a sæculo nullus meminit fuisse. Hic mortuus est, et sepultus ad B. Petrum Apostolum. Et cessavit Episcopatus menses 3. dies 25.

LXVI.

Gregorius, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annis 13. mens. 6. diebus 10. Hic exposuit homilias Evangeliorum, et multa alia, quæ enumerare non possumus, adjecitque in canone. *Dies nostros in tua pace dispone*, etc. Misit etiam prædicatores ad gentem Anglorum, qui eos converterent ad Dominum Jesum Christum. Domum quoque suam monasterium constituit. Qui mortuus sepultus est ad B. Petrum Apostolum ante Secretarium die 12. mensis Martii. Et cessavit Episcopatus menses 5. dies 19.

LXVII.

Sabinianus, natione Tuscus, de civitate Blera, ex patre Bono, sedit annum 1. menses 5. dies 9. Quo tempore fuit fames gravis in civitate Romana. Qui facta pace cum gente Langobardorum jussit aperiri horrea Ecclesiæ et venundari frumenta pro solido uno modios 30. Hic in Ecclesia B. Petri Apostoli luminaria addidit. Qui sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli. Depositus autem est sub die 22. mens. Februar. Et cessavit Episcopatus mensibus 10. dieb. 26.

LXVIII.

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit mensibus 8. diebus 22. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, ut sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia sedes Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Constituit etiam Synodum in Ecclesia B. Petri Apostoli, in qua sederunt Episcopi 72. presbyteri 30. diaconi 3. et clerus omnis, sub anathe-

mate, ut nullus Pontifice vivente Episcopum civitatis A se præsumat dicere, aut partes sibi de electione facere, nisi tertio die depositionis ejus. tuncque adunato clero et filiis Ecclesiæ electio fiat. et quem quis voluerit, habebit sibi licentiam eligendi sacerdotem. Defunctus autem sepultus est in Ecclesia B. Petri Apostoli die 12. mens. Novemb. Et cessavit Episcopatus mens. 10. dies 6.

LXIX.

Bonifacius, natione Marsus, de civitate Valeria, ex patre Joanne medico, sedit annis 6. mens. 8. diebus 13. Hujus temporibus fames, pestilentia, et inundationes aquarum gravissimæ fuerunt. Qui petiit a Phocate principe templum, quod appellabatur Pantheon, in quo fecit Ecclesiam beatæ, semperque Virginis Mariæ. Qui defunctus die 25. B mensis Maii, sepultus est ad beatum Apostolum Petrum.

LXX.

Deusdedit, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annis 3. diebus 23. Hic clerum multum dilexit. Sacerdotes et clerum ad loca pristina revocavit. Cujus temporibus veniens Eleutherius patritius et cubicularius Ravenna, occidit omnes, qui in necem Joannis Exarchi, et judicis Reipub. fuerant. Cumque susceptus esset optime a sanctissimo Deusdedit Papa, egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne Consino antarta. Contra quem pugnando interfecit eumdem tyrannum, ingressus Neapolim, et cum eo alios multos : sicque C reversus est Ravennam, ubi data militibus roga facta est pax magna in tota Italia. Hic constituit secundam Missam fieri in clero. Quo tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto, indictione 6. Post hæc secuta est clades scabierum in populo, ita ut nullus esset, qui posset mortuum suum recognoscere. Qui defunctus sub diem 8. mensis Novemb. sepultus est ad B. Petrum Apostolum. Hic dimisit pro obsequio suo ad omnem clerum rogam unam integram. Et cessavit Episcopatus mense 1. diebus 16.

LXXI.

Bonifacius, natione Campanus, de civitate Neapoli, ex patre Joanne, sedit annis 5. Hic constituit, ut testamentum valeat secundum jussionem Princi- D pis, et ut nullus trahatur de Ecclesia, nec præsumat acolythus reliquias Sanctorum Martyrum levare, nisi presbyter, et ut in Lateranis acolythus non baptizet cum diacono, sed subdiaconi sequentes. Eodem tempore ante diem ordinationis ejus Eleutherius patritius et Exarchus antarta assumpsit regnum. Qui veniens ad civitatem Romanam, in castro, quod dicitur, Luciolus, a militibus Ravennatibus interfectus est, et caput ejus delatum Constantinopolim ad piissimum Principem. Defunctus autem beatissimus Bonifacius sepultus est ad B. Petrum Apostolum die 25. mensis Octob. Et cessavit Episcopatus dies 13.

LXXII.

Honorius, natione Campanus, ex patre Petronio Consule, sedit annis 12. mensibus 11. diebus 17. Hic constituit, et decrevit in Ecclesia, ut omni hebdomada Sabbatho die exeat Letania a S. Apollinari ad B. Petrum Apostolum, et cum hymnis et canticis omnis populus ei occurrere debeat. Qui sepultus est ubi supra, sub die 4. Idus Octob. Et cessavit Episcopatus anno 1. mens. 7. diebus 18

LXXIII.

Severinus, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit mensibus 2. diebus 4. Hujus temporibus, cum tantum esset electus, nondum autem ordinatus, devastatum est Episcopium Lateranense a Mauritio chartulario, et Hisatio patritio Exarcho Italiæ, qui adversus Ecclesiam Dei inito consilio concitaverunt exercitum Romanum, dicentes : Quid prodest, quod tantæ pecuniæ congregatæ sint in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, et militibus nihil exinde subvenitur, quando et rogæ vestræ, quas Domnus Imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt a sancto viro reconditæ? His auditis omnes armati a puero usque ad senem venerunt ad prædictam Ecclesiam, quam tamen irrumpere non potuerunt, resistentibus his, qui cum sanctissimo Severino aderant. Unde Mauritius, quod vi non potuit, dolo fecit ingressus vestiarium Lateranensis Episcopii, et sigillavit omnia quæ Christianorum pietas pro redemptione animarum suarum sancto Petro reliquerat. Misitque postmodum Ravennam epistolas ad Hisatium patritium, qui illico Romam veniens omnes primates Ecclesiæ in exsilium deportari jussit, ne esset qui impediretur suis negotiis. Deinde post dies aliquantos ingressus Lateranense Episcopium per dies 8. deprædatus est illud, partemque maximam direxit Constantinopolim Heraclio Imperatori, et sic ordinatus est sanctissimus Severinus. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 4. Non. August. Et cessavit Episcopatus menses 4. diebus 29.

LXXIV.

Joannes, natione Dalmata, ex patre Venantio Scholastico, sedit anno 1. mensibus 9. diebus 19. Hic misit multas pecunias per omnem Dalmatiam seu Histriam per sanctissimum et fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionem captivorum, qui a gentibus deprædati fuerant. Sepultusque est ad B. Petrum Apostolum sub die Id. Octob. Et cessavit Episcopatus mense 1. dieb. 10.

LXXV.

Theodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de civitate Hierosolyma, sedit annis 6. mensibus 5. diebus 18. Hujus temporibus Mauritius Chartularius, per quem Hisacius multa mala operatus est, conjuravit contra eumdem Hisatium adjunctis sibi omnibus, qui in circuitu civitatis Romanæ per castra morantes Ecclesiam Dei devastaverant,

volens sibi regium nomen imponere. Hæc audiens Hisatius misit Donum magistrum militum et Sacellarium suum ad civitatem Romanam, cui, relicto Mauritio, occurrit omnis exercitus Romanus. Ipse vero Mauritius fugit ad S. Mariam ad Præsepe. Unde abstractus misere bojas in collo ejus, ac cum omnibus suis consiliariis, inbojatis transmissus est Ravennam per manus Marini Scribonis, et Thomati Chartularii. Quem etiam juxta Ravennam in loco, qui dicitur, Ficudas 12. milliario a civitate decollaverunt, sicut ab Hisatio mandatum fuerat. Cujus caput perductum est Ravennam. Quod postquam vidit Hisatius, valde gavisus ad exemplum multorum jussit per civitatem circumferri, et post in stipite poni. Illos autem, qui cum ipso directi fuerant inbojati, positos sub arcta custodia, dum cogitaret qua morte eos puniret, nutu Dei percussus interiit, et hi de carcere ad sua sunt reversi. Audiens quoque Imperator mortem Hisatii, misit Theodorum patritium exarchum, cui cognomentum, Calliopa, ad regendam omnem Italiam. Quo tempore venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Episcopus et patriarcha Constantinopolitanus ad limina Apostolorum, et libellum cum sua subscriptione obtulit Apostolicæ Sedi, condemnans omnia, quæ a se, vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt, adversus immaculatam nostram fidem. Quem honorans Domnus Papa, ut sacerdotem regiæ civitatis, fecit ei cathedram juxta altare poni. Sed rursus, cum more canis ad proprium impietatis vomitum repedasset, sanctissimus Theodorus convocavit universos sacerdotes, et clerum, ac in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis condemnavit eum sub vinculo anathematis. Deinde Paulum regiæ civitatis patriarcham regulariter increpavit, nec non per apocrisiarios admonuit, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem, catholicamque Ecclesiam remearet. Qui tandem, cum eum non posset a suo conamine revocare, secundum Apostolicam auctoritatem depositionis ultione percussit. Sepultus est autem B. Theodorus ad B. Petrum Apostolum, pridie Idus Maii.

A

B

C

D

LXXVI.

Martinus, de civitate Tudertina provinciæ Tusciæ, sedit annis 6. mense 1. diebus 26. Hujus temporibus Paulus Constantinopolitanæ urbis Episcopus spiritu superbiæ inflammatus, non solum verbis, sed etiam libris, sententiis nefandissimorum hæreticorum catholicum dogma enervare studuit; definiens, nec unam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo Domino confiteri. Qua præsumptione ad tantam insaniam devenit, ut altare sanctæ Romanæ sedis, quod erat in domo Placidiæ sacratum, subverteret, atque apocrisiarios nostros immaculatam hostiam ibidem offerre prohiberet. Ipsi vero Apocrisiarii dicendo eum constanter hæreticum detenti sunt, et in custodiam retrusi : alii autem in exilium deportati, nonnulli verberibus affecti. Quod audiens Martinus sanctissimus Episcopus misit, et congregavit Episcopos in urbe Roma 105, fecitque Synodum secundum instituta orthodoxorum Patrum in Ecclesia Salvatoris juxta Episcopium Lateranense, residentibus Episcopis ac presbyteris, et astantibus diaconibus, et clero universo, ubi condemnaverunt sub anathematis ultione perculsos Cyrum Alexandrinum, Pyrrhum, Sergium et Paulum patriarcham Constantinopolitanum. Ipsis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium cubicularium et exarchum ad regendam omnem Italiam, præcipiens ei, sicut Paulus suggesserat, ut in typo libelli ab eodem Paulo editi omnes Episcopos Italiæ subscribere faceret. Si autem quoquo modo fieri posset, ipsum Martinum Papam teneret, quia tunc facilius Episcopi Italiæ subscriberent. Quod si Romanus, vel Ravennatis exercitus contradiceret, et inpræsentiarum sileret, donec omnem obtineret provinciam. Cujus jussis parens Olympius venit Romam, et invenit sanctam Romanam Ecclesiam in fide Catholica firmissimam, voluitque armatus cum exercitu schisma intromittere, sed prohibitus Dei virtute necesse habuit palam declinare a sua mala intentione. Unde in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ ad Præsepe, dum ei Domnus Papa inter Missarum solemnia communionem porrigeret, voluit eum interficere : ita enim mandaverat suo spathario, quem Deus omnipotens excæcavit, ne sanctissimi Episcopi sanguis effunderetur, et Ecclesia Catholica hæresi subjugaretur. Nam prædictus armiger jurejurando ita accidisse professus est. Videns ergo Olympius exarchus, quia manus Dei circumtegebat Martinum sanctissimum Papam, pacem cum eo iniit, ac deinde collecto exercitu Siciliam profectus est adversus gentem Sarracenorum, ubi major pars exercitus Romani interiit, et exarchus ipse morbo decessit. Cui successit directus ab Imperatore Theodorus exarchus, qui cognominabatur Calliopas, cum Theodoro imperiali cubiculario, qui et Pellurius dicebatur. Qui tollentes Martinum Papam de Ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, et nec sic eis acquievit. Quapropter directus est in exilium, vel locum qui dicitur Cersona, ubi, sicut Deo placuit, vitam in pace finivit sub die 17. mensis Septembris. Qui confessor multa mirabilia operatur usque in hodiernum diem.

LXXVII.

Eugenius, natione Romanus, de regione prima Aventinensi, clericus a cunabulis, ex patre Rufiniano, sedit annis 2. mensibus 9. diebus 24. His temporibus Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam juxta consuetudinem ad sedem Apostolicam omnino obscurissimam, in qua non declaravit operationes aut voluntates in Domino nostro Jesu Christo. Unde accensus populus vel clerus cum majore strepitu eam a sancta Dei Ecclesia projecerunt, ita ut nec eumdem Papam dimitteret Missas celebrare in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ ad præsepe, nisi promisisset se minime eam suscepturum. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Aposto-

lum sub die 4. Nonas Jun. Et cessavit Episcopatus mense 1. diebus 28.

LXXVIII.

Vitalianus, natione Segnensis, ex provincia Campaniæ, ex patre Anastasio, sedit annis 14. mensibus 6. Hic direxit responsales suos cum Synodica juxta consuetudinem in regiam urbem ad piissimos Principes, significans de sua ordinatione. Cujus temporibus venit Constantinus Augustus Romam, susceptus ab eodem Papa, cui et occurrit, indictione sexta, quinto milliario ab urbe. Cumque per duodecim dies in civitate Romana demoratus per diversa loca plurima dona obtulisset, omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis deposuit. Sed et Ecclesiam S. Mariæ ad Martyres tegulis æreis discooperuit, et cum aliis rebus in regiam urbem direxit. Reversus autem Siciliam habitavit Syracusis, ubi tales afflictiones populo provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, vel Sardiniæ per diagrapha, seu capita atque nauticationes imposuit, quales a sæculo nunquam fuerant auditæ, auferens vasa sacra, vel cimilia sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui postmodum 15 die mensis Julii, per indictionem 12. proditus in balneo occisus est. Secuta est statim mors sanctissimi Vitaliani, qui sepultus est ad S. Petrum Apostolum sub die 6. Kalend. Februar. Et cessavit Episcopatus mensibus 2. diebus 13.

LXXIX.

Adeodatus, natione Romanus, ex monachis, ex patre Joviano, sedit annis 4. mensib. 2. diebus 5. Hujus temporibus Mezentius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali arrepto regno intarzizavit, et exercitus Italiæ per diversa fugit, quousque Deo auxiliante idem interemptus est, et caput ejus intarta Constantinopolim perductum. Post cujus mortem Sarraceni Siciliam obtinuerunt, et multis occisis, populus in montanis, seu in castris confugium fecit. Illi vero reversi Alexandriam secum asportaverunt, quæ a civitate Romana illuc navigio fuerant delata. Prædictus quoque sanctissimus vir casalia conquisivit, et in vita sua Abbatem et congregationem ibidem constituit. Post cujus transitum tantæ pluviæ et tonitrua fuerunt, qualia nulla ætas meminit. Et nisi per Letanias, quæ quotidie fiebant, Dominus propitiatus esset, homines et pecora interirent. Renascentibus quoque leguminibus denuo in campis propter nimias pluvias nil trituræ in horrea recondere valebant. Sepultus autem est beatissimus Adeodatus ad S. Petrum Apostolum sub die 6. Idus Jul. Et cessavit Episcopatus mensibus 4. diebus 15.

LXXX.

Donus, natione Romanus, ex patre Mauritio, sedit anno 1. mensibus 6. diebus 10. Hic repperit in urbe Roma, in monasterio quod appellatur Boeziana, Nestorianistas monachos Syros, quos per monasteria diversa divisit, et ibidem monachos Romanos instituit. Cujus temporibus Ecclesia Ravennæ, quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causa autocephaliæ denuo se pristinæ sedi Apostolicæ subjugavit. Cujus Ecclesiæ præsul, nomine Reparatus, e vestigio, ut Deo placuit, vitam finivit. Hic dum esset electus Augusto mense, stella a parte Orientis apparuit a gallicantu usque mane per tres menses, et ejus radii cœlos penetrabant. Quæ post semetipsam reversa disparuit, et a parte orientis maxima mors hominum subsecuta affuit. Sepultus autem est ad B. Petrum Apostolum sub die 3. Idus April. Et cessavit Episcopatus mensib. 2. dieb. 15.

LXXXI.

Agatho, natione Siculus, sedit annis 2. mensibus 6. diebus 3. Hujus temporibus Theodorus Archiepiscopus Ravennæ semetipsum sedi Apostolicæ post multorum annorum curricula præsentavit. Suscepit autem divalem jussionem piissimorum Principum Constantini, Heraclii et Tyberii Augustorum per Epiphanium gloriosum a secretis, quæ missa fuerat prædecessori suo Dono Papæ, exhortans, ut debeat sacerdotes vel misso suos dirigere in regiam urbem pro adunatione sanctarum Dei Ecclesiarum. Quod facere non distulit, et Episcopos ac presbyteros, vel religiosos monachos illuc quantocyus direxit. Quo tempore Luna eclypsin pertulit. 18 die mensis Junii, indictione 8. Quam mortalitas gravissima per tres sequentes menses subsecuta, intus et foris Urbem talis depopulata est, qualis nec aliorum Pontificum temporibus fuisse memoratur. Ingressi denique legati Apostolicæ Sedis regiam urbem die 10 mensis Novemb. indictione 9. Domino comitante sunt suscepti in oraculo B. Petri Apostolorum Principis intra palatium, porrigentes ei et scripta Pontificis. Quos dum suscepisset, commonuit, ut remittentes assertiones philosophicas, non furore, sed pacifica dispositione puram sanctorum Patrum, scripturarumque comprobatam fidem per Synodalia decreta satisfacerent, et inducias ad retractandum dedit, tribuens eis omnia, quæ ad sustentationem sufficiebant in domo, quæ appellatur Placidia. Dominica itaque die evocatis ad Sanctam Dei Genitricem ad Blachernas in tanta honorificentia, ut etiam eis in palatio caballos cum obsequio dirigeret. Die quoque 22. mensis Novemb. in basilica, quæ Trullus appellatur, sub regali cultu resedit Imperator, et cum eo Georgius patriarcha Constantinopolitanus, et Macarius Antiochenus, missique sedis Apostolicæ cum Episcopis Orientalium partium, numero 150. Post hæc intromiserunt libros, et tomos diversos, et Synodos, quas falsaverunt hæretici æstimantes, non propter veritatem, sed per mendacium superare, qui non duas, sed unam voluntatem et operationem dicebant in Christo; quod coram Principe et Synodo claruit. Deinde præcepit pius Princeps missos in Synodo residere præsentantes locum sanctissimi Agathonis Papæ. Quibus dictum est, ut omnes libros, quos scirent ad causam fidei pertinere coram Synodo deferrent, quod et factum est,

Et vocato Georgio diacono, et cartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ præceptum est ei, ut juxta eorum notitiam codices ex bibliotheca Ecclesiæ ad medium deducerentur. In quibus repertum est duas naturas, duasque voluntates vel operationes esse in Christo. Contraque confessus Macharius inventus est mendax. Tunc interdixit pietas Augustalis Georgio Patriarchæ, ut minime in Ecclesia sua susciperet eumdem Macarium ejusque sequaces. Deinde, ut veritatis lumen appareret, intromissa sunt coram Synodo venerabilium Patrum dicta Joannis Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Dionysii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, et Leonis duas naturas, duas voluntates vel operationes in Christo dicentes ad satisfactionem Principis, vel Synodi. Sequenti die relecta est Synodica sanctissimi Agathonis Papæ, quam Catholicis Patribus comprobatam subscripserant Occidentales Episcopi 120. Post hæc hortati sunt Macarium omnes, ut de voluntate vel operatione Christi suam proferret sententiam. Qui cum neque unam, neque duas voluntates, vel operationes dicere vellet, Serenissimus Princeps tomum ipsius Macarii protulit, in quo apertissime unam voluntatem in Domino affirmaverat, et manu sua subscripserat cum Theodoro et Georgio Patriarchis. Sed Georgius sanctissimus Patriarcha sui erroris pœnituit, et ita credere se, et prædicare professus est, sicut sedes Apostolica tradit. Unde cum aliis Catholicis anathematizavit omnes hæreticos, et ipsum Macarium, postquam jussu Synodi et Principis ei ablatum est orarium a Basilio Cretensi Episcopo, et anathematizatum foris Synodum simul cum suo throno projecere. Stephanum autem discipulum ejus cervicibus a S. Synodo Romani clerici expulerunt. Eadem hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur, ac ita sordibus hæreseon expulsis unita est sancta Dei Ecclesia. In locum vero Macarii ordinatus est Theophanius Abbas monasterii Pagias, insulæ Siciliensis, et factus est patriarcha Antiochenæ Ecclesiæ. Macarius quoque cum suis amatoribus directus est in exilium ad civitatem Romanam, decretumque est, ut tollantur nomina Patriarcharum de dyptichis Ecclesiarum, vel de picturis, aut foribus, ubi esse poterant, id est, Cyri, Sergii, Pyrrhi et Pauli, nec non et Petri, per quos error iste pullulaverat. Catholici vero populi tanta fuit gratia, ut ad lætitiam sancti Concilii, quod in regia urbe erat, Joannes Portuensis Episcopus, qui unus Legatorum erat, Dominicorum die octavæ Paschæ in Ecclesia S. Sophiæ coram Principe et Patriarcha publicas Missas latine celebraret, et unanimiter omnes laudes et victorias piissimorum Imperatorum adclamarent. Suscepit etiam divalem jussionem secundum suam postulationem, qua relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis, sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, nisi prius decretum generale introducatur a regia urbe secundum antiquam consuetudinem. Sepultus est autem sanctus Agatho ad B. Petrum Apostolum 4 Idus Januar. Et cessavit Episcopatus anno 1. mensibus 7. diebus 5.

LXXXII.

Leo junior, natione Siculus, de patre Paulo, sedit mensibus 10. diebus 17. Hic fuit eloquentissimus. in divinis Scripturis sufficienter institutus, græca latinaque lingua eruditus, cantilena ac psalmodia præcipuus, et in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Hic suscipiens sanctam 6. Synodum, quæ in regia urbe acta fuerat sub Constantino Principe a duobus Patriarchis, Constantinopolitano et Antiocheno atque 150 Episcopis, eam studiosissime de græco in latinum transtulit. Qui etiam damnatis aliis hæreticis duos tantum absolvit, id est, Anastasium presbyterum, et Leontinum diaconum in die sancto Theophaniæ exponentes per propria scripta fidem suam, juxta quod sancta Synodus determinavit. Hujus temporibus percurrente divali jussione piissimi Principis restituta est Ecclesia Ravennatis sub ordinatione Apostolicæ sedis, ut defuncto Archiepiscopo electus ad civitatem Romanam veniat ordinandus, et constituit, quid solvere debeat pro usu pallii, aut diversis Ecclesiæ officiis. Sed et ne Mauri quondam Episcopi anniversitas aut Agenda celebretur, nec non typum autocephaliæ, quem sibi elicuerant ad amputanda scandala sedis Apostolicæ restituerunt. Ejusdem quoque temporibus Luna eclypsin pertulit die 15. mensis Aprilis, indictione 11. Post cœnam Domini nocte pœne tota in sanguinem versa. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sub die 5. Nonas Julias. Et cessavit Episcopatus menses 11. dies 22.

LXXXIII.

Benedictus, junior natione Romanus, patre Joanne, sedit menses 10. dies 12. Hic a puerili ætate in scripturis et cantilena doctissimus et benignus, suscepit divales jussiones Constantini magni Principis ad venerabilem clerum et populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut qui electus fuerit in Sede Apostolica e vestigio absque tarditate Episcopus ordinetur. Hic una cum clero et exercitu suscepit mallones capillorum Domni Justini et Heraclii filiorum clementissimi Principis. Quo tempore apparuit stella noctu veluti luna sub nube inter natalem Domini et Theophaniam. Item prope exitum mensis Februarii in die ab occasu exiit stella meridie, et in partes Orientis declinavit. Post hoc mons Bebius, qui est in Campania, mense Martio per diem eructuavit, et omnia loca circumquaque præ pulvere exterminata sunt. Qui e vestigio infirmitate detentus defunctus est ac sepultus ad S. Petrum Apostolum sub die 8. Idus Maii. Et cessavit Episcopatus menses 2. dies 15.

LXXXIV.

Joannes, natione Syrus, de provincia Antiochiæ, patre Quiriaco, sedit anno 1. diebus 9. Hic valde strenuus, atque scientia præditus, cum esset Diaconus missus a sanctæ memoriæ Agathone Papa in regiam urbem cum aliis sacerdotibus, repræsentavit locum Apostolicæ Sedis in sancta sexta Synodo. Qui impetratis a clementissimo Principe his, pro quibus ierat reversus est, et in Ecclesia est electus Constantiniana. Quo tempore regnabat Justinianus Augustus defuncto patre in initio mensis Septemb. indictione 14. et statim auxiliante Deo constituit pacem cum gente Sarracenorum decennio terra marique. Sed et provincia Africæ subjugata est Romano Imperio, ac restaurata. Hic post multorum annorum curricula Episcopum Turritanæ Ecclesiæ, quem sine auctoritate Romani Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Caralitanus sub ditionem ejusdem Ecclesiæ redintegravit atque firmavit. Qui sanctissimus vir diutina detentus infirmitate defunctus est ac sepultus ad B. Petrum Apostolum, secunda die mensis Augusti. Et cessavit Episcopatus menses 2. dies 18.

LXXXV.

Conon, oriundus patre Traceseo, educatus apud Siciliam, postmodum Romam venit eidem Ecclesiæ militaturus, atque ad presbyterii honorem devenit; sedit mensibus 11. In cujus electionem consensit clerus et populus, dum non minima contentio facta esset, eo quod clerus in Petrum Archipresbyterum, et exercitus in sequentem ejus Theodorum presbyterum intendebat. Cumque clerus ante fores basilicæ Constantinianæ observaret custodias et exercitus in basilica B. Stephani protomartyris, atque neutra pars alteri cederet, sacerdotes et clerus unanimiter ingredientes Episcopium Lateranense, elegerunt supradictum Pontificem, in quo vere erat aspectus angelicus, veneranda canities, sermo verus. Quod videns exercitus post aliquantos dies flexus cum clericis subscripsit, et, ut mos est, legatos ad excellentissimum Theodorum exarchum direxit. Hic suscepit divalem jussionem Justiniani Principis, qua significat acta sextæ Synodi apud se habere, quæ piæ memoriæ domnus Constantinus genitor ejus Deo auxiliante fecerat. Hujus temporibus pietas Imperialis relevavit duo centena annonæ, quas Brutiis et Lucaniæ annue persolvebant. Hic ultra consuetudinem absque consensu cleri Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ Rectorem in patrimonio Siciliæ constituit, hominem ferum et tergiversutum, cui mappulis ad caballicandum uti licentiam concessit. Unde post discessum Pontificis seditio super eum orta a civibus ob patrimonii lites, a judice provinciæ sub arcta custodia est retrusus, pro eo quod in dissensione judicum inveniebatur. Cumque sanctissimus Pontifex diutina infirmitate detentus obiisset, dimisit omni clero et monasteriis multa in auro, sicut præcessor ejus Benedictus Papa. Cujus archidiaconus videns eumdem infirmari, cupiditate ductus aurum solvere noluit, sed scripsit Ravennæ moranti Joanni glorioso novo exarcho promittens dona, si factione illius ipse ad Pontificium eligeretur. Quod exarchus Romam mittens fieri voluit. Sepultus est autem beatissimus Pontifex ad B. Petrum Apostolum, sub die 22. mensis Septemb. Et cessavit Episcopatus menses 2. dies 23.

LXXXVI.

Sergius, natione Syrus, Antiochia regione ortus, de patre Tiberio in Panormo Siciliæ, sedit annis 13. mensibus 8. diebus 23. Hic Romam veniens sub sanctæ memoriæ Adeodato Pontifice in clero Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat, et capax in officio cantilenæ, priori Cantorum pro doctrina est traditus, acolythusque factus per ordinem ascendit usque ad presbyteratum, quo consecratus est a Leone Pontifice in titulo S. Susannæ. Cumque defuncto sanctæ memoriæ Conone, ut fieri solet, populi Romani pars consentiret in electione Theodori archipresbyteri, pars in electione Paschalis archidiaconi, et utraque pars immaniter in ceptis perduraret, primates judicum, et exercitus Romanæ militiæ, vel cleri plurima pars ad sacrum palatium perrexerunt, et inito consilio tractaverunt, qualiter altercantium sopiretur intentio, sicque Deo annuente in personam prædicti Sergii devenerunt. Quem de medio populi tollentes in oraculum B. Cæsarii martyris Christi quod est intra palatium, introduxerunt, et exinde ad Lateranense Episcopium cum laudum adclamationibus deduxerunt. Quo palatium ingresso unus e duobus electis, id est, Theodorus archipresbyter illico quievit, ac se humiliando salutavit et osculatus est. Paschalis vero nullo modo primitus acquievit, verum tandem aliquando salutavit. Sed clanculo tamen non cessabat Ravennam mittere, persuadens Joanni Patritio et exarcho Romam venire. Qui amore promissæ pecuniæ veniens, dum omnes in personam Sergii sanctissimi invenisset consensisse, Paschali id quidem suffragari non valuit, et ideo Ecclesiæ B. Petri Apostoli suo stipendio damnum intulit, a leo ut centum libras auri a prædicto Pontifice exigeret, quas prædictus miserrimus Archidiaconus promisisset. Qui post multum tempus propter incantationes et loculos [lucos] quos colebat, vel sortes, quas tractabat privatus in monasterio retruditur, ac post quinquennium præ cordis duritia impœnitens est defunctus. Denique hujus Sergii temporibus Justinianus Imperator fieri Concilium jussit in regia urbe, in qua et legati Sedis Apostolicæ quibusdam capitulis extra cetum [ritum] Ecclesiasticum editis decepti subscripserunt, et Romano Pontifici, utpote capiti sacerdotum omnium, ut subscriberet, direxerunt. Verum beatissimus Pontifex penitus non acquievit, nec eosdem tomos suscipere, aut lectioni pandere passus fuit, sed ut invalidos respuit atque abjecit, eligens ante mori, quam novitatum errobus consentire. Unde indignatus Imperator M..

strianum Romam misit, qui Joannem Deo amabilem Portuensem Episcopum, seu Bonifacium consiliarium Domini Papæ in regiam transferret urbem. Deinde Zachariam protospatharium suum direxit, iubens idem facere de Romano Pontifice. Porro misericordia Dei excitatum est cor Ravennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, qui hoc prohibuerunt fieri, ingressi per portam B. Petri cum armis et turba Lateranensis Episcopii volentes videre Pontificem, quem sublatum navigio per noctem fama vulgaverat. Egressus igitur sanctissimus Sergius Pontifex obviam militibus ante fores basilicæ, quæ dicitur Domni Theodori Papæ suavi responso eorum linivit corda, et Zachariam, qui sese sub lecto ejus absconderat, de manibus eorum eripuit, quia eum cum injuriis et contumeliis a Romana urbe expellere volebant. Quo in tempore, is qui eum miserat, Deo retribuente, regno privatus est et Ecclesiæ status Christo præsule servatus est. Cæterum beatus vir in sacrario S. Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo jacentem invenit, cui sigillum impressum abstulit, locellum aperuit, in quo interius plumbazium [plumacium] ex holoserico superpositum, quod staurarium dicitur invenit, eoque ablato inferius crucem diversis ac pretiosis lapidibus ornatam inspexit. De qua detractis quatuor petalis, in quib. gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicæ crucis repperit, quod pro salute humani generis ab omni populo Christiano die exaltationis S. crucis in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculari ac adorari instituit. Hic post multa, quæ in Ecclesiis Dei fecit, renovavit, seu contulit, ut tempore fractionis Domini corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, etc., a clero et populo decantetur instituit. Constituit etiam, ut scilicet diebus adnunciationis Domini, dormitionis, et nativitatis sanctæ Dei Genitricis Mariæ ac S. Simeonis quod hypapanti Græci appellant. Letania exeat a sancto Adriano et ad S. Mariam populus occurrat. Sepultus est autem hic beatus vir in basilica B Petri Apostoli 6. Idus Septemb. indictione 14. Tiberio Augusto. Et cessavit Episcopatus mense 1. dieb. 20.

LXXXVII.

Joannes, natione Græcus, sedit annis 3. mensibus 2. diebus 12. Hujus temporibus venit Theophylactus cubicularius Patritius et Exarchus Italiæ de parte Siciliæ in urbem Romam. Qui volens propriis substantiis denudare quosdam habitatores Urbis, commovit adversum se gravissimam seditionem, quam Pontifex monitis salutaribus sedavit, qui sese medium dans portas civitatis clausit, et sacerdotes ad fossatum, in quo una convenerant, misit. Deinde vero, dum Gisulfus dux gentis Langobardorum Beneventi cum omni sua virtute veniret, in Campaniam incendia et prædationes multas exerceret, captivosque, non paucos cepisset, et usque ad locum, qui Horreas dicitur, fossatum figeret, nullusque esset, qui ei resistere posset, prædictus Pontifex missis sacerdotibus cum Apostolicis donariis universos captivos de eorum manibus redemit, et illum cum suo hoste ad propria repedare fecit. Post cujus obitum cessavit Episcopatus mensem 1. dies 18.

LXXXVIII.

Joannes, natione Græcus, patre Platone, sedit annis 2. mensib. 7. dieb. 17. vir eruditissimus, et facundus eloquentia. Hujus temporib. Aripertus, rex Langobardorum, donationem patrimonii Alpium Cottiarum in litteris aureis exaravit, ac juri Romanæ Ecclesiæ reformavit, quæ per longa tempora ab eadem Langobardorum gente detinebantur. Tunc etiam Justinianus Imperator a partibus Gazariæ per loca Bulgariæ cum Trebello usque ad regiam urbem veniens regnum proprium, unde ejectus fuerat, adeptus est. Leonem quoque et Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, et in medio Circi coram omni populo jugulari fecit. Porro tomos quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memoriæ Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria inerant, per duos Metropolitanos Episcopos transmisit, adjurans ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, et quæ evulsa essent stabiliret, quæ vero adversa renuendo cassaret. Sed hic humana fragilitate timidus hos nequaquam emendans Principi retransmisit, postquam non diu in hac vita perduravit, sed defunctus appositus est ad patres suos. Et cessavit Episcopatus mensibus 3.

LXXXIX.

Sisinnius, natione Syrus, patre Joanne, sedit dies 20. Qui vir podagrico ac chiragrico humore ita detinebatur astrictus, ut sibi propriis manibus cibum exhibere non valeret. Unde repentina morte defunctus est. Et cessavit Episcopatus mensem 1. dies 28.

XC

Constantinus, natione Syrus, patre Joanne, sedit annis 7. diebus 15. mitissimus valde. Cujus temporibus in urbe Roma facta est fames magna per annos tres, quam secuta est tanta ubertas, ut fertilitatis copia sterilitatis inopiam oblivioni mandaret. Hic ordinavit Felicem Archiepiscopum Ravennatem, qui secundum priorum suorum consuetudinem noluit facere cautiones, sed per potentiam judicum exposuit, ut voluit. Quapropter mittens Justinianus Imperator Theodorum Patritium et primum exercitus insulæ Siciliæ cum classe Ravennam cepit, præfatum Archiepiscopum arrogantem in navi vinctum tenuit, lumine oculorum privavit, in exilium trans Pontum misit, et omnes rebelles, quos ibi repperit, compedibus strinxit, divitias eorum abstulit, et Constantinopolim misit. Tunc etiam sacra Imperatoris jussus est præfatus Constantinus Pontifex regiam ascendere urbem, quod et fecit die 5. mensis Octobris indictione 9. Secuti autem sunt eum Niceta

Episcopus de Sylva Candida, Georgius Episcopus Portuensis, Michaelius, Paulus, Georgius presbyteri, Gregorius diaconus, Georgius secundicerius, Joannes defensorum primus, Cosmas sacellarius, Sisinnius nomenclator, Sergius scriniarius, Dorotheus et Julianus subdiaconi, et de reliquis gradibus Ecclesiæ clerici pauci. Veniens igitur Neapolim, illic repperit eum Joannes patritius et Exarchus cognomento Rizocopus, qui Romæ positus decollavit Sajulum diaconum, Petrum arcarium, Sergium abbatem et Sergium ordinatorem, postquam Ravennam reversus turpissima morte obiit. Denique summo Pontifici cum suis Siciliam pergenti Theodorus patritius et stratigos languore detentus occurrit, quem cum veneratione magna suscipiens medelam adeptus est celerem, transfretansque per Rhegium et Cortonam Callipolim, ubi mortuus est Niceta Episcopus, et Hydrunti moras faciens eo quod hyems esset, illic suscepit sigillum Imperiale per Theophanium regionarium, quo continebatur, ut ita omnes judices susciperent Pontificem, ac si ipsum Imperatorem. Inde egressi per insulam Cheam devenerunt ad septimum milliarium regiæ urbis, ubi obviam egressus est Tiberius Imperator filius Justiniani Augusti, et Cyrus Patriarcha cum clero et populi multitudine, omnes lætantes et diem festum agentes. Sellari quoque imperiali usus Apostolicus Pontifex ingressus est civitatem, cum camellauco, ut solitus est Romæ procedere. Quod audiens Justinianus Imperator gaudio repletus a Nicæa Bithyniæ misit sacram gratiarum actione plenam, petens ut ei Pontifex occurreret Nicomediæ, et ipse veniret a Nicæa; quod et factum est. Prostravit autem se Christianissimus Augustus, et osculans pedes Pontificis in amplexus mutuos ruerunt, ac deinde cum ipso tanta lætitia Missas die Dominico Imperatori fecit, qua communicans ab ejus manibus Princeps pro suis delictis ut deprecaretur obtinuit, sicque omnia privilegia suæ Ecclesiæ renovavit. Romam igitur revertens a Nicomedia civitate post crebram navigationem, Domino sospitatem tribuente incolumis portum Cajetæ attigit, ubi maximam multitudinem populi Romani repperit, ac 24. die mensis Octob. indictione 10. Romam ingressus est. Post menses autem tres lugubris nuntius supervenit dicens, Justinianum orthodoxum, trucidatum, et Philippicum hæreticum ad imperium promotum, cujus et sacram cum pravi dogmatis exaratione suscepit, sed cum Apostolicæ Sedis Concilio respuit. Eodem tempore Felix Archiepiscopus Ravennæ ab exilio reductus, pœnitentia motus, et licet oculorum lumine privatus, tamen ad proprium rediit thronum et fidei expositiones confessus reconciliationis promeruit absolutionem. Tunc etiam duo reges Saxoniæ amore Apostolorum Romam venientes sub velocitate suam vitam, ut optabant, finierunt. Venit autem et Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus orationis voto, et suo se Pontifici præsentavit, postposita altercatione pro Ecclesia Ticinensi, cujus antistes consecrandus ad Dominum Papam pertinet. Denique populus Romanus statuit nequaquam hæretici Imperatoris nomen, aut in chartis, aut in figuris solidum suscipere, nec inter Missarum solemnia commemorationem ejus facere. Contigit autem, ut Petrus quidam pro Ducatu Romanæ urbis Ravennam dirigeret, et nomen hæretici Imperatoris in sua promotione annotasset; quapropter hunc Ducem populus Romanus suscipere noluit, et Christophoro Duce adeo bellum civile exortum est, ut in via sacra ante palatium sese committerent, et utriusque partis amplius quam 30, ita flagellarentur ut interirent: nec cessatum est, donec Pontifex mitteret sacerdotes cum Evangeliis et crucibus, qui hanc commotionem sedarent. Non post multos hos dies venit nuntius a Sicilia, qui Philippum hæreticum a principali vertice depulsum innotesceret, ac Anastasium orthodoxum Augustalia sceptra suscepisse nuntiaret. Quem sancti sexti Concilii confessorem, et veræ fidei prædicatorem Scholasticus cubicularius, patritius et Exarchus Romam veniens omnibus declaravit. Cæterum post tanti Pontificis obitum cessavit Episcopatus dies 40.

XCI.

Gregorius, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annis 15. mensib. 8. diebus 24. Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis atque Constantini Augustorum, nutritus in parva ætate in patriarchio sub sanctæ memoriæ Domno Papa Sergio, atque Sacellarius factus Bibliothecæ illi cura commissa est. Deinde ad Diaconatus ordinem promotus cum sancto Pontifice Constantino ad regiam profectus est Urbem, ac a Justiniano Principe super quibusdam capitulis optima responsione unamquamque persolvit quæstionem. Erat enim vir castus, et in divinis Scripturis eruditus, ad quem Joannes Constantinopolitanus antistes Synodicam misit, cui idem Pontifex subscripsit. Hic inter plurima bona quæ fecit, in Germania per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicavit, et gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis ad Christum convertit. Quo tempore Luitprandus Longobardorum rex donationem Patrimonii Alpium Cotiarum, quam Ari pertus rex fecerat, admonitione tanti viri redditam confirmavit. Signum quoque in Luna factum est per indictionem 14, quæ visa est cruoris plena usque ad mediam noctem. Theudo etiam dux gentis Bajoariorum ad B. Petri Apostoli limina primus de gente eadem occurrit, orationis voto. Et post hæc Anastasius Imperator classem navium præparatam Alexandriæ direxit contra Agarenos, qui ad aliud versi consilium ab itinere medio ab regiam regressi urbem, Theodosium orthodoxum Imperatorem elegerunt, atque coactum in solio imperii confirmaverunt. Anastasius itaque cum civibus, vel quibus potuit de exercitu Nicæam civitatem munivit, ac cum classe, in qua Theodosius fuerat, dimicavit, et fere septem millia exercitus sunt interempta. Sed Anastasii superata parte ipse verbum impunitatis expe-

tiit, datoque sibi sacramento clericus factus atque presbyter est consecratus. Theodosius vero protinus urbem regiam ingressus, quæ a Philippico dejecta fuerant in pristinum erexit statum et Ecclesiæ satis profuit fervore suæ fidei. Tunc fluvius Tiberis alveum suum egressus, ultra modum intumuit, ita ut in via Lata ad unam et semis staturam aqua ejusdem fluminis excrevisset, atque a porta B. Petri Apostoli usque ad pontem Milvium aquæ se distenderent. Unde Romanis tribulatio maxima imminebat, quod serere non poterant : et idcirco a domno Papa Letaniæ crebro fiebant. Tandem octava die cessaverunt atque 15. indictione. Cumanum etiam castrum ipso fuerat tempore a Langobardis pacis dolo pervasum. Quod cum Domnus Papa nec precibus, nec munerib. posset recipere, mœnia ipsius castri nocturno silentio sunt ingressi Joannes Dux Neapolitanus cum Theodino Subdiacono et Rectore, atque exercitu, et Langobardos pœne trecentos cum eorum Castaldio interfecerunt, et captos cæteros Neapolim perduxerunt. Sic castrum receperunt. Pro cujus redemptione sanctissimus Papa, sicut promiserat, dedit auri libras septuaginta. Tunc etiam nefanda Sarracenorum gens, cum jam Hispaniarum provinciam per decem tenuisset annos pervasam undecimo conabatur Rhodanum fluvium transire, et Franciam occupare, ubi Eudo præerat. Qui facta Francorum generali monitione Sarracenos circundans interemit, atque ex eis trecenta sexaginta quinque millia uno sunt die interfecta, ut ejusdem Eudonis Francorum Ducis continet epistola præ- A dicto Pontifici missa. Ex Francis vero mille tantum et quinquaginta in eodem bello fuerunt mortui : ex quibus ideo plures non interierunt, quia anno præmisso idem Dux Eudo in benedictionem tres spongias a prædicto Pontifice acceperat, ex quibus in hora, qua bellum commissum est, quicunque ad sumendum modicam nactus est particulam, nec vulneratus, nec mortuus est. Eodemque tempore in Campaniæ partibus combustum triticum, hordeum, sive legumina, quasi pluvia in loco quodam e cœlo missa sunt. Hic Pontifex instituit, ut quod non agebatur Quadragesimali tempore in quinta feria jejenium, atque Missarum celebritas fieret. Illis interea diebus biennio Constantinopolis est a Sarracenis obsessa, sed Deo eis contrario, maxima B illic parte eorum fame ac bello interempta Leone Principe annuente, confusi recesserunt. Nam et ejusdem civitatis diversi sexus et ætatis populorum trecenta ferme millia necessitate pestilentiæ dictum est fuisse vastata. Eo quoque tempore moribus certe honesta et nomine Pontificis mater ab hac vita subtracta est. Post cujus obitum domum propriam in honore sanctæ Christi martyris Agathæ additis a fundamento cœnaculis vel quæ monasterio erant necessaria monachorum ex novo construxit, dando illi prædia urbana vel rustica. Sed et castrum Narniæ a Longobardis pervasum est, ac post aliquot dies, Basilius Dux, Jordanes Cartularius, Joannes Subdiaconus cognomento Lurion consilium inierunt, ut Pontificem interficerent. Quibus assensum præbuit C Martinus, Imperialis Spatarius.

Cetera desiderantur. Quæ vero in ms. cod. ab alio quopiam de viginti duobus sequentibus pontificibus Romanis brevissime subjecta erant luce indigna putavimus, tum quod ex libro de Romanis pontificibus, qui Anastasio Bibliothecario tribuitur, uti superiora omnia, excerpta non essent, tum quod mutila essent et plena lacunis.

SANCTI ABBONIS

PRÆFATIO

COMMENTARII IN CYCLUM VICTORII.

(Dom. Martene, *Thes. Anecd.*, I, 118.)

Calculum Victorii dum quondam fratribus, qui D manu sancti desiderii pulsabant intima mei pectoris, pro modulo meæ parvitatis traderem, et præcordiali amore eis devinctus vera obedientia deservirem, summis eorum precibus coactus, negotium cui vires vix sufficiunt aggredior, et quæ verbotenus simpliciter prosequebar, charitatis obtentu injunxerunt, ut quodam elucubrationis commenti modo paginis inderem, ac adjectis pluribus sententiis, aliquo modo lucidius enuclearem. Quippe cum desunt voces, interdum signis vocum memoria amissa recipitur, blandaque modulationis serie quasi de gravi somno evigilans, quod desiderat assequitur, ac in alta mente iteratum sæpius firmiter stabilitur. Unde

etsi imposito oneri imbecilles succumbunt humeri, tamen de adjutorio Dei confidens, totis viribus enitar, paucisque aperire tentabo, quod vix attentare audeo, eorum votis annuens ex corde quibus me et mea studia prodesse sedulus gestio. Cum enim ut filii patri servirent, liberaliter et sine invidia, non ad oculum, sed alter alteri in meo servitio præferret, ingratus esse potui; si spretis eorum suggestionibus, apparuissem immemor accepti beneficii : qui ex quo illis præcordialiter adhæsi, semper mea commoda ex eorum comparavi commodis. Cui quidem otium et silentium in discendo hactenus consumptum per eos nactus occasionem placuit in honestum vertere negotium, qui eum questum esse maximum in animum induxi meum, quam maxime servire commodis omnium bonorum, præsertim cum mihi assumam utile et nihilum quam fuerit in vita jucundius, quam discere aut docere attentius. Nam a primitivæ ætatis tirocinio jugiter indolui liberalium artium disciplinas quorumdam incuria ac negligentia labefactari, et vix ad paucos redigi, qui avare pretium suæ statuunt arti. Quapropter ne videat vel officio singulari, quod superbiæ, vel aliena felicitate tortus, quod invidiæ et summæ est insipientiæ, supputando magisterio minus eruditorum animos afficere, multipliciter exopto, quibus sub expositionis tenore ad arithmeticam introductionis pontem construo. Sed Victorius usus præfatione, opera prologi abutitur, A qui narrationis argumenta non primo elicit, licet multa proponat sequentis operis, quæ imbuendis planiora singillatim facere decrevi. Ne quilibet deses fructu lectionis jejunus in vacuum laboret. Ubi animadvertendum primitus, quod sicut solet quæri in narrationum exordiis, hic benevolentia, attentio et docilitas captatur auditoris, de quibus erit sermo in contextu ipsius præfationis. Inpræsentiarum tamen intentio Victorii hæc fuit, ut in errato lector numerorum summas multiplicaret, divideret, seu proponeretur aliquid de artibus quæ numerorum ratione constant, ut arithmetica, geometrica, musica, astrologia, seu quæstio inesset de mensura et pondere, quæ omnia calculatorii sunt curæ. Denique et hujus calculi quanta sit utilitas agnoscere potuit ex præB cedentibus dictis etiamsi ad quamlibet rationem temporum ob difficultatem multiplicandi nullo modo desudavit, qui talium rerum saltem parvam intelligentiam accepit. Verum quoniam omnia creata sunt in numero et pondere (*Sap.* XI, 21), in his singulis speculationem placet constituere, ut perspecta eorum natura, facilius perviderí possint singula quibus insunt in causa unde hic congruum sumatur exordium.

Explicit præfatio.

COMMENTUM EJUSDEM INCIPIT.

Amor sapientiæ quæ a Græcis philosophia dicitur tripertitus sua qualitate habetur, etc.

DE CIRCULIS DECENNOVENNALIBUS

BEDÆ VENERABILI ASCRIPTIS.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 177, in ABBONE Floriacensi.)

Abbon travailla aussi sur le Cycle pascal de Victorius, dont nous avons rendu compte au Ve siècle; et son ouvrage existe encore dans diverses bibliothèques de l'Europe (MONTF. *Bibl. bibl.*, p. 23, 87; MART. *Voy. lit.* t. I, part. II, p. 210). Il se trouve nommément dans deux manuscrits de celle du Vatican, l'un desquels appartenait autrefois à Christine, reine de Suède, et l'autre à Alexandre Petau, et dans un troisième de l'abbaye de Laubes. C'est sur celui-ci que dom Martène et dom Durand ont publié la préface de l'auteur (MART. *Anec.* t. I, p. 118, 119). Il paraît qu'il était déjà abbé lorsqu'il entreprit ce travail. Il s'y détermina à la prière de ses frères, qui trouvaient de grandes difficultés dans l'ouvrage de Victorius. Abbon se propose de l'éclaircir et de le corriger : ce qui, selon lui, demandait autant de lumière que d'application, parce qu'il y fallait employer les connaissances que donnent l'arithmétique, la géométrie, la musique et l'astronomie. Néanmoins, après un travail de cette nature, Abbon avait assez de modestie pour ne regarder son commentaire que comme une voie pour entrer dans l'intelligence de l'arithmétique, titre qu'il porte dans un des manuscrits nommés.

Sigebert (*Script.* c. 139) lui rend plus de justice, et ne craint pas de dire que ce commentaire fait voir combien son auteur était versé dans l'une et l'autre littérature. Il y a toute apparence que c'est ce même commentaire dont a prétendu parler l'auteur d'une chronique d'Anjou (LAB. *Bib. nov.* t. I, p. 286), lorsqu'il dit, en termes obscurs et peut-être viciés, qu'Abbon avait fait des Cycles de dix-neuf ans : *Qui Cyclos* XVIIII *scripsit.* Cet ouvrage a été fort connu dans les siècles suivants. Albéric de Trois-Fontaines, Trithème et les autres bibliographes postérieurs en font mention (ALB. *Chr.* par. II, p. 34; TRIT. *Script.* c. 303; POSS. *App.* t. I, p. 35). Quoiqu'Aimoin ne nomme pas Victorius, il ne laisse pas de désigner clairement l'écrit d'Abbon dont il s'agit ici, lorsqu'il dit (*in Vita Abb.* c. 13) que cet abbé corrigea, en suivant la vérité des Evangiles, les cycles des années de l'Incarnation du Verbe, et qu'il les conduisit depuis le point de cette célèbre époque jusqu'à son temps.

Aimoin ajoute qu'Abbon, dans la suite, poussa encore son travail beaucoup plus loin, en dressant des cycles pour mille cinq cent quatre-vingt quinze ans, ou environ. La préface de ce nouvel ouvrage, selon le même historien, était adressée aux moines de Fleury; et l'auteur y parlait de l'année de la mort de S. Benoît du Mont Cassin. C'est cet ouvrage que Trithème, Jacques Philippe de Bergame et autres ont

connu sous le titre d'Additions au commentaire du Cycle de Victorius, dont ils savent les distinguer (Trit. *ib.*; Poss. *ib.*).

La notice qu'Aimoin nous en donne, rapprochée de l'écrit sur le même sujet, imprimé au premier volume des œuvres du Vénérable Bède (t. I. p. 823), fait voir que c'est là l'ouvrage d'Abbon dont nous entreprenons de rendre compte. Son nom à la vérité n'y paraît pas, non plus que l'inscription par laquelle il l'adressait à ses frères de Fleury, mais il n'y a qu'à lire la préface pour y reconnaître celle dont parle Aimoin, et l'une des lettres manuscrites d'Abbon, que dom Mabillon dit avoir eues entre les mains. Outre que ce sont les mêmes caractères dans l'une et l'autre pièce, comme aussi dans la notice qu'en donne Aimoin, le titre de l'ouvrage, qui est intitulé : *Decennovales Circuli*, Cycles de dix-neuf ans, annonce, conformément à ce qu'on lit dans Aimoin, qu'ils sont pour mille cinq cent quatre-vingt-quinze ans. On a peine à comprendre comment on a attribué cet ouvrage au vénérable Bède, qui y est cité au moins deux fois. L'expression du chroniqueur d'Anjou, rapportée plus haut : *Qui Cyclos* XVIII *scripsit*, dit-il, en parlant d'Abbon, pourrait bien désigner l'écrit dont il est ici question plutôt que le commentaire sur Victorius. Cet écrivain en effet a pu avoir en vue d'exprimer le terme *decennovales* par le nombre de *dix-neuf* qu'il emploie.

Quoi qu'il en soit, ce qu'Abbon a exécuté dans l'ouvrage précédent par rapport à Victorius, dont il a corrigé les erreurs, il l'entreprend dans celui-ci, à l'égard de Denys le Petit, dont il se propose de rectifier les supputations. Après sa préface, où il parle à deux différentes fois de la mort de S. Benoît, il rapporte en entier le Cycle de ce fameux computiste romain, et donne ensuite deux exemples ou modèles de la façon qu'il aurait dû procéder dans ses opérations chronologiques. Après quoi viennent deux autres exemples pris du Cycle de S. Cyrille d'Alexandrie, qui sont suivis du Cycle entier de dix-neuf ans de la façon de notre auteur. La dernière partie de l'ouvrage sont les supputations, pour trouver chaque année le jour de la lune qui doit fixer la fête de Pâques pendant tout le cours de ce cycle, supputations qui devaient servir, suivant le titre, depuis l'année de l'Incarnation jusqu'à l'an mil cinq cent quatre vingt-quinze.

A la tête se lit encore, sous le nom du prêtre Bède et le titre de préface, une courte explication de ce qu'on entend par cycle pascal. Mais quelques manuscrits où se trouve cette explication sous le titre de lettre, la donnent à Abbon (Montf. *ib.*, p. 23); ce qui est conséquent et confirme ce que nous venons d'établir. Notre savant abbé y explique clairement les huit colonnes qui entrent ordinairement dans la construction d'un cycle pascal. Suivent après huit grands vers, où il y a de l'art, et qu'Abbon paraît avoir faits pour qu'on retînt mieux les règles de son explication, qu'il a eu le secret d'y faire entrer.

Il ne faut pas confondre avec les deux ouvrages précédents un traité du Comput par Abbon, quoique celui-ci roule sur presque le même sujet que les autres. L'historien de sa vie les distingue clairement lui-même, et ils se trouvent également distingués dans les manuscrits (Aim. *ib.*, c. 3, 7; Montf. *ib.*, p. 23, 87). Il y en a deux à la bibliothèque du Vatican, dans l'un desquels ce traité porte pour titre : *De ratione calculi*, et dans l'autre : *De computo epistola et tractatus*. Aimoin, entreprenant d'en laisser une idée à la postérité (Aim. *ib.* c. 3), dit que les supputations qu'Abbon y fait entrer sont variées, agréables et à peu près semblables aux tables de calcul qu'on avait coutume de dresser pour les affaires temporelles.

IN CIRCULOS

BEATI CYRILLI ET DIONYSII ROMANI AC BEDÆ

STUDIOSI CUJUSDAM PRÆFATIO.

Dionysius abbas genere Romanus, paschales circulos mira brevitate composuit, ut pote utriusque linguæ peritia insignis. Quos quidem, ut ipse ait, ab anno ducentesimo quadragesimo octavo Diocletiani tyranni potius quam principis inchoavit. Sed incarnationis Dominicæ magis quam ejusdem tyranni memoriam agere deliberans, quinque decennovennales circulos edidit, quibus annos Christi annotavit. Siquidem sanctus Cyrillus usque ad ipsius Dionysii tempora paschalem observantiam quinque decennovenalibus circulis comprehenderat. Quorum quintum præfatus Dionysius suis quinque anteposuit; ac sic incipiens ab anno Dominicæ incarnationis, quingentis triginta duobus, in septingentis viginti duos, sua dispositione perduxit. Sed quoniam hi, exacti, redire in se nullo modo poterant, qui a sancto Cyrillo nondum quinque annis comprehensi fuerant, sicut nec illi quos eodem spatio temporum ipse ordinavera[A] rat (nunquam enim nisi finito anno magno solis lunæque computus totus ex integro, sine aliqua confusione reperitur, ut idem fatetur); idcirco præcipit ut, peractis sex annis, qui de quinto circulo beati Cyrilli tunc temporis supererant, eosdem sobrius lector non repetat, sed a suo primo, qui quingentis triginta duobus annis omni prælitulatur, ordiendum non ignoret. Cujus quinque decennovennalibus circulis, viginti tres alii adjecti magnum annum compleverunt, qui quingentis triginta duobus annis perficitur, viginti octo constans circulis decennovenalibus. Qui annus propterea per sua in se vestigia, sine ulla confusione revolvitur, quoniam circulus solaris viginti octo, et lunaris decem novem annis peragitur, qui cum eo tenore quo pariter cœpti sunt, [B] finiuntur. Magnus annus quingentorum triginta duorum annorum iteratur, ut paschalis ratio ad solem et lunam peribeas inerrato repetatur. Sicque fit ut

dum in eo sunt viginti octo cycli decennovennales, sive lunares, sint etiam in ipso decem et novem cycli solares. Quorum solaris nono anno sui cycli etiam in his circulis Dionysii incipit, et in octavo desinit. Decennovennalis vero manifestus in ipsis totam lunæ rationem regit. Quapropter decies novies viginti octo, seu vicies octies novemdecim multiplicati, in quingentos triginta duos certum est procul dubio exundari. Quo numero annorum conficitur, ut dictum est, magnus annus, qui paschalis dicitur. Nam et in epactis, et in concurrentibus, sive cyclis decennovennali, vel lunari, necnon termino paschali ac Dominica Paschæ cum luna ipsius diei, qualis fuit quingentesimus trigesimus secundus Dominicæ incarnationis annus, talis erit millesimus sexagesimus quartus: qualisque fuit ipsius incarnati Verbi annus primus, et ab eo quingentesimus tricesimus tertius, talis erit etiam millesimus sexcentesimus decimus quintus, et deinceps pari ordine usque ad finem triplici annorum Domini serie ubique hanc concordiam servante, quarum prima omnino præteriit, secunda, ac si secundus annus magnus, adhuc imminet; de tertia quantum futurum sit (quam tamen adhibui) in his circulis, Deus solus novit. Cum hæc ita sint, quæritur de anno Dominicæ passionis, qui, a Nativitate tricesimus quartus, terminum Paschæ, decimam quartam, scilicet lunam (qua Deus ad immolandum traditur), facit occurrere per concurrentes et regulares ejusdem lineæ, licet catholica fides habeat, post peractam cœnam feriæ quintæ traditum, et decima quinta luna feriæ sextæ crucifixum. In cujus quæstionis obscuritate Dominus Beda plurimum observatus, nihil lucis infudit, nisi tantum quod Evangeliorum fidem hujus viri auctoritati prætulit, qui beatum Theophilum quodammodo videtur secutus, qui ait Dominum undecimo Kalendarum Aprilium traditum, licet unum adjiciat prædictus vir, et duodecimo Kalendarum Aprilium, et decimam quartam lunam tunc fuisse scribit. Qui etiam in eo ab omnibus ecclesiasticis doctoribus discrepat, quod Dominum decima nona luna crucifixum demonstrat. Nam Theophilus, sicut et alii, decima quinta luna crucifixum astruit, dum octavo Kalend. April. refert eum resurrexisse a mortuis, post multa quæ tractaverat cum suis coepiscopis de origine mundi. Igitur tanti viri hoc unum peccatum ita indulserunt posteri, ut eum sequantur in omnibus Ecclesiis. Sed mihi aliud occurrit, quod non debeo oblivioni tradere. Anno ab incarnatione Domini 529, imperante Justino imperatore, sanctissimus monachorum Pater Benedictus, in Italia virtutibus claruit, ut testatur Victor Capuanensis episcopus, seu Paulus Cassiniensis monachus, hujusque Dionysii contemporalis exstitit; qui, videlicet, Benedictus Pater, Sabbato sancto Paschæ ex hac vita migravit XII Kalend. Aprilium, sicut legitur in gestis veracissimis (56). Requisitus talis annus in circulis sæpius nominandi Dionysii, in quo Sabbatum sanctum contingat prædictis Kalendis, tertio in toto anno magno inveniri poterit; in tribus, scilicet, tantum decennovennalibus cyclis, id est, 4, 22 et 27. Sed dum Benedictus Pater, post annum Domini 529, Cassini miraculis vivens coruscavit, constat quod nec 22, nec 27, cycli ex hoc mundo decessit. Qui vero vitæ ejus mirabilis relator papa Gregorius anno ab incarnatione Domini 605 obiit, certum est quod nec quarto cycli ex hujus vitæ ærumnis moriens transiit. Quippe ejus monasterium a Longobardis eo mortuo jam fuerat pervasum. Quare nisi summa fides gestorum esset, prælibatus cyclus de utriusque, Domini, scilicet, ac servi, transitu calumniam induceret. Qua calumnia impulsus discutere cœpi quid faceret controversia hujusmodi, et primum de annis Domini ad chronicorum dicta me contuli. Eusebii maxime Cæsariensis, et Hieronymi divinæ legis interpretis, ut quot anni essent ab incarnatione Christi usque ad imperium Diocletiani comprehenderem, quoniam inde usque ad primum annum cyclorum Dionysii CCXLVIII deprehendissem. Instans ergo diutius, ab unius nativitate usque ad alterius principatum, comperi spatium CCLXXXVI annorum, vel CCLXXXVII, quoniam Christus natus est tertio anno CXCIV Olympiadis, et Diocletianus imperium usurpavit secundo anno ducentesimæ sexagesimæ sextæ rursus Olympiadis. Cum ergo Olympiades LXXI in medio transierint, ex quibus CCLXXXIV fiunt, ex duabus extremis Olympiadibus duo, sive tres anni colliguntur. Assumpti vero in unum, ab incarnatione Domini omnes pariter usque ad primum cyclorum Dionysii, qui fuerunt ante vel post principatum Diocletiani, fiunt collecti undique DXXXIV, vel magis DXXXV. Hæc dicens non præjudico, nec damno aliorum sententias, sed ex authenticis libris quod verum est investigans, cui juxta fidem Niceni concilii assero quod nullus annus alicujus cycli decennovennalis Dominicæ passioni ac resurrectioni competit, nisi tredecim habens decimam quartam lunam octavo Kalendarum Aprilium. Annus quoque talis qualis quæritur, in transitu Patris Benedicti, nunquam evenit, nisi decimo sexto anno ejusdem cycli habente decimam quartam lunam, duodecimo Kalendarum Aprilium. Ut vero ille terminus feriæ quintæ contingat, concurrentes quinque regularibus septem coeunt; et ut iste Sabbato sancto eveniat, concurrentes tres cum regularibus quatuor produnt. Transierunt autem a passione Domini usque ad transitum sancti Patris Benedicti CCCCXCVII anni. Quibus divisis per triginta, et tricesima parte geminata, ad notitiam venit quod præter tertium nullus concurrens esse poterit anno CCCCXCVII a passione Domini. Quam divisionis regulam, qui plenius nosse desiderat, LV capitulum Domine Bedæ de reditu concurrentium legat, quod idem sanctus presbyter in circulorum suorum adjectione debuit advertere, unde potuisset alterius negligentiam cavere. Quam

(56) Obiit an. 543, ut Leo Ostiensis asserit, cyclo solis 20, 21 Mart., in sabbato.

et si tetigit, solvendam posterioribus relinquit, qui nil calculi eum putant latere, et ob hoc tanti faciunt ejus auctoritatem tot labentibus annis servatam, ut vix corrigi possit pluribus obnitentibus causis. Nos tamen omnibus his XXVIII decennovennalibus cyclis duos subjecimus, ut quod Dionysium facere debuisse diximus, ejus lectoris diligentiæ manifestemus. His enim inspectis, de reliquis per totum annum magnum peritus calculator non dubitabit, si tamen saltem dubitare placuerit. Sciendum denique quod in his circulis Dionysii, anni Domini sua serie prodeunt, et XV annis evolutis, indictione redeunt, nec ad solem nec ad lunam pertinentes, et idcirco, finito anno, non eo modo quo cœptæ sunt redeuntes.

Joannes Noviomagus lectori studioso, S. P.

Scripsit Beda annorum qui sunt a Christo nato, A usque 1595, circulos decennovennales LXXXIV, seu (si mavis, et quod idem est) XXVIII ter geminatos, qui partim temporum injuria et descriptorum inscitia depravati sunt, partim etiam interierunt, eos quantum potuimus alibi reposuimus, alibi emendavimus ut essent integri usque ad 1595. Posterior ætas ubi horum annorum fuerit terminus adjiciet plura. Sciendum tamen est posse hos LXXXIV circulos redigi in XXVIII quorum quisque circulus constare triplici serie annorum, nam DXXXI quoque anno redeunt omnia eadem. Constat enim magnus circulus totidem annis, quibus exactis, propter solis et lunæ cursum, necesse est omnia redire, quæ sunt circulis decennovennalibus eodem ordine et modo, exceptis indictionibus et litteris Dominicæ diei. Vale et nostram operam boni consulito.

SEQUUNTUR

BEDÆ PRESBYTERI

DECEMNOVENALES CIRCULI

Una cum his quos scripsit Dionysius Romanus, cognomento Exiguus, et beatus Cyrillus usque ad millesimum quingentesimum nonagesimum quintum annum salutis, quibus continentur tres circuli magni.

(Vide inter Opera Bedæ Venerabilis, tom. I, col. 823, Patrologiæ tom. XC.)

BEDÆ PRESBYTERI

DE CYCLO PASCHALI PRÆFATIO.

Cyclus idem paschalis octo est lineis communitus. Primus ordo continet annos ab incarnatione Domini, unius, singulis annis, augmento crescentes. Secundus indictiones Romanorum, quæ in se semper 15 annorum cursu revolvuntur. Tertius, epactas 11 lunares, quæ per singulos annos solares ad cursum lunæ succrescunt, et ad lunam Kalendarum quærendam semper adjiciuntur, positæ XI Kalend. Aprilis. Quartus, concurrentes septimanæ dies, quæ positæ IX Kalend. Aprilis propter dispendium bissexti, necessario 28, annis implentur. Quarum ratio cogit cyclos decennovales 28 describi, ut singuli concurrentes singulos cyclos inchoent, totaque summa paschalis calculi 532, annis explicetur. Quintus, cyclum lunarem quem tribus annis decennovennalis præcedit 19 annis, etiam ipse comprehensus. Sextus, 14 lunam, qua veteres pascha faciebant, quæ a XII Kalend. Aprilis usque in XIV Kalendas Maias vario discursu vagantes, tempus incensionis a VII Idus Martii, usque in Nona Aprilis accipiunt; A 14 autem luna usque ad 14 ann. sequentis, dies sunt 354, si communis annus est; si embolismus, 384. Septimo, dies Dominici Paschæ reperiuntur, ab XI Kalend. Aprilis B usque in VII Kalend. Maias, ob rationem embolismorum licenter extenti. Ultimo, luna festi paschalis, a 15 usque 21, propter diem Dominicum, variata. Adimit enim saltus noctem, addit vero ætatem, quæ per omnem cyclum adolevit. Sed in hoc nox adimitur, quod ante luna deficit quam putatur. Naturaliter vero nox ipsa perseverat, quæ nox initium est futuri anni, et cycli incipientis exordium, propter quod idem ultimus annus epactas 18 tunc retinens, primo anno non 11, ut in cæteris annis fieri solet, sed 12 dies accommodat; et quia 30, dierum fine revolvuntur, nulla 0, epacta in principio cycli ponitur.

CARMEN DE EADEM RE.

Linea Christe tuos prima est, quæ continet annos,
Atque secunda tenet cycli quæ indictio constat.
Servabit numeros epactis tertia certos.
Quarta dies numerat septem bissextilis anni.
Quinta tibi cyclos lunaris computat anni.
Jam quartas decimas designat sextaque lunas.
Septima nam Paschæ ostendit tempusque diemque
Ætatem lunæ monstrat novissimus ordo.

C

BEDÆ PRESBYTERI

CIRCULI

AD DEPREHENDENDAS CUJUSQUE ANNI LUNAS PASCHALES, AB ANNO 1 USQUE IN ANNUM CHRISTI 1595.

(*Vide inter Opera Bedæ Venerabilis, tom. I, col.* 859, *Patrologiæ tom. XC.*

FRAGMENTUM DE S. MARTIALI.

(*Mabill. Act. Bened.* VIII, 31, n. 3.)

MONITUM.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 181.)

L'auteur d'un sermon prêché à la dédicace de l'église de Saint-Pierre de Limoges, qu'on croit être Ademar de Chabanais, y copie un assez long passage d'un autre écrit d'Abbon. Ce passage roule sur le prétendu apostolat de saint Martial, et ne se lit dans aucun des ouvrages d'Abbon qui ont été imprimés. On ne voit point non plus qu'il ait pu trouver place dans les autres qui sont encore manuscrits. L'écrit où il se trouvait sera donc du nombre de ceux qui se sont perdus. Au reste, ce qu'Abbon dit dans ce passage, il l'avait pris des faux actes de saint Martial, comme il est aisé de s'en convaincre en conférant l'un à l'autre.

Summus pater iste Martialis in cœna omnino sat mystica Christo conviva fuit, cœlestis panis sumens reliquias; cumque discipulorum collegia postea surgens tersit, lætus ipse præbuit linteamina. Neque unquam refugit sacra contubernia, absque Thomæ piorum ex timida caterva unus. Quin imo cum Christus peteret cœlestia, benedici meruit inter astantium agmina. Nec choros laudantium sprevit, A sed cum eisdem sancti Spiritus tunc suscepit charismata et linguas multifidas : quibus subnixus, tandem Petro comite pervenit Antiochiam, ac dehinc urbem Romæ. Qua derelicta, pertransivit ad Galliam, cujus clara et nobilis est provincia Aquitania pars magna, ubi perveniens, totius provinciæ fit apostolus per cuncta sæcula.

APPENDIX AD SANCTUM ABBONEM.

CATALOGUS ABBATUM FLORIACENSIUM.

(Baluz. *Miscell.* edit. Luc. I, 19.)

Incipiunt nomina abbatum Sanctæ Mariæ et Sancti Petri et domni Benedicti Floriacensis monasterii postquam primum ædificatum fuit.

Primus abbas Rigomarus habuit annos v. Secundus abbas Mumolus annos xxx. Et infra istos xxx annos corpus Patris Benedicti allatum est de monte Cassino ab Aigulfo monacho anno 660 incarnationis Domini, regis Clodovei temporibus filii Dagoberti. B

Tertius abbas Leobardus habuit annos x.

Quartus abbas Ido habuit annum 1 et dimidium.

Quintus abbas Auderannus habuit dimidium annum.

Sextus Flatbertus habuit annos III.

Septimus abbas Adalbertus habuit annos XXIX.

Octavus abbas Geilo annos XIX.

Nonus abbas Medo habuit annos XXI.

Decimus abbas Rodufus habuit annos XII.

Undecimus abbas Ido annos IX.

Duodecimus abbas Magulfus annos XVI.

Tertius decimus abbas Fulradus annum I et dimidium.

Quartus decimus abbas Theodulphus annos XIX et dimidium, qui a gloriosissimo imperatore Carolo ex Hesperia propter eruditionis scientiam qua pollebat, in Gallias adductus, Floriacensibus abbas et Aurelianensibus datus est pontifex. Hic itaque cum, ut diximus, eruditione præcipuus doctrinaque haberetur præclarus, explanationem edidit Symboli sancti Athanasii, quod a monachis post tres regulares psalmos ad primam quotidie canitur. Sacramentum quoque missæ seu eorum quæ in ea geruntur, quid mysterii contineant, aliquaque quamplura succincto narrandi genere luculentissime digessit. Nec minus ei studium in elegantissimorum opere ædificiorum fuit. Denique Germaniacus dicitur villa, tribus a nostro monasterio distans millibus. Hæc abbatibus qui ante eum fuerant maxima ex parte a fidelibus viris, quorum hæreditas erat, partim data, partim vendita est. In hac igitur idem Theodulfus abbas et episcopus ecclesiam tam mirifici operis construxit, ut nullum in tota Neustria inveniri posset ædificii opus quod ei, antequam igne cremaretur, valeret æquari. Totam namque arcuato opere eamdem exstruens basilicam, ita floribus gypseis atque musivo ejus venustavit interiora, pavimentum quoque marmoreo depinxit emblemate, ut oculi intuentium vix grata satiarentur specie. Porro in matherio turris de qua signa pendebant, hujuscemodi inseruit versus argenteo colore expressos:

Hæc in honore Dei Theodulfus templa sacravi
Quæ dum quisquis ades, oro, memento mei.

(57) Æmulatus itaque in hoc facto Magnu Carolum, qui ea tempestate Aquisgrani palatio tanti decoris ædificaverat ecclesiam, ut in omni Gallia nullam habeat similem. Verum memoratus princeps illud quod fecerat templum, sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicari sub honore præcepit. At vero Theodulfus aulam a se constructam omnium conditori ac salvatori rerum Deo consecrans, cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium super altare ipsius artificiosissimo magisterio expressum his decoravit versibus.

Oraculum sanctum et cherubim hic aspice spectans:
Et testamenti en micat arca Dei.
Hæc cernens, precibusque studens pulsare tonentem,
Theodulphum votis jungito quæso tuis.

Sed quia semper sapientibus invidetur, difficileque est in prosperis invidia carere, apud imperatorem Ludovicum ab æmulis accusatus conjurationis adversus eum factæ conscius fuisse, Andegavis exsiliatus, custodiæ etiam mancipatus est; ubi in die Palmarum, præsente ipso rege, illos pulcherrimos versus, gloriam laudis Christi personantes, qui hodie per universas Gallias ab ecclesiasticis decantantur viris, e turri in qua custodiebatur a se compositos cecinit, quorum est exordium

Gloria, laus, et honor tib. sit, Rex Christe redemptor,
Cui puerile decus prompsit hosanna pium.

ANNALES FLORIACENSES.

(PERTZ, *Monum. Germ. hist.* Scr. II, 254.)

Ascripti sunt codici cyclorum decennovennalium Dionysii annos 532-1063 complexo, et jam in Bibliotheca regia Parisiensi sub n. 5443 asservato. Est membranaceus in-4°, sæculo IX exaratus, et adnotationes post annum 834 diversis coætaneorum manibus adjectas exhibet, quas hic post Chesnium (t. III, p. 355-357) denuo ex autographo a me correctas auctasque sisto, omissis tamen fere omnibus quæ annum istum antecedunt, quippe quæ ex Pauli Diaconi Historia miscella, Annalibus S. Columbæ et Annalibus S. Amandi sint desumpta.

ANNO INCARNATIONIS DOMINI.

626. Leodelodus Floriacensis monasterii fundator obiit.

849. Anno VIII Karoli regis, XII Kal. Martii exstitit terræmotus quasi decima hora noctis.

853. Adalbertus, bonæ memoriæ monachus, XI Kal. Jan. obiit.

864. Cometes apparuit circa Kalendas Maias per viginti dies.

866. Regnante Karolo, Ludovici filio, duo filii illius moriuntur, Hlotharius abbas, et Karolus rex Aquitaniorum. Avunculus quoque ejus Rhodulfus, consiliarius primasque palatii, hominem exit. Necnon et Rhodulfus archiepiscopus Aquitaniorum. Et duo principes Aquitanici, Landricus et Imino, inter se dimicantes, semet interimunt. Rhothbertus quoque atque Ramnulfus viri miræ potentiæ, armisque strenui, et inter primos ipsi priores, Northmannorum gladio necantur.

877. Karolus Ludowici filius II Non. Octobr. obiit, et Ludowicus filius eius VI Id. Decembris regnum suscepit.

878. Johannes papa in Gallias venit, et apud civitatem Trecas diu moratus est. Eodem anno

(57) Vide Letaldum c. 3. De mirac. S. Maximini Miciac.

Idib. Octobr. eclipsis lunæ fuit cum esset quartadecima, et eclipsis solis secuta est eodem mense IV Kal. Novemb. luna vicesima octava, utroque sidere in quindecim diebus deficiente. A

870. Hludovicus rex IV Id. Aprilis obiit.

880. Hludovicus et Karlomannus apud Ambianas regnum suscipiunt, et dividunt mense Martio.

882. Hludovicus Karlomanni frater obiit.

905. Hoc anno mediante Maio, V Feria apparuit stella circa ipsum septentrionem a parte circii emittens radium magnum versus euroaustrum quasi longissimam hastam inter Leonem et Geminos trans zodiacum, et visa est ita fere 23 diebus. B

917. Memorabile bellum apud Suessones, in quo Rothbertus rex occubuit, licet exercitus ejus victoriam adeptus sit; eodemque anno Rodulfus regno sublimatur.

936. Gloriosus Francorum rex Rodulfus obiit. Prima in totam Galliam Ungarorum irruptio.

952. Hoc anno Ugo dux Burgundionum, et Alanus Brittonum obiere.

954. Ludowicus Francorum rex obiit, et filius eius Hlotharius in regem nobiliter Remis elevatus est.


956. Hoc anno IV Nonas septembris luna versa est in sanguinem. Eodem quoque anno mense Junio signum mirabile in cœlo apparuit, draco magnus scilicet, et sine capite. Secuta est statim mors Hugonis magni principis Francorum, Burgundionum, Brittonum, atque Nortmannorum. Eclipsis solis factus est XI Kal. Januar. et stellæ apparuerunt a prima hora usque terciam. C

974. Ipso anno cœnobium sancti Benedicti Floriacense combustum est. Sed Dei providentia procurante, in brevi trium spatio annorum in meliorem statum est restauratum, domno abbate Richardo ordinatore. Octavas sancti crematum est Laurentii.

969 *aut* 970. Lotharius Francorum rex obiit.

979. Ludovicus a Francis Conpendii rex est elevatus.

987. Ludovicus Francorum rex obiit. Eodem anno Hugo dux rex Francorum est elevatus Noviomi, qui secum Rotbertum filium suum regem Aurelianis elevat. D

988  (58)

991. Hugo (?).

997. Hugo rex moritur. *Et alia manu :* Hugo rex obiit, et filius ejus Rotbertus pro eo regnat.

1003. Et qualitas hiemis longior solito, pluviarumque inundatio exstitit gravior, atque diversis in regionibus flumina suos ultra modum præterierunt terminos. Præ cæteris vero Liger in tantum suas præteriit metas, ut cuncta circum circa posita periculo mortis tremefaceret, valla penetrando, casas una cum hominibus eruendo, pontes firmos sepesque eradicando, boves cum bubulcis, ovilia cum ovibus et pueris demergendo, ita ut diluvium esse crederetur. Quo etiam anno propter Aurelianensem urbem in loco qui dicitur Porcaria, multis ut ferunt est visa civitas phantasmate constructa, ab hora diei tertia usque in nonam horam, pratis aquisque cum molendinis vallata, militibus necessariisque rebus adplene referta. Infantem quoque fama vulgante audivimus natum fuisse, omnium animalium pedes habentem, soloque capite unoque pede et manu hominem simulantem. Quem parentes dolore et rubore confusi bis terque terra occulentes, dum nequeunt eum perdere, consilio accepto in fluvio demerserunt. Cujus casum tantus vocum fragor secutus est, ut tota regio ejulasse crederetur. Eodem quoque anno Girbertus papa obiit. Sequenti anno (*alia manu*). Abbo abba martyrio coronatus est.

1004. Abbo abbas obiit.

1017. Rotbertus rex filium suum Hugonem consortem regni facit, apud Compendium.

1026. Iterum sub Gauzilino abbate Floriacense cœnobium conflagratum est, sed biennio restauratum cum omnibus officiis, et ecclesia S. Petri.

1029. Obiit Gauzlinus abbas.

1058, 1059 *aut* 1060. Heinricus rex Francorum obiit. Philippus regni monarchiam suscepit.

(58). Notæ Tironianæ, quas inter *abbas* est sincera; fortasse explicandæ : *Abbo abbas monasterii Floriacensis*, aut tale quid.

CIRCA EUMDEM ANNUM.

ALBERTUS

ABBAS MICIACENSIS.

NOTITIA.

(Mabill. *Analect.* nov. edit., pag. 430.)

Albertus abbas monachum induerat in cœnobio Gemeticensi, ut patet ex subjecto ejus instrumento, in quo Arnulfum, Turonensem archiepiscopum, filium suum vocat. Fuerat ergo conjugatus antequam monachus initiaretur. Parentes ejus eidem instrumento subscribunt. Miciacum seu S. Maximini abbatia, vulgo *Saint-Mesmin*, prope Aurelianos, nunc Fuliensium. Epistola sequens exstat in codice Pithœano inter epistolas Abbonis Floriacensis.

ALBERTI

AD JOANNEM XVII PAPAM EPISTOLA

De antiquitate et solito numero monachorum monasterii Miciacensis.

(Exstat supra inter epistolas S. Abbonis tertia decima hujus tomi col. 439.)

ALBERTI CHARTA

QUA

Prædia quædam cœnobio Gemeticensi, in quo monachum induerat, confirmat.

In nomine Christi, ego Albertus, abbas abbatiæ sanctorum Stephani protomartyris et Christi confessoris Maximini, notum volo fieri cunctis curam gerentibus sanctæ Dei Ecclesiæ quia antequam ordinem suscepissem monasticum, erat mihi quidam alodus ex materna hæreditate, non ex alicujus beneficio, quem sancto Petro in Gemmetico monasterio, ubi habitum suscepi, dedi pro remedio animæ meæ filiique mei Arnulfi Turonensis archiepiscopi, et parentum meorum, ut sanctus supradictus intercessor sit pro nobis apud Deum. Est autem ipse alodus in pago Bellemensi, quem vocant Domna- A Maria, quem sancto Petro dedi cum appendiciis suis. Jussi autem fieri hanc chartam, ne aliquis post me possit sancto Petro abstrahere. Quod si aliquis præsumpserit, cum Juda proditore, Anna et Caipha damnationem accipiat. Hæc autem chartula ut firmior sit, eam subter firmavi, et parentibus meis corroborandam obtuli. S. Alberti abbatis. S. Radbodi Saiensis episcopi. S Arnulfi Turonensis archiepiscopi. S. Ribaldi. S. Gisleberti. S. Roberti regis. S. Willelmi Bellemensis. S. Richardi comitis Normannorum.

CIRCA EUMDEM ANNUM.

RORICO

MOISSIACENSIS APUD CADURCOS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA

(Fabric., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. VI.)

Rorico, monachus Moissiacensis in regione Cadurcensi, qui, ut ex stylo judicatur, sæculo XI vixit. Scripsit *Gesta Francorum* ab origine gentis usque ad obitum Chlodovei I regis, quæ exstant in Francicarum Rerum scriptoribus Andr. Du Chesne, tom. I, pag. 799 et in nova collectione scriptorum Francicorum Mart. Bouquet, (Paris, 1741, fol.) tom. III, stylo rudi et fabulis plenissima. — Jac. le Long Biblioth. historica Galliæ, pag. 315. * De hoc Rerum Francicarum historico incerta sunt omnia. Monasticam professionem suam nullibi præfert. Moissiacensem commorationem nunquam indicat, nec alia de causa monachus Moissiacensis creditur, nisi quod e mss. codice Moissiacensis cœnobii idem opus eductum est. Opus istud mera putaque est epitome anonymi longe vetustioris, qui sub eodem titulo opus historicum vulgavit legendum apud Du Chesnium, tom. I, pag. 799, etc. Vide Historiam literariam Galliæ, tom. VII, pag. 146.

NOTITIA ALTERA

(*Histoire Littéraire de la France*, tom. VII, pag. 136.)

Roricon, dont il y a un abrégé d'histoire beaucoup plus fameux qu'intéressant, nous est presque inconnu d'ailleurs. On convient de lui donner la qualité de moine (Du Chesne, t. I, p. 799 ; le Long, *Bib. Fr.*, p. 315), mais on n'en apporte point de preuves, et nous n'y voyons d'autre fondement que l'air de piété avec lequel il a écrit, ce qui peut également convenir à un pieux ecclésiastique. Il n'y a point au reste de difficulté à le regarder ou comme un clerc ou comme un moine. Il était très-rare en son siècle de voir des laïques lettrés et capables d'écrire comme il a fait.

On connaît un Roricon evêque de Laon jusqu'en 976 (Mab. *An.* t. III, app., p. 594, n. 26) qui passait pour un prélat qui avait toute sorte de belles connaissances, *totius scientiæ lumen*. Mais personne n'a pensé à lui attribuer l'écrit dont on va parler ; et nous ne prétendons pas non plus nous-mêmes lui en faire honneur. Outre qu'il n'y a que l'identité de nom qui pût autoriser ce sentiment, ce qui est fort équivoque, un prélat aussi habile aurait apparemment mieux réussi dans l'exécution de son dessein.

S'il fallait prendre à la lettre certaines expressions de notre historien (*præf. lib.* I). on croirait qu'il aurait fait le métier de berger et gardé les troupeaux à la campagne. Mais il est visible par d'autres endroits de son écrit (*l.* II, III, IV, *pr.*), que ce n'est là qu'une fiction qui lui a paru ingénieuse et qui convenait à son génie. Il dit au reste (*l.* I, *pr.*) assez clairement qu'il était de la nation des Francs. Il ne nous fournit rien de précis pour fixer le temps auquel il écrivait. On ne laisse pas toutefois de juger par son style qu'il ne l'a fait qu'au XIe siècle (Le Long, *ib.*) Le fondement est bien léger, mais ce qui donne plus de poids à cette opinion, c'est que l'auteur fait mention de Perpignan (*l.* IV, p. 18), qui n'a été connu qu'au Xe siècle.

L'ouvrage de Roricon est intitulé : *Gesta Francorum*, les Gestes ou Exploits des Français. Titre spécieux qui annonce beaucoup ; et néanmoins l'ouvrage n'est presque qu'un abrégé d'un historien anonyme, qui nous en a laissé un autre beaucoup plus ample sous le même titre, publié par du Chesne, tom. I, pag. 799. Roricon s'est proposé d'abréger cet historien, depuis l'origine de la nation jusqu'à la mort de Clovis inclusivement, et en copie toutes les fables et les erreurs. Il a divisé son ouvrage en quatre livres, et a mis à la tête de chacun une préface, où il a laissé des vestiges de son génie poétique. Le corps de l'ouvrage après tout n'est pas mal écrit. C'est seulement dommage que son auteur n'ait pas travaillé sur un meilleur fonds.

André du Chesne est le premier qui a imprimé cet abrégé (Du Chesne *ib.*, p. 799-817), sur un ancien manuscrit de l'abbaye de Moissac, et semble être aussi le premier qui a donné à Roricon la qualité de moine. Dom Bouquet l'a mis dans la suite sur l'édition précédente, à la tête du IIIe volume de sa nouvelle Collection des Historiens de France, avec de courtes remarques préliminaires.

GESTA FRANCORUM,

AB IPSIUS GENTIS ORIGINE AD OBITUM USQUE CLODOVEI I REGIS,

Auctore RORICONE *Monacho.*

(Duchesne, *Script. Rer. Franc.*, I, 799, ex antiquo exemplari ms. cœnobii Moissiacensis, quod vir clarissimus Innocentius Ciron, canonicus et cancellarius ecclesiæ ac universitatis Tholosanæ, transcribendum curavit.

PROLOGUS.

Quia calami nostri acies quadam rubigine videtur A quædam meæ gentis opuscula, sicut nostri priores
vrubesa, quam boni totius inimica connexit otiositas, retulerunt, quoniam injungitis, modica relatione
nec plectrum linguæ desidia pariter innectat aut qua- narrabo. Nec imputetur garrulitati, si gesta paren-
dam tarditate rigescat, dum in custodiendis pecoribus tum præconiis aliquibus extulero, quoniam ordini
immoramur, dum capellæ legunt cytisum, et adhuc debetur et naturæ ut prudentium facta parentum
aliquantulum diei superesse videtur ; memor patriæ extollat devotio filiorum.

LIBER PRIMUS.

Quoniam id vestra deposcit intentio ut vobis insi- ribus, nec suffragiis aliquibus de propriis agellis
nuare debeam, cur compatriotæ mei Franci cogno- extrudere potuissent, tandem ab insectationibus
minentur, quæ res est digna relatu, si vos otium eorum desistentes, quos ante persecuti sunt ut ini-
præbueritis; quantum exinde ad nos veterum moni- micos, contra velle postmodum cœperunt colere ac
menta transmiserunt, quantumve memoria retinere venerari quasi dominos ac vicinos. Creverunt itaque
potui, intimabo. Si vestrum aliquis facta Trojanorum in gentem magnam, et inhabitaverunt Sicambriam
cognovit, si, Virgilio referente, eorum excidium Ulyssis usque ad tempora Valentiniani imperatoris. Habe-
fraude compertum aure vel leviter tetigit, non opus bant duces et primarios, et universos ordines ma-
est hic enarrare per singula cur ad debellandam B gnatorum : et si non eamdem honoris amplitudinem,
ferocissimam gentem Agamemnonis exarsit insania, tamen pristinæ dignitatis fastum vel nomine tenus
quia nec nostræ facultati congruit et non historiam retinere gestiebant. Si forte primates aliquos ele-
texere, sed brevem narratiunculam referre proposui. gissent, quasi hæreditario jure priorum patrum no-
Mortuo igitur Hectore, Ilioque destructo, spes patriæ mina conservantes, non alium sibi patiebantur im-
tota deperiit, omnium corda tremuerunt, ac viribus poni, nisi quem nominis dignitas sublimasset.
defæcatis dulcia arva linquentes, alii pedestri itinere Valentinianus ergo imperator arcem Romani regebat
lares incognitos expetunt, alii marinis fluctibus re- imperii, vir strenuissimus et amator reipublicæ, pau-
migantes fallacibus undis spem vitæ committunt. perum ac humilium cultor munificus, et rebellium
Utrique videlicet necessitati consulentes, non jam exstirpator atrocissimus. Adversum hunc Alanorum
vicinas, sed longe remotas et incognitas nationes gens atrocissima servilia arma corripiens, rebelles
expetere decreverunt : quo tantæ infamiæ notam dexteras ad devastandum imperium, vel seditiones
vel paululum evitare quivissent. Ex his Priamus et excitandas, ausu temerario erigens, quæque attre-
Antenor cum ingenti multitudine de exercitu Trojano ctare poterat universa devastabat. Occurrit his im-
intrantes ripas Tanais fluminis, Pannoniorum ter- perator cum exercitu maximo super fluvium Danubii,
minos secus Mæotidas paludes navigio petierunt. C et in eos aciem dirigens servilem insolentiam impe-
Missisque per gyrum exploratoribus deprehenderunt riali repressit edicto : plures eorum bello superans,
e vicino locum suæ habitationi congruum, remotum alios in fugam præcipites abire compellens. Hi vero
videlicet a communi habitatione hominum, terram qui fuga elapsi sunt, Mæotidas intravere paludes,
nullis cultam vomeribus, marinis fluctibus undique ibique se communientes ad defendendum vel potius
circumseptam. Ibi itaque fixere tentoria, et re- resistendum quæque poterant adjumenta congere-
sumptis animis civitatem ædificaverunt, quam Si- bant. Perlustratis imperator importunitatibus loci,
cambriam appellavere. Viri igitur isti fortes et nolens totum fatigari exercitum, sacramentis impe-
validi consueta ferocitate suffulti contra vicinos arma rialibus constrinxit, per annos 10 illis relaxari tri-
moventes, per gyrum finitima devastantes, famam buta, qui gentem hanc rebellem exinde dolo armisve
sui nominis vulgaverunt ubique. Et quoties de pro- ejicere potuissent. Audientes hoc Sicambri, quos a
priis finibus Pannoniorum populus hos exturbare Troja adventasse jam diximus, animi audaciam ex-
voluisset, toties frustratis viribus eorum gladiis cæ- periri cupientes, per occulta latibula intra palude:
debatur, nec ad debellandos eos aliqua poterat fa- insidias collocant, et facto impetu super Alanos
cultate consurgere. Cumque eos nec armis, nec vi- irruunt; et eos nimia cæde mactantes, tandem vin-

ctos ut inimicos imperatori repræsentant. Hac igitur patrata victoria, et rebelles condigna ultione perdomuit, et Trojanos nostros, Sicambros videlicet, Francos appellari præcepit. Expletis itaque 10 annis, idem imperator primarium quemdam cum exactoribus de Romanorum populo misit, qui tributum a Francis exigerent. Franci vero indigne ferentes quod qui eadem sorte Græcorum sævitiam evitantes de propriis finibus aufugerant, ad persolvenda tributa germanum sanguinem provocassent, nil moræ adversus primarium insurgentes, eum vita privavere. Pariter et legatos, quos direxerat imperator. Consilio etenim juvenum depravati, hæc inter se verba tractabant : Imperator cum exercitu Romanorum Alanorum gentem rebellem de latibulo paludum ejicere non potuit, et nos, qui eos devicimus, cur tributa persolvimus ?

His auditis, imperator felle fervens contra Francos movit exercitum, ducens secum Aristarchum militiæ suæ principem. Qui videlicet Aristarchus cum innumera multitudine super Francos irruens, quemdam eorum ducem nomine Priamum gladio trucidavit, et cæteros nimia cæde comminuens, licet cum multo dispendio Romani exercitus, tandem eos superans, terga dare compulit. Sentientes itaque Franci iram imperatoris diu sustinere non posse, et libertatem quam armis acquisierant perdere formidantes, elegerunt magis omnibus diebus vitæ suæ exsulari, quam tanti nominis dignitatem servili amplius maculari infamia. Et relicta Sicambria, media pars ipsorum cum uxoribus et liberis pervagantes Europam, huc et illuc vacillabant, non habentes certos lares, nec propriæ stationis aliquod firmamentum. Per diversos igitur anfractus itineris se suosque nepotes gladio defensabant, si forte propter adipiscenda vitæ stipendia progrederentur alicubi, et inhumanos aliquos ad prohibenda necessaria offendissent. Et quocunque progrediebantur, eorum terror ubique diffusus compellebat in unum convenire populos, gentes innumeras adunari, universas patriæ munitiones machinis omnibus armisve muniri. Vulgus insuper universum, quasi spes patriæ deperisset, abdita quæque lustrantes, se suosque parvulos ad montium abdita conferebant, et undique, buccinis concrepantibus, ita ex propugnaculis oppidani quique transeuntem populum jactis spiculis atque sagittis exturbabant, ac si debellandam patriam eos adventasse cognovissent. Sed gens, quæ non ad pugnam, sed ad commeandum venerat, recto gradiebatur itinere, nisi forte aliquem capiendi cibarii necessitas alicubi pergere coegisset. Communis vero exercitus citato calle gradientes, absque nimio impedimento ripas Rheni fluminis attigerunt. Ibique in Germanorum oppidis fixere tentoria, habitaveruntque pacifice cum principibus terræ illius. Hi vero, qui apud Sicambriam remanserunt, incolentes videlicet ripas Danubii, elegerunt super se regem nomine Torcat, unde et propterea Torci appellati sunt.

Modico itaque tempore elapso, intrantes Franci resumptis viribus, et a lassitudine recreati, qui, ut diximus, ripas Rheni fluminis attigerant, ad instar Trojæ civitatem ædificare conati sunt. Sed imperfectum opus relinquentes, pari consilio elegerunt sibi regem, sicut et cæteræ gentes, nomine Faramundum, filium Marchomiris filii Priami, et eum solio sublimantes debita reverentia excolere cœperunt. Quo defuncto, filium ejus Clodionem in paterno solio sublimaverunt. Hic in finibus Thoringorum in Dispargo castello paucis diebus habitavit. Suspecti semper erant Franci et dubii, et in incerto vacillantes, dum explorarent sedulo, si forte inveniretur alicubi locellus aliquis, qui eorum habitationi videretur esse congruus. Et dum hoc tædio æstuarent, relatum est illis ab exploratoribus, Galliam esse omnium regionum nobiliorem, omni refertam dignitate, consitam nemoribus pomiferis, terram esse fecundam, aptam ad omnia quæ humanis possunt subvenire necessitatibus. Tali nuntio animati animos et arma corripiunt, et ad vindicandas injurias quas a Romanis pertulerant, corda cum gladiis exacuunt non ut fugiant, sed ut eos exterminent, et unumquemque suorum dictis asperioribus accendunt. His ferme diebus Romani habitabant a flumine Rheni usque ad fluvium Ligeris, et a Ligere fluvio versus Hispanias Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Ariani erant, et habitabant secus Rhodanum fluvium. Clodio igitur rex missis præcursoribus suis usque ad urbem Camaracum, ipse quoque cum exercitu maximo Rhenum transiens eos subsecutus est, et ingressus Carbonariam silvam, Turnacensem civitatem obtinuit, et exinde Camaracum usque properavit. Ibique modicum residens, Romanos omnes qui in eadem reperti sunt gladio trucidari præcepit. Qua civitate retenta, inde progreditur et usque ad Sumam fluvium occupavit, et ingressus Ambianorum urbem, ibidem et regni sedem statuit, et deinceps pacato jure quievit. Regnavit igitur annis 22 et mortuus est. Quo defuncto, Merovicus ad regendum populum eligitur, et in eadem Ambianorum civitate regali solio sublimatur. Merovicus itaque iste, a quo et Franci prius Merovinci vocati sunt, propter utilitatem videlicet et prudentiam illius, in tantam venerationem apud Francos est habitus, ut quasi communis pater ab omnibus coleretur. Hic genuit Childericum, patrem Clodovei regis excellentissimi. Erant autem Franci tunc fanatici, adorantes idola, et non agnoscebant regem cœli, qui creavit omnia. Mortuus igitur Merovicus, et regnavit Childericus filius ejus pro eo. Childericus itaque rex cum esset nimis luxuriosus, et regnaret super Francos, filias eorum violenter opprimebat. Super hac re nimium indignantes, pari consilio et æqualibus animis, aut eum occidere aut de regno expellere decreverunt. Sentiens Childericus adversum se Francorum animos esse commotos, aureum unum divisit in partes, vocans ad se Viomadum consiliarium suum, et ait illi : « Sentio gentem istam adversum me consur-

gere velle, et ego unanimitatem tuam peto, ut, in quantum potueris, Francos mihi pacifices. Cumque sedatos eos agnoveris, mandato tu ut redeam, et aurei ista partitio erit signum inter me et te. Cum autem videro quam tibi relinquo, revertar in pace. Sin autem, manebo apud Sisinum [*al.* Bisinum *vocant*] Thoringorum regem. »

Iis dictis clam fugit apud Thoringos, habitavitque cum Sisino et Basina uxore sua. Quo expulso, Ægidium Romanum militem Franci super se statuunt consilio non bono atque inutili. Regnavitque super eos annis 8, et junctus est ei Viomadus in fictam amicitiam ob amorem Childerici domini sui. Et hortabatur regem Viomadus ut Francos aliquos male opprimeret ; Franci vero Ægidii regis furore attriti, consilium Viomadi expetunt, et quid agere debeant inquirunt. Quibus ille ait : « Non reminiscitis, qualiter Romani parentes vestros attriverunt? quomodo eos a Sicambria expulerunt? Et vos regem vestrum expulistis utilem ac strenuum, et elevatis super vos militem hunc Romanum crudelem atque superbum? Sine consilio hoc fecistis, et nunc merito inebriamini poculo, quod propinastis. » Cui aiunt illi : « Sine lege licet tunc filias nostras abuteretur, nunc pœnitet nos hoc fecisse, et utinam eum invenire meruissemus, ut cum pace regnaret super nos. » His Viomadus auditis, celeres nuntios ad Childericum dirigit, ut cum pace redeat, aurei divisi certa præmittens indicia. Sentiens Childericus quod desideraretur a Francis, lætus reversus est in regnum suum. Quem Franci cum gaudio recipientes, cum dedecore expulerunt Ægidium. Basina quoque Sisini regis uxor, apud quam latuisse præmonstravimus Childericum, sæpius relicto viri toro, consortium nostri regis est experta. Quamobrem et eum nec multo post in Franciam est secuta, cupiens loco uxoris habitare cum eo. Quam Childericus cum insperate conspexisset, et ad quos usus de tam longinqua provincia ad eum properasset, inquireret : illa postposito pudore muliebri, ut erat nimis luxuriosa, tale fertur dedisse responsum : « Quoniam novi utilitatem tuam et pulchritudinem, et quod sis habilis et strenuus, e domo veni ut habitem tecum. Nam si in extremis terræ finibus utiliorem te cognovissem, et hunc nihilominus expetissem. » Complacuit regi mulieris sermo facetus, et eam gaudens sibi sociavit in uxorem. Quæ concepit et peperit filium, vocavitque eum Clodoveum. Hic fuit rex potentissimus super omnes Francorum reges, vir egregius ac strenuissimus, expugnator bellicosissimus, imperii dilatator et totius æquitatis amator. Childericus itaque rex hac tempestate, collecto Francorum exercitu, Agrippinam civitatem super Rhenum fluvium est aggressus. Quam omni bellorum apparatu circumdans, tandem populum eumdem nimia cæde vastatum devicit, et munitiones universas ejusdem civitatis sibi retinens, Coloniam eam vocari instituit. Hanc regebat Romanus Ægidius, cujus superius fecimus mentionem. Sed tanto exercitui resistere non valens, urbe progressus fugæ consuluit, et sic furorem regis evasit. Inde progredientes Franci, Treveris civitatem super Mosellam fluvium vastantes ceperunt.

Eo tempore mortuus est Ægidius Romanorum tyrannus, et ejus filius nomine Siagrius apud Suessionem civitatem in paterno solio sublimatur. Recollecto iterum Childericus rex Francorum exercitu, Aurelianis usque pervenit, terras omnes quæ sunt in circuitu nimia feritate depopulans. Inde progreditur Andegavis, occursurus Adovagrio duci Saxonum, qui eamdem Andegavam debellaverat atque protiverat, relicto Paulo comite ad custodiendam civitatem. Cumque rex Childericus ex improviso civitatem irrumperet, et Adovagrium ducem obtruncare decerneret, nave subvectus Adovagrius aufugit regisque mucrone Paulus obtruncatus est et principalis domus ejusdem civitatis est igne cremata. Hac igitur patrata victoria, cum ad solum proprium, hoc est ad Ambianorum urbem remeare cuperet, febre correptus spiritum exhalavit, et regendum populum Clodoveo filio suo dereliquit. Mortuus est autem Childericus rex XXIV imperii sui anno, et regnavit Clodoveus filius ejus pro eo.

PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

Relatum est, ut opinor, compendiose satis, quantum propositæ brevitati congruit, cur ad has partes Francorum populus sit delatus, cur et tali nomine vocitetur. Sed quoniam vos intentos intueor, dum adhuc solis exspectamus occasum, et dum saturos greges ad ovile reducimus, paucis tantum sermonibus intimabo, qualiter omnem Galliam hic populus sit pervagatus, et qualiter eam a Romanis abstulerit. Precor etenim ne vobis onerosum videatur, si ad supplendam historiam vel ad depellendum fastidium eorum, quibus displicet prolixa narratio et nova semper audire delectat, si aliqua ex opusculis vicinarum gentium elate [e latere] tetigero. Nam is, qui propriis semper deliciis affluit, etiam cum externas tetigerit, delectatur.

LIBER SECUNDUS.

Clodoveus igitur anno quinto imperii sui contra Siagrium Ægidii filium arma corripuit, atque ad exturbandum eum de paterno solio Francos omnes in exercitum adunare præcepit. Siagrius pari modo ex omni parte collectis viribus ad defendendum suorum animos præparat, Romanorum fortia facta exem-

memorans, et ad contemnendos inimicos eorum enses acutissimos esse semper insinuans. Et cum hinc et inde utræque acies insisterent, et buccinis concrepantibus undique spicula mitterentur, totis viribus cum Romanis decertantes Franci, memores prioris injuriæ qualiter eos a Sicambria ejecerant, nulli parcentes ætati, omnes pariter desectis cervicibus gladiis obtruncabant ; et quod dictu etiam est horrendum, plures eorum laniandos bestiis objectabant. Siagrius itaque cæsum cernens exercitum suum, solus e prælio fugit, et cum se morti conaretur abstrahere, morti potius destinatur. Nam dum Tolosam fugeret ad Alaricum Gothorum regem, et Clodoveus victor detractis spoliis lætaretur, intercurrentibus nuntiis perlatum est Clodoveo quod apud Alaricum Siagrius occultaretur. Pervaso igitur omni regno Siagrii, Clodoveus legatos suos ad Alaricum dirigit, mandans ut ei Siagrius redderetur, sin aliter, pararetur ad bellum. Metuens Alaricus Francorum gladios experiri, per eosdem legatos regi Clodoveo Siagrium mittit, mandans humiliter ut juxta votum animi quod meruerat redderet inimico suo. Qui cum regi præsentaretur, misso spiculatore caput ejus amputari præcepit. Dehinc jam sedato tumultu, et fugatis hostibus partimque detruncatis, regnum Siagrii, et thesauros ejus universos omnemque regiam supellectilem sibi soli Clodoveus retinuit. Prædam vero et spolia occisorum militibus universis æque dividenda mandavit. Non solum enim villas seu castella aliqua vastaverant, verum etiam ecclesias plures cum tanta aviditate depopulati sunt, ut cum aurea quæque vel argentea utensilia sibi quisque reconderet, ea etiam quæ nullis utilitatibus erant congrua vel unguibus dissecarent, vel flammis injecta conremarent. Inter cætera vero ecclesiarum ornamenta, urceum miræ magnitudinis mirique decoris, de ecclesia quadam abstulerant. Hos ecclesiæ ejusdem episcopus per legatos subsequitur, humili prece depescens ut ei Clodoveus rex urceum reddere dignaretur ablatum. Quibus ita respondit : « Licet omnia reddenda forent quæ de Christianorum ecclesiis abstulimus, tamen si aliud videtur non mereri episcopus, urceum tamen, si nostræ parti obvenerit, non negabo. » His dictis, concitus abiit quo totius prædæ summa dividenda erat, et sic universis militibus infit : « Rogo, charissimi milites, ut Dei amoris gratia urceum illum meæ sorti deputetis, quatenus hunc petenti episcopo reddere valeam, ne ex toto paupercula ejus ecclesia nostra violentia desoletur. » Placuit universis petitio regis, et gratanti animo urceum reddere decernebant, cum unus e Francis in sui perniciem elevata bipenne urceum percussit, et ait : « Quod ei sors dederit, cuivis impertiatur a rege, nostras nobis partes ipse relinquat. » Obstupefactis omnibus ac rei istius novitate turbatis, regis indignatio patientia interim opperitur, et urceum reddere præcepit episcopo. Anno itaque expleto congregato exercitu, dum secundum morem

A giraret universos, et apparatum singulorum sedulo perlustraret intuitu, ad ultimum eum qui percusserat urceum oculis conspicatur. Et præfatam injuriam mente revolvens, agrestia ejus arma miratus, eum injuriare cœpit cur videlicet conventum virorum nobilium tam horrendo turpasset apparatu. Accipiensque arma singula, cum indignatione maxima elisit ad terram. Et cum ille ad colligenda arma manum acclinis extenderet, rex elevata bipenne caput ejus lethali vulnere percussit, et ait : « Ita et tu anno præterito Suessiones urceum percussisti. » Quo mortuo, adversus Thoringos eumdem duxit exercitum, et eos nimia cæde prosternens, post innumeras cædes, post populi totius diminutionem, post patriæ devastationem, residuos tandem,
B qui vitam fuga protexerant, redire præcepit, et eos Francorum tributarios fecit.

In diebus illis Gundobaldus et Godegisilus Burgundionum reges, filii videlicet Gundevei, qui ex genere Athanarici regis descenderat, nimia cupiditate illecti, fratrem suum nomine Chilpericum gladio peremerunt, et uxorem illius, ligato ad collum saxo, fluctibus submerserunt. Chilpericus iste duas filias habuit. Nomen uni Chronna, Crochildis altera vocabatur ; Chronnam vero, mutata veste, Gundebaldus exsilio condemnavit, Chrochildem domi retinuit. Præceperat tunc Clodoveus rex legatario suo Aureliano ut sibi puella nobilis quæreretur bonis moribus adornata et habitu corporis decorata, quam sibi conjugio copularet. Frequenter in Burgundiam
C Aurelianus ierat, quamobrem et Chrochildis prudentiam et elegantiam bene cognoverat. Hic accessit ad regem, et puellæ prudentiam nimiis præconiis attollere cœpit. Exarsit in concupiscentia ejus regis animositas, et per legatarium virginis aures appellat, si forte Francorum regi puella nobilis et orphana cuperet sociari. Regis mandata laturus arripit iter Aurelianus, Burgundiam tendens, et quo noverat esse puellam pedestri itinere properat, peram ferens et baculum, resarcitis tunicis adopertus, in sportella absconsa ferebat munera Clodovei. Quo cum pervenisset, adveniente die Dominico inter reliquos pauperes ad capiendam eleemosynam sese Aurelianus immiscuit ut Chrochildi de ecclesia redeunti paucos indicaret sermones. Erat enim Chri-
D stiana. Quæ cum de ecclesia domum reverteretur et solita munificentia singulis pauperibus eleemosynam impertiret, pervenit ad Aurelianum et obtulit ei aureum unum, totius ignara negotii. Quem cum ille recepisset, caute subtraxit pallium puellæ, innuens sese loqui velle cum illa. Ventum est ad palatium, et, subsequente Aureliano, ingreditur virgo triclinium, et misit ancillam quæ convocet peregrinum. Detulit Aurelianus donaria regis, et annulum Clodovei manu gestans porrexit eum puellæ, et ait : « Loquatur, obsecro, mi domina, quiddam servus tuus secrete in auribus tuis ut licite possim intimare mandata domini mei regis. » Cui et illa : « Loquere, » inquit. Et educens e sportella sponsa-

lia ornamenta, obtulit puellæ, dicens : « Hæc mandat dominus meus rex Clodoveus, ut si ei prædueris tuæ voluntatis assensum, absque dilatione te recipiet in uxorem. » Tantam industriam viri miratur puella, et cum nimia mentis alacritate donaria regis amplexatur, et cætera sibi recondens, annulum solum in thesauros avunculi sui reposuit, et talia retulit portitori : « Salutem dicito Clodoveo, et quamvis non sit licitum ut nubat Christiana pagano, tamen si Domini Dei voluntas adfuerit cui servio, quem confiteor, quem adoro, gratias divinæ referam majestati, et nutum subsequar imperantis. Et tu nostri secreti fidus adjutor vade in pace. » Perlata sunt ad Clodoveum verba puellæ, et rursum Clodoveus Aurelianum legatarium ad Gundebaldum dirigit, mandatque ut ei in conjugem neptem suam tribuat, si Francos velit habere pacatos ; alioquin aut tributa persolvat, aut ad pugnandum cum eo arma corripiat. Hæc audiens Gundobaldus, mente consternatus convocat amicos et consiliarios suos, dicens illis : « Nostis omnes consiliarii et amici mei, quod Francorum rex Clodoveus adversum nos quærat occasiones, petens per legatum neptem Chrochildem, cum necdum eam facie noverit. Hæc est dissensionis origo, hæc causa discordiæ, hæc nostræ vastationis infinita perditio. Ad hoc tendit omne negotium, ut nos omnes vita privet, deinde gentem nostram spoliet libertate. Ideo enim vos accersivi ut pari consilio saniorem exitum inquiratis, et communi utilitati providentes, quid facto opus sit vestra auctoritate decernatis. »

His ita peroratis, Burgundiones consiliarii ejus metuentes iram incurrere Clodovei, pari consilio decreverunt ut tanto regi tamque potenti puella donaretur, ne hac occasione ad delendos eos tantæ gentis ferocitas acueretur. Metuebant enim Francos, ut cæteræ gentes quæ cernebant eos undique dilatari ; nec esse aliquem, qui eorum gladiis resistere posset. Mandant ergo accelerari negotium, ne prolongata responsio verteretur in fastidium. Et advocans Aurelianum Gundobaldus, his eum cœpit interpellare sermonibus : « Quoniam occasione petendi uxorem domino tuo regi domos nostras et patriam explorare venisti, hæc populi nostri responsa dicito Clodoveo. Inaniter suspicatus est habere neptem meam conjugem, frustra concupivit Chrochildis meæ pulchritudinem. His exasperatus Aurelianus, ita respondit : « Quoniam rusticani alicujus me putas mandata detulisse, non hoc mandat alius nisi Clodoveus, tuus et meus dominus : tuus, inquam, tuus, ut mittas ei sponsam suam Chrochildem. Quod si distuleris, aut ei tributa persolves, aut libertatem gladio defensabis. » Substomachatus Gundolbadus hæc tantum Aureliano verba rependit : « Veniat, veniat dominus tuus Clodoveus, quoniam ad defendendam libertatem Burgundionum enses paratos inveniet, et, Domino Deo nobis auxiliante, ad internecionem decidet audacia ejus, et vindicabitur sanguis gentium plurimarum, qui effusus est in manibus ejus. » Et plura locutus, tandem consilio prudentum virorum mitigata est insania, et sic Chrochildem Aureliano tradidit. Quam cum ingenti gaudio Aurelianus suscipiens, Suessionis civitatem secum usque duxit, et reddidit eam Clodoveo. Cujus pulchritudine delectatus rex, convocatis regni sui proceribus, secundum regiam consuetudinem eam sibi sociavit in uxorem. Sero igitur die illo, quando more nuptiali simul accumbere deberent, sic illa prior allocuta est Clodoveum. « Audiat, oro, dominus meus rex ancillam suam, et concedere dignetur famulæ suæ petitiunculam, si inveni gratiam in conspectu illius. » Cui Clodoveus : « Pete, ait, quod vis, quoniam tua petitio consequetur effectum. » Ad hæc regina spiritu Dei repleta, his regem cœpit interpellare sermonibus. « Primum postulat ancilla tua, domine mi rex, ut Dominum cœli patrem omnipotentem credas, qui te creavit. Deinde ut Dominum Jesum Christum, qui nos redemit, a Patre de cœlis missum ad salutem credentium confitearis. Tertio Spiritum sanctum et illuminationem omnium justorum agnoscas, et agnoscens omnem simul venerare divinitatis unicæ majestatem, et in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti, nihil prius, nil posterius, nil minus suspiceris, sed æternitatem tota mente et coæqualitate complectaris. Et idola quæ non sunt dii, sed muta simulacra succendas, ecclesiasque Dei mei quas succendisti reædifices, et baptismum recipias in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et hoc ad ultimum peto ut requiras thesauros patris mei et matris meæ, quos Gundobaldus avunculus meus nequiter interfecit, quorum sanguinem Dominus ulciscatur. » Et ait rex : « Hoc ad præsens mihi videtur haberi difficile ut deos meos relinquam et Deum tuum colam ; sed cætera, ut potero, faciam. » Cui et illa : « Hoc est, inquit, maximum et singulare, quod postulo, ut Dominum cœli colas, per quem velis nolis regnas, in cujus nomine adversariorum castra facile superabis. »

His ita peroratis, cubiculum introgressi pariter accubuerunt, et nuptialiter solemnisantes in gaudio et lætitia totius anni spatium expenderunt. Expleto itaque anno, ad Gundobaldum iterum Clodoveus Aurelianum dirigit, mandans ut Chrochildis uxoris suæ thesauros ei transmitteret. Ira fervens Gundobaldus Aureliani verba vix sustinet, et in hæc verba tandem prorumpit : « Nunquid in manibus Clodovei regnum meum tradetur, aut thesauri mei ? nonne obtestatus sum, et dixi tibi, Aureliane, ut non venires amplius explorare substantiam regni nostri, vel principum nostrorum felicitatem ? Salutem populi nostri testor, nisi cito reverteris et recesseris a me, ego interficiam te. » Cui Aurelianus ita respondit, dicens : « Vivit dominus meus Clodoveus rex et primates regni ejus, quia non te timeo, dum dominus meus advixerit. Et sic mandat proprius tuus et meus dominus Clodoveus, quia tibi est occursurus ut thesauros uxoris suæ recipiat. » His auditis, Bur-

gundionum majores dederunt regi suo consilium ut universa quæ fuerant patris ejus vel matris Chrochildi absque dilatione redderentur, dicentes regem esse ferocem, populum sine Deo, pactum debere stabiliri cum talibus, ne unanimiter irruentes in eos, terram pariter delerent ac populum. Quid plura? Reddit Gundobaldus legatario regis omnem Chrochildis supellectilem, et ex thesauro suo auri purissimi et argenti fabricaturas pretiosissimas, et ait ad Aurelianum: « Quid restat amplius, nisi ut universum regnum meum Clodoveo dare debeam? Revertere cito ad dominum regem tuum, qui habes quod ei deferas, munera multa. Metit messem quam non seminavit, et colligit quod non sparsit. » Et ait Aurelianus: « Filius tuus est dominus meus Clodoveus. Non contristeris si modicum istud ei detulero; ex hoc nunc omnia vestra communia erunt. » Et dixerunt Burgundiones: « Vivat rex, qui tales legatos habet. » Reversus est Aurelianus ad dominum suum, et restituit ei omnia quæ reddiderat Gundobaldus.

In diebus illis dilatavit Clodoveus Francorum regnum usque ad Sequanam, et accipiens castrum Miledunensem tradidit eum Aureliano legatario, eumque ducem provinciæ illius esse instituit. Dehinc Aurelianis usque perveniens, Francorum terminos usque ad fluvium Ligeris protelavit. Interim regina dominum suum adhortabatur ut Deum coleret, et muta simulacra ex omni regno suo deleret, si victor adversus inimicorum omnium impietates esse cuperet. Deludebat eam Clodoveus et subsannabat; non tamen exprobrando, sed blandiendo potius vitæ monita refutabat. Ad hoc utique ventum est ut regina conciperet et pareret filium, et juxta ritum Christianorum ad abluendum sacro baptismate in ecclesiam deferri præciperet. Baptizatus, et signatus, et sacro chrismate delibutus: quem Ingumerem vocaverunt hi, qui eum de sacro baptismate susceperunt. Nec mora defungitur infans, et res sicut evenerat innuitur Clodoveo. Tristatur pater anxius, primam sobolem cum insperate deferri videt ad tumulum, et reginam increpat cur videlicet in nomine Domini nostri Jesu Christi signasset infantulum. Affirmabat enim insanus quod si diis suis dedicatus fuisset, non tam cito privaretur hac luce. Regina vero gratias Deo referebat quod ejus primogenita in cœlesti gloria sublimasset. Post autem hunc peperit et alterum, et ablutum fonte baptismatis Clodomirem vocaverunt. Et hic cum ægrotare cœpisset, verbis reginam asperioribus increpat Clodoveus, asserens istum etiam nulla ratione vivere posse, nisi quo modo vixerat et alius. Sed orante regina, et Domini misericordia præcurrente, vitæ pariter et sospitati restitutus est infantulus. Rex itaque credere differebat, nec monita salutis audire volebat, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Suevosque moveret, in quo compulsus est confiteri quod Deus solus potest auxilium præstare credenti. Nam cum hinc et inde utræque acies insisterent, et perstrepentibus buccinis cominus jacula mitterentur, nec Francorum vires ad proterendos inimicos sufficerent, prospexit ex alto Dominus, et miratus laborem mulieris virum infidelem salvare cupientis, immisit timorem suum super Francos. Et jam terga dare volebant, cum Aurelianus nomen Domini ad adjutorium interpellans, his regem verbis constanter alloquitur: « Crede tantummodo, domine mi rex, Dominum cœli, quem Chrochildis prædicat, et inclamato ejus nomine tuos celeriter conteres inimicos. » Hoc rex animatus alloquio, ad cœlum oculos elevat, et cum lacrymis hac Dominum voce precatur: « Jesu bone, quem Chrochildis regina mea prædicat esse Filium Dei vivi, qui subvenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum auxilium devote postulo, non abneges mihi soli quod plurimis est collatum. Quod si mihi victoriam dederis, et in hoc virtutem tuam expertus fuero, credam tibi, et baptizabor Nam invocavi deos meos, et elongati sunt a me, et nullam eos suspicor habere virtutem, qui nec occurrunt, nec auxilium deferunt invocati. Te invoco, te confiteor, te jubente, noster confertetur exercitus, et adversariorum nostrorum audacia conteratur, ut vel si victoriam non mereor, tantummodo ab eis liberer. » Et cum hæc ita perorasset, ac nomen Domini cum interno rugitu cordis inclamasset, defectis viribus terga dederunt Alamanni vitæ spem fugæ credentes. Sed cum et regem suum cernerent interfectum, retroversi Clodoveo supplicant ut tantam stragem cessare præciperet, sua omnia seque dedentes. Qui cum imminentem plagam cessare fecisset, terras eorum nimia populatione vastavit, et eos sub tributo constituit.

Hac igitur patrata victoria, reversus in Franciam narravit uxori qualiter per invocationem nominis Jesu Christi victoriam meruerit obtinere. Læta illico Chrochildis efficitur, et lacrymis superfusa sanctum Remigium Remorum archiepiscopum sub festinatione convocat ut ipse videlicet suppleat quod in marito Dominus per eam jam cœperat operari. Pandit episcopus salutis januam, et torrente Scripturarum sitientem animam reficit peccatoris. Mitigatur amentia regis et ex lupo mutatur in ovem, et vacuus ad Dominum venire formidans mille hostias præparat, quas secum offerat creatori. Necdum initiatus in sacris fit suæ genti apostolus, nomen Domini gentibus prædicat, exercitui comminatur ne ultra simulacris incurventur. Quid plura? fit subito concursus populi, exercitus omnes dextras jungunt, pares animos offerunt Creatori, et qui tardior currit ad lavacrum quasi ignavior a cæteris incusatur. Et consertis manibus videns acies ad ecclesiam convolare, et ob amorem regis antea etiam baptizari cupiebant, quam baptismatis jura cognovissent. Hac igitur frequentia constipatus subintrat ecclesiam rex victurus. Cumque persensisset, per thymiamatis redolentis thurisve fragrantiam, et miraretur parietes cortinis palliisque velatos, pavimentum omne diversis floribus fuisse respersum, quæsivit a pontifice si esset hoc paradi-

sus, vel futura gloria quam ei in sua prædicatione promiserat. Ad quem episcopus: « Non, inquit, hoc est paradisus, quem pollicitus sum domino meo regi, sed est Ecclesia Dei per quam et in qua bonis operibus acquiritur gloria illa indeficiens regni celestis, quam ab origine mundi præparavit Dominus his qui diligunt eum. » Tantam denique gratiam subministravit Dominus in populo, ut non jam viceni vel centeni ad locum baptisterii convenirent, sed universam pene civitatem in unum convolasse crederes, unam dedisse sententiam, pares animos obtulisse Creatori. Interiori igitur gaudio conformati applaudebant in unum, et regem suum his adhortabantur alloquiis: « Dominus noster rex prosequatur inceptum, quia et nos mortales deos abjicimus, nugaces contemnimus, manufactos expellimus: et Deum verum quem prædicat Remigius incontaminata credulitate recipimus, et eum fidei veneratione complectimur. Hunc Deum enim Christianitatis credimus, et adoramus, et in hac religione usque ad terminum vitæ permanere parati sumus. » Quid plura? venit ad baptismum quasi novus Constantinus A abnegatis diaboli pompis, et feroces animos humilians Creatori. Huic devotioni congaudens episcopus, protensis manibus in sublime Dei potentiam collaudabat, et regem his hortabatur alloquiis: « Mitis en, inquit, depone colla, Sicamber; idola varia crema, cultum venerare divinum. Pristinos errores, et fana priora relinque, et sanctas ædes vel nunc renovare studeto. » Igitur rex omnipotentem Dominum in Trinitate confessus baptizatus est a sancto Remigio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et sacro chrismate delibutus cum signaculo crucis videlicet Domini nostri Jesus Christi. Baptizati sunt de exercitu illius amplius quam tria millia, baptizatæ sunt et sorores illius Alblofedis et Landechildis, insuper totus Francorum populus. Nam Dominus noster B Jesus Christus abundanter his sanctam gratiam infundebat. Hac occasione suæ fidei gratiam Gallica disseminabat in tellure. Ecce regem reddimus innovatum, necesse est uti et paginam pariter innovemus. Sed prius quieti modicum membra locantes resumamus flatum, quo facilius die crastino materiæ nostræ valeamus referre sequentia.

PROLOGUS LIBRI TERTII.

Nondum noctis detersa caligine ad persolvendum debitum, quia importuni feneratores insistitis et pigritantes artus excutitis, e lectulo socordiam meam verbis asperioribus increpantes, cur non jam adhuc pene dormiens extenderim digitos ad scribendum, C cum noverit unusquisque vestrum qua conditione gravetur, qui mercede conductus aliis servire compellitur. Prius ad pastum reducemus oviculas, prius agniculos modico lacte potabimus, prius et tectulo eos contutabimus, et cum sub frondosa arbore membra locavero, si vos adfueritis, et jactis globis vel lapidibus, ne modico gregi insidietur, lupum nobiscum exturbaveritis, tunc forte liberius atque commodius exsolvere potero quod repetitis. Et ne vobis videar innectere moras, dum nocui aeris nebulas formidantes Austri spiramina, qui eas submoveat vel aranearum telas disrumpat, quibus herbæ solent infici, præstolamur: jam nunc in alteram partem nos ducentes consistamus in unum, et tædium vestrum hac modica relatione levabo.

LIBER TERTIUS.

Baptizato, ut diximus, rege nostro Clodoveo, et universo exercitu ejus sacro chrismate delibuto, tanto regina dicitur exsultasse tripudio, ut in conspectu omnis populi solo procumbens, et lacrymis superfusa Domini benediceret majestatem, quia in ea dignatus fuerat adimplere quod scriptum esse in Apostolo legerat qui dicit: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Ex tunc Francorum virtus et gloria ita Domino procurante magnificata fuisse refertur, ut non solum vicinæ gentes, verum etiam longe remotæ eorum amicitias expeterent, et eos consanguinitatis gratia sibi fœderari vel consortiari cuperent. Unde contigit ut Theodericus Italiæ rex, qui in Italia Gothis imperabat et Romanis, Landechildem Clodovei sororem ad conjugium expeteret et acciperet. Is igitur Theodoricus quis fuerit vel unde originem duxerit, si modicis verbis evolvero non vobis onerosum habeatur, præsertim cum heri promiserim me aliqua relaturum de opusculis vicinarum gentium. Theodericus igitur iste, ut Idatius refert, ex Macedonum descendit origine, illorum videlicet, qui summa sorte de Troja cum nostris aufugerant et Macedoniam armis domuerant, insuper et pervaserant. Hanc insectantes Romani, sicut et cæteras nationes, multis eam præliis attriverunt, captivos secum adducentes, et spolia multa ferentes. Adductus est inter reliquos puer quidam D Theodericus nomine, et puella quædam quæ Lilia vocabatur. Hi sorte militaris prædæ devoluti sunt in partem Idatii patricii, et fideliter serviendo domini sui gratiam pleniter sunt adepti. Erat huic Idatio uxor nomine Eugenia decora valde, sed sterilis. Ob hanc causam adoptaverunt sibi in filium Theodericum, Liliam in filiam, et singulari dilectione excolebant. Quos cum amandi lege consueta nutibus et sibilis, jocis et amplexibus incubare conspicerent, conjugio copulari permiserunt. Et advocans Eugenia puellam dixit ei secretius, cum ad viri coitum accesseris, quæcunque tibi nocturna visione occurrerint in crastino mihi referes universa. Putabant enim insani et vecordes universa provenire, quæ prima nocte copulationis somniasset mulier despon-

sata. Hanc consuetudinem ab insipientibus et rusticis adhuc etiam conservari quasi veracem, cum ex toto inanis sit et abjicienda, plurimi asseverant. Abiit mulier, et obdormivit, et tamen ei in somnis fictitia quasi præsentia demonstrata sunt. Vidit in somnis quasi de umbilico ventris sui exire arborem excelsam et sublimem, ita ut pene nubium altitudini coæquari videretur : filium videlicet signans, qui ex utero illius generandus erat. Et evigilata præ pavore narravit viro suo somnium, insuper et secretum dominæ suæ nil morata nudavit. Quæ cum mane surrexisset edocta a marito, non ut evenerat, sed fallens dominam suam ei aliter est locuta. En, inquit, domina mea, tua verba rememorans, juxta virum hac nocte obdormivi, et vidi per somnium quasi equum et equam omnium pulchriores ingredi in domum dominorum meorum, quos subsequebatur pullus habilis et lascivus sua pulchritudine superans omnes greges equorum.

Iis auditis, Idatius et Eugenia putaverunt sibi sobolem adfuturam, et ob hanc gratiam Theodericum et Liliam libertate donaverunt, et multis muneribus ditaverunt. Conceptum puerum Lilia peperit, et vocavit eum nomine patris sui Theodericum. Crevit puer, et ablactatus est, et adoptans eum Idatius in filium, cum omni diligentia eum enutrire præcepit. Fuit enim decorus aspectu, statura procerus, sæculari prudentia et calliditate munitus, et corporis nimia fortitudine circonspectus. Defuncto igitur Idatio et Eugenia, jussus est militare Theodericus, et sic Leonis imperatoris gratiam emeruit, et imperiali palatio apud Constantinopolim ingenuitatis et audaciæ nomen sibi acquisivit et laudem. Ptolemæus quidam ex senatorio ordine huic in amicitiam singularem ita devinctus esse refertur, ut eum usque ad diem sui obitus suo consilio et prudentia ab obviantibus periculis invidorum tutare conatus sit. Et dum quibusdam Theoderici prudentia placeret, dum et quibusdam invidiæ causa videretur onerosa, per internuntios communi consilio ab imperatore Itali petiverunt ut eis Theodericus patricius institueretur, quatenus ejus prudentia singulari ab instantibus inimicis tueretur Romana libertas. Placuit hoc imperatori, et eum Romam dirigens, patriciatus honore sublimatus est, et cum Herulis prælia multa commisit, et eos ad internecionem usque delevit. Unde contigit ut cum die quadam adversus eorum regem prælium concitassent, et ex utroque exercitu plurima hominum multitudo mutuis vulneribus sternerentur, sentiens Theodericus suorum gladios defecisse, terga dedit, et ita cum suis fugiens Ravennam est ingressus. Quem cum insperate Lilia mater inspexisset, sic eum exasperans et illudens increpare cœpit et dicere : « Quæ, inquit, o mi nate, dementia ita te compellit abire præcipitem? Non jam quo fugias, nisi ut sublevatis vestibus meis ingrediaris uterum, de quo parvulus oriendo prodiisti. » Quod ille audiens, et nimia verecundia perfusus, recollectis paucis militibus, optans magis mori quam amplius vivere, cum jam dispersi essent ad prædandum, quasi ex improviso inimicis occurrit, et eos imparatos inveniens veluti vulgus ignobile superavit, et eorum regem gladio trucidavit, uxorem insuper ac liberos interfecit, regnumque et gentem Herulorum et nominis dignitatem ad nihilum usque deduxit, et eorum spoliis ditatus est, ita ut Chræsi opes superasse se crederet. Hoc cum relatum fuisset imperatori, extimuit protinus ne similiter adversus eum aliquando arma corriperet, et eum vita privaret et imperio. Tunc etiam et persuasum est imperatori a quibusdam æmulis, quibus Theoderici liberalitas et prudentia displicebat, qui eum quoque accusaverant crimine pessimo, ut Theodericum sub festinatione ad se venire præciperet et eum vita privaret. Theodericus igitur nihil doli suspicatus, cum 12 millibus fortissimorum bellatorum Constantinopolim usque properavit, et sic occurrit imperatori. Decretum erat ab universo senatu ut cum Theodericus solus ingrederetur palatium, membratim scinderetur totus, et ita de medio viventium tolleretur. Sed Ptolemæi amici sui consilio conservatus et astutia liberatus est. Accessit enim ad imperatorem, et eum his allocutus est verbis : « Indignum nimium est majestati vestræ, domine mi imperator, ut sic fraudulenter homo ille interficiatur sine lege, sine judicio, sic separetur a suis, sic opprimatur a nostris. Prius omnibus causa criminis exponatur; prius ad suos senatores etiam de curia nostra nobiliores dirigantur qui rem diligenter examinent, qui offensionum culpas multiplicare didicerunt, ut cum ab utrisque morte dignus fuerit judicatus, tunc decentius atque liberius aut bestiis subrigatur, aut capite puniatur, vel suspendio pereat. Interim vivus teneatur et vinctus. En et ego cum legatis vestris abire paratus sum. » Eliguntur denique quinque viri nobiliores de curia imperatoris qui, ut suggesserat Ptolemæus, ad Gothos Italosve imperatoris mandata deferrent. Jussu imperatoris abiit cum eis Ptolemæus, et secretissime præmisit puerum qui Gothis universa nuntiasset, et qui intimaret legatos omnes esse vinciendos pariter et Ptolemæum, et quarumdam pœnarum ostentatione perterrendos, nisi eis velociter dominum suum Theodericum sanum et incolumem redderet imperator, et cum prosperitate eos omnes qui cum eo erant ad propria redire permitteret. Quid plura? necdum verba finierant qui missi fuerant senatores, et ecce undique vinciuntur, ad suspendendum cruces aptantur, gladii acuuntur et diversa mortium genera præparantur : eos pariter enecare comminantes, nisi dominus suus eisdem redderetur, et sacramento firmaret imperator ut eos omnes qui cum eo erant incolumes ad propria redire permitteret.

His angustiis arctatus imperator, vellet nollet Theodericum Gothis reddidit, et eos omnes cum prosperitate repatriari permisit. Cum ergo Theodericus cum sociis ad propria remeasset, comperit

Avares in Italiam introisse, populum et patriam devastasse, urbes plurimas solo coæquasse et Romam usque vestigium velle protendere. Tandem resumptis armis et viribus eos omnes de patria expulit, et usque ad Pannoniorum terminos insecutus, et juxta eorum exercitum tentoria fixit. In die igitur crastino, assumptis secum militibus sex, septimus ipse castris est egressus ut Avarorum castra per semetipsum exploraret. Simili modo Avarorum quidam Xerxes nomine singulariter e suorum castris est egressus, ut et ipse quasi potentissimus præliator potentiam persequentium exploraret. Quem cum singulariter oberrantem Theodericus inspexisset, tres e suis comitibus ad eum capiendum ire mandavit, quos Avar solus fugam fingens, et sæpius loca reflectens, singulariter interfecit. Alios tres iterum abire imperat, sed statim ut primos fefellerat, fallere tentavit et alios, et in oculis Theoderici eos hasta dejecit et gladio. Post hæc Theodericus cum eo singulariter decertans, in brachio eum vulneravit, tandemque devictum secum ad castra suorum ipse reduxit. Cujus prudentia et fortitudine delectatus, verbis eum suavioribus est hortatus ut cum eo pacifice remaneret, munera plurima promittens et honores. Qui parvipendens preces et munera, hoc solum quotidie precabatur ut ad solum proprium Theodericus redire permitteret. Et cum eum ullatenus retinere non posset, tandem abire permisit, et ipse eum subsecutus est usque ad Istriam fluvium. Quem cum Avar transnatasset, respiciens retro sic ab altera ripa Theodericum est allocutus : « Quoniam libero me arbitrio restituisti, jam nunc ad te revertar, eroque tibi fidelissimus. » Reduxit eum Theodericus secum, multisque di atum muneribus contra Wandalos et Suevos eum sæpius comitem habuit, quoniam omnia prospera illi provenire cernebat.

His ita gestis, et fugatis Avaribus, Romam cum prosperitate Theodericus reversus est victor. His ferme diebus ad Clodoveum Theodericus legatos suos misit, mandans ut ei sororem suam Landechildem in matrimonium tribueret, et ex hoc pacis firmissimum pactum inter se custodirent. Annuit ejus petitionibus dominus noster Clodoveus, et cum honore maximo suam sororem ei tradidit. Quam Theodericus benigne suscipiens, eam sibi sociavit in uxorem. Quæ peperit ei filias duas, et cum eo pariter et ipsa benignissime conversata est, donec earum unam beato Sigismundo regi et martyri in matrimonium copularet. Alia vero cum matre sua domi residens post mortem Theoderici, cum viro cuidam ignobili connubio illicito copulari cuperet, a matre prohibita est. Sed conceptam saniem mente revolvens, injuriam quam pertulerat refudit in matrem, et eam quasi nefariam veneno interfecit. Quod cum comperisset rex qui patri suo successerat, tanti piaculi malum debita ultione decrevit esse vindicandum, et eam baluei calore præfocari præcepit. Sed de his satis dictum, et jam ad historiæ ordinem recurramus, præsertim cum adhuc Theoderici istius historiam ad supplendum nostræ narrationis ordinem nobis necessariam suspicemur.

Clodoveus igitur anno 2 sui baptismatis contra Gundobaldum et Godegisilum arma corripuit, et in eos aciem dirigens, ad ulciscendos veteres uxoris suæ injurias Francorum animos acuit, Burgundiones universos aut gladio trucidare, aut tributo gravi subjugare decernens. Contra quem Gundobaldus et Godegisilus exercitum magnum præparant, et ad se defendendum, licet redarguente conscientia pœnam fratricidii mererentur, cum omni bellorum apparatu ætatis utriusque viros conglomerare fecerunt. Et sic collecta omni multitudine Divionem usque properarunt, et utrinque totis viribus concertantes terga dederunt Burgundiones, et tanta feritate depopulatus est eos Francorum exercitus ut vix possit colligi numerus occisorum. Gundobaldus itaque de prælio fugiens, in Avenionem civitatem se reclusit atque communivit, ac si tanto regi resistere posset. Sed manus ejus quandoque se effugere non posse persentiens, et offensionis suæ modum reformidans, Aredium quemdam consiliarium suum, virum sapientem atque modestum, ad Clodoveum direxit qui furentes ejus animos suo moderatissimo eloquio (*deest aliquid*)..... viri sapientis mitigata est ira regis, et cum propositione fratricidii dedit Gundobaldus domino nostro regi auri et argenti pondera multa et immensa, pro perpetrato videlicet scelere, ne regis animus amplius moveretur. Hanc autem conditionem inter se statuerunt ut per singulos annos sæculi superventuri tributum Burgundiones Francis præsentibus ac futuris exsolverent. Clodoveus igitur onustus præda, his atque muneribus honoratus, victor ad propria remeavit. Erant autem Gundobaldo filii duo, Sigismundus et Godegisilus.

Eodem vero tempore apud Viennam urbem terræmotus accidit maximus, et multæ ecclesiæ subversæ sunt. Domus insuper quamplurimæ ita eodem motu concussæ referuntur, ut etiam fundamenta ipsarum ab imis sedibus solverentur. Nec mora, oberrantes lupi et aliæ bestiæ feroces terræmotum subsequuntur, et per civitatis portas cum impetu formidabili irrumpentes, si quem fortasse offendissent hunc miserabiliter laniabant et puerorum aliquos ad silvestria protrahebant, catulis utique dividendos. Hac peste vastata est civitas pene per unius anni spatium, et tota ejusdem civitatis regio.

Eodem vero anno, adveniente paschali solemnitate, dum S. Mammertus, ejusdem civitatis episcopus, Sabbato sancto more solemni offerret sacrificium Creatori, regale palatium urbis ejusdem divino igne crematum est. Videns igitur præfatus pontifex super miseros accolas pagi illius divinum exarsisse furorem, et feras irrationabiles ratione utentes homines per missione Dei omnipotentis irrationali feritate vastantes, tanti infortunii remedium a Domino monuit esse quærendum. Præcepit namque populo universo ut cum gemitu et contritione spiri-

tus per triduum more Ninivitarum ab alimentis abstinerent, et operti ciliciis, et nudatis pedibus incederent, loca sacrata flendo et orando circuirent, clamantes *Kyrie eleyson*, si forte hac humiliatione placatus Dominus tam terribilem exterminationis sententiam in benevolentiam commutaret. Instituit etiam ut per annos singulos in eadem ecclesia litaniæ per triduum agerentur, ad quas universus populus conveniret, et ne amplius feraliter absumerentur, preces supplices effunderet Creatori. Vidit Dominus afflictionem populi sui, et pepercit creaturæ suæ, ne vastaretur ad internecionem; hac plurimum devotione delectatus est. Ita lupi sævientes repulsi sunt; ita vindicta cœlestis repropitiante Domino conquievit. Ita generalis luctus in gaudium est mutatus, dum cessavit tribulatio, dum in mansuetudinem bestiarum feritas est conversa. Hac sancta consuetudine delectata est sancta mater Ecclesia, et cum auctoritate Romani pontificis per universum orbem institutum est ut in his diebus tribus, id est secunda feria ante Dominicam Ascensionem, tertia videlicet et quarta, ad ecclesiam conveniat populus. Et sic litanias celebrent, ut sicut eodem tempore ab insectantibus lupis per Dei gratiam defensus est populus Viennensis, ita et nunc Dei miseratio spiritales lupos, id est, diabolos a nobis amoveat, et sanctam Ecclesiam suam defensare dignetur, ne callidus hostis sua feritate commaculet quod Domini sanguine cognoscitur esse redemptum. Precatur ibi pro statu Ecclesiæ, pro incolumitate principum, pro serenitate aurarum, pro terræ frugibus, et pro diversis populi incommoditatibus, ut Deus et Dominus noster Jesus Christus pro sua pietate et misericordia suæ sanctæ Ecclesiæ statum in omni prosperitate custodiat; principes populi catholici ita protegat et conservet, ut accincti fortitudine spiritali procul a nobis expellant omnes barbaras nationes; aeris temperiem bonam nobis tribuat, agrorum sterilitatem in opimam fecunditatem ipse commutet, fruges custodiat atque multiplicet, et ad maturitatem usque perducat; corporum quoque nostrorum incommoditates medicabili virtute depellat, et sanos atque incolumes in suo sancto servitio nos conservare dignetur. Pepulit Auster nebulam formidabilem aranearum, telæ disruptæ sunt, nocivus aer submotus, ad pastum oviculæ sunt ducendæ, ne procacis linguæ flagello percutiar et verberer. Vos vero nemine sciente caute me sequimini, si quid amplius audire delectat, et cavete ne hoc quoque Domini mei sentiant, quia mihi plurimum irascentur, si me deprehenderint otiantem vobiscum atque fabulantem.

PROLOGUS LIBRI QUARTI

Hora diei decursa jam tertia, quartum, juvante Domino, hujus operis inchoabo libellum, quia et sub frondosa arbore residentes æstum solis declinavimus, et lupus qui insidiabatur ovibus territus abiit. Constrinxerunt enim fauces illius, quibus pariter insidiabatur, nec jam ut lupus ululat, sed ut vulpecula gannit, humiliavit oculos, cervicem flexit, alteratur in voce, incedit ut languidus, non ut feritatem ponat, sed ut incautos decipiat. Utrum gallinas inspiciat, an sitiat agnos, habetur incertum: et si pellem mutasset Æthiops, in ovem pariter et hunc se crederem immutasse. Quod si mentitum habitum exuerit, et oves nostras amplius consueta feritate pervaserit, peram pastoralem, quam prope cernitis, lapidibus implevimus, fundam præparavimus; non nos segnes et imparatos inveniet, audacter eum exspectabimus, funda dejicietur et lapide. Et quoniam spectatis ad Austrum, et non verbis, sed nutibus intuitis, ut sicut Romanos a Gallis attritos et expulsos insinuasti, Gothos pariter tangam, et qualiter eorum rabies sit compressa plano sermone demonstremus. Faciam quod hortamini, si vos promiseritis nulla nos amplius inquietudine pulsaturum, et si rusticitatem meam mecum ipsi celaveritis, ne virorum nobilium quam urbanas aures lædat sermo pauperior, quia tanti regis historiam ausu temerario degustavi, quam sensatus aliquis præconiis innumerabilibus extollere debuisset.

LIBER QUARTUS.

Clodoveus igitur, cujus religiosum animum divinus fervor afflaverat, zelo fidei accensus, non solum de propriis finibus exturbabat hæreticos, verum etiam si aliquos vicinarum gentium minus religiosos esse comperisset, aut eos sedulis irruptionibus edomabat, aut duris nexibus servitutis violenter opprimebat. Unde contigit ut adversus Alaricum, Gothorum regem, arma corriperet, quem Ariana pravitate fœdatum totius vulgi opinione compererat. Alaricus iste audax et validus, et vir amplissimi animi exstitit, prosperis eventibus semper clarus ac nimia feritate præcinctus. Hunc sæpius Clodoveus rex per legatos admonuerat, ut ab Ariana pravitate desisteret, et æqualem divinitatem in tribus personis Patris, et Filii, et Spiritus sancti esse crederet, si eum sibi in amicitiam retentare cuperet. Sed Alaricus consueta feritate suffultus, propriis viribus confidere cœpit, et hoc etiam indigne ferens, cur talia auderet eum sæpius injuriabat, et pro gratiarum actione contumelias inferebat. Quamobrem et adversus eum, ut dictum est, multoties arma sustulit Clodoveus, et eum multis bellorum incursionibus lacessivit, donec tandem Paternus quidam legatarius Clodovei, vir sapiens et modestus, efferos Alarici animos pene inflecteret ad credendum, pacis et inimicitiæ jura perpetuo inter utrosque conserere cupiens, nisi cæterorum infidelitas obstitisset. Petiverat enim vir modestus ut in tondenda barba Clodovei patrinus ejus

efficeretur Alaricus, et deinceps in confessione veræ fidei perseverans, fœdus alterutræ pacis tali observatione firmarent, ut Franci pariter atque Gothi arma deponerent quoties ad stabiliendum fœdus, vel ad colloquendum acies utræque convenirent. Gothi itaque assueta infidelitate pacis fœdera perturbare cupientes, et regem nostrum vita et imperio spoliare meditantes, cultellos permaximos, quos vulgariter *hantsaccos* corrupto vocabulo nominamus, palliis contexerunt, ut hoc habitu palliati sine impedimento sternerent imparatum exercitum Clodovei. Quod cum Paternus legatarius præsensisset, genus factionis admiratus, Francos ad propria redire prætexit, et ipse Alaricum his sermocinationibus est aggressus : « Quoniam pacis et amicitiæ jura nostris ac vestris utilitatibus providendo inter utraque regna stabilire meditarer, et ut ex facto patuit, consueto mendacio et fraudulentia utimini, ut nostros palliatis vulneribus sternere volueritis, ne tam subito et insperate rejiciatur ista conditio, qualemcunque vicinorum regum per internuntios super hac re pariter consulamus, quidquid ipse decreverit absque frustratione compleatur. » Quod Paternus oraverat mandat compleri populis, et Theodericum Italiæ regem super hoc percunctandum insinuat, et quidquid ipse decernat præcipit exsequendum. Quo cum pariter perrexissent, Paternus videlicet et legatus Alarici, istius patefacto negotio cogitavit Theodericus quod si hos fortissimos reges separaret ab invicem et inter eos, altercationis et odii affamina seminaret, dum se mutuis bellorum eventibus impugnarent, dumque se uterque exercitus mutuis vulneribus sternerent, horum ipse medius pacato jure quiesceret. Hoc denique statuit, hoc decrevit, quasi ex sententia prodiretur, ut hinc et inde Francorum et Gothorum utræque acies convenirent atque circumstarent ; in quorum medio legatus Clodovei equo residens sursum hastam erigeret, et tandiu in circuitu ejus aurum argentumque pro compositione facinoris Gothi comportarent, donec omne spiculum hujus gemini metalli congerie operiretur. Hac conditione gravatus Alaricus, odium quam pacem elegit potius, et alio fraudis genere Paternum decipere conabatur, si forte casu aliquo læderetur ad mortem et ita finiretur ista contentio, dum non esset qui renuntiaret hujus negotii veritatem domino nostro Clodoveo. In vetustissimo eum solario hospitari præcepit, per quod dum incaute graditur, comminuto sub pedibus ejus ligno, pronus ad terram cecidit, et fracto brachio vitæ reservatus est, Domino protegente. Cumque vix convalesceret, nec dum sanato vulnere, ad ostendendos thesauros suos eum quadam die duxit Alaricus, et aperiens arcas demonstravit ei divitiarum suarum innumerabilem quantitatem. Ad hos Paternus exsiliens et alludens, præ gaudio manum tetendit ad arcam et rapuit aurum quod pugillus capere poterat ; et respectans Alaricum, sic eum audaciter alloquitur : « Nisi cito conduxeris acies, exercitum innumerabilem adunaveris, dextras eorum et animos armaveris, juratas legiones in nostrum sanguinem acueris, absque dilatione factionis tuæ dignas pœnas accipies, cum ad hoc aurum dividendum Francos nostros adduxero, cum ad hanc dignitatem possidendam nostros nepotes accendero, cum ad dividendos hos terminos calamos nostros vel funes extendere fecero. »

His ita peroratis, ascenso equo ad Francos concitus abiens, universa sicut evenerant domino suo Clodoveo nuntiavit, et ejus animos ad amplificandam Francorum gloriam vehementer accendit, dum ad videndos montes Pyrenæos, vel ad collustrandum mare Oceanum eum hortatur abire. Hoc fuit scandalorum initium, inde concertationis causa succrevit. Hoc origo discordiæ, qua et Gothorum feritas est attrita, et Alaricus vita pariter spoliatus et dignitate. Et quoniam Theoderici regis quædam principia retulimus quæ nostræ narrationi congruere sperabamus, quis finis ejus fuerit pariter intimemus, ut ejus formidabili exemplo pravos judices corrigamus. Hic iniquorum quorumdam consilio depravatus, Joannem papam et Symmachum patricium, viros Christianos, ab insidiatoribus accusatos, cum ex toto sine offensione viverent, iniquo judicio condemnavit atque trucidare præcepit. Post hæc cum duceretur ad exitum, nec rem hujuscemodi purgaret pœnitudine, ultio in eum divina descendit et iniquum ejus spiritum a corpore violenter abstraxit, et sicut beato papa Gregorio referente cognovimus, eodem die quo de hac luce migravit, vir quidam in Sicilia habitans et angelorum vitam inter homines gerens, dum juxta consuetudinem orationi incumberet, et raptus in spiritu vota supplicia porrigeret Creatori, vidit ipsum Theodericum discinctum et discalceatum vinctis post tergum manibus ad pœnarum loca pertrahi. Et hi duo viri, Joannes videlicet et Symmachus, turpiter eum appellabant violenter atque pertrahebant. Et sicut eos injusta morte damnaverat, ita ipsi eum post mortem ad supplicium perduxerunt, et in barathrum Vulcani sine miseratione projecerunt. Et de his ista sufficiant. Verum ad historiæ ordinem revertamur.

Clodoveus igitur Paterni legatarii sui consilio animatus et prudentia confortatus, Francorum proceres apud Parisios congregare præcepit, et astutiores his verbis alloquitur : « Quoniam animi vestri vigor et confidentia mihi bene comperta habetur, ideo vos accersendo æstimavi ut quibus mecum est una voluntas et amicitia singularis, animi mei secreta patefaciam. Volo compertum habeatis animum meum accendi vehementius, cum considero vitæ nostræ statum sine aliquo laudis titulo ad occasum quotidie vergi, et feroces nostrorum militum animos desidia mollescere, et metuo ne cum inertes animos ex dissuetudine capiunt, cum necessitas forte poposcerit, gladios eorum hebetatos ac rubigine corruptos inveniamus. Arma jam resumenda sunt, gladii acuendi, ad laborem militiæ corpora

sunt reducenda. Non vos illiciant blandimenta mulierum, non parvulorum vagitus exterreant. Licet gentilitatis errore tenerentur nostri parentes, armis et vicibus domuere superbos. Et nos, qui Christum adorare jam cœpimus, qui ejus laudibus de..ectamur et amicitiis fruimur, condignum valde ut inimicos ejus exosos habeamus. Ecce Galliarum partem maximam, quam Aquitaniam nominant, populus infidelis, Gothi videlicet insensati, cruentare videntur. Qui per Arianam pravitatem Filium a Patre separant, nec Spiritum sanctum cum Patre et Filio æqualem divinitatem habere fatentur, et per hoc inimici Dei esse comprobantur. Quod si uno animo verbis nostris assensum dederitis et vos ex nomine Christiano Dei amicos esse monstraveritis, sursum dextras erigite, et ad conterendum populum infelicem gladios felices exerite, minus cautos armis et adhortationibus bonis instruite. Dabit ipse pro certo victoriam, qui mentes vestras suo cultui dedicavit. Felicem Romam divitiis pariter et libertate nudaverunt, nec nobis minor gloria parabitur, si regem eorum ferocissimum bellando vicerimus, et regnum ejus atque fortunam nostræ ditioni subjecerimus. » Regis prudentiam omnes pariter amplectuntur, animositatem admirantur, et fidem potius venerantur. Dextras omnes in sublime erigunt, mandatum regis accelerari denuntiant, sesque votis stringunt, et ni superessent infideles, barbas non amplius esse radendas profitentur. Nec mora per populos volat edictum, præparari jubetur sexus uterque ad tale negotium. Parvuli ducuntur et matres, et evulsis et eradicatis oculeis hereticæ pravitatis, inserantur virtutum surculi, et novella plantatio fructum Domino centuplicet, quem adinventio fœda fraudaverat. Ad hæc regina Crothildis nimium exhilarata gaudebat in Domino, et plaudebat quod tam pretiosam sobolem per baptismum obtulerat Creatori, quæ etiam infidelium mentes, quas vomer ecclesiasticus sulcare non poterat, armis edomare decerneret. Accessit igitur ad regem, et ait illi : « Audi, obsecro, Domine mi rex, ancillam tuam, et jube construi ecclesiam in honorem beati Petri principis apostolorum, ut tibi sit auxiliator in bello, et profecto faciet Dominus victoriam in manibus tuis. » Placuit sermo reginæ in oculis Clodovei, et elevata bipenne quam manu gerebat, admisu quo potuit projecit eam a se, et ait : « In hoc loco, adjuvante Domino, S. Petri stabilietur ecclesia, cum e prælio victor reversus fuero. » Movit itaque exercitum, et Pictavis usque properare decrevit. Alaricus vero Gothorum rex tunc temporis morabatur ibidem.

Cumque per pagum Turonicum transiret exercitus Clodovei, pro reverentia S. Martini præcepit rex ut nemini in eadem provincia aliqua violentia inferretur. Sed nec omnino aliquid inde per vim tollere præsumpsisset exercitus, nisi tantummodo herbam quæ equis eorum videbatur esse necessaria. Munera etiam plurima et equum velocissimum, quem amabat plurimum, transmisit rex per legatos ad beati Martini basilicam, et ait illis : « Cum ingressi fueritis beati viri oratorium, et nostra munera præsentaveritis, quidquid ecclesiæ cantor primum ore pronuntiaverit, mandate memoriæ, ut mihi renuntiare sciatis. Forsitan aliquod victoriæ signum ex sancto sermone capietis. » His dictis, oravit ad Dominum, et ait : « Si tu, Domine, gentem hanc incredulam mihi tradideris, et victoriam in manibus meis videris [*f.*, dederis], et adjutor et protector in bello mihi exstiteris, in ingressu basilicæ Sancti Martini talia nostris pueris audire contingat in quibus aliquod victoriæ signum deprehendam, et cognoscam quia tu propitius fueris mihi servo tuo. » Dimisit itaque pueros, et abierunt. Cumque pervenissent ad ingressum basilicæ, emissa voce cantor pronuntiabat, dicens : *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum ; supplantasti insurgentes in me subtus me, et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.* Oblatis itaque muneribus, et oraculo divino confortati, cum lætitia et exsultatione ad dominum suum sunt reversi, et eum tali nuntio reficiunt. Inundaverant tunc aquæ præ nimietate pluviarum; et Vicenus fluvius in tantum excreverat ut penitus inveniri non posset locus quo sine navigio transmeari posset. Quo cum pervenisset rex et ultra progredi non valeret, tentoria figere præcepit ut vel pontem sterneret, vel navigium præpararet quo illud aquæ diluvium cum exercitu pertransire deberet. Sustulit hunc laborem Dei nostri miseratio, et in die crastina matutina jam luce diffusa, ecce cervam miræ magnitudinis eminus conspicantur quæ lento gressu amnem est ingressa, et quo transire debeat populus animal inscium nutu divino demonstrat. Nec mora cunctus exercitus amnem transiit, et cum animi tripudio Dominum glorificant in excelsis, qui ut Israeliticum populum per mare Rubrum, ita et Francorum populum per inundationem tanti fluminis viam mirabiliter ostendendo transire præcepit. Qui cum Pictavam pervenissent ad urbem, longe ab ecclesia Sancti Hilarii tentoria figere præcepit Clodoveus. Et comminatus est omni populo, ne in ipso pago spolium alicujus auferrent, neve diriperent domos, non pecora prædarentur, nec stipendia etiam per violentiam raperent. Eadem vero nocte pharus igneus quasi de sepulcro S. Hilarii egredi visus est, et super Clodovei tentorium per dimidiam fere horam apparuit, missus, ut credimus, in Francorum auxilium, ut hoc vexillo confortati ad conterendam incredulam gentem magis ac magis accenderentur. Alaricus forte tunc aberat, et ad congregandum innumerabilem exercitum legatos ubique direxerat, et ut ita dicam, non ad resistendum, sed potius ad communiendum suorum animos accendit, eorum fortia facta commemorans. Gentem nostram dicit esse paucissimam, latum et spatiosum suum denuntiat imperium. Sicut Romam attriverant, ita Fran-

corum gloriam insinuat conterendam. Non ad bellandum, sed ad prædandum eos adventasse mentitur. Mille convitiis nostros infamat, suos laudibus extollit immensis. Ne parvulos suos latrunculi spolient, arma denuntiat prehendenda. Sic substomachatus occurrit nostris non ut feriat, sed ut deglutiat; et vallatus militum suorum multitudine nostrorum exuvias suspirabat, anhelus quod effuso sanguine fœdarentur. Ignorabat insanus, quod ipse nostrum ductaret exercitum, qui non confidit in millibus, qui tonat in nubibus, qui movet abyssum, et sedet in cœlo. Clodoveus igitur castris egressus Christum gestabat in pectore, et totum lustrans exercitum ordinabat acies electorum. Fortissimos milites ut feriant adhortabatur, et mediocres ne paveant dictis informabat alacribus. Ut egregius miles ante ductabat exercitum, ut fidelissimus Christianus sæpius suspirabat ad cœlum. Ne ante tempus prorumpant ex acie, nobilium juvenum ardentes animos comprimit, et cum in bello steterint, gladios ne obliviscantur hortatur. Rudibus insinuat qualiter hostem feriant, et designat pariter quomodo ictus hostium incassum dissilire faciant. Petrum atque Martinum invocat ut succurrant; et respectans Hilarium ut vexillum capiat et ductet exercitum imprecatur. Nec segnius feriat Arianos, quam ventrem vacuum suis disputationibus ferire consueverat eorum principem infelicem Arium. Et innixus hasta Francos omnes intuetur, et signaculo nostræ fidei fidelem signat exercitum, et ut in nomine Domini feriant imprecatur. Ast hinc et inde conseritur prælium, et buccinis undique sonantibus, cœlum clamoribus impletur, tela volant per aera, terra sanguine cruentatur. Audires hinc gemitum morientium, illinc vulneratorum stridores horresceres. Palpitabat hinc exsanguis, et moriens vorabat terram aut lapides. Alius calcitrans, dum ei mortis tarda molimina viderentur, angustiatus præ dolore vulnerum, quiddam effractis spiculis rapiebat quo tristia pectora transverberaret, et tali mortis accelerationе finiebat vulnerum cruciatus. Clodoveus igitur hastam vibrans obvios quosque prosternebat, et nomen Domini sæpius inclamabat. Cumque Francorum animos ad internecionem odiosæ gentis sedulis inclamationibus adhortaretur, et aliquos in bello minus sollicitos confortaret, Alaricum eminus conspicatur, et equo post eum emisso, eum lancea percutit, et sic gladium evaginat. Ecce reges ferocissimos circumstans populus mirabatur, et eis ita bellantibus nullum solatium impendebat. Rimabatur uterque locum vulneris, et plerumque non inveniens aversi clypeum gladio decurtabat. Cumque hac vicissitudine alter alteri fervens succederet, et utrarumque galearum planities scinderetur in partes, ne res lucretur ad effectum, antiquæ feritatis fortia facta ememorans Clodoveus, elevato brachio ensem librat ad vulnus, et barbam mentumque pariter ac lævam manum, qua clypeum gestabat, excussit Alarici, et sic resiluit in partem; ita altera caput ejus amputare deliberans.

His ita bellantibus, duo Gothi prosiliunt ex adverso, et regem nostrum lanceis suis forti conamine percusserunt, eum ex improviso morti tradere meditantes. Sed Dominus omnipotens hunc protexit, et gloria triplici coopertus ictus tales pro nihilo reputavit, et Alaricum læva corripiens, adnisu valido deduxit gladium, et sic caput ejus amputavit. Tolluntur iterum voces ad sidera, et renovatis viribus Franci iterum animantur ad cædes. Sed Gothi morte sui regis inspecta, turbinum more hac illacque diffugiunt, et projectis armis incassum abdita quæque collustrant. Et, ut in veterum Patrum historia legitur, unus nostrum eorum mille persequebatur, et duo fugabant decem millia. Cerneres illud impletum, quod de peccatoribus Scriptura testatur, *quia sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, et justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.* Ita Clodoveus inimicum superavit exercitum, et pene ad internecionem usque deduxit. Hi vero, qui Francorum gladios evaserunt, cum Amalarico Alarici filio ad Hispanias profugerunt, et eumdem Amalaricum in paterno solio sublimarunt. Maximus autem Arvernorum populus, qui cum Apollinare duce in adjutorium Alarici venerat, ita in eodem prælio cum multis senatoribus est attritus, ut vix ex tanta multitudine nuntius superesset, qui hoc uxoribus nuntiaret. Factum est prælium istud in campo Vosaglinse super Clinnum fluvium, decimo milliario ab urbe Pictava.

Hac igitur patrata victoria, filium suum Theodericum, quem ex concubina genuerat, Clodoveus rex cum parte sui exercitus ad Arvernum dirigit, qui ei civitates et municipia ad Rhodanum fluvium usque subjiciat. Qui patris sui mandatis obtemperans urbes universas a finibus Gothorum usque Burgundiam sagaciter subjugavit et Francorum ditioni substituit. Clodoveus igitur rex Burdegalem civitatem ingrediens, per hiemem ibidem demoratus est, et fatigatum in bello refecit exercitum. Unde progrediens Tolosam invasit, et thesauros Alarici his, qui eamdem provinciam possessuri erant, dividere præcepit. Cumque Ecolesinam civitatem, quæ rebellionis audaciam assumpserat, expeteret, et eam armis et obsidione expugnare decerneret, tantam gratiam ei virtus divina concessit ut in ejus adventum muri ejusdem civitatis ruerent. Quod videntes oppidani, et rem divino nutu evenisse credentes, sese suaque dedere Clodoveo, et urbis munitionem machinis protriverunt, et Gothos milites munitionis ejusdem regi pariter obtulerunt. Quos omnes capite plexos morti tradidit, et Pyrenæos montes usque Perperaum subjiciens, urbes et castella subruens, municipia quæque depopulans, prædam innumerabilem et spolia multa suis militibus æque dispertiens.

His igitur ita patratis, cum ad solum proprium redire deliberaret, electos milites atque fortissimos cum parvulis atque mulieribus ad pervasas civitates custodiendas et ad reprimendam Gothorum sævi-

tiam dereliquit, et immensis muneribus ampliavit.

Sic itaque exsultans in Domino et in lætitia delectatus, Turonis est regressus, et multa munera supplex obtulit confessori, centumque solidos ad redimendum equum suum matricularii dare præcepit. Sed nec solvi, nec etiam moveri potuit loco. Delit iterum centum, et moveri potuit et absolvi. Quem cum recepisset, ex abundanti lætitia resolutis in risum, talia dicitur responsa dedisse: « Vere beatus Martinus et auxilio promptus, et in negotio charus habetur. » Et ascendens equum, purpura redimitus et auro ac diadema regium in capite gestans, pro exsultatione victoriæ ob reverentiam sancti Martini auri et argenti plurimum in atrio, quod est inter ecclesiam S. Martini et civitatem præsente populo sparsit, et regia munificentia dispensavit. Ab ipso igitur die suscepit eum Anastasius imperator in amicitiam singularem, et non solum rex aut consul, sed et Augustus ab eodem imperatore jussus est appellari. Et tali gloria sublimatus ante sepulcrum beati Martini genua fixit et oravit. Et sic urbe progressus, Parisios rediit, et eamdem civitatem regni sui sedem esse constituit. Ecclesiam vero Sancti Petri quam se facturum promiserat antequam progrederetur ad bellum et decenti compositione construere fecit, et constructam ornamentis atque redditibus sufficienter ampliavit. Dehinc adversus Ragnerium atque Richarium duxit exercitum, qui apud Camaracum morabantur, et eos omni dignitate sæculari et vita pariter confirmavit esse nudandos. Erat iste Ragnerius effrenus in luxuriam, et habebat consiliarium quemdam Pharonem nomine simili spurcitia lutulentum. Oderat eos Dominus, et ideo ab hominibus Dei amari non poterant. Propterea et Franci superiores, quos dominatu premebant iniquo, nimium indigne ferentes talibus subdi, accesserunt ad Clodoveum, et petierunt ab eo munera ut eum dolo ad certandum contra nostros impellerent, et ita sine tumultu maximo et vitæ illius finis imponeretur et crimini. Dedit eis itaque rex armillas, et balteos cuprinos, et electrinos subdole compositos, et desuper auro tectos. Quibus receptis muneribus, cœperunt adhortari Ragnerium ut adversus Clodoveum arma corriperet et egrederetur ad bellum, mentientes regem adventare cum paucis, se multis militibus esse constipatum. Quod cum audisset Ragnerius, audacter ad pugnam ilit, et adversus nostros acriter prælialus est. Sed favente Domino, cui nefaria ejus vita displicuerat, correptus est et ligatus, et Clodoveo præsentatus. Cum quo et Richarium atque Pharonem comprehenderunt, et vinctos pariter regi obtulerunt. Quos capitibus puniri præcepit, et ita nefando crimini finem imposuit. Insuper et thesauros eorum ac civitatem propriæ ditioni restituit. Apud Cenomanicam quoque civitatem Ragnerii propinquus quidam morabatur Ragnimirus nomine, quem pariter vita privavit et regno: ne scintilla videlicet iniqui germinis remanere videretur, quæ scelus horrendum suscitaret in populos, et Sodomorum Gomorrhæorumve, quod absit, exterminio damnarentur. Cumque proditores Ragnerii cognovissent quod in pretio tanti facinoris æs vitiatum accepissent, conquerentes nimium et sero pœnitentes, accesserunt ad regem, et qualiter ludificati fuerant intimaverunt. Quibus Clodoveus ita respondens, ait: « Tale aurum merito recepistis, qui dominum vestrum morti tradidistis. Sit jam vobis satis vestras animas reservasse, et non pro tanto crimine condigna supplicia persolvisse. »

His igitur patratis, febre corripitur Clodoveus, et de die in diem sentiens langorem ingravescere, convocatis Francorum proceribus, regnum suum divisit in partes, et filiis suis quatuor easdem partes distribuit. Childeberto vero filio suo, quem unice diligebat, Parisios tradidit, et Clodomirem apud Aureliam residere præcepit. Clothario Suessiones dedit, et Theoderico, quem ex concubina genuerat, Remis civitatem atque Camaracum indulsit. Cumque per Francorum proceres luctus ingens oriretur pro tanti regis abscessu, suspirans ad cœlum rex fidelis: « En, inquit, Domine Deus, miserere mei, et populum hunc, qui in tuo nomine sacri baptismatis regeneratione purgatus est, tu ipse guberna; tu nostros hæredes perpetua tuitione circumda. Crochildem vero nostram, imo tuam, et quia tuam ideo melius nostram, ita tibi commendo, ut eam tueris sicut propriam, sicut domesticam, sicut filiam, vel sicut ancillam. Tu eam mihi providisti servo tuo atque tradidisti; tibi eam reddo, per quam et tuæ legis decreta cognovi. » His dictis, reddidit spiritum et sepultus est in basilica Sancti Petri, quam ipse construxerat, anno tricesimo sui regni, Domino Jesu Christo regnante in perpetuum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit.



AIMOINUS

MONACHUS FLORIACENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. I, pag. 33.)

Aimoinus, sive *Haimo*, patria Petricorius Aquitanus, a librariis modo in *Aumonium*, modo in *Aimonium*, *Amonium* vel *Annonium*, transformatus, monachus ab an. C. 970 cœnobii *Floriacensis*, sive S. Benedicti (*de Fleury*) ad Ligerim. Hic an. C. 1005 Vitam et Miracula abbatis sui *Abbonis* (1) (quem priore anno Wascones interfecerant) consignavit ad Hervæum, sive Herivæum, clericum thesaurarium S. Martini. Vita exstat in Joannis de Bosco Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605-8, pag. 299; in Pithœi XII Scriptoribus, pag. 428; et tom. VIII Actorum Benedictin., pag. 682. Eidem Abboni dicavit *libros IV Historiæ Francorum*, quam ad Pipini regis inaugurationem sive in an. C. 752 deducere voluit, sed substitit in fundatione monasterii Floriacensis circa A. C. 650 vel 660. Cætera igitur a libri quarti capite 42, in quo Chesnii editio desinit, et liber quintus usque ad annum 1165, addita a monacho quodam S. Germani Paris. aliisque. Vide Labbei diatribam de Aimoino, tom. II de S. E., pag. 829; Cointii Annales Francorum, tom. I, pag. 842, tom. II, pag. 161; tom. III, pag. 401; tom. IV, pag. 117, etc.; Launoium, inquisitione in chartam immunitatis, pag. 77 seq., ejusque inquisitionis assertione, pag. 620 seqq., quæ utraque scripta recusa tomo Launoii tertio Operum. Nicolai Hieronymi Gundlingii *Frag-Stucken*, XIV. Edita Aimoini Historia a Badio Paris. 1514 fol. sub *Annonii* nomine, et restituta Aimoino, recensitaque a Joanne Nicotio, Paris., apud Andream Wechelum 1567-8, deinde a Jacobo Breulio ibid. 1603 fol. et in Joannis a Bosco Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605-8, nec non in Scriptoribus Francicis Marquardi Freheri, Hanov. 1613 fol.; denique in tome tertio Andreæ du Chesne, Paris. 1641 fol., ubi etiam *Poema de prima fundatione cœnobii Floriacensis*, versibus hexametris, itemque alterum *de translatione reliquiarum S. Benedicti in Galliam*, quod obvium quoque in Mabillonii Actis Sanctorum ordinis Benedicti Sæc. II, pag. 339. *Sermo in festivitatibus S. Benedicti* cum versibus Mauri Paulique, Casinensium monachorum, Smaragdi abbatis, Aldelmi episcopi, aliorumque, in laudati Joannis a Bosco Biblotheca Floriacensi, pag. 270, in qua etiam pag. 79, *Historia Miraculorum S. Benedicti*, *libris II ad Gauzlinum*, sive *Gauslenum* (2) abbatem, postea Bituricensem archiepiscopum, quos habent quoque Bollandus ad 21 Martii, pag. 324, et Mabillonius Sæc. Benedictin. IV, parte II, pag. 366. Sigebertus Gemblacensis, c. 101 Aimoini Historiam Francorum memorans, scribit *situm etiam Galliarum distinxisse*. Dedit et *acta translationis S. Savini martyris* ex templo jam diruto et deserto ad abbatiam quæ nunc S. Savini dicitur in Pictaviensi ditione. Acta ista legas apud Martene Vet. Monum. tom. VI, pag. 806.

(1) Ex Miraculorum libro unicum modo caput superest.

(2) Trithemius, cap. 305, *ad Renaldum monachum*.

NOTITIA LITTERARIA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 218.)

Il y a d'Aimoin de Fleuri un Histoire des Francs, qu'il entreprit d'écrire par ordre d'Abbon son abbé, comme il le déclare lui-même dans l'épître dédicatoire, par laquelle il la lui dédie et la soumet à son jugement. Il y mit donc la main du vivant d'Abbon, et par conséquent avant 1004, qui est l'année de la mort de ce dernier. Aimoin, dans la même épître, nous a tracé lui-même tout le plan de son dessein.

il s'y proposait de recueillir en un corps d'ouvrage et de mettre en meilleur style ce qui se trouvait épars et mal écrit en divers livres sur la nation des Francs et les rois qui l'ont gouvernée. C'est ce qu'il devait exécuter en reprenant l'histoire dès l'origine de la nation, et la conduisant jusqu'au règne de Pepin le Bref, père de Charlemagne; circonstance essentielle, qu'on n'a pas assez observée. Elle aurait suffi seule pour ne pas attribuer à Aimoin un écrit qui pousse l'histoire beaucoup au delà de ce terme.

Son ouvrage devait être divisé en quatre livres, dans le premier desquels il traiterait de cinq rois de la nation des Francs, et de six dans le second. Le troisième devait être employé à donner l'histoire de sept autres rois, et le quatrième celle de plus de huit. L'historien promet d'y distinguer si bien les noms des rois, qui se trouvaient ailleurs énoncés avec confusion à cause de leur ressemblance, qu'il mettra leur généalogie dans un nouveau jour. Et afin de répandre plus de lumière sur tout son ouvrage, il crut, de l'avis d'Abbon, devoir mettre à la tête une notice de la Germanie et des Gaules, où s'étaient passés les événements qu'il se proposait de décrire. C'est ce qu'il a exécuté dans une assez longue préface, où il a pris pour ses guides Pline, Orose, et principalement Jules César, qu'il ne fait presque que copier en ce qu'il dit de ces vastes pays et des mœurs de leurs habitants.

Quoique le quatrième livre d'Aimoin dût contenir l'histoire de plus de huit rois des Francs, et même jusqu'à Pepin le Bref, comme on vient de le voir, néanmoins on n'y trouve, tel que nous l'avons, que celle de trois de ces rois, jusqu'à la seizième année du règne de Clovis II. De sorte qu'il faut convenir ou qu'on n'a point cet ouvrage en entier, ou que l'auteur ne l'a point fini. Les principales sources où il a puisé ce qu'il rapporte, sont S. Grégoire de Tours, dont Aimoin n'avait cependant que les sept premiers livres; Fredegaire; l'abrégé que celui-ci avait fait des six premiers livres de l'historien précédent; les Gestes des Français; ceux de Dagobert; Paul Diacre, et quelques Vies de Saints (Val. *Rer. Fr.* l. xv, p. 441; Mab. *Dip. Supp.*, p. 24).

Quant à la manière dont il a exécuté son entreprise et mis ses matériaux en œuvre, il n'a point réussi à nous donner une histoire exacte et complète. Il ne fait presque que désigner ou indiquer légèrement les faits, à l'exemple de Fredegaire, sans entrer dans les détails convenables (Val. *ib.*). Il ne parle des guerres en particulier que fort succinctement, et n'en développe ni les motifs, ni les causes, ni les suites, de quelque nature qu'elles soient. Non-seulement il ne cite aucun des auteurs où il a puisé, mais il ajoute de son crû diverses choses à ce qu'ils disent, renverse l'ordre dans lequel ils les rapportent, et se trouve quelquefois en contradiction avec eux.

Aimoin, en publiant son histoire, prévoyait qu'il aurait des critiques, même de son vivant. Nous ne voyons point qu'il en eût dès lors, mais il en a eu A grand nombre dans les derniers siècles. Pasquier entre autres a employé les chapitres 27 et 28 du ve livre de ses *Recherches de la France*, pour faire connaître une partie des erreurs où est tombé notre historien. Il ne se borne pas à les indiquer simplement, il les vérifie même en conférant les endroits d'Aimoin avec ceux des auteurs dont il s'est servi. Il est vrai que ce critique en cite quelquefois qui ne sont pas d'Aimoin, mais de ses interpolateurs. Il prend aussi d'autres fois un chapitre pour un autre, comme le 99e du IIIe livre pour le 98e. Le P. le Cointe, de son côté, a pareillement relevé bon nombre de fautes du même historien (Cointe. an. 654, n. 25-27). Le célèbre Pierre Pithou, dans ses *Mémoires des comtes de Champagne et de Brie*, remarque à son tour qu'Aimoin, parlant des charges de la couronne, les confond souvent, et que par là il a jeté beaucoup d'écrivains dans l'erreur. Il ajoute qu'il serait en état de montrer qu'il a pris plusieurs autres licences, en abusant des termes des anciens historiens, et les accommodant à son temps, afin de faire parade de son latin. Aimoin n'est pas plus exact en ce qui regarde la géographie, comme le prouve fort bien le savant abbé Le Beuf par un certain détail d'erreurs assez grossières en ce genre de littérature, dans lequel il est tombé (Le Beuf, *Diss.* t. I, p. 16, 17, 94, 340, 341, 348-350).

Il se trouve deux principaux manuscrits, fort différents l'un de l'autre, de l'Histoire d'Aimoin, qui ont servi de modèle à presque tous les autres et aux éditions qui en ont été faites. L'un appartient à l'abbaye de Fleuri, et ne contient de l'ouvrage d'Aimoin que jusqu'au quarante-deuxième chapitre du quatrième livre, ce qui conduit la suite de l'histoire jusqu'à la seizième année du règne de Clovis II, laquelle répond à la six cent cinquante-quatrième de notre ère vulgaire. De sorte qu'il y manque une suite de près de cent ans, suivant le dessein de l'auteur, qui s'était proposé, comme on l'a vu, de pousser son ouvrage jusqu'au règne de Pepin le Bref. On ne sait si Aimoin remplit entièrement ce plan; et, supposé qu'il l'ait fait, on ignore ce qu'est devenue cette continuation qui nous manque. L'autre manuscrit, qui fait partie de ceux de Saint Germain des Prés, représente l'Histoire d'Aimoin beaucoup plus ample. Non-seulement le quatrième livre y comprend soixante-quinze chapitres de plus que dans le premier manuscrit, mais il y est encore suivi, contre le dessein de l'auteur, d'un cinquième livre, divisé en cinquante-sept chapitres, et conduit l'histoire jusqu'en 1165. Il s'y trouve de plus diverses additions et interpolations dans les quatre premiers livres, qui ne sont point dans le manuscrit de Fleuri. Celles du premier livre se réduisent presque à l'épitaphe de Clovis le Grand. Mais celles des autres livres sont considérables, et paraissent assez visiblement hors d'œuvre.

Tous les critiques conviennent unanimement aujourd'hui que tout ce qui se lit dans ce manuscrit,

depuis le quarante-unième chapitre du quatrième livre exclusivement, sont des additions étrangères qui n'appartiennent point à Aimoin. C'est l'ouvrage d'un ou de plusieurs moines de Saint-Germain des Prés, comme il est aisé de s'en convaincre par les diplômes et l'abrégé de l'histoire des ablés de ce monastère, qui ont été intercallés dans le second livre et les deux suivants. Nous ne nous arrêterons point à discuter les additions du quatrième et cinquième livre. Plusieurs habiles critiques l'ont déjà fait avec beaucoup de lumière. On peut consulter à ce sujet Vossius, le P. le Long, et surtout le P. Labbe, dans la savante et longue dissertation qu'il a faite sur notre historien (Voss. *Hist. Lat.* l. II, c. 34, p. 98, 99; Le Long, *Bib. Fr.*, p. 319, 320; Lab. *Scri.* t. II, p. 841, 850-877). Une partie de ces additions, c'est-à-dire celles depuis le chapitre 58 du IVe livre jusqu'à la fin du même livre, qui comprennent une suite d'histoire depuis l'an 741 jusqu'en 829, a été imprimée in-16 à Cologne l'an 1562, sous le titre d'un anonyme moine Bénédictin (Wion, *Lig. vit.* par. I, l. II, p. 398).

La première édition de l'Histoire d'Aimoin sortit en 1514 des presses de Badius Ascensius. Elle est en un volume in-folio, dédié à Guillaume Parvi, ou le Petit, confesseur du roi, qui paraît l'avoir dirigée (*Bib. D. de Lorch.*). L'inattention à lire le nom de l'auteur a fait qu'il s'y trouve nommé *Annonius*, au lieu d'Aimoinus. Il est facile de lire l'un pour l'autre dans une écriture où il n'y a pas de point sur les *i*. A la fin on a marqué que l'auteur était moine de Saint-Germain des Prés, preuve que l'édition a été faite sur le manuscrit de cette abbaye. L'éditeur avait cependant eu communication de celui de Fleuri, puisqu'après le chapitre 41 du IVe livre il avertit que ce dernier manuscrit ne va que jusqu'à cet endroit, et que vraisemblablement la suite est d'un autre auteur.

Cette édition se trouvant pleine de fautes, Jean Nicot, maître des requêtes et ambassadeur du roi en Portugal, et non pas M. Pithou, comme l'a écrit M. du Pin, travailla dès 1557 à en donner une nouvelle (*Bib. S. P. de Cult.*). C'est ce qui paraît par le privilége qui est de la même année. Elle ne fut néanmoins mise au jour que dix ans après, en 1567. Le volume est in-8° et imprimé à Paris chez André Wechel. Celle-ci contient le texte d'Aimoin avec toutes ses additions, comme la précédente, mais elle est plus correcte. On y lit aussi après le chapitre 41 du IVe livre la même remarque un peu plus étendue que dans l'autre. Wion et Possevin disent que cette même édition parut encore à Lyon la même année qu'à Paris (Wion, *ib.*; Poss. *App.* t. II, p. 21), mais nous n'en avons vu aucun exemplaire.

Dom Jacques du Breul entreprit ensuite d'en donner une autre édition, qu'Ambroise et Jérôme Drouart, libraires, publièrent à Paris l'an 1602, en un volume in-folio fort bien conditionné (*Bib. Vin. Cen.*). Il est tout à fait surprenant de voir que presque tous nos bibliographes modernes s'accordent, contre la vérité du fait, à lui assigner l'année suivante 1603. Tels sont entre autres les PP. Labbe et Lelong; Cave, du Pin, Fabricius et autres (Lab. *ib.*, p. 832; Le Long, *ib.*; Cave, p. 472; Du Pin, *ib.*; Fab. *Bib. Lat.* l. II, p. 83). Il est aisé que, le premier ayant fait une fois la faute, les autres y soient tombés, ce qui suppose qu'ils se sont copiés les uns les autres, et n'ont point vu l'édition par eux-mêmes.

Du Breul l'a donnée sur le manuscrit de Saint-Germain des Prés, mais sans avertir, comme les autres éditeurs, que le manuscrit de Fleuri ne va pas au delà du chapitre 41 du IVe livre. Il n'a rien oublié pour transporter à Aimoin de Saint-Germain l'honneur de cette histoire avec ses interpolations et même les additions jusqu'au livre Ve exclusivement. Non-seulement il l'a décorée du nom et des qualités de cet écrivain, dès le frontispice du volume; mais il emploie encore presque toute sa préface pour tâcher de le persuader. On sait maintenant à quoi s'en tenir. L'éditeur y a joint quelques autres écrits du même auteur, et le poëme d'Abbon, son disciple, desquels nous avons rendu compte en leur lieu. Il y a aussi ajouté plusieurs autres monuments qui rendent son recueil intéressant, moins pour le texte de l'histoire en question, qu'on a ailleurs beaucoup plus correct, que pour les opuscules dont il est accompagné.

M. Fabricius suppose par erreur que le P. Dubois a fait entrer l'Histoire d'Aimoin dans la Bibliothèque de Fleuri, imprimée à Lyon en 1605. Depuis l'édition de du Breul, il n'y en eut point d'autre jusqu'à celle qu'en publia en 1613 Marquard Freher, dans la seconde partie de son Recueil d'historiens de France, qui parut à Hanaw en un volume in-folio. Cet éditeur y a suivi pour modèle l'édition de Nicot, jusqu'au chapitre 41 du IVe livre inclusivement. Mais il en a retranché le chapitre 42 avec les quinze suivants, et y a substitué les Annales d'Eginhard et la Vie de Charlemagne par le même historien. Il y a fait ensuite d'autres additions qui ne regardent point les véritables écrits d'Aimoin.

En 1641 François Duchesne, continuant la collection des Historiens de France, commencée par André son père, mit à la tête du IIIe volume l'ouvrage d'Aimoin. Cette édition représente le texte de notre auteur, dégagé de toutes interpolations et additions étrangères. Elle a été faite sur un manuscrit semblable à celui de Fleuri, dont il diffère néanmoins en ce que le quatrième livre de l'Histoire y contient un chapitre quarante-deuxième, qui manque dans l'autre. Ce chapitre, qui traite en peu de mots de la fondation de l'abbaye de Fleuri, et plus amplement de la translation qui y avait été faite des reliques de saint Benoît, est intéressant pour connaître le véritable auteur de cette histoire, qui s'y donne clairement pour un moine de cette abbaye.

Après toutes les éditions de l'Histoire d'Aimoin, dont on vient de faire le dénombrement, dom Bou-

quel l'a fait imprimer de nouveau à la tête du IIIe volume de son grand recueil des Historiens de France (Bouq. *Script. Franc.*, t. III, p. 20-139). Ce nouvel éditeur s'est servi du texte de l'édition de Duchesne comme le plus correct, et a eu soin de le conférer avec trois manuscrits : celui de Saint-Germain des Prés, dont on a parlé, et deux autres du XIVe siècle, appartenant à la bibliothèque du roi. Un autre avantage de cette dernière édition, c'est que l'éditeur y a porté l'attention jusqu'à marquer aux marges les endroits d'Aimoin empruntés des écrits où il a puisé ; travail ingrat pour celui qui en a pris la peine, mais utile et agréable à un lecteur.

1. L'ouvrage d'Aimoin, qui nous a paru mériter une aussi longue discussion, afin d'en faire connaître le bon et le mauvais, porte ordinairement le titre de *Historia* ou *De gestis Francorum*. M. du Cange (*Gloss.*, ind. auct.) en avait cependant vu un manuscrit où il est intitulé : *De abbreviatione historiarum*, titre assez convenable, puisque l'ouvrage est une compilation abrégée d'autres historiens. On en trouve parmi les manuscrits de Jean Selden (*Angl. Bib. ms.* par. I, n. 3362) un abrégé fait par un certain Wilhelme, sous ce titre : *De gestis imperatorum, ex historia Haimonis abbatis Floriacensis collecta*. Aimoin est ici, comme on le voit, mal nommé Haimon, et encore plus mal qualifié abbé.

2. A la fin de l'Histoire d'Aimoin, Duchesne et dom Bouquet ont imprimé un poëme de plus de deux cents vers héroïques du même auteur, qui fait partie de l'ouvrage, comme y étant annoncé tout à la fin de la prose. Dom Mabillon l'a aussi publiée au IIe tome de son Recueil d'actes des saints, sur l'édition de Duchesne. Aimoin y décrit l'histoire de la translation du corps de saint Benoît du mont Cassin à Fleuri. Comme il le commence par rapporter la fondation de son monastère, Cave le compte pour deux poëmes séparés l'un de l'autre (Cave, p. 518). Nous avons observé ailleurs (*Hist. litt. de la Fr.* t. V, p. 518) qu'Aimoin n'y a fait que mettre en vers ce qu'Adalbert, autre moine de Fleuri, avait écrit en prose sur le même sujet plus d'un siècle auparavant.

3. Il y a d'Aimoin un fort long sermon sur saint Benoît. On voit par là et les autres écrits de notre auteur sur ce saint patriarche des moines d'Occident combien était réelle la vénération qu'il déclarait avoir pour lui. Ce sermon n'est proprement qu'un éloge, dans lequel Aimoin a recueilli ce que les auteurs de sa connaissance avaient dit de plus remarquable à la louange de ce saint. Quelquefois le compilateur n'en rapporte que le précis. D'autres fois il le copie mot pour mot. C'est ce qu'il fait à l'égard des poëtes en particulier : tels que Gauzbert de Fleuri, Marc du Mont-Cassin, Paul Diacre, l'abbé Smaragde et l'evêque S. Adhelme. Aimoin en usa ainsi, comme il le dit lui-même dans son exorde, afin que ceux qui ne pouvaient avoir les écrits de ces divers auteurs, trouvassent recueilli dans un seul et même discours ce qu'il y a de principal sur saint Benoît. Ce sermon est imprimé dans la Bibliothèque de Fleuri (part. I, pag. 270-298), d'où on l'a fait passer à la suite de la nouvelle Vie de saint Benoît en grec et en latin, imprimée in-4° à Venise en 1723 (*S. Ben. Vit.* par. II, p. 70-88). Mais on a sagement retranché de cette édition les poésies copiées par Aimoin, et déjà imprimées dans la première partie de ce recueil. On l'a aussi publié dans d'autres collections à la suite des poésies de Marc du Mont-Cassin (*Syllog. poet. Chr.*).

4. La vénération d'Aimoin envers saint Benoît lui fit encore entreprendre la continuation de l'Histoire de ses miracles, déjà commencée par Adrevald et Adélère, autres moines de Fleuri. Sigebert, qui fait mention de cet ouvrage (*Script.* c. 101), dit qu'Aimoin y reprend la suite des miracles opérés au temps du roi Eudes, et la conduit jusqu'au règne de Robert le Pieux. De sorte que sa continuation, qui est divisée en deux livres, et le recueil d'Adrevald et d'Adélère, qui est imprimé à la tête, contiennent les miracles qui s'étaient opérés en divers lieux par l'invocation et les mérites de saint Benoît, sous trente abbés consécutifs, qui avaient gouverné Fleuri pendant l'espace de plus de trois cent quatre-vingt-cinq ans. Aimoin avait commencé à travailler à cet ouvrage lorsqu'il écrivait la Vie d'Abbon. Trithème, qui n'avait connaissance que de ce seul écrit de notre auteur (Trit. *Chr. Hir.* t. I, p. 113), dit qu'il l'avait entrepris par ordre de cet abbé, et qu'il le dédia à un moine nommé Renauld, que Possevin (*App.* t. I, p. 67) nomme Romuald; mais c'est à Gauzlin, abbé de Fleuri, et à toute sa communauté qu'il est dédié ; et il paraît par les termes de l'auteur que ce fut à leur persuasion qu'il se porta à prendre la plume.

Aimoin a trouvé le secret de rendre son ouvrage intéressant, en ce qu'il y a fait entrer grand nombre de traits qui regardent l'histoire publique, et plusieurs autres qui concernent celle de son monastère. C'est en conséquence que les Duchesne en ont imprimé une partie considérable entre les Historiens de France (t. IV, p. 135-142-151-153)

Outre ces morceaux détachés, nous avons trois éditions de l'ouvrage entier. La première est due aux soins du P. du Bois, célestin, qui l'a publiée dans la Bibliothèque de Fleuri à la suite de celui d'Adrevald et d'Adélère, qui fait le premier livre du recueil : de façon que le premier d'Aimoin est compté pour le second, et le second pour le troisième (*Fl. r. Bib. ib.*, p. 79-148). Les successeurs de Bollandus ont ensuite inséré, sur l'édition précédente et les manuscrits de Fleuri et de Pereci, l'ouvrage d'Aimoin dans les Monuments qu'ils ont imprimés au vingt-unième de Mars pour servir à l'Histoire de saint Benoît (Boll. 21 *Mar.*, p. 301-316-334). Enfin dom Mabillon en a donné une troisième édition sur celle de du Bois et celle des Bollandistes (Mab. *Act.* t. VI, p. 336-390).

Dom Matthieu Laurel, abbé de Saint Sauveur de

Castello (Sim. *let. chois.* t. III, let. 12), ayant occasion de parler d'Aimoin dans la Chronique du mont Cassin, qu'il publia à Naples en 1616, et que dom Angelus de Nuce décrie fort dans la préface de la sienne, reproche aux moines de Fleuri, de porter la vénération pour ses écrits jusqu'à les enfermer avec les os de saint Benoît. Il s'agit sans doute du Recueil des miracles dirigé par notre auteur, et peut-être aussi du poëme sur la translation du corps du même saint d'Italie en France. Si les moines de Fleuri font effectivement ce qu'on leur reproche ici, l'on ne voit pas quel sujet on aurait de les en blâmer. C'est une coutume assez constante, et jusqu'ici irréprehensible, de conserver avec les reliques des saints les procès-verbaux et autres actes qui constatent la vérité de ces mêmes reliques et la sainteté de ceux dont elles sont les dépouilles. Les écrits d'Aimoin dont il est question sont de cet e nature à l'égard du corps de saint Benoît. Dom Lauret n'est pas mieux fondé à faire valoir la prétendue note d'hérésie que Baronius a voulu faire tomber sur Aimoin, en le traitant d'iconomaque.

5. Un autre ouvrage d'Aimoin qui a mérité les éloges de tous les savants (3), est la Vie de saint Abbon, son maître, et abbé de Fleuri, mis à mort, comme il a été dit, le treizième de novembre 1004. Personne n'était plus propre qu'Aimoin à réussir dans cette entreprise. Il avait été disciple du saint abbé; il l'avait accompagné dans son dernier voyage; il s'était trouvé présent à sa mort; il avait enfin le talent de bien écrire pour son siècle. Aussi serait-il difficile de décider lequel des deux a été le plus heureux, ou Aimoin d'avoir eu Abbon pour maître, ou Abbon d'avoir eu Aimoin pour historien de sa vie (Mab. *ib.* t. VIII, p. 30, n. 1). Il y mit la main aussitôt après sa mort, aux instances du P. Hervé, trésorier de Saint-Martin de Tours, autre disciple du saint abbé. C'est ce qui engagea l'auteur à la lui dédier par une épître fort honorable à sa mémoire. Vient ensuite une courte préface employée particulièrement à justifier le titre de martyr qu'on donna à S. Abbon en conséquence de la mort violente qu'il avait soufferte dans une occasion où il s'agissait de la réformation des mœurs.

Cet écrit est estimable non seulement en ce qu'on y a une histoire exacte, bien ordonnée, dégagée d'épisodes, de lieux communs, de réflexions hors d'œuvre, mais encore parce qu'on y trouve plusieurs pièces originales, apportées en preuves, et que les faits particuliers y sont liés avec d'autres, qui regardent l'histoire générale de l'Eglise et celle de France en particulier. Du Chesne a fait voir qu'il en portait le même jugement, pour en avoir fait imprimer la plus grande partie dans son Recueil d'Historiens (Du Chesne, *ib.*, p. 125-135). Le P. du Bois nous a donné l'ouvrage entier dans sa Bibliothèque de Fleuri, et y a intercalé des gémissements, ou espèce de lamentations de sa façon, sur la décadence de la discipline régulière dans l'ordre de Saint-Benoît (*Flor. bib.* ib., p. 299-348). Dom Mabillon l'a publié depuis sur l'édition précédente, qu'il a conférée avec le manuscrit de Fleuri, sur lequel elle avait été faite. La sienne est beaucoup plus correcte et illustrée de notes et de savantes observations (Mab. *ib.*, p. 30-58).

6. Aimoin (*Vit. Abbonis*, n. 16) nous apprend lui-même qu'il avait fait l'histoire des abbés de Fleuri, mais cet ouvrage ne paraît plus nulle part. Dom Mabillon en regrettait fort la perte. Ce n'était point le même dont parle Trithème (*Chr. Hir.* ib.) sous le titre de Chronique du même monastère, dans laquelle, aux termes de cet auteur, Aimoin avait mêlé en forme de digressions plusieurs choses sur l'histoire des Français. Il est visible par cette addition que Trithème entend parler de l'Histoire des Francs écrite par Aimoin, de laquelle il n'avait pas une assez juste idée.

7. Outre le Recueil des miracles de saint Benoît, dont nous avons rendu compte, notre auteur se proposait d'en faire un particulier des miracles qui s'étaient opérés en Neustrie par l'intercession du même saint. Mais on ignore s'il a exécuté ce dessein projeté, quoiqu'il ait vécu quelques années depuis qu'il l'avait annoncé (Aim. *De mir. S. B.* l. II, c. 22).

Helgaud, autre moine de Fleuri, rapporte dans son histoire du roi Robert (Helg. *Vit. Rob.*, p. 66, 72) quelques vers à la louange de ce prince et de la reine Constance son épouse. Il n'en nomme pas à la vérité l'auteur, se contentant de le qualifier un poëte de très-grande réputation. Mais comme Aimoin se mêlait de poésie, ainsi qu'on l'a vu par son poëme sur la translation de saint Benoît, et que le montrent quelques vers qu'il a mis à la fin de la Vie de S. Abbon, on pourrait penser qu'il est ce poëte qu'Helgaud a ici en vue. D'autres croient au contraire que c'est plutôt Gérard, son confrère et son contemporain, ou enfin tout autre poëte de ce même siècle, qui était fécond en versificateurs.

Le manuscrit coté 101, qui se voit à la bibliothèque de Fleuri, contient à la page 211 et suivantes un Commentaire sur l'Apocalypse sous le nom d'Aimoin. Mais le caractère de cet écrit est plus ancien que notre auteur; et nous avons montré ailleurs que l'ouvrage appartient à Remi d'Auxerre. L'erreur sera venue de ce qu'au lieu de Raymon, ou Reimon, qui était le nom vulgaire de Remi, un copiste aura écrit Heimon, comme il se lit à la fin du même manuscrit. Puis un autre, s'imaginant que c'était Aimoin, l'aura ainsi nommé à la tête du commentaire.

Quelques bibliographes (Wion, *ib.*; Poss. *ib.*) ont encore attribué à Aimoin de Fleuri d'autres ouvrages, comme un écrit sur l'invention ou la transla-

(3) Il est tout à fait surprenant de voir que Du Cange (*Gloss.*, ind. auct.) transporte l'honneur de cet ouvrage à un moine d'York, qu'il nomme *Haimon*.

tion de S. Vincent, et un autre sur les miracles de S. Germain de Paris. Mais ils ne lui ont fait l'attribution de ces écrits qu'en le confondant avec Aimoin de Saint-Germain des Près à qui ils appartiennent.

AIMOINI
HISTORIÆ FRANCORUM
LIBRI QUATUOR

(Apud Andream Ducnesne, *Historiæ Francorum Scriptores coætanei*, tom. III, pag. 1.)

AIMOINI MONACHI

AD ABBONEM ABBATEM FLORIACENSEM

IN LIBRUM DE GESTIS FRANCORUM EPISTOLA.

Domino venerabili et in Christi dilectione fundato, Abboni abbati, totius gregis illi a Deo commissi minimus Aimoinus, perpetuæ munus felicitatis.

Præceptis beatitudinis tuæ, beatissime Pater, parui, quibus præceperas ut, ingeniolum exercendo meum, quod tribuente Christo per tuæ sollicitudinis tuorumque discipulorum laborem ad meliora profecisse arbitrabaris, res gestas gentis sive regum Francorum, quæ et per diversos sparsæ libros, et inculto erant sermone descriptæ, in unius redigerem corpus opusculi, ac ad emendatiorem latinitatis revocarem formam. Institi igitur ut potui, atque utinam tam efficaciter quam libenter! Porro de Opere tua paternitas viderit rectene an secus egerim. Ego autem solius obedientiæ (si tamen voluntate conatuque eam decoravi) testimonio contentus sum. Admonitionis itaque tuæ non immemor, qua sæpissime hortatus es ut situm Germaniæ vel Galliæ, in quibus hæc quæ referentur acta sunt, non prætermitterem, ea quæ in auctoribus Julio, Plinio ac Orosio invenire potui colligens, huic opusculo inserendo voluntati sublimitatis tuæ satisfacere commodum duxi. His igitur adjunxi quæ Julius de Germanorum Gallorumque moribus ac institutis in libro suæ interserit Historiæ. Ab egressu quoque Francorum e Troja usque ad id temporis quo Pipinus Magni Caroli pater regnare cœpit, cunctam rerum gestarum seriem in quatuor decrevi Libros partiri. Quos ea contexui ratione ut sequens semper priorem quantitate sui et numero regum transcenderet : verbi gratia, primo continente quinque regum actus ; secundus continet sex ; tertius septem ; quartus vero octo et eo amplius. Genealogias quoque regum, quæ propter similitudines nominum valde confusæ erant, quanta potui diligentia distinxi, unumquemque vel patris nomine, vel Senioris Juniorisve appellatione ab altero distinguens, quemadmodum diligens lector in suis animadvertere potest locis. Id præcipue conservare curavi ut in omnibus his libris mentio fieret Benedicti Patris certis ex causis, cui ego meum scire, meum posse meumque vivere post Deum acceptum fero. Nec ignoro multos fore qui, solita libidine omnibus detrahendi, huic volumini genuinum infigant dentem. Quod vitare non poterit, nisi qui nihil omnino scribet. Calumniabuntur enim tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas eventilabunt, et (quod accidere plerumque solet) negligentiam librariorum ad auctorem referent. Dicent etiam : « En noster historiographus novusque auctor qui aliorum verbis pro suis utitur. » Hoc quidem me fecisse non nego neque me id piget ; ac deinde facturum autumo. Habeo bonorum exemplum, quo mihi id licere facere quod illi fecerunt puto. Nec sententiis detrahentium satis moveor : tua laude vel vituperatione doctus esse sufficiens. Vale, Pater venerande, et prosperis ad vota successibus polle.

Explicit epistola ad Abbonem abbatem.

INCIPIT SITUS GERMANIÆ

VEL GALLIÆ,

De diversis auctoribus ab historiographo exceptus.

AC PRIMUM DE GERMANIA.

Cap. I. Germania omnis in quinque populorum conventus dividitur, e quibus primi sunt Vindelici, deinde Cimbri, post hos Teutones, ac perinde Peucini, ultimis omnium existentibus Basternis, qui confines sunt Dacis. Porrigitur autem Germania in longitudinem 686 millibus passuum ; in latitudinem 548 millibus. Amnes in ea clari atque in Oceanum decurrentes Guthalus, Visurgis et Rhenus. In Rheno autem ipso centum prope habentur in longitudi.em insulæ, quarum nobilissima est Batavorum et aliæ quamplurimæ, quæ sternuntur inter Rhenum ac Flevum. Ita vero appellantur ostia, in quæ Rhenus in septentrione in lacus varios, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medium inter hæc, et modicum nomini suo custodiens alveum. Oritur autem ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, et longo spatio per fines Helvetiorum, Mediomatricum atque Trevirorum citatus fertur. Et ubi Oceano appropinquat, in plures defluit partes, multis ingentibusque insulis, ut præmissum est, effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur ; ex quibus sunt qui solis piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque capitibus in Oceanum fluit. Intra Germaniam vero nulli inferius nobilitate Hercinium jugum prætenditur. De quo videlicet jugo Julius Cæsar, in Historia belli Gallici, quod silva adopertus sit variisque ferarum generibus abundans, hoc modo scribit : « Ea, inquit, quæ fertilissima Germaniæ sunt loca circum Hercíniam silvam, quam Eratostheni et quibusdam Græcis fama notam esse video, quam illi Orciniam appellant, Volgæ Tectosages nuncupaverunt, atque ibi consederunt. Quæ gens usque ad hoc tempus his sedibus sese continet, summamque habet justitiæ et bellicæ laudis opinionem. Nunc quidem in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent ; eodem victu et cultu corporis utuntur. Gallis autem provinciarum propinquitas et transmarinarum rerum notitia multa ad copiam atque usus largitur. » Qui, paulatim assuefacti superari multisque victi præliis, nec se quidem ipsi cum illis virtute comparant. Hujus Herciniæ silvæ, quæ supra demonstrata est, latitudo novem dierum iter expedito patet. Non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauriacorum finibus rectaque fluminis Danubii regione, et pertingit ad fines Dacorum et Anartium. Hinc se flectit sinistrorsus diversis a flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est hujus Germaniæ qui se aut audisse aut adiisse initium hujus silvæ dicat, cum dierum iter sexaginta processerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Multaque in ea genera ferarum nasci constat, quæ reliquis in locis visa non sunt. Ex quibus, quæ maxime differant ab aliis et memoriæ prodenda videntur, hæc sunt :

Est bos cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius magisque directum his quæ nobis nota sunt cornibus, et ab ejus summo, sicut palmæ, rami late diffunduntur. Eadem est feminæ marisque natura ; eadem forma magnitudoque cornuum. Sunt item quæ appellantur alces. Harum est consimilis capris figura et varietas pellium ; sed magnitudine paulo antecedunt, mutilæque sunt cornibus, et crura sine nodis articulisque habent ; neque quietis causa procumbunt, neque, si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant, atque ita paululum modo reclinatæ quietem capiunt. Quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus quo se recipere consueverint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut abscindunt arbores, tantum ut summa species earum stantium relinquatur. Hue cum se consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque una ipsæ concidunt. Tertium est genus earum quæ uri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum est, et magna velocitas ; neque homini neque feræ quam conspexerint parcunt. Hos studiose captos foveis interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis se exercent. Et qui plurimos ex his interfecerint, relatis in publicum cornibus quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines et mansueti fieri ne parvuli quidem excepti, possunt. Amplitudo cornuum, et figura, et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiose conquisita ab labris argento circumcludunt, atque amplissimis epulis pro poculis utuntur.

De moribus Germanorum.

II. De moribus quoque hominum ac cultu idem

auctor in eodem libro hæc refert. Germani, ait, multum a consuetudine Gallorum differunt. Nam neque druides, quos nos sacerdotes, vel divinos vates possumus vocare, habent, ut illi qui rebus divinis præsunt, neque sacrificiis student. De deorum numero eos solos ducunt quos cernunt, et quorum aperte opibus juvantur, Solem scilicet, et Vulcanum, et Lunam. Reliquos nec fama acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit. Ab parvulis labori ac duritiæ student. Qui diutissime impuberes permanserunt maximam inter suos laudem ferunt. Hoc alii staturam, alii vires nervosque confirmari putant. Intra annum vero vicesimum feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus. Cujus rei nulla est occultatio, quod et promiscue in fluminibus perluuntur, et pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturæ non student, majorque pars eorum victus in lacte, caseo carneque consistit. Neque quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios. Sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum et quo loco visum est agri attribuunt, atque post annum alio transire cogunt. Ejus rei multas afferunt causas : ne, assidua consuetudine capti, studium belligerandi agricultura commutent ; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant ; ne accuratius ad frigora atque æstus vitandos ædificent, neque oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur ; ut animi æquitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis æquari videat.

Civitatibus maxima laus est, quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. Cum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt ; atque ea juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant. Atque ubi quis ex principibus in consilio dixerit *se ducem fore, qui sequi velint profiteantur ;* consurgunt hi qui et causam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque multitudine collaudantur. Qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare fas non putant. Qui quaque de causa ad eos venerint ab injuria prohibent, sanctos habent, hisque omnium domus patent, victusque communicatur. Ac fuit antea tempus cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Hactenus de Germania, quæ in veteribus reperire potuimus, pandere curavimus. Nunc de Gallia dicendum.

DE GALLIA.

III. Galliam omnem in quatuor provincias Orosius hoc modo dividit : Gallia, inquiens, Belgica habet ab oriente limitem fluminis Rheni et Germaniam ; ab euro, Alpes Penninas ; a meridie, provinciam Narbonensem ; ab occasu, provinciam Lugdunensem ; a circio, Oceanum Britannicum ; a septentrione, Britanniam insulam. Gallia Lugdunensis ducta per longum, et per latum inflexa, Aquitaniam provinciam semicingit. Hæc habet ab oriente Belgicam ; a meridie, partem provinciæ Narbonensis, qua Arelas civitas sita est ; et in mari Gallico Rhodani flumine accipitur. Narbonensis provincia pars Galliarum habet ab oriente Alpes Cottias ; ab occidente, Hispaniam ; a circio Aquitaniam ; a septentrione, Lugdunensem ; ab aquilone, Belgicam Galliam ; a meridie mare Gallicum, quod est inter Sardiniam et insulas Baleares ; habens in fronte, qua Rhodanus fluvius in mare exit, insulas Stœchadas. Aquitaniæ provincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus ejus est, in orbem agitur. Hæc a circio Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur ; ab occasu, Hispanias habet ; a septentrione et oriente, Lugdunensem ; ab euro et meridie, Narbonensem provinciam contingit. Julius vero Cæsar, qui cum ejusdem terræ incolis decennio bellum gessit, concordante secum Plinio multisque aliis philosophis, tres tantum vult esse provincias. Cujus nos scripta eodem, quo ipse usus est, hic inserimus ordine, aliqua tantummodo, quæ ille in aliis suæ Historiæ locis de civitatibus sive fluminibus dixit, seu quæ Plinius aliter ac ille sensit, interponentes.

De Gallia secundum Cæsarem.

IV. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ ; alteram, Aquitani ; tertiam, qui, ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hanc quoque partem Plinius Lugdunensem Galliam esse asserit. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos Lugdunenses ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent important. Proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, cum quibus continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, cum aut a suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Hi una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo con-

tinentur, qui agrum Helvetium a Germanis dividit ; altera ex parte, monte Jura altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios ; tertia, lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit.

Galliæ una pars, quam eos qui specialiter Galli dicuntur obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano, continetur Garumna flumine, Oceanum in finibus Belgarum attingit ; etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum vergit a septentrione. Urbes in ea multæ ac opulentæ. Sed ex his præcipuæ sunt nostroque ævo plus cognitæ : Lugdunum, Cabillonis, Hedua quæ et Augustodunus, Senonis, Autissiodorus, Meldis, Trecas, Parisius, Carnotum, Gennabus, ubi nunc Aurelianis, Rothomagus, Ebroas, Oximus, Cenomannis, Lexovium, Namnetis, Rhedonis, Venetus, Abriucatina, Andus quæ et Andegavis, Turnis, Bituriges, Niviodunus, quam quidam Nivernis esse putant. Harum Augustodunus et Senonis magnæ antiquitus apud Gallos fuere auctoritatis atque potentiæ, adeo ut una earum, id est Augustodunus, quam Julius Heduam nominat, amicitiam populi Romani amplectendo, toti pene Galliæ, eorum nixa favore, principata sit. Porro Senonis, viribus confisa suis, ipsam Romam orbis caput obsidere non pertimuerit, quam et cepit. Urbs vero Bituriga atque Turonica, secundum Orosii diffinitionem, qui Aquitaniam a flumine Ligeris usque ad Pyrenæos determinat montes, quamque moderni sequuntur, non in Celtica Gallia, sed magis in Aquitania sunt provincia. Flumina in Lugdunensi Gallia plurima ; sed ex eis præcipuum, Rhodanus, qui ejus ab orientali parte terminus est. Quod autem verbis Julii posuimus, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit, terram illam intellegimus, quæ hoc nomine proprio sortita est ; deinde Araris, qui per fines Heduorum et Sequanorum incredibili lenitate in Rhodanum influit, ita ut oculis in utram partem fluat judicari vix possit. Quod nos quoque perspeximus, ac admirati sumus tantæ magnitudinis fluvium tam tardo motu profluentem. Post eum exstat Liger, qui terram illam quæ inter illum et Sequanam jacet, pene insulam efficit. Silvæ multæ ; sed eminentior cæteris Perticus. Et hoc quidem de Gallia Celtica, quæ et Lugdunensis vocatur. Nunc de Belgica provincia videamus.

Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur. Pertinent autem ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectantque in septentrionem et orientem solem. Urbes ejus inclytæ ac famosæ, Colonia Agrippinensis, Tungris, Treveris, Metis, quæ et Mediomatricum, Remis, Laudunus, Suessionis, Ambianis, Viromandus, Belvagus, Atrebatum, Lingonis, et pagus Helvetiorum, quem nunc Alamanni incolunt. Ejus provincia fluvii, Scaldus, Matroua, atque Mosa profluens ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum, et parte quadam ex Rheno recepta quæ appellatur Vaculus, vulgo autem dicitur *Vualis*, insulam efficit Batavorum, quæ rustico sermone vocatur *Battua*. Alter fluvius est apud Belgas Axona, ultimos Remorum fines præterfluens. Silva quoque Arduenna, quæ est totius Galliæ maxima, atque a ripis Rheni finibusque Trevirorum millibus amplius quingentis in longitudinem patet. Hæc de Belgis satis dixisse sit, dummodo de Aquitania quæ digna sunt memoriæ tradantur.

Aquitania, ut Plinio atque Julio videtur, a Garumna flumine usque ad Pyrenæos montes et eam partem quæ ad Hispaniam pertinet, spectat inter occasum solis et septentrionem. Plus tamen hoc tempore determinatio Orosii, superius a nobis declarata, tenetur. Secundum quam traditionem, in Aquitania continentur urbes egregiæ : Narbona, Arvernus, quæ nunc Clarusmons vocatur, Cadurx, Tolosa, Gavalis, Rotenus, Lemovix, Petragorica, Pictavis, Burdegalis, Santonia, et Engolisma. Fluvii quoque haud parvi nominis in eadem sunt provincia : Elaver, qui non multo minor Ligeri ejus excipitur alveo. Dordonia etiam, qui ex monte qui *Dor* dicitur, et est in finibus Arvernorum, duobus scaturiens fontibus, quorum uni nomen est *Dor*, alteri *Donia*, qui haud procul a monte ipso conjunguntur, in Garumnam influit. Denique Aquitania dicta est, eo quod præ cæteris provinciis fontibus fluminibusque exuberet. Est in ea et silva, vocabulo Leccenna, non contemnendæ magnitudinis, Biturigibus atque Arvernis confinis ; in qua usque hodie ostenditur lapidea domus Brunichildis reginæ quondam Francorum, amœno satis, ut nos quoque aspeximus, sita loco. Nam fluviolus eam præterfluens irrigua a latere efficit prata, messesque a fronte oppositæ cinguntur silva venationi congrua. Has omnes provincias dum Franci occupassent, in duas tantummodo partes dividentes, eam quæ septentrionem versus tenditur et inter Mosam et Rhenum est, Austriam ; illam vero, quæ a Mosa ad Ligerim usque pertingit, Neustriam vocaverunt. Pars tamen Lugdunensis Galliæ, quam Burgundiones occupaverant, Burgundiæ nomen retinuit. Aquitania quoque avitum non est dignata nomen mutare.

His de situ Germaniæ vel Galliæ, prout in libris veterum investigare potuimus, ostensis, nunc, quæ Julius de antiquorum consuetudine vel moribus sensit Gallorum, ipsius explicemus verbis.

De institutione Gallorum.

V. Ait ergo : In omni, inquiens, Gallia, eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebs pene servorum habetur loco, quæ nihil habet per se, nullo adhibetur consilio. Plerique, cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem addicunt. Nobilibus in hos eadem sunt omnia jura, quæ dominis in servos. Sed de his duobus generibus alterum est druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit ; magnoque hi sunt apud eos

honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt. Et si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem discernunt, præmia pœnasque constituunt. Si quis aut privatus aut populus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac scelerarorum habentur. His omnes decedunt, aditum sermonemque diffugiunt, ne quid ex cogitatione incommodi accipiant; neque his petentibus jus redditur, neque ullus honor communicatur. His autem omnibus druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit, dignitati succedit; aut si sunt plures pares, suffragio druidum; nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique qui controversias habent conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur. Druides a bello abesse consueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, et sua sponte multi in disciplinam conveniunt, et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos viginti nonnulli in disciplina permanent, neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus Græcis litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, litteris confisos, minus memoriæ studere. Quod fere plerisque accidit, ut præsidio litterarum diligentiam in prædiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere *non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios*, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis exstincto. Multa præterea de sideribus ac eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant, et juventuti tradunt.

Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus, atque aliquod bellum incidit, quod fere ante Cæsaris adventum quotannis accidere solebat, ut aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent, omnes in bello versantur; atque, eorum ut quisque genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

De Gallorum religione.

VI. Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque, ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent. Administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent. Quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxa sunt comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum maxime Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem, et Martem, et Jovem, et Minervam. De his eamdem fere quam reliquæ gentes habent opinionem, Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Jovem imperium cœleste tenere, Martem bella gerere. Huic, cum prœlio dimicare constituerunt, ea quæ bello ceperint plerumque devovent; quæ superaverint animalia capta immolant, reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet. Neque sæpe accidit ut neglecta quispiam religione, aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet; gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

De Gallorum origine.

VII. Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant, idque ab druidibus proditum dicunt. Ob hanc causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt. Dies natales, et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitæ institutis hoc fere a reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverint ut munus militiæ sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur, filiumque puerili ætate in publico in conspectu patris assistere turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione facta cum dotibus communicant. Hujus omnis conjunctim pecuniæ ratio habetur fructusque servantur; et uter eorum vita superaverit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem. Et cum paterfamilias illustriore loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt, et de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quæstionem habent. Et si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa, et omnia quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac, paulo supra hanc memoriam, servi et clientes, quos ab his dilectos esse constabat, justis funeribus con-

fectis, una cremabantur. Quæ civitates commodius suam rempublicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis quid de republica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat, neve eum quo alio communicet; quod sæpe homines temerarios atque impeditos falsis rumoribus terreri, et ad facinus impelli, et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quæ visa sunt occultant, quæque esse ex usu judicaverint multitudini produnt. De republica nisi per concilium loqui non conceditur.

De aliis Gallorum institutis.

VIII. Item, idem ipse alio in loco inquit : Est hoc, inquam, Gallicæ consuetudinis, uti et viatores etiam invitos consistere cogant, et quid quisque eorum de quacunque re audierit aut cognoverit quærant : et mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibusque ex regionibus veniant, quasque ibi res cognoverint pronuntiare cogant. His rebus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt, quorum eos e vestigio pœnitere necesse est, cum incertis motibus serviant, et plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. His de libro Julii sententiis antepositis, non videatur lectori onerosum duorum clarissimorum exempla subnectere virorum, Orosii atque Sallustii, de virtute prolata Gallorum. Quamvis enim id præfatio non spoponderit se acturam, tamen congruum æstimatum est duorum aut trium testimonia inserere, ut, dum eorum virtus magna fuisse docetur, major fortitudo Francorum qui eos viceruntfore declaretur. Ait denique Orosius : « Quotiescunque, inquiens, Galli exarserunt contra Romanos, scilicet totis opibus suis, ita Roma detrita est ut sub præsenti nunc concursione Gothorum magis debeat meminisse Gallorum. » Ideo vero præsentem dicit concursionem Gothorum, quia ejus temporibus Gothi primum Romam ceperunt; quos postea Franci vicerunt, ut in sequentibus declarabitur. Sallustius autem ita scribit : « Per idem tempus haud dubium quin, quando bellum contra Jugurtham a Romanis gerebatur, a ducibus nostris, Quinto Scipione et Memmio Manlio, adversus Gallos male pugnatum est. Quo metu omnis Italia contremuerat. Illique et usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certari. »

INCIPIT PROŒMIUM HISTORIÆ FRANCORUM.

Regnum Francorum, antiqua Trojanæ gentis prosapia nobilitatum, cum virorum ferocis corporis animique virtute, tum maxime regum excellentissima semper viguisse potentia, luce clarius constat. Quæ pro certo natio, licet eo quo censetur nomine præferox esse noscatur; mansuetudinis tamen ejus insignia adeo elucent, ut rebellium colla hostium non tam vindici ferire mucrone quam sibi subjicere maluerit. Verum, ut diximus, cum regnum præcellentissima floruerit auctoritate virorumque prævalida animositate, non tam finium ampliare spatia suorum, quam exterarum sibi acquirere studuit dominationem gentium. Vividam namque bello dextram præferens, et parcere norat subjectis, et debellare superbos. Quæ non immerito domina multarum evasit nationum, dum non diu passa est semet idololatriæ servire dæmonum. Nam Creatori potius quam creaturæ subdi rectius ducens, ipsa, ut ita dictum sit, sui primordia regni Christo auspice cœpta, cultui ipsius dedicare maluit. Hinc ad altiora se subrigens catholicæ fidei norma, ardenti usa desiderio, ea cum regni terminis ut dilataretur, ardenter effecit. Rerum vero secundarum processu excitata impetum non refrenabat suum, sed adjungere finitimos bello coactos haudquaquam dissimulandum arbitrabatur, donec Alamannorum gens, dominationis jugum ferre detrectans, bellum immane excitavit. Quod quidem rex inclytus, Clodoveus, qui quintus regum ipsius gentis regnum tenebat, solerter ad victoriam usque perduxit. Sed hæc proprio digesta referentur in loco. Nunc Historiæ ordo texatur

Explicit Proœmium.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De gestis Francorum, et primo, de Trojanorum dispersione.

Post triumphum victoriæ quam Græci de excidio egerunt Trojæ, multi civium eversæ urbis, qui effugere cladem potuere necis, quaquaversum poterant sedes sibi quærere procurabant. Eorum quidam, Antenor nomine, non infimus genere, adjuncta sibi sociorum numerosa multitudine, navibus altum petiit mare. Tandem post magnos pelagi variosque labores, Tanais ingressi ostia fluminis, Meotides transmeantes paludes, in finibus Pannoniorum castrametati sunt. Arridente autem eis locorum amœnitate, stationem inibi constituerunt suam, ædificata civitate, quam Sicambriam vocaverunt. Post multorum vero curricula temporum, contra Valentinianum, qui Romani tenebat imperii principatum, Alanorum gens contumax rebellavit audacia perfidorum. Quos ille prælio superatos, Meotidis coegit expetere latibula paludis. Illuc quoque eos cum exercitus multitudine insecutus, dum situ et difficultate locorum, quominus eis nocere posset, impediretur,

Trojanos Sicambriam habitantes in auxilium evocat. Hos hortatur monetque ut suis tantummodo viam pandant, per quam securos hostes et nil tale verentes invadendo opprimant. Illi non id solum se facturos, verum se Alanos hinc expulsuros spondent. Imperator decennio eis tributa, si id efficiant, indulget. Trojani fiducia animati quod forent gnari locorum, simul et munerum promissione allecti, Alanis locorum firmitate fidentibus ex improviso superveniunt, cædunt prosternuntque multos mortales, cæterosque in fugam actos a palude perturbant. Imperator virtutem gentis audaciamque miratus, quod loca, quæ totius orbis victores Romani expavissent, non solum intrare, verum et immanissimos hostes expellere non dubitassent, Attica lingua Francos, id est feroces, nuncupavit.

CAPUT II.

De Francorum appellatione altera opinio.

Quidam vero auctores referunt quod a Francione rege vocati sunt Franci, dicentes quod digressi a Troja regem sibi, Frigam nomine, constituerint. Sub quo, inquiunt, eis Asiam pervagantibus, quædam ex ipsis pars inter Macedones sortem habitationis accepit. Quorum viribus aucti Macedones, quanta sub Philippo et Alexandro regibus bella gesserunt prospera perspicuum habetur. Porro reliqua portio cum præfato principe Europæ partes adiit, et inter Oceanum et Thraciam super littora Danubii consedit. Quæ duobus a se electis regibus, in duarum se divisit nomina gentium. Et una quidem natio Torchorum, a Torchoto rege; alia vero a Francione, Francorum adepta nomen est, quæ Alanos, ut diximus, a Meotidis expulit paludibus.

CAPUT III.

De Francorum, antequam in Galliam venerint, gestis.

Decennio sane exacto, misit imperator qui consueta de gente Francorum exigerent tributa. Illi pretio sui sanguinis se eo levatos fatentur, seque vectigal non soluturos, pro quo remittendo mortis discrimen perpessi forent. His indignatus Cæsar suorum instruit aciem, quæ et viribus foret exercita, et tantæ genti obviam ire parata. Nec morati, obviam eunt Franci Romanis. Pugna in manibus, nec comperendinata, quamvis uni genti adversus plures gentes prælio decertandum foret. Franci sane robur aliarum nationum Romanis subsidio venisse conspicati, cedendum sibi loco utilius æstimantes, Sicambriam egressi ripas Rheni fluminis occupaverunt; duces autem sibi Marchomirum, Sunnonem et Genebaudum, post funus memorati regis Francionis eligentes, plurima Germanorum oppida pervasere. Quorum quidem numerus, cum primo digressionis suæ ab Asia tempore vix ad duodecim millia armatorum æstimaretur, in tantam coaluit numerositatem, ut ipsis etiam Germanis, proceritate et virtute corporum præeminentibus, formidini esset. Quos tempore Theodosii Nannius et Quintinus, magistri militum, collecto exercitu Germania pellere moliti sunt. Quos prima quidem acie superasse sibi visi sunt. Postmodum tamen, cum majores copiæ, junctis sibi Heraclio ac Joviniano, Romanæ militiæ principibus, ad se ivissent; commissa pugna, tantam ex Romanis Franci stragem, fugatis Heraclio ac Joviniano, ediderunt, ut cunctis circuitu nationibus hæc audientibus terrorem suæ virtutis inculerent. Nec fuit in reliquum gens quæ Francos jure belli sub jugo redigeret tributi.

Sane Arbogastes ejusdem gentis comes ad Romanos se contulit, et victus bello a Francis primo congressu aufugit. Postmodum tamen inita denuo pugna non parvam multitudinem manu fudit, cum residuis vero pacem firmavit: uti in vita beati Ambrosii plenius inveniri valet.

Trevirorum urbem Franci, factione Lucii constantis, eodem tempore pervaserunt. Qui videlicet Lucius indignatione commotus, eo quod cognovisset ab Avito, Galliarum Augusto, uxorem suam stupro maculatam, atque cavillando sibi audisset eum dicentem quod calidas quidem haberet thermas, sed ipse frigido lavaretur, ista perpetravit.

CAPUT IV.

De Pharamundo, primo Francorum rege

Regem vero, cæterarum more nationum, Franci sibi eligentes Pharamundum, Marchomiri filium, solio sublimant regio. Cui filius successit Clodio Crinitus. Illo in tempore, Francorum reges criniti habebantur. Finitimos itaque bello lacessendo, Thoringorum, qui Germaniam incolunt, fines depopulantes, castellum quoddam Disbargum nomine occupant, in quo rex Clodio sedem sui constituit regni

CAPUT V.

De Romani imperii excidio, et Francorum incremento sub Clodione rege.

Eo in tempore, Romano imperio a ferrea firmitate in testaceam decidente fragilitatem, Burgundiones Lugdunensem, Gothi Aquitanicam pervaserant provinciam, eaque tantum pars Galliarum Romanæ suberat ditioni, quam Rheni fluenta ac amnis Ligeris determinant. Rex autem Clodio angustos regni fines dilatare cupiens, exploratores a Disbargo trans Rhenum dirigit, et ipse cum exercitu subsecutus Cameracum urbem obtinuit; quoscunque Romanorum obvios habuit, neci tradidit.

CAPUT VI.

De Meroveo rege.

Post hæc, Clodione rege vita decedente, Meroveus ejus affinis regni Francorum gubernacula suscepit. Regnavit autem Clodio per 20 annorum curricula. Qua tempestate etiam Hunni Rhenum transeuntes Metis civitatem concremant, Treviris diripiunt, Tungrense devastant territorium. Ita per totam Galliam sæva bellorum exardescebant incendia. Ubique luctus, ubique dolor, et plurima mortis imago. Aurelianensem quoque adeuntes urbem obsidione claudunt, et ne quis tute egrediatur, portis custodia vallatis, studioso conamine provident. Erat tunc temporis ejusdem civitatis præsul, virtute admirabilis, Anianus. Cujus meritis et orationibus imma-

nissimas Hunnorum phalanges omnipotentia Christi ita protrivit, ut quibus profugi habitent in terris hucusque sit incognitum.

CAPUT VII.

De Childerico rege.

Meroveo autem rege Francorum hac luce casso, Childericus filius ejus solio sublimatur regio. Hujus regni primordia quibusque bonis detestanda fuere. Hic namque contra Francos primum nequiter agens, cum filias nobilium incesto contaminare non desisteret, regno ejicitur. Qui expulsus, regem Thoringarum, Bissinum nomine, expetiit, tutam sibi apud eum latebram fore autumans. Nec spe sua frustratus est. Nam, cuncto exsilii sui tempore, cum rege conversatus honorificoque apud eum loco habitus est. Erat ei quidam e Francorum proceribus familiaritatis vinculo colligatus, nomine Winomadus. Cujus ille omnia agebat consilio, dum adhuc regni potiretur sceptro. Hunc ergo evocans, animositatem Francorum sese regno pellere minitantium edicit; quid facto opus sit consulit. Ille iræ eorum cedendum suadet, ne, si permanendum putaret, augeret potius odium quam diminueret, humani dicens esse morem ingenii præsentiæ alicujus invidere, absentiæ compati. Se interim, dum ille quoquo locorum immoratur, animos gentis pertentaturum pollicetur persuasurumque ut cum eo in gratiam redeant. Dividensque aureum, sibi medium retinet, mediumque illi confert dicens : « Suscipe mediam hujus aurei partem, et si quidem Francos tibi conciliare potuero, hoc tibi erit signum, dum hanc tibi misero partem, et convenire sibi utrasque contigerit, animadvertas oportebit eodem modo convenientia populi studia tibi congruere. Reditum ergo ad patriam accelerabis tuam, ut regnum, quo nunc privaris, recipias. » Post hæc verba Childericus Thoringam, ut prælibatum est, petiit. Franci vero immemores injuriarum quas Romanis intulerant, Egidium patricium, qui a Romanis tuendæ Galliæ curam susceperat, regem sibi statuunt. Cæca mens hominum cum sibi putare consulere, cui ipse mala non desinit irrogare ! Nam quo pacto is bene illis consultum vellet, cujus agros igne, populum gladio, urbes vastatione protriverunt? Winomadus sane versuta callens astutia, et ad quæ animum intenderat efficere satis promptus, in brevi amicitiæ Egidii inhæsit. Cui ille, familiarissimum sibi æstimans amicorum, se suaque omnia credebat consilia. Winomadus itaque, præsentiscens Francorum ei suspectam fore potentiam, cumulare et ipse verbis, quibus poterat, invidiæ simultates non cessabat. Suadet ergo tributi onere eos opprimi oportere. Sed perpendens hac eos injuria non flecti quin, ut ceperant odio Childericum, honore Egidium dignum acclamarent, Egidio sic locutus est :

« Ita, inquit, Francorum frangere quibis contumaciam, si aliquos potentium gladio peremeris. » Egidius id illi committit negotii. Winomadus opportunam nactus occasionem, quos infestiores fuisse Chiderico cognoverat, criminibus insimulatos, Egidio mittit puniendos. Ille, ut reos imperialis majestatis, gladio puniri jussit. Hac regis immanitate permoti Franci, Winomadum ab hoc consilio immunem æstimantes, querelam ei suam depromunt. Ille mirari se dicit variam eorum mutabilitatem mentium, ut de ejus nunc crudelitate querantur, quem tanto ante præconio dignum judicavissent. Simulque hac eos oratione convenit. « Quæ, inquit, dementia vestris vesanis insedit animis, ut, expulso cive, dominatui vos superbi subderetis advenæ? Sed dicturi estis infrenatam ejus luxuriam vobis pudori fuisse. Ut quid ergo de hujus feritate causamini, quem illi præferendum æstimavistis? Sprevistis regem vestra de gente creatum, qui benignus natura, benignior etiam abolita potuit esse lascivia, et elegistis tyrannum, ob hoc vel maxime pertimescendum, quod genus externa habeat natione deductum. Animalia sane, ratione carentia, sui potius quam externi dominium expetunt generis. Solis ciconiis alieni duces placent sanguinis, quæ, ventri deditæ, aliarum se tuentur periculo avium. Verum si consiliis decrevistis parere meis, redeundum in gratiam censeo, et placandum principis animum expulsione offensum. Durum certe judico unius non posse perpeti luxuriam, et tantorum perferre nobilium perditionem civium. » His illi animati verbis, simul et atrocitate facti permoti quo primores regni pessundari videbant, Winomado dixerunt : « Pœnitet nos injuriarum proprio regi illatarum, quem sicubi gentium inveniri posse sciremus, supplices legatos mitteremus exoratum ut suum rediret ad regnum. » Ille convenientia regi Francorum persentiscens studia, fidelem per puerum dimidium ei dirigit aureum, cujus partem mediam abeunti dederat in signum. Legatoque hæc illi dicere jussit : « Revertere jam nunc, ut desideratus dominus, ac ut felix utere regno tuo. » Qua legatione Childericus accepta ovans patriam repetit, et e medio itineris mittit qui Winomado adventum nuntiet suum, et edicat ut sibi festinato occurrat. Quod ille junctis sibi Francorum proceribus maturato implevit : et apud castrum, cui nomen Barrum est, ei occurrit. Præceperat porro præfatus dux Barrensibus ut cum summo honore regem advenientem exciperent. Cujus ipsi præcepto parentes, honorificentissime cum obviam progressi susceperunt. Quod rex pro omine accepit, gratanterque eorum obsequio usus, tributum, quod regni ejus dependebant partibus, liberalitate indulsit regia. Junctis itaque cum Winomado viribus, Childericus inde progressus, Egidium acie superatum regno decedere compulit. Qui expulsus Suessionem civitatem petiit, reliquoque quoad vixit tempore inibi deguit. Eo autem præsenti lumine casso, Siagrius filius ejus eamdem urbem hæreditario jure possedit.

Childericus vero, cum et manu promptus et consiliis esset providus, cum Adovagrio, Saxonum rege, Aurelianis pugnans victor exstitit. Quem fuga lapsum Andegavos usque persequens, cum eum non

reperisset, ipsam urbem oppugnans cepit. Paulum Romanarum comitem partium interemit. Sicque regni terminos Aurelianensem ac demum Andegavensem usque civitatem dilatare haud segniter procuravit.

CAPUT VIII.

De Basinæ, Thoringorum regis uxoris, ad Childericum transitu.

Basina autem Bissini, Thoringorum regis, uxor, cognoscens Childericum paternum recepisse regnum, ad eum, priori abjecto viro, ire contendit. Dicebatur autem idem princeps consuetudinem stupri cum ea habuisse, dum apud præfatum exsularet regem. Childericus ergo, dum ab ea quæreret qua de causa ad se venire tantopere curasset, hoc ab ea responsum accepit : « Tua, inquit, virtute et modestia cognita, expetere te decrevi. Nam si ultimi in finibus orbis te utiliorem invenire me sperarem, nulla itineris molestia impedirer quin eum properanter adirem. » Cumque ab ea rex hæc accepisset responsa, immemor amicitiæ et beneficiorum ab ejus viro sibi collatorum, ipso superstite, utpote paganus, eam sibi in matrimonium adscivit. Dum autem secreta jugalis tori supervenissent silentia, mulier virum admonet a mutua eum debere vacare conjunctione, hortaturque ut ante fores palatii exeat, et quæ viderit sibi renuntiet. Ille, monita mulieris haud aspernanda arbitratus, dicto paret. Et, ecce præ foribus aulæ regiæ videt magnarum formas bestiarum veluti deambulantium, pardorum scilicet, unicornium, atque leonum. Perterritus itaque ad conjugem properat, rem ordine refert. Illa confidere eum imperat, et ut secundo ac tertio id faciat edicit. Revertenti itaque regi apparent iterum ursorum luporumque circumcursantium imagines. Tertio quoque egressus, aspicit canum figuras minorumque animalium se invicem lacerantium. Stupens igitur, visionis ignarus, stratum repetit, causam prudenti feminæ pandit, et quid ista portendant sollicitus explorator exquirit. Namque non se ab ea frustra ad hæc intuenda missum certo sciebat. Illa caste se agere virum ea nocte præmonet, cuncta se, ventura luce, declaraturam pollicens. Dum ergo aurea polum facies rutilique jubar solis diem decorarent, surgit mulier, maritique animum dubia visione suspensum hac reddidit oratione lenitum : « Has, inquit, mi vir, corde pelle curas, et quæ dicam intenta percipe mente. Etenim non tantum præsentium acta rerum quantum futurorum est ostensum præsagium. Nec te formas animalium, uti ante pedes vidisti positas, dignum est perpendere, sed potius in his posterorum mores et actus nostrorum oportet prospicias. Nostro namque qui primus surget a semine filiique censebitur nomine, insignis erit potentiæ, quem leonis vel unicornis conspexisti in speciem. In figura sane lupi ac ursi signantur ipsius posteri, virtute prævalidi, rapinæque avidi. At canis, libidinis impatiens, nullius-que virtutis, humana sine ope esse non prævalens, eorum præsagit ignaviam qui ultimis in sæculis hujus regni potientur sceptris. Porro minorum turba animalium semet invicem lacerantium, populus est sine timore principum, qui, dum regni primoribus mutuo sese odio impugnantibus obsequitur attentius, variis sese implicat causarum tumultibus, dumque proceres alterutris sese moliuntur privare honoribus, illis ignobile vulgus favendo patet sine numero cædibus. Hæc mihi, domine rex, tuæ visionis est expositio manifesta, et futuri indicatrix certa. Ita rex, postposita visionis propriæ mordaci cura, numerosa venturæ suæ prolis lætatus est se agnovisse auspicia.

CAPUT IX.

De Antemii imperio, et prodigiis sub eo.

Ea tempestate Antemio Romanum gubernante imperium, Leone Constantinopolitanum, apud Tolosam Galliæ urbem e medio ejus tota die sanguis largissimo fluxit rivo. Quod prudentes quique Gothorum, qui eadem regnabant in civitate, perditionem, Francorumque dixerunt portendere dominationem. Ilis quoque diebus Odoacer, qui Herulis aliisque nationibus quæ Danubii ripas incolunt imperitabat, victoria elatus, quam, Feletheo Rugorum rege bello devicto, adeptus erat, Italiam a parte Pannoniorum invadere cogitabat. Cumque fines Noricorum ingrederetur, colloquium cujusdam servi Dei, nomine Severini petiit, qui his in locis monasterium sibi construxerat. A quo petita benedictione et impetrata, dum domum egredi vellet, et se ad limen ostii, ne caput offenderet, inclinasset, erat enim statura procerus, hæc ab eodem viro Dei audivit : « Vade, Odoacer, vilibus nunc animantium pellibus indutus, Italiæ dominus mox futurus. » Qua viri Dei prophetia ille audita, Italiam ingressus, non ut debuit, sed ut voluit, cædibus ac rapinis cuncta vastavit. Antemio vero imperatore fraude Ricimiri generi sui interempto, ipsis etiam Romanæ urbis summis arcibus infestius minitare cœpit. Qua de causa Romani et maxime Gothi legatos ad Leonem Constantinopolitanum imperatorem dirigunt oratum ut sibi aliquis mitteretur principum, per cujus auxilium impetum propulsarent hostium.

CAPUT X.

De Theodorici imperio.

Erat autem quidam inter primores imperialis aulæ, Theodoricus nomine, vir spectatæ prudentiæ. Cujus pater Theodorus, Macedonia genitus, cujusdam Idatii patricii dum esset famulus, quamdam conservam suam, nomine Liliam, amare cœpit ardentius. Quod agnoscens dominus, conjugis Eugeniæ consilio usus, eam illi tradidit conjugem, sciens eadem de gente esse prognatam. Cujus domina, quæ se fructu ventris dolebat esse privatam, hæc illi in mandatis dedit ut, quod prima nocte jugalis tori in somnis videret, id sibi nuntiare curaret. Ea igitur nocte, qua primum cum viro secreta petiit cubiculi silentia, videt mulier ab umbilico sibi procedere arborem usque ad tecta domus excrescentem. Terrore visionis expergefacta narrat viro visionem, si-

mul et dominæ jussionem. Ille mirari visum, domi-
mæque cœpit laudare præceptum. Sed timens pueri
interitum mutare jussit somnium taleque dedit man-
datum : « Dum, inquit, ante dominæ veneris con-
spectum et jussa fueris pandere somnium, dices vi-
disse te equum et equam, pulcherrimos omnium
obambulantes aliumque parvulum pone eos sequen-
tem. » Parens illa verbis viri refert dominis fieri
verba somnii. Gratulantur illi pro auspicio nasciturі
pueri, famulos libertate donant, natumque puerum
sibi adoptant in filium. Post hæc, Idatio et ejus con-
juge vita decedentibus, jussu Leonis imperatoris
Theodoricus castris imperialibus miles est ascitus.
Qui, cum cæteris proceritate corporis esset eminen-
tior, fortitudine quoque membrorum virtuteque ani-
mi erat præstantior. Unde ipsi imperatori multisque
senatoribus charus habebatur. Venientibus itaque su-
pradictis Romanorum Gothorumque legatis et pro-
pter quæ venerant intimantibus, imperator Theodo-
ricum, patriciatus honore insignitum, ad partes di-
rexit Italiæ tuendas. Qui, evectu navali Hesperiam
ingressus, cum Odoacro ac Herulis variis successi-
bus bella gessit. Quadam autem vice bello devictus
Ravennam fugiens petere est coactus. Cui mater
Lilia obviam venit; orat ut in bellum redeat. Cun-
ctanti taliter infit : « Mihi crede, fili, non est tugu-
rium, quo fugiens te recipere possis, nisi allevem
vestem, et eam, ex qua primam fusus es in lucem,
ingrediaris domum. »

Quibus verbis irritatus juvenis, pudoreque in-
flammatus, collecta suorum, quos ad præsens repe-
rit, parva quidem, sed robusta manu, super hostes
irruit, qui securi victoriæ late diffusi jacebant in
campo. Hos ergo circumfusos sternit fugatque, ip-
sumque Odoacrum capit. Quem non multo post oc-
cidit omnemque Italiam a dominatione Herulorum
eripuit. Sed hunc ejus prosperum successum invida
mutavit fortuna. Nam sicut fieri assolet ut bonis vir-
tutis augmentum apud improbos invidiæ det locum,
quidam de senatoribus apud urbem regiam commo-
nentes secundis Theodorici invidebant actibus.
Quapropter derogare apud imperatorem rebus ab eo
optime gestis conati sunt; adeuntesque Leonem im-
peratorem ejus clementissimum animum ex sua le-
vitate alios existimantem ab amore Theodorici
avertere gestiebant, confingentes velle Theodori-
cum Hesperiæ arripere regnum. His imperator cre-
dulus verbis eum ab Italia accersivit. Cujus Theo-
dorici parens præceptis cum nobilibus Gothorum
ei Constantinopolim occurrit. Delatorum vero ver-
sutia princeps deceptus segregatum a suis Theodo-
ricum interficere cogitabat. Sed hujus machinationis
technis obviavit Ptolomæus, vir senatorii ordinis,
providus consiliis. Qui filiissimus amicorum Theo-
dorici dum esset, et ab adolescentia jure amicitiæ
fœderatus, nulla poterat in ejus odium calliditate de-
flecti. Hic ergo, subdola adversariorum persenti-
scens consilia, adiit principem, talique apud eum ora-
tione usus est : « Romani, inquit, gloria nominis,
quamvis sit bellorum sublimata triumphis, plus ta-
men decoris emeruit insignibus integræ fidei ma-
gnificæque pietatis. Majores quippe nostri plus se
alterutrum pietate quam hostes certabant vincere
bellico jure. Præstantissimum quidem quod fertur
Scipio de Carthagine triumphasse; præstabilius ve-
ro quod dicitur infestissimi hostis exsequiis non so-
lum interfuisse, verum et famus ipsum subjectis
vexisse humeris. Laudabile quoque Pompeium Mi-
tridatis delesse copias ipsumque ad mortem co-
egisse; laudabilius etiam Tigranem sese dedentem,
terræque ante pedes prostratum ac diadema suum
super genua ejus ponentem non solum elevasse, ve-
rum etiam coronam ejus capiti imposuisse, sibique
consedere fecisse. Quid mirabilem Reguli consulis
referam fidem, qui maluit inter inimicorum manus
inauditis perire suppliciis quam jurisjurandi fran-
gendo fidem Romæ amantissimus vivere civis? Non
ergo suscipias, clementissime imperator, eorum
verba qui decus imperii tui perfidiæ volunt inqui-
nare macula. Quid enim toto dicetur in orbe, si præ-
stantissimum ducem tam infandissima peremeris
morte? Sed placeat tibi consilium meum, et, dum
palatium intraverit Theodoricus, custodiæ manci-
petur vinctus. Post hæc mittantur ex senatoribus
aliqui, qui hoc a tua pietate responsum referant Go-
this : « Non, inquiant, dimittetur Theodoricus, nisi se
purgaverit objectis criminibus. »

Placuit sermo principi cunctoque senatui. Mittitur Ptolomæus cum aliis legatis, hæc nuntiaturus Gothis. Præmiserat sane puerum hoc illis intimaturum, ut eum cum cæteris venientem caperent et hæc imperatori mandarent : « Non remittentur senatores, nisi dominum suum receperint Gothorum nobiles. » Illi monitis sibi utilissimis obsecundant, circumventos senatores in vincula conjiciunt. Qua re comperta, Cæsar feritatem gentis veritus, ne quid in suos crudele agerent consulto præcavit, et Theodoricum salvum Gothis reddidit. Ita provido amici consilio ad præsens de mortis liberatus est periculo. Dum vero Romam reversus esset, varios eum contigit bellorum habere successus. Nam et Avares sæpe bello devicit, victusque ab eis est. Quodam autem die, supradictos hostes prælio superatos fugientesque totis cædens viis, haud procul ab amne, cui Hister nomen est, castra constituit; et paucis suorum assumptis, speculatum hostes processit, cum, ecce quidam Avar, Xerxes nomine, itidem tentoria Theodorici exploraturus singularis adveniebat. Quem Theodoricus solum adventare conspicatus, tres e suis dirigit qui eum captum ocius sibi præsentarent. Quos Avar Xerxes, fugam fingens, singulatim interemit. Alios quoque tres pari modo neci tradidit. Tunc Theodoricus, sociis reformidantibus, eum aggreditur; cum quo diu multumque decertans, tandem Xerxes brachio vulneratus a Theodorico capitur, atque in castris Gothorum vinctus statuitur. Cujus virtutem supradictus princeps admiratus, primum blandiliis, dehinc minis, ad coha' itandum sibi cogere nitebatur.

Sed dum eum nec terrore concuti, nec promissis flecti posse conspexisset, multis affectum injuriis ad patriam redire permisit invitus. Ille vero, natatu flumen Histrum ingressus, retro respiciens ad Theodoricum taliter infit : « Tua, inquit, exutus dominatione meæque redditus libertati, ad te nunc jam meum revertar dominum, pollicens me tibi fidelem fore famulum. » His dictis, ripam quam reliquerat repetiit et ditioni se Theodorici commisit.

His prosperis successibus dum in Italia sæpefatus polleret patricius, Constantinopoli apud imperatorem invidis detrahentium lacerabatur relationibus. Improborum etenim mentes hominum, aliorum incommodis sua volentes augmentare commoda, bonorum benefacta virorum contrariam moliuntur vertere in partem. Denique imperator, delatorum versutis in errorem inductus insimulationibus, furensque animo quod Theodoricus insidiator regni esse ferebatur, eum iterum ad se venire mandat, habitoque cum senatoribus mortis ejus tractatu, jurisjurandi fide eos obligat ne quis arcani sui proditor existat. Theodoricus autem, legatione principis accepta, e vestigio ad Ptolomæum (cujus supra meminimus) mittit puerum, ut sibi remandet utrum expediat imperatoris audire præceptum. Ille, dum simulat se velle responsum non reddere, pueri qui missus fuerat instantia veterisque viri devictus amicitia, tandem Theodorici legato talia dat præcepta : « Hodierna, inquit, die natalitio imperatoris existente nobisque senatoribus cum eo pariter discumbentibus, tu vice obsequentis famuli pone stans meo adhærebis lateri, et, inter convivandum de qua re mihi fiet sermo ad senatores vel principem, intenta curabis aure percipere eique a quo directus es nuntiare. » Paret ille mandato ac sedulus Ptolomæi auditor fit in convivio. Tunc inter epulas et pocula, cum procerum mero incaluissent corda, tali eos Ptolomæus est hortatus affamine : « Hic, inquiens, dies, cum sit magnificis lætus epulis, jucundus oportet fiat delectabilibus fabulis. Satisfiat ergo eorum voluntati qui his delectantur perfrui, quandoquidem auxit talium aviditatem exuberans opulentia vini. » Omnibus ergo hoc sermone suspensis, hæc ille dicere est orsus :

« Eo, inquit, in tempore, quo humanæ copia eloquentiæ cunctis inerat animantibus terræ, bestiæ saltus in unum coiere consensum ut sibi eligerent regem, et, quæ hominum fastidiebant dominium, haberent sui generis imperatorem electum. His sese mutuo cohortantes verbis, adoriuntur leonem rogantque ut earum non abnuat voluntatem. Dicunt se velle eum habere principem, quem scirent esse consilio prudenti. Suscipit jus dominationis leo, et ab universis feris solio sublimatur regio. Conveniunt frequentes ad eum salutandum et adorant ut dominum. Inter cæteras igitur advenit cervus, forma corporis egregius ramosisque pollens cornibus. Qui, dum submissa cervice procideret adoraturus, a leone arripitur epulum ei mox futurus. Sed ipse, dolum persentiscens fortique conamine caput excutiens, amissis cornibus silvam petiit profugus. Indignatus imperator contemptum sui, et impatiens iræ, multa furibundus cervo interminatur. Conqueruntur inter se feræ pro principis injuria, nec tamen invenitur ulla quæ cervum persequi audeat hanc contumeliam vindicatura. Qui etsi videretur esse inermis, pernici tamen cursu transiliens ardui juga montis, evaderet sine beneficio noctis. Erat inter eas vulpes, artibus callens ingeniosis. Hanc mittunt, ut cervum callide conveniat et ad leonem redire faciat. Obtemperat illa jussis, cervum adit dicitque se ejus dolori compati; et, quod sine causa talia passus sit, sibi injustum videri. Ille econtra multa in leonem congerens maledicta, se, dum obsequitur, male multatum conqueritur. Cui vulpes : Videndum, inquit, est ne quod tu injuriæ deputas, ille amoris tui causa fecisse comprobetur. Nam dum te, ut æstimo, sibi supplicem ad suum elevare vult osculum, tu, forte putans morsum, ejus declinasti conspectum. At ipse nunc te absentem esse dolet, de te absente sermonem agitat, in te solo ejus intentio moratur. Quid plura? suadet cervo ut leonem adeat ac ejus se ditioni committat. Qui dum, ut ante, inclinato capite regem adoraturus veniret, cervice tenus unguibus infixis a leone arripitur et a circumstantibus feris sine mora discerpitur. Vulpes prope stans furtim cor ejus aufert et devorat. Cor cervi quærens et non inveniens leo fremit grave. Tremefactæ feræ inquirunt sollicite quæ earum huic sit obnoxia culpæ. Suspicio erat vulpem hujus esse furti ream, quod vidissent eam cervo proximius adhærentem. Inquisita vulpes negat se consciam hujus criminis. Sed, dum ei non creditur, cruciatibus addicta in hæc prorupit verba : Væ, inquit, mihi miseræ, quæ tantas pœnas patior indigne! Ut quid enim a me exquiritur, quod eum minime habuisse certa ratione cognoscitur? Etenim si cor habuisset, profecto huc non redisset. Primo, cornibus avulsis inermis aufugit; secundo, non dubitavit subire periculum mortis. Nullatenus ergo cor habuit qui sibi consulere nescivit. Hæc Ptolomeus locutus conticuit. » Puer, Theodorici hæc intente auscultans et sagaci animo dicta intelligens, ad dominum suum reversus cuncta per ordinem pandit et cautiorem adversus dolos insidiantium esse præmonuit. Theodoricus itaque, imperatoris jussionibus spretis, quibus Constantinopolim adire jubebatur, in Italia resedit. Denique postmodum Gothorum, qui Italiam invaserant, rex est effectus et Dominus. Imperii vero partibus quotannis modium terræ dependebat. Unde rei veritatem ignorantibus, dum modium rex Theodoricus ærariis publicis solvere diceretur, non addito cujusquam rei vocabulo, ut puta, vini aut olei, modium nummorum conferre putabatur.

CAPUT XI.

De duobus papis, et pœna antipapæ fautoris.

Eo tempore, defuncto Anastasio papa Romano, pro ejus successore fœda in clero simul et populo

erat dissensio. Quædam etenim pars in personam cujusdam Laurentii consensum præbebat; major vero, et (ut post patuit) saniori utens consilio, sanctissimum sibi elegerat Symmachum. Ordinantur ergo una die ambo; et Symmachus quidem in basilica Constantiniana, Laurentius vero in ecclesia sanctæ Mariæ. Sed cum neutra pars alteri cederet, constituerunt ut lis cœpta judicio supra memorati regis Theodorici finiretur. Qui Ravennæ positus, dum Legatos utriusque partis audisset, decrevit : « Ut qui prior ordinatus esset, aut quem major pars cleri simul ac populi elegisset, in sede apostolica resideret. » Unde Symmachus pontifex factus constituit Laurentium in Nucerina civitate episcopum intuitu misericordiæ. Hæc autem plenius in Gestis Pontificalibus, qui scire voluerit, inveniet. In hac vero dissensione (ut beatus scribit papa Gregorius) sanctissimus Paschasius, Ecclesiæ Romanæ diaconus, partibus favit Laurentii. Qui dum contemptor sui atque amator esset pauperum Christi, eleemosynarumque sedulus dispensator, nunquam tamen flecti potuit ut Symmacho communicaret, illum diligens, illum semper præferens, quem Ecclesia justo episcoporum judicio sibi præesse repudiaverat. Hic ergo Paschasius, dum tempore Symmachi pontificis terminum hujus esset sortitus vitæ, ad ecclesiam est delatus mandandus sepulturæ. Cujus dalmaticam, quæ super feretrum ejus posita erat, cum quidam dæmoniacus tetigisset, statim liberatus est. Germano autem Capuano episcopo medici dictaverant ut pro recuperanda salute corporis in Angulanis thermis lavari debuisset. Hic itaque easdem thermas ingressus eumdem Paschasium in eisdem caloribus stantem et sibi obsequi paratum invenit. Quem cum tremefactus inquireret « quid ibi tantus vir ageret, » hoc ab eo responsum accepit : « Pro nulla, inquit, alia re in his sum deputatus caloribus nisi quia, Laurentio favens, ei contra Symmachum nequiter agenti consensi. Porro si pro me Domino preces dignaris fundere, in hoc te exauditum scito esse si huc rediens me non quiveris invenire. » Episcopus sane ad ecclesiam regressus hostiam pro eo salutarem Domino obtulit, et ad thermas reversus eum minime invenit.

CAPUT XII.

De Clodovei regis ortu et regno.

Porro Childericus, rex Francorum, ex supra memorata uxore sua habuit filium, nomine Clodoveum. Qui, ut ætate in dies, sic et morum crescebat probitate. Hoc tempore, fame valida totam pene Burgundiam opprimente, quidam ex senatoribus, Edicius nomine, Deo et hominibus placens, studuit agere rem placitam ; missis namque pueris congregavit ad quatuor millia eorum quos famis inopia coangustabat, hos toto egestatis tempore propriis aluit ac fovit sumptibus. Quadam itaque die, ei tam pio operi insistenti vox desuper audita est, dicens : « Quia inquit, o Edici, mihi in membris meis esurienti alimoniam contulisti, semini tuo panis non deerit in sæculum sæculi. Fidelis utique Deus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV, 9), fidelem famulum de præmio justi laboris voluit esse securum. » Interea rex Childericus, dum per 24 annorum curricula Francorum strenue gubernasset regnum, ex hac vita decessit. Huic bæreditario jure successit supradictus Clodoveus, vir in rebus bellicis strenuus nullique priorum virtute secundus. Hic Siagrium Romanorum patricium, Egidii filium, a Suessionis civitate expulit, eamque suæ ditioni subdidit. Exercitus sane Francorum multas Galliarum ecclesias invadens, thesauros earum diripuit. Unde inter cætera spolia de ecclesia Remensi urceum miri ponderis simul et decoris asportaverunt. Pro quo beatus Remigius, ipsius urbis pontifex, legatum ad Clodoveum direxit, multa prece deposcens ut, si non aliud recipere mereretur, saltem urceus ille sibi redderetur. Tunc rex legato præcepit, dicens : « Sequere inquit, me usque Suessionis, ibi quæ capta sunt sorte missa dividentur. Et si mihi sors justa vas, pro quo oras, dederit, in recipiendo eo nulla tibi generabitur mora. » Parens ille præcepto iter regis usque ad destinatum prosecutus est locum. Quo cum pervenissent, ex regis edicto supellex cuncta in medium defertur sorte dividenda. Porro rex veritus ne forte, sorte missa, urceus ad alterius deveniret dominium, convocatis principibus hac eos alloquitur oratione : « Cum rationis ordo exposcat principem imperare potius subditis quid velit quam prece deposcere, ego tamen, fortissimi commilitones, malo cum gratia quam cum austeritate quidquam a vobis exigere. Tyrannorum quippe est levia quæque cum vi et feritate subjectis præcipere, bonorum vero principum ad gravia etiam ac difficilia toleranda sola lenitate invitare verborum. Regii itaque dignitas nominis pii patris debet exempla sectari, ut plus reverentiæ sibi ex benignitate quam timoris exigat ex crudelitate. Rectius igitur duxi mansueti animi benevolentia id vos rogare quod possem regia usus auctoritate inconsultis vobis præripere. Unde oratos vos omnes esse volo ut vas istud (urceum demonstrans) vestra mihi munificentia extra sortis meæ portionem tribuat, deque remunerationis præmio nullus vestrum ambigat cum me retributorem profitear, si hoc cum bona quivero impetrare gratia. »

Ad hæc Franci respondentes regi dixerunt : « Nos, o inclyte rex, sacramento olim tibi fidem promisisse recolimus, utque mortem pro corporis tui salute subire parati essemus profiteri non erubuimus. Si ergo vitam ipsam, quæ cunctis charior est opibus, tibi vovimus, quid majus erit quod juste negemus? Sane ex his spoliis non partem, sed totum tuæ potestati cedimus; ut volueris fac. Aut mergi fluminibus aut flammis jubeas tradi voracibus, nil ad nos attinet ; tantum ut tuo satisfiat desiderio. » Tam devotam totius erga se exercitus voluntatem rege admirante atque laudante, unus ex Francis, levitate animi commotus, gladio urceum percutiens, ad regem

dixit : « Tu, inquiens, rex, hinc nihil accipies nisi quod tibi vera sors auferre permiserit. » Mirantibus cæteris, simulque audaciam viri incusantibus, rex moleste id se ferre dissimulans, vas supra memoratum legato pontificis reddidit. Emenso labentis anni circulo, idem princeps exercitum adunari præcepit in campo qui Martius dicebatur, generale proponens edictum ut sic adessent armati ac si contra hostes pugnaturi. Procedit eo loco quo jussum fuerat exercitus, gestis militiæ clarus ac armorum nitore conspicuus. Progreditur et rex Clodoveus ordinatam suorum aciem inspecturus, circuitoque agmine devenit ad eum qui urceum suo percusserat mucrone. Quem intuitus taliter alloquitur : « Universum, inquit, perlustrans exercitum, te ignaviorem non reperi, nec inutiliora gerentem arma conspexi. Nam nec hasta aut clypeus nec galea aut gladius alicujus sunt utilitatis. » Et extensa manu franciscam ejus terræ dejecit, quæ spatha dicitur. Ad quam recipiendam cum se ille inclinasset, rex suam vagina exemit ejusque cervici valido conamine illisit, dicens : « Sic tu Suessionis in urceo illo mihi fecisti. » Eo itaque mortuo, rex unumquemque ad propria redire præcepit. Grandis propter hoc factum Francos terror invasit, et ne quis ejus voluntati in posterum contraire coercuit. Inerat vultui ejus gravitas mista alacritati, ut et jucunditate aspectus mulceret probos et severitate terreret improbos.

CAPUT XIII.

De Clodovei regis procatione.

Quo ergo ordine ad matris Ecclesiæ sinum ac catholicæ pervenerit fidei unitatem paucis edicam. Duxit uxorem ex genere Burgundionum, Clotildem nomine, Christianam ab ipsis cunabulis infantiæ. Hæc tali quadam ex causa ad notitiam ipsius regis pervenit. Miserat idem princeps legatos ad Gundebaldum regem Burgundionum, ferendæ pacis gratia. Qui dum palatio immorantur, Clotildem puellam contemplati inquirunt quæ sit. Dictum eis est neptem regis esse, ex fratre progenitam. Quæ, inquiunt, parentibus orbata stipe nunc alitur regia. Regressi itaque legati nuntiant perfecta esse pro quibus ierant. « Inter cætera dicunt se vidisse puellam adeo forma venustam ut cuilibet potentissimo regi nuptui tradi posset. Quam, inquiunt, regia manantem a stirpe, patre ejus hac vita carente, patruus ab incunte nutrit ætate. » Hoc audito, rex Clodoveus amore capitur puellæ, sperans se ex hac occasione regnum Burgundiæ arripere posse. Dirigit e vestigio quemdam sibi familiarissimum, nomine Aurelianum, qui munera puellæ a se missa perferens speciem ejus diligentius contemplaretur. Huic imperat ut puellam adeat, de nuptiis voluntatem regis ediscat, et quid animi illa super hac re habeat agnoscat. Ille, præcepto parens, Burgundiæ partes ingreditur. Palatio appropinquans socios silvis se abdere jussit. Ipse habitu mendici circumamictus ad aulam properat, et ut futuræ sibi dominæ colloqui possit explorat. Tunc forte illa ad ecclesiam A processerat, Domino vota suarum solutura precum. Erat quippe dies Dominica. Aurelianus, inter cæteros pauperes præ foribus stans, egressum ejus opperiebatur. Expletis missarum solemniis, egreditur puella, egenis (ut ei mos erat) eleemosynam largitura. Accedit Aurelianus, ut mendicus stipem postulaturus. Cumque illa aureum ei porrigeret, ipse apprehensam manum ejus, pallio super brachium reducto, nudam ori suo osculaturus admovit. Illa, pudore puellari rubore perfusa, domum repetit. Mittit continuo puellam, quæ inventum ut putabat mendicum ad se deduceret. Quem coram positum taliter alloquitur : « Quid tibi, o homo, visum, ut eleemosynam accepturus manum meam veste denudans oscularis? » Cui ille, interrogata omittens, B tale dedit responsum : « Dominus meus, rex Francorum, audita generositatis tuæ excellentia, desiderat te habere conjugem. Ecce annulus ejus, et cætera ornamenta sponsalia. » Conversus autem, ut sacculum quem post ostium deposuerat sumeret, oblaturus ei munera quæ detulerat, furtim ablatum esse persensit. Quæstione habita invenitur sacculus, recipit eum ut peregrinus, munera puellæ offert, de nuptiis jam securus. Nam illa, ubi de tori copula audivit, legato in hæc verba respondit : « Non est, inquit, fas Christianæ mulieri paganum sortiri maritum. Sed si hoc cunctorum præordinavit conditor Deus, ut ille per me Creatorem agnoscat suum, petita non abnuo, quinimo omnipotentis fiat Domini jussio. » Illo dicente regem ejus desiderio per omC nia assensum præbiturum, rogat illa ut secretum apud se hoc verbum teneat, ne patruus aliquo illud pacto persentiscat. Qui fidem dans se id nulla proferre ratione regreditur ad regem, quem prospero nuntio reddidit alacrem. Puella sane eum, quem Clodoveus miserat, annulum in thesauris patrui reposuit custodiendum.

CAPUT XIV.

De Clotildis desponsatione.

Iterato Clodoveus eumdem Aurelianum ad regem dirigit Gundebaldum, ut sponsam requirat suam, nuptiali fœdere sibi copulandam. Qui, regem adiens Burgundionum, mandata ei depromit regis Francorum. Ille se nescire fatetur quæ ejus sit sponsa, nec se ulla posse dare responsa. « Sed tibi, inquit, cavenD dum ne publica affectus contumelia ex hac pellaris aula, qui nostra advenisti exploratum regna. » Cui legatus : « Hæc, inquam, mandat dominus tuus, rex noster Clodoveus : « Si vis mihi Clotildem meam reddere sponsam, locum designa quo eam recepturus adveniam. » At ipse miratus quod neptem suam peteret Clodoveus, convocatis regni primoribus, consilium cum eis habuit quid esset facturus. Qui Francorum veriti animositatem, ne in Burgundiam pararent expeditionem, si eorum regi memorata non traderetur puella, talia suo principi dedere consilia : « Requirat, inquiunt, dominus noster quid puellæ desideret animus, et utrum eidem regis Francorum delatus fuerit annulus. Quod si est ut

hæc illa velit, et forte jam sponsalia munera susce-
pit, reniti non poteris; quin potius legatis eam tra-
dere maturabis. Burgundiones namque omnes plus
consiliis quam armis suam tutantur rempublicam. »
Inquisita puella fatetur supra memorata se suscepisse dona, regisque copulam mente velle cupida. Gundebaldus, licet invitus, Clodovei eam tradidit legatis, nihil ei de suis tribuens thesauris. Postmodum tamen, opere et industria Aureliani, pars maxima ex ipsis cessit dominio Clodovei. Unde cum Clodoveus regnum suum usque Sequanam, atque postmodum usque Ligerim fluvios ampliasset, Milidunum castrum eidem Aureliano, cum totius ducatu regionis, jure beneficii concessit. Susceptam ergo sæpedictus Aurelianus Clotildem deducere festinabat ad regem. Quæ finibus appropians regni sui patrui, imperat Francis qui secum erant ut prædam capiant, incendiaque villarum in regno Burgundiæ faciant. Nec mora: illi haud secus ac jussi fuerant perficiunt, injectoque circumjacentibus villis incendio aversaque præda, Burgundia egrediuntur Francorum repetentes solum. Hoc illa cernens dixisse fertur: « Gratias tibi, inquit, summe Deus, refero, quod initium vindictæ paternæ necis conspicio. » Nam Gundebaldus rex patrem ejus infandissima peremerat morte, ut post in sequentibus demonstrabitur. Porro rex Clodoveus, in Suessionis civitate nuptias cum magna celebrans gloria, sæpedictam Clotildem duxit uxorem. Hæc fidelis infideli conjuncta viro eum ad fidem perducere conabatur. At ipse id agere posse negabat, ritumque et morem Francis assuetum se nolle deserere testabatur.

CAPUT XV.

De Clodovei regis ad Christi fidem conversione.

Concipit interea regina puerum natumque perducit ad baptismum, quem vocavit Ingomirum. Qui in albis positus spiritum exhalans vitæ transmissus est perpetuæ. Pro qua re rex, nimia repletus indignatione, dixit reginæ: « Quia, inquit, puer in Dei vestri baptizatus est nomine, dii nostri illum præsenti luce fraudaverunt. » Cui regina: « Gratias ago, ait, omnipotenti Deo, qui dignatus est ex meo utero primogenitum in suum suscipere regnum. » Genuit et alium filium, quem baptizatum vocavit Clodomirum. Quo ægrotante, rex conjugem cœpit increpare, dicens: « Et hic propter superstitionem vestram deorum incurret offensam. » Sed, orante regina, puero salus est restituta. Verum rege in infidelitate permanente, tandem (ut supra dictum est) commovetur exercitus, bellumque a Francis et Alamannis totis regnorum viribus excitur. Tunc rex Clodoveus, signo suis dato, bellum aggredi imperat. Sed inter præliandum suos graviter hostium mucrone sterni conspiciens in hanc vocem prorupit: « Christe, inquit, potentissime Deus, quem Clotildis conjux mea colit pura mente, trophæum meæ tibi voveo fidei, tribuas si his ex hostibus triumphum victoriæ. » His peroratis, Alamannos invadit timor, Francos accendit virtutis ardor. Igitur hostes terga vertentes victoriam Clodoveo relinquunt, ac demum regem suum gladio cæsum conscipicentes jure tributario Francis se fore servituros libentissime spondent.

CAPUT XVI.

Clodovei conversi ad suos concio, et ejusdem baptizatio.

Victor Clodoveus exinde regrediens Tullo civitatem devenit, repertumque inibi beatum Vedastum, postea Adartensium [Atrebatensem] episcopum comitem sui ascivit itineris. Ventum dum esset Remis, cunctos suos suorumque casus conjugi rex refert. Gratiæ Deo in commune referuntur; rex credulitatem suam profitetur. Gratulabunda conjux ad sanctum Remigium, Remensis urbis episcopum, properat, fidem regis edicit, quid facto opus sit edocet. Hortatur antistitem ad aulam quantocius regis properet, dumque animus adhuc dubia pendet sub sorte, viam ei veritatis qua ad Deum itur pandat; « vereri se, dicit, ne mens prosperis elata successibus, Largitorem horum dum ignorat contemnat. Facilius enim pro libitu nobis attributa nostro temporis interstitio memoriæ eximuntur, quam si qua aliorsum ac volumus evenerint. » Accelerat pontifex monitis religiosæ parere mulieris, conspectibus sese offert regis jamdudum præsentiam ejus opperientis. Fides ab antistite profertur, modus credendi edocetur. Rex quoque, veritate agnita, uni se Deo famulaturum devotus spondet, procerum sane regni atque exercitus se tentaturum sententiam. Ex hac re quæ sit fatetur, quo tanto magis devotius Christo cervices subdant suas quanto plus blanditiis quam terroribus allici se conspexerint. Placet conditio, et ex regis edicto fit publica populi evocatio. Conveniunt regni primates, nec militatis quoque manus defuit.

Quibus coram positis rex taliter infit: « Franci, inquit, Trojugenæ (meminisse etenim vos nominis generisque vestri decet), quibus nunc usque servierimus diis ad memoriam reducere animos vestros virtutemque deposco. Competens namque ac utilis visa est ratio ostendendi primum quorum cultu mancipati sumus, ut, dum inutiles eos fore constiterit, unius verique agnitio Dei libentius accipiatur. Quod tunc rectissime fiet, si majorum res gestæ recenseantur. Ac primum urbem illam Trojanæ quondam gloriam gentis intueamur, quam tot (ut autumabatur) numinum præsidio cinctam imbellis Græcorum levitas, illis nil opis ferentibus, fraude magis quam virtute oppressit. Et certe mœnium illius propugnacula deorum esse structa manu audieramus. Arci quoque simulacrorum effigies ipsis consecratæ, ut inexpugnabilis contra adversantium maneret incursus, impositæ feruntur. Quod vero adjumentum, non dicam hominibus, verum ipsis maceriarum præberent structuris, qui nec imaginibus opitulati sunt suis? Abjiciamus ergo eos quos inutiles esse probavimus, cultumque deseramus inanem. Soli vero Deo Patri, Filioque ejus Jesu Christo, socia sancti Spiritus virtute, mentes nostras corporaque subdamus, unum in Trinitate et trinum in Unitate

venerantes. Hujusmodi religionis vel disciplinæ patronum nostrum domnum Remigium nobis auctorem esse certum habetote. Sed et collateranea mea Clotildis hujus se esse profitetur fidei, meque hujus ab omnipotentia divinitatis, quod esset infortunium, auxilium sperare suasit. Hic plane Christus Deus, in Alamannico quod nuperrime confecimus bello, Alamannorum protervam stravit contumaciam, vestrorumque cordium incentivo notæ virtutis excitavit audaciam. Ad rectas ergo spes animos sublevemus, humiles preces in excelsa porrigamus, eum nobis protectorem quæramus qui in se sperantibus omnia præstat. »

Hæc dum rex fide plenus perorasset, plerosque de populo flexit ut Christo mitia subderent colla. Gaudet sacerdos regem nondum initiatum jam suæ gentis esse apostolum factum. Exornatur baptisterium; descendit rex, veluti alter Constantinus, in sanctificatum fontis alveum. Cui cum sanctus pontifex modum Dominicæ passionis recitasset, rex ait illi : « Si ego cum Francis meis inibi affuissem, ejus injurias vindicassem. » Quod vero grata acceptabilisque Deo prædicti regis fides fuit, ostensum declaravit miraculum. Nam cum forte qui chrisma gerebat, interclusus a populo, deesset, ecce subito non alius sine dubio quam sanctus apparuit Spiritus, in columbæ visibili figuratus specie; qui, rutilanti rostro sanctum deferens chrisma, inter manus deposuit sacerdotis, undas fontis sanctificantis. Fit gaudium et exsultatio, baptizantur multi de populo, Deo laudes, Deo gratiæ acclamantur, et gaudens rex ab ecclesia ad propria regreditur. Et, ut plenius devotionem suæ propalaret fidei, basilicam Deo ac principi apostolorum in civitate Parisiaca, in qua ipsius sedes erat, construi fecit. Permansitque in eo, usque ad terminum vitæ, custodia religionis et justitiæ vigor.

CAPUT XVII.

De Clodovei expeditionibus et victoriis reliquis.

Contra hunc regem cives Viridunensis urbis rebellaverunt. Sed dum rex urbem obsidione vallasset et jam admoti arietes alta murorum pulsarent, supplicante sancto viro Euspicio, ejusdem tunc urbis archipresbytero, verbum impunitatis a principe promeruerunt, et rex civitatem recepit. Postea cum Aurelianensem urbem Clodoveus rex adire disposuisset, sanctum Euspicium ac ejus nepotem beatum advocans Maximinum, jussit ut suum prosequerentur iter. Quibus et Miciacense contulit prædium; et, ut ipsi ac posteri eorum illum possiderent locum, per suum firmavit Pragmaticum.

CAPUT XVIII.

De Sancto Furseo.

Cujus diebus sanctus quoque Furseus in Gallias venit, et, eodem concedente rege, monasterium quod Latiniacum dicitur ædificavit. Hic autem beatus Furseus ex Hibernia veniens, prius a rege Saxonum Sigisberto honorifice susceptus cœnobium in eadem construxerat provincia Saxoniæ. De hoc rege, Sigisberto scilicet, nil aliud in antiquis reperire potuimus historiis quam quod in Vita sancti Fursei legitur excepisse hospitio eumdem virum Dei. Verum in Chronica quæ dicitur Gregorii, et putatur esse Turonensis episcopi, refertur quod quidam rex Sigisbertus filium suum Clodericum ad Clodoveum principem direxerit, Francorum auxilium contra Gothos laturum. Memorat etiam isdem chronicus eosdem, patrem videlicet cum filio, fraude Francorum esse interemptos, regnumque eorum ac thesauros a Francis occupatos. Sed quia codex in quo hæc digesta invenimus, vitio scriptorum erat depravatus, ad liquidum investigare nequivimus cujus gentis rex fuerit, vel quæ justa nec s hujus causa exstiterit. Tantummodo narrat regnum ejus opesque a Clodoveo pervastas.

CAPUT XIX.

De bello contra Gundebaldum.

Gessit vero bellum Clodoveus contra Gundebaldum regem Burgundionum, exercitumque ejus ad internecionem delevit. Causa autem hujus pugnæ fuit quia Gundebaldus fratrem suum Chilpericum, patrem videlicet Clotildis reginæ, gladio interemerat, uxoremque ejus, matrem supra dictæ reginæ, lapide ad collum ligato fluvio immergi fecerat. Ob id rogatus a conjuge rex Clodoveus Burgundiam cum exercitu Francorum ingressus devastavit, regemque ipsum Gundebaldum, longa obsidione fatigatum, tributa dare coegit. Godegisilus autem frater Gundebaldi ad Francos defecerat, et cunjunctis cum Clodoveo viribus fratrem expugnabat. Sed opere et industria Aredii viri sapientis, qui ab Arelatensi urbe auxilium Gundebaldo laturus advenerat, idem rex auro hostem repulit, quem ferro nequiverat. Nam Clodoveus acceptis muneribus repedavit ad propria, relinquens Godegisilo in auxilium quinque millia Francorum. Porro Gundebaldus, sui jam securus, fratrem Viennæ obsidione circumdat, atque per aquæductum urbem ingressus multorum cæde patrata fratrem una interemit. Francos quoque in quadam turri congregatos ferro trucidavit.

CAPUT XX.

De bello contra Alaricum Gothorum regem.

Contra Alaricum etiam regem Gothorum pugnans Clodoveus victor exstitit. Quam pugnam ideo quam maxime noscitur inchoasse quia Gothi Arianæ hæreseos, sicuti Burgundiones, erant, optimamque Galliarum partem a fluvio scilicet Ligeris usque ad Pyrenæorum juga montium obtinebant. Exs itit et alia justa hujus pugnæ occasio. Miserat idem Clodoveus legatum suum, nomine Paternum, ad Alaricum regem Gothorum, ut quæ pacis essent cum eo tractaret, simul etiam ut voluntatem ejus agnosceret, quo in loco ambos reges sibi pro utriusque regni utilitatibus collocuturos oporteret occurrere, et Alaricus, juxta morem antiquorum, barbam Clodovei tangens, adoptivus ei fieret pater. Legato advenienti et propter quæ venerat intimanti Alaricus designat locum, dicitque se colloquio non defuturum. Inquirit demum legatus utrum cum paucis

an cum multitudine adveniret exercitus. Ille se fatetur, paucis assumptis, eorum expetiturum colloquium. Rursus interrogat Paternus utrum armati essent an inermes. Dicit ille : Suos omnes inermes venturos, et ut itidem Franci faciant postulaturos. His omnibus consentiens Paternus, ad dominum suum regressus, nuntiat ei quæ cognoverat complacuisse Gothis. Progressus itaque Clodoveus e Francia venit in Aquitaniam, et antequam perveniret ad locum placito destinatum, supra memoratum dirigit legatum, quo habitu Gothi uterentur exploraturum.

Qui, dum Alarico regi colloqueretur, ferreum ostii obicem eum pro baculo manu gerere persensit, et quod reliqui idem facerent agnovit. Apprehensaque regis dextra, dixit ei : « Quid, inquit, o rex, te læsit dominus meus Clodoveus et Franci, ut nos fraude machinareris decipere? » Quo negante, et causa ad jurgium usque procedente, definitum est ut judicio Theodorici, Gothorum regis, cujus supra meminimus, hæc res terminaretur. Unde ambo reges legatos ad eum in Italiam, ubi et regnabat, dirigunt. Qui, utriusque partis agnita causa, statuit ut legatus Francorum, ascenso equo ante fores palatii regis Alarici stans, elevatam teneret hastam manu, super quam Alaricus et Gothi eo usque copiam jacerent nummorum argenti quous ue summitas operiretur conti; quorum summa solidorum ad dominium deveniret regis Francorum. Reversi qui fuerant missi judicium referunt regis Theodorici, quod cuncti laudaverunt Franci. Sed Gothi id se non posse implere dixerunt; insuper et legatum Clodovei contumeliis affecerunt. Nam quadam nocte, dum ille in solario cujusdam domus dormitum isset, Gothi tabulatum quod ante lectum ejus erat destruxerunt, qui, ad requisita dum surgeret naturæ, pede lapso corruit, brachioque contrito vix vivus evasit. Festinus itaque natale solum repetit, rei gestæ ordinem ei a quo missus fuerat pandit, flebilemque suæ querelam ærumnæ miserabiliter depromit. Rex ergo Clodoveus, in talibus non esse procrastinandum ratus, simul pro injuria legati iræ impatiens, congregat exercitum, quem tali hortatur oratione ad pugnam : « Virtutis, inquit, vestræ, o fortissimi commilitones, securus, animositatem vestram nullius exhortationis indigam judico. Quam adeo hostes extimuerunt ut legatum nostrum infanda cæde perimere vellent. Ostendunt profecto se totius iram gentis non posse perpeti, qui unius expaverunt constantiam legati. Hoc solum vos nosse cupio, vobis adversum immanissimos hostes, non pro conjugibus aut liberis, non etiam pro acquirendis certamen esse divitiis, sed potius pro inseparabili sanctæ Trinitatis unitate, quam illi nefandissimo dividunt errore ; ad extremum pro divinis simul humanisque legibus, quæ injuriarum immunes sanciunt debere esse eos qui mediatores hostilium efficiuntur armorum. Inter arma namque hostilia, sola legatio pacis sequestra est. Exuit hostem qui legatione fungitur. Festinemus igitur ad prælium, et de divina protectione confisi hostiles phalanges aggrediamur intrepidi. » Hac allocutione ducis animati viri virtutis contra hostes proficiscuntur corde constanti, aut vincere aut mori parati.

CAPUT XXI.

De omine victoriæ et cervæ apparitione.

In hoc bello divinum illi adfuisse auxilium signa a Deo ostensa docuerunt. Nam, dum legatos munera ferentes ad sepulcrum sancti mitteret Martini, dixit eis : « Ite et a basilica sancti Martini mihi signum victoriæ referte. » Abeuntes illi dum ecclesiam oraturi intrant, vox cantoris eorum insonuit auribus, dicens : *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum, et inimicorum meorum dedisti mihi dorsa* (*Psal.* XVII, 40, 41). Lætantes illi, oratione completa muneribusque oblatis, regi signum victoriæ a Deo sibi concessum depromunt, et alacrem efficiunt. Cum autem flumen, cui Vigenna nomen est, transire deliberaret, dum vadum non inveniret, eo quod fluvius pluviis auctus exundavisset, his Dominum verbis exorare cœpit : « Trinitas, inquit, in personis Deus, et in majestate unus, mihi contra adversarios fidei catholicæ victoriam tribuens, facilem hujus alvei concede transitum. » Annuit his precibus clemens auris Omnipotentis. Cumque illucescente die castra movissent, ecce cerva quædam se subito conspectibus eorum ingessit. Illi (ut moris est Francorum, venatui scilicet insistere) prædam putantes, eam avide insequuntur. At ipsa transito flumine vadum ostendit, ac deinceps nulli comparuit. Ita rex cum omni exercitu transmeans Pictavis pervenit, et haud procul a Basilica sancti Hilarii tentoria fixit, edictoque compescuit populum qui secum aderat, ne quid in ea provincia raperent, nec cibi quidem necessaria; cum ecce medio noctis silentio pharus ignea visa est egredi ab Ecclesia sancti Hilarii, ac super tabernaculum in quo rex quiescebat, protendit. Conserto ergo prælio victi Gothi terga verterunt. Inter ipsas vero confertissimas acies Clodoveus cum Alarico certamen iniit. Cumque eum terræ prostravisset, et qua lethale vulnus infligeret rimaretur, duo Gothi eum a latere contis feriunt; sed propter loricam eum vulnerare nequiverunt.

CAPUT XXII.

De Theodorici expeditionibus.

Rege itaque Alarico, qui Gothos per 12 annos rexerat, hoc modo interfecto, Clodoveus filium suum Theodoricum cum valido exercitus supplemento ad superiores ejus dirigit regni partes. Qui, pervagata omni provincia, Ruthenos, Cadurcosque atque Arvenos subegit, et adpatrem victor rediit, qui tunc in Burdegalensi urbe hiemabat. Brumali autem recedente rigore vernalique succedente temperie, Clodoveus Tolosam petit. Inde thesauros Alarici auferens ad Engolismam properat. In cujus adventu murus urbis, divino nutu sponte ruens, advenienti regi apertum præbuit iter. Qui universos Gothos quos ibi reperit gladio interemit. Pari etiam modo

per vicinas urbes adversarios interficiens suosque constituens, eas sibi parere compulit. Rebus ergo cunctis ex sententia compositis, Turonis iter dirigit. Ubi dum stativarum gratia aliquantisper moratur, legationem suscepit Anastasii Constantinopolitani principis munera epistolasque ei mittentis. In quibus videlicet litteris hoc continebatur « quod complacuerit sibi et senatoribus eum esse amicum imperatorum patriciumque Romanorum. » His ille perlectis, consulari trabea insignitus, ascenso equo in atrio quod inter basilicam sancti Martini et civitatem situm erat, largissima populo contulit munera. Ab illa die Consul simul et Augustus meruit nuncupari. Cum autem equum, quem inter cætera donaria sancto miserat Martino, redimere centum datis solidis decrevisset, nec ille ullo modo eum de loco movere posset; alios centum dari præcipiens taliter infit : « Sanctus Martinus bonus in auxilio, sed carus noscitur fore in pretio. » Rex itaque recepto equo paceque per circuitum facta Parisius regreditur.

CAPUT XXIII.

De Chararici regis morte et pugna Clodovei contra Ragnecharium.

Chararicum vero regem, qui ei quondam contra Siagrium pugnaturo auxilio esse debuerat, et, fide fracta se subtrahens, spectator certaminis magis esse voluerat quam pugnator, ut scilicet postmodum victoris sequeretur partes, Clodoveus cum filio dolo cepit, et, tonderi eos faciens, patrem quidem presbyterum, filium autem diaconum ordinari jussit. Cumque Chararicus causaretur pro sui humiliatione, filius ad eum : « Hæ, inquit, frondes (barbam demonstrans) a summo vertice in viridi ligno decisæ cito succrescent. Utinam et auctor hujus facti tam velociter pereat! » Quod verbum ubi nuntiatum est Clodoveo, statim eos gladio puniri præcepit, regnumque eorum cum thesauris pervasit. Post hæc paravit expeditionem contra quemdam ducem, nomine Ragnecharium, apud Camaracum urbem commorantem. Quem quidem ei sanguinis affinitas conjunxerat, sed morum improbitas infestum reddebat. Nam obscenitati et luxuriæ deditus, suis etiam omnibus erat odiosus. Adsciverat quoque sibi quemdam spectatæ (ut putabat) prudentiæ familiarem, vocabulo Faronem. Qui, fallendi artifex, ita eum mente abalienaverat, ut, si quid muneris quilibet ei offerret, in sumendo eo ipsum participem ascisceret, « sint, dicens, ista mihi et consiliaro meo Faroni. » Hac ducis ignavia permoti qui in ejus militabant aula, conferre secum cœperunt qua ratione hanc a se removerent injuriam. Desidia enim imperantis opprobrio est subditis. Quapropter Clodoveum per internuntios sollicitant ut gerendi adversus eum causam belli exquirat, mandant se, priusquam ad manus veniatur, prælio cessuros; vinctumque dominum, si eis præmia conferantur, tradituros. Qui nil moratus cum valida suorum manu contra eum proficiscitur, mittens prius proditoribus armillas æreas deauratas cum gladiis simili modo deauratis loco muneris. Ventum itaque est ad locum certaminis, et conscii proditionis fuga se fingunt quærere subsidium salutis. Ragnecharius vero, dum fugere nititur, a suis captus Clodoveo præsentatur vinctus. Quem ille, ut degeneris animi virum, gladio puniri jussit. Fratrem quoque ejus similiter præcepit occidi, improperans ei quod non ferendo auxilium fratri permisisset se et illum turpiter teneri. Pari etiam modo multos parentum suorum neci tradidit, thesaurosque eorum abstulit, ne quis remaneret qui insidiari regno ejus vel vitæ posset. Nam fratrem Ragnecharii, Rignemirum [*al.*, Ricimirum] nomine, quem adverterat regni cupidiorem, missis satellitibus apud Cenomanorum urbem vita privari fecit. Unde una dierum astantibus regni primoribus dixisse fertur : « Parentibus, inquit, orbatus cunctis, periculum mei pertimesco capitis, dum neminem habeam propinquum meæ custodem salutis. » Quod quidam calumniæ causa dictum æstimaverunt, si forte quisquam prodiret qui se regi sanguine proximum assereret. Proditores vero Ragnecharii, cognito depravata fuisse dona quæ acceperant proditionis gratia, Clodoveo querelam detulerunt. Quibus inquit Clodoveus : « Ingrati estis beneficiis vobis collatis. Nam quantis putatis debere interire suppliciis qui domino suo auctores sunt mortis? Abite potius ad propria, sufficiatque vobis ipsa indigna qua fruimini vita. » Illi indignationem principis veriti ad sua sunt habitacula reversi.

CAPUT XXIV.

De sancto Severino et aliis.

Hunc regem fere per annum continuum febre laborantem vir Domini Severinus (qui in cœnobio Agaunensium martyrum tunc erat abbas egregius) ab eo accersitus saluti restituit, ac postmodum in luco, qui Castrum Lantonis dicitur, laudabilem vitæ cursum complens migravit ad Dominum.

Agebat eo in tempore curam imperialis majestatis, Anastasio defuncto, Justinus Senior. In cujus imperii partibus, in Nursia scilicet provincia, exortus toto orbe venerandus vita et nomine Benedictus jam tunc pueriles attingens annos, a parentibus scholis liberalium deputatur artium. Romanam quoque Ecclesiam post Symmachum Hormisda suscepit regendam. Cujus temporibus sæpe dictus rex, gloriosus Clodoveus, direxit ad beati Petri limina, hortatu summi præsulis Remigii, regiæ dignitatis auream coronam gemmis pretiosissimis insignitam. Quo facto patenter ostendit se Deo non fore ingratum, dum ad ipsius apostoli sepulcrum insigne mitteret regium, sciens se a Christo solio regni esse donatum. Nam et Sosius consul Romanus, capta Hierosolymorum urbe, in Domini templo coronam obtulit. Sed hic munere gratior, quia fide potior. Ille etenim idolorum cultor, ast iste Catholicæ Ecclesiæ pro posse sedulus venerator. Ille quod esset præsens, quamvis ipsi urbi temploque infestus; verum hic absens Ro-

muleæque amator domus, nec minus basilicæ apostoli Petri devotus.

CAPUT XXV.

De terræmotu et Clodovei transitu.

His etiam diebus apud Viennam Galliæ urbem multorum domus simul et ecclesiæ terræmotu concussæ ceciderunt. In paschali vero festivitate, beatissimo Mamerto ejusdem urbis episcopo missarum solemnia celebrante, palatium regale, quod in eadem erat civitate, cœlesti concrematum est igne. Lupi quoque vel ursi, silvis profugi, eidem civitati innumeri cœperunt esse infesti, adeo ut, multorum lacerantes corpora, propria eos cogerent deserere habitacula. Unde memoratus sacerdos, adveniente Dominicæ Ascensionis die festo, convocato populo prænonuit agere triduanum jejunium, ac omnipotentis Dei exposcere suffragium. Appropinquante autem die statuto, convenit omnis populus ad ecclesiam cum gaudio litanias peragens, cum triduano jejunio. Exinde pulcherrimus in sancta universali Ecclesia mos inolevit, ut, quoquo terrarum Christi fides diffunditur, a cunctis fidelibus hæ litaniæ cum exsultatione peragantur.

Porro inclytus Clodoveus, rex Francorum, metas sibi attributi attingens ævi, defunctus est, anno quinto postquam Alaricum regem Gothorum interfeceral, et in basilica sancti Petri, quam ipse rogatu suæ conjugis fabricaverat, sepultus est. Regnavit autem annis XXX, relinquens quatuor filios regni hæredes. A transitu vero sancti Martini usque ad transitum ipsius Clodovei regis computantur anni CXII.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De regni Francorum inter filios Clodovei partitione.

Igitur quatuor filii Clodovei, Theodoricus, Clodomirus, Childebertus atque Clotarius, regnum inter se æqua lance dividunt. Et Theodoricus quidem sedem regni sortitus est Metis, Clodomirus Aurelianis, Clotarius Suessionis, Childebertus Parisius, quo et pater eorum. Quo tempore sanctissimus papa Joannes, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim ad imperatorem Justinum est profectus, a Theodorico Gothorum rege missus. Justinus namque Augustus, cum esset vir fide catholicus, hæreticos impugnans, ecclesias eorum orthodoxis condonaverat, consilio memorati papæ usus. Quapropter Theodoricus, Arianæ existens hæreseos, eum cum aliis catholicis viris ad imperatorem direxit, mandans quod, nisi Arianis Ecclesiæ redderentur, cunctum Italiæ populum gladio percutiens exstingueret. Sanctus autem antistes, ut erat languidus, iter arripiens navigio Constantinopolim est evectus. Occurrit autem ei Augustus et omnis civitatis clerus, gaudente principe suscepisse se in regia civitate pontificem sedis apostolicæ. Peroratis ergo pro quibus ierat et impetratis, ipsi Justino Augusto, ut vicarius beati Petri, imperialem imposuit coronam, et, accepta remeandi licentia, reversus est Ravennam. Quem Theodoricus, eo quod audierat eum ab Augusto honorifice susceptum, diutina custodia maceratum, jejuniis ac squalore carceris afflictum, ultimum coegit exhalare spiritum. Qui deficiens animam Christo martyr reddidit. Alios quoque qui cum eo fuerant, partim igne cremavit, partim variis pœnis interfecit. Inter quos Symmachum patricium et Boetium ejus generum, post carceris custodiam, gladio puniri jussit. Qui, videlicet Boetius, quam disertus fuerit in litteris sæcularibus, quamque fuerit catholicus, ex ejus comprobatur codicibus. Testatur hoc arithmetica, necnon dialectica, ipsa etiam omnium animis gratissima musica ab eo translata, et Latinorum jamdudum eam desiderantium auribus delectabiliter infusa. Porro ejusdem de sanctæ Trinitatis consubstantialitate liber liquido ostendit quam eximius suo, si licuisset, tempore sanctæ ecclesiæ colonus exstitisset. Theodoricus autem tam immanis sceleris statim pretium luit. Namque, nonagesimo octavo post hoc facinus die, subita morte defunctus indignam vitam digno exitu finivit. Cujus animam quidem solitarius, apud Liparam manens insulam, vidit, inter sanctissimum papam Joannem et Symmachum ex consule deductam, in Vulcani demergi ollam, eo loco vicinam. Quæ ideo sic dicitur, quod inibi manere, tanquam æneum vas, ferveseat ab igne. Hoc modo periit Theodoricus, homo in suis initiis honestis pollens moribus. Romanis etenim primitus quotannis ad subsidium conferebat tritici centum viginti millia modiorum. Qui veniens ad extrema, ut ex superioribus patet, polluit omnia. Huic fuit in conjugio juncta soror Clodovei Francorum regis, nomine Audefleda. Suas quoque sorores aut filias Theodoricus principibus circumpositarum sociaverat nationum. Nec erat ulla gens vicina Italiæ, cujus rex ejus esset affinitatis expers. Nunc cœptæ ordinem prosequamur Historiæ.

CAPUT II.

De bello inter fratres ob divisionem regni orto.

Diviso quadrifariam, ut supra prælibatum est, regno, aliquantisper sæva bellorum quievere incendia. Dani vero, gens inquietissima, conscensis quampluribus navibus, fines regni Theodorici regis ingressi depopulantur. Contra quos supradictus rex filium suum Theodebertum cum exercitu illas ad partes direxit. Qui, fugatis hostibus captivisque ereptis, victor reversus est.

CAPUT III.

De Clotildis ad reges oratione.

Theodorico itaque rege hostilem incursum propulsante, Clotildis regina reliquos filios, Clodomi-

rum atque Childebertum, necnon Clotarium, advocans, hac eos oratione alloquitur : « Omnipotens, inquit, totius conditor ac rector orbis, Deus, paterni vos ideo voluit esse hæredes regni ut maternæ vos constitueret vindices injuriæ. Quapropter, dilectissimi filii, feliciter nati, felicius educati, si bene quid de vobis promerui, ulciscimini quæso, injustam patris matrisque meæ infandissimam necem. Gaudeam, inquam, hos me enutrisse materni exsecutores doloris, quorum ingemisco perisse avos, magni si adviverent auctores honoris. Neque etenim parvi pendenda est vobis causa mearum querelarum, quibus contigit tantorum carere patrociniis propinquorum, quos vobis abstulit inimici atrox invidia, priusquam hujus vitæ perciperetis oblectamina. Quid vero spei sit reliquum animadvertite. Nunquid parcituros putatis nepotibus qui non pepercerunt fratribus? Et certe illos parva pro parte regni e medio sustulerunt hominum. Vobis autem mitiores fore censetis, quibus ablatis magnorum inerit spes regnorum? Namque si vos justam non exegeritis ultionem, ipsi vobis infaustam inferent necem. Quod si miseratione non movemini mortuorum, anxios saltem meorum contemplamini affectus viscerum, qui fuerint, dum patrem gladio, matrem fluminis submersione, sororem exsilii relegatione damnari conspexi. » His filii piis maternæ querelæ commoti affectibus, exercitum Francorum pervalidum congregantes, Burgundiam contra Sigismundum et Godmarum, filios Gundebaldi regis, pugnaturi ingrediuntur.

CAPUT IV.

De Sigismundi in ædificanda æde sanctorum martyrum sancta magnificentia et victoria.

Tunc temporis Sigismundus basilicam sanctorum Mauricii sociorumque ejus magnis exstruebat impensis, in loco nuncupato Agauno. Circa eumdem quippe locum magnanimitatem suæ ostendit devotionis, dum esset vir optimæ mentis et sanctarum locupletator ecclesiarum. Nam et prædiorum illi loco contulit copiam, et clericorum ordinem psallentium constituens, sanctæ religionis martyres propitios sibi adscivit. Meminerat etenim se, conjugis persuasionibus deceptum, unicum amisisse filium. Quem, dum illa odio persequitur novercali, in tantum exosum fecerat patri, ut felle commotus juberet eum puniri gladio. Nec multo post facti pœnitentia ductus, secum ipse reputans quid sceleris admiserit, ad sepulcra sanctorum recurrens sæpe humique prostratus, eos erga se clementissimos fore efflagitans, rogabat ut, si quid minus perfectum divinæque majestati adversum in suis reperiretur actibus, id eorum interventu justus Judex in hoc sæculo potius quam in futuro puniret examine. Quam petitionem ad effectum juxta votum pervenisse constat. Audiens quippe exercitum advenire Francorum, instruit et ipse copiosam suorum manum, atque adversus eos pugnaturus aciem dirigit. Congressione itaque facta, Francis acriter præliantibus, victi Burgundiones fugæ præsidio se committunt. Sigismundus vero cum tutelam sanctorum Agaunensium martyrum citato expeteret cursu, a Clodomiro, Francorum rege, qui eum persequebatur, captus atque Aurelianis perductus, carceri est mancipatus. Tunc beatus Avitus, qui in territorio ejusdem urbis abbatis fungebatur officio, rogare Clodomirum cœpit ne tam excellentis nobilitatis insignisque bonitatis virum neci traderet. Quod ille audire detrectans, eum in villa, cui Calumpnia nomen est, perduci, ac ibidem cum filiis capite cæsum in puteum projici jussit. De quo postmodum sublatus atque ad basilicam sanctorum Agaunensium devectus martyrum, cum digno est honore sepultus.

Quem sanctorum collegio Christum Dominum annumerasse, ideo non ambiguum habetur quod febricitantes quique, si pro remedio animæ ipsius salutare fideliter offerre fecerunt sacrificium, continuo ab infirmitatis suæ liberantur incommodo. Auctor vero necis ejus non diu lætatus est in hoc facto. Nam, sequenti anno, idem Clodomirus, commoto exercitu, partes Burgundiæ devastaturus aggreditur. Cui occurrit frater regis defuncti, ac, fraternæ necis avidus vindex, pugnam cum eo non dubitavit conferre. Sed Burgundiones, more sibi solito, animositatem Francorum non perferentes, hostibus terga nudarunt. Rex vero Clodomirus, juventa alacrior, armis munitus, et ipso præsentis certaminis prospero successu animatus, dum audacius quam debuit hostes insequitur, pernicitate equi cui insederat vectus, agmen inimicum, sui nimium negligens, antecessit. Quem illi a suis desertum, a se vero circumventum conspicati, telis eminus urgere cœperunt. Sola etenim species viri et nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria perturbabat hostem, ne quis propius feriturus auderet accedere. Qui, ubi hostilibus se circumdatum cuneis vidit, nullumque adesse suorum, in virtute sola remedium ponens salutis, convertit equum seseque collegit in arma. Æstuare tamen magnanimus cœpit juvenis, atque, incertus animi, ingentia pectore versare consilia. Obviamne eundum, an hostibus cedendum foret, aliquandiu deliberavit. Tandem aliquando invenit ratione viam, vicitque mentem pudor; interque confertissimos adversi agminis viros proruens, ferro iter aperire conatus, quem primum obviam habuit equo dejecit. Circumventus autem, confossis lateribus vitæ terminum sortitus est. Impiger sane juvenis et manu promptus, sed consilio parum providus; qui in secundis amorem posuerat vitæ. Fuit tamen maternæ, pro posse, ultor injuriæ. Porro Franci, regis interitu comperto, non, ut nationes cæteræ, subsidium quæsierunt fugæ, sed, ira fervente, Burgundiones insecuti cædunt prosternuntque graviter. Devastataque omni Provincia, nativum repetunt solum. Regnum regis interfecti cum ejus uxore, Gundeuca nomine, frater Clotarius accepit. Filios vero ejus, Theodoaldum, Guntarium atque Clodoaldum, avia eorum Clotil-

dis materno suscepit nutriendos affectu.

CAPUT V.

De Justiniano et Belisario.

His ipsis apud Constantinopolim diebus, Justino humanis rebus exempto, Justinianus ei successit in regno. Is autem Justinianus, dum esset temporibus memorati Justini sacri scrinii præpositus, et Belisarius equitum præfectus, mutuæ sibi adinvicem dextras dederant amicitiæ. Hi jurisjurandi se obligaverant fide, « ut, si quilibet eorum altioris gradus potiretur honore, socium sibi æquaret dignitate. » Quadam itaque die, cum coæquis sibi lupanar ingressi conspiciunt duas mulierculas ex gente Amazonum, sorte captivitatis abductas, inibi esse prostitutas. Eas illi rapiunt, atque ad proprias domos deducunt. Uni earum nomen Antonia, alia vocabatur Antonina. Et Antoniam quidem Justinianus, Antoninam vero accepit Belisarius. Erantque ambæ sorores. Una ergo dierum, Justiniano meridianis horis sub dio quiescente, cum caput in sinum suæ reclinasset amatæ, adveniens aquila alis expansis ab ardore solis eum conabatur defendere. Intellexit mulier auspicium quod Justiniano portendebat imperium; et experrectum tali voce compellat virum: « Oro, inquit, amantissime juvenis, ut, dum regni potitus fueris sceptris, non me indignam judices gratissimæ amplexibus conjugis. » Illo dicente impossibile hoc esse ut ipse ad culmen proveheretur imperiale, rogat mulier ut, quod illa pro certo sciebat, ne se inexoratum ei præberet. Quo tribuente assensum, factaque commutatione annulorum, utrinque est discessum. Sane Belisarius eique copulata Antonina eadem inierunt connubii fœdera, ut, quia non dubitabat Belisarius adepturum se potioris honoris gradum, si imperio potiretur Justinianus, sociam sui eam adscisceret stratus. Nec multum fluxerat temporis, cum imperator Justinus expeditionem paravit adversus regem Persidis. Sed, in ipso belli apparatu morbo præventus, anno assumpti imperii octavo est defunctus

Consensu senatus totiusque simul exercitus Augustus efficitur Justinianus. Qui, nihil moratus, collecto exercitu contra barbaros est profectus, et, commissa pugna fugatisque hostibus, regem se eorum cepisse gavisus est. Quem in solio regni juxta se sedere fecit, et ut provincias, quas Romanis eripuerat, sibi restitueret imperavit. Cui ille: « Non, inquam, dabo. » Ad hæc Justinianus respondit: « Daras. » Pro cujus novitate sermonis civitas eo loci constructa est cui Daras nomen est. Rex autem Persidis, licet non voluntarius, omnia ei restituit quæ Romani fuerant juris; sicque in regnum suum est redire permissus. Justinianus quoque Augustus cum magno triumpho Constantinopolim est regressus. Tunc Antonia, ejus quondam amata, sui nequaquam oblita, sumptis quinque aureis palatium est ingressa. E quibus duos dedit janitoribus, ut sibi pateret introitus; tres vero tenentibus cortinam, ut suam permitteretur enarrare causam. Et stans ante principem, hunc apud eum habuit sermonem. « Cum Scriptura dicat: *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* XCVIII, 3). Et item: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo* (*Prov.* XX, 18), ego, clementissime imperator, hæc dicta esse de te intelligens, fiduciam sumpsi te adeundi, tibique propriæ necessitudinis causam exponendi. Est denique in hac civitate juvenis qui, mecum permutatis annulis, fidem pepigit alterni amoris, professus quod me sibi jungeret sub nomine legitimæ conjugis. Ob id serenitatis tuæ præsentiam adii, tui super hac re exposcens sententiam judicii. » Cui imperator: « Si, inquit, fides est pacta, non debet fieri irrita. » Quo illa audito, annulum suo detrahens digito, ostendit Augusto: « Videat, ait, dominus meus, cujus iste fuerit annulus. » Agnoscit princeps eum quem dederat annulum, jubet eam introduci in cubiculum, ornamentisque regalibus indutam de cætero vocari et esse Augustam. Quod factum vehementer abhorruit populus cunctusque senatus, adeo ut palam clamarent nefariam rem fecisse Augustum, ut publicæ abjectionis scortum sibi copularet in matrimonium. Hac Cæsar exagitatus injuria plerosque senatorum pertrahi jubet ad necem. Quæ res in tantum perterruit plebem, ut, sibi quisque metuens, conatibus ejus in posterum minime obviare auderet.

CAPUT VI.

De Belisarii successu.

Posthæc commilitonem suum Belisarium in Africæ promovit partes, patricium eum constituens; quique supradictam Antoninam, Augustæ sororem, duxit uxorem. Hunc dum Justinianus summo complecteretur amore, magnis locupletare studebat opibus divitiarum. Erat assiduus imperatoris consilio, particeps quoque assumebatur in convivio. Sed quia semper invidetur felicioribus, paupertatisque nullus invenitur æmulus, immoderateque detrahentium lacerantur morsibus affluentes opibus, multi Belisarii prosperis offendebantur successibus. Huic calumniam acerbo componunt felle, et acerbiori parant exitu. Denique regem adeunt improbissimi homines, et invidiam excitant, asserentes necem regis ac usurpandi imperii potentiam a Belisario affectatam. Haud difficile princeps impulsus est ut credibile duceret quod pro vero affirmabatur. Itaque priusquam sibi probaretur tentamentum aliquod flagitii parricidalis, vel mendacii suspicionem excluderet examen veritatis, suggerentibus calumniatoribus, jubet eum expugnare Vandalos. Hi sæpissime maximas Romani exercitus vires clarissimæque nobilitatis pessundederant duces. Accepta hac jussione principis, Belisarius domum repetit mœrens ac tristis. Quem uxor sua gravi cernens affectum mœrore, inquirit ab eo causam offuscantis faciem ejus mœstitiæ. Rogat sibi manifestari secretum, si forte aliquid consilii valeat conferre subsidium. Cui ille prælii rem fore dixit, non lanificii; ideoque viros magis quam feminas oportere consuli.

Ad hæc illa : « Confido, ait, in Christo me virilem prolaturam sententiam, si hujus arcani attingere quivero scientiam. Veridicus namque est sermo Apostoli dicentis : « Quod salvetur vir infidelis per mulierem fidelem (*I Cor.* VII, 14). » Erat enim ipsa catholica, quamvis Belisarius hæresi involveretur nefanda.

Tunc sæpefatus patricius, paululum quid inter semetipsum deliberans, consideransque quia et in feminis invenitur sapientia, nec privatur infirmior sexus rerum profundarum intelligentia, conjugi refert ut Vandalos expugnaret sibi imperatum esse. Illa, mulicbri abjecta imbecillitate, hac virum exhortatione ad fidem orsa est invitare : « Nullus, inquit, protestante sacra Scriptura, speravit in Domino et derelictus est ab eo : Quapropter, mi vir, suadeo tibi, relictis hæreticorum blasphemiis, trinum et unum Deum agnoscere qui regnat in cœlis. Fac ergo votum Deo cœli, et eris victor melius quam fuisti. »

Per ipsum namque Belisarium imperator Justinianus multarum sibi subjugaverat feritatem gentium. Spondente itaque illo fidem Christi, iterum dicit ei : « Nullatenus immutetur decor vultus tui, sollicitatus difficultate prælii, et pallor qui tuam obtinuit faciem discedat a te. Nunquid non sunt nobis duodecim millia puerorum, quos propriis alimus stipendiis, et decem et octo millia militum, quos cum patriciatus dignitate acquisisti? » Quo respondente : « Etiam sunt, » adjecit illa : « Assumpta igitur parte militum, ad duodecim scilicet millia, puerorumque ad quatuor millia, terrestri itinere partes aggredere Africæ. Ego vero cum reliquo exercitu, videlicet sex millibus militum et octo millibus puerorum, navali evectione fines petam Lybiæ. Hocque nobis adinvicem erit signum : ut tui in castris copiosum accendant ignem, et nos in navibus lumen ostendamus facibus. » Quid plura? factis dicta compensantes, Africam partito petunt agmine. Vandali, terrena expeditione comperta, navalis ignari agminis, ad pugnam se præparant, conjugibus ac liberis ad belli spectaculum in castris constitutis. Conserto prælio cum neuter exercitus alteri loco cederet, nuntius ad Vandalos venit, asserens uxores eorum et natos gladio trucidatos. Antonina enim, cum suis de navi in littus egressa, castra hostium pervaserat, nullumque viventem reliquerat, nec pueros quidem ac puellas. At Vandali pugnantes, comperta suorum nece, rupta acie, dum suis timent propria neglecta salute, ad castra reverti festinant. Quos confuse ruentes qui castra invaserant obviam facti excipient sternuntque, ac toto palantes persequuntur campo. Rex autem Childemerus, cum duodecim tantum Vandalis fuga periculo exemptus, castellum quoddam munitissimum est ingressus. In quo a Belisario obsessus, dum nullus ei pateret exitus, rogabat memoratum patricium ut liber vinculis ante conspectum ducereturimperatoris. Cui cum spopondisset Belisarius quod non resti aut funibus, non etiam ferreis constringeretur nexibus, aut ligaretur mastigia, ubi se dedidit, catena vincitur argentea. Constantinopolimque in triumpho perducitur. Sed in palatio constitutus cum ab aulicis multis afficeretur injuriis, postulavit principem ut, concesso sibi quem primum habuerat equo, duodecim ex his qui eum colaphis sputisque incessebant singulare cum eo inirent certamen. « Ibi, inquit, et meæ probrum ignaviæ, et illorum spectare habes fortitudinem audaciæ. » Imperator, petita non abnuens, cum eo pro spectaculo duodecim juvenibus congredi imperat. Quos ille, simulata fuga, post tergum jaciens spicula, omnes interfecit. Post hæc, ex præcepto principis Childemerus eunuchus factus, patricius Romanorum finium qui Persidis provinciæ adjacent ordinatur. Cum Persis maxima ac prospera bella gessit, ibique vitam finivit. Sed ad ordinem revertamur Historiæ.

CAPUT VII.

De Clotario et Childeberto.

Interfecto eo quo supra diximus modo Clodomiro, natorum Clotildis primo, reliqui ejus duo filii, id est Clotarius atque Childebertus, iterum cum exercitu Burgundiam petunt ; fugatoque rege ejus Godmaro, regnum Burgundiæ Francorum subjugavere ditioni. In hac pugna Theodoricus, quem Clodoveus ex concubina susceperat, fratribus auxilium præbere detrectavit, eo quod filia regis Sigismundi esset nupta illi neptis videlicet regis Godmari

CAPUT VIII.

De Amalrico Gotho.

Amalricus autem, filius Alarici regis Gothorum, cum partem regni paterni, quæ a Francis non fuerat pervasa, suscepisset regendam, legatos ad Childebertum et Clotarium direxit, rogans ut, inito fœdere, sororem eorum mereretur conjugem accipere. Quam illi non negantes (ut regibus tantæ gentis dignum erat) summo cum honore miserunt. At ille, ut erat gente et animo ferus, habere eam cœpit remissius, nec diligere ut reginam, sed contumeliis dehonestare quasi pretio emptam ancillam. Nam dum esset ipse nefanda, qua et pater suus, Arianæ hæreseos maculatus perfidia, despectui eam habens quod esset fide catholica, eunti ad orthodoxorum ecclesiam multa ingerebat probra. Stercora namque in eam vel in ejus projiciens viam, fetoris commovebat violentiam, ut devotam a puræ orationis studio averteret mentem. Quibus præstricta contumeliis filia Clodovei ad fratres cum lacrymis scribit, epistolam mittens per quemdam sibi fidelem, et, causam suarum exponens injuriarum, ad extremum intulit : « Miseremini, inquit, mei, fratres amantissimi, et mearum necessitudines indignamini causarum. » Urbs Arverna Childebertum in finitimis suis, de fratris Theodorici regimine ab eo vi prærepta, tenebat, cum memorata sororis scripta ad eum pervenerunt. Inde vir, militiæ peritus, non exspectato fratris Clotarii solatio, compositis ordinibus castra movit, atque improvisus armatas acies Hispaniis infudit. Nec defuit congressioni Amalricus, terrestri navalique pugna certare

paratus. Ubi utrique exercitui placuit in campo prælio decernere, Childebertus validior equitatu avertit hostem. Nec diutius potuerunt resistere Gothi, cum virorum contis et fremitu equorum conturbarentur. Conversi igitur in diversa alii sunt, plerique ad classem refugiebant. Ex ea quoque parte occurrere Franci, ac universos, præoccupato itinere, repellunt a mari. Ipse Amalricus, fugere conatus, ecclesiam catholicorum cursu petebat. Tunc unus e turma Francorum, citato equo eum insecutus, hasta cominus percussum terræ dejecit exanimatum.

Cujus comperto interitu, Childebertus post tergum iter dirigens Gothorum, Toletum urbem, ipso terrore belli civibus consternatis, sine mora oppugnavit et cepit; multisque ablatis thesauris et sorore assumpta, repedare festinabat ad propria. Sed antequam cupitas pervenirent ad sedes, soror regis, nescio quo depressa incommodo, vita decessit. Cujus corpus in loculo positum Parisius est delatum, ac in basilica sancti Petri juxta patrem humatum. Sane in thesauris quos Childebertus avexit ab Hispaniis, reperta sunt ecclesiastici utensilia ministerii, ex vasis quos dicunt fuisse Salomonis, novem pretiosissimi calices, quindecim patenæ, viginti capsæ Evangeliorum. Quæ omnia cum solido fabricata forent auro, gemmisque ornata opere inclusorio, rex tamen integer ab eorum cupiditate cuncta (ut erat largissimus) diversis tribuit ecclesiis. Sed dum incursare studet aliena, perdidit quæ putabat sua. Nam Theodoricus frater ipsius, dolens Arvernorum urbem ab eo sibi fuisse sublatam, eam ipse iterato invadit, cæsisque vel fugatis quos Childebertus ad tuendam reliquerat urbem, Mundericum, qui se propinquum regis jactitabat, regnumque sibi deberi, perimi jussit, et quæ ejus erant sub fiscum redigi. Hic etenim Mundericus persuasis Arvernicis civibus, collecta etiam rusticorum non parva manu, castrum Victuriacum contra Theodoricum pervasit. Ubi dum rex eum obsidione cinxisset, et superare nequiret, cuidam suorum, Aregisilo nomine, imperat ut, dato sacramento securitatis, Mundericum a castello exire suadeat, quatenus a circumsedentibus perimi posset. Ille præcepto obtemperat, ac circumventum hominem castro educit, datoque in hunc modum suis signo: « Quid, ait, o populi, hunc virum aspicitis, ac si nunquam amplius eum vidissetis? » His illi auditis impetu in Mundericum proruunt. Quod ille cernens, Aregisilum sic alloquitur: « Quia, inquit, o Aregisile, perjuriis me decepisti tuis, ex hoc tempore te viventem nullus cernet oculis carnis. » Et hæc dicens, uti pone eum stabat, lancea inter scapulas adacta eum terræ defixit, evaginatoque gladio, hortatus socios, super hostes irruit, ac, quousque spiritus vitæ in eo fuit, cædere non cessavit. Arcadius quoque, qui urbem Arverniam Childeberto tradiderat, Biturices aufugit. Ea urbs tunc Childeberto patebat. Mater vero ejus atque amita comprehensæ, apud Cadurcum urbem exsiliatæ sunt.

CAPUT IX.

De Clotarii in Thoringos expeditione.

Inde, fratre Clotario in societatem adscito, ipse cum filio Theodeberto Thoringam petit. Præerat Thoringis rex Hermenfredus, duobus suis trucidatis fratribus. Cui accesserat ex conjugio vana quædam mentis elatio, quod ei filia Theodorici regis Italici, ex sorore suscepta Clodovei, jure copularetur nuptiali. Hæc mulicbri fastu elata quod regali manaret prosapia, fratrem mariti, Bertharium nomine, ingenti oderat crudelitate. Denique suadet viro ut fratrem sibi æmulum vita privet et regno.

Id ille, nil moratus effecit, missisque lictoribus eum perimi jussit. Pari modo alium, vocabulo Baldricum, suspicione fraternæ insimulatum vindictæ, infanda damnavit morte. Hac arte Amalberga (id quippe nomen mulieri) vacuam fecit sibi aulam regni, dum simulat saluti se velle consulere mariti. Miser ille, qui putaverit quod illa in ejus fratribus parricidales odisset cogitationes, nec animadverteret consortes regni ac periculorum sublatos esse suorum. Adeo apud improbos est affectus vilis, ut cito pravis suggestionibus extorqueatur. Profectus itaque Theodoricus in Thoringam, obviam habuit Hermenfredum cum innumera multitudine hostium. Foderant autem Thoringi fossam, quam texerant operimento cespitum, ut advenientium inibi debilitarentur equi Francorum. Quo cognito, Franci acriter indignati hostes ultima labefactarunt cæde, actosque in fugam usque Onestrudem fluvium persequuntur. Ibi etiam adversariis resistere ausis transituque prohibere Francos, gravius certamen. Sed ubi se Franci ipso usu veteri assuetaque vincendi confirmarunt consuetudine, ordine suo nixi incursantes cædere, scutis repellere, nisu omni ac virtute inconditam multitudinem in fluvium urgere cœperunt. Nec difficile fuit plurimos in amnem mergi, cum haud procul a littore res gereretur. Tanta autem strages tunc de Thoringis facta fuisse fertur, ut, cæsorum congerie oppleto fluvio, Franci super interfectos in ulteriorem transirent ripam. Hermenfredus ipse, cum paucis elapsus, in munimentum se contulit urbis. Quem postea Theodoricus, fide data, Tulbiaco [*hodie* Zulich] ad se venire mandavit, eumque, dum deambulatum per murum urbis irent et sibi alterutrum sermocinarentur, præcipitem deorsum egit. Qui ruens comminuto cerebro exanimatus est. Ex eo quoque genitis minime pepercit; sed, eos strangulari præcipiens, universas Thoringorum civitates Francis subjugavit, pristinaque eos jussit incolere domicilia.

CAPUT X.

De origine Francorum citatus divus Hieronymus.

Denique Francos Thoringorum fines prius possedisse superior declaravit sermo. Sed et beatus Hieronymus, in opusculo quod de Vita sancti scripsit Hilarionis, asserit hanc gentem, non tam amplam quam robustam, inter fines Saxonum quondam ha-

bitasse et Alamannorum, memorans illius nationis illustrem juvenem ab eodem viro Dei dæmone ejecto fuisse curatum. Nec nobis oneri erit ipsius disertissimi verba ponere viri, cum et nostram (si inserantur) honestent materiam, et gentis fortitudinem innotescant pariter et decorem; simul etiam ut virtus Dei in gentili quoque operata homine evidenter appareat. Ait ergo divinæ legis interpres: « Candidatus Constantii imperatoris rutilus coma, et candore corporis indicans provinciam (inter Saxones quippe ac Alamannos gens ejus non tam lata quam valida, apud historicos Germania, nunc Francia dicitur antiqua) ab infantia possessus a dæmone, qui noctibus eum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat. Hic secreto ab imperatore evectionem petiit, causam ei simpliciter indicans, et, acceptis ad consularem quoque Palestinæ litteris, cum ingenti honore ac comitatu Gazam deductus est. Qui cum a decurionibus loci illius quæsisset ubi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenses, putantes eum ab imperatore missum, ad monasterium perrexerunt, ut et honorem commeado exhiberent, et, si quid ex præteritis injuriis in Hilarionem esset offensæ, novo officio deleretur. Deambulabat autem tunc senex in arenis mollibus et secum de psalmis nescio quid submurmurabat. Vidensque tantam turbam venientem, substitit, et, resalutatis omnibus manuque eis benedicens, post horam cæteros abire præcepit; illum vero cum servis suis et apparitoribus manere. Ex oculis enim ejus ac vultu, cur venisset, agnoverat. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens et immane rugiens, Syro quo interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro, et qui Francam tantum ac Latinam noverat linguam, Syra ad purum verba resonare, ut non stridor aspirationis, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquii. Confessus est itaque quo in eum modo dæmon intrasset; et, ut interpretes ejus intelligerent qui Græcam tantum ac Latinam noverant linguam, Græce quoque eum interrogavit. Quo similia verba eodem respondente, admirati sunt. Multas denique incantationum ei occasiones et necessitatem magicarum obtendenti artium: « Non curo, ait, quomodo intraveris, sed ut exeas in nomine Domini nostri Jesu Christi impero. » Cumque curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo accepit panem, audiens quod qui tali cibo alerentur aurum pro luto ducerent. » Hæc dixit Hieronymus, vir in sancta Ecclesia omni laudum præconio dignus. Nos autem ad rem cœptam vertamus articulum.

CAPUT XI.

De reliquis Clotarii et Theodorici gestis.

Denique dum apud Thoringam moræ fierent, Theodoricus fratri Clotario occultas parat insidias, expansoque in parte domus velo, armatos post illud stare jubet qui Clotarium ad suum venientem colloquium ex improviso interimerent. Clotario itaque ingredienti domum pedes appariere detecti armatorum. Quod ubi animadvertit, suos capere arma jubet, seque præcedere. Intellexit protinus Theodoricus fratrem dolum præsensisse; et, ne amplius manifestum fieret factum, loco muneris dicum ei dat argenteum, gratias agens propter collatum auxilium. Nescientibus ergo suis quid actum foret, Clotarius metatum repetiit suum. Post hæc Theodoricus cum suis questus sine causa se suum perdidisse catinum, advocans Theodebertum filium, « Vade, ait, ad patrium tuum, et pete ab eo vas a me ei dono datum. » Abiit ille, ac sine mora quod petiit impetravit. Clotarius inde regrediens, Radegundim filiam Bertharii regis secum abduxit, quæ postmodum apud Pictavam urbem multis effulsit virtutibus.

Cum igitur, ut præfati sumus, Theodoricum atque Childebertum, quos junxerat natura, divideret discordia, tandem domestico fœdere civilium sunt sequestrata bellorum certamina. Sed quorumdam nefandorum molitionibus hominum, qui assiduis gaudent mutationibus rerum, iterum pactæ pacis violata sunt jura. Quapropter multi nobilium filii, obsides utraque ex parte qui fuerant dati, servituti subjiciuntur. Inter cæteros vere nepos beati Gregorii Lingonicæ urbis episcopi, dum cujusdam barbari servitio premeretur, a memorati pontificis servo, Leone vocabulo, qui præparandis epulis ministerium exhibebat, subducitur, pristinæque libertati hoc ordine restituitur. Audito quippe præfatus sacerdos eum Treviris detineri, mittit pueros qui, oblato domino ejus pretio, illum exinde abducerent. Quibus barbarus respondit: « Hic, inquiens, tam præclari generis puer non dimittetur, nisi mihi decem libræ auri dentur. » Illis hæc episcopo nuntiantibus, Leo se obtulit dicens: « Permitte me, et ego per Dei auxilium puerum liberabo. » Quo permittente, quæsitum ille quemdam hominem rogat ut se domino pueri, quasi proprium famulum, vendat, et pretium loco beneficii in suos usus habeat. Obaudit ille dicto, et eum duodecim aureis memorato vendidit viro. Quærit deinde detentor a Leone quid operis scit agere. Cui Leo: « In præparandis, inquit, epulis nullus me præteriit disciplina artis. » Imperat ergo dominus ut adveniente die Solis (sic enim barbari diem vocant Dominicam) tale paret convivium, quod venturi ad eum amici habeant admiratum. Quod ille, congregata multitudine gallorum gallinaceorum, ita præparavit ut dicerent convivæ se nec in mensa regis tale quid gustasse. Gavisus dominus Leonem promptuario præficit, ac summam sui gratiam impertit.

Post anni circulum cum Attalo (id quippe nomen nepotis episcopi erat) in prato, eo quod ille custos equorum esset, descendit. Et versis sibi invicem dorsis, ne agnoscerentur, loquentes, Attalum sic compellare cœpit: « Tempus est, inquam, o puer, ut de patria cogitemus. Hac igitur nocte dum equos e pastu reduxeris, cave ne somno graveris, sed, ut

a me vocatus fueris, iter si sapis nostrum parabis. » Ea forte nocte Leo, generum domini ad domum redeuntem prosecutus, vina porrexit. Cui ille joco ait : « Die, o puer, si valeas, qua nocte ad patriam reverti destinas? » Ad quem Leo item jocando, veritatem tamen effatus : « Hac, inquit nocte, si Deus permiserit. » — « Utinam, ait alter, me custodiant mei famuli, ne quid de domo mea auferas. » Necdum itaque prima noctis quiete transacta, Leo ad Attalum properans quærit an haberet spatham. Quo negante ille a capite domini sui scutum simul cum framea aufert, sciscitantique domino respondit se esse, velleque Attalum, qui tanquam ebrius quiescebat, suscitare, ut ad pastum equos deducat. Illo vero non abnuente, profectus est ad Attalum; ascensisque equis raptisque quibusdam vestibus sive ornamentis, triduo jejuni iter peragunt. Venientes vero super Mosam, dum a quibusdam detinerentur, relictis equis super parmas fluvium transmearunt; inventaque arbore pruni, ejus ablato fructu, inter iter agendum eo se satiant. Porro viam ingressi Campaniæ, nocte quadam audiunt sonitum post terga currentium equorum. Tunc Leo ad puerum : « Prosternamur, inquit, terræ, ne videamur. » Tunc post truncum rubi se collocant, extractis tamen gladiis, ut, si necesse foret, his se defensarent. Equites vero eo loci constiterunt, spectantes donec equi urina se levarent. Dixitque alter ad alterum : « Væ mihi, quia fugiunt hi detestabiles! Verum si invenirentur, unum ex eis patibulo, alium gladiorum ictibus perderem. » Erat autem qui hæc loquebatur dominus illorum. Qui motis equis cum socio recessit a loco. Illi vero eadem nocte Remis venientes, a presbytero Paulello per biduum recreati, ad beatum Gregorium sunt regressi. Attalus cum gaudio susceptus, Leo cum uxore ac filiis libertate præmioque terræ donatus est.

CAPUT XII.

De dolo in filios Clodomiri.

Interea Clotildis regina Parisius residens, filios Clodomiri, nepotes suos, solerti nutriebat diligentia. Childebertus autem zelo ductus, quod videbat reginam maternum super eos declinasse animum, autumans deperire sibi quidquid materni affectus in illis transfundebatur, Clotarium excitat ut e medio hominum tollendi adolescentes occasionem quærat. Dolosaque adinvicem captantes consilia, ad matrem dirigunt qui memoratos juvenes ab ea susceptos ad se perduceret, asserentes velle se debitam ipsis regni reddere portionem. Dolum regina non prævidit, mandatoque filiorum paruit eo studiosius quo adolescentulis bene esse gratulabatur consultum. Suscepit legatus juvenes, ut eos deduceret ad reges Eo discedente, e vestigio venit alter, forcipes et gladium deferens. Quibus regina visis inquirit quid sibi ista velint. Cui veredarius : « Sic, inquit, mandant filii tui, velis ne nepotes tuos tonderi, an gladio percuti? Delibera. Unum enim eorum necesse est fieri. » Quo illa audito, alta trahens a pectore suspiria, ingemuit, et ait : « Nunc mihi bonum est mori cum filiis meis. Mortua est pietas. Nunc profecto illud est tempus quo, si omnes sua dent consilia, huic malo remedium inveniant nullum. Novum hoc flagitii genus est, quo patrui innocentium appetunt vitam nepotum. Doleo, fateor, parricidas generasse me filios, qui non possent parcere parentibus. Sed de illis tacco quos justa allegatio maternæ calamitatis exosos fecerat. Verum in istis nullæ reperiuntur causæ offensionis, nisi quod in regno natis regisque filiis, debita invidetur portio paternæ hereditatis. Pereunt itaque ad dolorem mihi, ad fructum illis. At quærat quis ut quid eos occidere velint. Cognoscat quia ad præsens ipsis mors eorum proficiet. Miseram me, quæ ad hos fructus fecunditatis sum reservata, ut infelicia eis porrigerem ubera qui mihi chara nepotum auferrent pignora! Ego, infantuli, vestræ causa sum perditionis, quæ inconsideratis persuasionibus patrem vestrum objeci periculis mortis. Satis infelix mater fueram, avia volui esse sollicitor. Videns mihi ætatem precedere, tentavi consulere post me nepotibus; atque utinam consuluissem! Sed nunc eos mihi quidem eripit intolerabilis ærumna, quos magis magisque commendaverat natura et misericordia. Summe Deus, ne inter greges noxiorum deputes animas innocentium, nec eas sæva inferorum crucient supplicia; sed mundo supernum iter carpentibus e vestigio tranquilla æternæ vitæ succedant habitacula. » His dictis, indignatione simul et compassione vox est intercepta loquentis. Verum ubi spiritum resumpsit : « Et quid, ait, aliud restat? Conditio mihi offertur utrum malim eos tonderi, an gladio percuti. Sed utcunque se res habeat, nullatenus clericos fieri patiar. »

Hæc dixit, putans quod pietate flexi naturæ a tanto desisterent scelere. Quamvis enim ei nota esset Clotarii feritas, nunquam tamen credere potuit quod usque ad parricidium perseveraret. At ille longe ab ejus sententia aberrans, arreptum seniorem natu puerum ad terram elisit, cultelloque latus perfodiens vita privavit. Quod cernens junior, ad Childebertum se contulit; et suffusus lacrymis specie miserabili, patrui inhærens vestigiis, orare veniam, ac ut animum sibi regis Clotarii conciliatum redderet obsecrare. Motus ille miseratione fratrem deprecabatur ut naturæ contemplatione molliret iram, nepotique parceret, supra iram constituens jus naturæ. Promittebat etiam se pro hujus rei vicissitudine beneficium quod ipse vellet recompensare. Cui frater : « Dum tu, inquit, hujus facti minister existis, ut quid misereri velle te simulas? Quin potius puerum a te expelle, aut pro eo morere. » Veritus Childebertus verba fratris, nec ejus valens, imo nolens, contraire voluntati, puerum a se repulit. Quem Clotarius eo quo fratrem ejus, interemit modo. Reliquus qui superarat e fratribus, vitæ potius ac saluti quam regno intentus, prompta fidissimorum sibi famulorum ope usus, fuga se exemit periculo. Ei nomen Clodoaldo. Qui postea clericus factus, pro-

abyterque ordinatus, digne est conversatus. Et vitæ finem sortitus, Noviento villa territorii Parisiacæ urbis sepultus, multis miraculorum signis cœlo se vivere declarat. Clotarius autem, nutritiis puerorum pariter neci traditis, ascenso equo, ab eo recessit loco una cum suis. Tunc Clotildis regina ablata nepotum corpuscula condiens aromatibus, in sancti Petri basilica fecit humare.

CAPUT XIII.

De Longobardorum origine et gestis.

Theodoricus autem Theodeberto filio suo despondit uxorem, vocabulo Wisegardam, filiam Wachonis regis Longobardorum. Hic locus nos admonet, intermissa paululum cœptæ rei serie, exordium nos hujus pandere gentis, et præterita retro tempora retractando repetere; maxime cum præclara quædam Francorum gesta in Historia contineantur Longobardorum. Winili igitur, qui et Longobardi, ab insula Germaniæ, quæ Scandinavia dicitur, egressi, Ibor ac Aione ducibus, regionem quæ Scoringua dicitur, quasi habituri sunt ingressi. De qua propter victus penuriam exire compulsi, transierunt in Mauringua. Unde progressi habitaverunt in Gollanda. Mortuisque ducibus, regem sibi Agelmundum filium Aionis ducis statuerunt, qui per triginta et trium curricula annorum illis præfuit. Cui successit Lamissio. Lamissioni quoque Lethu. Post Lethu regnavit Hildehoc. Quo defuncto, quintus Gudehoc regnum suscepit. Deinde post pugnam, quam inter Odoacrem et Feletheum fuisse superiori commemoravimus libello, profecti Longobardi de Gollanda pervenerunt in Rugiland, quæ Latine Rugorum patria dicitur. Nam *land* lingua Germanorum, patria dicitur verbo Latinorum. Exempto autem humanis rebus Gudehoc, successit ei filius Claffo. Decedente quoque Claffone, Tato regnum tenuit. Quo tempore Longobardi, relicta Rugorum patria, venerunt in campis patentibus, qui sermone barbarico *felth* appellantur, manseruntque ibi. Quo dum demorantur, Radulfus, rex Herulorum, fœdus quod cum Tatone pepigerat irrumpens, eo quod compererat fratrem suum germanum a filia Tatonis nefandissime interemptum, bellum ei intulit. Sed ipse cum suis a Longobardis superatus, vita pariter et regno est privatus. Tanta autem consternatio ac (ut verius dicam) mentium alienatio ejus invasit exercitum, ut virides segetes, lini campos, flumina crederent. Dumque brachia quasi nataturi extenderent, a supervenientibus sine difficultate cædebantur hostibus. Irruit autem super Tationem Wacho filius fratris sui : interfectoque eo, ipse jam octavus super Longobardos regnum tenuit. Hujus filiam, ut prædictum est, Theodoricus filio suo Theodeberto despondit. Quam ille post mortem patris relinquens, Deutheriam Romani generis feminam hac de causa duxit uxorem : Dum Gothi, post mortem Clodovei, multa de his quæ ipse eis abstulerat pervasissent, Theodoricus Theodebertum filium suum ad ea recuperanda direxit. Qui ad urbem Bituris [*al.*, Biterris] accedens, legatos ad castrum Caprariam, ut sibi cives aperiant, dirigit. Deutheria vero mulier nobilis et sapiens, cujus vir ad prædictam urbem propter hostilem transierat incursum, Theodeberto mandavit quod veniens cum pace susciperetur. Quo adventante, illa ei obviam est progressa. Cujus specie rex captus, suo eam conjunxit stratu.

CAPUT XIV.

De Theodorico et Theodeberto.

In diebus illis Theodoricus, Sigivaldum parentem suum occidens gladio, clam mandavit Theodeberto ut filium ejus, qui una cum eo erat, interimeret. Sed ille, eo quod illum de sacro fonte levasset, ostensis paternis litteris fugam suasit, donec post mortem patris ipso regnante ad eum reverteretur. Qui fugiens apud Latium latuit. Post hæc nuntiatur Theodeberto patrem graviter ægrotare. Qui postpositis cæteris rebus eo tendit, Deutheria Arverno relicta. Theodoricus enim, cum jam viginti quatuor annis regnum tenuisset, vita decedens, Theodeberto filio sedem sui reliquit regni. Qui, mansuetus cunctis atque modestus, justitiæ quoque fuit cultor egregius. Consurgentes vero Childebertus atque Clotarius eum regno pellere conati sunt. Quos demulcens ille regnum sagaciter recepit; missoque nuntio, Deutheriam ab Arverno evocans, sibi eam in matrimonium copulavit. Cernens Childebertus quod eum vi sibi subdere nequiret, amicitia sibi necti commodius duxit, accersitumque triplicibus ex omni supellectili sua ornamentis donavit. Givaldus autem, Sigivaldi filius, audiens Theodebertum loco patris regnare, ad eum rediit. Quem rex deosculans cunctas ei paternas restituit hæreditates, data ei tertia ex omnibus quæ a patruo acceperat muneribus parte. Verum Deutheria cernens filiam suam, quam ex priori susceperat viro, valde adultam, verita ne a rege concupisceretur, vehiculo impositam indomitisque bobus tractam apud Virdunum de ponte in Mosam præcipitari jussit. Erat porro Theodebertus rex egregie moratus. Agnoscens vero quod Deutheria suam, ut prædictum est, interemisset filiam, repudiata ipsa, Visegardam iterum sibi sociavit.

CAPUT XV.

De Belisarii reliquis successibus.

Porro Belisarius post inclytum quem de Vandalis ut supra diximus, apud Constantinopolim egit triumphum, intimus amicorum Justiniani principis habebatur. Et, astipulante prioris societatis prærogativa, cum inter primos secretorum arbitros ipse primus accersiretur, multorum contra se invidorum excitavit corda. Qui dolentes uberiore illum pollere potentia, sibique deputantes officere in quo ille proficeret, quasi salutis Cæsaris solliciti, crebro ei denuntiabant « ab insidiis Belisarii fore cavendum. Quem nisi ipsi simulatione fidelioris consilii revocavissent, jamdudum Belisarii gladio interfectum Justinianum, regnumque indigno hæredi vacuefactum. » His atque hujusmodi regiorum satellitum, seu etiam primorum palatii, sermonibus Augustus per invidiam

paulatim accendebatur. Et suspectam habens Belisarii potentiam, patriciatus ei interdixit curam. Qui, publicis expeditus actionibus, securam deliberans in reliquum agere vitam, privatas incolebat ædes. Sed, quia difficile est in prosperis invidia carere, iterum zelus, iterum orta insimulatio, quia ultra quam privatis mos est sese agebat. Duodecim namque millibus puerorum vallatus, quocunque eundum foret, progrediebatur. Fuere nonnulli, qui vitam quoque ipsam ereptum ei ire vellent. Verum cum imperatoris mentem ad suam nequirent inflectere sententiam, ipsum dignitate regia privare moliti sunt. Opportunamque nacti occasionem, procedentem ad circi spectaculum principem, privata detentum custodia, corona spoliant simulque veste purpurea. Deductumque ad medium theatri quemdam Florianum in solio sedere faciunt regio. Justinianus autem, tali dehonestamento affectus, ad Belisarium misit qui dicerent : « Hæc mandat Justinianus Cæsar quondam et Augustus. Immemor, inquit, injuriarum, mi Belisari, factus modernatum (*sic*), ad memoriam, quæso, reduc pristina beneficia, et, si quid prævales, adjuva me. » Ad hæc Belisarius ita respondit : « Si, ait, avita mihi suppeditaret potentia, ferrem poscenti suffragia. Nunc autem incassum fundit preces, cum mei præsentia consulares viduaverit fasces. Verumtamen Christi Domini mei parens præcepto, non referens mala pro malo, auxilium illi laturus accingar ut potero. » Et simul, his dictis, ad conspectum properat novi principis, cunctis ut se sequerentur suis præcipiens pueris. Et pro foribus theatri stans conspexit eminus turbam se odientium cathedræ imperatoris Floriani circumsistere.

Conversus igitur ad eos qui secum erant ; « En, inquit, fidissimi milites, adest omnibus votis exspectata dies, ad capessendam ultionem ex inimicis. Vallatus est tyrannus caterva malignantium, qui se ei sociaverunt, freti improbitate morum. Nec dubitandum pari eos debere perire interitu, quos æquales reddidit malitiæ causa. Armate itaque dexteras vindices, et quod me videritis facere, vos quoque facite. » Posthæc introgressus, dum veluti adoraturus genu flecteret, evaginato ense falsi principis caput amputavit. Quod cernentes qui cum eo venerant districtis gladiis circumstantes fortiter ferire cœperunt. Turbati hi qui prius de permutatione dominationis sibi applaudebant, fugæ potius quam defensionis auxilium quæsiverunt. Caput Floriani, cum corona regni, Belisarius sustulit, venienæque ad Justinianum taliter ei locutus est. « Æmuli, inquit, meæ tuæque salutis seminarium discordiæ inter nos ideo quam maxime sævisse visi sunt, ut et me exsortem honoris redderent, et te, mei præsentia destitutum, contumeliis, uti nunc palam cernitur, afficerent. Attamen ego, his quæ adversariis suggerentibus contra me egisse cognosceris posthabitis, gratiam imperii lucisque rependo, quam illi ereptum ire voluerant, recolensque priora erga me beneficia tua, hoc te nunc dignor munere. » His dictis, diadema regni ejus imposuit capiti. Justinianus hoc modo imperio restitutus, sæpefatum Belisarium iterato patricium ordinans, adversum Gothos, qui Italiam inhabitantes Romanos graviter armis premebant, dirigit.

CAPUT XVI.

De divo Benedicto.

His diebus beatissimus Benedictus Pater et prius in loco qui Sublacus dicitur (qui ab urbe Roma quadraginta millibus abest) et postea in castro Cassino, quod Haruin appellatur, et magnæ vitæ meritis et apostolicis effulsit virtutibus. Quo etiam tempore sanctissimus Agapitus, Romanæ sedis pontifex, ad regiam urbem profectus, Justinianum principem, in Eutychis sectam delapsum, ad veram et catholicam reduxit fidem; damnatoque Anthimo patriarcha Constantinopolitano, non multo post idem papa apud eamdem urbem diem obiit. Cui successit in pontificatu Sylverius. Hic levatus est a tyranno Theodoro, qui apud Gothos regnum arripuerat, sine deliberatione decreti imperialis. Qui corruptus pecunia talem timorem induxit clero, ut qui non consentiret gladio puniretur. Post menses duos nutu divino exstinguitur Theodorus, et elevatur Withigis rex. Tunc veniens Belisarius patricius in partes Siciliæ, audivit quod Gothi fecissent sibi regem, et inde per Campaniam properavit Neapolim, quam obsidere cœpit, quia cives Neapolitani noluerunt aperire ei. Qui pugnando civitatem introivit, et Gothos, quoscunque obvios habuit, neci tradidit, factoque maximo bello contra Withigem, ingressus est urbem Romam, et civitatem munivit. Tunc recolligens Withigis multitudinem Gothorum uno anno ita obsedit urbem Romam, ut nulli esset facultas egrediendi vel ingrediendi. Verum intra civitatem fame opprimente populum adeo ut aqua venundaretur pretio, pugnæ tamen maximæ fiebant a Belisario defendente Romanos vel civitatem adversus Gothos; quos etiam Ravennam fuga petere postmodum compulit.

CAPUT XVII.

De Vigilii diaconi conatibus.

Tunc Vigilius diaconus, qui apud Constantinopolim erat apocrisiarius, animadvertit displicere Augusto et Augustæ damnationem Anthimi patriarchæ Constantinopolitani, et, volens sibi apud dominos rerum parare gratiam, persuasit Augustæ ut mitteret ad Silverium pontificem litteras hoc modo scriptas. « Aut ad nos, inquit, ne pigriteris venire, aut certe scriptis tuis revoca Anthimum in locum suum. » Quibus beatus Silverius perlectis ingemuit, et in hæc verba imperatrici rescripsit : « Licet hæc causa finem temporali meæ inferat vitæ, ego tamen, Augusta domina, rem hanc nunquam faciam, ut revocem hominem in damnata permanentem perfidia. » Hac de re indignata Augusta mittit Vigilium ad Belisarium, præcipiens ut inventa occasione Sylverium in exsilium ageret, Vigiliumque pontificem constitueret, qui se revocaturum Anthimum repro-

miserat. Hujus præcepti tenorem suscipiens Belisarius : « Ego, inquit, voluntati principum contraire non audens, licet invitus, jussionem adimpleo. Sed hujus machinator sceleris iram non effugiet judicis cuncta cernentis. » Subornatis itaque testibus qui dicerent domnum papam Gothis civitatem simulque patricium tradere voluisse, jussus est præsentare se ad audientiam in palatium principis. Et ingredientem cum solo Vigilio Antonina patricia sic alloquitur : « Dic, domne Silveri, quid fecimus, ut nos tradere in manus Gothorum velles? » Adhuc ea loquente, ingressus Joannes, subdiaconus regionarius primæ sedis, tulit pallium de collo ejus induitque veste monastica. Qui apud Pontiam insulam in exsilium relegatus, inibi confessor vita decessit. Vigilius vero in pontificali sede resedit. Iterato Belisarius cum Withige rege Gothorum dimicans, exercitum ejus maxima cæde labefactavit, ipsumque captum Constantinopolim triumphans perduxit.

CAPUT XVIII.

De Childeberto rege et beato Germano episcopo.

Verum Childebertus rex Francorum, asscito in auxilium Theodeberto, Theoderici filio, nepote suo, adversus Clotarium fratrem suum pugnaturus ire disposuit. Nuntius ad Chlotildem matrem supradictorum properat regum (quæ tunc Parisius morabatur) asserens utrosque germanos fratres in mutuam perniciem exercitus adunare multitudinem. Quo comperto, mater filiorum condolens nequitiæ, materni affectus præstricta necessitudine, ad sepulcrum sancti Martini properat, et, lacrymarum effundens flumina, orationem fudit ad Dominum in hæc verba : « O bone, inquit, Jesu, qui discordes elementorum cursus fœdere sancto consocias, tu fratres, malo discordiæ temerantes jura naturæ, in unitatem pacis redire concede. Nec mihi obsit quod tales genui vel etiam educavi qui ignorent fratres et affectus nesciant propinquorum. Interemerint patruos, jugulaverint nepotes, non tamen eo usque fore processuros existimavi, ut quod nati sunt oniviscerentur. Tu modo, omnipotens Pater, qui naturæ auctor atque arbiter es, honestum inter germanos compone pactum; tu perturbatores pacis potentiæ tuæ virtute deterre. » Has illam preces pro natorum salute fundentem audivit Omnipotens, cœlique a parte serena intonuit. Nam Clotarius periculosum ratus adversum duorum potentum regum copias prælio decernere, confugium in Aureliano pago, in loco qui Combros dicitur, fecit, donec aut animus erga se fratrum tranquillior, aut sibi ad resistendum virtus numerosiore suorum manu, qui jam jamque affuturi credebantur, esset paratior. Major autem spes ejus in Christi Domini virtute consistebat; cum ecce subito, in loco quo adversarii castra fixerant, matutino sub tempore audita sunt tonitrua mugire, imbres ruere. Fulgura vero per procellas dejecta tentoria rupere, equosque eorum in diversa egerunt. Porro militaris manus, solis contra violentiam imbrium contecta clypeis, misericordiam Domini efflagitatura humi prosternitur, utque moderatiori quam merebantur vindictæ pœna ferirentur exorant. Quodque admirabilius est, in castris Clotarii nec spiritus flavit venti, nec pluviæ cecidit gutta, nec ulla prorsus coruscationis apparuerunt signa. Tum demum, qui venerant exterminatum, legatos miserunt ad Clotarium, qui pacem peterent fœdusque perpetuum inirent. Quod ille volens concessit, et ex utriusque exercitus consensu utrinque discessum. Ita precibus Deo devotissimæ mulieris, matris videlicet suæ, ab imminenti piaculo simul et interitu fratres erepti, immane facinus, quod mente conceperant, explere permissi non sunt. Fuere plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis.

CAPUT XIX.

De reliquis Childeberti gestis.

Childebertus autem rex, qui anterioribus ut superius declaratum est, annis Hispaniam ingressus Toletum urbem ceperat, Clotarium fratrem suum, cum quo fœdus firmaverat, sollicitavit in adjumentum sui; quo, ejus fretus societate, eamdem provinciam sibi subacturus aggrederetur. Quo cum valido exercitus adventante supplemento, viribus conjunctis, Cæsaraugustam usque accesserunt. A cujus urbis ingressu prohibiti, obsidionem adoriuntur. Et resistentibus oppidanis, cum summa vi utrinque decerneretur, tandem Hispani, ipsa obsidionis dispositione et Francorum feroci perterriti animositate, animos a prælio revocaverunt, ac, tota mentis intentione ad Christi misericordiam implorandam conversi, assumptis crucibus cum litania murum obambulantes circuire cœperunt. Quod reges cernentes, aliquod maleficium eos exercere suspicati sunt, captumque quemdam ex rusticis sollicitius interrogant cujus religionis habitatores civitatis essent, aut quid urbem circumeundo præcantationis agerent? Quibus ille : « Cives, ait, Christiani sunt; nunc ut sui misereatur Dominus exorant. » Cui reges : « Vade, inquiunt, dic episcopo urbis ut ad nos nihil hæsitans veniat. » Quem advenientem Childebertus taliter alloquitur : « Christianæ, inquit, religionis ac unius veri Dei vos agnoscentes esse cultores, parcere vobis decrevimus, si assensum nostræ petitioni tu, qui antistitis in hoc loco fungeris officio, præbens, nobis sancti Vincentii reliquias conferas, qui in hac urbe, ut multorum sinceritas et signata veritatis verba testantur, eximius levita enituit. » Pontifex nil moratus, ejusdem inclyti levitæ ac martyris stolam regibus offert. Quam illi condigno honore suscipientes, obsidionem juxta promissum solvunt. Et devastata omni provincia, cum spoliis et ingenti præda nativum repetunt solum.

CAPUT XX.

De Gothorum regum a suis nece, et Childeberti Francorum regis gestis.

Post Amalricum autem, Theodus Hispanias tenuit. Quo interfecto, Theudegilus successit. Hic dum inter

cœnandum alacritate ultra solitum utitur, exstinctis cereis a suis occiditur et Agila regnum arripuit. Gothi vero jam olim vitium hoc in consuetudinem verterunt ut, dum eis rex proprius displicuerit, a suis interimatur. Verum Childebertus acceptam beati Vincentii stolam Parisius defert, ædificatamque solo tenus basilicam nomini ejusdem sancti levitæ ac martyris dedicari fecit. In qua non minimam vasorum partem, quæ eum a Toleto asportasse supra memoravimus, cum capsis evangeliorum, cruces quoque mirifici operis aliaque devotus excellentissima contulit munera.

CAPUT XXI.

De Theodeberti in Italiam expeditione.

Childeberto itaque cum fratre Clotario Hispaniæ partes aggrediente, Theodebertus, Theodorici regis filius, memoratorum nepos regum, in Italiam cum maximo suorum equitatu contendit eamque ab Alpibus usque ad maritimorum confinia locorum pervagatus tributariam effecit et ad propria reditum maturans Bucellenum ducem ad pervalendum Siciliam et reliqua Italiæ finitima reliquit. Qui, Tyrrheno mari transfretato, Siciliam maxima ex parte subegit, castraque vel urbes Italiæ pervadens, ex subjugatarum præda nationum xenia Theodeberto mittebat regi.

CAPUT XXII.

De sancto Benedicto.

Hujus principis temporibus, a Cinnomannica urbe legati ad castrum Cassinum profecti, beatissimum Patrem Benedictum, post eremiticam, ut præmisimus, vitam in illo sancto degentem cœnobio, omnigena poposcerunt prece, ut fratres in monastica probatos conversatione ad occidentales dirigeret partes, a quibus leni jugo regulæ illis ab ipso traditæ Gallicana subderetur cervicositas. Qui gratanti animo dilectum suum discipulum Maurum ad has nostras direxit regiones eique sanctissimum sui obitus diem imminere prædixit, evidentissime designans eo sua sacratissima transferenda fore membra quo charitatis vinculo sibi unitum mittebat alumnum. Inclytus ergo Domini levita Maurus, iter ad Gallias agens, dum in pagum devenisset Antissiodorensem, die qua Dominicæ cœnæ ex more in terris celebrabatur sacra solemnitas, ad monasterium sancti Romani, nutritii quondam Patris Benedicti, divertit. Cujus gratuita collocutione laborem longinqui itineris allevans ei in proximo esse denuntiavit diem, quo beatus Pater cœlestem gaudens scanderet ad patriam. Et ecce nocte illa quæ sanctum præcedebat diem Sabbati, quo vigilia resurrectionis colitur Christi, scilicet XII Kalend. Aprilis, subito raptus in spiritu vidit viam palliis stratam ac innumeris coruscam lampadibus ab ejus cella ad cœlum usque pertendere, quodque eo tramite dilectus Domino cœlum Benedictus scanderet, angelum sibi dicentem audivit. Et ad se reversus, lacrymas votivæ indices visionis effundens, quæ sibi revelata fuerant sancto Romano aperuit ac participem cœlestis eum faciens gaudii, sanctum cum eo exsultans celebravit Pascha. Gloriosus etenim in sanctis Deus assidue sibi placitos mirificans famulos, huic egregio Patri excellentius cæteris jure præbuit iter ad se perveniendi, qui, in convalle positus lacrymarum, ascensiones virtutum in corde disposuerat suo, scalam Jacob, per quam ascendentes angeli monstrati sunt, suis proponens sectandam sequacibus. In cujus autem, ut pace omnium loquar sanctorum, non dicam martyris, verum et apostoli transitu, tam innumeris tamque divini fulgoris splendens apparuit via luminaribus vestibusque ornata nuptialibus. Neque enim in eo calle textile credendum est apparuisse pallium, quo æternæ incorruptionis migrabatur ad regnum.

Nil porro mirandum hunc divinæ latorem legis hanc in assumptione spiritus promeruisse gloriam, qui corruptibilis adhuc circumamictus tegmine carnis, tantis effulsit miraculorum signis, ut nisi vir toto venerabilis orbe, papa videlicet Gregorius, ejus esset vitæ relator simulque assertor eximius, profecto ab infidelibus quibusdam mirandis derogaretur actibus. Verum ut præteream quod adhuc puerulus eremum petiit intrepidus, quod, ut quidam propter ipsum ait sapiens, nec Martinus toto nominatus in orbe fecisse dignoscitur, illud certe non omittendum quod, post multiplicia charismatum dona ab omnipotente sibi concessa, tribus admirandis, nec sæculo antea cognitis, resplendut miraculis. In eo namque quod solo intuitu ligati solvit vincula rustici, quodque sub momento, quasi sub solis radio, universus ante conspectum ejus collectus est mundus; sive quod strata palliis ac innumeris corusca lampadibus via, ad polorum subvectus est alta, neminem illi puto conferendum sanctorum. Magna porro nobis, si dissimulare nolumus, est indicta probitatis necessitas, quibus donatum est tantum ac talem in præsentiarum habere patronum, ut ab illius nunquam pro posse magisterio discedentes, quæ audivimus ab illo et mentis oculis vidimus in illo sectemur. Aderit pro certo nobis utque quondam corporales rustici nexus, sic nostrorum solvet ligamina peccaminum, et quorum in contemplatione totius orbis creditur elegisse domicilia, eorum, si devote illi adhæreant, animas sua sequentes vestigia, cum magno divini luminis splendore, in æterna deducet habitacula. Hujus sane Patris vitam, ut prædictum est, beatus scripsit papa Gregorius; cujus flores eloquii in sancta universali Ecclesia velut aurum refulgent. Sed et Odo venerabilis abbas hujus Floriacensis monasterii, in quo sæpe nominandus corpore requiescit Pater Benedictus, ipsius memoriam in quodam sermone mirificis extollit laudibus. Nos vero pro amore tanti patroni nostri his prælibatis, ad Historiam recurramus.

CAPUT XXIII.

De Belisarii reliquis gestis et nece.

Belisarius igitur, qui jam secundo ad Africam transiens Vintharith Vandalorum regem rebellionis insimulatum sub dolo pacis interemerat, residuosque

Vandalorum republicæ jugo substraverat, audito quod Franci Italiam infestarent, Romam redire maturato contendit. Et civitati appropinquans, cum magno omnium utriusque sexus lætitia susceptus, obtulit beato Petro per manus papæ Vigilii auream crucem centum librarum, pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas descripserat victorias. Indeque ad bellum retractus Francorum, dum paucitatem gentis contemnit virtutemque ignorat, paucis et ipse assumptis pugnam non dubitavit committere. Sed Romanis pro salute et libertate, Francis pro adipiscenda gloria certamen erat. Et quia eo se gloriosiorem sperabant reportare triumphum, si totius orbis victores Romanos vicissent, mori potius quam loco cedere elegerant. Inito itaque prælio, dum neutra acies alteri cederet, tandem Romani salutem, pro qua aliquandiu substiterant, deperire sibi intelligentes, dum fortissimos quosque suorum bello oppetere cernerent, paulatim se certamini subtrahere cœperunt. Ita vir strenuissimus Belisarius, a suis desertus, ab hostibus circumventus, nequidquam fortiter faciens exstinctus est. Et qui multarum sub triumpho gentium captivos adduxerat reges, a duce non dicam imperatoris aut regis, verum tetrarchæ Francorum victus, vita cum nominis sui privatus est gloria.

CAPUT XXIV.

De beato Gregorio Lingonensi et castro Divionensi.

Erat tunc temporis beatus Gregorius Lingonicæ urbis præsul summus. Sed quia hujus pontificis meminimus, dignum est ut situm Divionensis castri, ubi maxime morabatur, pandamus. Est denique illud castrum in campi planitie muris firmissimis circumdatum, turribus triginta tribus honestatum, terras habens fertiles, per quas a meridie Oscarus haud procul a muro fluit, piscibus dives. Ab aquilone alter fluvius per portam ingreditur, ac sub ponte decurrens perque aliam portam egrediens, molendinos summa vertit velocitate. Murus ad viginti pedes quadris ædificatus lapidibus, desuper minores superpositos habens lapides, in altitudinem pedibus XXX, in latitudinem XV, porrigitur. Portæ ibi quatuor, a quatuor plagis cœli. Quod cum tantæ sit magnitudinis, cur urbis vocabulo caruerit mirum habetur. Hoc quidem ab Aureliano imperatore constructum antiquitas asseruit.

CAPUT XXV.

De Chrotildis obitu et Clotarii progenie.

Interea bonæ memoriæ regina Chrotildis, uxor Clodovei, quondam magni regis, piis, quoad vixit, intenta operibus, apud urbem posita Turonicam migravit ad Dominum plena dierum. Cujus corpus, a filiis ipsis Childeberto ac Clotario regibus cum magno psallentium choro exinde sublatum Parisiusque delatum, in sacraria basilicæ sancti Petri juxta latus viri sui est sepultum. In eadem etiam orationis domo beata Genovefa humata quiescit. Theodebertus quoque, rex Austrasiorum, febre valida vexatus, diem clausit anno regni sui XIII. Hic, exorante Desiderato Viridunensi episcopo, civibus ejusdem urbis octo millia solidorum, qui annuatim exinde ejus inferebantur thesauris, largissima benignitate ad restaurationem concessit civitatis. Fuit idem rex egregie moratus eloquioque affabilis. Qui beatissimum Maurum in quadam parte regni sui, in Andegavensi videlicet pago, monasterium construentem, quod Glannafolium antiquitus dictum est, mirifice coluit, prædiaque ingentia cum aliis regiæ munificentiæ donis per semetipsum ad eumdem accedendo locum benignissime contribuit. Successit ei Theobaldus filius ejus, vir quidem Deo deditus et servos ejus unice diligens, sed in suos crudelis. Cujus tempore stella ex adverso veniens in lunam ingressa est. Tunc quoque uvæ in arbore, quæ Sambucus dicitur, natæ sunt, et flores ipsarum arborum, quæ nigra proferre solent grana, botros protulerunt. Gravis eo tempore ac solito asperior hiems facta est, ita ut torrentes congelati pervium super se populis iter præberent. Aves quoque rigore astrictæ vel fame, absque ullo hominum dolo, immersæ nivibus capiebantur. Hic accepit uxorem filiam Waconis, regis Longobardorum, Walderadam nomine, suæ sororem novercæ. Qui cum per octo annorum curricula strenue susceptum gubernasset regnum, vita decedens, principatum gentis quam regebat, cum thesauris, Clotario dereliquit habendum. Huic vero Clotario fuerunt virilis sexus filii, ex diversis conjugibus orti, numero septem et una femina. De Ingunde quidem, Guntharius, Chilpericus, Cherebertus, Guntrannus, Sigebertus et Clotsinda filia. De Charagunde vero, sorore Ingundis, habuit Chilpericum. Amore denique Ingundis ductus, Charagundem ejus germanam sibi in matrimonium copulaverat. De Gunsinde autem genuit Chrannum.

CAPUT XXVI.

De odio Francorum in Parthenium.

Tunc temporis Franci Parthenium in palatio regis Theodoberti quondam potentem, qui eos tributi onere valde presserat, immensis persequebantur odiis. Qui cum se cerneret non posse evadere, duos rogat episcopos ut se Treviris deducant sævientisque populi seditionem sua prædicatione sedent. Quo dum una cum eo eunt, una noctium cœpit prædictus vir dormiens voces emittere, dicens : « Heu! heu! succurrite, qui adestis. » Expergefacti circumjacentes rogant, quid esset? Respondit ille vidisse se Ausanium quondam amicum suum, ac Papianillam uxorem propriam, quos olim zelo ductus occiderat, vocantes se ac vi compellentes et dicentes : « Veni, ut ante Deum de injusta nece nostra nobiscum contendas. » Tandem venitur Treviris et episcopi turbatum populum sua volebant linire oratione. Cum nequirent, Parthenium in ecclesiam ductum uni arcæ immiserunt, sternentes desuper vela ecclesiæ. Cumque populus scrutata basilica recederet, frendens quod non inveniretur, unus e turba exclamat : « En, inquiens, arca, ubi non est quæsitus noster

adversarius.» Statimque e reserata arca extrahitur ac lapidibus ad columnam ligatus perimitur. Fuit vero in sumendis cibis avidus. Sed quæ sumebat hausto aloe statim egerebat, ut alia citius sumere posset. Strepitum quoque ventris in publico sine ulla emittebat verecundia.

CAPUT XXVII.

De Clotarii edictō et expeditione in Saxones.

Proposuit autem Clotarius edictum, ut cunctæ Ecclesiæ Galliarum fisco tertiam partem solverent fructuum. Quod, resistente Injurioso pontifice, in ipso exordio tentamentorum est cassatum. Post hæc idem rex in Saxones rectum iter direxit, qui assiduis excursionibus Francorum devastabant fines. Quibus super Wiseram fluvium bello subactis, Thoringos quoque, eo quod Saxonibus auxilium tulissent, depopulatus est. Denuo Saxonibus rebellare parantibus, Clotarius adversus eos exercitum movet. Verum Saxones superioris belli plaga humiliati, per legatos commissorum postulantes indulgentiam, de cætero emendationem pollicentur suarumque rerum omnium partem mediam, exceptis conjugibus ac liberis, loco offerunt pignoris. Quod Franci despectui habentes, prælium adoriundum putarunt. Coacti Saxones manum conserere, tanta in Francos strage bacchati sunt ut vix pauci Clotario regi superessent ad fugæ potius societatem quam ad prælianti subsidium.

CAPUT XXVIII.

De Chranno et ejus gestis.

Erat præterea Clotario filius, nomine Chrannus, corpore quidem elegans, sed mente levis, dolis nulli versutorum secundus. Huic animus inquietus, prompta audacia, cui pater vices suas per Aquitaniam commiserat. Ast illius effera vis animi eum ut regem agere non sinebat. Tyrannica denique adactus crudelitate res aliorum rapinis diripiebat. Quapropter pater eum, legatione directa, ad se evocare curavit ut insolentiam qua tumebat modesta increpatione redargueret. Ille mandatis patris posthabitis, Parisius ad Childebertum summo studio contendit, ea propositi intentione ut ad genitorem nunquam rediret. Abducere vero amicos regios parentesque festinabat et præcipue Childebertum patris germanum. Quem etiam in tantum ab eo alienum effecerat ut fratris vitam appeteret; Chranno tactis sanctorum pignoribus sponte promittente quod patris perpetuus existeret hostis. Perpetratumque foret facinus magnum ac memorabile, fratre in mortem fratris conspirante, si Deus non impedisset et Childebertus matura morte non oppetiisset. Composito namque cum Childeberto fœdere, Aquitaniam iterum repetit, omnia per quæ primum erat subacturus. Post quem pater, Saxonica occupatus expeditione, ire non valens, Charibertum ac Guntrannum filios cum exercitu eo dirigit. Quem illi, per Arvernicum secuti territorium, in Lemovico jam eo assecuto castra super montem Nigrum constituerunt miserunique ad eum ut quæ pervaserat redderet. Quod dum ille se facere sponderet nec tamen faceret, ipsi contra eum pugnaturi aciem direxerunt. Quibus cum ille haud segnius obviam iret, orta tempestate ab hoc sunt repressi facinore. Post hæc Chrannus per subintroductas personas fratribus insinuari facit patrem bello oppetiisse Saxonico. Illi, pro vero dictum arbitrati, Burgundiam citato repetunt calle. His abeuntibus, Chrannus post eos iter dirigens, capta Cabilonensi urbe ad castrum properat Divionense, ubi quidam clericorum, curiosi quid Chranno accideret, super altare tres posuerunt codices, id est, Prophetarum, Epistolarum Apostoli ac Evangelorium. Oratione ergo ad Dominum facta, aperto Prophetarum libro hunc primum reperere versiculum: *Auferam maceriam ejus, et erit in desolationem pro eo quod debuit facere uvam, fecit vero labruscas* (*Isa.* v, 4-5). Reserato etiam Apostoli codice hoc invenerunt: *Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis veniet interitus* (*I Thess.* v, 3). Dominus autem in Evangelio ait: *Qui non audit verba mea assimilabitur viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam*, etc. (*Matth.* VII, 26). Et hæc quidem de Chranno ostensa sunt.

CAPUT XXIX.

De Childeberti post regni fraterni affectationem morte.

Childebertus vero æstimans fratrem a Saxonibus interfectum, Remis accedens cuncta incendiis ac rapinis vastavit. Tunc duæ locustarum acies per Arvernum ac Lemovicinum in campum transiere Romaniacum: ubi, commisso inter se prælio, magnum reliquere acervum locustarum infectarum. Cœpta Chranni celeri destituuntur obitu Childeberti. Nam idem rex post diutinam regni functionem febre vexatus moritur, ac Parisius in ecclesia sancti Vincentii, quam ipse fabricarat, sepelitur. Ejus regnum vel thesauri ad Clotarium lege redierunt.

CAPUT XXX.

De Chranni conatibus et Clotarii clementia et pietate.

Destitutum se Chrannus tanto parricidalis flagitii consorte animadvertens, ad Conabum Brittonum principem confugit, recidivaque reparare bella tentabat. Cui nobilitas conjugis odiorum suppeditabat materiam quod præmineret prosapiæ claritudine. Ei nomen Calte, Willecario genita, Aquitaniæ duce. Qui, videlicet Willecarius, minis Clotarii territus, quibus Chranno favisse arguebatur, tutelam basilicæ sancti Martini expetiit; quam pridem et Austrabius, alter dux, expetierat. Persecutoribus quærentibus eum exinde avellere nec valentibus, admotis ignibus pariter cum ipsa oratonis domo flammis est crematus. Quam Clotarius solerti industria venustiori donavit gratia stannoque ejus operuit tecta. Non dissimulandas autem filii arbitratus injurias, inde quanta potuit suorum manu Britanniam est ingressus. Occurrit ei Chrannus cum Conabo Brittonum rege, barbarorum agmen ductante. Ubi ad certamen ventum, tentato utrinque agmine, ubi neque Chrannus pecunia conductos desciscere a fide vidit

Britannos, neque Clotarius filium erga se suscepta deposuisse odia suosque ad belli paratos certamina, armis decernendum æstimaverunt. Tunc Clotarius in incerto belli positus, lacrymis suffusus ora, Christum exorat in hæc verba: « Christe, inquit, Deus, qui occulta hominum solus agnoscis, precibus nunc adesto meis, justi exercens examen judicis. Etenim quod nulli justo, maxime tibi omnium Cognitori rerum, veniabilis Chranni nequitia possit videri satis certus sum, ideo quod, naturalis oblitus gratiam pietatis, hostili animo contra vitam insurrexit patris; et quod, fraude machinatus, occulte nequivit efficere, id nunc palam illato bello contendit explere. Dumque unius decrepiti senis accelerare quærit exitium, non dubitavit morti exponere tantarum innumerositatem gentium. Et certe regnandi spem dederam, cum vivens tuendæ ei Aquitaniæ sollicitudinem mandaveram. Sed morantem non passus est, nec exspectavit regnum, nisi parricidio adipisceretur. Respice ergo, Domine, de cœlo, et judica juste, illudque judicium exerce quod contra Absalon, patri David quondam infestissimum, exercuisti. Non ego quidem David, sed tamen fide non degener. Credidit ille mundi Redemptorem venturum, credo et ego venisse, æquique arbitrum sæculi judicem futurum. » Illis intentum precibus audivit omnipotens Deus. Nam superior bello factus, Britannos usque ad refugia navium, quas ad hos usus paraverant, ut, si adversa bellorum forent, eo se conferrent, persecutus, maximam ex eis stragem dedit. Chrannus quoque ipse, dum filias pariterque uxorem captivitati subducere gestit, ab exercitu captus patrique præsentatus, jussu ejus in cujusdam pauperculæ casa super scamnum extensus orarioque sugillatus, ibidem cum conjuge ac filiabus igni est concrematus. Hoc modo justæ exsolvit pœnas ultionis insidiator patris, qui se omni evacuaverat pietate. Periit quidem non optando patribus officio, sed non dissimulando. Cui ille parceret, qui saluti paternæ, quantum in se fuit, non pepercit? Hunc itaque improbitatis suæ finem Chrannus invenit.

A

B

C

D

CAPUT XXXI.

De Longobardorum regibus et Totila Gotho.

Clotario autem Francorum tenente principatum, Longobardorum genti Alboin præerat, qui non multo post tempore Longobardos in Pannoniam deduxit. Gothis autem, qui Italiam incolebant, post Withigis, Badula, qui et Totila dictus est, præfuit. Qui ad beatissimum veniens Patrem Benedictum, cujus supra meminimus, ab eo et arguendo commonitus, et commonendo a suæ crudelitatis immanitate est emollitus. Cui idem vir Domini quod mare transiturus, Romam ingressurus, IX annis regnaturus, decimo esset moriturus prædixit.

CAPUT XXXII.

De Vigilii papæ et Theodoræ Augustæ controversia.

Vigilius etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsul, qui eo quo commemoravimus modo in locum sanctissimi subrogatus fuerat Silverii, legationem susscepit Theodoræ Augustæ in hunc se habentem modum: « Veni, et adimple nobis quæ prona voluntate promisisti de Patre nostro Anthimo, et revoca eum in pristini gradus honorem. » Ad hæc rescripsit Vigilius: « Absit, dicens, hoc a me, domina Augusta. Prius locutus sum male et insipienter. Nunc autem nullo modo tibi consentio, ut revocem hominem hæreticum et anathematizatum. » Quo audito, Augusta misit Anthimum scribonem cum valida militum manu Romam, præcipiens ei ac dicens: « Vigilium, inquit, Romanum pontificem nostris sanctionibus rebellem, decernimus ut navi impositum ad nostrum deduci facias conspectum. Nec cujuslibet basilica sanctorum defensionis ei sit adjumentum, excepta ecclesia Principis apostolorum. » Anthimus, Romam profectus, memoratum papam, dum missarum solemnia in oratorio sanctæ Ceciliæ X Kalend. Decembris celebraret (erat quippe dies festus ipsius sacræ virginis), munera populo erogantem tenuit navique imposuit, ut Constantinopolim deduceret. Quem populus Romanus proficiscentem usque ad navim prosecutus, postulat ut benedictionem illis daret. Qua tradita, mota est navis. Non defuere tamen, quos injusta expulsio Silverii in odium ipsius excitaret. Hi lapides post illum, vel quælibet telorum genera sors obtulerat, jacientes, in hunc modum ei conviciabantur: « Fames tua tecum, mortalitas tua tecum. Mala intulisti Romanis, mala reperias quo vadis. » Aliqui sane ex fautoribus ipsius comitatui ejus adhæserunt.

Qui per Siciliam iter faciens, in civitate Cathinensi quosdam ad sacros promovit ordines, quibus tuendæ Romanæ Ecclesiæ delegavit curam. Ipse navigio Constantinopolim usque devectus, ab imperatore et clero urbis honorifice susceptus, per biennium inibi est detentus. Imperatore communionem Anthimi ab eo exigente cautionemque manus ejus, qua id se facturum spoponderat, ostendente, ad hoc usque altercatio processit ut diceret papa Vigilius: « Ego quidem ad clementissimos reipublicæ moderatores Justinianum eique conjunctam æstimavi me venisse Theodoram. Sed Diocletiano ac Eleutheria moribus reperi crudeliores. Verum quia Christus me vobis pro commissis adjudicavit peccatis, patiar quidquid est miserrimum, dum vos jusseritis quidquid est immanissimum. Haud enim rependitur meritis meis congrua vicissitudo, dum majora his mea mereantur facinora. Matura ultio flagitii subest, et digno convenior expulsionis Silverii pretio. Neque porro Dei oculum tam impii machinator sceleris præterire poteram. » Et quidam familiarium principis prope astans, alapam in faciem pontificis dedit, dicens: « Homicida, nescis cui loqueris? An putas ignorare nos, dedisse te alapam notario tuo, qui et continuo cecidit exanimis, et filium viduæ Hasterium, cui neptem tuam dederas Vigiliam, jussu tuo fustibus usque ad supremum labefactatum exitium, papamque Silverium

factione tua exsiliatum? » Quo ille audito, pertimuit, solique Deo spem suam committens, in basilicam sanctæ Euphemiæ confugit tenuitque columnam altaris. A qua avulsus, fune colla ligatus per totam circumduci urbem jubetur atque ad vesperam ergastulo claudi, ubi modicum quid panis et aquæ ei quotidie tribuebatur. Postmodum suggerente Narsete Romanarum partium duce, vinculis ab imperatore levatus ac simul cum clero suo Romam redire permissus, ubi Syracusas attigit, calculi languore fatigatus defecit. Cujus corpus Romam delatum ac ad sanctum Marcellum via Salaria est humatum, succedente ei Pelagio in pontificatum.

CAPUT XXXIII.

De Romæ a Totila obsidione et Romanorum ad Justinianum confugio.

Totila quoque, rex Gothorum, deprædata Sicilia regressus, Romam obsidione cinxit. Cujus cives tantam tunc famis penuriam passi sunt ut cibi inopia coacti natorum suorum carnes edere vellent. Fessis diutina pugna simulque inedia Romanis nec valentibus mœnia tueri, Totila a parte Hostiensi urbem irrupit; qui, parcere potius Romanis quam eos perdere malens, per totam noctem, qua victor urbem intravit, quosdam suorum buccinis clangere jubet : « Ut cives se a Gothorum gladiis aut ecclesiis tuerentur aut quibusque modis occulerent. » Habitavitque aliquantum temporis cum Romanis, plus paterna pietate circa eos usus quam tyrannica crudelitate. Hanc illi, ut concedatur, animi benignitatem, qui nimiæ antea crudelitatis exstiterat, beati Patris Benedicti (quem olim, ut prædictum est, audierat) monitio contulit. Aliqui sane ex senatoribus, Romani quondam gloria nominis, tunc autem miseræ reliquiæ desertæ civitatis, Constantinopolim Justinianum principem adierunt supplices, adversum Gothos auxilia poscentes. Turbatus gravi nuntio Cæsar, rebus in Hesperia minus prospere gestis, Narsetem eunuchum, cubicularium vero suum, expertum belli virum, omni militiæ quæ in Italia erat præfecit. Ille propere (neque enim differendi tempus dabatur) cum lecta pube, transmisso Mediterraneo freto in Latium contendit, et junctis sibi Longobardorum auxiliis cum Gothis prælio confixit. Totilaque rege interfecto Italiam ab eorum dominatione eripuit.

CAPUT XXXIV.

De bello Bucelleno duci ab Narsete illato.

Bucelleno etiam duci Narses bellum intulit, quem Theodebertus, rex Francorum, ut supra memoravimus, cum Italiam introisset, reversus ad Gallias, cum Amingo alio duce ad eam subjiciendam reliquerat. Qui Bucellenus, interempto Belisario, cum pene totam Italiam direptionibus vastaret et regibus Francorum de manubiis subjectorum hostium munera copiosa conferret, in Campania hiematurus in loco, cui Tannetum nomen est, dysenteriæ morbo laborans, bello gravi a Narsete superatus exstinctus est. Amingus vero dum Widin Gothorum comiti, contra Narsetem rebellare paranti, auxilio esse non dubitaret, utrique Narsetis virtute vincuntur. Widin captus Constantinopoli exsiliatur. Amingus, qui ei auxilio esse voluerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux, nomine Leutharius, Bucelleni germanus, dum multa onustus præda repedare festinat ad propria, inter Veronam ac Tridentum juxta lacum Benacum propria morte defunctus est. Habuit nihilominus Narses certamen adversus Sisuvald, Brentorum regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat, quos secum in Italiam veniens Odoacer adduxerat. Solus quippe Sisuvald de Herulorum gente restiterat. Huic Narses fideliter sibi primum adhærenti multa beneficia contulit. Sed novissime superbe rebellem et regnum dilatare suum per Italiam cupientem bello superior cepit celsaque de trabe suspendit. Hic Narses prius quidem cartularius fuit; deinde propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit. Erat vero vir piissimus, religione catholicus, in pauperes munificus, in recuperandis sanctorum basilicis satis studiosus, vigiliis et orationibus adeo intentus ut magis precibus Deo profusis quam armis victor foret bellicis.

CAPUT XXXV.

De Alboin Longobardorum rege.

In illis diebus, Alboin filius Aldoin Longobardis præfuit. Hic, vivente adhuc genitore, cum Turismodo, Turissendi Gepidarum regis filio, bello conflixit. Et cum summa vi utrinque decerneretur, Alboin Turismodum, spata cervice tenus percussum, ad terram dejecit mortuum. Turbati Gepidi, quod regis filium, per quem maxima ex parte prælium substiterat, interemptum conspiciebant, in fugam versi sunt. At vero Alboin, patrata victoria, ad patrem lætus rediit. Nec multo post ei vita decedenti in regnum substitutus est.

CAPUT XXXVI.

De Cautini facinore et sancti Medardi transitu et sepulcro.

His diebus Cautinus, Arvernæ urbis episcopus rem inauditam fecisse memoratur. Erat in ipsa urbe Anastasius quidam nomine, officio vero presbyter, ingenuus genere. Hunc frequenter pontifex, nunc precibus, nunc minis compellebat ut proprietatem suam, quam per chartas gloriosæ memoriæ Chrotildis reginæ possidebat, cum ipsis chartis ei dono daret. Quo omnibus modis renuente, episcopus a villa ad urbem deductum custodibus legavit inedia afficiendum, ni petita compleret. Sed ille forti animo resistebat, dicens sibi melius esse ad tempus fame affici quam traditis rebus filios exhæredare. Erat apud basilicam Cassii martyris crypta, et in ea sarcophagum cujusdam magni hominis ex Pario marmore factum. In hoc igitur mausoleo, ex jussu episcopi, cum mortuo vivens sepelitur presbyter operiturque lapide, datis custodibus qui eum custodirent. Verum presbytero, tanquam altero Jona, orante ad

Dominum, custodes inebriati vino vertuntur in somnum. Quod ille intelligens, brachiis, quæ tantummodo libera propter magnitudinem sepulcri habebat, operculum ad unam impulit partem reseratoque aliquantulum loculo caput erexit et sic toto pectore aditum egrediendi sibi paravit. Gravabatur autem, ut ipse postmodum asseruit, nimio fetore, qui ex putrefacto emanabat corpore. Itaque sepulcro liber, ad ostium cryptæ properat. Fiebant enim hæc in initio noctis. Quod obseratum inveniens et inter rimas prospiciens, videt hominem cum securi prætereuntem. Hunc leni susurro evocans rogat ut aditum securi reseret. Quo impetrato, presbyter progreditur liber, rogans virum ne de se cuiquam indicaret, ac demum ad domum suam indeque ad regem Clotarium properat. Cui cum causam enarrasset suam, rege ac optimatibus dicentibus quod nec Herodis vel Neronis tempore talia fuerunt gesta, jubetur adduci episcopus. Qui dum istud se jussisse negaret, a presbytero convictus confususque abscessit. Presbyter vero res suas tenuit. Quo tempore, beatus Medardus Vermandensis episcopus, plenus virtutibus, migravit ad Dominum. Cujus corpus Clotarius rex honorificentissimo recondidit mausoleo.

CAPUT XXXVII.

De Clotarii regis donationibus, et piis operibus, obitu ac hæredibus.

Idem vero inclytus rex Francorum Clotarius, ad suffragia egregii confessoris Martini in tutelam sibi exposcenda, Turónis abiit. Multus ibi pro sua salute suorumque peccaminum abolitione Domini ac sanctorum ejus precator et clarissimis donis eidem sacro loco regia liberalitate impartitis, in ditandis et aliis cœnobiis sanctorum munificentissimus exstitit. Indeque venationis gratia exercendæ, cujus studiosos fore Francos supra meminimus, Cociam silvam ingressus, dum supra vires corporis, quod senectus debilitaverat, indulget exercitationi, animo validior quam corpore, comminuit omnem suæ vigorem salutis ægritudinemque contraxit gravem. Febris erat vehemens, continui ac sine ulla intermissione viscerum dolores. Dum cruciatur atque alternis vicibus, nunc frigus, nunc calor membra exagitant, inter ægra suspiria quæ mens extorquebat sibi male conscia hæc iterabat verba : « Vua, vua, quam magnus est Rex ille cœlestis, qui sic humiliat sublimes terræ reges. Iste cum sit immortalis, melior est quovis orbis terrarum principe mortali. Quod si melior, et potentior : et si potentior, ergo et misericordiæ largitor. Qui non, ut multi hominum, mortibus delectatur reorum; sed misericors ac miserator pœnitentiam amplectitur peccatorum. Illius igitur clementiæ munus totis est exoptandum affectibus deque ejus miseratione nunquam desperandum. » Inter hos atque hujusmodi sermones finem imperii edidit, corpus terræ, regnum filiis derelinquens, per quinquaginta et unum annos potestate functus, perpetua ac semper in majus augmentata. Filiis regni hæredibus hujusmodi vocabula : primus, Cherebertus; sequens, Guntrannus; tertius, Chilpericus; quartus, Sigebertus, vocati. Sepultusque est in basilica Sancti Medardi, ut ipse jusserat; quæ triginta et eo amplius millibus ab eo loco, in quo finem vitæ invenit, aberat, magno obsequio per tantum spatii deductus filiorum, seu etiam psallentium clericorum.

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De Chilperici regis cum fratribus disceptatione super hæreditate paterna.

Sepulto Clotario, varia est inter filios ejus sorte regnatum. Siquidem Chilpericus (cui inter fratres mens promptior) non contentus cum cæteris partem ponere fratribus, thesauros patris Parisiaca in urbe reconditos rapit, ac Francis (quos avidiores fore pecuniæ persensit) pretio sollicitatis, apud eos regnum arripuit. Verum conjuncti fratres improvida irruptione eum a civitate deturbavere. Dehinc conditionibus pacis consentientem evocant totumque regni corpus quadripartita sectione ex æquo bi quatuor fratres partiuntur. Et Chereberto quidem, qui et Aribertus dictus est, Parisiorum urbs, quondam Childeberti, sorte provenit; Guntranno Aurelianensis, regnum videlicet Clodomiri; Chilperico Suessionensis assignatur civitas, caput et ipsa regni paterni; Sigeberto autem Mediomatricum, quæ et Metis, cessit, Theodorici patrui quondam subjecta dominatui. Urbs famosa et inclyta, ac ideo inter cæteras urbes Galliæ haud mediocri semper habita loco. De qua quid in veterum reperimus libris, paululum intermissa re cœpta, in medium proferamus. Cum gens Vandalorum junctis sibi Suevis et Alanis Gallias depopulatum ire destinavisset, Chroco rege ipsorum a matre sua quærenti quid faciendo Magni nomen obtineret, illa ad eum : « Si, inquit, fili, famosus in orbe esse cupis, magnarum ædificia ædium a majoribus exstructa destrue egregiasque urbes destruens eorum incolas gladio exstingue. Neque enim meliora prioribus potes condere habitacula aut bellando nominis tui gloriam amplius propagare. » Cujus ille responsi non segnis exsecutor exstitit ac si divino oraculo non hominis voce dictum fuisset. Nam apud Maguntiam ponte Rhenum transiens, primo ipsam urbem miserabiliter delevit ac demum cursum itineris Metis deflexit. Cujus muri, nocte quæ diem adventus ejus præcedebat, divino nutu sponte ruentes, viam irrupturis aperuerunt. Incertum utrum hanc divina indignatio flagitiosis et impœnitentibus invexerit calamitatem civibus, an

forte ut infandissimi homicidæ justa accelleraretur perditio, quo cœlestia autumans opitulari sibi suffragia eo contenderet ubi nefandi ausus merita lueret supplicia. Civibus denique Metensibus usque ad internecionem pene pessundatis, Treviris properat. Treverici in arenis civitatis præsidio locato, conatibus ejus restiterunt. Chrocus Treviris infecto negotio, Arelas expugnare nisus, a quodam milite, Mario nomine, captus, per civitates quas everterat ductus, pœnis excruciatus interiit. Sed de his satis dictum.

CAPUT II.

De Chereberto, qui et Aribertus dictus est.

Cherebertus, qui et Aribertus, rex Parisiorum, Ingobergam duxit uxorem. Huic erant ancillulæ duæ. Nomen uni Marcovefa, altera vocabatur Merofidis. Harum amore rex ita deperire cœpit ut uxorem ejiceret Ingobergam, et eas ambas in locum ejus substitueret. Pro qua re a beato Germano, præfatæ urbis episcopo, increpatus, nec correctus, utrasque cum filio, quem ei una earum genuerat, divinitus percussas se perdidisse indoluit. Ipse quoque, non post multum temporis, in Aquitania apud castrum Blavia vitæ finem sortitus, in basilica sancti Romani est sepultus.

CAPUT III.

De Guntranni liberis et gestis.

Guntrannus autem quatuor filios ex diversis habuit concubinis, quarum nomina recensere supersedi, maxime cum nec ei legitimo fuerint copulatæ conjugio et, eo adhuc superstite, cum suscepta prole terminum sortitæ sint vitæ. Fuit sane idem rex summe bonus, pacis æquique servantissimus; hoc solum tanti gloriam viri obnubilante facto quod, lenociniis delinitus meretricum, licitum refutavit matrimonium. Hic quadam die venatum in silvam profectus, sociis, prout res exposcebat, huc illucque dispersis, ipse cum uno suorum fidissimo fidelium sub arbore quieturus resedit, positoque in familiaris amici gremio capite, oculos cupiens furari labori, obdormivit. Et ecce ex ore quiescentis regis, in modum reptilis, animal egressum, oras propter labentis rivuli percursare ac ut in ulteriorem ripam transiret satagere cœpit. Quod cernens ille, super cujus genua rex cervicem inclinaverat suam, gladium vagina nudatum fluviolo superposuit, et sic animal illud ad alteram transmeavit partem. Atque sub radice cujusdam montis ingressum, post aliquot rediit horarum spatium, et eodem ponte usum in os Guntranni est ingressum. Exsurrexit rex, et familiari narrans somnium, mirabilem se dixit vidisse visum, inquiens : « Conspexi fluvium permaximum ponte ferreo constratum. Per quem transvectus, speluncam in cujusdam montis radice constitutam sum ingressus. Inibi inæstimabiles thesauros absconditamque veterum reperi gazam patrum. » Refert alter quid de eo et ipse intuitus sit, consonaque sibi apparuerunt somnii verba ac visio manifesta. Quid plura? effossus est locus, enormeque auri ac argenti inventum pondus. De quo Guntrannus cibo-

A rium, miræ magnitudinis simul et pulchritudinis compactum, Hierosolymam mittere destinavit ad Jesu Christi Domini sepulcrum. Sed cum et itineris difficultas et Sarracenorum qui eadem infestabant loca timor ne vota perficeret obstitissent, in Basilica quæ Cabilonensi adjacet civitati, cujus condendæ ipse actor exstiterat, super sepulcrum sancti Marcelli poni jussit. Quod quandiu tumulum sancti martyris durando venustavit, nullum in tota Gallia opus, quod ei æquipararetur, potuit inveniri.

CAPUT IV.

De Sigeberti conjugio cum Bruna Gothorum regis filia.

Porro Sigebertus, cognito quod fratres ob infausta conjugia gravi subjacerent opprobrio, Gogonem legatum in Hispaniam ad Athanahildum regem Gothorum, qui exercitum imperatoris ab Hispania expulerat, mittit petitum filiæ illius, Brunæ nomine, nuptias. Quam ille a patre cum multis sibi traditam opibus ad Sigebertum perducit. Sigebertus eam, eo quod Arianæ dedita esset hæresi, a catholicis baptizari Brunichildemque vocari præcipiens ac fide instrui orthodoxa, cum magno apparatu epularum duxit uxorem. Hæc ut in regnum confirmata est, Gogonem, qui se ab Hispaniis abduxerat, invisum regni Sigeberto fecit. Huic denique Gogoni, cum in infantia Sigeberti omnes Franci de regno ejus Chrodinum majorem domus elegissent, virum probum ac timoris Dei plenum, ille oblato cessit honore, regem allocutus in hæc verba : « Omnes, inquit, Franciæ potentes consanguinitatis mihi jure fœderantur, nec valeo jurgia eorum portare, dum quisque, mea fretus propinquitate, eo ad nocendum alteri efficiatur promptior quo mei censuram judicii non pertimescit, quasi affinitate propinquior. Sed bonum esse asseritis, æquitatis intuitu, etiam parentes punire. Quis hoc abnegat? Verum perpeti infamia denotantur vel Torquatus, filium pro contempto suo præcepto securi percutiens, vel Brutus, duos pro patriæ libertate ex se natos pari modo perimens. Adeo ut præcipuus poetarum de eo ita scripserit :

Infelix, utcunque ferent ea facta nepotes.
(Virg. *Æneid.* lib. VI)

Sed esto, sit melius pro misericordia quam pro crudelitate argui. Ut quid autem frustra improbis misericordia impenditur, dum indulta venia insolentiores ad exercenda passim vitia efficiantur? Non mihi ergo contingat, propter transitoriam eorum gratiam, æternæ damnationis subire sententiam. » Post hæc verba, rege cunctisque optimatibus in ejus arbitrii dispositione electionem tantæ successionis ponentibus, ipse eo quidem die siluit. Diluculo vero subsequentis diei matutinus consurgens, ad domum Gogonis cum quibusdam palatii primatibus properat. Et brachium ejus collo superponens suo, signum futuræ dominationis dedit eique dixit : « Dominus noster rex Sigebertus cœtusque reipublicæ nostræ comitem me destinaverant fore domus regiæ. Hoc ego nunc tibi cedo munere. Utere felix meo privilegio, quo me sponte carere profiteor. » Hujus exem-

plum cæteri qui aderant proceres secuti, Gogonem majorem domus acclamaverunt. Strenuus in gerendo principatu Gogo eo usque est habitus donec Brunichildem de Hispania arcessire est jussus. Ille dies mortis Gogoni fuit, cui expedierat exsilio mutasse sedes, antequam hanc omni bellua crudeliorem in cervicibus locandam aveheret suis. Namque Brunichildis, ut prælibatum est, regio potita conjugio, animum regis ab eo alienans, ad postremum jugulare coegit. A qua tantum humani sanguinis effusum, tantæ cædes actæ potentum seu etiam regum in Francorum regno sunt, ut non immerito sibyllam ante multa sæcula de ea vaticinasse sit creditum. « Veniet, ait, Bruna de partibus Hispaniæ, ante cujus conspectum gentes, sive gentium reges, peribunt. Ipsa vero calcibus equorum disrupta peribit. »

CAPUT V.

De Chilperici mulierosi novis nuptiis.

Chilpericus quoque rex, æmulatus et ipse fratrem, cum plurimo præter regium morem feminarum valla retur grege, quæ regi propter decorem magis quam propter nobilitatem generis copulabantur, dirigit qui Brunichildis sororem natu majorem a patre Athanahildo petant, ac vice sua spondeant se, si ejus potiundæ facultas detur, cæteras abdicaturum conjuges. Quorum verbis Athanahildus credulus filiam, Galsontam nomine, ad Chilpericum destinat, magna ditatam dote. Quæ catholico baptismate..... (4) magis consecrata, regi toro nuptiali est conjuncta. Legatis sane Athanahildi regis quærentibus ut tactis sanctorum pignoribus fides firmaretur quod Galsonta in vita sua sollo regni non pelleretur, Chilpericus non abnuit. Præbitis sacramentis pactaque pace, eos ad propria sinit abire. Sed, ut erat animo levis, jura prævaricatus est pactionis. Nam Fredegundis, conjux quondam vocata Chilperici regis, offensa novæ nuptæ aspectibus invisis, exigui prope temporis intervallo tantum adulandi arte prævaluit ut se conjugio regis redderet. Inde ad audenda majora protervia muliebri elata, domina se omnibus qui in aula erant regia præferebat, contumeliisque afficere Galsontam Athanahildi regis filiam non cessabat. Illa marito de injuriis questa, ab eo qui omnem jam circa eamdem imminuerat affectum, verbis blandioribus deludebatur. Denique feralibus furiis exagitatus, instigante Fredegunde, eam in stratu quiescentem crudelissime strangulavit. Immane facinus nullique antea cognitum tyranno, ac Franco homini, maxime regi! Penitus incongruum conjugem innocuam, et quam ab hostibus raptam vindicari ferro, aut mortem pro ea appetere decuerit, hanc securam, in communi toro cubantem, suffocare non erubuisse! Demens, qui illius meretriculæ persuasionibus tantum connubii violarit decus, cujus fraude in proximo erat ipse perimendus. Post transitum sane Galsontæ, magnum virtus divina ad ejus sepulcrum est dignata ostendere miraculum. Nam vitro, in quo ante illud positum oleum accendebatur, in terram decidente, duritia aufugit pavimenti, et sic in terram ac si in modium farinæ est integrum defixum. Non tulerunt fratres tanto scelere maculatum consortem esse suum; sed conjuncti simul regno pellere moliti sunt. Quod consilium, non tam astu Chilperici quam ipsa levitate qua cœptum fuerat, dissipatum est.

CAPUT VI.

De Chilperici filiis et eorum gestis.

Erant Chilperico tres filii, Theodebertus, Meroveus, Clodoveus, ex Audovera regina suscepti. Quam Fredegundis eodem perfidiæ commento qua Galsontam hac de causa pepulit : Chilpericus, cum fratre Sigeberto expeditionem in Saxones agens, Audoveram reginam domi reliquerat alvo gravidam. Cui Fredegundis, utpote ancilla ex ejus orta familia, ad cuncta deserviebat vitæ necessaria. Hæc hortatur dominam ut natam puellam perducat ad baptismi gratiam, quo rex adveniens gratuletur non solum natam sibi esse filiam, sed etiam in Christo renatam. Paret mulier suadenti meretriculæ eo attentius quo autumabat eam sibi bona consulta dare. Quærenti deinde matronam quæ puellam susciperet post sacri baptismatis undam, respondit non posse inveniri nobiliorem ea, quæ hujus exsequeretur muneris obsequia. His quoque illa credula verbis, efficitur filiæ mater spiritalis. Regredienti post hæc regi it obviam Fredegundis eumque his interpellat verbis : « Quam gloriosus, ait, apparet hodie rex Chilpericus, rediens victor triumphatis hostibus, cui nata est filia, Childechinda, forma egregia corporis? Sed proh dolor! scelus hac nocte a te patrabitur, refugiendum quidem, si vitari posset, ne domina mea Audovera tecum secreta subiret cubiculi silentia. » Hujus novitate sermonis rex stupefactus, causam quæsivit. Cum sileretur, elicuit studio quærendi et motu indignationis. Et comperto indicio, quod ejus commater foret regina ex prole suscepta, Fredegundi in hæc respondit verba : « Si Audoveræ nunc fraudor amplexibus, te sociam asciscam mei stratus. » Et properanti ad aulam occurrit regina, ferens in ulnis parvulam, quam bis (ut ita dicam) generaverat, filiam. Ad quam rex : « Nefandam, inquit, o regina, rem perpetrasti, et regiæ inconvenientem majestati. Nec potero te habere conjugem, cum commatris adepta sis nomen. » Postea episcopo qui puellam baptizaverat in exsilium acto, reginam cum filia sacro adopertas velamine monasterio retrusit, prædia ac facultates eis tribuens. Fredegundem vero sibi copulavit. Incidit ea tempestate necessitas Sigberto regi, fratri Chilperici atque Guntranni, exercitum ductandi adversus Cacanum principem Chunorum; qui confinia regni ejus depopulaturus adventabat. In hoc congressu superior bello factus, ingentes Chunorum strages dedit. Cum reliquis vero pacem firmavit. Cujus absentiam Chilpericus aucupatus, ut se ejus habebat inquietudo morum, dome-

(4) Nomen proprium loci, quod deest in codd. ms.

stica seditione publicam interpolans pacem Francorum, Remis opulentissimam regni ejus urbem improviso impetu occupavit. Super plagam fractus Sigebertus Suessionis et ipse de regno Chilperici pervasit captæque urbis populum imperio suo adjunxit, repertumque Theodebertum, Chilperici filium, custodiæ mancipavit. Quem patri petenti clementissime muneratum postea reddidit, dato prius sacramento ne quid in posterum Theodebertus contra Sigebertum moliretur. Quod, præpediente humani generis inimico, non diu inviolabile permansit. Chilpericus quoque, bello superatus, conditiones pacis amplexus est

CAPUT VII.

De Saxonibus Galliam irrumpentibus a Mummolo repulsis.

Saxones, qui ad Italiam jussu Theodeberti senioris demigraverant, cum conjugibus ac liberis in Gallias prorumpunt. Quibus Mummolus, Guntranni regis patricius, obviam pergens, eos fugaciter Italiam repetere compulit. Sequenti anno iterum Saxones ad Rhodanum usque fluvium Gallias ingressuri accesserunt. Mummolus cum exercitu suo obvius, transitum eis fluminis denegabat. Sed acceptis muneribus, per fines regni quod tuebatur transeundi ad Sigebertum licentiam tribuit. A quo suscepti, jubentur proprias incolere terras. Quo dum tendunt, plurimos negotiatorum in itinere deceperunt, æris laminas quadam arte ad auri optimi atque probati speciem coloratas venundantes aurumque pro pretio earumdem accipientes. Hac de re multi mercatores ad inopiæ malum se devolutos sero doluerunt. Sed Saxones fraudulentiæ suæ pœnas matura ultione luerunt. Nam a Suevis aliisque nationibus, quæ patriam eorum pervaserant, terna acie superati, ad XX millia suorum ferme interemptis, reliqui conditionibus hostium, licet inviti, paruerunt.

CAPUT VIII.

De Justiniano et Justino Augustis.

Justinianus, eo in tempore, postquam triginta tribus annis imperium felici rexit sorte, sceptrum cum corona regni Justino reliquit minori. Fuit autem Justinianus vir fide catholicus, pietate insignis æquitatisque cultor egregius. Ideoque ei omnia cooperabantur in bonum. Qui et bella civilia prospere per varios duces et maxime per Belisarium gessit, et in causis civilibus componendisque legibus mirificus exstitit. Ob causam etiam multimodarum victoriarum, ut Alemannicus, Gothicus, Alanicus, Vandalicus Africanusque diceretur, habere agnomina meruit. Exstruxit quoque idem princeps intra urbem Constantinopolim Christo Deo (qui est sapientia Dei Patris) templum: quod Græco vocabulo Hagiam Sophiam, id est Sanctam Sapientiam nominavit. Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit ut in totis terrarum spatiis huic simile non posse inveniri qui videre testentur.

CAPUT IX.

De Cassiodoro et aliis claris viris.

Hujus temporibus Cassiodorus tam in sæculari quam divina scientia, Dionysius abbas in paschalis calculi argumentatione mirandus, Priscianus Cæsariensis in arte Grammatica, Arator in exarandis apostolorum Actibus arte metrica, claruerunt. Benedictus quoque in cœlesti disciplina placidius cæteris effulsit. Hæc nos studium boni principis, vel eorum qui ejus fuere temporibus, dicere paucis coegerunt. Nunc Narsetis acta succincte perstringamus, ut postmodum continuo ductu inchoatæ percurrat Historiæ ordo.

CAPUT X.

De Narsetis inclytis gestis.

Narses itaque multimodis subjugatarum gloriosus triumphis nationum, civica insignis corona, summæ per Italiam æquitatis exercebat jura. Sed his rebus sibi apud improbos expertus est nocuisse potius invidiam quam apud probos fuisse gratiam. Nam cum pro liberandis civibus mortis se discrimini sæpissime obtulisset, circumpositarum vero gentium in se odia excitavisset, tanta a Romanis pertulit ut plus post bellum a suis quam in ipso bello ab hostibus periculi in sese expertus sit. Impleveruntque Romani facinus exsecrandum ut quem protectorem suæ salutis habuerant eum ante tribunal judicis etiam absentem accusare non erubescerent. Nec novum apud eos hoc genus flagitii fuit. Quippe Scipio major quondam Africanus devictæ Carthaginis nobilitatus tropæis, ab ingrata sibi urbe Roma diu exsulans, in agris suis morbo simul et tristitia defecit. Alter quoque Africanus Scipio, superioris haud ignobile genus Scipionis, post perdomitam Libyam causam adversus accusantes in senatu dicere coactus quod sibi pro patria laboranti ab improbis et ingratis denuntiari cognovisset, medio subsequentis noctis tempore, ab æmulis in cubiculo necatus est. Simili modo contra hunc Narsetem relatio Romanorum ad Justinum cucurrit principem ac ejus conjugem Sophiam, querelantium nihil sibi collatum libertatis devictis Gothis, quibus tetrior supersit dominus, eunuchus scilicet Narses. Quibus cognitis, Cæsar ira exardescens successorem Narseti Longinum direxit præfectum. Quod ubi Narses agnovit, ita dixisse fertur : « Si male, inquit, egi cum Romanis, digna factis recipiam meis. Si vero bona, et si reddere volunt similia, ut quid calumniantur, suentes capiti meo falsa testimonia? » Tanta autem indignatio, præcipue Augustæ, adversus Narsetem excitata est ut inter cætera (quia eunuchus erat), injurioso satis sermone mandaret, debere eum in gynæceo feminarum pensam dividere lanarum, non consulatum tenere Romanum. Ad hæc Narses : « Filum, ait, filabo, quo talis ordietur tela, quam Justinus et Sophia nequeant in omni sua rescindere « vita.

Nec promissa moratus, ad Aiboin regem Longobardorum mittit, qui Pannoniæ paupertina rura deserere, et ad Italiam solo uberem eum hortarentur transire. Qui monita non aspernatus, cum cuncto suo populo eorumque supellectili Hesperiam properat. Narses autem urbe Romana relicta, Neapolim venit. Quem subsecutus papa Joannes, qui Pelagio successerat, Romam redire rogavit. Quo impetrato, utrique regressi sunt. Et sanctissimus quidem Joannes non diu supervixit. Narses vero post aliquantum temporis defunctus est, corpusque ejus in loculo plumbeo positum Constantinopolim cum omnibus thesauris ejus est delatum. Sed, ut promissa solvamus, Historiæ est ordo repetendus.

CAPUT XI.

De Chunis seu Avaribus Galliam invadentibus.

Chuni, qui et Avares, rupto fœdere quod cum rege Francorum Sigeberto pepigerant, in imparatam se Galliam infundunt. Quos cum ille congregato exercitu bello excipere destinavisset, Chuni magicis artibus, priusquam ad manus veniretur, quibusdam phantasmatibus Francos perterrefactos fugere compulerunt. Rex ipse, frustra resistere conatus, capitur. Sed prudentiæ suæ astu oblatis muneribus honorifice ad suos redire permissus, pacem cum Chunis in reliquum stabilem firmavit. Nec prætulit mortis compendium saluti, condemnans in hoc facto pravum Crassi Romani, quondam consulis, consilium, qui, ut dedecus servitutis evaderet, non pretium hostibus, sed sibi interitum paravit. Nam, dum forte contra Thraces pugnans, cæsis suorum millibus in potestatem hostium devenisset, ne ludibrium inimicis foret, virgam, qua ad stimulandum equum utebatur, in oculum Thracis se tenentis impegit. Barbarus, dolore iraque percitus, latus Crassi gladio transverberavit. Sicque vir magni nominis simul et fortitudinis, dum devitat quod fortuito casu sive beneficio hostis etiam posset evadere, incidit in mortem quam illatam nec volens adversarius potest avertere.

CAPUT XII.

De Clodovei gestis, et Guntranni.

Eo tempore Clodoveus, Chilperici filius, Burdegalensem (quæ ad regnum Sigeberti pertinebat) urbem invasit. Super quem Sigulfus dux partium Sigeberti irruens, eum exinde expulit, ac veluti cervum præ se ageret, ad propria festine regredientem, buccinis insonando, usque ad refugia Parisiacæ civitatis insectatus est. Quo comperto, Chilpericus Theodebertum alterum ex filiis, qui Sigeberto pridem juraverat nullatenus se ei nociturum, in Neustriam ad occupandas urbes quæ fratri subjectæ erant mittit. Theodebertus, nonnullis urbibus subactis, tributa Turonensibus, Pictavis, Caturcensibus, Lemovicinis jure victoriæ ascribit, pervagatusque Aquitanicam provinciam, monasteria servorum seu ancillarum Dei direptionibus vastans, monachos sive clericos tormentis, sanctimoniales vero turpibus dehonestamentis affecit. Denique ad monasterium Sancti Martini, quod Lata dicitur, dum quidam hostilis agminis tenderent vellentque fluvium qui interfluebat transire, clamaverunt monachi, dicentes : « Nolite, o barbari, nolite huic cœnobio Sancti Martini injurias inferre. » Hoc audito, quidam redierunt compuncti corde retrorsum. Viginti tamen ex ipsis ascensa navi flumen transeuntes, cæsis monachis, monasterium infringunt resque diripiunt factisque sarcinis navim repetunt. Sed non defuit beati confessoris virtus. Nam ingressi alveum, amissis remis, dum hastilibus navim impellunt, illa sub pedibus mersa est. Ipsi vero, lanceis confixi suis, in profundum delabuntur, uno tantum superstite qui hæc eos deserere hortabatur. Monachi vero eos resque suas aquis eripiunt, ipsos sepulturæ, res autem monasterio inferentes. Talisque tunc Theodebertus Aquitanicis visus et Christianis, qualis quondam Diocletianus catholicis in toto orbe constitutis. Congressu Pictavis adversus Gundoaldum ducem habito, universas pene ejus copias delevit. Nec Chilpericus quievit, qui fratri Sigeberto ludibrio suos fuisse exercitus indignabatur. Non contentus enim filii triumpho, cum magna et ipse veniens manu Campaniam depopulatus est Remensem. Sigebertus tamen non usquequaque otiosus fuit, nec multa diu regni sui passus dispendia est. Nam, insidiis opportune locatis, omnem exercitum Theodeberti cum ipso attrivit. Qui, dum evadere nititur, a cohorte regia oppressus occiditur. Corpus ejus ab Arnulpho duce collectum et ad Engolismam delatum, ibidem est humatum. Deinde, congregatis superioribus Francis Austrasiis, collecto etiam sociorum adjumento, contra fratrem aciem dirigit. Sed intercurrentibus legatis, pax convenit. Inde e communi consensu expeditionem in Guntrannum suum fratrem Burgundiæ regem agunt. Sigebertus Arvernis civibus mandat Arelas ex insperato invadant. Quo præcognito, Guntrannus per internuntios Arelatenses de adventu hostium certos facit. Illi, præoccupatis insidiarum locis duce Celso, eos qui se interfectum venerant interficiunt. Guntrannus quoque, contractis undecunque viribus, obviam parat ire fratribus. Cumque castra in loco qui Viriacus dicitur fixisset, residente Sigeberto apud Archiacum, Chilperico identidem eo loci quo duodecim pontes Sequanæ superimpositi fuisse referuntur, mediantibus optimis quibusque prudentia viris quibus moris est semper regibus præbere consilia, hi tres fratres in unum coeunt fœdus. Trecas deinde in oratorio Sancti Lupi dextras jungentes, Sigebertus cum Chilperico, jusjurandum Guntranno præbuerunt nil se ulterius adversus eum hostiliter acturos. Eadem eis etiam Guntrannus visus et sacramenta dedisse. Inde cum gratia discessum est; et se invicem salutantes, Guntrannus ad propria, Sigebertus atque Chilpericus ad castra redeunt.

Tunc Austrasii jurgari contra Sigebertum cœpere, promissa sibi flagitantes solvi, qui se meminissent spe hostilis prædæ ad belli societatem sollicitatos :

oportere eum aut ex proprio stipendia illis largiri, aut publicum demonstrare cujus rebus ditentur adversarium ; se interim, dum reges inter se pacem venditant aut inimicitias, quasi mercenarios, haberi queruntur, ad pericula primos, ad honorem vel præmia ultimos. Nec contra Guntrannum se querelam cujuslibet offensionis prætendere velle fatentur, cum quo Sigebertus justæ firmarit fœdera pactionis, sed in Chilpericum veteris inimicitiæ recordatione cunctorum odia exardescere. Illum esse ex multis unum, cujus vita ingrata, mors foret omnibus grata. His igitur suorum persuasionibus coactus Sigebertus, fratrem persequi statuit ; qui, nil tale metuens, majorem exercitus partem ad hiberna dimiserat. Ipse, accepto fraternæ insectationis nuntio, cum paucis equitibus Tornacum urbem confugit. Quem subsequens Sigebertus Parisiorum ingressus est urbem. Cui occurrens sanctus Germanus pontifex : « Si, inquit, fraternum cruentus cupis effundere sanguinem, juxta Psalmistæ vocem, eam quam fratri paras foveam tibi experieris paratam, fratricidæque non privaberis vocabulo, cum voluntas ipsa non careat supplicio. » Hæc ille quasi ab episcopo partibus fratris favente dicta aspernatus, cogitabat cœpta perficere. Et veniens in villam, cui vocabulum est Victoriacus [*al.*, Victoria], offendit ibi validam de regno Chilperici manum Neustrasiorum specie se ei tradere volentium. Qui, viso rege, certatim ad eum venientes, ditioni se ejus subdunt. Nec quilibet ducum aut procerum regni Francorum cum Chilperico relictus est, excepto Ansoaldo ; qui fortunam regis etiam in adversis maluit non deserere quam promissam violando fidem proditor esse vel dici. Tantis igitur Sigebertus vallatus militum catervis, cunctas urbes regni Chilperici imperio suo adjunxit. Inde progressus in urbem, cui Tornacum nomen est, fratrem obsidione cinxit. Qui se urgeri conspiciens hærebat consilii incertus qua via conjugem ac filios, quos secum ibidem adveniens deduxerat, periculo eximeret. Sed mulier, artibus viro longe callidior, duos subornat viros, quibus audacia contemptum mortis invexerat. Hos hortatur monetque Sigebertum adeant eumque, se ut Dominum adorare simulantes, interimant. Quod si efficiant, evadentibus præmia, interemptis vero condignam sepulturam, eleemosynasque ad loca sanctorum pro oblatione tanti facinoris se præbituram spondet. Illi nihil morati præcepto satisfaciunt, ac urbem egressi ad castra progrediuntur hostium. Nihil viris audacius, nil terribilius eo bello in hostem ex urbe processit. In medium namque adversariorum prorumpentes non trepidaverunt, non retractaverunt ; sed tanquam familiarium suorum consortiis immorarentur, non ante remeandum putarunt quam circumventum a lateribus regem, cultellis latera fodientes, nefandissimæ neci traderent. Clamor illico universorum luctusque totis oritur castris, ut palam daretur intelligi regem oppetiisse Sigebertum. Impetu itaque facto in homicidas irruunt, levique negotio membratim sectos duos delent viros. Chilpericus dum egredi formidaret et quid accidisset ignoraret, accedente ad se conjuge Fredegunde, interiisse fratrem ut comperit, ad spem vitæ et salutis animum quasi ab inferis reduxit. In crastinum egressus urbem, redeuntibus in gratiam Neustrasiis, qui ad Sigebertum ab eo desciverant, corpus fratris in villa, cui Lambrus nomen est, sepeliri mandavit. Quod postmodum a fidelibus oblatum, et in ecclesia Sancti Medardi Suessionis juxta patrem Clotarium est humatum. Regnavit autem annis XIII.

CAPUT XIII.

De Fortunato episcopo et ejus scientia.

Ejus tempore Fortunatus, qui in rhetorica metricaque arte famosus habebatur, ab Hesperia in Gallias transiens, Pictavis episcopus ordinatur. Hic multorum vitas passionesve sanctorum, partim prosa, partim metro composuit. Ad amicos quoque singula disticha elegans orator conscripsit. Unde præfato regi elegiacum misit carmen, congratulans ei in nuptiis Brunichildis. Quod equidem ego, cum sors librum ad diversos ab eo sibi familiares conscriptum manibus intulisset meis, legi atque in eo facunditatem viri, dulcemque affabilitatem satis admiratus sum.

CAPUT XIV.

De Brunichildis in conservanda prole solertia.

Interfecto autem hoc modo Sigeberto, mutatio facta est, multis familiarium ejus amicitiam Chilperici expetentibus. Porro Brunichildis, quam Sigebertus, dum a pervasione urbium rediret fraternarum, Parisius sibi occurrere imperat, in eadem degens civitate, nece viri comperta, fluctuabat animo qualiter se suamque prolem ab imminenti liberaret interitu. Tunc Gundoaldus dux arreptum puerum, Childebertum nomine, per fenestram in sporta depositum cuidam fidelium suorum tradit, ut eum Metis exhiberet. Quem inibi perductum, adnitente Gundoaldo, de quo præmisimus, universi Austrasii in regnum sublimant patris. Brunichildem onere filii levatam altera invadit cura. Nam sibimet timenti nec somnus oculis, nec animo quies dabatur. Cui etsi voluntas discedendi erat, facultas deerat. Tantis ergo pressa sollicitudinibus, a superveniente Chilperico Rothomagum in exsilium truditur. Thesauri ejus opibus Chilperici sociati ; filiæ Meldis ad custodiendum missæ sunt.

CAPUT XV.

De Merovei et aliorum regum gestis.

Meroveus etiam missus a patre Chilperico, ut civitates, quæ flumini Ligeris adjacent, ad suam transduceret partem, postposito patris præcepto, Cenomannis contendit, ac si matrem suam Andoveram, quæ ibidem exsulabat, visitaturus. Inde Rothomagum transiens, ad Brunichildem venit, eamque in conjugium accepit. Non tulit hoc Chilpericus pater ; sed eos ab invicem dissociare volens, Rothomagum usque accessit. Cujus illi declinantes præsentiam,

basilicam sancti Martini super muros præfatæ urbis ligneis constructam tabulis sunt ingressi. Irritaque fuissent Chilperici tentamentorum exordia, nisi sacramento spopondisset : Se eos minime separaturum, imo permittente Deo magis copulaturum. Quo illi credentes, ad eum progressi, et ab eo apparatioribus epulis per biduum sunt suscepti. Tertio die profectus secum abducit filium, parvipendens quod dederat jusjurandum. Morum egregius censor, qui illicitum in filio damnaret matrimonium nec futurum pro perjurio super se Dei pertimesceret judicium. Verum ille plus metuebat versuta Brunichildis ingenia, ne filium imbueret perfidia, quam indignaretur pro divinæ legis illata injuria.

Revertenti inde nuntiatur proceres Campaniæ Remensis Suessionensem sibi præripuisse urbem. Qui continuo, raptis copiis, eosdem acie superans multos nobilium interemit captamque civitatem juri suo restituit. Clodoveum vero filium Turonis dirigit, ut et Petrogoricum Aginnensemque pagum sibi subjiciat edicit, juncto ei duce Desiderio, ut ejus frueretur in cunctis incommoditatibus subsidio. Quos Mummolus, Guntranni patricius, obviam cum exercitu progressus, devicit fugavitque non sine maximo suorum detrimento. Nam de exercitu ejus quinquaginta millia sunt cæsa, cum a parte hostium, licet devictorum, non nisi viginti millia sint prostrata. Exinde Chilpericus filium Meroveum, suspectum doli, quod partes Brunichildis fulciret, instigante noverca Fredegunde, coma attonsum ac in monasterio Anisolæ detrusum, jussit ordinari presbyterum.

CAPUT XVI.

De divi Germani episcopi transitu, sanctitate et miraculis.

Eodem tempore sanctissimus et vere Deo dignus Germanus, Parisiorum episcopus, migravit ad Dominum. Cujus corpus in oratorio Sancti Vincentii est sepultum. Quid autem Fortunatus de hoc beatissimo scripserit viro, non prætermittam. Quadam, inquit, vice præcellentissimus rex, Childebertus senior, cum ei direxisset sex millia solidorum pauperibus eroganda, expendens tria millia revertitur ad palatium. Interrogatusque a rege si adhuc residerent quod tribueret, respondit medietatem resedisse nec invenisse inopes quibus totum expenderet. Cui rex : « Domine, inquit, dona quod restitit. Nam, Christo largiente, quod donetur non deficit. » Incidens namque rex aurea missoria, et argentea comminuens vasa, quidquid primum habebat dabat sacerdoti ne perderet. Erat ergo exspectanda contentio inter sacerdotem et principem. Faciebant apud se de misericordia pugnam et de pietate certamen, thesauros ut spargerent ac de suis talentis egeni ditescerent. Denique, alia vice, cum aptus ad sedendum sacerdoti requireretur equus, rex ei suum tribuit, rogans ut sibi eum retineret. Interim beatus vir postulanti captivo equum donat interdictum, quoniam apud ipsum plus fuit, quam illa regis, vox pauperis.

Tunc quoque Chilpericus legationem suscepit Childeberti junioris, nepotis sui, petentis matrem suam sibi reddi Brunichildem. Cujus ille non aspernatus preces, eam cum munere pacis poscenti remisit filio.

CAPUT XVII.

De regum Hispanorum rebus.

Athanahildo autem rege Hispaniæ defuncto, Leuva cum Levigildo fratre regnum assumunt. Mortuo Leuva, Levigildus integrum Hispaniæ regnum tenuit, habens Gadsuindam matrem Brunichildis uxorem. Apud Longobardos Alboin, de quo præmisimus, regnabat. Qui maxima ex parte Italiæ urbibus potitus, suos in eis statuit ; Romanos, quos vel maxime adversarios patiebatur, expulit. Hic civitatem, cui Ticinum nomen est, quæ alio vocabulo Papia dicitur, per tres annos obsidens, tandem cepit. Cujus cum incolas, utpote paganus, quia Christianos esse cognoverat, gladio ferire destinavisset, equus ejus in medio portæ corruit. Qui calcaribus impulsus, fustibus cæsus, nullo modo adigi poterat ad surgendum. Tandem suggerentibus suis in religionem rex conversus, fregit quod de nece Christianorum voverat votum. Huic fuit nupta Clodsinda Clotari Francorum regis filia. Qua defuncta, Rosemundam Chunimundi Gepidorum regis natam accepit conjugem ; cujus ipse dudum interfecerat patrem. A qua, cum tribus et eo amplius annis in Italia super Longobardos regnasset, in vindictam paternæ necis dolorosissima interemptus est morte. Et vir bellicosissimus summæque audaciæ, unius mulierculæ consilio periit ; qui per tot hostium strages bello famosissimus exstitit. Et illa quidem tantæ immanitatis debita luit maturato supplicia. Nam dum corruptori suo, Helmechis nomine, quem ipsa in necem regis armaverat, postmodum e balneo egredienti veneni poculum, quod salutare asserebat esse, porrexisset, ille agnito mortiferum haustum se bibisse, evaginato gladio eam quod reliquum erat bibere coegit. Sicque nefandissimi homicidæ justæ factorum suorum subjacuere vindictæ. At vero post Alboin, cum Cleph nobilissimus Longobardorum, anno uno et sex mensibus, tenuisset principatum, denuo duces in Longobardorum gente decennio creati sunt. Et unusquisque ducum suam regebat civitatem. E quibus aliquanti Gallias prædandi cupidine petentes, apud Provinciam cum Amato patricio, qui regi parebat Guntranno, bello confligunt. Factaque de Burgundionibus maxima strage, ipsum ducem interemerunt. Quod Guntrannus audiens, evocato ad se Mummolo spectatæ virtutis viro, patriciatus ei indixit curam. Prorumpentibus iterum in Gallias Longobardis, Mummolus cum valida Burgundionum manu occurrit. Qui, duobus præliis hostibus usque ad supremum labefactatis, reliquos fugaciter in Italiam redire compulit. Nec ultra adjecerunt animum Longobardi ut ad Gallias transirent. Nam Mummolus post tergum eorum Francorum dirigens exercitum, Anaguis ca-

strum, in finibus Italiæ situm, debellavit et cepit. Quam ob causam, comes Longobardorum Ragilo, Anagnis veniens, deprædatus est, et ad sua reverti festinans, ab obvio sibi duce Francorum, Chrannichis nomine, perimitur.

CAPUT XVIII.

De Justini minoris gestis.

Per hæc tempora apud Constantinopolim, ut supra præmisimus, Justinus minor regnabat, in tantum avaritiæ deditus ut arcas ferreas fieri juberet, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. Hic cum a divinis mandatis aurem cordis averteret, justo Dei judicio amens effectus est. Post hæc Tyberium Cæsarem adscivit, qui ejus imperium gubernaret, hominem justum, utilem, eleemosynarium, sapientem, in judiciis æquum, in victoriis clarum et (quod his omnibus supereminet) verissimum Christianum. Igitur Justinus cum undecim imperasset annis, amentiam tandem, quam incurrerat, cum vita finivit. Bella sane, quæ per Narsetem patricium Gothis vel Francis illata superius per anticipationem diximus, Justiniani quidem temporibus cœpta, sed sub Justino terminata sunt.

CAPUT XIX.

De Tiberio Constantino et ejus imperio.

Mortuo Justino, Tiberius Constantinus Romanorum regum quinquagesimus sumpsit imperium. Hic, ut superius diximus, sub Justino adhuc Cæsar cum rempublicam regeret et multas egenis eleemosynas erogaret, magnam ei Dominus auri copiam subministravit. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, Dominicæ crucis vexillo insignitam, et ait : « Crucem Domini, qua pectus frontemque munire debemus, indignis ut quid pedibus conculcamus? » Et simul cum verbo jussit eamdem tabulam auferri a pavimento. Qua amota, reperiunt et aliam simili signaculo expressam. Post hanc quoque reperiunt et tertiam. Quibus ablatis, inæstimabilis diuque occultatus in lucem profertur thesaurus. Quem Tiberius, juxta consuetum sibi morem, pauperibus erogavit. Narsetis quoque thesaurum in quadam Italiæ urbe terra defossum, quodam decrepito indicante sene inventum, in simile distribuit opus. Sophia vero Augusta, immemor promissionis quam Tiberio fecerat, eum ab imperio removere Justinianumque Justini nepotem substituere moliebatur. Quod Imperator agnoscens Augustam custodiæ mancipavit; Justinianum verbis objurgatum blandioribus tanto in posterum amore dilexit ut filiam suam filio ejus promitteret ac filio suo filiam ejus sociandam exposceret. Sed hæc res qua de causa incertum est cur non pervenit ad effectum. Ad hunc Chilpericus, rex Francorum, suos dirigens legatos, multa ab eo ornamenta, aureos etiam singularum suscepit librarum, habentes ab una parte effigiem imperatoris et in circulo scriptum : TIBERII CONSTANTINI PERPETUI AUGUSTI; ab alio vero quadrigam ac ascensorem continentesque scriptum : GLORIA ROMANORUM. Hujus exercitus ab eo missus Persas potentissime debellavit, victorque regrediens tantam prædæ molem cum viginti pariter elephantis abduxit ut humanæ crederetur posse sufficere cupiditati.

CAPUT XX.

De Britannorum rebus et Guntranni facinore.

Dum hæc in Orientis geruntur partibus, in Britanniis hæc acta sunt. Macliavus et Bodicus illo tempore comites Britonum erant; qui amicitiam mutuam sacramentis adinvicem datis junxerant. Mortuo Bodico, Macliavus filium ejus Theodoricum de regno Britanniæ expulit. Theodoricus, resumptis viribus, Maclianum cum filio ejus, Jacob nomine, interfecit paternamque hæreditatem recepit. Varocus Macliavi filius patri in comitatu succedit. Tunc quoque Guntrannus, rex Francorum, duos Magnacharii soceri quondam sui filios interemit, facultates eorum fisco subjiciens. Dehinc subsecuta mors duorum filiorum ipsius est. Quapropter Guntrannus liberis orbatus, Childebertum suum ex fratre Sigeberto nepotem adoptavit in filium.

CAPUT XXI.

De Chilperici in Prætextatum simultate.

Chilpericus frater ejus, alter rex Francorum, Prætextatum Rothomagensem episcopum exsilio destinavit, eo quod, consilio Brunichildis reginæ usus, insidias ipsi parasse diceretur. Meroveus vero filius ejus, quem tonsuratum ac monasterio detrusum a patre fuisse memoravimus, iterum laicus efficitur. Nam a Guntranno duce, de quo sequens sermo plura narrabit, per legatos sollicitatus, a monasterio egressus et a Gaileno suo familiari veste laicali indutus, ad ecclesiam Sancti Martini Turonis ut confugeret, est impulsus. Ad hanc denique et ipse Guntranus confugerat, metuens minas regis Chilperici, eo quod diceretur filium ejus Theodebertum in bello superius memorato interemisse. Quapropter Chilpericus Ruccolenum quemdam Turonis direxerat qui eum exinde vi abstraheret. Ruccolenus Turonis veniens beato pontifici tunc Gregorio mandavit ut Guntrannum a basilica sancta expelleret. Quod si agere differret, sciret eum cum valida manu venturum et hæc impleturum. Sanctus autem antistes respondit : Hoc nunquam fuisse factum, nec a se ullo modo esse faciendum. Interim miser dum domum ecclesiæ, in qua hospitabatur, destruere non formidat, regio correptus morbo, ab basilicam sancti Martini defertur, ubi nil medelæ adeptus, non post multos dies est defunctus. Porro Meroveus ad sæpedictam veniens ecclesiam, memorato pontifice missas celebrante, petiit eum eulogias sibi dare. Quo recusante, minatus est se quosdam de populo interimere, quoniam sine judicio sacerdotum eum communione privaret. Tunc pontifex eulogias quidem ei dedit, regi vero per diaconum innotuit quæ acta fuerant. Regina itaque clamante ipsum clericum exploratorem a Meroveo missum, rex eum in exsilium relegavit.

Direxit autem ad sacerdotem, ut inimicum suum de ecclesia expelleret. Sed eo differente, Chilpericus exercitum commoveri præcepit. Quod audiens Meroveus a basilica egredi voluit. Leudastis vero Turonicus comes pueros ejus, qui pro necessariis causis in villam ierant, peremit. Quapropter Meroveus, adnitente Guntranno, Marilelfum medicum a rege venientem tenuit, ablatoque auro ac argento quod ferebat, eum utique occidisset, nisi ille ecclesiam expetisset. Interea dum de patre ac noverca Meroveus multa loquereturlacinora, quadam die Gregorium episcopum ad convivium invitans, rogat aliquid ad ædificationem legi. Tunc antistes, arrepto Salomonis libro, hunc primum versiculum invenit ac legit : *Oculum, qui aversatur patrem, effodiant eum corvi de torrentibus* (*Prov.* XXX). Et hæc quidem ille non intellexit, antistes vero miratus est, redargutionis sibi verba prima occurrisse.

CAPUT XXII.

De Guntranno Pythonissam consultante.

Post hæc direxit Guntrannus ad mulierem Pythonissam, quæ ei aliquando non solum annum, sed et diem et horam qua Charibertus rex obiret, prædixerat, ut eam super statu interrogaret suo. Cui illa hæc remisit mandata : « Hoc, inquit, anno Chilperico defuncto, Meroveus, devictis fratribus, regnum accipiet, teque ducem constituet. Quo munere quinquennio functus, septimo efficieris episcopus. »

Hoc ille episcopo Gregorio retulit, et ab eo hoc responsum accepit : « Ista magis a Deo quam a diabolo exquirendebuissent. » Verumtamen Fredegundis, quæ occulte Guntranno favebat propter mortem Theodeberti (non enim fuerat ex ea natus), misit ad eum ut Meroveo suaderet egredi ab ecclesia. Ille præsto putans fore percussores, non distulit; sed nil ei nocuit. Demum Chilpericus per diaconum ad sepulcrum sancti Martini duas mittit chartulas, quarum una continebat ut sibi divinitus in alia, quæ erat vacua, rescriberetur si foret fas Guntrannum a templo extrahi. Diaconus, triduo exspectans, inanis a responso abscessit. Sed Guntrannus, venientibus regiis missis, palam altaris cum sacramento fidejussorem dedit, jactanter pollicitus nunquam se inscio regę templum egressurum.

CAPUT XXIII.

De Meroveo præculum a libris divinis petente.

Tandem Meroveus, postpositis Pythonissæ responsis, per triduum vigilans, in divinis hoc responsum libris accepit. In Regum quidem : *Eo quod*, inquit, *reliquistis Dominum Deum vestrum, tradidit vos Deus in manus inimicorum vestrorum.* In Psalterio autem : *Dejecisti eos, dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). In Evangelio vero: *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, etc. (*Matth.* XXVI). His ille visis flens, ad sancti Martini tumbam cum quingentis et eo amplius viris, assumpto quoque Guntranno duce, discessit, et per Atissiodorensem urbem Divione castro veniens, exinde ad Remensem Campaniam transiit. Qui, a Tarvanensibus in quadam villa circumventus et se capiendum fore intelligens, veritus ne, si ad patrem duceretur, graves de se pœnas daret, Gailenum quemdam sibi familiarem rogavit, ut se gladio percuteret. A quo cultro per viscera trajectus interiit. Gailenus, truncatis manibus ac pedibus, naribus simul et auribus, turpiter vitam finivit. Post hæc Sanson filius Chilperici mortuus est. Cujus funus cum nimia lamentatione idem rex prosecutus est. Eo anno stella in medio lunæ fulgens visa est.

CAPUT XXIV.

De Guntranni-Bosonis filiabus virtute patris liberatis, suffragante divo Martino.

Quidam potentissimus procerum Chilperici, Guntrannus-Boso uno nomine sic dictus, relectis in ecclesia sancti Hilarii filiabus suis, ad Childebertum transiit. Anno vero tertio regni Childeberti junioris, qui erat Chilperici et Guntranni septimus decimus, Guntrannus Boso filias suas Pictavis auferre volens, Dracolenum quemdam, sibi infestissimum seque persequentem, ut a se averteretur precibus ac muneribus flectere nitebatur. Dracolenus, ut erat mente elatus, superbe respondit, asserens se funiculum, quo alios deceptos perdere solebat, paratum habere, ut eo Guntrannum involveret. Non tulit Guntrannus superba jactantem, sed manus elevans in cœlum, prodigia facientem invocavit Dominum et ut sibi per intercessionem beati Martini misereretur oravit. Congressus contra adversarium, fauces contumaciæ verba profantes conto transfodit elevatumque e sella equitatoria dejecit exanimem ad terram. Hoc eventu felici usus, translatas a Pictavorum urbe filias deduxit quo voluit.

CAPUT XXV.

De Pictavorum Britonumque discordia.

Pictavienses quoque et Bagasseni, qui nunc Arbasseni dicuntur, conjuncti Andegavensibus, Varocum comitem Britonum repentino impetu opprimere moliebantur. Quorum prævenit insidias Varocus, circa medium noctis super eos irruens et maximam ex eis stragem faciens. Tertia vero die cum ducibus Chilperici fœdus pepigit, dans filium suum obsidem et quæ pervaserat reddens. Venetum quoque urbem ea conditione refudit ut si ex gratia regis eam tenere mereretur, tributa quotannis solvere non moraretur. Aliquanto autem interjecto tempore a fide desciscens, Eunium Veneticæ urbis episcopum ad regem dirigit, pro quibusdam causis responsa laturum. Quem rex cum ira objurgatum direxit in exsilium.

CAPUT XXVI, XXVII.

De Chilperici in Prætextatum episcopum accusatione et Prætextati purgatione.

His ita gestis, Chilpericus rex congregato concilio pontificum in ecclesia Sancti Petri Parisiacæ urbis, Prætextatum Rothomagensem episcopum (cujus jam meminimus) exsilio revocatum, in eorum præsentia cum hac accusatione exhibuit, dicens : « Quamvis, venerandi pontifices, regia potestas reum majestatis legibus condemnare possit, ego tamen hunc, qui

falsum sibi pastoris nomen usurpat, conjurationis contra me factæ auctorem, sacris non contradicens canonibus, vestræ audientiæ repræsento. » Et conversus ad Prætextatum Rothomagensem episcopum: « Ut quid, ait, o episcope, munera populo contra meam erogasti salutem? Quave de causa filium meum Meroveum cum uxore patrui conjunxisti? Non ignorabas quid de hac causa sacri sanciant canones? Quare autem ita filium adversus patrem armasti suum, ut ille pariter cum vita regnum vellet eripere meum? » Postquam vero rex siluit, Franci, qui præ foribus stabant frementes, ostia basilicæ effringere nitebantur, ut antistitem pœnis subderent. Sed rex, hæc fieri prohibens, Prætextato copiam purgandi tribuit. Cumque ille objecta refelleret, quidam falsi testes surgentes calumniabantur a pontifice sibi munera data, ut regem dolo perderent. Quibus episcopus: « In hoc, inquit, veros vos esse confirmo, quod muneratos vos a me fore fatemini. Quid enim vestris ditatus donis aliud agerem, nisi ut par pro pari referrem? Quod vero falso confingitis, me mala regi machinatum esse, id omnibus modis falsum est. » Hæc eo dicente, rex quidem in regiam se recepit, episcopis autem in domo ecclesiæ residentibus, adveniens Etius archidiaconus Parisiensis ita eos alloquitur: « Nunc, inquiens, est tempus, o sanctissimi sacerdotes, quo aut pro vestra magnanimi constantia glorificemini, aut pro dejectione et contumelia fratris ac coepiscopi vestri, contemptui in posterum, si tacueritis, habeamini. » Tunc cæteris tacentibus (quod metuerent reginæ furorem, cujus instinctu ista gerebantur) et digitum ori suo superponentibus, Gregorius Turonorum antistes sic orsus est loqui: « Oportet nos, fratres charissimi, et maxime eos qui principis fruuntur familiaritate salubria ei suggerere consilia, ne forte, ira devictus, plus justo in sacerdotem Domini commoveatur et a Deo, innocentium ultore, gravius puniatur. » Illis quoque nec ad ista respondentibus, subjunxit antistes: « Cavenda nobis, sanctissimi Patres, illa terribilis Domini comminatio est, quam per prophetam prænuntiavit: Si *me*, inquiens, *dicente ad impium : Morte morieris, non annuntiaveris ei, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III). Nos itaque, qui speculatores in domo Dei sumus positi, non negligamus regi pericula ostendere sua, et, si necesse sit, exemplis ad resipiscendum provocetur, qualiter Maximus imperator, beatum Martinum impiis communicare compellens, imperio pulsus sit, vel Clodomirus, sacerdoti Avito non obaudiens, interierit. »

Cumque nec tunc quidem aliquis eorum responsa præbuisset, aliqui adulatoriæ artis regi denuntiaverunt nullum ei pertinacius resistere quam Gregorium Turonicum. Qui mox per quemdam aulicum evocatus, stante rege propter tabernaculum ramis tectum Bertrannoque Burdegalensi pontifice dextræ ejus inhærente, sinistræ vero Ragnemodo Parisiaco, taliter rex episcopum allocutus est dicens: « Dic, domne pontifex, qui justitiæ tramitem cæteris servas, mihi cur denegas? Sed, ut video, perversis consentis, et impletur in te vulgare proverbium, quod Corvus corvi oculum non eruet. » Cui sacerdos: « Mihi, inquit, o rex, æquitatem deserenti correptores erunt multi. Te autem delinquentem quis corripiet, nisi ille qui se fatetur peccaminum vindicem? Quapropter si nos, te de justitia commonentes, audire contempseris, plus a Deo quam a nobis condemnaberis. » Ad hæc rex: « Apud alios semper justitiæ causam obtineo, apud te nunquam. Verum ego optimam inveni ultionis meæ materiam. Persuaso namque Turonico populo, ut clamet sibi a te æquitatis jura denegari, ego quoque proclamabo me, qui etiam regia polleo dignitate, nil eorum quæ ipsi postulant a te posse promereri. Et sic orto adversum te populorum odio, injusti nomine denotaberis. » Econtra pontifex respondit: « Si quidem sim injustus, id Deo magis quam notum est. Tu vero si nostra aspernaris monita, sacros sume canones, et, his saltem consentiens, justa decerne. » Tum demum rex animum antistitis, ut erat callidus, hoc modo mulcere cœpit. Erat autem coram eis mensa panisque superpositus, cum diversis ferculis. Ait ergo rex ad sacerdotem : « En, inquit, ferculum tui gratia paravi, in quo nil aliud quam cicer carnesque continentur volatilium. Utere nunc eo libens mecum. » Beato vero Gregorio respondente quod cibus ei gratior esset facere voluntatem Patris sui qui in cœlis est, et a rege petente ut sponderet rex nihil se contra canones acturum, elevatis Chilpericus manibus juravit per Viventem in sæcula se decreta sanctorum Patrum non transgressurum. In crastinum vero, aurora incipiente, legati Fredegundis reginæ ad hospitium memorati pontificis venerunt, poscentes, et duas libras argenti pro munere offerentes, ut in dejectionem Prætextati consentiret cæteris episcopis. Dicebant enim aliorum se voluntatem probatam habere. Illo itaque recusante et, si sibi mille libræ darentur, nullo modo assentire velle se asserente, illisque magis instantibus, tandem pollicitus est in decretis canonum fratribus suis se assensum præbiturum. Tunc, illis quæ petebant se impetrasse putantibus et gratias agendo recedentibus, advenerunt quidam sacerdotes similia petentes. Quibus antistes eadem quæ prioribus reddidit responsa. Convenientibus autem in concilium episcopis, adveniens Chilpericus rex ait illis reperisse se in decretis canonum « quod episcopus furti obnoxius sacris deberet privari ordinibus. » Erat enim rex litteris eruditus. Cumque pontifices quærerent quis eorum furti insimularetur, rex dixit : « Num obliti estis quanta vobis ostenderim, quæ Prætextatus mihi furto abstulit? » Demonstraverat namque rex pridie varia ornamenta, quorum pretium ad tria millia æstimabatur solidorum, cum sacculo duobus millibus numismatibus aureis referto. Hæc omnia dicebat sibi ab episcopo furata.

Sed Prætextatus objectis facile se purgavit, hoc modo regi responsa dans : « Excellentia tua, domine

mi rex, reminisci valet, si dignatur, Brunichildem a Rothomago abeuntem plerasque sarcinas in diversis speciebus mihi commendasse et, post aliquod tempus, missis pueris eas a me repetisse. Cumque ego ex hac re tuam consuluissem voluntatem, præceptis obaudiens tuis, unam eis sarcinam, eo quod amplius ferre non valerent, contradidi. Venientibus iterum ac tertio, ex tua jussione cætera reddidi, dicente magnificentia tua mihi ut a me ea rejicerem, ne pro his ira inter vos iterum repullularet. Hæ duæ tantum sarcinæ apud me remanserunt. Nunc igitur cujus furti me arguis fore obnoxium? » Cui respondit rex : « Si hæc ita se habent et custodiæ causa ista suscepisti, cur limbum aureis intextum filis exinde rapiens secuisti et eum, pro nostri dejectione, his quibus tibi placuit distribuisti? » Tunc sacerdos : « Ad ista jam, inquit, semel dixi, et nunc iterum dico, me non ob aliud illis ista largitum fuisse nisi ut eorum muneribus mihi concessis parem referrem gratiam. Ut vero, propriis deficientibus, ex commendatis aliqua præsumerem, confidentia ausum tribuit, eo quod Meroveus, cujus illa conjugium expetiverat, ex te carnaliter genitus, mihi in baptismo spiritalis esset filius. » Animadvertens Chilpericus Prætextatum hoc modo non posse superari, relicto concilii loco, ac convocatis quibusdam sibi adulantibus, ait illis : « Victum me verbis episcopi fateor, et vera eum prosequi scio. Sed ut Fredegundi reginæ satisfiat, ite ac ex vestra quasi persona consilium ei dantes dicite : « Scis quia dominus noster Chilpericus, rex misericors est et confessis cito ignoscit. Vade ergo et prosternere pedibus ejus confitereque te in eum peccasse, ac confestim indulget tibi. » Quibus jussa perficientibus, seductus est Prætextatus eorum dolis qui se quoque pollicebantur pedes regis deosculaturos, ut ei ignosceret. Sequenti die residentibus episcopis in concilio, Chilpericus cum Prætextato iterato altercari cœpit, dicens : « Si munera pro muneribus retribuisti, sacramenta pro parte Merovei contra meam salutem cur exegisti? » Ad hæc sacerdos respondit : « Innotui celsitudini vestræ Meroveum me ex lavacro suscepisse salutari. Ideoque si facultas fuisset, etiam angelum Domini in ejus evocassem auxilium. » Quid plura? procedente longius altercatione, Prætextatus ad pedes regis corruit, clamans : « Miserere, clementissime rex, homicidæ, qui te regno pellere volui et filium tuum tibi substituere. » Hæc eo loquente, prostratus et ipse rex pedibus aliorum sacerdotum, qui in synodo residebant, aiebat : « Audite, sanctissimi sacerdotes, nefandissimum rem exsecrabile crimen confitentem. » Verumtamen pontificibus a terra regem elevantibus, jussit rex Prætextatum ab ecclesia egredi. Ipse autem in regiam se recepit, mittens ad synodum quosdam canones, quibus erat annexus quaternio novus, continens hæc : « Episcopus, in homicidio vel cæteris criminalibus deprehensus peccatis, sacris privetur ordinibus. » His lectis, dum Prætextatus staret stupens, ait illi Bertrannus Burdegalensis antistes : « Audi, frater et quondam coepiscope, nisi regis promereris gratiam, nostra non poteris frui societate. » Post hæc rogavit Chilpericus pontifices, ut aut vestis Prætextati scinderetur, aut centesimus octavus psalmus (qui maledictiones Iscarlothicas continet) super eum recitaretur, vel certe in perpetuum communione privaretur. Sed pontificibus hoc agere recusantibus et maxime Gregorio Turonensi renitente, ab ecclesia Prætextatus pellitur ac custodiæ traditur. De qua dum fugere noctu niteretur, cæsusque, in insula quadam maris, quæ civitati adjacet Constantiæ, in exsilium relegatur.

CAPUT XXVIII.

De Guntranni Burgundionum regis ad Childebertum oratione.

Porro Guntrannus rex Burgundionum Childeberto regi Austrasiorum, nepoti suo, ut pacificus cum proceribus regni sui ad pontem, quem Petreum dicunt, sibi occurreret mandavit. In cujus advenientis amplexibus diu immoratus, universis audientibus sic est locutus : « Evenit, meis præpedientibus fatalis, ut ex me genitis carerem filiis. Unde mihi, propriis orbato hæredibus, necesse est quærere extraneos, quibus partos relinquam thesauros. Optimum itaque judicavi te, omni humana carne mihi charior nepos, Childeberte, eligere, qui et mei successor regni et congregati esses possessor thesauri. Quapropter maneat, oro, quæ inter patrem ac filium debet manere dilectio. Unus nos protegat clypeus, una contra adversantes tueatur hasta; et ab hodierno et deinceps talis inter nos charitas parmaneat, ut si dante Deo filios procreavero, te tamen a jure non secernam hæreditario. » Iis dictis et proceribus Childeberti pro eo spondentibus, eo quod ipse puer adhuc esset, simul prandentes et se muneribus honorantes, ad sua sunt reversi. Verumtamen legatos utrique ad Chilpericum regem miserunt, denuntiantes ut aut ea quæ de eorum regno pervaserat redderet, aut se ad belli certamina præpararet. Quod ille tunc quidem despectui habuit. Quo tempore sinister populi rumor adversus Salonium et Sagittarium episcopos surrexit. Hos sanctus Nicetius Lugdunensis antistes, enutritos, primum quidem diaconii, deinde sacerdotii eos gradibus insignivit. Et Salonium quidem Ebreduni, Sagittarium vero apud Vapingum episcopos instituit. Illi vero non velut episcopi religioni operam dabant, sed tanquam tyranni homicidiis, rerum alienarum pervasionibus, adulteriis quoque vacabant. Et in tantum eorum excrevit malitia ut super Victorem Tricassinum antistitem, natalitii sui diem festum agentem, cum cohorte irruentes militari, ejus vestimenta scindentes, famulos cæsos fugantes, apparatum prandii omnem raperent et ipsum cum hac contumelia solum relinquerent. Qua causa ad aures Guntranni regis delata, ex ejus jussu collecta est synodus apud Lugdunum, qua præsidente sancto Nicetio, hos convictos a propriis expulit sedibus. Unde illi graviter indignati, regis gratiam sibi acquirentes, acceptis ab eo epistolis ad papam Romanum Joan-

nem profecti sunt. Cui persuadentes, se injuste A damnatos, scripta ejus ad regem detulerunt, jubentia ut suis restituerentur locis. Quos rex, verbis corripiens, ad proprias jussit urbes redire. At illi, cum Victore quidem pacem facientes, homines qui ei injurias irrogaverant direxerunt ut ipse in eis ulcisceretur. Qui Dominici præcepti memor, non reddens mala pro malis, illæsos dimisit ad propria. Salonius denique et Sagittarius, pessimis quotidie adjicientes pejora, in expeditionem, quam Mummolus contra Longobardos egit, pergentes, multa perpetrarunt homicidia. In civibus pari modo suis ita crudeliter sæviebant ut multos usque ad effusionem sanguinis cæderent. Quod ubi regi Guntranno nuntiatum est, eos exhiberi præcepit, a præsentia tamen sua usque ad audientiam sustinere. Hoc Sagittarius adeo indi- B gne tulit ut de rege indigna loquens, publice proclamaret : « Filios regis non fore regnaturos, eo quod mater eorum ex Magnacharii fuisset familia. » Erant namque adhuc filii regis superstites. Propter hoc rex ira commotus, equos eorum et cuncta quæ habebant abstulit et ipsos in duobus monasteriis a se procul divisis pœnitentiam agere constituit, mandans propriis judicibus circum ea loca constitutis ut eos cum summa armatorum cautela custodirent, ne forte elaberentur. Tunc forte seniore ex filiis regis ægrotante, accedentes quidam familiarium ejus ad eum, suaserunt ut præfatos episcopos ad proprias juberet regredi Ecclesias : ne fortassis ob eorum damnationem ira Dei super domum incumberet principis. Cumque rex petita non abnuisset, Salonius et Sagittarius regressi ad sua, tam eximios sanctæ religionis cultores se ostendebant ut quotidie totum ex ordine Psalterium recitando, nunquam a psalmodia cessare viderentur. Qui tamen post paululum ad suum in tantum reversi sunt vomitum ut fornicationi et ebrietati inservientes, dum clerici matutinos psallerent hymnos, ipsi adhuc in convivio positi vina flagitarent. Incipiente vero aurora, circumdati mollibus usque ad tertiam diei horam somnum capiebant. Cumque in talibus versarentur, Deum post terga ponentes, ipsi quoque a Deo postpositi iram ejus incurrerunt, ut in sequentibus demonstrabimus.

CAPUT XXIX.

De Chilperici in Ennodium cæterosque Childeberti D *fautores sævitia et de motu Britonum.*

His diebus, Chilpericus Pictavam pervasit urbem, fidelesque nepotis sui, videlicet Childeberti regis, cum Ennodio duce, ab ejus sunt hominibus pulsi. Ennodius itaque exsilio trusus, facultatibus fisco subactis, post annum patriæ et suis redditus est rebus. Dacco autem Gadarici filius, relicto Chilperico dum ubique vagaretur, a Draccoleno duce, qui dicebatur Industrius, fraude captus est, jurante sibi quod non interficeretur. Cum vero eum ad regem perduxisset, egit ut interimeretur. Quod ubi Dacco in custodia positus agnovit, confessus cuidam presbytero peccata sua, pœnitentiam nesciente rege petiit. Qua accepta, interfectus est. Porro Draccolenus a Guntranno duce eo quo diximus interfectus est modo.

Britanni, eo tempore, graviter regionem vastando Redonicam, ad vicum, qui Cornutus dicitur, advenerunt. Contra quos Bibolenus dux missus recedentes insecutus est; Britanniamque ferro et igne depopulatur. Hoc adeo Britannos in majorem commovit iracundiam ut sequenti anno non solum Redonicam, verum et Nanneticam infestarent provinciam. Qui tamen, legatis Felicis Nannetici episcopi emendationem polliciti, mendaces fuerunt.

CAPUT XXX.

De violatione templi Dionysiani et reparatione.

Illo tempore, mulier quædam, a zelante viro apud Parisius quod adultera esset impetita, dum opem petisset a suis parentibus, et illi, eam innocentem credentes, sacramentum pro ea viro vel ejus parentibus super sepulcrum sancti Dionysii fecissent, ab eis quod perjurassent redarguti sunt. Et causa usque ad jurgium prorumpente, cum propter nobilitatem eorum (erant enim primi in palatio regis Chilperici) neutra pars alteri cederet, gladiis se invicem percutientes sacram basilicam sanguine polluerunt. Interea ecclesia sine officiis manente divinis, dum hæc ad regem delata fuissent, interminatus est nullis eorum prorsus fore benevolum, donec Ragnemundi Parisiaci antistitis, in cujus diœcesi hæc acta fuerant, reconciliatione veniam mererentur. Quos episcopus, facinus confitentes, pœnitentia indicta, communioni restituit ecclesiamque reconciliavit.

CAPUT XXXI.

De Nantini Engolismensis morte formidanda.

Tunc temporis Nantinus Engolismensis comes hujusmodi ex causa gravem divinitus est passus mortis pœnam : Maracharius avunculus ejus comitatu prædictæ urbis diu potitus, ad clericatum accedens, post non multum tempus episcopus est factus. Quem cum adversarii ejus, immisso in capite piscis veneno, nefandissime necassent, non diu lætati sunt. Nam Frontonius, cujus consilio hoc perpetratum est scelus, uno tantum anno post eum functus est episcopatu. Cumque ei Heraclius Burdegalensis presbyter successisset, a Nantino, qui ob ulciscendam avunculi mortem comitatum a rege emerat, gravissime increpabatur, quod avunculi sui interfectores secum retineret. Quare in majus crescente controversia, comes villas ecclesiæ ab avunculo per testamentum relictas pervasit, asserens quod non deberet ea tenere testamenta, quorum testator ab ejus fuerat clericis interemptus. Post hæc crudeliori exardescens iracundia, interfectis etiam quibusdam laicis, unum ex presbyteris lancea vulneratum, dum adhuc viveret, suspendi ac ad confessionem criminis cogi jussit. Qui diu revinctis post terga manibus pendens, fluente e patenti vulnere sanguine innocentem reddidit spiritum. Pro tantis igitur sceleribus Nantinus ab Heraclio excommunitatus, convenientes apud Sanctonas urbem, quosdam sacerdotum rogavit ut pro se antistitem

interpellarent, pollicitus se res ecclesiæ redditurum et mala quæ commiserat emendaturum. Antistes vero, rogantibus annuens fratribus, eum communioni restituit. Sed comes ad Engolismam reversus, domos quas pervaserat destruxit, dicens : « Si hæc ecclesia recipit, saltem deserta inveniantur. » Episcopus sane, his auditis, iterum communione eum privans vita decessit. Nantinus quoque a huibusdam episcopis pecunia corruptis communioni redditus, in morbum incidit. Cum vero valida cruciaretur febre, clamabat : « Heu! heu! quæ tormenta ab Heraclio illata patior! Ipse me nunc cruciat, ipsius igne consumor. Mortem peto, ne diu male vivam. » In his vocibus constitutus interiit. Audiant ista qui sacerdotibus, vel Deo servire cupientibus, injurias irrogant. Intelligant Deum esse vindicem injuste oppressorum.

CAPUT XXXII.

De Chilperici per Fredegundem in suos sævitia.

Chilpericus etiam rex, suggerente Fredegunde regina, proscriptionibus gravissimis populum sibi subjectum atterere cœpit. Qua de causa multi e plebe, nativum relinquentes solum, maluerunt exsules novas quærere sedes quam patrios incolendo fines injusto ruere sub onere tributi. Inter cætera namque quæ cogebantur solvere liberiori etiam orti progenie, e terra propria culta labore amphoram vini regiæ inferebant mensæ. Marcus referendarius, huic muneri præpositus, ut cunctas Aquitaniæ urbes, quæ ad regnum Chilperici respicere videbantur, ad hæc solvenda verbis vel minis invitaret, a Lemowicinis seditione orta jugulatur; et tom! universi quos secum ferebat igne cremati sunt. Porro Chilpericus, dum pessimis quotidie adjiceret pejora, febre arripitur valida. A quo cum convalescit languore, parvulus ejus filius nec dum baptisma consecutus ægrotare cœpit gravius. Qui baptismatis gratia imbutus, levato paulisper incommodo, matrem nequivit lætificare gaudio pleno. Nam fratrem ejus Clodobertum, cui ætas provectior, eo convalescente doluit simili incurrisse. Ita denique latens pestis in totam diffundebatur regiam prolem ac si a visceribus transiens paternis, in filiorum membris hæreditariam videretur velle sibi vindicare sedem. Tandem Fredegundis, cujus toties dolor lacera torquebat præcordia, quoties semimortua natorum contemplabatur corpora, pristinæ feritatis oblita, humani induit compassionem animi; adiensque regem, hujusmodi apud eum habuit sermonem : « Beneficiis, inquit, divinis nosmet, mi vir, benefactis respondere convenit, quos superna non punit clementia, tanto tempore perseverantes in malitia. Neque enim flagella omnipotentis Dei sustinuimus, quasi rei, sed in virga filiorum eruditi, propheticum illud dictum in nobis sumus experti : *Quia flagellat Dominus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Ecce namque nos, et febribus et variis sæpe vexati calamitatibus, insuper filiorum amplexus amittimus ratissimos, quos lacrymæ viduarum et orphanorum, a nobis injuste oppressorum, morti reddidere proximos. Pœniteat nos tandem aliquando malorum quæ gessimus; et conversi ad Dominum, placabilem eum super nostram imploremus fore malitiam. Neque enim, quamvis indignos, sibi supplices aversabitur, quia est misericors et miserator. Incendamus igitur iniquas descriptiones, et quas ad oppressionem constituimus pauperum, ad nostram nostrorumque deleamus salutem. Nihil est quod timeamus, si vere pœniteamus, quasi passuri gravia, qui pertulimus gravissima. Quid enim pati potest gravius quam ut amittatur quod est charius? Quid vero nobis poterit esse dulcius quam natorum affectus? Quibus porro per tot annorum curricula partos reservamus thesauros, si præmittimus hæredes, quos optaveramus fieri successores? Cavendum profecto est ne illius evangelici incurramus sententiam divitis qui, innovando horrea et congregando multa, accepit responsum se non visurum diem crastinum nec suarum cogniturum hæredem rerum. Sed propitius jam potest esse qui vindicavit et mitior quam si non vindicasset. » Hujusmodi orationem circumferens Fredegundis regina, transduxit Chilpericum regem a furore animi, atque intentionem ejus adeo emollivit, ut libellos quibus nefanda continebatur lex, manu propria voracibus traderet flammis. Quibus peractis, junior eorum filius diem obiit. Cujus corpusculum in oratorio sanctorum Dionysii ac sociorum ejus martyrum est humatum. Nec longum fluxerat tempus, alter quoque ex filiis superius nominatus Clodobertus, morti cœpit esse proximus. Consternata mater anxiis gemitibus languentis filii, ad basilicam Sancti Medardi Suessionis eum defert. Ubi uterque parens votis, aureis donis sancti honorarunt sepulcrum. Sed adveniente nocte, æger, ultimum exhalavit spiritum. Cujus funus præfatæ urbis populus, pulla veste circumamictus, cum maximo luctu ad ecclesiam Sanctorum Crispini et Crispiniani est prosecutus. Quo in loco prædictus regis filius tumulariam est sepulturam adeptus. Sequenti abhinc anno alius ex filiis Chilperici, Theodericus nomine, terminum sortitus est vitæ. Unde Chilpericus divinæ animadversionis judicium cervici imminere suæ cognoscens, multa pauperibus Christi, seu ecclesiis, largitur donaria. Restiterat sane adhuc unus e regia prole, quem Chilpericus custodiæ mancipatum, suggerente Fredegunde, custodibus legavit puniendum. Ita efferbuerat Chilpericus in malitia ut non ei sufficeret generi ejus imminens cœlestis vindicta, nisi eam augmentaret per sua facinora

CAPUT XXXIII.

De inundatione aquarum, tempestate cœli, terræmotu et prodigiis multis.

Anno V Childeberti regis (qui fuit nonus decimus Chilperici atque Guntranni) tantæ lues aquarum per universas regiones factæ sunt Galliarum ut flumina terminos, quos nunquam antea excesserant, prætergressa, pecora quidem exitio, ædificia vero quo

rumque locorum gravi afficerent ruina. Quibus alveorum suorum metas repetentibus, pluviisque cessantibus, circa mensem qui September dicitur, denuo arbores floruerunt. Tunc quoque fulgur per cœlum cucurrisse visum est sonitusque tanquam ruentium arborum per totam pene terram auditus. Burdegalensis civitas terræmotu concussa est; et de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt evulsi, quibus immensa pecorum hominumque multitudo percussa interiit. Vicus Burdegalensis, incendio divinitus orto nulliusque hominis incitamentis augmentato inflammatus, multos exussit, subito comprehendens domos et areas frugibus refertas. Aurelianensis urbs simili incendio vastata est. Apud Carnotinum pagum de effracto pane sanguis effluxit. In urbe Pictava lupus e silvis veniens, per portam ingressus est; qua cum cæteris clausa, lupum cives in media interemerunt urbe. Cœlum quoque ardere visum est et Liger fluvius plus solito excrevit. Ventus auster tam violens fuit ut silvas prosterneret, domos vel sepes erueret, hominesque usque ad internecionem volutaret. Cujus turbinis spatium, eo loci quo visus est cucurrisse, tenuit in latitudinem jugera septem, licet longitudo quanta esset non posset æstimari. Sed hæc prodigia, gravia sunt subsecuta mala. Nam et discordia inter reges orta, bella excitavit civilia, et dysenteriæ morbus totas prope occupavit Gallias. Qua peste Austrigildis regina Guntranno regi nupta laborans, quereiam marito adversus medicos detulit, quasi illorum negligentia erga se ægritudo convaluisset. Jussu Guntranni diversis pœnis medici interierunt : ipsaque post deficiens mortua est.

CAPUT XXXIV.

De legatis captis et remissis. De Maurilii episcopi laudabilis obitu deque Gregorii Turonensis pro fide catholica victoria.

Quibus diebus Chilpericus legatos Mirionis Galliciæ regis, qui Suevis imperitabat, ad Guntrannum regem missos, apud Pictavium cepit et Parisius in custodia posuit. Quos tamen post annum liberos ad propria remisit. Maurilius quoque Caturcensis pontifex, dum propter podagræ infirmitatem candens ferrum tibiis seu pedibus imponeret, languorem pessimum incurrit. Quo ingravescente, dum multi episcopatum ambirent, ipse Ursicinum eligens, dum adhuc superstes esset, benedici fecit, sicque ab hoc sæculo migravit. Fuit autem eleemosynarius valde, Scripturis in tantum eruditus divinis ut genealogias Veteris Testamenti plerumque memoriter recenseret. Pauperes Ecclesiæ suæ erga iniquorum judicum oppressionem sustentabat, ut illud Job Domino decantaret dicens : *Pater eram pauperum, et causam eorum diligentissime investigabam* (*Job* XXIX). Tunc etiam Gregorius Turonensis cum Egilane Leuvigildi Hispanorum regis legato, quem ad Chilpericum miserat, quia erat ipse Egila Arianus, de fide sanctæ Trinitatis conflictum habuit et eum mirabiliter superavit. Qui quamvis negasset se aliquando fieri catholicum, tamen infirmitate impulsus est ipsam amplecti religionem.

CAPUT XXXV.

De Tiberii Constantini obitu et Mauricii in Imperium successione.

Tiberius vero Constantinus postquam imperium VII rexit annis, sentiens diem suæ imminere vocationis, una cum consilio Augustæ Sophiæ Mauricium, genere Cappadocem, virum strenuum, elegit ad imperium suamque filiam regalibus ornamentis ornatam ei tradidit, dicens : « Sit tibi imperium cum hac puella concessum. Utere eo feliciter, in mente habens æquitatem ac justitiam præcipua optimi imperatoris esse insignia. » Hæc postquam dixit, corpoream relinquens sarcinam, ad æternam migravit patriam, maximum sui obitus populis sibi subditis relinquens luctum. Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, omnes diligens, ipse quoque est dilectus a cunctis. Quo defuncto, Mauricius purpura indutus, diademate redimitus, ad circum processit et, acclamatis sibi laudibus, largitis populo (ut moris est) muneribus, primus ex Græcorum genere in imperium confirmatus est.

CAPUT XXXVI.

De primo Longobardorum rege.

At vero Longobardi, cum per annos decem sub potestate ducum fuissent, tandem communi consilio Flavium Authari, supra memorati principis Clephonis filium, regem sibi statuerunt. Cui ob restaurationem regni, duces qui tunc erant, mediam totius substantiæ suæ partem contribuerunt, ut esset unde rex ipse sive qui ei obsequebantur per diversa distributi officia alerentur. Erat sane hoc mirabile in gente Longobardorum. Nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ; unusquisque quo libebat securus sine timore pergebat.

CAPUT XXXVII.

De Mauricio imperatore Francos in Longobardos sollicitante.

Hoc tempore, Mauricius imperator Childeberto regi Francorum quinquaginta millia solidorum per legatos suos ea vel maxime direxit gratia ut cum exercitu supra Longobardos irrueret eosque Italia pelleret. Qui, nil moratus, cum innumera Francorum multitudine Italiam subito introivit. Longobardi vero conserendæ manus spem abjicientes, munimentis suarum se commisere urbium, et, intercurrentibus legatis oblatisque muneribus, pactum cum Childeberto fecerunt. Quo ad Gallias remeante, cognito imperator Mauricius quod cum Longobardis fœdus iniisset, solidos, quos ei ob Longobardorum expulsionem dederat, repetere cœpit. At ille, suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

CAPUT XXXVIII.

De persecutione catholicorum in Hispania.

Exstitit in illis diebus apud Hispanias persecutio dira catholicorum, quæ tali quadam ex causa a

Gadsunda matre Brunichildis est excitata : Hermenegildus, Lemugildi regis filius, sororem Childeberti habebat uxorem. Qui videlicet Hermenegildus prædicatione Leandri, Hispalensis pontificis, atque adhortatione suæ conjugis ab Ariana hæresi (qua pater suus languebat) ad catholicam fidem conversus fuerat. Gadsunda autem tentabat si posset Ingundem suam neptem flectere, ut maritum qualicunque perderet morte. Sed cum id nequisset implere, suadet regi ut filium cum uxore propria alterius civitatis jubeat incolere domicilia, dicens se offendi eo quod alterius essent fidei. Cumque hac injuria Hermenegildus minime flecteretur ad neganda veræ fidei sacramenta, impius pater eum sepsit custodia. Quem postmodum, in ipso sacro paschali die, securi percussum interemit. Ingundis vero post mariti ac martyris funus ab Hispaniis fugiens, dum genuina Galliæ repeteret arva, in manus militum incidens, qui Limitem Hispaniæ adversus Gothos tuebantur, cum parvo filio capta atque in Siciliam ducta, ibi diem clausit extremum. Filius vero Constantinopolim imperatori Mauricio est directus. Captivitate sororis Childebertus comperta, et de his quæ contra eam gesta fuerant certior factus, exercitum in Hispaniam trajecit, cum Gothis prælio conflixit maximamque cladem eis inferens victor exinde regressus est.

Rursum Mauricius Augustus, legatos ad Childebertum mittens, eum ut contra Longobardos exercitum dirigeret, orabat. Childebertus existimans suam adhuc germanam Constantinopoli degere, legatis Mauricii acquiescens, ut suam posset sororem recipere, iterum Francorum exercitum ad Italiam contra Longobardos direxit. Verum Longobardis aciem producere atque adversariis ire obviam meditantibus, Franci ac Alemanni, dissensionem inter se habentes, sine ullius lucri conquisitione ad patriam remearunt.

CAPUT XXXIX.

De Benedicto et Pelagio Romanis pontificibus. De Mummoli in Avenionem profugio. De Childeberti ad Chilpericum transitione. De Lupo Campanorum duce. De Chilperici in Petrogoricos expeditione. De Baudastis interitu, et de Hospitii reclusi sanctitate, et beati Martini Galliciensis transitu, et de comete et portento cælesti.

Romanam porro Ecclesiam post Joannem Benedictus suscepit regendam. Post quem Pelagius absque jussione principis ordinatus est, eo quod Longobardi obsiderent Romam, nec posset quisquam a Roma progredi. Mummolus patricius a Guntranno rege desciscens, in Avenionem castrum se contulit, ubi adversus insectantes armis sese defensare aliisque subsidiis munire parabat. Childebertus etiam, Guntranni pace relicta, Chilperico conjungitur, promittente Chilperico, eo quod sine liberis esset, Childebertum regni sui facturum se hæredem. Cujus promissionis, ut in cæteris solitus erat, mendax apparuit. Lupus dux Campaniensis ab Ursione et Bertefrido in fugam actus, cum jam jamque aut capiendus aut interficiendus cum suo exercitu foret, Brunichilde pro eo intercedente, ab imminenti periculo eripitur. Præsidium tamen ejus supra memorati duces direptioni tradiderunt. Chilpericus Desiderium ducem ad pervadendas Petrocoricum et Agennum, Aquitaniæ urbes, cum instructis dirigit copiis. Qui fugato Ragnoaldo duce, prædictas urbes invasit uxoremque Ragnoaldi cunctis rebus exspoliavit. Baudastis dux cum maxima sui exercitus parte in Wasconia periit. Fuit illo tempore reclusus quidam Dei servus, Hospitius nomine, apud Nicensem urbem. Qui catenis super nudum corpus constrictus ferreis, desuper cilicio tegebatur. Cæteris quidem diebus purum panem et paucos dactylos edebat; in Quadragesima vero radicibus earum quas eremus ferebat, herbarum alebatur. Per quem, in terris solo adhuc corpore conversantem, virtutes multas, ad laudem et gloriam nominis sui, Dominus ostendere est dignatus. Ea tempestate beatus Martinus Galliciensis migravit ad Dominum. Hic Pannonia oriundus, loca sancta in Oriente circumiens, abunde se illic litteris imbuit, et per Galliciam revertens, in basilica, quæ prima apud Hispanos in honore sancti Martini dedicata est, pontifex ordinatus, triginta in hoc officio explevit annos.

Anno VII Childeberti regis, qui fuit XXI Chilperici atque Guntranni, stella cometes visa est in die sancto Paschæ. Apud Suessionas civitatem cœlum ardere visum est. In pago Parisiaco sanguis, de nube fluens, vestimenta multorum hominum cruentavit. Valetudines variæ ac mortalitas magna, eo anno, Francorum attrivere gentem.

CAPUT XL.

De Rodini ducis obitu et pietate.

Tunc quoque Rodinus dux mortuus est, vere eleemosynarius, bonitatis plenus, juste se in cunctis agens ac pauperes Christi diligens. Hic dum una dierum mortuum sepelire vellet, propriis præcepit pueris monumentum quoddam aperire, ut in eo defunctum poneret. Quod illi cum maturato implessent, invenerunt immensi ponderis thesaurum solidorumque non contemnendum numerum, elevatumque a terra detulerunt ante domini sui præsentiam. Ille vero donum cœleste intelligens, pauperibus cuncta (ut consueverat) largitus, talentum sibi creditum ei a quo acceperat duplicatum per manus retransmisit egenorum. Multa autem signa et prodigia eo anno in cœlo sunt visa.

CAPUT XLI.

De Chilperici in hæresim Sabellianam lapsu et resipiscentia.

Per idem tempus Chilpericus rex Sabellianam volens promulgare hæresim, scripsit Galliarum episcopis ut, Trinitate abjecta, unum tantum dicerent Deum, « asserens eumdem esse Patrem qui Filius vel Spiritus sanctus est, et eumdem Filium ac Spiritum sanctum qui Pater est, nec divisionem personarum in Deum ullo modo cadere. » Quod cum Gregorio Turonensi, qui tunc cæteros episcopos

sanctitate præibat, suadere conaretur, et tamen in hac ratione Hilarium atque Augustinum sibi contrarios fateretur, ait ad eum beatus antistes : « Cavendum est, domine mi rex, ne et ille irascatur tibi cujus illi fuerunt famuli, qui, ut tu ipse fateris, in ista credulitate sunt contrarii. » Porro rege cum stu respondente quod sapientiores eo ex hoc forent interrogandi, sacerdos dixit : « Non esse sapientem quicunque aliter ex fide ac ipse sentiret. » Salvio autem Albigensi episcopo ad palatium venienti suadebat ut sibi consentaneus existeret, lecta in auribus ejus chartula, in qua memoratam hæresim conscripserat. Quam ille beatus in tantum abhorruit ut, si in ejus forte manibus devenisset, in partes scissam minaretur igne cremare. Denique cernens rex omnes sibi contraria sentire, ab illa quidem quievit intentione. Addidit autem nostris literis ω, omega, Græcam, et tres alias, quarum characteres ab ipso inventos cum propriis sonis hic subscripsimus χ ch, θ th, φ ph ; directisque epistolis ad civitates sibi parentes, præcepit ut pueri in his docerentur et libri pumice planati rescriberentur.

CAPUT XLII.

De Agricola et Dalmatio sanctis.

Iis diebus, Agricola Cabilonensis et Dalmatius Rutenensis, viri in sanctitate præcipui et pontificatum optime administrantes, e sæculo migraverunt. E quibus Agricola, ecclesiam suæ civitatis columnis fulcivit, marmore variavit, musivo depinxit. Dalmatius vero suam sæpe destruendo, dum meliorare nititur, imperfectam reliquit.

CAPUT XLIII.

De Leudastis comitis ob tyrannidem expulsione.

Leudastis sane Turonicus comes eo tempore a comitatu submotus est, eo quod populum injuste opprimeret et Gregorio pontifici (cui frequenter sacramenta dederat se nunquam nociturum) injurias irrogaret. Succedenteque Eunomio, Leudastis contra episcopum felle commotus, quasi ejus consilio ista sibi evenissent, ad regem perrexit, accusans Gregorium quod civitatem Turonicam regi Guntranno tradere vellet et de regina permulta loqueretur mala, affirmans eam cum Bertranno Burdegalensi episcopo misceri. Habebat autem cooperantem Riculfum clericum, qui contra magistrum multos est machinatus dolos. Rex itaque, pro his quæ de rege dicta erant, synodum adunari præcepit. Convenientibus ergo apud Brittannicum villam episcopis, et Bertramno injuste sibi crimen impositum esse conquerente, Gregorius, ex decreto fratrum, terjusjurandum præbuit se illi nunquam fuisse locutum, et quamvis id contrarium auctoritatibus viderent, propter satisfaciendum tamen regi peractum est. Quamobrem adeuntes pontifices regem, dixerunt ei : « Frater et coepiscopus noster Gregorius sacramentis se innocentem ostendit. Quid nunc de te, vel Bertranno episcopo, qui fratri nostro calumniam inflixit, agendum censes, nisi et communione privemini? » Quibus respondit rex a semetipso hæc non dixisse, sed a Leudaste indicata narrasse. Quæsitum Leudasten, nec inventum (ipse enim sibi timens audientiam fugerat) antistites excommunicaverunt eum et absentibus ne eum in communionem reciperent, scripserunt. Eo loci mirabilem patientiam regis qui aderant mirati sunt, quia, quamvis tale scelus de regina diffamatum foret quod ipsi quoque ignominiam generaret, nunquam tamen ita animo commotus est ut quemlibet injuste opprimeret. Quod alias sane non consueverat agere. Solummodo Leudasten, eo quod contra episcopum falsum tulerat testimonium, excommunicatum ab omni suo jussit eliminari regno. Tunc Leudastis universas suas res, quæ ei per beneficium regis concessæ fuerant, a civitate Turonica in Biturigum fines asportavit; et diu huc illucque oberrans, tandem, post longum ævi spatium, reconciliatus Ecclesiæ et in gratiam receptus a rege, dum moneretur a Pontifice Gregorio quatenus observaret se a reginæ animo contra se turbato, parvipendens admonitionem, dum illa in quadam oraret ecclesia, ad pedes ejus provolvitur. A qua despectus, dum oratorium fuisset egressus et quædam mercimonia emere vellet, ut muneribus sibi reginam conciliaret, ab ejus pueris circumvallatur. E quibus unum gladio percutiens, a reliquis in fugam actus in medio ponte Parisiacæ urbis, pede inter duo ligna lapso tibiam sibi fregit. Unde sublatus, et in unam villam jussu regis ad sanandum deportatus, a missis reginæ inter duos vectes effracto gutture, infelicem vitam finivit.

Hoc ergo exitu periit, qui ut crimen episcopo suo objiceret, multos in vincula conjecerat, quosdam etiam verberibus affecerat. Nec in ipsis quoque sceleribus degenerabat. Nam de fiscalinis ortus servis, primum culinæ deputatus est regiæ. Sed, quia lippis erat oculis, inde in pistrinum redigitur. Ubi dum inter fermentatas massas se delectari assimulat, fuga se servitio subtraxit. Quam dum sæpius reductus repetit, auris abscissione signatus est. Qui hanc injuriam tegere non valens, ad uxorem Chariberti regis se contulit. Cui adulationibus familiarissimus factus, custos equorum efficitur. Inde comitatum super cæteros nactus custodes, post mortem reginæ comitatum Turonicum a Chariberto percepit. De quo cum ignominia, quam præfati sumus, dejectus est. Riculfus vero clericus, qui contra antistitem proprium falsus non dubitavit esse testis, præcipiente rege tanta sustinuit flagella ut, etiamsi æreus foret, miraculum tamen spectantibus præberet tanta patiens tormenta. Verum a capitali supplicio interventu beati Gregorii, liberatus est. Qui, inter cruciatus et verbera, hoc confessus est ideo se talia de regina adinvenisse ut ea de regno ejecta, Clodoveus (qui solus ex filiis Chilperici supererat) a patre regnum suscipiens regnaret. Hic etenim Clodoveus, ex alia uxore Chilperici natus, post mortem filiorum regis qui ex Fredegunde geniti erant, instigante ipsa regina, apud Brenacum villam a patre manere jussus est, ut simili quo fratres morbo deperiret.

Nam apud eumdem vicum dysenteriæ tunc sæviebat pestis. Sed ille ubi mortis evasit discrimen, dolos persentiscens novercæ, fastuose eam despiciens jactitabat se solum hæredem regni relictum. Non defuere tamen qui delatoria contra eum usi arte, non solum quæ ipse injuriose loquebatur de regina, verum et aliqua ad ipsam referrent mendacia, asserentes maleficio matri cujusdam meretriculæ, quæ cum Clodoveo solita erat cubare, ejus filios interiisse. Regina, hoc audito, iracundia commota, puellam quidem cæsam ante hospitium Clodovei palo præcepit infigi. Matrem vero ejus, verberibus laceratam, vera fuisse quæ dicta erant profiteri coegit. Cum a rege ultionem posceret, rex, venatum profectus, filium ut ad se veniret jussum alligari fecit, et reginæ direxit. Quem illa sepsit in custodia, interrogans rei veritatem, vel qui ex principibus ei faverent. Verum ille nihil criminum confessus, amicos suos seu familiares detexit. Illa eum post biduum trans Matronam in villam, Nocetum nomine, duci et ibi in custodia cultro interimi mandans, regi per subintroductas insinuari fecit personas, quod ipse se interfecisset, et adhuc cultrum in loco vulneris persisteret. Quod rex audiens, nullum pro morte filii concipiens luctum, eum ibidem sepeliri mandavit. Mater Clodovei crudeliter necata, soror a pueris reginæ illusa, in monasterium est detrusa. Mulier, quæ contra eum locuta fuerat, ut viva urceretur adjudicata, dum mendacium dixisse frustra clamaret, ad stipitem ligata vivens exusta est. Thesaurarius Clodovei, a Cupane Stabuli comite de Biturico retractus et reginæ vinctus directus, ab ipsa, rogante pro eo beato Gregorio Turonico episcopo, vinculis ac pœnis absolutus est.

CAPUT XLIV.

De Chilperici spectaculis. De Salvii visione, et quæ eam secuta sunt.

Per idem tempus, Chilpericus apud Suessionas vel Parisius circos ædificari jubens, spectacula populis præbuit. Sane post memoratam synodum, dum beatus Gregorius, ad propria rediturus, cum sancto Salvio familiare colloquium in atrio domus regiæ haberet, ait ad eum vir Domini Salvius : « Videsne, o frater, super tectum aulæ quæ ego cerno? » Cui cum ille responderet se nil aliud quam tegulas, quas rex pridem superponi jusserat, videre, rogaretque ut, si ipse aliud quidlibet cerneret, indicaret (æstimabat enim illum solito more jocari), ille iterato ad eum . « Conspicio, inquit, gladium iræ Dei super hanc dependentem domum. » Nec frustra hæc vaticinatus est. Nam post viginti dies duo filii regis mortui sunt : de quibus paulo post dicemus. Ipse quoque archipræsul Gregorius, una noctium post matutinos hymnos strato recubans, vidit angelum Dei super ecclesiam volantem, qui clara voce dicebat : « Heu! percussit Deus Chilpericum et cunctos filios ejus. Nec erit ex his qui nunc vivunt ullus in regno ejus successor. Tunc » enim quatuor adhuc superstites erant. Hoc tempore synodus apud Lugdunum congregata multos episcoporum negligenter agentium coercuit.

CAPUT XLV.

De benedictione quam Judæus respuit, Chilpericus expetiit, et de Eparchii reclusi obitu.

Interea Chilpericus, in villa Novientum nominata consistens, dum Parisius iter suum destinavisset, præfatum Gregorium antistitem rogabat, ut cuidam Judæo, nomine Prisco, sibi familiarissimo manus imponeret. Sed reluctantem Judæum et se non credere reclamantem, insuper et fidei nostræ derogantem, opportuna satis disputatione beatus pontifex redarguit. Cui rex : « Quia, inquit, o sancte sacerdos, perfidus benedictionem respuit, utique et ipsa elongabitur ab eo. Ego vero tibi dico verbis Jacob, quibus ille contra se luctantem allocutus est angelum : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Gen.* xxxii). » Pontifex igitur benedicens regi, ac una cum eo cibum accipiens, ad propria rediit.

Eo tempore obiit Eparchius apud Engolismam reclusus, vir magnificæ sanctitatis, qui hominem, furti gratia patibulo suspensum, vitæ restituit.

CAPUT XLVI.

De Theodoro Massiliensi episcopo et Lupo cive Turonensi : de eclipsi lunæ, et prodigioso sanguinis fluxu aliisque portentis.

Ipsis diebus Theodorus, Massiliæ episcopus, a Dinamio rectore Provinciæ comprehensus injuste et injuriis affectus, dum inde liber ad regem Childebertum properaret, iterum a Guntranno rege capitur. Cujus clerici odio eum habentes, hoc audito res ecclesiæ invadunt, prompturia spoliant; de ipso etiam pontifice crimina falso proloquuntur. Tunc Childebertus rex ad avunculum suum regem Guntrannum dirigit, mandans partem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, sibi reddi; sin alias, sciret se eo plura amissurum. His Guntranno nequaquam assentiente et insuper vias in regno suo custodiri jubente, ne quis fidelium nepotis sui Massiliam adiret, Childebertus Gundulfum, senatorii generis virum, suum vero domesticum, ducem creatum, memoratam direxit ad urbem. Qui per Turonicam eo tendens civitatem, a beato Gregorio agnitus (quod matris ejus esset avunculus) humanissime diebus quinque apud ipsum est habitus, ac itineris necessariis sumptis est profectus. Cumque a Dinamio et clericis ipsi quidem introitus urbis, episcopo vero Theodoro, qui jam custodia solutus se ei junxerat, ingressus negaretur ecclesiæ, tandem aliquando Dinamio suaserunt, ut in ecclesia Beati Stephani, quæ muris vicina erat, eis colloquuturus descenderet. Quo dum venisset, ab ostiariis ipse solus receptus est, cæteris qui eum sequebantur exclusis. Deductusque a Gundulfo ac antistite in salutatorium, increpatur graviter. Illis itaque qui cum eo venerant, et se non receptos indignabantur, fugatis, Gundulfus seniores capi præcepit, volens eos ad urbem deducere, ut illi portas aperirent. Interim Dinamius, agnoscens se captum teneri, ad pe-

des eorum ruit, pollicens se portas reseraturum regique simul et pontifici de reliquo fidem servaturum. Sua igitur fide dimissus, ducem pariter cum pontifice, exsultante omni populo, recepit in urbem. Clerici sane, qui eo impulsore nequiter contra suum egerant pastorem, dum ad domum ejus se contulissent, filiejussores dare compulsi sunt ut regi Childeberto se præsentarent. Gundulfus autem, recepta Massilia et episcopo suæ sedi restituto, ad regem reversus est. Dinamius autem, spreta quam promiserat fide antistiti, ad Guntrannum regem mittit qui dicere ei se quidem urbem tradere velle, sed Theodorum obstare; nec illi cives ullatenus patituros, nisi sacerdos alicubi truderetur exsilio. Quibus verbis rex irritatus, eum sibi vinctum exhiberi jussit. Sed cum antistes, sibi metuens, non facile egrederetur ab urbe, evenit necessitas dedicandæ basilicæ suburbanæ. Dum igitur eo properaret, ex insidiis subito adversarii prorumpentes, clericos cæterosque obsequentes cæsos in fugam agunt ipsumque equo proprio dejectum vili imponentes jumento, ad regem deduxere. Cui Aquensem pervenienti ad urbem, Pientius episcopus clericos ac cætera viæ attribuit necessaria. Porro rex eo discusso, dum immunem invenisset a culpa, multis honoratum muneribus ad suam reverti imperavit Ecclesiam. Qui a plebe cum lætitia receptus, invenit ecclesiæ res suasque a clericis pervasas. His quippe pro causis fœdus inter Guntrannum et Childebertum ruptum, discordque immensa acta est. Verumtamen regibus hoc modo ab invicem dissidentibus, Lupus quidam civis Turonicus uxore defuncta, dum clericatum expeteret, a fratre Ambrosio ne id faceret prohibitus est, pollicente conjugem se ejus congruam generi illi provisurum. Cui rei dum studet dare operam, ab adultero, qui cum conjuge Ambrosii stupri rem habebat, utrique perempti sunt. Dumque unus alterum Deo subtrahere ac vitæ præsentis oblectamentis tradere nititur, et se et illum perdidit.

Hoc anno Luna eclipsim passa est, et intra territorium Turonicum verus de effracto pane sanguis effluxit. In Silvanectensi pago, hominis cujusdam domus, cum ille mane surgeret, sanguine introrsum aspersa apparuit. Murus Suessionensis divinitus subversus est. Andegavis terræmotus factus est. Intra muros urbis Burdegalensis ingressi lupi canes devoraverunt ignisque per cœlum cucurrisse visus est.

CAPUT XLVII.

De Prisci Judæi obstinatione et interitu.

Ea tempestate, Chilpericus rex, dum multos Judæorum baptizari jussisset, et ipse eos ex sacro lavacro suscepisset, nullatenus Priscum familiarem suum (cujus supra meminimus) verbis ad credendum convertere poterat. Jubens ergo eum custodiæ mancipari, ab eo muneribus seducitur ut daretur ei spatium filium suum Massilensi Hebrææ conjungendi, ac tum demum jussa compleret. Sed qui noluit confiteri Christum, non longo post tempore descendit ad infernum. Nam orto inter ipsum ac quemdam Patirum, ex Judæo conversum, jurgio, ab eo gladio percussus interiit.

CAPUT XLVIII.

De Chilperici ob interfectum præsidium pontis Parisiensis in Guntrannum ultione.

Apud pontem Parisiacæ urbis memoratus princeps custodes posuerat, ut insidiatores de regno fratris sui Guntranni advenientes arcerentur. Hos Asclepius, officio quondam ducis functus, nocte una omnes interemit, pagumque ponti proximum depopulatus est. Quapropter Chilpericus cum exercitu super fratrem irruere volens, consiliis bonorum virorum monitus restitit, mittens fratri legatos, ut mala sibi illata corrigeret. Ille justitiæ amator, prout monebatur, agere non distulit. Verumtamen Chilpericus his non contentus, aliquas a fratre civitates auferens, novos eis comites præfecit, præceptum dans, ut earum tributa suo inferrentur thesauro.

CAPUT XLIX.

De tabellariis Charterii episcopi deprehensis, et Theodorici ortu.

His diebus a Nunnichio comite Lemovicino duo detenti sunt homines, ex nomine Charterii Petrogorici antistitis litteras ferentes. In quibus, inter alia quæ de Chilperico continebantur maledicta, hoc etiam legebatur: « Quod episcopus quereretur se de paradiso pulsum descendisse ad infernum. » Utique hoc volens intelligi, quod a regno Guntranni in dominium devenisset Chilperici. Quibus regi pariter cum delatoribus directis, præcipitur adduci episcopus, de his rationem redditurus. Sed cum non facile convinceretur, ad propria illæsus regredi jubetur. Denique post funera filiorum, Chilperico filius nascitur, quem sequenti anno Parisius in Pascha baptizari fecit Theodoricumque nominavit.

CAPUT L.

De legatione feciali Childeberti ad Chilpericum.

Porro Childebertus Egidium Remensem archiepiscopum, cum aliis optimatibus, ad Chilpericum patruum suum confirmandi fœderis, quod inierant, causa dirigit. Ex quibus Egidius in hunc modum legationis retulit ordinem: « Pacem, quam tecum, gloriose rex, inclytus nepos tuus firmavit, petit omnino a te stabiliri. Fratris denique tui benevolentia ideo uti nequit, quia partem ejus ex Massilia injuste retinet, neque transfugas reddere ei vult suos. Idcirco si, junctis viribus vestris, unanimes ejus expugnationem adorsi fueritis, ultio debita pro illatis injuriis ab eo facile exigi poterit. » Ad hæc ita respondit ex: « Fratris, inquit, mei culpa tam est in aperto ut difficile occultari queat. Nam si dulcissimus nepos meus animo malefacta recenseat sua, reliquis prætermissis, reperiet patrem suum fraude Guntranni interisse. Quapropter et ego me sponden adjutorem illi in ultionem paternæ futurum necis, qui amiserim fratrem magnæ, si nunc viveret, di-

lectionis. » Hæc dum rex perorasset, datis obsidibus A fœdus stabilitum est. Continuo Chilpericus exercitum de regno suo commoveri præcepit, qui civitates fratri subditas obsidens, circumjacentes depopularetur agros. Tunc Berulfus partium ejus dux, cum Turonicis et Andegavis una ex parte, Desiderius et Bladastis ex alio latere cum maxima multitudine, Bituricenses aggrediuntur. Quibus rex hoc dedit mandati ut, capta urbe, sacramenta de nomine exigerent suo. Sed Biturigi apud castrum Mediolanense, quod nunc Magdunum dicitur, quindecim armatorum millia Desiderio duci opponentes, cum eo conflixere. Reliqui duces urbem obsidione cinxerunt. Chilpericus vero, licet nondum exercitus Childeberti advenisset, tamen quosdam de ejus ducibus secum habens, universas copias suas per Parisius B transducens, cuncta vastando Milidunum venit. Cui Guntrannus non dubitavit obviam ire, in solo Deo spem habens, cuneumque hostium, præ cupiditate ab aliis segregatum, crepusculo noctis aggressus ultima labefactavit pernicie. In crastinum, intercurrentibus legatis, frater cum fratre paciscitur, pollicentibus utrisque commissorum correctionem. Quippe Chilpericus, cum milites furto ac rapinis abstinere moneret, nec tamen obtemperarent, comitem Rotomagensem gladio percussit, sicque reliquos coercens, ad propria reduxit, cunctam prius restituens prædam, captivosque relaxans. At illi qui Bituricos obsederant, accepto nuntio ut inde recederent, quæcunque oculi viderant, manus rapiebant, dum ad sua redirent. C

CAPUT LI.

De vulgi in Egidium episcopum seditione.

Childebertus autem omnes militiæ suæ, quas aggregaverat, cohortes dum uno in loco detinet, murmur subito populi minoris adversus duces et Egidium episcopum, nocte proxima, infremuit, dicentis: « Tollantur a facie regis, qui regnum ejus inter se venditant, qui urbes ejus alienæ subjiciunt ditioni. » Hæc dicentes mane facto ad tentorium regis properant armati, ut Egidium interimerent pontificem. Quo cognito, sacerdos, ascenso equo, cum paucis fugam arripuit. Cui tam veloces timor fugienti addidit alas ut labentem tibiæ fasciolam colligere non curaret. Ea tamen causa illi auxilio fuit quod D adversarii equos, ad insequendum paratos, non habebant. Dumque illi moram in sequendo faciunt, ipse se intra urbem Remorum contulit. Post hæc Guntrannus Childeberto nepoti suo partem Massiliæ, quam invito eo retinebat, reddidit. Chilpericus quoque pro obitu filii, quem ei natum supra diximus fuisse, gravi affectus mœrore, nuptias filiæ suæ, quam regi Hispaniæ per legatos tunc desponderat, in posterum distulit. Quapropter, missis veredariis, legatum qui in Hispaniam regrediebatur revocavit, dicens ei: « Luctu pro morte filii gravatus, nuptias in tempus quod constitui celebrare nequeo. » Verum, legato insistente, voluit eo dirigere filiam, quam ex Audovera susceperat. Deoque in monasterio Pictaviensi tradiderat. Sed a beata Radegunde prohibitus est.

CAPUT LII.

De Mummolo magiæ et veneficii insimulato.

Dum ista geruntur, relatio quorumdam ad Fredegundem cucurrit reginam, dicentium puerum, qui tunc defunctus erat, technis Mummoli sui præfecti, per quasdam mulierculas maleficiis et incantationibus vitam amisisse. Is reginæ jamdudum erat infensus. Quæ talia de eo audiens, rapi meretrices ad supplicia jubet, quæ se fatebantur carminibus multos interemisse innocentes, filiumque ejus pro Mummoli donasse salute. Tunc quidem regina alias earum flammis tradidit, alias rotis innexuit. De Mummolo vero apud regem questa est. Quem rex oneratum catenis adduci trabeque revinctis post terga manibus suspendi præcipiens, quid maleficii nosset interrogabat. Sed nil se de morte filii regis nosse dicens, hoc solummodo confessus est quod potiones præcantationesque varias a memoratis accepisset mulierculis, ad promerendam regis et reginæ gratiam. Tandem depositus, mandavit regi se nil sensisse pœnarum. Ille eum maleficum esse protestatus, loris durissimis flagellari, ac gladio percuti imperavit. Pro cujus vita regina, ægre licet, obtinuit. Qui tamen non post multum dolore ipsorum tormentorum interiit. Regina autem assumens thesaurum pueri, vestes quidem omnes igne combussit, aurum vero fornace conflans terra obruit, ne quid esset quod ei filium ad memoriam reduceret.

CAPUT LIII.

De clerici cujusdam libidine, et inaratitudine detestanda.

Porro Etherius Lexoviæ episcopus clericum quemdam, propter puellam quamdam quam seduxerat, morti destinatum, viginti redemit aureis. Cui, profitenti se doctorem fore litterarum, scholam committit. Sed cum a parentibus puerorum, quos docebat, sæpe ad convivium vocaretur, unius matrem concupivit. Quod cum illa casta indicasset viro suo, et ille clericum ad supplicium quæreret, iterum a pontifice liberatus pristino restituitur honori. Ille itaque miser tantorum oblitus beneficiorum, dum, una dierum, pontifex ad agricultores exercitandi gratia exiisset, cum securi eum pone sequebatur. Conversus sacerdos et videns eum: « Ut quid, ait, me cum hac prosequeris dolabra? » Tunc ille, ejus provolutus pedibus, veniam petiit, dicens: « Indulge, Pater sancte, reo facinus confitenti. Ab archidiacono namque ut talia auderem impulsus, ter jam elevatis ad te percutiendum manibus, subita tegebar caligine validoque arripiebar tremore. At ubi deposueram manus, confestim et visus et vigor redibat pristinus. » Quod ubi antistes audivit, Deo gratias agens illum hæc tacere jussit seque ad domum contulit. Verum archidiaconus perpendens per alium se non posse nocere episcopo, per seipsum calumniam fingit, asserens se vidisse mulierem a cubiculo pontificis egredientem. Statimque cum jam

victo clerico irruens, episcopum vinciri imperat. Alligatur pontifex ejus manibus, de cujus sæpe brachiis vincula dejecerat, atque ab eo mancipatur custodiæ, quem sæpius cœnoso eduxerat de carcere. Interea cernens episcopus humanum sibi deesse auxilium, precibus opem implorat divinam. Itaque divinitus solutis vinculis, custodibusque sopitis, fugiens e custodia ad regem transiit Guntrannum. Tandem adversarii inventa occasione, regi Chilperico suggerunt, illum proditorem regni esse. Verum populus pro pastore mœstus, direxit qui regem pro reducendo eo exorarent. Chilpericus ergo misit ad fratrem, ut pontificem ad suam dimitteret urbem, dicens se nil offensæ in ipso reperisse. Guntrannus autem multas episcopo tribuens pecunias, ad propria eum remisit, datis ad antistites regni sui epistolis, ut illum muneribus honorarent. Qui iter faciens tanta a fidelibus suscepit munera, quanta vix civitati inferre suæ quivit.

CAPUT LIV.

De Clotarii filii Chilperici ortu, partis Massiliæ per Mummolum restitutione, et Chilperici metu.

In illis diebus Chilperico denuo natus est filius, nomine Clotarius. Quapropter universos carceres in regno suo Chilpericus aperiri jussit, et diversorum reos criminum absolvi. Verum idem rex Parisius urbem, contra pactum quod cum Francis inierat, (ne scilicet jure dominantis eam aliquando ingrederetur) violenter intravit. Ob quam rem portionem ejusdem civitatis, quæ eum contingere videbatur, juste amisit. Mummolus partem Massiliæ, quæ Guntrannum ac Childebertum competebat, a se pervasam reddidit. Chilpericus, metuens Guntrannum et Childebertum contra se conspirasse, apud Camaracum thesauros omneque defensionis suæ præsidium constituens, exercitum sæpe movebat, et ac si ad prælium progressurus, in papilionibus residere faciebat.

CAPUT LV.

De Innocentio Ruthenorum et Sulpicio Biturigum episcopis, deque rosarum præmaturitate et arboribus biferis.

Theodosio Ruthenorum episcopo defuncto, Innocentius Gavalitanorum comes, per decretum Brunechildis reginæ, successit. Remigio quoque Biturigum præsule decedente, Sulpicius a Guntranno rege substituitur : dicente præfato principe multis episcopatus competitoribus : « Non est, inquit, nostræ consuetudo mansuetudinis ecclesias Christi pretio vendere, ne nos damnatione digni, et vos Mago Simoni similes videamini. » Et hoc quidem rex dignum memoria protulit verbum. Hoc anno rosæ visæ sunt mense Januario; et arbores, quæ mense Julio fructus protulerant, iterum mense Septembri alios protulerunt.

CAPUT LVI.

De filiæ Chilperici regis per legatos desponsatione.

In cujus mensis Kalendis, Chilpericus filiam suam Hispanorum regi hoc ordine per legatos despondit. A Veniens Parisius, fiscalinorum multos a parentibus segregatos, cum filia Hispanias petere vi compellebat. E quibus aliqui vitam sibi laqueo extorserunt, ne a propinquis quoquam secederent. Multi etiam violentia illuc ire coacti, testamenta condiderunt, quasi in proximo vita carituri. Talisque tunc luctus Parisiacis erat incolis, qualis quondam fuit Ægyptiis interemptis primogenitis. E legatis sane Childeberti (quos ad Chilpericum direxerat, obtestans ne de thesauris civitatum, quas sibi præripuerant, vel de mancipiis, quidquam filiæ tribueret) unum clam interemptum fuisse ferunt. Suspicio erat Chilpericum ejus necis fuisse auctorem. Qui tamen per reliquos nepoti mandans, nil se ex vetitis præsumpturum, multa ex suo filiæ largitus est. Quinetiam B regina tanta in auro, argento variisque vestibus protulit munera ut rex existimaret se inopem relinqui. Cernens illa turbari propter hoc regem, ad circumstantes Francos, ita ut Chilpericus audiret, sic locuta est : « Nullus, inquit, nostrum autumet hæc regalium esse ornamenta thesaurorum. Quædam enim ipse princeps mihi dotis nomine contulit, quædam proprius labor acquisivit, aliqua vestra munificentia tribuit. » Hac satisfactione suscepta, intento regis quievit. Francorum quoque primores filiam regis clarissimis ditavere donis. Tanta denique thesaurorum fuit copia, ut sex plaustra his onerata eam præcederent. Quæ digrediens ab urbe Parisiorum, post oscula et lacrymas parentum, dum curru veheretur, in ipso portæ limine effracto C unius axe rotæ, ad terram corruit. Cui cum plurimi malam optarent horam, populus hoc pro auspicio suscepit. Dum octavo denique ab urbe milliario tentoria fixissent, quinquaginta viri, raptis centum equis cum eorum aureis phaleris, ad Childebertum regem se contulerunt. Unde metuens Chilpericus, ne aliquæ insidiæ pararentur filiæ a nepote suo vel fratre, quatuor millia armatorum ejus deputavit tuitioni, quibus Bobo et Wado duces præerant. Præcepit etiam ut de substantiis pauperum necessaria eis in itinere subministrarentur : ne fisci redditus aliquo modo minuerentur. Hac igitur cum pompa, cumque utriusque sexus multimoda familia, Hispanias petiit Chilperici regis filia. D Illi vero qui eam deducebant, cuncta per quæ ibant vastata linquebant.

CAPUT LVII.

De Fredegundis astu et illecebris, et Chilperici obitu ac moribus. Deque Aurelianorum cum Blesensibus in Dunenses expeditione.

Erat autem præfata Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunechilde) parem nescia. Quæ addicto ad suas libidines Chilperico, ita mentem ejus cupiditate sui obstruxerat ut feminas vincere non prævalens aviditates, quasi vile mancipium insolentiæ muliebri obsequeretur. Dum igitur impenso eam diligeret amore, quadam die, venatum profecturus, e regia in stabulum descendit equorum. Regina vero æstimans regem jam pro-

gressum, in interiori cubiculo caput proprium aquis parabat abluere. Rex ergo iterum in regiam regressus, cubiculum post illam intravit, et eam, ut jacebat, super scamnum acclinem baculo in posterioribus ludens percussit. Illa autumans Landericum hoc fecisse (qui comes tunc et major domus erat regiæ consueveratque cum regina stupri habere consuetudinem), ait : « Ut quid, Landerice, talia facere præsumis ! » Illico rex, ac si amens effectus, ubi hæc audivit, in suspicionem deductus, indignatione nimia furens animique impos, exsiliit, fugiens turpis corruptelæ contagia. Nec furentem capiebat aula. Itaque silvarum secreta petiit, ut venatibus intentus tantam animo conceptam leniret iracundiam. Cognoscens vero regina non æquo animo regem verba tulisse sua, et periculum suæ imminere saluti, si cum opperiretur venturum, timorem abjicit femineamque audaciam assumit. Et mittens vocari jussit Landericum, cui et dixit : « Res capitis tui, Landerice, nunc agitur ; plusque tibi de sepultura quam de lectulo, nisi caves, in proximo cogitandum erit. » Narravitque ei cuncta quæ dicta seu gesta fuerant. Quibus agnitis, Landericus reputare secum scelera sua ipse cœpit et conscientiæ stimulis exagitari. Nullum fugæ locum, nec evadendi subsidium sibi relictum ; circumventum, velut quibusdam retibus, et captum teneri. Denique ingemiscens altius : « Væ, inquit, diei, quo in tantam cordis amaritudinem deveni ! Discrucior miser animo, et quid agam vel quo me vertam ignoro. » Cui Fredegundis : « Ausculta, ait, paucis ; et quid ego te facere velim, et quid nobis profuturum sit, scies. Revertente rege de venatione, ut ei mos est, sub obscura nocte, immittantur homicidæ, qui præmiorum pollicitatione contemptum sumentes vitæ, lethali eum perfodiant vulnere. Quo facto, nos securi a mortis periculo, cum filio regnabimus Chlotario. » Laudat Landericus consilium, et revertentem de silva Chilpericum, his qui cum eo venerant alio intentis, circumstantes qui missi fuerant præcepto satisfaciunt, atque desilientem equo opprimunt, clamantes « insidiatores, a Childeberto rege Austrasio directos, dominum suum interemisse et se in pedes quantocius silvam versus dedisse. » Quo audito, qui aderant, arreptis equis, quos non videbant insequi conati sunt. Quos cum minime invenissent, ad propria sunt reversi. Madalulfus Silvanectensis episcopus (qui jam tertia die in tentorio residebat et regi minime colloqui poterat propter fastum superbiæ, qua idem rex tumebat) ut eum interfectum cognovit, advenit. Ablatoque ejus corpore et veste meliori circumdato, navi imposuit, et a Calensi villa, ubi hæc acta fuerant, Parisius deducens, in basilica sancti Vincentii sepelivit. Fuit vero Chilpericus gulæ deditus, cujus Deus venter erat. In cujus tempore pauci clerici ad episcopatum sunt promoti, ipso neophytis ecclesias contradente. Ipse namque omnes sui temporis sapientes scientia se anteire existimans, composuit duos libros imitari Sedulium volens. In quibus plurimi versus scazon erant, breves quoque syllabas pro longis, longasque pro brevibus continebant. Cumque et alia opuscula, vel hymnos, sive missas componeret, quæ nulla poterant ratione suscipi, cum ipsis etiam memorati superius libri a memoria aboliti sunt hominum. Causas pauperum non facile ad se ingredi sinebat, Ecclesias seu monasteria hostili odio insectabatur : adeo ut plerumque in palatio residens astantibus sibi diceret : « Ecce, divitiæ nostræ ad ecclesias transierunt ; soli nunc episcopi regnant, solis eis defertur honor. » Sacerdotes etiam Domini sibi in fabulam verterat et in proverbium. Quid autem plura de ejus pravis recensemus moribus ? Nullum denique unquam perfecte dilexit, a nullo dilectus est. Hoc modo periit invisus suis, nec amabilis extraneis.

Defuncto Chilperico, Aurelianenses juncti Belesensibus expeditionem super Dunenses agentes, eos inopinate oppresserunt ; res eorum mobiles auferentes, immobiles igne cremantes. Sed eis ad sua redeuntibus, Carnotini cum Dunensibus fœderati similem per omnia ultionis inflixerunt plagam, par pari referentes. Et cum in majus ira augmentaretur, intervenientibus utriusque partis comitibus pax facta est.

CAPUT LVIII.

De Fredegundis et thesaurariorum Chilperici profugiis.

Interea Fredegundis regina marito viduata, ad basilicam Parisiacæ urbis in honore sanctæ Mariæ dicatam, cum thesauris quos secum habebat se conferens, a Ragnemodo suscipitur episcopo. Nam thesaurarii Chilperici regis, cum thesauris apud Calam vicum repertis cumque missorio aureo quem idem rex magnis fabricarat impensis, ad Childebertum regem se contulerunt. Porro eadem regina prudenti consilio usa, ad Guntrannum regem legatos direxit, mandans se cum filio, quem ex Chilperico fratre ipsius susceperat, in clientelam illi velle tradere. Guntrannus, de fratris interitu veris indiciis certior factus, Parisius summo studio contendit. Occurrit autem ei Fredegundis et eum intra urbem recepit. Post quem Childebertus adveniens, dum a civibus ingressus ei prohiberetur, ad patruum mittit, poscens ut pactum quod dudum inierant rectius firmaret. Verum memoratus princeps ipsos quidem legatos perfidiæ redarguit, quod eorum pravis consiliis amicitia, olim cum nepote juncta, dirempta foret ; se vero cum eis fœdus non facturum respondit. His Childebertus sibi nuntiatis, iterum mandavit ut se de regno Chariberti, quod sibi debebatur, removeret. Respondit ille « sibi magis deberi, qui frater defuncti erat, nec se ullo modo fraternam hæreditatem alteri cessurum. » Rursum alios nuntios mittens Childebertus rogabat ut Fredegundis sibi ad supplicia traderetur, quæ patrem cum patruo maligno peremisset ingenio. Respondit ille « in proximo placitum cum nepote se habiturum,

ibique de his et similibus tractaturum. » Eosque ei a quo directi fuerant remisit. Occulte namque Fredegundi videbatur patrocinari. Quam dum sæpius ad convivium evocaret, una dierum e medio prandio regina surgens a rege invitabatur, ut aliquid cibi adhuc sumeret. Sed illa juxta consuetudinem mulierum sibi accidisse dicente ut pro conceptu surgeret, rex admiratus est, sciens nondum quartum præteriisse mensem, quo alterum pepererat.

CAPUT LIX.

De Clotarii filii Chilperici per principes inauguratione, deque Guntranni plausibili ad populum concione.

Principes sane Chilperici, e quibus Ansoaldus primus erat, acceptum filium ejus Clotarium per civitates regni ejus circumduxerunt, et sacramenta ex nomine ipsius atque Guntranni susceperunt. Guntrannus vero universos, quos Chilpericus injuste oppresserat, relevans, Ecclesiis testamenta ab eo ablata restituit. Sed suspectus horum inter quos venerat malitiam, nusquam nisi armis custodibusque vallatus progrediebatur. Unde quadam die in ecclesia facto silentio, circumstantem populi multitudinem hac voce rogavit : « Obsecro, inquiens, vos qui adestis populi, ut firmiorem quam fratribus meis ante hoc non servastis, mihi fidem custodiatis, quatenus valeam cum quiete nepotes enutrire meos, vosque cum justitia regere : ne forte (quod Deus avertat) me ante tempus sublato, et ipsi careant nutritore, et vos rectore. » Cumque ejus verba admirans populus laudasset, Dominum pro ejus rogabat salute.

CAPUT LX.

De Rigundis detentione, et dotis ejus occupatione.

Dum hæc agerentur, Rigundis Chilperici regis filia (quam ad Hispanias missam fuisse diximus), Tolosam veniens, moras itineris ibi innectere cœpit. Sed, perlato ad aures Desiderii urbis ducis de morte Chilperici nuntio, capta ac thesauris omnibus spoliata in basilicam sanctæ Mariæ confugit. Cui Desiderius arctum constituens victum, thesaurum sigillo munitum, in quadam domo fortissimis tradidit viris custodiendum, et ipse ad Mummolum Avenione residentem transiit.

CAPUT LXI.

De Theodori Massiliensis, qui pseudofratrem Guntranni exulerat, multa ; et de prodigiis ejus anni.

Nova iterum contra Theodorum Massiliæ pontificem jurgia sunt orta, eo quod Gundoaldum quemdam, qui se fratrem Guntranni falso asserebat, suscepisset. De cujus origine pauca disserere libet. Hic denique Gundoaldus, in Galliis natus moreque regum, a matre sua enutritus (uti consuetudo antiquis Franciæ fuit regibus), comam capitis profusam gerebat. Oblatus itaque a matre Childeberto seniori est, dicente ea quod Clotarii fratris ejus filius esset. Sed quia Clotarius eum odio habebat, ideo ad ipsum, cujus nepos erat, delatus ut ab eo educaretur. Quem Childebertus, expers filiorum, ad educandum suscepit, poscentique Clotario videndum transmisit. Ille intuitus eum incidi ejus præcepit capillos, hunc suum negans filium fuisse. Post obitum quoque ejus, dum a Chereberto ejus filio loco fratris alteretur, a Sigeberto evocatus, iterum incisis crinibus Coloniæ in custodiam truditur. Unde fuga elapsus, succrescentibus capillis primum ad Narsetem Italiam tunc gubernantem, indeque ad imperatorem transiens, familiarissimus ei efficitur. Lapso sane pauci temporis intervallo, Guntrannus Boso, cujus supra meminimus, ad sepulcrum Domini orationis gratia properans, cum Constantinopoli reperit. A quo, ut ipse post asseruit, sollicitatus ad Gallias rediit, et a Theodoro episcopo Massiliæ exceptus, sumptis ab eo equis ad Mummolum ducem, qui a Guntranno rege desciscens Avenionem confugerat, se confert. Quod Guntrannus Boso agnoscens, ejus se velle conatibus contraire assimulans, Theodorum episcopum in custodiam posuit, arguens eum insidiatorem regni ausum fuisse suscipere. Sed pontifice sub duris custodibus Dominum exorante, lux immensa totam subito in qua custodiebatur replevit cellulam, ita ut dux memoratus nimio arriperetur timore. Ductus tamen antistes ad Guntrannum regem, cum Epiphanio antistite, qui ex Italia Massiliam demigraverat, iterum mancipatur custodiæ. In qua quidem Epiphanius obiit, Theodorus vero innoxius repertus ad sua rediit. Nam prolatis litteris ex nomine fidelium Childeberti, quibus inscriptum erat ut Gundoaldum honorificentissime exciperet, absolutus est. Guntrannus sane dux cum alio duce Guntranni regis, thesauros Gundoaldi, qui ad quamdam maris insulam eventum rei præstolando demigraverat, dividens, non parvum auri ac argenti pondus in urbem Arvernorum devexit. Ex qua ad Childebertum demigrans, in redeundo a Guntranno rege cum filio captus minis ab eo terrebatur ; quodque pœnis, pro invitato a se Gundoaldo, consumeretur interminantem sæpe audiebat. Cui ille : « Ex hoc, inquam, me innocentem comprobabo, cum filio in obsidatum tradito, Mummolum, ejus fautorem ingenio, captum tibi tradidero. » Credidit rex pollicenti et, retento puero, ipsum sivit abire. Qui Avenionem cum copiosa suorum manu vallans urbem, quibusdam satellitibus Rhodano submersis, ipse, colloqui Mummolo cupiens, super ripam brachii fluvialis, quo civitas cingitur, deambulat. Hortatu denique Mummoli, spondentis nil adversi eum passurum, flumen cum uno ex amicis ingressus, socio aquis submerso, Boso undis se huc illucque circumferentibus, hastam a milite sibi protensam arripiens, ereptus est. Demum, illatis sibi a Mummolo conviciis et gravioribus illi a se relatis, dum eum obsideret, Gundulfus, cujus supra meminimus, missus a Childeberto, eum ab obsidione removit, Mummolum secum deducens in Arvernum. Qui diu ibi residere fasti-

diens, ad suam, unde digressus fuerat, rediit civitatem ; junctusque duci Desiderio, qui ad eum, ut diximus, de pago venerat Tholosano, evocatum Gundoaldum, more antiquorum Francorum, regem proclamantes esse suum, elevaverunt super clypeum. Cumque tertio totum cum eo circumissent exercitum. clypeus repente ruens cum rege, vix a terra elevari potuit.

Erat, dum talia agerentur, mensis decimus, apparueruntque in vineis pampini cum uvis ad plenum formatis, et in arboribus flores. Pharus quoque ignea, per cœlum nocte currens media, late mundum luce lustravit clara. Columna etiam ignis cœlo pendere est visa, cui superposita erat stella magna. Quæ æstimabant homines interitus Gundoaldi esse indicia, cum et terra tremeret ac alia multa parerent signa.

CAPUT LXII.

De Guntranni cum coharedibus regni concertatione.

Illis diebus Guntrannus rex duces suos ad pervadendas urbes, quas Sigebertus de regno Chariberti fratris amborum tenuerat, quasque Chilpericus Childeberto nepoti suo, ex fratre Sigeberto genito, vi præripuerat, direxit. Verumtamen Garirícus, comes partium Childeberti, post mortem Chilperici sacramenta fidelitatis a Lemovicinis, domini sui vice, exegerat. Cæterum Pictavis paria acturus veniens, a civibus cum gratia susceptus, audivit Bituricos, qui regi parebant Guntranno, hostiliter in Turonicos irruisse, quoniam quidem et ipsi jam se ad Childebertum contulerant. Idcirco, Bituricensibus territorium Turonicum depopulantibus, Maroialensis vici ecclesia, sancto Martino dicata, ab eis est cremata. Ubi evidens apparuit virtus beati confessoris, pallam altari cum circumjacentibus herbis a flamma defendentis. Mirabile dictu, trabes ingentes igne fuisse combustas, et mollitiem lintei seu herbarum mansisse intactam. Cognoscens ergo Garirícus quæ agebantur, misit qui Turonensibus denuntiarent ne ullatenus se ad partem Guntranni transferrent. Ad quæ mandata Gregorius episcopus hæc reddidit responsa : « Guntranno regi, post fratrum obitum, omne regnum Francorum eo jure deberi, ut quemadmodum Clotarius pater ejus super proprios filios, sic Guntrannus super nepotes suos principaretur. Non igitur se repugnaturos, sed ipsum quoque inepte agere se dixit æstimare, qui putaret tanto principi repugnare se posse. » Videns comes non qualia ipse voluerat, sed qualia mandaverat rex, a Turonensibus geri, relicto in urbe Pictavorum Eberone Childeberti regis cubiculario, ipse quasi exercitum contra inimicos congregaturus exinde discessit. Tunc Pictavi fines suos vastari cernentes (nam Turonici cum Aurelianensibus, et sæpe nominatis fœderatis hostibus, agros eorum rapinis ac incendio subvertebant), legatos eis de pace miserunt, petentes ut usque ad placitum, quod patruus cum nepote constituerat, quiescerent. Et tum demum illum, quem Deus sorsque dedisset, dominum essent habituri. Sed, illis respondentibus petitiones eorum non se præposituros regis præceptis, coacti Pictavi, sacramento se fideles Guntranno fore spondentes, fautores Childeberti a suis pepulere mœnibus. Nec tamen hæc facientes diu in fide durarunt. Tandem, adveniente die colloquio regum præfinito, Childebertus mandat Egidio Remensi archiepiscopo legatione fungi apud patruum. Qui nil moratus, ad Guntrannum pergit hocque initium sermonis ad demulcendum principem habuit : « Gratias, inquit, præcellentissime regum, omnipotenti referimus Deo, qui tibi non solum regni tranquillitatem, verum et augmentum quotidie attribuit. » Cui rex : « Illi, ait, vere sunt gratiæ referendæ, qui omnium est benignissimus gubernator regnorum ; non tibi, cunctorum nequissimo hominum, cujus consilio mearum sunt vastati fines urbium, qui, sub veste ovina, non Domini sacerdotis, verum crudelissimi geris officium proditoris. » Silente ad ista sacerdote, præ nimia indignatione unus legatorum ait regi : « Mandat tibi gloriosissimus nepos tuus, dominus noster Childebertus rex, ut patris ejus hæreditatem illi ad integrum reformes. » Ad hæc Guntrannus rex respondit : « Jam me ex hac causa responso satis fecisse arbitrabar. Responderam enim in alio placito quod et nunc respondebo, pactionibus ea mihi cessisse, nec me ulli eis cessurum nisi gratia amicitiarum. » Tunc alter e legatis his ad regem usus est verbis : « Si hæc, inquiens, optime princeps, difficilia tibi videntur impetratu, saltem illa impetret, ut Fredegundis ei ad supplicia dedatur, quæ patrem ejus cum patruo nefandissime interemit. » Huic quoque rex hoc reddidit responsum : « Tradi ei, dicens, nullatenus potest, eo quod filium regem ac rege genitum habet, et eam innocentem a crimine quo impetitur esse puto. » Post hæc Guntrannus Boso, qui dudum, ut prædictum est, ad Childebertum transierat et tunc cum legatis ibi advenerat, quasi aliqua regi Guntranno suggesturus, ad eum accessit. Jubet rex silere, atque eum hujusmodi prævenit sermone : « Quid ais, o bone vir? cujus prudentia ideo Orientis expetiit regna ut nobis ballomirem quemdam (sic namque rex nominabat Gundoaldum) inde arcesseret, qui urbes nostras pervaderet. O semper perfide, et nullo modo in his quæ promiseris permanens! » Respondit ad ista Boso : « Tibi, inquiens, regi in solio regali residenti nemo audet contradicendo obloqui. Verumtamen si quisquam meorum æqualium istud mihi impingeret crimen, objecta armis refellens, Deo opitulante, et te spectante, eum potenter superarem. » Tacentibus interim cæteris, rex subjunxit : « Cunctos pie viventes hoc indignari oportet ac conari ut et medio auferatur hominum tyrannus hic ; cujus pater procurator fuit regalium molendinorum, et (ut verius fatear) lanæ opificio vitam produxit suam, » et quamvis fieri possit ut unus homo utriusque sit artis peritus, propter opprobrium tamen regis quidam ex legatis calumniari cœpit, dicens : « Ne loquaris tam inculte,

o rex. Nam qua ratione potest existere ut cujulsibet hominis sint duo patres, re spirituali excepta? Non sunt hæc regiæ dignitati congruentia verba.» Universis igitur pro his sermonibus in risum solutis, alius legatorum dixit regi: « Vale dicimus tibi, o rex, et quia nepotis tui pacem aspernaris, scito securim fore paratam, qua fratres percussi sunt tui, ut ea excidaris.» His dictis, jussit rex eos a conspectu suo pelli, ac super capita recedentium stercora de plateis collecta projici. Pro tanta igitur injuria vehemens inter reges discordia exorta est.

CAPUT LXIII.

De Fredegundis reginæ in asylo Parisiensi sævitia per Audonem inflammata.

Per idem tempus, Leonardus quidam optimatum Chilperici a partibus Tolosæ adveniens, Fredegundi reginæ adhuc in majore ecclesia Parisiaca residenti intimavit se fuga lapsum ab ejus filia; quam affirmabat in magna victus ac vestitus degere inopia. Quibus verbis regina indignata, præcepit ab eo auferri balteum quem ex munere memorati meruerat regis, ac omni privari dignitate. Simili modo multos ab obsequio filiæ recedentes vel honore privavit, vel contumeliis seu pœnis affecit. Nec verebatur Dominum, aut ejus Genitricem, in cujus manebat basilica, dum perversa ageret adhærente ei Audone, suo in malis omnibus cooperatore; quem populus tunc peremisset, nisi in ecclesiam confugisset.

CAPUT LXIV.

De Prætextati episcopi Rothomagensis restitutione.

Prætextatum sane Rothomagensem pontificem de exsilio mandavit Guntrannus rex reduci. Propter quem cum synodum vellet rex congregare, Ragnemodus Parisiensis antistes dixit a sacerdotibus nequaquam eum communione fuisse privatum, nec esse necesse ideo episcopos vocari. Sic demum Prætextatus urbi restitutus est suæ.

CAPUT LXV.

De diligenti Guntranni custodia sui, et Fredegundis in agrum perfugio et fraude.

Interea commorante rege apud urbem Parisiacam, adveniens quidam pauper suggessit ei ut se a Faraulfo, Chilperici quondam cubiculario, observaret, dicens « se consilium ejus, quod de perimendo rege conceperat, compertum habere.» Audito hoc, rex interrogatum quidem et negantem dimisit, se vero ita armis et custodibus munivit ut nusquam nec ad ecclesiam quidem sine armorum aut custodum munimento procederet. Fredegundem autem in Rotojalensem, Rothomagensis territorii vicum, ad peragendum quod superesse poterat vitæ, direxit. Quam multi optimatum Chilperici prosecuti, eam inibi cum Melanio (qui, Prætextato depulso, ab ea subrogatus, ac post) revocato, a Guntranno rejectus erat) reliquerunt, promittentes se filio ejus Clotario fideliter parituros. At illa exsortem se honoris relictam indignata, et Brunechildem potentiorem (ut erat) æstimans, clericum quemdam fallendi dolis instructum ad eam dirigit, quatenus simulando strenuum famulatum, occultum mortis inferret ictum. Qui, dominæ jussis obtemperans, fingit se, crudelitate Fredegundis offensum, ad Brunechildis properasse conspectum, quod audierit ejus benignum in omnes affectum. Tandem in partem susceptus amicitiarum, omnibus adulabatur, dominam etiam usque ad cubiculi deducens januam, coæqualibus se præbens benivolum, majoribus subjectum. Sed non diu, quis esset, suspicione imminente, valuit tegere; nempe, quæstioni subditus, prodidit omnia malignitatis arcana et, diris affectus suppliciis, ad priorem remissus est dominam. Cui quæ sibi accidissent enarrans, ut quasi suspicio auferri ab animo Brunechildis posset, re autem vera ut pœnas pro eo perpetrato lueret scelere, manuum ac pedum abscisione ab ea est multatus.

CAPUT LXVI.

De Eberulfi punitione, et in beatum Gregorium Turonensem simultate, et Gunranni gestis.

Interjectis diebus, Guntrannus rex Cabilonis regressus, fraternæ necis auctorem sollicite investigans, per responsales Fredegundis Eberulfum, in palatio Chilperici cubiculariis præpositum, ejus sceleris cognovit esse caput. Rogatus vero ab ea idem Eberulfus fuerat ne ipsam desereret. Qui, dum consensum ei denegasset suum, ob id apud regem accusatus est ab illa. Rex igitur, felle commotus, circumstantibus amicis juravit « se non solum homicidam, verum cunctam ejus perditurum generationem, quatenus ausus interficiendorum regum de regno tolleretur Francorum.» Hoc terrore perculsus vir supra nominatus, ad basilicam Sancti Martini cum clericis, quibus frequentes intulerat injurias, aufugit. Tunc Aurelianenses cum Blesensibus ad custodiendum, ne exinde uspiam dilaberetur, jussu regis alternas sortiti vices, in eundo ac redeundo multas agebant prædas. Dumque duo, qui mulas jam dicti rapiebant confessoris, ad domum cujusdam rustici potum petituri advenissent, et ille se habere negaret, unus eorum, protenta hasta, ut eum percuteret, ab eo ictu gladii peremptus est. Alter, casu socii perterritus, aufugiens quæ male pervaserant reddidit. Post hæc facultas omnis Eberulfi, quæ multa erat valde, diversis a rege concessa. Domus quoque, quam intra muros possidebat Turonicos, adeo direptioni tradita est ut nil nisi nudi superessent parietes. Pro his itaque causis calumnias sancto antistiti inferebat Gregorio, quasi cuncta ejus gererentur consilio; minabaturque quod si unquam regis rediret in gratiam, similem ei retribueret vicissitudinem. Verum antistes plus clementia pro ejus miseriis quam indignatione pro illatis ab eo commovebatur injuriis. Cumque foret eidem misero domicilium in sancti Martini salutatorio, et a presbytero (cui servandi oratorii cura delegata erat) reliquæ clauderentur januæ, per ostium illius salutatorii ingressi ecclesiam pueri vel puellæ universa rimabantur ornamenta sacri templi. Quod postquam custos sacræ ædis animadvertit, ac ferreis

ipsas fores affixit clavis, media ferme nocte, in ipsis nocturnalibus hymnis, a præfato Eberulfo episcopus Gregorius et clerici tantis lacessiti sunt conviciis ut laudes Deo debitas relinquere cogerentur. Sed et clericum quemdam jam temulentus, quod vinum sibi non largiretur, super scamnum extensum pene usque ad mortem flagellis cecidit, multorumque cædem in atrio beati antistitis exercuit, non veritus illi ingerere contumeliam cujus quotidie flagitabat clementiam.

Porro una noctium vidit idem episcopus somnium, quod eidem viro retulit, in hunc se habens modum : « Videbam, ait, me sacrosancti Martini astantem altari ac Dominici celebrare mysteria sacrificii, Guntrannumque regem, ipsam ingressum orationis domum, suis imperantem ut te a palla altaris, cui inhærebas, evulsum foras pellerent. Cui cum, intermissis ego missarum solemniis, me obvium præberem, et, ne te contingerent, manibus quoque detinerem, tu interea ara sacra deserta huc illucque pavitans circumflectebaris. Tum ego, ex hoc molestus, dum tibi innuerem ne quoquam abscederes, evigilavi, mecum in animo visionis revolvens causam. » Ad hæc Eberulfus : « Multum, ait, cogitatio mea cum viso quadrat quoque tuo.—Quidnam cogitas, inquit antistes?—Cogito, infit ille, si me Guntrannus rex hinc voluerit extrudere, una manu pallæ altaris inhærente, altera te cum clericis gladio trucidare. » Intellexit episcopus illum dæmonis instinctu talia effari. Nec longum fluxerat tempus, cœperunt fieri actu manifesta, quæ fuerant episcopo visu revelata. Denique, Guntranno quærente virum, qui arte ab ecclesia educens Eberulfum, aut sibi adduceret vinctum aut gladio relinqueret trucidatum, obtulit se Claudius quidam, ad id opus strenuum spondens se fore ministrum. Pollicito itaque sibi tanti sceleris pretio, ad Eberulfum accedit; jurat per Deum perque omnia cœli ac terræ sancta, nullum fidelius aut posse aut velle causam ejus apud regem exsequi quam se. Perpendebat enim infelix alio eum non posse commodius decipi commento quam suo perjurio. Quid plura? Credidit miser dejeranti, ac in crastinum a clericis accitus, cum eo ad convivium accedit. Finitis epulis, Eberulfo, secum per atrium basilicæ deambulanti et mutuam amicitiam jurejurando pollicenti, ait Claudius : « Si forte facultas foret jucundiora reperiri vina, faterer me eorum ardere desiderio. » Respondens Eberulfus cuncta quæ cuperet se præbiturum, dum modo dignaretur ejus adire hospitium, universos dirigit pueros, potioris vini haustum quæsituros. Cernens Claudius illum resedisse solum, cujus magis ipse lethum quam aliud sitiret merum, manus elevans erga sancti Martini sepulcrum, eum in hunc exorabat modum : « Te, inquiens, sancte confessor, oro, ut sospes revisam conjugem cum filio. » His dictis, evaginato gladio impetum faciebat in adversarium. Cujus conatum unus intelligens famulorum, brachiis complexum resupinat Eberulfum. Qui jam a Claudio sauA cius, ibi vagina exemptum ensem inimici defixit in latera; sicque a circumstantibus ejus satellitibus invasus, multis telorum interfectus est ictibus. Claudius vero, tam immanis facinoris sibi male conscius, ad cellam abbatis, confosso latere abscissoque pollice, profugit, poscens se occuli ab eo. Verumtamen irruentibus Eberulfi stipatoribus, vallatur armis domus, jacula per fenestras intro jaciuntur : abba quoque vix a duobus clericis illæsus reseratis extrahitur ostiis. Per quæ introgressi adversarii Claudium sub lecto latitantem nacti jugulant, sociosque ejus simul. Quorum corpora, a domo protracta ac super nudam humum jacentia, parentes amicique colligentes sepelierunt. Ad vindicandum autem homicidium in sacræ ædis atrio perpetratum, etiam energumini ac B pauperes, pro foribus excubantes, cum fustibus et saxis properarunt. Hanc igitur ad se causam perlatam rex Guntrannus graviter primo quidem tulit, donec, comperto rei gestæ ordine, animum ad alia tractanda convertit. Substantiam Eberulfi ii, quibus regalis eam contribuerat potestas, auferentes, uxorem ejus inopem reliquerunt.

CAPUT LXVII.

De Pictaviensis episcopi redemptione, ac populi reconciliatione.

Anno x regni Childeberti, Guntranni autem xxiv, idem princeps adversum Gundoaldum exercitum ex universis urbibus sibi subjectis commovit. E quibus Aurelianenses cum Bituricensibus, Pictaviensem C aggressi civitatem, cives, qui jam a fide desciverant, ad pristinam vi revocantes societatem, episcopum injuriis afficere molichantur. At ille, comminuto uno ecclesiastici monasterii aureo calice, se quidem ab exsilio, populum autem a captivitate redemit.

CAPUT LXVIII.

De Gundoaldi gestis et aliis quibusdam.

In illis diebus, Gundoaldus iter Pictavis destinatum, audita expeditione, ad Engolismam deflexit. Ubi ab antistite et proceribus gratanter exceptus, eorum remunerata sedulitate, Petrogoricas tendit. Cujus præsulem male mulctatum reliquit, eo quod se cum favore non excepisset. Indeque Tolosam petens, præmissis militibus, Magnulfo pontifici sibi D occursum iri mandat. Quapropter Magnulfus convocatam plebem hortatur monetque ut viriliter repugnent, ne forte calamitati quam quondam sub Sigulpho experti sunt, iterato subdantur; meminerintque quatenus Desiderius, ipsius dux urbis, memorati experiatur fortunam viri, si quid simile molitus fuerit. Et hæc quidem populum ad rebellandum excitaverunt. Sed robur adventantis exercitus portas aperiri suasit. Receptum igitur Gundoaldum urbe ac secum prandentem, his episcopus affatur verbis : « Licet te filium Clotarii regnumque tibi deberi astruas, incredibile tamen apud nostros manet animos te quæ cœperis posse perficere. » Respondit ad ista Gundoaldus : « Ego inquit, et Clotario me genitum fateor, et debitam regni portionem

in præsentiarum adeptus, urbe capta Parisiorum, ibi propriam statuam sedem.—Nunquam, ait pontifex, tu ista, impediente Christo, complebis, quandiu quispiam regii superfuerit germinis. » Tum Mummolus alapa Domini sacerdotem percussit, dicens : « Non pudet, ineptissime, tam nugacibus dominum nostrum regem confutare verbis? » Desiderius quoque, agnitis his quæ contra salutem suam populo suaserat, pugnis eum fustibusque cum reliquis cecidit, ac post, func revinctum pedes, direxit in exsilium, raptis tam ipsius quam Ecclesiæ facultatibus. Franci itaque, qui undique ad persequendum Gundoaldum permoti fuerant, usque ad Dordoniam progressi flumen, præstolabantur si quos ejus, fama ferente, persentiscerent motus. Sociaverat se ei Waldo cubicularius Rigundis, vir haud spernendæ potentiæ, reliquis puellæ ministris fuga dilapsis. Sed et Desiderius cum Mummolo ac Bladaste, necnon sagittario (qui sponsionem de præsulatu Tolosano jam elicuerat ab eo) intimi erant in consilio, perque eos res agebatur. His diebus ad amicos in superiori Francia degentes misit epistolas, duobus eas tradens ferendas clericis; quorum unus Caturcinæ urbis incola, ligneam quam ferebat cavans tabulam, immissis litteris ceram superinduxit. Nil tamen illum hæc fraus juvit, quin a fidelibus Guntranni regis deprehensus, patefacta legatione, post flagella custodiæ cum socio manciparetur. Porro Gundoaldus ad Burdegalensem transiens civitatem, Bertranno præsule humanissime se suscipiente, aliquandiu ibi resedit. Quærenti vero ei quæ res inexpugnabilem hostibus eum efficeret indicatum ab uno familiarium est, quemdam Orientis regem, reliquias sancti martyris Sergii brachio alligatas ferentem, semper adversariis prævalere. Cumque sollicite investigaret quis hujus testis Domini patrocinia possideret, Bertrannus episcopus dixit esse in eadem urbe quemdam Syrum negotiatorem, nomine Eufronem, qui olim ab Oriente ea detulit. « Hic, inquiens, in domo sua, quam Ecclesiam consecravit, inter alia miracula illius dilecti Dei meritis patrata, hoc etiam videre promeruit quod, civitate flammata, ipsa basilica permansit intacta. » Mittitur e vestigio Mummolus dux cum ipso episcopo, memoratas inquisiturus reliquias. Cui acrius inquirenti responsum Eufron reddidit : « Noli, obsecro, me ætate confectum defatigare senem, nec sancto illi inferre injuriam. Verum acceptis centum aureis, ab hac desiste intentione. » Econtra ille asserens se, etiam si ducenti darentur, cœpta non deserturum, insuper videns capsulam de pariete pendere, apposita scala, jubet diacono ut ascendens loculum deponeret. Qui præcepto parens, dum sancta manu tangeret pignora, tanto arrigitur tremore, ut confestim ruiturum omnes ipsum putarent. Deposita tamen Mummolo tradidit. Ille, inventum os pretiosi martyris, ausu temerario percussum cultello, in tres partitur partes. Quibus resilientibus nec usquam apparentibus, magnus astantes invadit horror. Prostratis autem illis ad orationem, flentesque præcipue sene, qui se tanto ingemiscebat privatum patrocinio, apparuerunt particulæ haud procul positæ. Harum una Mummolus assumpta discessit. Sed beatus martyr id sibi non gratum fore ex hoc præcipue ostendit quod eidem viro, cujus hæc acta fuerant imperio, noluit esse auxilio. Verumtamen idem Gundoaldus, iterato duos ad regem Guntrannum destinans legatos (quemadmodum olim Francorum mos fuerat legatis), jussit illis virgas ferre sacratas; quibus prolatis, totius immunes forent injuriæ. Hi itaque qui directi erant incaute legationem suam prius popularibus vulgarunt quam regi præsentarentur. Unde rex, eos sibi exhiberi jubens vinctos, severe interrogat unde, vel a quo, seu a quibus directi essent. Illi rem omnem, ut erat, enarrant ordine. Missos se a Gundoaldo Clotarii (ut ipse profitebatur) regis filio, quatenus debitum repeterent regni partem. « Quæ, inquiunt, ni mature restituatur, cum circumjacentibus in proximo depopulabitur urbibus. Nec parvam illico coactam aiebant bellatorum manum, cum, præter Aquitanicas copias, validos speraret sibi ex Austria adfuturos auxiliatores, idque præpotentes ducum ex regno Childeberti nosse, an ipsi vera prosequerentur. » Et hæc quidem legati ad primam interrogationem prodiderunt. Postea vero, ad trocleas extensi et diutissime cæsi, indicarunt Rigundem Chilperici filiam cum Magnulfo, Tolosano pontifice, in exsilium relegatam. Demum, custodiæ deputati, usque ad aliam audientiam jubentur asservari.

CAPUT LXIX.

De Childeberti et Guntranni reconciliatione, et Guntranni consilio Childeberto dato, deque Gundoaldi factione.

Interea Childebertus, nuntiis patrui impellentibus, a loco suæ habitationis digressus advenit ei colloquuturus. Tunc, ex præcepto Guntranni, supramemorati in amborum præsentiam perducti viri, cum prius relata iterum recapitulassent, addiderunt universos Rigundis thesauros a Gundoaldo pervasos ipsumque dicere solitum, invitante Guntranno-Bosone, ab Oriente se ad Gallias transiisse. Cumque principibus Childeberti hæc nota esse asseverarent, suspicio nata est ideo aliquos ad præsens colloquium venire distulisse. Tunc demum Guntrannus rex hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquiens : « Hoc, amantissime nepos, indicio noveris te mihi successurum in regno. Idcirco, tradita tibi a me potestate, cunctas regni mei civitates, tanquam tuas, dispone, reminiscens te solum ex nostra superesse stirpe. » Ita quidem rex, audiente omni populo, proferens, semotum a cœtu aliorum nepotem monuit ne cui manifesta faceret quæ ipse ei dicturus foret. Denique instruens eum quos fidelium de rebus agendis consuli, quosve oporteret a consilio removeri, seu quibus proprii corporis tuendi curam committi, Egidii episcopi fraudulentias ac perjuria, matris quoque Brunichildis versutias cavendas præmonuit. Finita sermocinatione, ad convivium ambo reges

consederunt. Et inter redundantioris mensæ epulas, serenissimus princeps Guntrannus sic alloquitur convivas : « Hortor vos, inclyti Franciæ primates, ut, nepotem meum summo dignum honore censentes, fidei cultum ei exibeatis, quandoquidem ipse, transgressus ævum pueritiæ, suadet meliora de se sperare. Nec contemnatis, ut puerum ; sed reveremini ut dominum. » Post hæc, Childebertus, restitutis sibi a patruo civitatibus, quas pater tenuerat suus, ad propria maturavit regressum.

CAPUT LXX.

De Gundoaldi in Convenas fraude.

Ea tempestate, Gundoaldus a Desiderio derelictus una cum Mummolo, Bladaste ac Waddone, sive Sagittario. Convenas urbem ingreditur. Ea urbs in cacumine præcelsi montis trans Garumnam sita est, procul cæteris remotis montibus. Ad radices rupis fons oritur, cui imminet desuper turris altissima, quæ cives per cuniculum descendentes aquarum a lesione defendat hostium. Circumventis igitur, memoratus vir, ejusdem urbis incolis, ut bona sua intra muros propter adventantem reconderent exercitum, dum illi ejus monitis paruissent, hac eos fraude decepit. Confingens enim hostes jam in proximo esse, ita eos affatur : « En, inimici, egredimini ad resistendum eis. » Quibus digressis, expulso etiam antistite, post eos clausit portas seque ad repugnandum cum satellitibus parat. Quam cæca mens hominum ignara futuri ! Fuit profecto, post, illi dies (videlicet qui simili ordine ipsum expulsum mortalibus ostendit ab urbe) quo, magno emptos pretio, eos qui pellebantur vellet videre receptos, rejectis his qui putabantur fidissimi.

CAPUT LXXI.

De litteris a Guntranno ad Gundoaldum missis, de auri direptione, et de claustri Vincentiani apud Agennenses spoliatione, et ejus ultione, deque callida Gundoaldi querela et reliquis gestis.

His diebus, Guntrannus rex litteras ex persona Brunichildis ei transmisit, suadentis ut, dimissis quas aggregaverat ad hiberna copiis, ipse Burdegalim hiematum secederet. At hostilis ducis agminis, quos super Dordoniam castrametatos fuisse præfati sumus, audientes Gundoaldum ulteriorem tenere Garumnæ ripam fluminis, collecta virorum fortium expeditaque multitudine, fluvium natatu transmeare disposuerunt. E quibus aliqui, infirmis equis vecti, fluvialis aquæ oppressione perierunt. Reliqui, natando ad contrarium delati littus, offenderunt in itinere maximum camelorum mulorumque numerum, auro et argento onustorum, quos fugientes adversarii reliquerant. Quibus captis et, ob impedimenta, cum residuis vulgi dimissis, ipsi quammaximis possunt itineribus Gundoaldum persequuntur. Et venientes ad basilicam Sancti Vincentii Agennensis territorii, resistentibus his qui eo res suas contulerant, ignem ostiis admovent, consumptisque eis, universa intro reperta, cum sacri ministerii utensilibus, auferunt. Adfuit e vestigio divina ultio et, quorumdam manibus sacro igne ardentibus, alii dæmonibus repleban ur, quidam semetipsos interimebant. Tandem residui, Convenas pervenientes, in campestribus castra posuerunt. Vastatur primum tota suburbana regio. Unde quidam, acriori prædæ succensi cupiditate, dum longius a suis recederent, a vicinarum urbium custodibus trucidabantur. Interea, obsidione cœpta, audaciores per ardua collis ascendentes, Gundoaldo conviciabantur, dicentes : « Unde, o siligerinum, hæc tanta tibi præsumptio ut, vitam pictorum arte solitus transigere, nunc te regem audeas nominare ? Nempe, pro similibus ausis, a dominis rerum, regibus scilicet Francorum, sæpe attonsus exsilioque es damnatus. Te quippe universæ Galliæ ballomirem vocitant cognomine. Age nunc, inepte ; nobis responsum redde, quis te coegit ista præsumere ? vel, quos habeas adjutores virium, expone. Namque in proximo nostra captus muscipula, merita lues supplicia pro tua stulta pertinacia. » Hæc et alia illis vociferantibus, nequaquam movebatur ad iram Gundoaldus. Tantummodo ingemiscendo aiebat memoratas sibi a patre illatas contumelias, seque, a propinquis injuste patria pulsum, ab extraneis misericorditer receptum, proximis hostili odio se persequentibus, ab extraneis amica familiaritate receptum. « Deinde, inquiens, dum peregre regum polleremdivitiis intimusque essem imperatoris Constantinopolitani amicitiis, Guntrannus Boso me suis decepit fallaciis. Nam, in Oriente gratia profectum orationis, de salute sollicitus interrogans patris, quærebam una qualiter se status regni vel fratres haberent mei. » Tum ille : « De patre, ait, quæris ? is obiit mortem. Fratres, moriendo secuti patrem, vix quempiam suorum reliquere superstitem. Remansit sane solus Guntrannus, et ipse, liberis orbatus, cum parvulo nepote, ex Sigeberto genito fratre. » Ad hæc ego : « Et quid, inquam, mi amantissime, mihi nunc censes agendum ? Hic vero ille, et me hortabatur Gallias adire, et Francos affirmabat, mei cupidos, mihi velle regnum tradere, maximeque eos qui Childeberti nepotis mei ætatem ad rem tutandam publicam perpenderent inutilem. Nunc igitur vos quoque dominum agnoscentes me fore vestrum, a mea desistite obsidione, mihique favendo, fratrem Guntrannum ad concordiam revocare. »

Talia Gundoaldum prosequentem maledictis adversarii deterrebant, insuperque tela in eum jaciebant. Quintus decimus jam, ex quo ibidem advenerant, fluxerat dies, cum Leudegisilus regalium præpositus equorum, quem vulgo comistabilem vocant, quemque rex ei præfecerat expeditioni, exstructa machinamenta ad subruendos deduci imperat muros. Erant carri vimineis cratibus tabulisque tecti ligneis, in quibus latentes milites fundamenta subfoderent murorum. Sed parum hoc proficiente instrumento (præsertim hostibus, præacutis sudibus, validisque eos inhibentibus saxis) etiam parietes videbantur non fore idonei, eo quod ignibus jactis facile possent exuri. Nam obsessi cuppas, pice ac

sicris repletas lignis accensisque, jacientes desuper, et opera exurebant, et inimicos accessu prohibebant. Consumptoque in hoc certamine die, in crastinum qui obsederant aliud nocendi genus excogitant. Denique, ex virgis ramisque arborum unum facientes miræ magnitudinis fascem, cupiebant eo implere vallem. Verum conatibus eorum, et profunditas vallis, et ignis, ab adversariis de superioribus cum lapidibus missus, restitit. Leudegisilo, contemplanti omnes actus suos irritos fieri, in mentem venit opportunius fore clausos de proditionis tentare sententia. Advocatum itaque Mummolum ad sibi colloquendum incusare cœpit, cur clementissimum regem Guntrannum deseruerit, et iniquissimo tyranno se junxerit. « Quid porro exspectas, ait? an ut capta urbe male dispereas? Quin potius resipiscens ad benignum revertere dominum, relicto illo nugacissimo, post paululum puniendo. » Tunc Mummolus se quidem consulturum respondit. Regressus vero in urbem convocat Sagittarium atque Waddonem. Bladastes enim timens captum iri urbem, injecto domui ecclesiæ igne, dum cæteris ad restinguendum properarent incendium, ipse clam aufugit. Junxerant autem factioni suæ Cariulfum ejusdem urbis civem, cujus apothecis, quæ permultæ erant, ipsi alebantur. Hunc ergo Mummolus cum prædictis adiit. Ostendit deinde quam iniquo res suæ sint constitutæ loco, quamque odiosi ipsi cunctis effecti sint gentibus, dum incerti generis regi favent. Ad extremum hortatur cedant rebus adversum se fluentibus et, si sibi sacramento securitas vitæ ac salutis detur, civitatem jamjamque capiendam cum pseudorege hostibus dedant. Assentientibus sociis, memoratus dux Leudegisilum mandat venire ad colloquium, et quæ sibi cum sodalibus complacuerint exponit. Laudat ille sententiam, jusjurandumque præbet se apud regem suum eorum vitam iri impetratum. Quod si principis voluntas in sua duraverit pertinacia, in qualibet illos se spondet clausuros ecclesia, donec Guntranni defervesceret ira.

Hac Mummolus seductus versutia, Gundoaldum tali identidem circumvenit muscipula : « Prono, inquit, animo devotaque mente me tibi fidelem fore, non solum contra hostes pugnando, sed etiam ipse probasti experiendo. Nam quam sæpe meis usus consiliis, semper fruitus sis prosperis, tute melius scis. Nunc quoque par mihi manet consulendi affectus, sicut tu bene es meritus. Ideo denique cum adversariis sermonem habuit ut eorum erga nos persentiscerem quis sit animus. Qui, in quantum perpendere quivi, tuæ nequaquam adversantur utilitati. Imo mirari se aiunt te tantopere præsentiam fratris vitare, autumareque quod genealogiæ ignarus tuæ cum sciolis diffugias disputare; nec fratri tuæ cupido visionis agnoscendum te præsentare. Si ergo nunc tibi me auscultare placuerit atque ad regis Guntranni præsentiam una cum his mecumque properare, et te hac suspicione exsolves, et tibi pacique consules. » Non fefellit animus Gundoaldum se a Mummolo iri deceptum; eique hoc reddidit responsum : « Ego, inquiens, licet invitus has jam deseruerim partes vobisque impulsoribus Europam adierim, bona tamen voluntate atque integra fide semper vestras fovi partes, nec meas utilitates vestris prætuli commodis. Et quamvis ejus, qui me huc pellexit venire, perfidia in propatulo claruerit, dum et me fugax reliquit et thesaurorum partem furto abstulit, nihilominus ego vos, quasi meæ auctores salutis, perpetuo colui ac in fratrum loco dilexi. Nunc igitur, si secus quod oportet, imo quod decet, adversum me egeritis, præsertim cum ego corpus animamque meam, simul cum consilio ac opibus, in vestris constituerim manibus, scrutator cordium illud advertat Deus. » His dictis, assensum præbuit ut cum eis ad hostes descenderet. Mummolo vero monente, ne superbo utens ad eos iret habitu; quin potius reformato ei, quem ab ipso acceperat, balteo auro fabrefacto, proprio accingeretur, qui fulgori memorati carebat metalli. In hoc, inquit, tua jam patet fraudulentia, dum ea quæ ex tuo usque ad istud possedi tempus repetis. Illo quoque negante ulla se contra eum usurum fraude, ventum est ad portam, ubi eos fortissimi opperiebantur adversariorum duces, Boso videlicet cum Bollone Biturigum comite, non minima satellitum vallati caterva.

Quibus Gundoaldum excipientibus, Mummolus in urbem regressus, portas firmissime obseravit. Cernens Gundoaldus se a suis derelictum, et ab hostibus circumdatum, introitumque urbis sibi præclusum, manus elevans ad cœlum, cum cordis gemitu sic orabat ad Dominum : « Judex æterne ac ultor innocentium, Deus, cui omne patet secretum, qui nullius amplecteris dolum, nec lætaris fraudibus malignantium, esto velox vindex mearum miseriarum, retorquens in eos qui me tradiderunt inimicis deceptionis ipsorum laqueum. » Post hæc verba, consignans se cruce Dominica, cum his qui se ceperant abire cœpit ad eorum castra. Nondum collem, cui civitas imminet, præterierat, et impulsus a Bollone ruit in faciem ferebaturque in profundum vallis. Cumque surrexisset et contra adversum montem niteretur, a Bosone lapide percussus in capite concidit spiritumque exhalavit. Inde fune ligatis pedibus protractus, loricaque qua amiciebatur exutus, ac lanceis confixus, per totum circumducitur exercitum. Mummolus, sane thesauros diripiens universos, in diversis occuluit locis, dataque sequentis luce diei, hostibus portas aperuit urbis. Qui in tantam cædis exarsere insaniam ut etiam sacerdotes Domini ad ipsa jugularent altaria, reliquosque civium cum ipsa concremarent urbe. Quorum dux Leudegisilus clam ad principem Guntrannum nuntios miserat, super traditores civitatis ejus exquisituros judicii sententiam. Ille cunctos gladio puniri præcepit, « ut hujusmodi ausus de regno tolleretur Francorum, ne quis scilicet tyrannis in reliquum

suffragari auderet. » Quo cognito, Cariulfus cum Waddone e castris fuga lapsi sunt. Mummolus, quosdam ad arma concurrere cernens et super se irruere eos velle intelligens, ad tabernaculum Leudegisili recta graditur via, incusans fidem sibi pollicitam infringi. Cui Leudegisilus : « Ego, inquit, progressus cuncta mitigabo. » Et his dictis, prolato extra limen ostii pede, signum suis, ut Mummolum cum Sagittario episcopo morti traderent, dedit. Illis jussa facere maturantibus, pueri Mummoli eo præcipiente aditum domus defensare nitebantur, donec dominus eorum armis se muniret. Sed aliquibus eorum letho occumbentibus, aliis vulneratis, Mummolus armatum se ostio objicit et, adversarios omni virtutis conamine cædens, exinde removit. Quos dum loco cedentes incaute insectatur, egressus domum a lateribus circumvenitur confixusque telis concidit exanimis. Cujus casu Sagittarius, quondam episcopus, turbatus, dum staret stupens, quidam ad eum : « Ut quid, ait, episcope, hic ac si amens consistis? Quin potius operto, ne agnoscaris, capite festinus silvam pete. » Cui dum pontifex parens plantas fugæ commendasset, quidam velociter gradienti caput cum operimento eum assecutus abstulit. Leudegisilus ad sua cum victore exercitu regredi festinans, dum milites nequaquam a rapina coerceret, cuncta per quæ transitus fuit, vastata reliquit.

CAPUT LXXII.

De Rigundis ad matrem revectione.

His diebus, Fredegundis Cuppanem cubicularium suum Tolosam direxit, exploraturum quonam pacto erga filiam suam res sese haberent. Cui etiam hoc commisit mandati ut, quocunque valeret ingenio, eam ad patruum reveheret solum. Qui dictis obaudiens Tolosam petiit, reginæque filiam in magna humiliatione constitutam offendit; et in quantum posse illi adfuit, ad matrem celerrime devexit.

CAPUT LXXIII.

De Mummoli rebus fisco addictis, et Italiæ diluvio magno et pestilentia.

Guntrannus vero, thesauros Mummoli sibi exhiberi præcipiens, uxori ejus, propter nobilitatem qua pollebat generis, ea quæ per arrhabonem meruerat concessit. Fuerunt autem in thesauris memorati ducis talenta auri XXX, argenti CC. Quæ omnia Guntrannus, et Childebertus nepos ejus, partiti, Clotarium extra partem constituerunt. Ea tamen quæ Guntranno regi evenerant, ab ipso utilitatibus Dei ecclesiarum distributa sunt. Enimvero oblatus est ei ex familia jam dicti principis, inter memorata xenia, homo tam immensi corporis ut aliorum statum hominum trium excederet mensura pedum. Eo tempore, Authari super Longobardos regnante, fuit aquæ diluvium in finibus Venetiarum et Liguriæ, et cæteris regionibus Italiæ, quale post Noe tempora creditur non fuisse. In hac valida aquarum procella in tantum apud urbem Romam Tiberis excrevit ut aquæ ejus super muros urbis influerent et maximas in ea regiones occuparent. Subsecuta est statim hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant. Quæ primum papam Pelagium perculit et sine mora exstinxit. Deinde, pastore interempto, se in populos extendit.

CAPUT LXXIV.

De beati Gregorii in papam electione, et Anglorum seu Britannorum ad fidem catholicam conversione.

Dum igitur tanta tribulatio miseram quateret urbem, beatus Gregorius, qui tunc levita erat et sub pontifice Pelagio apocrisiarii functus officio, a cunctis generaliter papa electus est. In cujus ordinatione cum nihil aliud quam jussio principis deesset (non enim licebat tunc temporis quemlibet in Romana civitate ad pontificatum promoveri, absque jussione principis Constantinopolitani), vir Domini Gregorius legatum ad Mauricium direxit imperatorem, obsecrans ne populo in sui electione præberet assensum. Cujus litteras præfectus urbis interceptas disrupit, et consensum populi imperatori transmisit. Qui valde gavisus quod locum aptum largiendi honoris diacono, olim sibi amicitiæ familiaritate charissimo, reperisset (nam filium imperatoris de sacro fonte susceperat), eum absque dilatione ordinari præcepit. Ordinatus autem, tam cautum tamque humilem se in omni sua præbuit actione ut, sicut ex gestis sive scriptis ejus dignosci potest, vix ullus in successoribus ejus illi inveniri possit similis in flore eloquentiæ ac puritate doctrinæ, vel etiam in sanctitate vitæ. Tunc temporis idem beatus Gregorius Augustinum et Mellitum, necnon Joannem, cum aliis servis Dei, ad Britannias dirigens, suis eos litteris, episcopis ac regibus Francorum, per quos illis transeundum erat, commendavit. Quorum prædicatione nationem Anglorum ad Christi fidem conversam esse in tantum gavisus est ut, in libris Moralium hujus rei faciens mentionem, inter cætera de fructu bonorum operum suorum gratulans, diceret: « Ecce, ait, lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat quam barbarum frendere, nunc in Dei laudibus Hebræum novit *Alleluia* resonare. »

CAPUT LXXV.

De Mummoli supplicio, de aeris intemperie, Leudegisili patriciatu, Theodeberti ortu, et aquarum in Burgundia inundatione.

Anno XXV regni Guntranni, Mummolus patricius, rebellionis convictus, jussu ipsius regis Senonia villa jugulatur. Ejus vero uxor Sidonia, cum omni thesaurorum copia, a domnulo domestico ac Wandalmaro cameræ regis præfecto, Guntranno præsentatur. Anno XXVI ejusdem principis, exercitus ipsius Hispaniæ petens, insolita aeris temperie gravatus, infecto negotio est regressus. Vicesimo autem septimo, Leudegisilus ab eodem Guntranno patricius in Provincia ordinatur. Natus quoque est Childeberto regi filius, nomine Theodebertus. Eo anno nimia inundatio aquarum in Burgundia fuit, egressaque sunt flumina terminos suos. Signum vero apparuit in cœlo globus igneus, qui cum maximo to-

nitrus fragore scintillans in terram decidit. Ipso quoque anno Siagrius comes, ex præcepto Guntranni, Constantinopolim ad componendam cum imperatore pacem profectus, inibi fraude patriciatum assumere voluit. Quæ res cœpta quidem est, sed ad effectum minime deducta. Lewigildus, etiam Hispaniæ rex moriens, Richaredo filio regnum reliquit.

CAPUT LXXVI.

De Theodorici filii Childeberti nativitate, et ipsius Childeberti in regni successione confirmatione.

Anno XXVIII supra memorati regis, ipsi principi nuntiatur Childeberto suo nepoti alterum natum esse filium, nomine Theodoricum. Unde eum cum Brunechilde matre ejus ad se evocans, iterum hæredem regni sui testamento ipsum fore designavit. Acta sunt hæc loco nuncupato Andalao, quo soror simulque uxor Childeberti adfuerunt multique e Francia et Burgundia potentes, ut palam omnibus daretur agnosci Childeberto, post avunculi sui Guntranni funus, regnum Burgundiæ deberi.

CAPUT LXXVII.

De primatibus Childeberti læsæ majestatis convictis, et de Authari Longobardi cum Theudelinda nuptiis, Recharedique Hispani fide catholica, et de exercitu Burgundionum in Hispaniam misso.

Eo tempore, Setacechingus et Boso-Guntrannus, Ursio quoque ac Bertefredus, optimates Childeberti regis, eo quod eum tractassent perimere, ipso ordinante perempti sunt. Sed et Leudefredus Alemannorum dux offensam antedicti regi incurrens, fuga elapsus ne morti adjudicaretur, latuit, et Uncelenus loco ipsius dux substitutus est. Porro apud Bajoariam post Garibaldum Tassilo ab Childeberto rex ordinatus est. Qui mox cum exercitu Sclavorum Provinciam introiens, parta victoria ad solum proprium cum maxima remeavit præda. Fuit autem Garibaldus (cujus nunc mentionem fecimus) socer Authari regis Longobardorum ex Theudelinda filia sua. Quam memoratus Authari per semetipsum, sub specie legatarii profectus, in domo paterna contemplatus est, eamque adamavit, et postmodum sibi in matrimonium junxit. Quo tempore Recharedus rex Gothorum, non patris Lewigildi perfidiam, sed fratris Hermenegildi fidem sectatus catholicam, prius a Leandro episcopo baptizatur secretius; deinde omnes libros sectæ Arianæ apud Toletum uno in loco adunari præcipiens, igne cremavit, et Gothos ad veræ fidei unitatem adduxit. Anno XXIX regni Guntranni, iterato exercitus Burgundionum Hispaniam ingreditur; sed negligentia Bosonis militiæ principis, graviter Gothorum gladiis obtruncatis quibusdam e suis, vix ad patriam est regressus.

CAPUT LXXVIII.

De tunicæ Domini inconsutilis inventione, de lunæ obscuratione et prælio cum Britannis, in quo alter Francorum ducum desideratus est, alter, cui multa postea indicta est, misere inops factus.

Tricesimo vero sæpe dicti principis anno, fama per totos Francorum divulgavit fines tunicam Domini nostri Jesu Christi, quæ ei in passione sublata est et uni militum sorte tradita, juxta illud Prophetæ vaticinium: *Quia super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI), inventam esse profitente quodam Simone, Jacobo patre progenito. Qui per duas fere hebdomadas pœnis affectus, tandem professus est ipsam tunicam in civitate Zaphat, procul a Hierosolymis, in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus, et Thomas Hierosolymitanus, Joannes quoque Constantinopolitanus episcopus, cum aliis multis pontificibus, triduano completo jejunio, cum devotione maxima transtulerunt, ac in loco quo crux Dominica veneratur posuerunt, cum ipsa, in qua prius fuerat, marmorea arca. Quæ tantæ levitatis, dum efferretur, fuisse visa est ut nullum onus portantes sentirent. Eo anno luna obscurata est, et inter Francos ac Britannos super fluvium Wisnona bellum ortum, ubi Bepelenus dux Francorum, factione Ebrecharii alterius ducis, a Britonibus jugulatur. Unde post, Ebrecharius multam, quam lex parentibus interfecti solvendam esse præcepit, reddere coactus, ad inopiæ malum devolutus est.

CAPUT LXXIX.

De Authari Longobardi legatione ad reges Francorum, et morte.

Anno XXXI Guntranni regis, Theodefredus dux Ultrajuranus moritur, eique Wadalmarus succedit. Interea rex Longobardorum Authari legationem verbis pacificis ad Guntrannum regem dirigit. A quo iidem legati jucunde suscepti, et ad Childebertum sunt directi, ut per ejus nutum pax cum gente Longobardorum firmaretur. Dumque legati Authari regis in Francia morarentur, rex Authari apud Ticinum veneno, ut tradunt, accepto moritur. Statimque a Longobardis nuntius mittitur ad Childebertum regem Francorum, qui Authari regis mortem eidem nuntiaret pacemque ab eo expeteret. Quod ille audiens, legatum amice quidem suscepit, pacem vero in posterum se daturum promisit. Post aliquot tamen dies eum promissa pace dimisit.

CAPUT LXXX.

De Theudelinda Authari vidua, Agilulfo nubente.

Defuncto Authari, Theudelinda regina, quæ satis placebat Longobardis, permissu eorumdem Agilulfum, qui et Ago dictus est, ducem Taurinatium, virum strenuum ac bellicosum, et sibi maritum et Longobardorum genti regem elegit. Ad hanc reginam sapientissimus papa Gregorius quatuor Dialogi sui libros, quos de Vita sanctorum scripserat, direxit, sciens eam et Christi fidei deditam et in bonis actibus esse præcipuam.

Circa hæc tempora, cœnobium beati patris Benedicti, quod in castro Cassino situm est, a Longobardis noctu invaditur. Qui, universa diripientes, ne unum quidem monachum tenere potuerunt, ut prophetia venerabilis Benedicti patris, quam longe ante prævideral, impleretur, qua dixit: « Vix apud Deum obtinere potui, ut ex hoc loco mihi animæ cederen-

tur. » Fugientes porro ex eodem cœnobio monachi Romam petierunt secum codicem sanctæ regulæ, quam præfatus pater composuerat, et quædam alia scripta, necnon pondus panis et mensuram vini, ac quidquid ex supellectili subripere potuere, deferentes. Monasterii autem Cassiniensis, post beatum Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius, deinde Vitalis, ad extremum Bonitus, congregationem rexit, sub quo hæc destructio facta est.

Anno XXXII regnante Guntranno, ita a mane usque ad medium diem sol minoratus est ut tertia pars ex ipso vix appareret.

CAPUT LXXXI.

De Guntranni regis obitu et claustrali institutione.

Anno XXXIII ejusdem regis, ipse rex corpore exemptus, terrenum (ut creditur) regnum pro cœlesti commutans, in ecclesia Sancti Marcelli Cabilonis sepultus est. Hanc denique basilicam ipse, ut præfati sumus, divino succensus amore, in suburbio quidem prædictæ civitatis, sed in territorio Segonum, saltuque Brexio studiosissime ædificavit. Ubi monachos aggregans, monasterium construxit, quod pluribus prædiis facultatibusque ditavit. Synodum XL episcoporum aggregari præcipiens, ut ordo psallendi, qui in loco sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi regis ab Avito et cæteris pontificibus illius temporis institutus fuerat, in cœnobio quod ipse fabricarat teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad sepulcrum sancti Martini antiquitus celebratus, necnon in monasterio S. Dionysii (ut post declarabitur) a Dagoberto rege agi præceptus, et a nobis cujusmodi esset exquisitus, taliter se habere est repertus. In diebus namque æstivis sex antiphonæ binis psalmis explicabantur. Porro toto Augusto, propter crebras festivitates, manicationes fiebant. Manicare autem mane surgere dicitur. In Septembri vero septem antiphonæ canebantur, distributis unicuique binis psalmis; in Octobri octo, cum ternis psalmis; in novembri novem, cum ternis itidem psalmis; in Decembri decem, cum ternis similiter psalmis. Verum in Januario ac Februario, ut possibilitas sinebat, hoc tamen observantes, ne minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad sextam tamen sex psalmi cum *Alleluia*, ad duodecimam, duodecim, idque cum *Alleluia*, psallebantur. Sed de his ista sufficiant. Fuit autem Guntrannus in bonitate præcipuus, in eroganda pauperibus alimonia largifluus. Christi sacerdotibus se humilem præbens, leudis suis benivolum, gentibus externis pacatum. Talibus itaque pollens virtutibus, multis nationibus ejus laudes præcinentibus, præsens regnum Childeberto nepoti suo relinquens, ipse ad supernum migravit.

CAPUT LXXXII.

De Childeberto ultionem de patre et patruo in Fredegundem meditante.

Childebertus, ducorum regnorum vallatus præsidiis, ultionem patris et patrui, quos factione Fredegundis perisse certis habebat compertum indiciis, meditabatur. Congregatis igitur cunctis austrasiis et de regno Burgundiæ auxiliaribus validis, Gundoaldum ac Wintrionem duces his præficit, mandatque ut, terram hostilem petentes, prædas agant, incendia spargant, captivos quamplures abducant. Qui e Campania Remensi digressi, pagum Sue sionicum vastaturi aggrediuntur, cum interim Fredegundis, evocatis qui sibi parebant Francis, ascito etiam Landerico (qui tutor a Guntranno, ut meminimus, Clotario filio suo datus fuerat) facta concione sic universos alloquitur et puerum præ se gestans, rogat: « Ne infantiam regis pupilli contemnentes, hostibus depopulandos agros relinquant. Meminerint se non contemptum pueritiæ promisisse, sed venerationem majestati regiæ. Foverent porro honorem, quem conferendum in cunis adhuc posito æstimavissent, ne in matura ætate vacuus potestatis, plenus ignominiæ rex remaneret. Se certe, quibus posset modis, remunerationi pro filio non defuturam, quæ spectatrix cunctorum, ac testis uniuscujusque vel ignaviæ, vel virtutis, in eminentiori constituta loco desuper pugnam spectaret. » Cumque his exhortationibus, muneribus quoque, eos ad belli certamina reddidisset animosiores, ad extremum intulit: « Ne, ait, quempiam vestrum multitudo deterreat adversariorum. Si aperta congrediamini fronte, inveni fallendi eos viam, quæ vobis pariat victoriam. Vos tantum sequimini me præviam, et quæ Landericum, vicem regis agentem, me suggerente videritis facere, vos quoque eadem facite. » Placuit cunctis quod dixerat regina, et ex consilii sententia regem adhuc matris sugentem ubera ferrata sequuntur agmina. Intempesta nocte surgens exercitus, silvam Landerico ducente est ingressus. Qui, arrepta securi, ramum præcidit arboris, suspensumque tintinnabulum collo equi cui insidebat ferens, hortatur socios ut suum omnes sequantur exemplum. Qui certatim arborum præcisis ramis, arreptisque una tintinnabulis, factum imitati ducis, matutini hostilibus astitere castris. Interea Fredegundis Clotarium filium suum propriis gestans ulnis, usque ad locum certaminis armatum præcedebat exercitum, ut miseratio eos infantis accenderet, quem, si victi forent, captivum de rege facturi videbantur. Sed unus hostium, qui cum sociis prætendebat munia vigiliarum, clara necdum luce eos conspiciens adventare, et rem prorsus ignorans, conversus ad socium: « Quænam est, ait, hæc quam contemplor silva, cum hesterno vespere hic nulla apparerent vel minima virgulta? » Cui socius: « Tu, inquit, pridianas adhuc ructans epulas, vinoque solutus, oblivioni mandasti proximi saltus opportuna nos equis nostris invenisse pascua. Nunquid non audis tintinnabula pascentium equorum collis dependentia? » Mos quippe antiquis inoleverat Francis, et maxime Austrasiis, ut pascentibus equis tintinnabula imponerent, quo, si forte longius in pascendo aberrassent, eorum sonitu dignosci possent. Dum igitur vigiles hos atque hujusmodi inter se serunt sermones, silva, quæ prius apparuerat con-

densa, decidentibus ramis fronde quidem rarissima, sed armorum nitore videbatur densissima. Turbatis itaque custodibus, et quid agerent hæsitantibus, superveniente exercitu, cum adhuc fessi multo superioris diei labore quiescerent, alii in suis stratis, alii expergefacti, sed somno soluti pœnas dabant. Cæsi multi mortales; reliqui in fugam vertuntur. Ipsi duces, ascensis equis, vix discrimen evasere mortis. Landericus Wintrionem frustra sequi conatus, velocis equi rapido vectum cursu minime valuit assequi. Parta tanta ac tam insperata victoria, Fredegundis cum filio Clotario, et cum armatorum maximo cuneo, Remensem invadit Campaniam, replens omnia incendio et sanguine. Vastabantur cuncta die noctuque, exurebantur ædificia, diripiebantur patrimonia, perimebantur quicunque erant habiles ad bella, infirmi servabantur ad servitutis officia. Ubi cædibus ac rapinis satisfactum, Fredegundis suum Suessionas reduxit exercitum. Acta sunt hæc in pago Suessionico, in loco nuncupato Trueco.

CAPUT LXXXIII.

De mutua Francorum Brittonumque cæde, de Varnorum exitio, Gripponis legatione, et Francorum in Italiam expeditione.

Anno secundo cum regnum suscepisset Burgundiæ Childebertus, exercitus Francorum simul ac Brittonum in mutuum inhiantes interitum, mutua semet cæde prosternunt. Sequenti anno multa in cœlo signa sunt ostensa et apparuit stella cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum Varnis, qui rebellare tentabant, conflixit; quos etiam pene usque ad supremum exitio dedit. Hac etiam tempestate Grippo legatus Childeberti, cum a Constantinopoli remeasset, et eidem regi quomodo honorifice ab imperatore Mauricio susceptus foret nuntiasset, et quod injurias, quas apud Carthaginem perpessus fuerat, imperator ad voluntatem Childeberti se ultum ire promisisset, Childebertus iterato viginti duces cum lecta in Italiam dirigit pube, ad delendam Longobardorum gentem. E quibus Andoaldus, et Olo, atque Cedinus eminentiores fuere. Sed Olo, cum improvide ad Bilitionis castrum accessisset, jaculo sub mamilla sauciatus cecidit et mortuus est. At vero Andoaldus et sex duces Francorum, ad Mediolanensium urbem venientes, in campestribus castra posuerunt. Quo loco imperatoris legati ad eos venerunt, nuntiantes adesse exercitum in adjutorio eorum, dicentesque : « Quia post triduum una cum eis veniemus, et hoc vobis erit signum : cum videritis villæ hujus, quæ in monte est sita, domos incendio concremari, fumumque usque ad cœlos conscendere, noveritis nos cum cohortibus, quas pollicemur, adventare. » Sed exspectantes Francorum duces diebus sex juxta placitum, nullum ex his quos legati promiserant venisse conspexerunt. Cedinus autem cum tredecim ducibus lævam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, a quibus etiam sacramenta exegit. In Tridentino quoque territorio, decem castella a Francis diruta, et commanentes in eis universi ducti captivi. Pro Ferruge vero castro, intercedentibus episcopis Ingenuino de Savione, et Agnello Tridentino, data est redemptio, per caput uniuscujusque viri solidus unus, usque ad summam sexcentorum solidorum. Interea Francorum exercitus, cum esset tempus æstivum, propter inconsueti aeris incommoditatem, dysenteriæ morbo graviter laborabat. Cumque per trium curricula mensium Italiam pervagaretur, neque regem, quem perditum venerat, attingere valeret, eo quod se intra Ticinensem clausisset urbem, aeris, ut diximus, infirmatus intemperantia ad propria rediit.

CAPUT LXXXIV.

De Childeberti et uxoris interitu, et filiorum ejus Theodeberti et Theodorici successione.

Anno IV regni Burgundiæ a Childeberto suscepti, paterni vero regni vicesimo tertio, ætatis porro suæ XXV, idem rex Childebertus cum uxore propria, sicut fertur, vi veneni exstinguitur. Hic est Childebertus filius Sigeberti, qui etiam Junior dictus est. Cui successerunt duo filii sui, adhuc pueruli sub tutela aviæ Brunechildis constituti; et Theodeberto quidem regnum Austrasiorum, quod pater Childebertus a genitore suo Sigeberto sibi relictum acceperat; Theodorico autem regnum Guntranni, quod Childebertus jure adoptionis tenuerat, sorte obvenit. Qui etiam sibi sedes in his locis, in quibus et priores constituere reges. Ad hos fratres et ad aviam eorum Brunechildem exstant epistolæ beati Gregorii Romani pontificis, Augustinum, quem Anglis Saxonibus destinaverat episcopum, illis commendantis. In quibus idem vir Domini petenti memoratæ reginæ fatetur se reliquias beatorum apostolorum Petri et Pauli misisse.

CAPUT LXXXV.

De Hunnorum in Thoringam irruptione, et Agilulfi seu Agonis legatione in Franciam.

Tunc temporis Hunni, qui et Avares dicuntur, a Pannonia egressi, in Thoringam bella gravissima cum Francis gesserunt. Qui tamen a Brunechilde, seu ab ejus nepotibus, accepta pecunia redierunt ad propria. Ago quoque rex Longobardorum, causa eorum qui ex castellis Tridentinis captivi a Francis ducti fuerant, Agnellum Tridentinum episcopum in Franciam misit. Qui exinde rediens, aliquantos secum captivos, quos Brunechildis ex proprio redemerat, revocavit. Evuin etiam dux Tridentinorum a præfato principe missus, pro obtinenda pace ad Gallias perrexit. Qua impetrata, ad Italiam reversus est.

CAPUT LXXXVI.

De Fredegundis grassatione et morte, Quintrionis cæde, Coleni patriciatu, inguinaria peste, piscium præ fervore fluvii decoctione, et Warnecharii liberalitate.

Eo igitur anno quo Childebertus vita decessit, Fredegundis regina, cum filio Clotario, superioris victoriæ elata triumpho, Parisios et reliquas urbes ritu pervasit barbarico. Quorum exercitus super Theodebertum et Theodoricum reges irruens, aduna-

tas ab ipsis militares copias loco nominato *Latophao* gravi cædo labefactavit reliquosque in fugam egit. Anno II regni Theodeberti ac Theodorici, Fredegundis regina senex et plena dierum defuncta est, ac in basilica Sancti Vincentii in suburbano Parisiacensi sepulta. Anno III supradictorum regum, Quintrio dux, instigante Brunechilde, interficitur. Sequenti abhinc anno Colenus, genere Francus, patricius ordinatur. His diebus, apud Massiliam et reliquas Provinciæ civitates, nascentibus in hominum inguinibus, seu delicatioribus locis, quibusdam glandulis in modum nucis, maxima generata est mortalitas. In lacu quoque Dunensi, in quem Arula flumen influit, aqua fervens adeo ebullivit, ut multitudinem piscium decoctam ad littus projiceret. Warnecharius autem major domus regis Theodorici moriens omnes facultates suas in alimonias pauperum distribuit.

CAPUT LXXXVII.

De Brunechildis casu, mirabilique errore, et gratitudine in pauperem ductorem, deque prodigiis cælestibus.

Porro Brunechildis a Theodeberto nepote suo, et proceribus qui ei parebant, de regno Austrasiorum expulsa, et a quodam paupere in Marciacensi campania sola inventa et cognita, ipsa petente ab eo ad Theodoricum alterum nepotem suum est deducta. Theodoricus aviam Brunechildem, eo quo digna erat honore susceptam, secum quoad vixit fecit manere. Pauper, quo ductore sæpe fata usa fuerat regina, ob hujus vicissitudinem beneficii Antissiodorensem adeptus est episcopatum. Anno V memoratum regum, iterum ea, quæ superioribus annis, apparuere signa, globi scilicet ignei, in partibus occidentis per cœlum currentes, instar multitudinis astrorum.

CAPUT LXXXVIII.

De crudelissimo regum inter se conflictu, et angeli visione, Clotariique fuga et damno.

Theodebertus itaque ac Theodoricus conceptam jam dudum contra Clotarium patruelem suum rixam tandem parturiunt, et, adnitente avia Brunechilde, super fluvium Arvenna, nec procul a Doromello vico, cum eo prælio confligunt. Ibique tanta strages ex utrisque partibus, et maxime ex Clotarii parte, facta est, ut fluvius ipse humanis oppletus corporibus suos nequiret explere cursus. In ea pugna angelus Domini evaginatum astans visus est tenuisse gladium. Clotarius suos immanissime sterni conspiciens, in fugam vertitur, et per Milidunum castrum in insula Sequanæ situm, Parisius properat. Theodebertus et Theodoricus post terga fugientem secuti, civitates regni ejus magna ex parte evertentes, cives servituti subjiciunt. Coactus Clotarius tenorem pacti ab hostibus propositi, invitus licet, firmavit, ut inter Ligerim et Sequanam, usque ad mare Oceanum limitemque Brittonum, dilataretur Theodorici regnum, et inter Sequanam et Iseram ducatus integer Denteleni, itemque usque ad mare Theodeberto cederet. Duodecim tantum pagi, inter Sequanam ac Iseram usque ad maris Oceani littora, Clotario remanserunt.

CAPUT LXXXIX.

De Catini cæde, Sigeberti ortu, Egilæ nece, Vasconum domatione, Adoaldi Langobardi sublimatione, strage apud Saxones.

Anno VI regni Theodeberti, necnon et Theodorici, Catinus dux Theodeberti interficitur. Sequenti abhinc anno, Theoderico ex concubina nascitur filius, nomine Sigobertus. Et Egila patricius nullis culpis exstantibus, sed sola suggerente cupiditate, per consilium Brunechildis est peremptus, facultatesque ejus fisco associatæ. Eo tempore Theodebertus ac Theodoricus Wascones domuerunt, ducemque super eos, nomine Genialem, instituerunt. His diebus, levatus est Adaloaldus rex super Longobardos Mediolani in præsentia patris sui Agilulfi regis, astantibus legatis Theodeberti regis Francorum, et desponsata est eidem regio puero filia regis Theodeberti, et firmata est pax perpetua cum Francis. Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna strages ab utrisque partibus facta est.

CAPUT XC.

De inventione corporis beati Victoris, de Etherii Lugdunensis archiepiscopi obitu, de Childeberti minoris ortu, Desiderii episcopi dejectione, et Dommili subrogatione, ac solis eclipsi.

Beatus vero Econius pontifex Mauriennensis corpus sancti Victoris, qui Solodoro una cum sancto Ursio passus fuerat, hoc modo invenit : Quadam nocte in sua civitate quiescentem revelatio divina per visum admonuit, ut surgens quantocius ad ecclesiam, quam Sedeleuba quondam Burgundionum regina in suburbano Genabensi construxit, iret. Ibi, in medio basilicæ, esse designat locum, quo corpus sanctum esset humatum. Cumque episcopus Genabensem festinus adisset urbem, assumptis secum Rustico et Patricio antistitibus, triduano peracto jejunio, nocte sequenti, eo loci, quo gloriosi martyris quiescebant membra, lux cœlestis apparuit. Tunc hi tres Domini sacerdotes, elevato quo tegebatur lapide, invenerunt sanctum in arca argentea jacentem. Cujus facies, septempliciter quam cujuslibet viventis hominis, divino irradiata resplendebat fulgore. Huic tam mirandæ egregii martyris inventioni interfuit Theodoricus princeps, qui loco illi maximam portionem facultatis Warnecharii contulit; quam ille, ut præfati sumus, eleemosynis delegaverat erogandam. Ad sepulcrum denique beatissimi Victoris, Christi potentia multa exinde miraculorum ostendit signa. Eo anno, Etherius Lugdunensis archiepiscopus obiit, ordinatusque est Secundinus loco ipsius.

Anno VIII regni Theodeberti, ex concubina nascitur ei alter filius, avum Childebertum nomine referens. Synodus etiam Cabillono collecta Desiderium Viennensem episcopum dejecit, eoque factione Brunechildis et Aridii Lugdunensis pontificis, qui Secundino successerat, in exsilium acto, subrogatus

est Dommilus in sacerdotali officio. Eo anno eclipsis A so is facta est.

CAPUT XCI.

De Corbi ortu, Bertoaldi interitu, et Protadii Brunechildis amatoris insolentia, ac regum conflictu.

Anno IX memorati regis, iterato ei filius nascitur, nomine Corbus. Comes palatii ipsius principis tunc temporis Bertoaldus erat vir sapiens et cautus, moribus regis congruus, in prælio fortis, ac in commisso fidelis. Protadius vero quidam erat, genere Romanus, Brunechildi causa stupri familiarissimus, et ob id in pago Ultrajurano, post Wandalmarum, ab ea dux constitutus. Crescente itaque consuetudine vitii, crevit simul et desiderium honoris augmentandi. Tacite ergo hoc præmeditata consilium, præsumpsit nepotem orare suum ut interficeret Bertoaldum, et majorem totius regiæ domus constitueret Protadium. Tum forte Bertoaldus a Theodorico cum trecentis in Neustriam, ut partem regni ejus tueretur, directus viris, Arenauno [*al.*, Arelauno] villa venationi operam dabat. Quo comperto, Clotarius filium Meroveum, et Landericum ducem, datis in adjumentum viris strenuis, ad opprimendum Bertoaldum dirigit. Bertoaldus hostes super se, certis nuntiis id deferentibus, irruere velle cognoscens, et se ad resistendum viribus imparem fore sciens, terga vertens Aurelianis se confert, ibique a beato Austreno ejusdem urbis episcopo suscipitur. Landericus ante portam civitatis Aurelianensis exercitu deducto, Bertoaldum ad pugnam egredi provocabat. C Cui Bertoaldus : « Numeroso, ait, vallatus milite confidis me cum paucis tibi non posse resistere. Verum, si placet, nos duo singularis ineamus certamina pugnæ, procul suspensa armatorum multitudine et rei eventum exspectante. Nullius adsit solatium satellitis, solius exspectetur examen justi judicis. » Recusante Landerico congredi, Bertoaldus iterato dixit ei : « Quia formido te nunc prohibet mecum manum conserere, proximum est ut domini nostri, pro tuis ausis temerariis, quibus præsumpsisti præripere partem regni domini mei regis, inter se decernant cum armatorum cuneis. Tunc, si placebit, ego et tu vermiculatis adoperti vestibus, inter conferta congrediamur agmina. Ibi et meæ probrum ignaviæ, et virtutis tuæ poteris documenta D persentiscere. »

Has conditiones non renuente Landerico, utrique quædam sibi adinvicem, si a cœpto desisterent, imprecanti sunt maledicta. Hæc dum in die festivitatis sancti Martini gesta fuissent, et Theodoricus pro certo agnovisset quod pars regni sui a Clotario pervasa foret, ipsa die qua incarnati Verbi nativitas a cunctis fidelibus devote colitur, promovet exercitum, et apud Stampas super fluvium Junna, contra Clotarium, qui haud segnius parabat occurrere, aciem dirigit. Sed dum arctus esset Junnæ fluminis transitus, antequam totum Theodorici pertransiret agmen, initum est certamen. Inter confertissimas igitur, ac in mutuam inhiantes perniciem phalanges, Bertoaldus nominatim Landericum vocitare, et ut secum juxta placitum congrederetur, non cessabat provocare. Quod dum Landericus abnueret ac paulatim loco cederet, Bertoaldus ad solum subeundæ mortis affectum insurrexit. Et quia jam cognitum habebat, quod Brunechildis eum a pristino honoris gradu dejicere, ac Protadium pro eo moliretur constituere, melius judicavit cum decore bello oppetere quam reliquum quod superesse poterat vitæ cum dedecore ducere. Dum itaque palantia studet impulsare agmina oppressionemque in cedentes hostes facere, occurrentes quoque mucrone sterneret, unus a multis circumdatus oppressusque exstinguitur. In eo prælio Meroveus filius Clotarii capitur. Landericus cum Clotario in fugam vertitur, Theodoricus B victor Parisios ingreditur. Post hæc Theodebertus cum Clotario pacem Compendio villa inivit; exercitus vero eorum illæsus ad propria rediit.

CAPUT XCII.

De Protadii Romani, qui factus est major domus regiæ, avaritia fœda, ob quam omnibus evasit invisus, et tandem a proceribus est interfectus, et reges reconciliati, deque successione Claudii Romani viri prudentis.

Anno X regni Theodorici, juxta voluntatem Brunechildis, ex præcepto Theodorici Protadius major domus constituitur. Qui cum sensu argutissimus ac in consiliis haberetur strenuus, sæva tamen illi inerat contra locupletes cupiditatis macula, fiscum volenti replere ac seipsum ditare. Denique nobilitatem insectando Burgundiæ, omnes cupiens sibi subjicere, res eorum conabatur injuste auferre, ne quis sibi posset honorem quo fruebatur subripere. Quapropter non valebat quilibet potentum reperiri, qui ejus vellet familiari colloquio vel amicitia frui. Sed dum Brunechildis, veteris inimicitiæ recordatione vindictam meditaretur expulsionis suæ, moneretque Theodoricum thesauros patris de manu Theodeberti quærere, asserens illum non Childeberti, sed cujusdam hortulani filium fuisse. Protadius cœpit regem ad hæc peragenda studiosius commonere. Tandem cum exercitu Theodoricus profectus, apud Cariciacum castra posuit, paratus in crastinum cum fratre congredi; qui haud procul cum valida Austrasiorum consederat manu. Interea leudi Theodoricum hortari cœperunt, « ut fratri reconciliaretur, nec vanissimæ cupiditati postponeret decus germanitatis. » Protadius econtra vehementer resistere, dicens : « Pacem fieri non oportere. » Animadvertentes cæteri proceres eum solum esse, qui consiliis eorum refragaretur, alterutrum sermocinabantur opportunius fore unum tradere morti quam totum exercitum periclitari. Opportune rex exercitationis gratia tentorio egressus, rumore ferente, comperit quosdam Protadium velle perimere, et proripere sese volens, ut eos ab injuriis memorati removeret viri, a suis prohibitus, ac vi detentus, mittit quemdam Uncelenum nomine, qui principibus factionis jussionis suæ auctoritate tales interdiceret ausus. Tunc Uncelenus ad eos veniens,

qui jam tabernaculum regis circumdederant, quo Protadius una cum Petro medicinæ artis perito ad tabulas ludens sedebat, taliter infit : « Jubet dominus meus rex Theodoricus ut interficiatur Protadius paci contrarius. » Post quod verbum certatim omnes tentorium gladiis conciderunt, et Protadium inibi peremerunt. Theodoricus licet a suis coactus, cumfratre Theodeberto pacificatur, et utrorumque exercitus salvus, ac integro numero, ad sua regreditur. Anno XI regni Theodorici subrogatur Protadio major domus quidam Claudius, itidem Romanus genere; homo prudens, fide plenus, jucundus in fabulis, providus in cunctis, sed sagina corporis valde gravis. Qui prædecessoris sui territus exemplis, amicitiam cum universis servans, lenem se ac favorabilem præbebat.

CAPUT XCIII.

De ultione quam Brunechildis de inimicis Protadii cepit, deque Desiderii episcopi lapidatione.

Anno XII regni Theodorici Uncelenus, qui fallacia sua Protadio causa mortis exstiterat, insidiis Brunechildis pede truncatus rebusque suis expoliatus, egens est redditus. Wolfus quoque patricius, eo quod in necem jam dicti consensisset Protadii, Fariniaco villa suggerente Brunechilde jussu Theodorici interficitur. Natus etiam est ex concubina Theodorici filius, nomine Meroveus. Quem rex Clotarius de sacro fonte levavit. Porro sæpe dictus rex Theodoricus, persuasionibus Aridii Lugdunensis episcopi ac aviæ suæ Brunechildis deceptus, sanctum Desiderium Viennensem pontificem exsilio revocatum lapidari præcepit. Ad cujus tumulum miracula creberrime sunt ostensa.

CAPUT XCIV.

De Hermembergæ filiæ regis Hispaniæ infaustis cum Theodorico nuptiis.

Tunc temporis Theodoricus Aridium præsulem, Rocconem et Eborinum præfectos equorum, ad Bettricum regem Hispaniæ direxit, qui filiam illius conjugio sibi sociandam poscerent, et si pater vellet, jusjurandum præberent « quod diebus vitæ suæ eam regio non privaret honore. » Cui Bettricus gaudens annuit, puellamque legatis tradidit. Quam Theodoricus lætus accipiens primum unice dilexit; quæ tamen maleficiis Brunechildis virum non cognovit. Deinde, faciente eadem avia sua, Theodoricus Hermembergam (id quippe nomen virgini) thesauris exspoliatam abire præcepit ad Hispaniam. Hac de re indignatus Bettricus, ad Clotarium regem, Theodorici ex patruo genitum, misit legatos, qui eum ad belli societatem, expositis injuriæ causis, inclinarent. Ubi ille votis eorum visus est satisfecisse, cum missis ipsius ad Theodebertum recta proficiscuntur via. Hunc quoque auxilio sibi adfuturum cognoscentes, recta ad Agonem Longobardorum regem, cum supra memoratorum legatis regum, iter dirigunt, ut hi quatuor reges super Theodoricum irruentes, cum vita simul et regno privarent et vindictam contumeliæ regi Hispanorum illatæ sumerent. Cumque Theodorico perlatum fuisset hujusmodi consilium illos contra se struere velle, despectui habuit, ut futile. Legatus vero Bettrici cuncta pro quibus venerat se autumans impetrasse, ad Hispaniam navali rediit evectione.

CAPUT XCV.

De Columbani Hiberni in dicendo libertate et miraculis, regisque resipiscentia simulata, Bobiique cœnobii constructione, et Columbani transitu.

Anno XIV regni Theodeberti ac Theodorici beatus Columbanus ab Hibernia Oceani insula progressus, primum a Theodeberto suscipitur. Demum, propter confluentium ad se populorum multitudines, inde migrans, et solitariam agere vitam cupiens, ad regnum Theodorici transiit, atque in loco cui Luxovium nomen est, a præfato rege habitare est jussus. Ad quem visitandum dum frequenter rex adveniret, ac a viro Dei cur, relicto legitimæ conjugis matrimonio, adulterinis deserviret commistionibus, argueretur, illeque ad obaudiendum ejus salutaribus monitis aurem cordis inflecteret, avia Brunechildis vipereis antiqui hostis inflammata incitamentis, adversus sanctum Columbanum commoveri cœpit acrius. Sed sanctus vir, illius malitiæ obviam ire parans, ad eam Bruchariacho villa commorantem properat. Cui regina, cum nepotibus suis Theodorici filiis occurrens, orabat « ut regiam prolem benediceret. » At ille ait « nequaquam illos regalia sceptra susceptures, eo quod de lupanaribus emerserint. » Regina indignata pueros præcepit abire, et ipsa post paululum est secuta. Viro autem Domini ad propria regredi festinante et regiæ aulæ limen pede tangente, subito fragore totius mota est domus fabrica. Sed nefandissimæ mulieris mens non est commota, imo majori iracundiæ igne succensa. Verebatur enim quod omni extorris dignitate pelleretur a regno, si rex posthabitis meretriciis delinimentis, alicujus regalis feminæ potiretur conjugio. Interdixit igitur egressum et regressum a monasterio tam sancto viro quam fratribus cum eo manentibus, præcipiens suis optimatibus, vicina cœnobio loca colentibus, ne quempiam exire permitterent, vel progressum hospitio susciperent. Denuo vir sanctus, ut eam a tanta moheret desistere pertinacia, ad palatium perrexit. Eo forte die Theodoricus cum avia sua in Spinsia residebat villa, nuntiaturque ei hominem Dei pro foribus stare, nec in iisdem ædibus hospitare velle. Tunc rex iram Domini sibi imminere veritus, melius dixit esse virum Dei opportunis subsidiis honorare quam Deum ex servorum ejus offensa ad iracundiam provocare. Jussit ergo regio cultu quæcunque erant victui necessaria parari et Domini famulo per ministros proprios deferri. Quod dum illi maturato implessent, beatus Columbanus severo, ut erat, vultu respiciens in eos, inquirit quid sibi ista velint. Dictum ab eis est alimenta esse in suos suorumque usus a rege directa. Quibus ille : « Non, inquit, teste Scriptura,

accepta sunt Deo impiorum munera. Itaque non A oportet ejus servos suscipere, quæ ipse probatur odire. » Post hoc verbum vasa cuncta in frusta disrupta, vinum ac sicera solo fusa, ceteraque separatim sunt dispersa. Pavefacti regii ministri, ad regem reversi rei gestæ ordinem promunt. Rex nimio terrore perculsus, diluculo cum avia ad virum Dei properat. Precantur de commissis veniam, pollicentur in reliquum actorum suorum emendationem. His pacatus promissis, ad monasterium rediit. Verum hæc pollicitatio nullius efficacis protulit fructum operis. Nam Theodoricus in cœno luxuriæ, ut ante consueverat, est obversatus, et Brunechildis animus semel nequitia imbutus, a persecutione beati viri nequaquam est immutatus. Quin potius, eo usque processit spiritus immanitatis ferox ut B repoti suaderet sanctum Dei in oppidum Vesontionum exsilio relegari, indeque reversum usque ad maris Britannici littora deduci, ut, transmeato freto, nunquam de cætero Galliarum reviseret arva. Cumque vir Domini, secundum sui propositum animi, deliberasset ad patrium solum nullo modo regredi, per regnum Theodeberti ad Italiam transiens, cœnobium, quod Bobium dicitur, construxit plenusque sanctitatis ac dierum migravit ad Dominum.

CAPUT XCVI.

Theodoricus metu fratris cum eo paciscitur.

Anno XV regni sui, Theodebertus aliqua sibi de fratris Theodorici possessionibus adjungere parans, C eum in se excitavit. Verumtamen provido prudentium consilio virorum electus est locus cui Saloissa [*olim* Saletio, *hod.* Seltz, *prope Rhenum*] cognomen, ut fratres ad destinatum locum cum paucis, sed Franciæ primoribus, convenientes quæ pacis essent, eligerent. Ibi Theodoricus cum decem millibus tantum virorum, Theodebertus vero cum magna Austrasiorum adfuit manu; bello etiam, si frater petitis annueret, turbare pacem volens. Theodoricus, tantæ multitudinis contemplatione perterritus, quæ ille cupiebat, quamvis non sponte, concessit. Conventus fratrum hujusmodi fuit : « Ut Alesatio et Sugitensi, Turonensi quoque ac Campanensi comitatu Theodoricus cederet, et ad Theo- D debertum jus omnium horum transiret. » Inde cum gratia, sed simulata, discessum est, ac se invicem salutantes, uterque ad sua regna sunt regressi.

CAPUT XCVII.

De Alemannorum in Ultrajuranos grassatione.

His diebus Alemanni Veneticorum fines ingressi, Ultrajuranos Cambeleno et Erpino ducibus sibi obsistere conatos acie superant, ac usque ad refugia montium persecuti, prosternunt. Dehinc, nullo inquietante, Juranum saltum pervagantur, cædibus ac incendiis cuncta per quæ transibant replentes. Captivisque plurimis abductis, cum spoliis et ingenti præda redierunt ad propria.

CAPUT XCVIII.

De Theodorici consiliis, et Theodeberti infami conjugio, de Berto Leunisio, et apologo ejus de lupo et regum conflictu.

Theodoricus acceptas injurias ulcisci desiderans cum suis tractabat quo pacto fratrem opprimeret. Eo anno Theodebertus Bilechildam (quam Brunechildis a mercatoribus emptam, eo quod foret forma egregia, illi dederat conjugem) interemit, puellam nomine Theudechildem, sibi accipiens in uxorem. Theodoricus, ut præfati sumus, Theodebertum infestis insectans odiis, ad Clotarium mittit, qui velut ex persona sua dicerent : « Contumeliis a fratre affectus, reddere ei quæ meretur cogito, si te illi auxilio non adfuturum cognovero. Quapropter ego rogo te quietum manere, nil adjumenti illi ferentem, pollicens, si victor evasero, regnumque cum vita ab eo quivero auferre, ducatum Denteleni, quem ipse tibi injuste sublatum retinet, me tuæ remissurum potestati. » Huic pactioni assentiente Clotario, Theodoricus anno XVII regni sui, mense Maio, universos ditionis suæ ad bella promptissimos Lingonis coadunari præcipiens, ac per Vervona castrum, tum temporis ædificari cœptum, iter faciens, Tullum devenit. Ibi obvium habens Theodebertum, cum supplemento militiæ Austrasiorum, non dubitavit conserere manum. In Campania namque Tullensi adversus fratrem congressus, exercitum ejus graviter attrivit. Evasit tamen Theodebertus, et fugiens de prælio, per Metensem urbem saltumque Vosagum, Coloniæ civitatis receptacula petiit. Theodoricus, fratrem persequi e vestigio festinans, beatum Leunisium Magunciacensem antistitem obvium habuit; a quo hujusmodi monita percepit. « Inchoatis, inquit, insiste, et ad perfectum, juvante Deo, istius attinges operis. Rustica refert fabula lupum, catulos suos ad prædam ducentem, eos ad se in montem vocasse, taliaque mandata dedisse : Neminem, ait, quæ vobis, filii, expediant quærere scitote, nisi per paucos qui ex vestro sunt genere. Unde vos moneo suscepta non deserere munia, et victui investigare necessaria. » His suggestionibus Theodoricus, haud segnis exsecutor, paruit, præcipue sciens eum suæ favere utilitati et Theodeberti stultitiæ adversari. Transitaque Ardenna, Tulbiacum [*hodie* Zulpich.] usque accessit. Theodebertus interea, qui fugam paraverat, distulit. Nam Saxones cæterasque superioris Germaniæ gentes, in sui solatium sollicitatas bello in supra nominato opponit loco. Certatum est acriter, quoad Theodebertus restitit. Renitebatur enim, quamvis exercitus ejus more pecorum obtruncaretur. Ubi vero ipse, pondus prælii pati non valens, fuga sibi consuluit, aversi sunt omnes qui constiterant pugnaturi. Quorum maxima pars incerto fugæ dispersa extinguitur; residui Coloniam versus cum rege festinanter properant. In prima pugnæ congressione, tanta utriusque partis animositate concursum est ut cadavera interfectorum, præ multitudine compri-

mentium se populorum, non valentia ad terram ruere, quemadmodum equis insederant, una cum vivis circumferrentur. At postquam phalanx victa, hostibus terga nudavit sua, viarum strata, necnon silvarum devia, corporibus mortuorum sunt repleta. Theodorico ubi factum indicium Theodebertum evasisse, incentivum accelerandi itineris accessit, ut conficiendi belli impendium putaret, si dux et populus bello promptior interciperetur. Adveniens itaque cum suis in Ribuariorum fines sese immisit, occurrentia quæque devastans vel exurens. Cujus terræ incolæ ad eum venere rogatum : Ne ob unius culpam dissidium pararet eis, quos suos fore sciret jure victoris. Quibus ille : « Non, inquit, vobis, sed Theodeberto, interitus paratur; cujus caput, si meam promereri vultis gratiam, vos necesse est auferre, aut ipsum vinum vinctumque ad me perducere. » Illi regiam Coloniæ introgressi, Theodeberto taliter locuti sunt : Sic, inquiunt, mandat Theodoricus frater tuus : Si, ait, recipere meruero, thesauros paternos, quos Theodebertus adhuc injuste retinet pervasos, proprias festinus repedabo domos. Ideo te hortamur, domine rex, ut portione quæ ei debetur reddita, nostra eum non sinas infestare domicilia. His Theodebertus dictis credulus, ac pro vero prolata arbitratus, locum quo regalis continebatur gaza pariter cum ipsis est ingressus. Eo igitur perscrutante quid fratri opportunius, sine sui damno, posset restituere, unus e circumstantibus, evaginatum gladium cervici ejus illidens, caput abstulit ac per muros Coloniæ circumtulit. Quod cernens Theodoricus, ipsa confestim urbe potitus, regias invasit opes. Et primates civitatis in sua sibi verba jurare compellens, dum in basilica Sancti Gereonis sacramenta exigeret, visum illi fuit quemdam pugno suo latus percussisse. Et conversus ad suos : « Observate, ait, ad ostia, ne quis egrediatur, eo quod ignorem, quis horum Riboariorum [*Gall.* Ribaroles], perjurio obnoxiorum, me vulnerare conatus sit. » Observantibus autem eis, a cubiculariis veste remota latus regis inspectum, nullumque vulnus est inventum. Solummodo signum quoddam apparuit purpureum, quod ego reor citæ mortis fuisse indicium. Compositis ex sententia rebus, inde cum multis spoliis progressus, secum abduxit filios fratris sui, cum filia quæ specie nitebat decora. Dum Metis advenisset, reperit aviam suam Brunechildem inibi obviam sibi venisse. Quæ arreptis Theodeberti filiis, eos sine mora neci tradidit, et minorem quidem natu, nomine Meroveum, in albis adhuc positum, lapidi illisum innocentem coegit exhalare spiritum. Regnavit itaque Theodebertus annis XVII. Quidam vero auctores [Fredegarius *c.* 38] scripserunt Theodebertum post illam Theodorici victoriam, suamque ærumnam, Rhenum transisse, et Theodoricum, capta Colonia, Bertarium cubicularium suum ad comprehendendum eum misisse. A quo comprehensus, atque ad Theodoricum perductus, indumentisque regiis exutus, Cabillono dicitur in exsilium fuisse relegatus. Ob recompensationem quoque tam præclari operis, Bertarius equum ejus cum stratura regia fertur a Theodorico percepisse.

CAPUT XCIX.

De Clotario ducatum Dentelini recipiente, et ira Theodorici in eum.

Clotario, juxta pactum quod cum Theodorico (eo quo supra memoravimus modo) pepigerat, ducatus Denteleni suo restituitur domino. Unde Theodoricus, cernens Austrasiorum sibi parere regnum, indignatione nimia permotus, Clotario per legatos mandat : « Ut se de memorato ducatu removeat. Quod nisi efficiat, se ad vindicandam illatæ contumeliæ injuriam quibus posset non defuturum modis. »

CAPUT C.

De Theodorico fratris filiam procante, et ob id a Brunechilde increpito, deque ejus in Brunechildim ira, et Brunechildis, quæ eum veneno sustulit, in eumdem crudelitate.

Interea, dum Metis moraretur Theodoricus, amore filiæ fratris Theodeberti, quam Coloniæ captivaverat, deperire cœpit. Quam dum sibi copulare vellet, ab avia, ne hoc faceret, prohibebatur. Cui ille : « Et quid, ait, incurram offensionis, si illam uxorem duxero ? » Ad hæc Brunechildis : « Non, inquit, est fas fratre progenitam te habere conjugem. » Ad hæc Theodoricus, ut audivit, felle commotus, tali ei respondit modo : « Nonne tu, Deo odibilis, cunctisque invisa bonis, mihi dixeras, eum fratrem non esse meum ? Ut quid imposuisti mihi tam grave onus fratricidii ? » Et evaginato ense, voluit eam percutere. Quæ a circumstantibus erepta ac in manibus domo elata, mortis quidem evasit discrimen, sed nepoti dolos paravit temeritate feminea. Nam egredienti e balneo, per manus ministrorum pecunia corruptorum veneni porrexit poculum. Quo hausto, ut pœnitens scelerum quæ gesserat, vitæ sortitus est terminum, quam criminibus fœdaverat. Tradunt vero memorati scriptores (Fredeg. *c.* 39), eum apud præfatam urbem Metensem, dum contra Clotarium expeditionem agere meditaretur, dysenteriæ morbo interiisse, XVIII regni sui anno.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Clotarii cum nothis Theodorici instinctu Brunechildis super successione in regnum certatione, et de Brunechildis exitio.

Exstinctis, vel varia sorte obeuntibus, tot Francorum regibus, a quibus per quinquaginta ferme et unum regnatum est annos, solus legitimæ successionis hæres Clotarius Chilperico patre genitus e regia stirpe videbatur relictus, in quem regnandi jus potissimum transfundi oporteret. Brunechildis

tamen moliebatur, si posset, Sigebertum Theodorici filium regno præponere Austrasiorum. Quatuor namque Theodoricus ex pellicibus susceperat filios, quorum ista sunt nomina : Sigebertus, Corbus, Childebertus atque Meroveus. Sed quia erant materno latere minus nobiles, ad regni quoque gubernacula æstimabantur fore impares. Simul quia et Brunechildis electo uno ad speciem regnandi, non potestatem, summæ rei sollicitudinem sibi reservare velle intelligebatur : et primates Franciæ tanto tempore femineo dominatui dedignabantur subjici. Unde, adnitentibus Arnulfo atque Pippino Austrasiæ primoribus, Clotarius Captonnacum usque accessit. Brunechildis in Warmatia residens, ejus audito adventu, ad eum dirigit, obtestans ut de regno Theodorici quod filiis reliquerat secederet. Clotarius respondit « conventum nobilium debere eam aggregare Francorum, et communi tractatu de communibus consulere rebus; se vero judicio illorum in omnibus pariturum, nec præceptis promisit obstiturum. » Brunechildis verbis se decipi animadvertens, misso in Thoringam Sigeberto Theodorici primogenito, gentes etiam quæ trans Rhenum habitant ad belli societatem invitare tentabat. Cum quo et Warnarium majorem domus ac Alboinum e proceribus Austriæ præeminentissimum, dirigendos curavit. Verum Warnarium suspectum habens, quod ad Clotarium transitum meditaretur, directis post tergum eorum litteris, Alloino puniendum mandavit. Alboinus lectos apices scindens ad terram projecit. Qui tamen a quodam familiarium Warnarii inventi, ac in tabula cera lita transcripti, eidem sunt ostensi. Quibus ille visis, periculum sibi imminere perpendens mortis, colligere sese ac præparare animo cœpit quo pacto Theodorici filiis deletis, regnum Clotario una secum contraderet. Primo itaque nationes, ad quas ad supplementum belli accersiendas directus fuerat ab cis alienavit.

Deinde cum Brunechilde ac Sigeberto Burgundiam ingressus, universos primates, simul cum pontificibus ipsius gentis, in suam deduxit sententiam, secreto apud eos hujus rei usus verbo. Et quia omnes superbiam Brunechildis simul et crudelitatem exosam habebant, se voluntati ejus polliciti sunt non defuturos. Ilis itaque patratis, nuntios ad Clotarium misit, et ut cum exercitu adventaret mandavit : spondens se, si ei integra fide securitas vitæ ac honoris concederetur, regnum Burgundionum pariter cum Austrasiorum universa militia traditurum. Venienti itaque Sigeberto cum Burgundionibus, in campania Catalaunensi super fluvium Axonam occurrit Clotarius cum Neustrasiis, habens secum complures Austrasios, inter quos Aletheus patricius, Rocco, Sigoaldus, necnon Eudilanus, duces. Igitur dum utrinque armatorum cunei ad prælium parati constitissent, Warnarius cum suis juxta, quod constituerat, signo dato e pugna, ante congressum, discessit. Eadem fecere, quibus par inerat pugnandi affectus. Clotarius post eos paulatim iter faciens, utpote qui nullum eorum perdere gestiebat, quos suos fore confidebat, Ararim usque fluvium, qui nunc Sagonna dicitur, pervenit, captisque tribus Theodorici filiis, Sigeberto, Corbo atque Meroveo (nam quartus, nomine Childebertus, pernicis equi subsidio usus, prælio elapsus, nusquam postmodum est repertus), ad vicum Riona super Vincennam flumen situm rediit. Ibique instantia Warnarii vel cæterorum procerum ei faventium, Brunechildis cum Theudelana Theodorici germana, de pago Ultrajurano, villa Urbana, ab Erpone regalium præposito equorum protracta, Clotario præsentatur. In cujus conspectu Clotarius Sigebertum ac Corbum ejus nepotes, Theodorico progenitos, jugulari jussit. Meroveum vero, cui ipse pater spiritualis in baptismo fuerat datus, Ingobodi graphioni commendans, in Neptricum perduci, atque ibi nutriri clementissime mandavit. Porro Brunechildem præsentari sibi præcipiens, astante multitudine exercitus, qui non solum ex Neustria, verum etiam ex Austria sive Burgundia convenerant, accepta auctoritate, quo minus odia tegerent quæ adversus eam jamdiu animo conceperant, per triduum diversis eam jussit tormentis affici, cameloque impositam per totum circumduci exercitum.

Ad postremum reputans ei quod x reges Francorum, ejus partim consilio, partim manu, vel etiam maleficio exstincti essent, sic eam alloquitur : « Ut quid inter mulieres maledicta, ac pessimarum exquisitrix artium, in tantam erupisti pervicaciam, ut non erubesceres tam multiplicem præclaræ stirpis subvertere generationem? Pereas igitur crudeli pœnarum exemplo, quæ non expavisti tam ingenti te maculare parricidio. Nam, ut de cæteris sileam, Sigebertum meum patruum, tuum vero virum, novimus tuo consilio usum contra fratrem insurrexisse suum : propter quod in improvisum incurrit interitum. Meroveus quoque frater ex patre meus, tui causa a genitore odio habitus, nefandissimo crudelitatis genere est interfectus. Quid autem memorem Chilpericum meæ nativitatis parentem, quem, ut fertur, per directos apparitores morte affecisti, nil tale verentem? Nequeo sine lacrymis exitum tanti referre patris, ærumnasque meæ explicare orbitatis. Fraternas acies alternaque bella, quæ profanis decertata sunt odiis, revolvere pudet; quæ tu, totius aulæ procella, excitans, in mutuam necem nepotes animasti tuos ut frater fratrem interimeret, nec justa commoveretur mentis compassione. Theodoricus denique, tuis credulus persuasionibus, quod Theodebertus ejus non esset germanus, effusor exstitit fraterni sanguinis, cum jam pridem Merovei ex se geniti cruore pollutas gereret manus. Theodeberti filium, in albis novæ regenerationis adhuc constitutum, a te ad petram allisum, notum est cum fratre innocentem exhalasse spiritum. Illud non omittendum recens pia-

culum, videlicet Theodoricum maleficio tuo veneno
A nocatum, atque ejus filios, ut adversum me bella moverent, persuasos, tres ex ipsis, ac si reos, neci esse traditos. Silere malo innumerabiles ducum strages, quæ utrum juste an injuste fuerint perpetratæ, non est istius temporis explicare, dummodo vos, dulcissimi commilitones, et præeminentes Franciæ primores, decernatis cui subjaceat supplicio tanti obnoxia sceleris. » Acclamantibus cunctis inauditis eam debere subjici pœnis, jubet indomitum exhiberi equum, crinesque miserrimæ reginæ cum brachiis caudæ ejus colligari, ac demum ad cursum concitari. Sicque in primo impetu currentis equi calcibus cerebrum dispersum. Reliqua vero membra, per a-pera quæque sentibus rupibusve protracta
B loca, dissipata sunt. Hunc Brunechildis exitum tulit, mulier in cædibus propinquorum maxime exercitata; quibus exstinctis, possessionem eorum quasi spolium suis junxerat. Cui secundæ res superbiam augebant, ut muliebris impotentia supra modum sese extolleret. Nec tamen ex toto ita vecors exstitit, quin Dei ac sanctorum ejus memorias, a prædecessoribus structas, venerabiliter excoleret, ipsaque novas fabricando devote multiplicaret. Nam in suburbano Laudunensi basilicam in honore sancti construxit Vincentii; et apud Augustodunum aliam sancto dedicari jussit Martino, usa necessariis ad hoc opus ministeriis venerabilis viri Siagrii, prædictæ urbis episcopi. Multis quidem et aliis in locis sub nomine sancti Martini magnificas fundavit ecclesias;
C illum sibi præ cæteris adjutorem fore confidens et confidendo exposcens. Ædificia, sane ab ipsa constructa usque in hoc tempus durantia, ostenduntur tam innumera ut incredibile videatur ab una muliere, et in Austria tantummodo et Burgundia regnante, tanta in tam diversis Franciæ partibus fieri potuisse. Ea autem cum filio et nepotibus gubernante regnum, apud Gallias, divinæ virtutis gratia irradiati, fulserunt veluti luminaria, Etherius Lugdunensis archiepiscopus, Siagrius Augustodunensis, Desiderius Viennensis, Aunarius Antissiodorensis, cum fratre Austreno Aurelianensi et Columbanus abba.

CAPUT II.

De Austregisilo præsule sancto, falso accusato et miraculose purgato, deque ejus sanctitate.

Austregisilus quoque Bituricensis archipræsul, qui sibi rege Guntranno diu in palatio conversatus, mappam ei ad extergendas præbere consueverat manus. Hic quadam vice a quodam pessimæ mentis homine falso accusatus, quædam absque jussione principis scripta confecisse, dum id sedulo denegaret, jubetur a rege armis objecta repellere. Qui diluculo surgens, dum per puerum omnem suorum apparatum armorum deferri fecisset in campum, et ad exorandum Dominum ecclesiam beati Marcelli expeteret, obvianti pauperi et eleemosynam roganti, trientem tribuit, sicque orationi incubuit Nec defuit orationi effectus. Nam
D dum cum rege ad locum certaminis properaret, occurrit eis nuntius dicens : « Adversarium ejus, dum ad designatum occurrere festinaret locum, equo corruisse, vitæque terminum incurrisse. » Tunc rex ad beatum conversus virum : « Lætare, inquit, amantissime juvenis, quia Dominus defensor tuus est, ne tibi nocere possit inimicus. » Post hæc cathedram episcopalem sortitus, admirandis in mundo virtutum enituit bonis.

CAPUT III.

De Mauricii imperatoris cum filiis cæde, deque ejusdem moribus pravis et pœnitentia salutari cœlitus revelata per anachoretas Ægypti, et de Philippici gestis.

Dum hæc Galliarum in partibus geruntur, Mauritius Augustus postquam uno ac viginti annis rexit
B imperium, cum filiis Theodosio, Tyberio, et Constantino, a Foca, qui fuit strator Prisci patricii, occiditur. Fuit autem utilis reipublicæ. Denique contra hostes dimicans, sæpe victoriam obtinuit. Huni quoque, qui et Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt. Hic medio imperii sui tempore, dum divinæ legi contrarias præceptiones ederet, et a beato Gregorio frequenter admonitus, eas corrigere nollet, imo eidem viro Dei, quia factis non poterat, verbis injurias irrogare non desisteret, tali meruit a Domino redargutione coerceri. Quidam monachico schemate adopertus Constantinopoli degens, exemptam vagina spatham a porta civitatis usque ad statuam gladiatoris, quæ in medio Fori erat posita, perferens, pronuntiavit imperatorem gladio puniendum. Quod Augustus audiens, valde pertimuit, vocatumque quemdam præfectorii ordinis virum sibi familiarissimum, ad sanctos in superioris Ægypti eremo manentes, cum exeniis cereorum ac thymiamatum misit omni cum devotione, deposcens ut pro se Domini exorarent clementiam. Ipse quoque pias Conditoris sui aures die noctuque non desiit precibus pulsare, ac, ut sua in præsenti potius vita puniret peccamina, nec servaret ea ad subeunda perpetui ignis incendia, non destitit implorare. Rediens porro præfectus a sanctis solitariis, imperatori nunciavit dicens : « Incolæ solitudinis sancti viri dixerunt mihi quod humilitatis tuæ preces exaudiens Deus, sempiterna quidem non te privaret gloria;
D verumtamen hujus temporalis honorem, quo frueris, imperii, cum magna a te auferret ignominia. » Gavisus est imperator quia, etsi transitoria non effugeret mala, non perderet tamen præparata justis præmia. Ac ipsum etiam tali voluit superna visione consolari dignatio. Quadam nocte, alto depressus sopore, vidit se æneæ Salvatoris imagini, quæ ante fores palatii posita erat, assistere, et vox ex ipso incarnati Verbi charactere audita est, dicens : « Date Mauricium. » Et apprehendentes eum quidam ignotæ formæ et claritatis ministri, statuerunt ante præsentiam loquentis. Voxque iterum sonuit, interrogans illum : « Quid magis eligeret, utrum in isto sæculo quæ nequiter egerat recipere, an futuro ea servare examini. » Cui Mauri-

cius : « O Jesu, inquit, bone, qui humanum genus tuo redemisti sanguine, jube me nunc potius male commissa luere, et venturi judicii diem non formidare, imo electorum tuorum participem fac esse. » Tunc qui loquebatur : « Tradatur, ait, Mauricius Focæ militi, cum uxore et duobus filiis. » Evigilans imperator a somno, et visionum secum ipse revolvens, advocare jussit Philippicum generum suum, quem aliquando arripiendæ tyrannidis insimulatione suspectum habuerat. Ille consummatam erga se Cæsaris iram esse pertimescens, valedicens conjugi, tanquam amplius eam non visurus, ad aulam properat. Cui Mauricius occurrens ad genua ejus provolvitur, obsecrans ut quæ contra eum, falsa cogente suspicione, indigne commiserat, ea ille propter Dominum benigne remitteret. Stupefactus Philippicus, et quid sibi ultra spem accidisset admirans, Augustum de terra levavit, et ut ipse ei magis remitteret, si quam adversus eum malitiam retineret, oravit. Cui Mauricius : « Tu magis, inquit, indulge, et si quispiam in exercitu sit honoribus functus, qui vocetur Focas, edicito. » Narravitque ei omnem ex ordine visionem. Philippicus vero respondit nullum se militum nosse, qui Focas diceretur nomine ; esse vero inter gregarios stratorem Prisci patricii vocabulo Focam, atque eidem viro formidolosam inesse temeritatem. Ad hæc Cæsar : « Si quidem est formidolosus et sanguinarius. » Paucis interim interjectis diebus, irruere in eos qui, pactionem statutam transgressi, Romanas sibi attributas incessebant custodias, volens iter cum exercitu arripuit. Porro in terra hostili constitutus, cum milites furto ac rapinis abstinere compelleret, nec tamen largiretur consueta stipendia, sed insuper in desertis transigere hiberna cogeret tempora, non minimum in se excitavit seditionis. Hac etenim offensi acerbitate veteris viri militiæ, conferre secum cœpere et indigne ferre imperatorem, qui nullo Romanæ stirpis nobilitaretur parente, tam nequiter ipsos opprimere velle. Nec se diutius perpeti posse externum tyrannum, cum haberent in exercitu dignum Romani generis imperii gubernatorem. His secum milites vociferantes verbis, adoriuntur Focam tunc centurionem; rogant ut Romani imperii suscipiat gubernaculum. Qui, eorum præceptis obaudiens, purpuram induit. Quo præcognito, Mauricius animi desperatione resolutus, cessit rebus adversum se fluentibus, et in quamdam insulam mari contiguam aufugit. In qua ab apparitoribus quos Focas ad eum persequendum direxerat, gladio cum uxore ac duobus filiis percussus, etiam morte temporali implevit somnium suum.

CAPUT IV.

De pontificum Romanorum successione, et ecclesiæ Romanæ primatu.

Beatissimus autem papa Gregorius, comperto quod Focas potiretur imperio, ad eum sive ad ejus Augustam Leontiam direxit epistolam, verbis gratulationis refertam. Ipsius principis tempore, idem dilectus Domini Gregorius de præsentis vitæ laboribus ad æternam demigrans requiem, Sabiniano sedem reliquit pontificalem. Cujus successor Bonifacius a præfato Augusto petiit et impetravit : « Ut sedem Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum statueret, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. » Ipse quoque princeps, alio papa Bonifacio rogante, jussit in veteri fano, quod Pantheon vocabant, abolitis idolorum sordibus, basilicam beatæ ac perpetuæ Virginis Mariæ, et omnium martyrum fieri, ut, ubi quondam omnium, non dicam deorum, sed dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum.

CAPUT V.

De Cacani Avaris seu Hunni cum Gisulfo Longobardo bello, deque Romildæ amoribus infelicibus.

Ea tempestate rex Avarum, quem sua lingua appellant Cacanum, cum Forojulianis Longobardis bello confligens, ducem ipsorum nomine Gisulfum, cum plurimis suorum interfecit. Cujus ducis uxor, vocabulo Romilda, obsidentis se in memorata urbe Cacani regis pulchritudinem admirata, ei civitatem tradidit stupri mercede sibi pollicita. Quam idem rex, capta urbe populoque ejus captivato, una propter jusjurandum quod dederat nocte, ac si in matrimonium accepit. Post hæc duodecim Avaribus eam tradidit qui, vicissim sibi succedentes ea, uti vili scorto, abusi sunt. Ad postremum, palum in medio campo configi præcipiens, eam in acumine ejus inseri mandavit, cum hujusmodi exprobrationis verbo : « Talem, inquit, merita est virum habere. » Dignum profecto posterorum memoria, idem rex proditionis ejus exemplum reliquit. Qui, etsi proditionem amplexus est, proditionis tamen auctorem sibi displicuisse monstravit. Illud forte pertimescens ne, quæ proximis non pepercerat, ipsi, si ejus potiretur amplexibus, minime parceret. Igitur dira proditrix patriæ tali exitio periit, quæ amplius suæ libidini quam civium et consanguineorum saluti prospexit. Cujus filiæ non matris luxuriam, sed castitatis amorem secutæ, ne ab Avaris contaminarentur, crudas pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt, ut earum ex calore corporis putrefactarum fetore Avares a sui commistione removerent : quod et factum est. Nam quicunque eas obsceno volebat attactu contingere, fetoris repulsus immanitate, procul recedebat, cum exsecratione dicens omnes Longobardas fetidas esse. Quarum una Alemannorum regi, alia dicitur Bajoariorum principi postea nupsisse; dignas pro servata pudicitia nuptias sortitæ. Filii vero ejus, quos ex præscripto Gisulfo viro suo susceperat, vastata urbe, ascensis equis dum fugæ se committunt, minimus illorum ab uno ex hostilibus cuneis, qui velocius cæteris cucurrerat, capitur. Quem dum, propter pusillitatem corporis is qui eum ceperat interimere noluisset, magisque ad serviendum sibi propter egregiam formam servare elegisset (erat

enim ipse puer micantibus oculis, lacteoque crine exornatrix eum natura donaverat, ducere ad castra cœpit. At puer, ingentes animos angusto in pectore versans et se captivum trahi ingemiscens, parvum quo juxta suam ætatem accinctus erat gladium, ut ejus assuesceret usum, vagina exemptum, nisu quo valuit cervici se trahentis illisit. Quo terræ prostrato, converso equo, retrogrado calle ad fratres regressus, non modico lætificavit gaudio. Nunc jam ad nostræ revertamur ordinem historiæ.

CAPUT VI.

De Clotarii regis et monarchæ in Francia gestis.

Igitur rex Francorum Clotarius XXX regni sui anno postquam regnare cœperat patre defuncto, monarchiam regni adeptus, Warnarium, cujus instantia regnum Burgundiæ fuerat adeptus, majorem domus in ipso constituit regno, dato ei sacramento, ne cuncto quo adviveret tempore successorem acciperet. Austrasiis vero Radonem quemdam, probabilis vitæ virum, eodem honoris gradu donatum præfecit. Ultrajuranis quoque Erponem, genere Francum patricium instituit. Qui dum quæ pacis sunt diligeret, malorum deprimens nugacitatem, ab ipsis pagensibus, instinctu Alethei patricii, et Leudemundi Sedunensis episcopi, perimitur. Tunc temporis Clotarius ad villam, cui Maurolegico [Maurolegium, *in Alsatia, hod.* Marley] nomen est, cum Bertetrude regina accedens, justitiæ obtentu multos inique agentes gladio puniri jussit. Leudemundus autem Sedunensis pontifex, monitu Alethei, ad Bertetrudem veniens reginam et eam secretius advocans, ut thesauros suos Sedunum transferret hortatatur, dicens optime se nosse Clotarium eo anno de sæculo migraturum, Aletheumque esse paratum suam uxorem relinquere et reginam cum regno assumere, eo quod esset ipse Aletheus e nobili Burgundionum prosapia. Regina, hæc audiens et se talem, cui talia suaderentur, æstimatam esse graviter ferens, rapido se in cubiculum proripuit cursu. Leudemundus intelligens verborum suorum calumniam se subiturum, per urbem Sedunum ad abbatem Austrasium Luxoveo properat, ut per ejus preces indulgentiam regis mereretur. Quod et factum est, Nam, promissa impunitate, ad sedem suam redire permissus est. Aletheus, jussu Clotarii Massolaco villa veniens, in conspectu procerum causam dicere jussus, dum se objectis purgare nequiret criminibus, capitali sententia est damnatus.

Anno XXXIV regni sui, Clotarius Warnarium, palatii comitem, de regno Burgundiæ, cum universis pontificibus seu primatibus ad se Bonogilum villam evocans, dando, sive petitionibus eorum annuendo, cunctos sibi fidelissimos effecit.

CAPUT VII.

De tributo quod Longobardi Francis pependerunt.

Exigit nunc locus referri quemadmodum Longobardi duodecim millia solidorum, tributi nomine, regibus Francorum per multa solverint annorum curricula. Vel etiam qua de causa duas civitates, id est, Augustam et Seusium, dominationi cesserunt Francorum. Defuncto, ut supra ostensum est, Cleph rege nobilissimo, duces super Longobardos creati, irruptione in Gallos facta, greges captivorum simul cum præda abegerunt. Ob cujus præsumptionis temerarios ausus, prædictas urbes partibus Guntranni regis tradiderunt. Ex communi autem tractatu, duodecim legatos ad imperatorem Mauricium mittentes, pacem cum eo fecerunt. Alios quoque ejusdem numeri legatos ad Guntrannum et Childebertum destinavere qui amicitiam et societatem eorum efflagitantes, duodecim millia solidorum se ei soluturos fore vice sua sponderent. Hoc præcipue ipsis missis suis in mandatis tradentes ut, quorum propensiorem in fœdera amicitiarum adverterent benevolentiam, eorum quam maxime unire sibi studerent concordiam. Tandem audita utriusque partis sententia, patrocinio se commisere Francorum, tradita insuper Guntranno regi valle Ametegis cognomine; sicque usque ad tempora Agilulfi regis sui memorata solvere tributa. Qui electos gentis suæ legatos his nominibus, Agilulfum, Pompeium ac Gautonem, ad Clotarium direxit Francorum principem, poscens ut vectigal, quod ei singulis debebat annis, remitteret. Hi, circumventis pecunia his, quos intimos consilio regis fore cognoverant, datis videlicet unicuique mille solidis, usque ad tria millia solidorum obtulerunt, ipsi regi triginta sex millia solidos simul cum precibus, et ita remisso solitæ pensionis onere, redierunt ad propria.

CAPUT VIII.

De Bertetrudis reginæ obitu, et Sichildis matrimonio, ac filio Ariberto. Et de Dagoberti in societatem regni assumptione.

Anno XXXVI ejusdem principis Bertetrudis regina moritur, quam unico amore Clotarius dilexerat, et omnes leudi bonitatem ejus cernentes vehementer amaverant. Post cujus obitum Clotarius rex aliam accepit conjugem, nomine Sichildem, de qua habuit filium nomine Aribertum. Anno XXXIX regni sui, Clotarius Dagobertum filium suum, ex Bertetrude regina susceptum, consortem regni fecit eumque super Austrasios regem instituit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus versus Neustriam ac Burgundiam excludebant.

CAPUT IX.

De Samone inter Sclavos rege constituto ejusque successu et prole.

Anno XI principatus Clotarii, homo quidam nomine Samo, natione Francus, de pago Senonico, multos negotiatorum mercandi causa in Sclavorum patriam, qui etiam Winidi dicuntur, secum deduxit. Sclavi jamdudum Hunnis, qui et Avares dicuntur, subjecti, dominationis eorum jugum detrectare tentabant. Siquidem cum primum vectigalia eis, uti dominis, penderent, præliantium castra tutarentur, fugientibus auxilia ad resistendum subministrarent, tantas ab ipsis sibi illatas tolerabant contumelias ut non homines hominibus, sed feras crederes quibuslibet vilibus imperitare jumentis. Nam

inter cætera quæ crudeliter, dictu quoque horrendum, in eos exercebant, unum illud nefandum, cunctisque antea sæculis inauditum erat scelus, quod quasi hiematuri, eorum adeuntes domicilia, uxores ipsorum suis assumebant socias stratis. Verum illi, qui de conjugibus Sclavorum et Hunnis erant geniti, hoc malum, quod vitrici eorum diu fuerant perpessi, nolentes perpeti, immane contra dominos et patres suos excitavere bellum. Ad quod Samo cum sociis, adjumento Winidis futurus, forte profectus est. Factaque congressione, Winidi Hunnos superant. In hoc certamine Samo cum suis præclarum militiæ documentum dedit. Prærupto namque sese periculo dans, plurimos hostium destruxit. Hoc successu Samo a Sclavis ad regnandum expetitus, eo quod egregia ejus delectarentur fortitudine, de negotiatore rex constitutus, per XXXVI annos strenue regnum gubernavit, adversum innumeros bellorum tumultus, quæ cum Avaris gessit. In quibus semper, prudenti astutia usus, victor exstitit. Habuit quoque duodecim ex genere Winidorum uxores, ex quibus XXII filios ac XV genuit filias.

CAPUT X.

De Adaloaldo Longobardorum rege, et ejus successore, deque Gundeberga regina.

Adaloaldus autem Agilulfi, qui et Ago dictus est, Longobardorum regis filius, patri in regnum succedens, dum decem annis cum matre Theudelinda regnasset, a quodam, Eusebio nomine, qui ab imperatore Constantinopolitano ad eum directus legatus fuerat, post balneum potione accepta, in amentiam vertitur. Cumque ipsius legati persuasionibus, duodecim Longobardorum optimates jussisset perimi, a cæteris regno pellitur. In cujus locum, Arioaldum Taurinatium ducem, cui Gundeberga Adaloaldi regis germana in conjugium convenerat, substituerunt. Quæ videlicet regina, cum et specie decora et bonitate polleret mentis præcipua, nec castitatis careret gratia, quadam die quemdam, Adalulfum vocabulo, non infimo inter Longobardos ortum loco, sibi obsequentem, quod optimæ esset formæ, cœperat laudare. Ille reginam in sui autumans exarsisse amorem, ad aurem ei infit : « Quia, dicens, tuæ placuit benevolentiæ meum statum laude tua efferre, placeat, quæso, me sodalem stratus assumere. » Hoc verbum illa, haud perfunctorie ferendum arbitrata, in faciem ejus exspuit. Qui, veritus, si ipse rem non proderet, reginam cuncta propalaturam, regem adiit, asserens se, si tutus ad narrandum concederetur locus, rem necessariam ei reseraturum. Et secedente rege seorsum cum eo, vera falsis hoc cœpit obnubilare modo. « Taso, ait, Thuscanæ rector provinciæ, per triduum jam cum regina sermonem tuæ serit perditionis, ut illa te veneno perdat et ipsum sibi maritum assumat. » His rex credulus conjugem in castro Italiæ reclusit, cui nomen Amelio. Quo comperto, Clotarius per internuntios Arioaldum arguere cœpit, non recte illum egisse dicens, quod reginam et ex regio genere Francorum existentem, sine examinatione legali, dehonestamento dignam æstimavisset hujusmodi. Qui dum justam se habere causam vinculorum uxoris fateretur, unus legatorum, Ansoaldus nomine, tali regem interpellat sermone : « Facile, inquit, examen hujus rei tibi probabitur, si facultas alicui familiarium reginæ detur, bello cum criminatore contendere. » Quod dum ille concessisset simulque approbasset, et Adalulfum, quo minus proposita abnueret, desperatio salutis compelleret, Aribertus quidam, reginæ consobrinus, hominem, vocabulo Pittonem, vice sua prælaturum adversus Adalulfum dirigit. A quo idem criminator sine mora victus gladioque est punitus. Gundeberga regina post tres ferme reclusionis suæ annos ad pristinam regni est regressa dignitatem.

CAPUT XI.

De Dagoberti regis Austrasiorum prudentia, et Rodoaldi insolentia.

Regni Clotarii anno XLI, cum Dagobertus rei summam in Austria strenue gubernaret, et quemdam Rodoaldum majoribus apud Austrasios clarum, adhortante beatissimo Arnulfo pontifice ac Pipino majore domus, honoribus extulisset, cœpit idem vir, mutata insaniens mente, iracundiam in se regis provocare. Nam direptioni rerum studens alienarum, superbiæ deditus, elationis plenus, locum detrahendi invidentibus sibi dedit. Qua de causa exasperatus Dagobertus interficere eum moliebatur. Unde territus Rodoaldus ad Clotarium se contulit, obsecrans ut suam apud filium vitam obtinere dignaretur. Clotarius, viso filio, inter alia, ne Rodoaldum interimeret precatur. Dagobertus promittit eum, si quæ male gesserat corrigeret, spem vitæ habere posse. Sed cum Treveris una cum Dagoberto Rodoaldus accessisset, nulla exstante mora, jussu regis ipsius ante ostium cubiculi regalis a Bertario Scarponensi capite truncatur.

CAPUT XII.

De Dagoberti cum Gomatrude conjugio, et cum patre Clotario disceptatione, ac eorum pacificatione super regno Austrasiæ.

Anno XLII regnante Clotario, Dagobertus, omni ornatu cultuque regio fultus, jussu patris Clippiacum, haud procul Parisius, venit. Ibique germanam Sichildis reginæ, Gomatrudem nomine, in conjugium ei pater tradidit. Die vero tertio nuptiarum, gravis inter patrem ac filium orta est dissensio. Petebat enim Dagobertus reddi sibi solidatum quod ad Austrasios pertinebat, regnum. Clotarius autem contradicebat, nil ei volens ex hoc concedere. Tandem eliguntur duodecim Franci, e quibus unus exstitit, vir Deo placitus, Arnulfus Metensium antistes ; quorum salubri consilio pater, pacatus cum filio, reddidit ei quæ postulabat. Hoc tantum exinde quod citra Ligerim, vel in regione, quam Provinciam cognominant, situm est suæ ditioni retinuit.

CAPUT XIII.

De Sisebodi regis Hispaniæ virtute et fide, et Cantabriæ per eum subactione, et regni Gothorum per hoc dilatatione.

Apud Hispaniam ea tempestate humanis Bettrico exempto, Sisebodus ei successit in regno. Qui, bello strenuus, consilio bonus, ac præ cæteris retroactis Hispaniæ regibus fide promptus, Cantabriam, olim dominantibus Francis possessam, sibi subjugavit. Denique dux Francio, qui eidem provinciæ aliquandiu præfuit, tributa regibus Francorum persolvebat. Quo mortuo, eamdem regionem milites imperatoris Constantinopoli residentis, quibus contra exteras, ut prælibavimus, nationes custodiendi limitis Hispaniæ erat mandata sollicitudo, pervaserunt. Hanc, ut nunc meminimus, Sisebodus eis vi abstulit, multasque urbes maritimas capiens, ad solum usque destruxit. Cumque ab ejus exercitu milites in præfatis inventi civitatibus obtruncarentur, Sisebodus, pia commotus miseratione, volens plerosque eripere neci, ad se confugiendi fiduciam dabat eosdemque, pollicita impunitate, ut sibi fuga consulerent hortabatur. Ingemiscensque aiebat : « Væ mihi misero, cujus regni temporibus tanta humani sanguinis fit effusio! » Dilatatum itaque est Gothorum Hispaniam incolentium regnum per littora maris usque ad Pyrenæi juga montis.

CAPUT XIV.

De Warnarii morte et incestis Godini filii ejus cum noverca sua nuptiis, et ejusdem repudio, et repudiatæ furore ac fraude in Gogonem, et de Gogonis juramento fidelitatis in multis templis præstando, ejusque nece. Item de Palladii Sedecique exsilio, et de Bosonis cæde.

Anno XLIII Clotarii regis, Warnarius, palatio regni Burgundiæ præpositus, diem clausit extremum. Cujus filius Godinus, animi vanitate commotus, novercam suam duxit uxorem. Qua divinæ legis injuria rex impulsus Clotarius Arnoberto duci imperat Godinum ut quantocius interimat. Godinus formidinis gravamine pressus, relicta Burgundia in Austriam transiens, a Dagoberto intercessionem imploravit, ut patrem ab exsecutione præcepti severioris ad molliora inflecteret. Nec Dagobertus detrectavit. Clotarius, ægre licet, oranti tamen filio concessit ut, contuitu honoris, quem Warnarius pater Godini gesserat, et remunerandæ sedulitatis ejus in regem supremæ gratia, necis sententia mitigaretur. Ea videlicet ratione ut Godinus uxorem, quam contra canonum decreta duxerat, abjiceret. Qua repudiata acceptaque vitæ securitate, Burgundiam repetiit. Sed mulier, multo aliter quam sperari posset, injuriam sibi illatam inæquanimiter ferens, delatoria adversus Gogonem usa fraude, regem adiit, et in medium hujusmodi detulit scenam quod, si in regis præsentiam Gogo adveniret, eum gladio perimere deliberasset. His rex credulus securitatem vitæ, ac salutis honorisque sui a Gogone sacramento exegit. Qui dum insistentibus Grannulpho et Wandelberto domesticis regis, in basilica Sancti Medardi Suessionis, atque Sancti Vincentii Parisius, jusjurandum præbuisset nullas se insidias regi machinaturum, neque sic ei fides adhiberetur, compellitur a memoratis viris in ecclesia Sancti Aniani Aurelianis, necnon Sancti Martini Turonis, eadem iterare sacramenta. Cumque voluntati regiæ satisfacturus ad jam dicta properaret loca, insidiis memoratorum virorum, rege id non abnuente, apud Carnotinos in convivio cum plurimis suorum, repugnare quidem volentium, sed minime valentium, nefandissime jugulatur.

Eo anno Palladius quidam, ejusque filius Sedocus Tolosatium episcopus, incusante Aynano duce, quod rebellionis Wasconum fuissent conscii, in exsilium truduntur. Boso etiam Audoleno patre genitus, indigena Stampensis, ex præcepto Clotarii, stuprum cum regina Sichilde commissum ei reputantis, ab Arneberdo interficitur duce.

CAPUT XV.

De successore Warnarii præfecti aulæ Burgundiæ per Clotarium et regulos ac proceres regni consultatio, et seditione oborta ob cædem Hermarii ab Aginano factam.

Clotarius autem potentiores omnes optimatum Burgundiæ Trecas convenire jubens, de successore Warnarii cum eis agebat, sollicitus scrutator quem vellent rectorem palatii a rege sibi præfici. Illis porro dicentibus nullius præter Dei et regis se velle pati dominium, rex gratanter verba eorum suscipiens, desiderio quoque satisfecit.

Anno XLIV regni Clotarii, filiorum regis seu proximorum, præsulum quoque Galliæ Clippiaci concilium congregat, ut, quæcunque pacifica regno vel utilitati Ecclesiæ congruerent, statuerentur. Inter primores itaque Franciæ qui convenerant, quidam Hermarius gubernator palatii Ariberti filii regis, simulque bajulus a pueritia, Aginano super se irruente, perimitur. Is erat Saxo genere, unusque ex optimatibus aulæ regiæ. Qua de re gravi orta seditione, pene usque ad mortes lis insurrexerat, nisi Clotarius, agnita causa, tumultum repressisset auctoritate regia. Nam Aginano copiam secedendi in monte, cui Marcomirus nomen est, attribuit, juncto non parvo pugnatorum numero, qui ei, si ita res exigeret, præsidio forent. Brunulfus vero avunculus Ariberti, frater videlicet Sichildis reginæ, collecta nobilium et sociorum manu, Aginanum debellare tentabat. Quod agnoscens Clotarius, leudos, qui maxime indignabantur pro iniqua tanti viri nece, ad se evocat edicitque, si se habere in offensum vellent, ne in bellum prodeant. Eoque modo revocato eorum impetu, prælium intestinum quievit.

CAPUT XVI.

De Clotarii junioris obitu miraculosaque per divum Sulpicium a febribus sanatione, deque ejusdem Sulpicii vitæ sanctitate, et beati Eligii aurifabri innocentia et opera.

Anno XVI susceptæ monarchiæ, paterni autem re-

gia XLIV, Clotarius rex moritur, atque suburbano Parisius, in basilica Sancti Vincentii sepelitur. Hic Clotarius Junior est appellatus, propter avum suum simili nomine, cum adjectione tamen Senioris dictum; qui primus etiam dici potest, isto existente secundo, necnon subsequente altero, de quo in posterioribus declarabitur.

Hunc vero Clotarium beatus Sulpicius (tunc quidem archidiaconus, postmodum autem Bituricensium episcopus) anteriori tempore a gravi liberaverat febrium incommodo, septem prius dierum consummato jejunio. Fuit autem patiens, litteris eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus necessaria tribuens, ecclesiarum Domini atque sacerdotum utilitati consulens. Verumtamen subdola malignantium versutia subreptum est ei ut beatum Lupum præsulem Senonum a sede propria explsum, in exsilium retruderet. Qui vir tantæ sanctitatis fuisse palam ex gestorum scriptis suorum ostenditur ut quadam die celebranti ei sacra missarum solemnia, cœlitus gemma in sanctum prolapsa sit calicem. Denique rex pœnitens facti, ab exsilio eum jussit reduci et ad se perduci. A quo commissorum postulata impetrataque venia, muneratum eum remisit ad sua. Beatus quoque Eligius aurifex probatissimus, relicto patrio Lemovicini territorii solo, ad eumdem regem transiens, sellam auream regiæ dignitati congruam fabricandi ab eo præceptum pariter et impensas accepit. Et puras ab omni cupiditatis macula gerens manus, quæ ad unius opificii susceperat usum, in duo divisit, et unam quidem non minoris magnitudinis quam jussus fuerat, perfectam reddidit. Quod vero ex attributis sibi auri sumptibus superfuit, ne negligens perderet, vel suæ concupiscentiæ satisfaciendo retinere videretur, in minorem conflavit. Qua re princeps perspecta, laudatum illum ac remuneratum, palatii jubet incolere domicilia. Sed de his ista sufficiant.

CAPUT XVII.

De Dagoberti post annuntiatam sibi Clotarii mortem studiis, et Ariberti ac Brunulfi contra eum factione, deque corporum Dionysii et sociorum inventione miraculosa, necnon et Sadregisilo locum tenente in Aquitania.

Fama itaque defuncti Clotarii ad Dagobertum pervenerat, more ingenii humani, cui satis est, ubi capita acceperit, cætera non requirere. Quapropter Dagobertus lectos e regno Austrasiorum quos fidentiores reperit, in Neustriam et Burgundiam dirigit, ut ducum sive pontificum ipsarum gentium sibi gratiam sociarent. Id ab omnibus cum lætitia susceptum, eo quod cognoscerent regnum ei deberi. Remenses Dagobertum advenientem, primi suscipiunt, inibi principibus memoratarum nationum cum summo gaudio confluentibus. Ardebat Aribertus, frater ejus, aliquid sibi publicorum committi munerum. Pari modo Brunulfus frater Sichildis reginæ, Ariberti avunculus, paulatim ambiendo quosque potentiores, efficere moliebatur, ut spreto Dagoberto, rerum omnium summa nepoti suo committeretur. Verum ille, parandæ sibi potentiæ magis intentum quam communi usui, arbitrati, et quod esset ingenio remissior, declinandum æstimavere. Dagobertus tamen, optatis potitus, Brunulfo dignam factis vicissitudinem postmodum restituere curavit. Compositis vero erga se rebus, et studiis omnium qui rem militarem vel administrabant, vel circa suum imperium conspirabant, tactus corde atque respectu fraternæ compassionis ad miserationem inflexus, amicorum consilio fratrem ex parte consortem regni fecit. Collataque ei provincia, quæ a ripa Ligeris Wasconiam versus extenditur usque ad Pyrenæi juga montis, qui Galliam ab Hispania disterminat, pactum etiam cum eo scripto pepigit: « Ut, privato contentus habitu, nil amplius de paterno sperare deberet regno. » Qui ubi potestatem adeptus est, sedem regni Tolosam eligens, sensu non, ut putabatur, tardus, verum natura acris ad obeunda negotia, statim ingenio suo materiam invenit. (Sequentia ex gestis Dagoberti desumpta, quæ tomo I habentur.) Anno enim III postquam regnare cœperat, totam Wasconiæ terram subegit atque regnum suum latius effecit. Universa autem Austria cum Burgundia, Neustria quoque, dominio parebant Dagoberti. Cujus actus licet a nonnullis separatim digesti habeantur, tamen ne eos facta ejus lateant, apud quos præfata non invenitur scriptura, ea nos libuit perstringere. Dagobertus quippe a Clotario genitore venerabili viro Arnulfo Metensi pontifici ad erudiendum traditus, pueritiæ annos in studiis exercuit litterarum. Adolescentiam vero suam venatibus (quem morem Francorum principibus sæpe fati sumus fuisse familiarem) assuefaciens, agere cervum quadam die instituit. Qui facile industria equitum ac sagacitate inventus canum, ea velocitate qua illud animal uti consuevit, silvas et montes, et si qua etiam occurrere flumina transiens, in vicum, cui Catuliacus vocabulum est, cursu defertur. In hoc vico ædicula erat, quæ corpora martyrum Dionysii ac sociorum ejus tegebat, in quam se cervus tuto reperto perfugio confert. Canes e vestigio eum secuti, nec ingredi apertis januis valentes, ostiatim oblatrabant. Advenions Dagobertus, rem spectaculo admiratur dignam. Finitimos deinde rumor istius miraculi, et præcipue Dagobertum, ad reverentiam sollicitat sanctorum. Præterea Clotarius quemdam Sadregisilum nomine, rebus sub se tractandis præfecerat, Aquitaniæ ducatu specialius ei commisso. Hic itaque regis filium superbia qua tumebat, despicere contendens, prospere eum agere non æquo ferebat animo. Excusatio sane erat juvenilis ætatis, ne tumorem ex subjectione principum contraheret. Forte Clotarius venatum ivit, ac non parvo terrarum spatio a filio sejunctus, opportunitatem præbuit ut ducem, ad convivium accersitum et contumaciæ redargutum, Dagobertus flagellis cædi, barbæque amputatione deturpari præciperet. Audacis itaque facti conscius, latebra qua, se insequente, cervum confugisse viderat

ipse quoque se recipit. Post hæc Clotarius rediens, ducis comperta contumelia, ex se genito multa furibundus interminans, mittit qui eum accersirent, dignas pro commissis ut lueret pœnas. Interea Dagoberto, coram martyribus humili corde prostrato somnoque oppresso, assistens quidam venerando jucundus vultu, ne timeat edicit; eumque non solum præsenti periculo, verum æterno liberandum supplicio et insuper solio regni donandum spondet, si tantummodo memorias eorumdem sanctorum se ornatum iri promittat. Nec fides promissis defuit. Nempe ut non vana (quibus sæpe ludificamur) somnia fuisse intelligeret, hi qui missi ad eum a sacra æde abducendum fuerant, cum non plus uno milliario a sanctuario abessent, progredi divina ultra prohibentur virtute. Redeunt confusi, eique, a quo directi erant, quæ pertulere nuntiant. Ille, eos inertiæ simul et infidelitatis arguens, dirigit alios qui quod illi neglexerant implerent. Quos similia passos, quasi nati fautores despiciens, per semetipsum filium a sepulcris martyrum avellere cupiens ibat. Sed, quia non minus in reges quam in alios homines Dei prævalet potentia, qui alios arguerat inertes fit ipse iners. Tandem agnoscens Christi ac servorum ejus potestatem, indulget veniam, filioque redit in pacem. Sicque, abeundi accepta licentia, ædi beatæ succedit, ac precibus devotis gloriosos martyres ad sui suffragium invitat. Dagoberto tamen (ut postea claruit) nullus locus jucundior fuit.

CAPUT XVIII.

De Dagoberti cum Bertoaldo Saxonum duce periculoso prælio, et Clotarii subventione mirifica, ipsiusque Bertoaldi fugientis nece.

Austrasiis vero Francis rex institutus a patre, adversus Saxones, qui rebellare tentaverant, arma movit, transgressusque Rhenum, cum Bertoaldo Saxonum duce pugna commissa, ense percussus in caput, decisos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, et ut sibi, antequam cunctus corruat exercitus, in auxilium properet, mandat. Forte fortuna adfuit. Clotarius enim venationis gratia Longolariam silvam petierat. Ubi accepto periculorum filii nuntio, gravi exagitatus dolore, raptis quos in promptu habebat juvenibus, ad alios etiam ut se sequerentur directis legatis, brevi tempore longum iter emensus (nam et noctibus viam carpebat) ad filium usque pervenit. Et ea quidem nocte, fixis super Wiseram fluvium tentoriis, quieverunt. Mane autem facto, dum Franci plausus ac voces lætitiæ pro adventu regis Clotarii ederent, Bertoaldus Saxoniæ dux super ripam fluminis prælium præstolans, audito tumultu, interrogat ut quid tantus in Francorum astris oriretur tumultus. Dictum est ei Clotarium advenisse regem, atque ob id diem festum agere Francos. At ille ad hæc: « Falsa, ait, spe decepti præ timore desideria somniant sua. Nam regem, quem secum gratulantur manere, certa ferente fama, nos compertum habemus vita jam defunctum. » Clotarius citeriori armatus superstans littori, dum talia superbe profantem, audiret, nil dicens, quo major taciturnitate sua hostibus incuteretur timor, celerrime galea nudavit caput. Erat quippe ejus cæsaries pulchra canitie variata, in cujus aspectu ab adversariis maxime dignoscebatur. Denique statim a Bertoaldo agnitus, incongrua percepit responsa, in hunc modum a præfato contrariæ partis duce prolata. « Tune, dixit, hic muta aderas bestia? » Tunc rex hujusmodi commotus convicio, et ultra quam dici possit exardescens ira, capiti reposita casside, calcaribus equum versus eum impulit, ut transmeato flumine se de inimicis suis ulcisceretur. Franci itidem, injuria ducis permoti atque ejus exemplo animati, flumen natantes transibant, sequentes regem; qui fugienti Bertoaldo infestus insistebat. Gravabatur sane ad insequendum et pondere armorum, et quod, dum transnataret fluvium, aqua sinum ejus necnon ocreas repleverat. Bertoaldus tamen recedendo clamabat ad regem: « Non æquo et bono illum esse intentum, quod se persequeretur; sed sola hoc ageret laudis cupidine ductus, qui tanti æstimaretur ut sequestratus a suis, hostem terga dare sibi compelleret. Verendum vero ne hæc res, in contrarium versa, ipsum potius pessundaret. » Ista autem dum diceret, fugere non cessabat, et sæpe « se ejus servum, illum vero suum fatebatur fore dominum, viderique injustum ut, vel servus a clementissimo domino, vel dominus a servo, licet invito ac coacto, perimatur. » Verum Clotarius, callide hæc eum prosequi sciens, nec ea quæ dicebantur curans, tandem pernicitate equi, quo vehebatur, eum assecutus interemit. Sublatoque ejus capite, ad filium et cæteros Francos (qui tristes, eo quod eum consequi nequirent, ejus saluti timentes, post eum iter pro posse accelerabant) regreditur. Indeque relevatis mœstitia eorum animis, una cum eis Saxoniam ingressus, ita depopulatus est eam ut nullum in ea hominem viventem relinqueret, qui longitudinem spathæ quam tunc forte gerebat, excessisset. Et Clotarius quidem hoc taliter egit.

CAPUT XIX.

De Dagoberti post mortem patris in Burgundiam, ut oppressos erigeret, profectione et reliqua peregrinatione, deque ejusdem repudiata conjuge, cum Vestali matrimonio, et de consiliariis ejus bonis, Arnulfo episcopo, Pippino, et Chuniberto episcopo

Dagobertus autem, eo defuncto, totius regimen nactus gentis, in Burgundiam ea propositi intentione proficiscitur ut oppressis et calumniam sustinentibus justitiam exercendo subveniret. Ex cujus adventu fiducia bonis, maximeque pauperibus orta; seditiosos vero atque rapinæ intentos, formido gravis incesserat, ac quædam mentium consternatio. Qui ubi Lingonas attigit, pauperibus ac viduis se adeundi facultate concessa, unicuique, absque ullius acceptione personæ, quod suum erat, legibus solvi fecit; æquitate servata, quam diligit Altissimus. Post hæc Diviona castrum adiit, paria ibidem acturus. Indeque Cabillonis profecturus, balneum matutinus ingreditur, præcipiens Amalgario et Arn-

berto ducibus, Willebaldo quoque patricio, ut Brunulfum, Ariberti fratris sui avunculum, propter infidelitatem sibi suspectum, interficerent. Deinde a Cabillonensi urbe, per Augustodunum Antissiodoro iter dirigens; post, per Senonum civitatem Parisius devenit. Et Romiliaco villa constitutus, Gomatrudem reginam (novercæ suæ Sichildis germanam) eo quod esset sterilis, consilio quorumdam Francorum relinquens, Nantildem quamdam puellam, a monasterio raptam, in matrimonium sibi junxit. Usque ad id temporis consilio beati Arnulfi Metensis urbis pontificis, necnon Pippini, in regno Austrasiorum majoris domus officium gerentis, usus est. Ideoque tam strenuus tamque efficax in administrando apparebat regno ut circumpositæ nationes ejus vererentur nomen, suaque auxilia in subjiciendis exteris sponderent gentibus fide promptissima. At vero post discessum præfati antistitis, consiliis jam dicti Pippini et Chuniberti urbis Coloniæ præsulis obaudiens, suggerentibus eis, æquitati ac justitiæ operam dabat.

CAPUT XX.

De Dagoberti ex Ragnetrude filio, qui dum a beato Amando baptizaretur respondit : Amen, *et postea in avaritiam fœdam lapsu, spoliationeque templi divi Hilarii, ac libidine ejusdem; sed resipiscentia consilio Pippini.*

Porro VIII anno regni sui, cum (more regibus assueto) superiores Franciæ partes pervagaretur, mœstusque esset quod filium non progeneraret qui post se regnaret, puellam quamdam, Ragnetrudem nomine, thalamo sibi sociavit; ex qua filium eo anno suscepit. Quem dum postmodum in Aurelianensi urbe venerabilis vir Amandus Trajectensium episcopus, juxta morem fidelium, præsignaret, assistente genitore, pariterque Ariberto Aquitaniæ rege, finita oratione et nullo e tanta exercitus multitudine *Amen* respondente, aperuit Dominus os pueri, qui non plusquam XXX a nativitate expleverat dies, ac audientibus cunctis, respondit : *Amen*. Statim igitur sanctus antistes eum regeneravit; quem Aribertus rex de sacro fonte levavit. Magnus ex hoc facto stupor cum exsultatione, non tam reges quam universos replevit circumstantes. Exinde Dagobertus, dum patrium sæpe studet Neustriæ invisere regnum, prioris oblitus bonitatis, non solum ecclesiarum, verum etiam quorumque locupletium inhians rebus, improbus effectus est prædo. Nam inter alia ecclesiarum Galliæ spolia, ex occasione basilicæ divi Dionysii exornandæ, direptas valvas fusili ære fabrefactas a templo Sancti Hilarii Pictaviensis fertur abstulisse. Quas cum per Oceanum in Sequanam devehi jussisset, ut per eam Parisius usque ducerentur, una earum fluvio absorpta, nec postmodum dicitur fuisse reperta. Luxuriæ tam ineffrenate se tradidit ut exceptis tribus, quæ cum nomine cultu etiam fulciebantur regio, plurimus concubinarum illi obsequeretur numerus. Aversum itaque cor ejus a Deo fuisse æstimabatur prorsusque abalienatum, nisi in semet reversus, peccata sua eleemosynis redimere deliberasset. Erat in regno ejus Pippinus, de potentissimis Austrasiorum, familiaritati ejus inhærens; qui oderat improbos, nec se miscebat flagitiosis. Hunc quidam malignantium Dagoberto adorsi sunt facere odiosum. Sed Domini protectus clementia, cujus in observanda justitia sectabatur præcepta, et insidias paratas evasit, et regi utilia suadendo fidelissimus apparuit. Cui cohærebat alter, Ega nomine, in consilii salubritate et in principis haud dissimilis familiaritate. Is erat ex Neustria, non mediocri præditus potentia.

CAPUT XXI.

De legatis ad imperatorem, et de imperatorum Focæ et Heraclii gestis, et successibus Heraclii in Chosdrohem Persarum tyrannum, ejusque nece crucisque Dominicæ receptione.

Tunc temporis Servatius et Paternus, qui legatione functi fuerant ad Heraclium Focæ successorem regressi, Dagoberto se præsentarunt, dicentes : « Pacem se cum Heraclio firmasse perpetuam. » Denique Focas imperator ab universo desertus senatu (quasi perversa insaniens mente, opes imperii in mare projiceret, dicens se muneribus Neptunum placare velle) ab Heracliano tunc Africæ præfecto perimitur. Atque Heraclius Heracliani filius ei in imperium substituitur. Anno IX postquam purpura se induerat, hic Heraclius multas provincias a Persis pervasas reipublicæ restituit aliasque graviter labefactatas vindicavit. Chosdroes enim princeps Persarum, cuncta per quæ transibat vastando, Hierosolymam venit, atque inter cæteras ecclesiasticas seu populares manubias, partem salutiferæ crucis, quam ibi Helena mater Constantini quondam Augusti reliquerat, asportavit. Traditoque filio suo regno, ipse in argentea turri (quam ad hos usus paraverat) aureo residens solio, vexillum nostræ redemptionis, quasi collegam regni, e latere constituit. Quod ubi Heraclio nuntiatum est, cum valida militum manu Persidem petens, obviam habuit Chosdroe filium, cum maxima Persarum phalange, quæ eum, metu coacta tyranni, non voluntate ducta juvandi prosequebatur. Et conspirantibus utriusque partis studiis, imperator cum Persarum ductore singularem aggressus est pugnam, proposita lege : « Ne quis de utroque exercitu progrederetur qui duci suo auxilium ferret. Quod si quis infringere decretum præsumeret, ab ipso principe suo, succisis poplitibus, vicino immergeretur flumini. » Diu igitur animoseque congressione facta, Heraclius ad adversarium : « Ut quid, ait, tui hoc quod constituimus prævaricant pactum? » Ille reflexa cervice, ut videret quis suorum se veniret juvatum, ab Heraclio percussus equo dejectus est mortuus. Statim Persæ supplices se Heraclio subdunt. Qui cum suis ad ulteriora progressus, Chosdrohem in memorato reperit fano residentem, et juxta eum Dominicam crucem. Quem dum interrogaret : Utrum Christi fidem suscipere, et salutare lignum (quod, licet indignus, honorifice tamen juxta suum tractaverat mo-

dum) vellet adorare ; illeque responderet nullatenus id se facturum, Heraclius eum illico interfecit. Pervagatusque universam Persidem, filium Chosdroe parvulum (quem cum eo invenerat) baptizari præcipiens, eidem præponit. Et argentum quidem turris exercitui, aurum vero restaurationi deputans ecclesiarum, cum multimoda præda ac septem elephantis, assumpta etiam Salvatoris cruce, Hierosolymam, indeque Constantinopolim remeavit.

CAPUT XXII.

De Heraclii forma, et præsagii quo se a circumcisis pellendum viderat errore. Nam Judæos propterea persequebatur, e Franciaque pellendos curavit; cum a Sarracenis fuerit pellendus. De eorum itaque agitur prælio et Heraclii morte.

Fuit autem vultu decorus, visu hilaris, mediocris statura, egregiæque fortitudinis; qui et leones sæpe in arena, et plures, solus interfecerit. Cumque litteris abunde esset instructus, ad ultimum astrologus efficitur. Agnoscens itaque in signis siderum, imperium suum a circumcisa gente vastandum, et autumans id de Judæis fuisse prænonstratum, per internuntios Dagobertum rogavit regem Francorum, ut cunctos Judaicæ stirpis, qui in provinciis illi subjectis manebant, Christianos fieri præciperet; eos vero qui nollent aut exsilio aut morte damnari. Quod Dagobertus volens effecit, omnes qui noluerunt baptisma suscipere procul a finibus eliminans Franciæ. Porro Heraclio non de Judæis, sed de Sarracenis fuerat præostensum. Agareni siquidem (qui et Sarraceni) gens perfida, ab Abraham cum origine ritum trahens circumcisionis, a radice Caucasi montis progressa, terras Heraclii populatum venerunt. Contra quos lecta militum manus, a Cæsare directa, graviter est ab hostibus cæsa. Nam centum quinquaginta millia ex militibus interiisse referuntur. Spolia cæsorum victores rapta Augusto, per legatos recipienda, miserunt. At ille qui ultionem potius meditaretur, non solum oblata respuit, verum ipsa legatione Alanos in adjutorium sui, reseratis portis quas Alexander Magnus Caspio monti imposuerat, ad centum quinquaginta ferme armatorum millia pretio eduxit. Sarracenorum duo duces erant, qui ducenta millia armis instructa in bella ducebant. Cumque uterque exercitus procul a se invicem castra posuisset, nocte, quæ diem belli præcedebat, subito in castris Græcorum quinquaginta duo millia pugnatorum exanimata in stratis reperta sunt. Qua de re reliqui, metu percussi, in diversa fugerunt, regnum suum depopulandum adversariis relinquentes. Qui, quasi accepta injuria quod obviare ausi hostes fuissent, vehementius vastationi institerunt. Tantæ cladis nuntio Heraclius accepto, diffidens se posse resistere, cum jam illi majore, prope Asiæ parte pervasa, Hierosolymam infestare disponerent, in morbum incidit, et procedente in deterius corporis ægritudine, usque ad languorem animæ, videlicet in Eutychis delapsus est sectam. Sociata quoque jure connubii sororis suæ sibi filia, XXVI susceptæ potestatis anno diem clausit ultimum. Cui successit Heraclona filius cum matre Martina. Hic etiam, duobus annis rerum summa potitus, fratri Constantino jura reliquit imperii.

CAPUT XXIII.

De morte Ariberti regis Aquitaniæ, et ejus filii Chilperici deque negociatoribus Francis male a Sclavis acceptis, et de legatione ad Samonem Sclavorum regem, et prælio cum eis commisso ejusque exitu Francis infelici.

Anno IX Dagoberti regis, Aribertus frater ejus Aquitaniæ rex moritur, relinquens parvulum filium, nomine Chilpericum. Qui non diu rebus humanis superfuit. Opinio mortis ejus Dagoberto ascribebatur. Qui ejus comperta morte, Barontum ducem ad pervadendum ejus regnum, vel ad thesauros sibi adducendos, direxit. Barontus vero grave dispendium exinde fecisse memoratur. Eo tempore, commutatores mercium ex Francia Sclavorum ingressi patriam, a Sclavis rebus exspoliati suis, et qui resistere tentaverant interfecti sunt. Quaprop er quidam, Sicharius vocabulo, missus a Dagoberto ad Samonem memoratæ gentis principem, postulaturus de commissis justitiam, dum sciret se a Samone nolle videri, vestibus quibus Sclavi utebantur, ne agnosceretur indutus, conspectibus se offert regis præsentiam suam refugientis. Et quæ sibi in mandatis tradita fuerant prolocutus, ait non debere eum contemptui habere gentem Francorum, eo quod ipse ac populus ei subjectus obnoxii forent servitutis Dagoberto eorum regi. His verbis Samo, provocatus ad iram, respondit, se cum populo suo, simul et terra, Dagoberto libentissime pariturum, « Si tamen, inquit, disposuerit nobiscum amicitias conservare. » Ad hæc Sicharius : « Non est, ait, possibile, ut servi Christi cum canibus fœdera jungant. » Et respondente Samone : « Quandoquidem vos servos profitemini esse Dei, et nos ejus sumus canes, ideo ea quæ vos nequiter contra ejus geritis voluntatem, ut inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morsibus ipsa ulcisci. » Statim ejectus est Sicharius de conspectu ipsius. Qua exasperatus Dagobertus contumelia, lectas ex Austria dirigit militares copias, ad debellandam Winidorum gentem. Quibus fuere auxilio Alemanni cum Rotberto duce, necnon et Longobardi. Qui in ea qua congressi parte victoriam adepti, plurimum captivorum ad propria redeuntes abduxerunt numerum. Austrasii vero Franci Winidos, qui in Vogastense confugerant castrum, obsidione clauserunt. Quam dum segniter administrarent, irruentibus super se hostibus graviter afflicti, castra cum tentoriis deserentes aufugerunt. Hac victoria Winidi animosiores redditi, in Thuringam et circumjacentes Francorum terras sese effundunt, ita ut Dervanus dux, qui urbibus præerat Sclavorum, quæ usque ad id tempus Francis paruerant, desperatis rebus se ad cæteros transferret Sclavos. Enimvero, non tam virtute Winidorum hæc clades accidit Francis quantum ignavia Austrasiorum. Alioqui vindictam, quam sub Clotario in Saxones, hanc ipsam sub Dagoberto in Sclavos exercuissent

CAPUT XXIV.

De contentione inter Avares et Bulgaros de rege deligendo, et de Bulgaris expulsis a patria, et Franciam invadere parantibus, una nocte cæsis.

His diebus, inter Avares, cognomento Hunnos, et eos qui Bulgari dicuntur, magna surrexit contentio, cui deberetur regni successio : utrum ex Bulgaris orto, an ex Avarorum semine procreato. Lis usque ad arma deducta, Hunnis victoriam peperit. Victi Bulgari, et a propriis exsules terris, Dagobertum expetunt regem Francorum, poscentes vacantem tellurem sibi concedi ad habitandum. Ille hiematum eos in Bajoariam dirigit, donec cum amicis deliberaret quid de eis ageret. Quibus per domos Bajoariorum hospitantibus, rex habito cum familiaribus tractatu (veritus ne quid novi molirentur) evocatis Bajoariis hoc dedit in mandatis : « Ut unusquisque eum, qui apud se hospitaretur, cum conjuge ac liberis contrucidaret. » Quod factum est ; et una nocte, quæ tam crudeli operi designata erat, omnes neci traditi sunt.

CAPUT XXV.

De regibus Hispanis, et bello eis a Dagoberto per Burgundiones illato, et de Missorii postulatione, et direptione, ac recompensatione.

Porro apud Hispaniam defuncto Sisebodo rege clementissimo Sentila successit in regno. Qui dum multa in suos crudelia exerceret, Sisenandus quidam haud ignobilis Hispaniensis ad Dagobertum se contulit, regans auxiliari eum sibi, quo Sentilam Hispania expelleret. Dagobertus universam regni Burgundionum militiam proficisci eo jubet, auxilium Sisenando laturam. Igitur ubi in Hispaniam divulgatum est, exercitum Francorum ad subsidium sui Sisenandum ducere, illico cuncti Sentilam jamdudum sibi odiosum deserunt, ac illum alterum bello aptiorem sine pugna secuti sublimant in regnum. Abundantius et Venerandus duces cum exercitu tantum Tolosano Cæsaraugustam usque Sisenandum prosecuti sunt. Ubi nobiles Gothorum se ei tradiderunt, et ipsi, ab eo donis munerati, ad propria redierunt. Post hoc Dagobertus, directis Amalgario et Venerando legatis, poscebat promissa sibi solvi. Spoponderat enim Sisenandus se ei missorium aureum ex thesauris Gothorum daturum, quem olim Torsimodus (qui apud Gothos regnaverat) ab Aetio, Romanorum patricio, dono acceperat. Quem dum legatis rex libenti animo tradidisset, Gothi speculati quod per illos transeundum foret iter, missorium diripiunt, nec cum publicis passi sunt auferri ærariis. Quamobrem Sisenandus postea Dagoberto regi, pro recompensatione missorii, ducenta millia solidorum annumeravit argenti. Quos Dagobertus basilicæ Sancti Dionysii largitus est; in cujus constructione quantum liberalitatem ostenderit suam, in sequentibus declarabitur.

CAPUT XXVI.

De bello quod in Sclaros paravit Dagobertus, a Saxonibus ob tributi levationem ficte suscepto; sed a Sigeberto filio regis feliciter gesto.

Anno autem x, postquam præfatus Dagobertus regnare cœperat, memor malitiæ Sclavorum in suos, collegit lectam e Franciæ bellatoribus scaram, quam nos turmam vel cuneum appellare possumus. Cui, properanti ad capiendam ultionem ex inimicis, occurrere Saxonum legati, spondentium se fore vindices contumeliarum quæ Francis illatæ erant, si tributo quod regiis exhibebant usibus levari meruisset. Quingentas namque vaccas inferendales a Clotario Seniore, Clodovei filio, Chilperici patre, regiæ mensæ inferre jussi fuerant. Quæ ideo inferendales dicebantur, eo quod singulis inferrentur annis. Dagobertus ergo, sapienti Austrasiorum consilio, petita non abnuit, eo videlicet pacto ut per succedentia semper tempora, Francorum limitem sibi vicinum Saxones contra adversantium defensarent incursus. Hoc pactum sacramento quidem super arma (ut eis mos erat jurantibus) firmatum. Sed nulla efficacia factorum est stabilitum, licet sensu quem solvere solebant, liberati essent. Sequenti etiam anno, cum assiduis Sclavorum incursionibus Thoringa laboraret, collato cum pontificibus ac senioribus gentis consilio, Dagobertus filium suum Sigebertum Austrasiis præposuit, ut fungeretur rectoris munere cum regni honore. Tutores duos filio delegavit, Chunibertum Coloniæ urbis præsulem et Adalgisum palatii rectorem. Thesaurum etiam eis sufficientem tribuit, et quæcunque concessit, testamento cuncta inseri, ac sigilli impressione signari mandavit. Deinceps quandiu Sigebertus vixit, studio ac industria Austrasiorum irruptiones refrenatæ sunt Winidorum.

CAPUT XXVII.

De Clodovei filii Dagoberti ortu, et de regnorum inter Sigebertum et eum per patrem divisione, et de Denteleni ducatu recepto.

Anno XII regis Dagoberti, eidem de regina Nantilde nascitur filius, nomine Clodoveus; qui et Ludovius invenitur nuncupatus. Unde rex, suggerentibus iis qui utilitatibus regni consulere videbantur, æqua lance inter hos duos filios regnum dividere statuit. Sigebertum itaque seniorem ex liberis, Austriæ, ut prælibatum est, regem instituit; Clodoveum vero minorem natu, pari dignitate Neustriæ ac Burgundiæ præfecit, restituto etiam ducatu Dentelini, qui usque ad illud tempus ab Austrasiis injuste retinebatur possessus. Quod quamvis Austrasii ægre tulerunt, metu tamen Dagoberti et ad præsens confirmaverunt et in posterum stabile fore promiserunt.

CAPUT XXVIII.

De Sadregisili ducis nece, et filiorum ejus ob ignaviam et paternæ cædis negligentiam exhæredatione. Ej de bel o in Vascones feliciter gesto, prælerquam quod Arembertus dux perierat.

Anno XIII regnante Dagoberto, Sadregisilus dux Aquitanorum a quibusdam hominibus, gladiatorio adversus eum animo insurgentibus, trucidatus est

Hic est Sadregisilus, quem a Dagoberto, adhuc in pueritiæ annis constituto, superior declaravit sermo et flagellis cæsum et barbæ rasione deturpatum. Cujus filii, cum ultores potuissent fieri effusi sanguinis paterni, maluerunt vivere desides ac otiosi quam, perurgendo armis homicidas, cruorem exigere interfecti. Idcirco in publico Francorum conventu, a quibusdam proceribus secundum leges Romanas (quæ sanciunt, a paterna eos decidere hæreditate debere, qui noluerint interfecti necem vindicare) omnibus paternis exspoliati sunt bonis, atque inanes relicti. E quorum possessionibus, multas Dagobertus tribuit ecclesiæ Sancti Dionysii obsequia curantibus.

Anno XIV Dagoberti, dum ei nuntiatum fuisset Vascones a suo imperio deficere velle, exercitum Burgundionum cum XII ducibus eo dirigit. Qui, commissa cum hostibus pugna, eosdem acie superarunt, et multos ex eis captivos ducentes, terram eorum rapinis ac incendio desolaverunt. Denique cum summa felicitate totus ad propria redisset illæsus exercitus, ni dux Arembertus, cum maxima parte nobilium, et etiam veteranorum, ex his quos secum duxerat in valle Robola, a Vasconibus fuisset interfectus. Hujus tantæ multitudinis, quæ Vasconiam bello subegit, licet multis rectoribus uteretur, princeps fuit Audoenus : qui multis in præliis sub Theodorico inventus est strenuus, cui prærogativa omnis de summis reservabatur rebus. Ad quem accedentes Vasconum primores, rogaverunt parci sibi, promittentes se Dagoberto regi præsentaturos, et de quibus arguerentur satisfacturos. Hæc ille allegata sine dolo intelligens, exercitum unde venerat reduxit.

CAPUT XXIX.

De legatione ad Judicahilem Britanniæ regem, cum quo Eligius vir bonus fœdus pactus est, deque Judicahilis Audoenique religiositate.

His ita patratis, legatio a Dagoberto ad Judicahilem regem Britanniæ dirigitur, ut quæ Britanni contra Francos male gesserant emendarent. Sin alias universas copias, quæ e Vasconia redierant, comminatus est se Britonum finibus immissurum. Adscitur ad hanc Eligius exsequendam legationem, spectatæ (ut præostensum est) fidei vir. Qui plurima cum Judicahile allocutus de pace, non solum ut Francorum obtemperaret regi persuasit, verum Clippiaco villa, quo tunc Dagobertus morabatur, secum perduxit. Ubi memoratus princeps et correctionem commissorum, et subjectionem sui Britannicique populi obtulit, ac pacem cum eo perpetuam iniit. Cumque Dagobertus ad curanda juxta morem epulis regalibus corpora se contulisset, Judicahil palatio egressus ad domum Dadonis referendarii, qui et Audoenus dictus est, eo quod religiosæ vitæ testimonium haberet, perrexit ibique pransus est. Erat enim ipse Judicahil religiosus valde, audieratque prædictum Dadonem studium sanctæ conversationis habere. In crastinum valedicens Dagoberto regi, præmiisque regalibus ab eo donatus, in regnum suum est regressus.

CAPUT XXX.

De Dagoberti in Ecclesias munificentia, et de concione ejus in concilio procerum regni, deque testamento et donationibus ejus.

Eo anno, rex Dagobertus, omnibus circumpositis gentibus, nationibusque sibi subjugatis paceque per circuitum facta, ad pietatem intendit. Utque se gratum, cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis, demonstraret, universas pene Galliæ ecclesias patrimonii sui hæredes instituit. Convocatisque filiis, ac turba amicorum, generale indixit placitum in loco nuncupato Bigargio. Ad quod propere convenientibus cunctis Franciæ primoribus, X Kal. Maias, rex solio residens aureo, hoc apud eos disseruit modo : « Causa modo, mihi amantissimi filii, et quicunque adestis Francorum potentes, utilis ac fructuosa visa est vos vocandi intentio, ut de iis quæ pro remedio animæ meæ agere institui, non ego solus mihi applauderem. Quia etenim caduca gerimus corpora, animasque immortales, magna nobis, si dissimulare nolumus, est indicta probitatis necessitas : ne si (quod absit) minus fuerimus intenti, non solum corruptionem quam speramus corporum, verum et ipsam æternitatem animarum perpetuis tradamus incendiis. Ideoque ego, reminiscens justis præparata præmia, et præparata iniquis supplicia, memor etiam malorum quæ gessi, testamentum scribere decrevi, quo omnes regni nostri sanctorum basilicas isto tempore famosas, hæredes faciamus earum quæ eis a nobis traditæ sunt rerum. Constitui etiam quatuor fieri uno tenore exemplaria et ea manibus subterfirmare, non tantum meis, sed etiam filiorum meorum Sigeberti ac Ludovii, quos hodie reges constituo, vestris quoque qui astatis sanctissimi pontifices, necnon gentis nostræ principes. E quibus unum Lugduno Galliæ, aliud Parisius, tertium Metis in Archivis Ecclesiarum custodiendis dirigimus. Quartum autem, quod præ manibus habemus, in thesauris nostris asservari præcipimus. Cumque, post depositam a nobis carnis sarcinam, unusquisque præsulum, qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint, rogamus et obtestamur per terribile Domini nostri Jesu Christi nomen ut memoriam nostri tribus in hebdomada diebus per sequentes annos faciant ; ac pro requie animæ nostræ sacrificium offerant salutare, nomenque nostrum, quasi perpetuum tenentes memoriale, libro inserant vitæ. Vos autem boni filii, considerantes primum naturæ religionem, cujus gratia etiam bestias ligat, manete fratres, et nolite exuere quod generati estis. Deinde reveremini me patrem vestrum, qui rogare malo, cum possim jubere, ut statuta nostra inconvulsa servetis, si vestra a successoribus servari mavultis. Profecto scientes, quod si a nobis sancita contemptui habueritis (quod non arbitror) pari modo et vestra a posteris contemnentur decreta. » His dictis, et cunctis longævam ei felicemque optantibus in hoc sæculo

vitam, ac in futuro manentem, salutatis omnibus cœtum dimisit, ut rediret unusquisque ad sua.

CAPUT XXXI.

De fide præstita Francis a Vasconibus.

Quinto decimo vero regni sui anno, omnes fere seniores Vasconiæ, cum Amando duce, ad eum Clippiaco venerunt; ejusque formidantes præsentiam, in oratorium Sancti Dionysii confugerunt. Quos etsi dignos morte judicaverat, respectu tamen sanctorum, quorum expetierant memoriam, eis indulsit vitam. Qui sacramento fidem dantes se de cætero fideles Dagoberto, ac reliquis post eum regibus fore Francorum, ad patriam redire permissi sunt suam.

CAPUT XXXII.

De Grimoaldi regis Longobardorum gestis, et fratrum ejus cæde, deque Constantino imperatore (qui et Constans dictus est) Beneventum obsidente, et de crudelitate ejus et exitio, et Mezantii tyranni, deque Constantii imperio.

Dagoberto igitur pacifice apud Gallias regnante, Longobardis Grimoaldus præerat, qui exstincto Godiperto Ariperti regis filio, et ejus fratre Bertharit Italia pulso, regnum arripuerat. Hic est Grimoaldus, de qua præfati sumus, quod prædicta eversa urbe, Avarem, a quo captivus adhuc puer ducebatur (ut dictum est) occiderat. Cujus fratres Tasonem ac Caconem, Gregorius Romanorum patricius, in civitate Opitergium dolosa fraude peremit. Nam promittens Tasoni quod barbam ejus præscindens, juxta morem antiquorum, eum sibi adoptaret in filium, cum fratre ac paucis fidelium ad se venire suasit. Ingredientique urbem portas post tergum claudi præcipiens, milites armatos qui eum interficerent direxit. Quod ubi qui ingressi erant animadverterunt, ultimum sibi vale dicentes, per plateas civitatis dispersi obvios quosque trucidabant. Maximaque edita strage, tandem pauci a pluribus circumventi obtruncantur. Gregorius itaque qui sponderat se barbam Tasoni abscissurum, non solum barbam, verum et amputavit ejus caput. Verumtamen ne parjurus diceretur, barbæ quoque summitatem maniter præcidit. Quapropter Grimoaldus regno potitus, Opitergium funditus evertit in ultionem fratrum inibi peremptorum. Cujus temporibus Constantinus Augustus, qui et Constans dictus est, Longobardos Italia pellere cupiens, transmeato Adriatico mari, Beneventum obsedit. Unde subito adventu Grimoaldi territus, discessit, relicto cum exercitu quodam ex optimatibus nomine Saburro, qui cum Grimoaldo prælio conflixit. Tunc unus e Longobardis, vocabulo Amalongus, qui regium contum solitus erat ferre, quemdam Græculum eodem conto percussum, e sella equitatoria super caput suum elevans, reliquos perterrefactos fugere compulit. Talia agnoscens imperator, iracundiam corde conceptam in suos (hoc est Romanos) convertit, moxque Romam pertendit, et a Vitaliano papa honorifice susceptus, primo quidem die obtulit beato Petro pallium auro textum, in crastinum vero, et per XII continuos dies quibus ibi resedit, omnia quæ fuerant antiquitus in ornamentum civitatis ex ære instituta, deponi jussit. In tantum ut etiam basilicam Beatæ Mariæ (*Pantheon* antiquitus vocatam) discooperiret, tegulasque ex ære factas exinde auferret, easque cum aliis ornamentis Constantinopolim transmitteret. Qui tamen, ubi Siciliam attigit, meritum tantarum iniquitatum præmium luit. Nam ejusdem insulæ incolas, Calabriæque ac Sardiniæ, atque Africæ, afflictionibus tam gravissimis attrivit ut uxores a maritis et filii a parentibus separati duram cogerentur perpeti servitutem. Itaque imperator, suis quam hostibus infestior, a militibus ejus sævitiam exsecrantibus in balneo interficitur. Post quem Mezentius in Sicilia tyrannidem arripuit. Quo pari modo sine mora punito, capitequo ejus Constantinopolim perlato, Constantinus, Constantinii (de quo præmisimus) filius, XVII annis Romani tenuit gubernacula imperii. Sane patris ejus temporibus, Vitalianus papa Theodorum archiepiscopum et Adrianum abbatem in Britanniam direxit, ad corroborandam, quam beatus Gregorius in Anglorum gente severat, fidei Christianæ segetem.

CAPUT XXXIII.

De Dagoberti laudabili obitu et sepultura, ac ædis divi Dionysii ædificatione et ornatu.

Porro inclytus rex Francorum Dagobertus, annis XVI gloriosa functus regni administratione, Spinogilo villa super flumen Sequanæ sita, haud procul a Parisius constitutus, profluvio ventris laborare cœpit. Indeque obsequentium manibus ad basilicam Sancti Dionysii delatus, dum se incommodo ultimæ ægritudinis ad mortem urgeri intellexisset, Egam consiliarium suum summa cum celeritate ad se venire mandavit, seque discessurum e præsenti sæculo intimans, uxorem suam Nantildem ac filium Clodoveum ejus tuitioni commisit, et ut secundum prudentiam sibi a Deo concessam filium enutriret, pieque regnum disponeret, admonuit. Cæteris etiam optimatibus ac pontificibus Neustriæ ac Burgundiæ accersitis, filio eos eisque filium commendans, XIV Kal. Februarii diem clausit extremum. Cujus corpus conditum aromatibus, sepultum est in ecclesia sancti Dionysii, in dextro latere sepulcri ipsius martyris. Denique, ut supra ostensum est, cum se ornatum ire illius memoriam sociorumque ejus pollicitus esset, templum eis condidit universis, quæ in Gallia tunc temporis erant, excellentius templis. Nullumque impensis statuens modum, marmoreis illud columnis similique venustavit pavimento, immenso ædificandi sumptu, et exquisito fabricatum decore. Nec minor illi in aliis quoque ornatibus intentio. Nam, vestibus auro textis et palliis holosericis, totum interiorem circumdedit templi ambitum. Ordinem psallentium uti apud Sanctum Martinum Turonis, necnon apud Sanctum Mauritium Agaunis agebatur, inibi instituit. Prædia vero tam innumera fratribus in eodem loco Deo famulantibus, sive matriculariis ecclesiæ contulit ut devotio animi ejus plurimum

admirabilis esset. Fuit etenim idem rex Dagobertus admodum cautus, ingenio astutus, circa benevolos et sibi fideles mansuetus, rebellibus autem ac perfidis valde terribilis. Exercitiis corporis maximeque venationibus deditus, atque in omni agilitate corporea strenuus; peritia quoque ac virtute in bello prævalidus.

CAPUT XXXIV.

De visione facta solitario super statu Dagoberti regis defuncti, et quid prosit templorum ornatio, et obsit spoliatio.

Cæterum eo tempore quo terminum sortitus est vitæ, quidam illustris Ansoaldus nomine, defensor Pictaviensis Ecclesiæ, partes peragrabat Siciliæ. Qui dum evectu reverteretur navali, appulit ad quamdam brevem insulam, præsentia ac meritis cujusdam solitarii qui Joannes dicebatur redimitam. A quo, dum de salute animæ cum eo sermocinaretur, interrogatus utrum regem Dagobertum cognovisset, illeque se cum optime nosse respondisset, rursum a sene rogatus mores vitamque regis exposuit. Cui senex : « Cum, ait, multa vigiliarum ac jejuniorum, simulque senectutis fatigatione depressus, paululum membra sopori dedissem, astitit mihi quidam, veneranda decorus canitie, monens ut propere surgerem, et pro Dagoberti regis anima, quæ eadem a corpore exierat hora, Domini exorarem clementiam. Quod cum facere maturato curassem, apparuerunt subito haud procul in pelago deformes truculenta facie dæmones, vinctum regem Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisque insuper verberibus ad Vulcania loca trahentes. Qui distentus cruciatibus, inter agitationes et verbera, quorumdam sanctorum audiebatur postulare suffragia. Cum repente aperto cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, visi sunt descendisse viri decore nitentes mirabili. Requirere cœpi ab eis qui essent. Qui dixerunt se esse illos quos Dagobertus ad suum vocaverat auxilium, Dionysium videlicet ac Mauritium martyres, necnon Martinum confessorem. Hi ereptam dæmonibus animam secum ad æthera levaverunt, canentes hunc psalmum : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, Domine; habitabit in atriis tuis* (*Psal.* LXIV).» Hæc vir ille venerabilis Joannes Ansoaldo retulit se vidisse. Quæ ille, in Gallias reversus, sancto Audoeno narravit, qui ea in una conscripta chartula posteris reliquit in ordinem historiæ digerenda. Ex qua re datur intelligi nullo modo a sanctis ornatum contemni, quem ad eorum memorias devoti conferunt viri. Quanquam enim quorumdam calumniatorum, et cuncta devorare cupientium hæc vox sit : « Nil, aiunt, Deo vel sanctis ejus prosunt aurum, sive argentum ligno affixum, seu parietibus dependentia pallia; non tamen sine causa ultione puniti sunt divina, vel Balthasar vasa de templo Domini rapta in turpes convertens usus, vel Heliodorus ærarium Dei diripere conatus. Antiochus quoque, quia Hierosolymitanæ urbis templum Altissimo consecratum exspoliavit, postmodum scatens vermibus exspiravit.» Dagobertus vero eos specialius sanctos sibi auxiliari poscebat, quorum basilicas plus cæteris se opibus ditasse meminerat.

CAPUT XXXV.

De Clodovei sub Ega justo principatu, et paradisi Romani pavimento. Et de Gothorum in Hispania regibus Tolga et Risicindo.

At vero Dagoberto defuncto, ejus filius Clodoveus, quem etiam Ludovium diximus fuisse nominatum, cum matre Nantilde in partes cœpit regnare Neustriæ sive Burgundiæ, Ega consiliario palatium cum regno gubernante. Qui patientiæ deditus, abundans opibus, justitiæ erat cultor eximius, et genere claro oriundus. Tantummodo blasphemabatur [Gall. *était blâmé*] a pluribus quod esset avaritiæ deditus. Qui tamen res pauperum, quæ sub Dagoberto pervasæ et fisco fuerant injuste sociatæ, possessoribus cum omni reddidit integritate. His diebus dominus papa Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus [vulg., *le Parvis*] dicitur, ante basilicam Beati Petri apostoli, candidis et magnis marmoribus mirifice stravit. Apud Hispanias mortuo Sisenando, Tolga filius ejus petente patre rex creatus est. Cumque Gothi pueritiam regis aucupati, more sibi assueto multimoda committerent scelera, Cintasindus quidam Gothorum præminentissimus, Tolga regno pulso, ac clerico fieri coacto, regnum arripuit. Qui agnoscens consuetudinem gentis, quam in interficiendis sive expellendis habebant regibus, plurimos ex eis quos huic vitio scivit deditos neci tradidit ita ut de potentioribus quidem ducentos, de plebe vero quingentos ferme interficeret, residuos exsilio condemnaret. Ipse autem cum quiete regno potitus fuisset, filium Risicindum vivens regem instituit. Hic de malis quæ gesserat pœnitentiam agens eleemosynasque multas faciens, nonagesimo (ut fertur) vitæ anno diem clausit.

CAPUT XXXVI.

De thesauri regii divisione, et consiliis Pippini Sigeberto datis.

Quoniam quidem superius demonstravimus quo ordine vitæ superstes Dagobertus inter liberos suos regnum diviserit, nunc intimandum, quo pacto post illius excessum inter ipsos ejus sint partiti thesauri. Igitur Pippinus, qui sub Dagoberto assidue cum aliquibus ex Austria primoribus palatium incoluerat eo obeunte ad Sigebertum se confert, junctoque cum Chuniberto pontifice (ut pridem) amicitiarum fœdere, utilia cum eo regi memorato ministrabat consilia. Ex quorum sententia Sigebertus ad Clodoveum dirigit fratrem, qui debitam sibi portionem ex paternis posceret thesauris. Ad quam redhibendam certus cum loco designatur terminus. Statuta ergo die, Chunibertus cum Pippino usque Compendium villam regiam accessit. Ibique, procurante Ega Clodovei regis palatium gubernante, omnis thesaurorum Dagoberti supellex, in speciebus variis muneribusque antea abditis prolata, ac inter fratres æqua est lance divisa, tertia parte tamen, ex omnibus quæ Dagobertus acquisierat, postquam Nantildem sibi sociaverat, ipsi reginæ servata Par

tem Sigeberti Chunibertus et Pippinus ad ipsum pertulerunt.

CAPUT XXXVII.

De Egam morte, et Erchinoaldi præfectura, et Ermenfridi homicidio.

Anno III regni Clodovei, Ega, præfectus palatii, Clippiaco villa febre vexatus moritur. Post cujus discessum, Erchinoaldus, Dagoberti regis ex genitrice consanguineus, major domus in Neustria est institutus. Qui humilis, pacificus, cunctisque virtutum bonis existens ornatus, sacerdotes Domini diligendo verebatur, et ipse ab eis et ab universis optimatibus diligebatur. Ante paucos sane dies obitus Egani, Ermenfredus quidam, qui ejus duxerat filiam, Ainulfum comitem apud Albioderum vicum in Mallo interfecit. Quapropter grave suarum rerum, permittente pariter ac jubente Nantilde, a propinquis Ainulphi passus est dispendium. Ipse quoque a rege sibi metuens, Remis in basilica Sancti Remigii per multos resedit dies.

CAPUT XXXVIII.

De Pippini morte a multis fleta, et filii ejus post multam contentionem et factionem successione in præfectura.

Evoluto anno Pippinus diem obiit, maximum Austrasiis relinquens luctum causa mortis suæ generatum, eo quod, propter animi mansuetudinem et justitiæ servatam æquitatem, ab universis diligeretur. Cujus filius Grimoaldus, strenuus admodum juvenis, propter egregia patris merita, populo simul et principibus valde erat charus. At vero Otto quidem, Berone genitus patre, sperabat se comitem palatii fieri posse, eo quod bajulus fuerat regis Sigeberti in ejus tenera ætate. Idcirco dum Grimoaldum paulatim despicere, nec jam odium adversus eum conceptum velare, imo crebro contemptu sese manifestum cœperat demonstrare adversarium, Grimoaldus paternæ amicitiæ prærogativa Chuniberto pontifici jamdudum fœderatus, moliebatur Ottonem pellere palatio. Sed cum id nequisset explere, exosum eum Leutherio Alemannorum effecit duci, a quo idem Otto decimo Sigeberti regis anno interfectus est, et Grimoaldus in locum patris major domus in Austriæ regno institutus.

CAPUT XXXIX.

De Flaucato majore domus Burgundiæ, et simultate ejus cum Willibado.

Anno IV regni sui Clodoveus cum Nantilde matre Aurelianis caput regni Burgundiæ petiit. Ubi advenientes pontifices ac optimates ipsius gentis, et se dominio Clodovei tradentes, Nantildis humanissime tractavit, utque filio fidem servarent admonuit. Quorum consilio Flaucatum, Francia oriundum, præfectum instituit palatii, sociata ei nepte sua Ragneberta in matrimonium. De cætero Erchinoaldus et Flaucatus (quorum unus Neustriæ, alter Burgundiæ post regem præerat aulæ) dextras sibi mutuæ societatis ad invicem dederunt, ut in communi tractatu pariqne consensu, quæ pacis essent sectantes, justitiæ et æquitatis jura in subditis custodirent. E quibus Flaucatus in Burgundiam transiens commissa sibi munia impigre curabat. Cujus restitit conatibus Willibadus Ultrajuranus patricius, qui generis nobilitate et opum affluentia sese extollens, despectui ducebat illi subjici, aut ejus parere præceptis. Flaucatus tamen id sibi dissimulans cognitum, mense Maio ad generale placitum cum Clodoveo Cabillonis agi decretum properare non distulit. Quo eti m Willibadus cum invidioso satis agmine, et quod minari bellum videretur, pertendit. Nec palatium ingredi voluit, metuens videlicet ne a Flaucato incautus opprimeretur. Quod ubi Flaucatus animadvertit, palatio egressus eum interficere voluit. Cui sese frater Amalbertus obvium tulit, et Willibadum frustra resistere parantem neci eripuit. Exinde Flaucatus rimabatur opportunitatem, ut de Willibado ultimam sumeret ultionem.

CAPUT XL.

De Nantildis reginæ obitu, Willibadi cæde, et Flaucati paulo post morte non immerita.

Eo anno, Nantildis regina est defuncta, atque in ecclesia Sancti Dionysii, in eodem quo Dagobertus, sepulcro posita. Ipsoque anno Clodoveus ab urbe Parisiorum cum Erchinoaldo et Flaucato ducibus, ac nonnullis Franciæ primatibus, mense Septembri progressus, per Senonas et Antissiodorum ad Augustodunensem profectus est civitatem. Indeque ad Willibadum nuntium dirigit, mandans ut quantocius ad se veniret. Ille quamvis cavendum sibi esse a præparatis insidiis non ignoraret, periculosum tamen arbitratus regi non obedire, dictis quidem paruit, quæ non audebat refellere; sed valida armatorum vallatus multitudine adventabat. Cui occurrit Ermenricus quidam, cum aliis ex numero nobilium a rege directus, ut eum sine cunctatione ad palatium debere properare hortaretur, simulque ut fidem daret, eum nil læsionis in eundo vel redeundo perpessurum. Cujus verbis non ex toto derogans credulitatem, ibat. Quem etiam donis uberioribus honoravit, et ut se ad civitatem præcederet rogavit. Verumtamen nec sic sufficienter sui securus, Agilulfum, Valentiæ præsulem, ac Wisconem comitem ad regiam præ se ire jubet aulam, et quæ de eo agerentur agnoscere agnitaque ad se velociter referre. Hos Flaucatus in urbe detineri fecit, et ipse maturius surgens cum suis, civitate relicta, adversus Willibadum præliaturus iter arripuit. Auxilio ei erant Erchinoaldus dux cum Neustrasiis, Amalgarius et Ramelenus non ignobiles juvenum, quos comitabatur haud spernenda multitudo satellitum. E quibus Ramelenus et Amalgarius, cum sibi obsequentibus, Flaucato in acie auxilium tulere, cætera multitudine procul stante, ac eventum belli præstolante. Nuntius hostilis adventus præcurrens, manifestum reddidit Willibadum. Qui hortatus socios, ne incruentam victoriam adversariis esse sinerent, excepit advenientes. In prima autem fronte ipse mortuus prosternitur, quippe sui jam contemptu vitæ prodigus, et desperatione salutis totum se in hostem effundens. Berta

rius quoque partium Flaucati, dum adversarios vehementer urget, obviavit quemdam Madalulfum Burgundionem olim sibi familiaritate notissimum. Qui Bertarium sese vocantem, sibique, quod si ad se veniret, eum salvum certamine liberaret pollicentem, et ad eum protegendum clypeum elevantem, ingratus beneficii conto percussit in pectore. Cujus filius Aubedo, patris excitus periculo, ad eum cucurrit, adversumque Madalulfi pectus lancea transverberavit, et cunctos qui suum appetierant patrem, aut percussit, aut in fugam egit. Sicque genitorem suum, licet graviter vulneratum, nati pietas custodivit, ne imminentem experiretur mortem. Hi vero qui noluerant bello interesse, conspicientes Flaucatum jam jamque superiorem conflictu fore, tentoria Willibadi et sociorum ejus pervadentes, quidquid supellectilis in eis reperere abstulerunt. Equos quoque peremptorum per diversa vagantes abegerunt. Postero die Flaucatus Augustoduno egressus Cabillonis venit, sequentique, quo urbem ingressus est die, eadem civitas fortuito conflagravit incendio. Flaucatus febre vexatus, in scapha per Ararim ad Diviona castrum devectus, ibi exhalavit spiritum, et in basilica Sancti Benigni est sepultus. Creditum est a plurimis hos duos viros, Flaucatum videlicet et Willibadum, dignas meritorum suorum luisse pœnas, eo quod multis irretiti essent perjuriis, quæ, datis ad invicem per loca sanctorum sacramentis, commiserant.

CAPUT XLI.

De Clodovei in pauperes erogatione, concione et templi ac cœnobii Dionysiani ab episcopali subjectione exemptione; et de viris sanctis qui intererant ac piis eorum operibus.

Anno XIV suscepti regiminis, Clodoveus rex argentum, quo genitor suus absidem super sepulcra martyrum Dionysii, Rustici ac Eleutherii prominentem operuerat, auferri mandavit et Aigallo loci illius abbati tradi, ut ipse illud egenis et necessitatem patientibus (quia fames eo tempore totam pene occupaverat Franciam) dispensaret. Et quia idem locus sub potestate adhuc constitutus erat Parisiaci pontificis, tale quid idem Deo amabilis excogitavit princeps.

Anno enim XVI ex quo sceptra susceperat regalia, pontifices et totius gentis principes Clippiaco convenire jubens, mediusque inter eos solio residens, hoc habuit sermonis exordium : « Quanquam, inquiens, Francigenæ cives, terreni nos cura principatus admonuerit, publicis vos consultores rebus advocare; tamen prius nobis convenit ea quæ Dei et sanctorum ejus sunt disponere, ut postmodum ea quæ nostra sunt, dante Deo, ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est, dicens : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI), nobis suis obtemperantibus præceptis sua conferet promissa. Requiramus itaque quæ sint placita sanctis in regno jam consistentibus æterni Patris, et cuncta nobis evenient prospera in terris si ea curaverimus adimplere factis. Intentionem igitur nostri cordis vos, sacerdotes, qui dii vocati estis et filii excelsi omnes (*Psal.* LXXXI), attendite et audite, et auditam, si approbaveritis, una nobiscum ad perfectum adducere elaborate. Nostri itaque devotio hæc exstat animi, ut monasterium patroni nostri domini Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonii veritatis requiescit humatus, et piæ memoriæ genitores nostri, domnus videlicet Dagobertus, ac domna Nantildis, se sepelire mandaverunt, ab omni solvamus dominio mortalium. Quatenus abba vel fratres eo loco commanentes, possessiones a parentibus nostris sive ab aliis fidelibus Christianis sibi traditas, absque ullius dominantis inquietudine possidentes, pro salute nostra ac statu regni nostri liberius Deum deprecentur. Huic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis Landericus Parisiacæ urbis præsul : in cujus diœcesi cœnobium illud situm est, et cui usque ad præsens tempus subjectum fuit. Hanc ergo libertatem servi Dei inibi constituti dum fuerint adepti, nulliusque præter Dei ac sanctorum ejus, nostrumque, cui etiam tota natio Francorum paret, fuerint perpessi dominatum, sciant se debito tali genitoribus nostris et nobis eisque qui nostro (ut speramus) per Dei gratiam orientur ex semine fore obnoxios, ut pro nostra eorumque quos memoravimus præsenti ac futura requie non desinant Deum exorare. » Hæc regem pro concione locutum, circumsistentes postquam intente auscultaverunt, in laudibus ejus proclamantes, mansura ei optavere gaudia. Huic conventui interfuere prope omnes Gallicani episcopi : inter quos quidam sancti exstiterunt viri, quos sancta Ecclesia dignis effert honoribus, eo quod ad eorum sepulcra variis vexati sanentur infirmitatibus. Id est beatus Audoenus, et sanctus Rado frater ipsius, atque domnus Eligius cum beato Sulpitio, nec non sancto Eucherio. E quibus beatus Audoenus (qui et Dado dictus est) referendarius fuit regis Dagoberti, filiusque præcellentissimi viri Autharii. Qui referendarius ideo est dictus quod ad eum universæ publicæ deferrentur conscriptiones, ipseque eas annulo regis sive sigillo ab eo sibi commisso muniret seu firmaret. Cui fuerunt duo fratres, Ado scilicet et Rado. Ado itaque spretis sæcularibus pompis, construxit monasterium In saltu Jodrensi super Matronam fluvium, quod nominavit *Iodrum* : in quo ipse sub regula abbatis Columbani Deo usque ad diem servivit ultimum. Rado quoque zelo fraterni studii animatus, dum thesauris præesset regalibus, et ipse in paterna hæreditate ædificavit cœnobium, quod ex proprio nomine vocavit *Radolium*. Porro beatus Audoenus, ne impar in bonis operibus videretur suis esse fratribus, ipse etiam fabricavit monasterium intra Brigensem saltum, quod *Hierusalem* ab eo quidem est nominatum; sed nunc a fluviolo, super quem est situm, *Resbascense* dicitur cœnobium. Hos fratres ad tam præclara exercitia, exemplo sanctissimi reos excitatos esse Eligii. Ille enim dum in palatio gratam

Deo et hominibus ageret vitam, a rege Dagoberto petierat condonari sibi villam in pago Lemovicino sitam, Solemniacum cognominatam. In qua et monasterium construxit, et congregationem Deo servientium monachorum statuit.

CAPUT XLII (5).

De fundatione cœnobii Floriacensis.

Res postulare videtur ut quia aliorum mentionem fecimus locorum, qualiter vel a quibus fuerint personis fundati, nostri non prætermittamus fundationem cœnobii. In quo et venerabilis ac virtutum præconio insignis Benedictus Pater corpore quiescit humatus; et nos ab ipsis, ut ita dictum sit, enutriti cunabulis, quidquid in nobis boni vel utile exstat, si quid tamen est, ipsius patroni intercedentibus meritis a Deo percepimus. Igitur glorioso rege Clodoveo Dagoberti filio regni Francorum moderamina dispenente, quidam vir genere nobilis, nec minus probitate clarus mentis Leodebodus nomine, in monasterio Sancti Aniani, suburbio Aurelianensi abbatis fungebatur officio. Hic ad sæpedictum accedens principem, commutationem exposcebat fieri Floriaci fisci. Cui petitioni rex, ut erat mente benignus, libens annuit. Acceptoque a memorato abbate prædio, quod ei ex paterna obvenerat hæreditate, præfatum fiscum Floriacum et in ejus transfudit dominium. Qui optatis potitus, nequaquam eumdem locum diu vacare est passus. Sed ædificatis duabus basilicis, una in honore apostolorum principis Petri, aliaque in veneratione genitricis Dei Mariæ, mox etiam construxit habitacula monachorum usibus congrua. Adunatisque quibusque nobilibus, vel etiam Deo servire cupientibus, abbatem instituit nomine Rigomarum. Qui quinquennio expleto, ex hoc transiens sæculo, successorem accepit nomine Mummolum. Hic bonus pastor, dum creditum sibi a summo verogne pastore Deo augmentare gregem studeret, quemdam innocentis vitæ virum vocabulo Aygulfum Blesensi castro haud ignobili genere ortum suscepit ad serviendum Christo conversum. Quem etiam processu temporis in monastica probatum conversatione, ad Beneventanam direxit provinciam, ut sancti Patris Benedicti exinde ad Gallias transferret glebam, cunctis mortalibus reverendam. Cujus ille præcepto haud segniter paruit, et sanctissima membra jam dicti Patris, cum ossibus sororis ejus Scolasticæ Galliis intulit. Quod qui plenius scire voluerit, in libro qui De translatione Patris Benedicti prætitulatur invenire poterit. Quam nos ardore dilectionis, quo circa eumdem patrem flagramus heroico carmine succinctum, in quantum quivimus, ita reddidimus.

INCIPIT TRANSLATIO PATRIS BENEDICTI

Edita heroico metro ab Aimoino Floriacensis cœnobii monacho.

Fert animus linguam modulis laxare canoris,
Eximii Patris Benedicti laude venusta,
Ut cunctis reserem populis quo præstitit ad nos
Ordine, præclaros transferri corporis artus.
Ipse sui junctis sibimet membris venerandis
Germanæ meritis sociatæ, urnaque sepulcri.
Nunc, Benedicte Pater, famulo vires rogitanti
Confer, et exiguis quo te collaudet alumnus,
Incipe gratificos mecum mea tibia versus.
Clodoveus Franca dum rex regnaret in aula,
Inclyta progenies Dagoberti principis alti;
Exstitit egregia morum probitate decorus
Vir, Leodebodus clara de stirpe creatus,
Cœnobii regimen sancti servans Aniani,
Mœnia vicinum quod spectant Aureliana.
Hic larga Domini perfusus cor pietate,
Clodoveum, quem jam primo sermone notavi,
Expetiit regem, summa comptum bonitate,
Haud sibi dissimilem, cui talia famina fatur:
Rex, ait, e cujus pendet moderamine tellus
Gallica, quo Franci gaudent sub rege potentes;
Parva quidem, sed grata meæ possessio menti est,
Quam fama didici fisci ditione teneri.
Floriacum vulgo vocitant hoc nomine villam;
Hanc deposco meo tribuas ut jure regatur.
Id neque damna putes tibi, si concesseris, ulla
Importare, meum fatear cum reddere fundum.
Nec gratis fiscum mihimet conferrier opto,
Spondens e proprio similem redhibere locellum.
Annuit his precibus gratanti pectore princeps,
Collatumque suum lætatur perdere fiscum,
Contentus quod non dispar sibi redditur arvum.
His ita dispositis, Leodebodus venerandus,
Posthabitis animo mordacibus optime curis,
Optataque diu tandem tellure potitus.
Fundamenta jacit domibus tunc apta locandis,
Ut famulis Christi monachis habitacula condat
Procurans, instat donec perfectio summa
Perfectum demonstret opus finemque laborum.
Ecclesias demum binas pro tempore parvas
Construit, et minimam Christi Mariæ genitrici
Dedicat, ast aliam sancti sub nomine Petri
Consecrat. Hæc tum major erat, spatiosaque paulum
Tunc equidem. Nam nunc postquam Genitricis in aula
Transiit Hesperia vectum corpus Benedicti,
Egregii Patris, spatio diffusior hæc est,
Basilicis nec non multis excelsior una.
Interea magnum ad caulas deducere curat

(5) Caput hoc quod Aimoinum Floriacensem monachum fuisse convincit, ex codd. mss. nunc primum est adjectum.

Agmen, et innumeras hominum glomerare catervas,
Præclarus Leodebodus, studio vigilanti,
Congreget ut Christo juratas sponte cohortes.
Hinc quem pastoris condonet munere dignum
Exquirens, meritis vivacibus atque beatis
Invenit monachum Domino populoque placentem.
Mummolus huic nomen, generis quoque nobile ger-
[men.
Fratribus hunc reliquis consulto præficit; ipse
Post metas vitæ superas conscendit ad arces.
At pastor commissa gregis moderamina sancti
Provide procurans, animum scriptis relevabat
Mellifluis, gnarus dictis Patrum sociari.
Præcipuum in libris illi studium relegendis,
Pectore quos sacro profudit papa beatus,
Jucundi verbi sensus Gregorius alti.
Quem docuit sanctus, qui ad flumina nota columbæ
Spiritus in specu Christum vestivit honore.
Hos dum continua versare manu pius instat
Mummolus, in gestis Patris semper memorandi
Repperit emeritum dixisse suis Benedictum,
Dum celsa residet Cassini montis in arce,
Quo! diræ ruerent nullo cunctamine gentes
Omnia septa gregis. Tunc jam decursa measse
Agnoscens, sanctus quæ viderat ante futura
Intendit mentem, eveniat si forte facultas
Asportare sacrum jam dicti corpus alumni.
Mittitur Aygulfus magnam Diomedis ad urbem,
Qui vehat optandos cunctis mortalibus artus,
O Benedicte, tuos, virtutum lampade claros,
Celso delatos Cassini vertice montis.
Nam famulus Domini somno dum membra dedisset,
Mummolus, ostensum dixit sibi cœlitus istud.
Tunc quoque progressi quidam Cenomannis ab
[urbe
Advenere viri, similis quos visio somni
Admonuit, longa ut quærant regione sepulcrum,
Quo fratri conjuncta pio Scolastica sancta
Sit tumulata, suaque ferant tutamen in urbe.
Ergo alacres parili junguntur calle beato
Aigulfo, donec transcensis Alpibus usque
Urbem Romuleam, sedemque Petri reverendam
Devenere. Locis socios hic forte sacratis
Intentos sacer Aigulfus tum deserit, atque
Impiger accelerabat iter, quod ducit ad arcem
Cassini, quæ tunc eremo circumdata vasto,
Longbardis olim populantibus omnia circum,
Dum nec tam sanctis timuissent ædibus atras
Injectare manus, discessit incola cunctus.
Sedulus huc explorator veniens studiosis
Visibus exquirit, sanctorum busta piorum
Quo jaceant tumulata loco, seu qualibet arce.
Nam deserta videt, specieque carentia tumbæ.
Quem senior montis residens in parte secreta,
Omnia lustraniem cernens hac voce rogavit.
Heu! inquit hospes, quanam de gente remota
Explorare venis nostrosque invisere fines?
Quidve petis? Rursus cunctanti taliter infit:
Ne metuas secreta tui mihi pandere cordis.

A Spondeo celatum servare in pectore verbum.
Consiliique mei vires præbere petenti.
Dixerat, et dicta Aigulfus sic voce secutus.
Nulla meo major versatur corde voluptas,
Quam potiar sacro Benedicti ut corpore Patris.
Demum pauca refert ævo maturus ad ista
Arcano senior, reddens has pectore voces.
Hæc peragenda quidem, magno sed munere, dixit:
Sunt redimenda tibi, si me vis indice tantis
Quæsitum terris thesaurum cernere coram.
Sicque senex fatur, cum talia reddidit heros.
Præmia magna feres, tantum si quod rogo mon-
[stres,
Polliceorque moram nullam generarier a me.
B Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas sano de pectore voces.
Cum nox atra polum subtexerit, atque coruscis
Vecta bigis Phebe ad medium devenerit axem,
Tu vigil intentis oculis per devia montis
Prospice, qua versum fulgor missus radiantis
Luminis, immensas vincat splendore tenebras.
Illic invenies quod tanto gliscis amore.
Paruit ille senis monitis, primaque quiete
Transacta surgens, quorsum lux splendeat alma
Explorat, cernitque locum clare radiantem
Luce nova, lapis hunc signatus nomina fratrum
Texerat exterius, quem sensim vir venerandus
Impulit in partem. Subito patuere reperta
Ossa beata Patris Benedicti, necne sororis
C Ipsius egregiæ, quæ mox latro venerandus
Inclusit sportæ, palmarum fronde virenti
Contextæ, patriæque solum meditatur adire.
Confestim socios Romæ quos liquerat ipse
Aspicit adventare via, montemque tenere.
Proximus his factus, causam quærit veniendi.
Tum primum secreta sui cordis reserarunt
Aigulfo Christi famulo, qui cuncta peracta
Jam fore prædixit, celerique fuga propera.
Admonuit callem, quo Gallica rura petuntur
Haud secus ac jussi faciunt, gressuque citato
Digressis, avide dum linquitur Itala tellus,
Cœlitus insonuit terris vox missa per auras,
Quæ vetuit proferre pedem, spatioque moveri
Quo steterant. Cœlis illo sub tempore missus
D Angelus in somnis, vultu verboque minaci
Pontificem sedis Romanæ terruit, istis
Increpitans dictis ac somnos rumpere cogens.
Cur te segnis, ait, torpor lecto recubantem
Detinet, et Latios pateris popularier agros?
Nam Galli vestris infesti finibus olim,
Nunc veteris memores iræ, suffragia vobis
Justorum, rapto nituntur tollere coram,
Servorum Domini captantes corpora furtim.
Antistes tali turbatus pectora visu,
Exsurgit stratis, ac agmina cogit in arma.
Langobardorum subnixus viribus, illos
Insequitur, qui post tergum cervice reflexa
Innumeros hostes se propter currere cernunt.
Quod postquam videre, metu calor ossa reliquit.

Nec lacrymis carnere genæ; tum corpore prono
Exorant Christum, qui tanto munere dignos
Duxerat, ut donum servet, ne gentibus illis
Præda fiant, et præclaro spolientur honore.
Hos Deus obscuro gradientes aere sepsit,
Cernere ne quis eos, ne quis contingere posset
Corripuere viam interea, qua semita monstrat
Et læti patriis gaudent consistere in arvis.
Bonodium vocitant agrum pagi Aureliani,
Quo primum fessi cinerum residere piorum
Vectores, Dominusque suis vult glorificari
In sanctis. Cæcus dum matris fusus ab alvo
Ingrediente die sensit discedere noctem,
Et claudus rectis lætatur vadere plantis.
Devenere Novam quam dicunt nomine Villam.
Hic alter veniens ad hanc lucem sine luce,
Lumine percepto sanctum laudat Benedictum.
Floriacus perstat vicus haud porro remotus
Cœnobio, geruli quo dulcia membra tulerunt.
Huc Domini famulus gaudenti cum grege tendit
Mummolus, ut celebri ducat pompa metuendas
Relliquias. Post quem Cenomannica plebs prope
[ravit,
Virginis egregiæ sperans non esse neganda
Ossa sibi. Sed constanter se tradere nolle
Asserit Aigulfus, proprio sudore redempta.
Attamen assiduis precibus non sponte quievit,
Passus restitui corpus poscentibus illis.
Verum permistos artus secernere tandem
Insedit menti; sed qua ratione valeret
Ignarus, Christo meruit monstrante doceri.

A Denique majores artus præmortua juxta
Membra locat pueri; confestim reddita vitæ
Surrexere loco pedibusque incedere discunt.
Exanimis quoque jam tumulo condenda puella
Exiles artus mox attigit, evigilavit;
Sic par causa duos secrevit strenue fratres.
Tum Cenomannorum populi cum virgine læti
Ad proprium rediere solum. Hinc Mummolus abba
Promeritus, nec non Aigulfus, gaudia dulcis
Magna ferunt doni, gaudent in tempore tali
Hoc humeris vexisse suis ad tecta beati
Clavigerique Petri, donec divina potestas
Signaret, quonam sibi dilectum Benedictum
Condere præciperet, natales post geniales,
Quod non multo post pietatis contulit auctor.
B Ergo Dei servus tanto de munere lætus
Ancipiti cura penetral dum cordis oberrat,
Et prece pervigili cœlorum dindyma scandit.
Quo Deus his habilem miserans concederet urnam,
Illico celsa poli rogitanti porta patescit,
Et humilis choreas cœlorum nuntius intrat,
Ac superi Ditis post terrea visibus astat.
Nec mora quæque cupit regum Rex annuit illi.
Fulgor ab ætherea nam mox demittitur aula,
Quo tumulanda forent Benedicti pignora signans.
Mummolus hæc cernens, et fido pectore credens,
Gaudens templa locat, gaudens transfert Patris
[ossa,
Servos qui proprios tueatur principe Christo,
C Ac post hanc vitam concedat habere perennem.
[Amen.

Explicit Historia Francorum Aimoini monachi Floriacensis.

DE MIRACULIS SANCTI BENEDICTI

LIBRI DUO

Scripti ab Aimoino, *monacho Floriacensi.*

(Mabill. *Acta SS. Bened.* IV, II, 356, ex Bibliotheca Floriacensi et Martio Bollandiano.)

PROLOGUS

AD GAUZLINUM ABBATEM.

Honorandis Patribus Gauzlino reverentissimo abbati, omnique Floriacensis cœnobii sanctæ congregationi illi commissæ, eorum peripsema omnium Aimoinus regnum cum Christo æternum.

Obedientiæ bonum quanto sit præmio dignum, vestra, reverendi domini, doctrina ediscere merui. Ideoque quorumdam vestrum imperiis, qui id paterna potius admonitione quam imperiosa auctoritate persuadendum mihi putarunt, libenter cervicem
D subdidi, ut quædam de miraculis communis patroni nostri sanctissimi Benedicti ad memoriam posterorum scripto traderem. Institi itaque ut potui, et non solum ea quæ ad sacrosanctum ejusdem Patris sepulcrum gesta sunt, verum etiam illa quæ in aliis ipsius memoriæ locis ad ejus declarandum meritum Dominus operari dignatus est, stylo comprehendere curavi, opus omne in duos partiens libros. Suscipite igitur, sanctissimi Patres, tenuem licet, sed tamen

fidelem fructum gracilis ramusculi e magna vestræ unanimis societatis arbore prodeuntis; nec vos in ejus pœniteat laborasse profectu qui id quam maxime nititur efficere ut et nutritoris sui dilecti Benedicti laudes promulgare et vestris per omnia studeat placere desideriis. Vos autem, fratres amantissimi, cum quibus in primævo ætatis flore jugum suave Christi ferre didici, mihi, quæso, congratulamini quod vestris quoque adminiculis ad hoc profeci quatinus aliquid utilitatis meæ vilitati possit injungi. Quamvis enim in me ad vestri comparationem nulla exsistat utilitas, quidquid tamen boni in me est, ab omnipotente Deo, per intercessionem gloriosæ Virginis Mariæ ac legislatoris nostri Benedicti, perque servorum ejus laborem totum est.

2. Ad postremum omnes, quorum corda ejusdem confessoris Christi amor possidet, conveniens exposco ne in hoc opere rhetoricæ suadelam facundiæ requirant. Quin potius, inter rusticana despicabilis mensæ nostræ canistra, rutilantia ac suave redolentia miraculorum admirantes hauriant mella; meminerintque quia in testaceis plerumque vasis lautioribus epulis delectabiliter uti soleant. His de ingenioli nostri tenuitate prælibatis.

3. In calce prologi non putavimus prætermittendum hoc quod divina pietas huic nostro pastori inter cætera largitatis suæ contulit munera quia, videlicet ad ea promenda quæ de se retulerant digna, nullius extraneæ personæ egnit unquam supplemento, quinimo ipsius clientuli in ejus cœnobiis illius ope educati atque edocti, quidquid in ejus laude promendum erat, posterorum mandare memoriæ sufficientes inventi sunt post beatum duntaxat papam Gregorium; qui et ipse, ejus regulæ subditus disciplinis, quantis idem Pater effulserit virtutibus eloquentissimo enucleavit sermone. Marcus denique poeta, atque Paulus in Cassinensi cœnobio, multa de illius miraculis metrico opere elegantissime ediderunt. Translationis vero ejus sacri corporis ordinem ad hunc venerabilem locum, necnon signa hic vel per Gallias ipsius meritis gesta, vir disertissimus Adrevaldus (5*), istius monasterii monachus, scriptis inseruit. Cui operi Adelerius, hujus nihilominus congregationis monachus, duo tantum capitula adjecit. Horum ergo vestigia, licet non æquis prosecutus passibus, vos bene valere exoptans, his quæ dicenda proposui hoc dedi exordium.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Nortmanorum strages per Galliam sub Carolo Calvo, sub Ludovico, sub Carolo Simplice, Odone et Roberto. Cassinogili palatii situs, etc.

4. Gallicanarum incolas regionum, assiduis exterarum labefactatos incursibus nationum, et veteres et modernæ quibusque eas intellectu revolventibus pandunt historiæ. Quos Julii Cæsaris decennalis attrivit concertatio, Hunnorum subita dilaceravit irruptio, Gothorum subvertit præsumptiva habitandi invasio; ad ultimum Francorum vivida bello dextra victos pariterque victores, æqua sorte, suo subjugavit dominio. Horum præferox potentia, cum in subigendis, tum etiam in arcendis a suis finibus barbaris gentibus, viguit concordiæ viribus usque ad divæ memoriæ Caroli Calvi tempora, filii Ludovici, cui agnomen Pius fuit. Contra hunc fraternæ insimulatio invidiæ finitimarum concitavit odia gentium, præcipue Nortmannorum, qui piraticam exercendo maritima regni ejus loca direptionibus gravissimis depopulati sunt. Obstitit primo eorum sævis conatibus Rotbertus Andegavensis comes, Saxonici generis vir, cui per id locorum a rege summa rerum delegata fuerat; adnitentibus sibi præeminentissimis Neustriæ viris, Rainulfo atque Lamberto, uti eloquentissimus auctor Adrevaldus priori refert libro. Sed illis variis obeuntibus sorte, Dani excursionis suæ loeram nacti occasionem, quæ et quanta civitatibus bina expeditione intulerint damna vastationibus seu incendiis monasteriorum ac reliquarum ecclesiarum, studioso lectori procedentis operis textus patefaciet.

5. Verum Augusto Carolo rebus humanis exempto, filius ejus Ludovicus successit, qui Nihil fecisse prænomen sortitus est, sive quod vix duobus annis regno potitus nil strenue gessit, sive quod sanctimonialem quamdam, sicuti a majoribus accepimus, Calæ monasterio puellarum abstractam, conjugio copulans suo, peccatum, quod nihil esse noscitur, perpetrarit. Hujus in diebus effera memoratorum natio Danorum tertiam Neustrasiis inflictura cladem advenit, intulissetque majorem superioribus, ni Hugo (6) per Gallias abbatis honore præditus, eorum compescuisset temerarios ausus. Denique quod parva manu innumeras hostium phalanges adjutus manifesto sanctissimi Patris Benedicti auxilio ita fuderit ut vix nuntius superviveret, ex scriptis venerabilis viri Adelerii agnosci facile est. Qua plaga humiliati Dani Gallias per aliquot spatium temporis quietas liquerunt.

6. At, Hugone ultimos vitæ suæ claudente soles, Ludovicoque principe post administratum biennio

(5*) Patriciacensis codex, quo usi sunt socii Bollandiani, hæc inserit, *qui et Adalbertus æstimatur nominatus, istius*, etc.; qua de re supra.

(6) Joannes a Bosco addit, *ut fertur, Roberti filius*. Quæ verba desunt in codice Patriciacensi, et recte; nam Hugo iste filius fuit non Rotberti, sed Conradi comitis et Adaleidis, teste Herrico in lib. II De miraculis sancti Germani Antissiodorensis episcopi, cap. 5. Aurelianis mortuus anno 887, et sepultus Antissiodori in monasterio Sancti Germani. Alius fuit Hugo Magnus, filius Rotberti se regem ferentis, qui in Suessionica pugna cæsus est anno 923 infra.

regnum diem obeunte, Carolus ejus filius, qui Simplex postea est dictus, in cunis ævum agens, patre orbatus remansit. Cujus ætatem Franciæ primores incongruam, ut erat, exercendæ dominationi arbitrati, maxime cum jam recidivi Nortmannorum nuntiarentur motus, consilium de summis ineunt rebus. Supererant duo filii Rotberti : senior, Odo dicebatur ; Rotbertus alter, patrem nomine referens. Ex his majorem natu Odonem Franci, licet reluctantem, tutorem pueri regnique elegere gubernatorem. Qui mente benignus et reipublicæ hostes arcendo strenue præfuit et parvulum optime fovit, atque adolescenti et sua repetenti patienter regna refudit ; a quo parte regni redonatus, quoad vixit tempore, hostibus terribilis eique semper exstitit fidelis. Ab hac fraterni mansuetudine animi in tantum frater ejus aberravit Rotbertus ut, eo defuncto, quia pars regiminis, quam germanus suus Odo tenuit, non redhibebatur, palam tyrannidem invaserit. Quam causam aquilonales populi, sibi non obfuturam arbitrati, cum scilicet totius regionis incolæ, studiis in diversa porrectis, concordi nequaquam adversus eos rebellarent animositate, totis incumbendum rapinæ viribus decernunt.

7. Et quia nobis ad præsens non bella regum tumultusve gentium disserere animo propositum est, quinimo miracula per beatissimum nostræ vilitatis alumnum, Deo operante, patrata Benedictum, mens promere gestit, ad ea explicanda veniendum est. Non vero nos idcirco eum nostræ vilitatis auctorem fatemur, quasi nos ipse viles fecerit, verum quia nos abjectos despectosque, nulliusve momenti existentes, ad hoc suo interventu ac sua ope provexerit ut, et ejus laudes promere et quidquid in nos salutis seu utilitatis quiverimus agnoscere, post Dominum ei debeamus imputare.

8. Prophetici itaque nos memores existere oraculi, quo dicitur ab aquilone omne venire malum (*Jer.* 1, 14), ac si specialiter in nos prolati, frequens cogit memoratorum infestario paganorum qui e genuina sua tellure, instar apum, super nostras sæpissime, ut præfati sumus, provincias examen effudere prædonum. Qui hac ultima, de qua nunc nobis sermo est, expeditione, Rainaldo quodam duce, nostrarum reliquias spinarum, quantum in ipsis fuit, eradere procurarunt. Hujus testes sunt rei, non solum, ut jam dicti verba testantur auctoris Adrevaldi, Sequanico Ligericoque littori, quibus Neustria nobilitatur fluminibus, Dordoniæ seu Garumnæ, quarum Aquitania insignitur fluentis, adhærentium urbium, verum etiam præeminentium ruinæ ædificiorum. Inter quæ eminentissimum illud Caroli Magni principis palatium *Cassignol*, gloria quondam et decus cunarum filii ejus jam præfati Ludovici Pii, quod ita Deo inimica gens subvertit ut et inhabitabile redoeret, et tamen quid aliquando fuerit, manifeste appareat. Id eo loci situm est quo torrens *Codrot* Garumnam influit, turrim lateritiam in margine memorati torrentis extructam habens, e qua et adventus prævideri, et ingressus hostilium possit arceri navium, simulque ut classis regia, absque adversariorum impedimento fabricata in minori, ad fluenta majoris deduceretur amnis. Habet vero ecclesiam ampliori ecclesiæ conjunctam, miro opere ex lateribus fabricatam : in qua (si bene visa recordor) permodicum habetur sarcophagum, in quo frater Ludovici Pii geminus (6*) esse putatur sepultus. Inde etiam Magnum Carolum Garumnam transiisse, Hispaniæ Christianis suppetias ferentem, ibique rediisse, liber Vitæ ejus refert. Sed de his satis dictum · nunc propositum exsequamur.

CAPUT II.

Rainaldus rex Nortmannorum moratur Floriaci ; a sancto Benedicto cæsus. Cadaver in Sequanam missum. Effigies ejus Floriaci.

9. Igitur innumeræ Northmannorum phalanges, super quas Rainaldus regnum obtinuerat, quamplurimis longis usæ navibus, usque ad superiora Ligeris percursantes cuncta devastant. Tandem ad cœnobium ter beati Deoque dilecti Benedicti, quod Floriacum dicitur, Rainaldus cum suis attingens, vacuum habitatoribus cunctisque necessariis offendit rebus, domibus duntaxat exceptis, siquidem monachi cum corpore semper nominandi Patris nostri Benedicti ad tutiora se contulerant loca, Lamberto tunc abbate piæ sollicitudinis erga eos curam gerente. Perveniens ergo inibi rex memoratus, et ex captivis resciscens quorum hominum foret talis habitatio, dormitorium fratrum suæ metationis delegit sedem ; in quo varia, utpote paganus, dum patraret flagitia, una noctium quiescenti ei sanctus astitit Benedictus duobus comitatus monachis, unus, ut ipsi Rainaldo videbatur, mediæ ætatis robore præditus, alteri, puerilis inerat habitudo. Beatissimus autem Pater, niveam capite canitiem præferens, baculum vero manu, ita jacentem allocutus est adversarium : « Quid, inquiens, te, Rainalde, offendi, quod me meosque a propriis perturbas sedibus ? sed mihi deinceps curæ erit, et te ab incœptis inhibere, et famulis Christi, ossibus quoque una meis, optatam quietem reformare. » Ilis dictis, ligno, quod manu gerebat, incurvo caput jam expergefacti regis contingens, prænuntiavit terminum ejus vitæ in proximo adfuturum ; sicque recessit. Turbatus hac visione Rainaldus, satellites magna ad auxiliandum sibi voce inclamat. Quibus accurrentibus et quid pateretur percunctantibus : « Quidam, inquit, monachus, non alter, ut æstimo, quam ille hujus tutor loci senex Benedictus, baculo verticem tangens meum, mortem minitando, dolorem mihi ingessit in-

(6*) Lothario nomen erat, ut tradunt veteres Francorum Annales. Lege Vitam sancti Abbonis Floriacensis abbatis ab Aimoino itidem scriptam, in qua mentionem facit rerum hoc in loco dictarum, nempe Cassinogili palatii, Caroli Magni, et torrentis *Codrot* seu *Aroth*, vulgo *Drot*, qui amnis Dononiam prætervectis Garumnam versus occurrit.

gentem. » Jubet confestim cunctos pervasa domicilia deserere, nativumque solum repetere, cum quibus ipse profectus, ut patriam attigit, crebro debilitatus cruciatu vita discessit; tantaque subito moriente eo ventorum procella inhorruit ut non solum culmina tectorum, verum etiam eminentium subrueret moles arborum. Captivorum vincula soluta, equi seu reliqua jumenta infra duodecim et eo amplius milliaria, a Rothomagensi urbe ad pastum deducta, disruptis compedibus, in diversa fugerunt. Corporis ejus tumulo pyramidem superædificatam validissimo accepimus terræ motu subversam, ac ejus cadaver tellurem a suo rejecisse sinu; quod culeo cum lapidum mole insutum, in Sequanam est demersum, quandoquidem humo non poterat contineri tectum. Hoc interitu memoria nefandi abolita fuisset hominis, ni vetustas Floriacensium incolarum, curiosa futurorum, marmoream ejus capitis fingere curavisset effigiem (7). Quæ nunc in ultima parte parietis ecclesiæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ ac famuli ejus Benedicti, septentrionem versus, inserta perspicitur, quatenus et præsentes et secuturi omnes agnoscerent, interventu eorumdem sanctorum, omnipotens Deus qualem quantamque exercuerit in suis adversariis vindictæ severitatem. Adeo denique hæc ultio Nortmannicam in posterum perterrefecit temeritatem ut præ cæteris Galliæ sanctis beatissimum revereantur Patrem nostrum Benedictum (8).

CAPUT III.

Robertus occisus. Lerbertus Caroli proditor. Rodulfus rex. Exemplum de ejus æquitate.

10. Interea Rotbertus affectatæ tyrannidis potentiam palam exercere cupiens, a quibusdam episcopis diademate se regio coronari ac sceptro regni insigniri, partim blanditiis, partim minis, extorsit; sed nequaquam hujus præsumptionis lætos habuit exitus. Denique Suessionicis in campis bello a ducibus Caroli exceptus, vitaque spoliatus, licet exercitus ejus victoriam obtinuerit, ipse tamen nefariæ temeritatis pretium luit. Nec tamen socii defectionis interitu ejus territi, perfidiæ deseruere contumaciam; quin potius Herbertus comes Virmendensis, infando scelere dominum suum regemque totius Franciæ Carolum dolo captum, vinculis quoque irretitum, Peronnæ direxit tenebroso carcere reciudendum. Et quia regni status sine principe agebatur in incertum, maxime cum Hugone Rotberti filio, qui post probis actionibus Magni nomen promeruit, puerilis obsisteret ætas, quo minus regias assumeret infulas; et Herberti cunctos haberet odium, præcipue eos quos humanitatis respectu ad misericordiam ærumna commovebat principis; tandem Rodulfus quidam, Burgundia oriundus, regendæ præficitur Francorum patriæ. Qui quam severus in coercendis sanctæ Dei Ecclesiæ exstiterit prædonibus, hoc uno liquebit exemplo.

11. Prædium olim Sancto Benedicto ab Hugone (9) viro illustri, qui fuit tempore Dagoberti Junioris, donoerat datum ad stipendia Floriacensium fratrum, in Burgundiæ partibus situm, vocabulo Diacum (10). illud quidam perversæ mentis miles ad suos usus rapuit, nec petenti abbati vel fratribus in jus venire voluit. Querimonia ad se perlata, jubet rex pervasorem ab hac cessare temeritatis pertinacia. Qui vocem quidem jubentis audivit, sed assensum parenti accommodare distulit. Renuntiatur principi, illum non solum pervasa retentare, verum etiam convivium ex substantiis monachorum seu incolarum in proxima silva sibi parare. Forte rex Antissiodorensis urbis domicilia incolebat, cum nuntius hujuscemodi rei aures ejus attigit. Qui inexspectato milite equum ascendens, quantocius ad locum properavit, relicto in civitate mandato, ut armatorum cohortes se digredientem subsequerentur. At regii satellites, fama proficiscentis regis permoti, certatim prosequuntur iter maturantem. Verebatur enim ne quispiam de exercitu, agnita re, æmulum redderet cautiorem. Ubi ad silvam ventum est, circumcingi eam princeps imperat armatis, interminatus eum capite plectendum a cujus partis custodia rerum pervasor ecclesiasticarum fuga delaberetur. Ipse, cum lectis juvenum silvæ abdita perlustrans, reperit eum quem quærebat sumptis armis resistere velle. Quem rex ipse Rodulfus lancea transfixum humi dejecit mortuum, apparitoresque ejus qui imminentem evaserant necem per diversa fugere coegit. Hæc ut a patribus accepimus, plana fide retulimus, certumque habemus venerandæ memoriæ ingeniique singularis Patrem nostrum Benedictum deinceps ei suum contra adversarios contribuisse auxilium, præcipue Nortmannorum debellanti exercitum.

CAPUT IV.

Floriacensium abbatum successio. Drogonis novitii probatio, secessus in eremum, tentatio; visitatio S. Benedicti.

12. Abbate Lamberto carnis sarcina exonerato, aliquanto interjecto tempore egregiæ sanctitatis Odo, ex monasterio Sancti Giraldi, quod Aureliacum dicitur, adveniens, huic sacro prælatus est cœnobio (11), cujus in diebus ea quæ ad sepulcrum

(7) Nunc loco marmoreæ cernitur in lapide ad dextericulum sculpta ejus capitis effigies, quam Nortmannorum regis esse incolæ tradunt.

(8) Idem testantur Dudo decanus, Quintinianus et Willelmus Gemeticensis monachus, ut dictum supra, quos tamen nusquam hujus Rainaldi regis mentionem fecisse invenio.

(9) Hugone, scilicet Drogonis filio, postea archiepiscopo Rothomagensi, cujus Acta lege in sæculi secundi parte prima.

(10) Diac, *Die*, vicus diœcesis Lingonensis in pago Tornodorensi, ex Rodulfo Tortario in cap. 22 De miraculis S. Benedicti, infra. Præpositus de Diaco decem solidos quotannis pro bibliotheca solvere tenebatur ex præscripto Macarii abbatis, in Bibliotheca Floriacensi, pag. 410.

(11) Quomodo Lamberto successerit sanctus Odo, narrat Joannes monachus in lib. II De ipsius Vita, cap. 11; id factum Rodulfo rege circiter annum 930. Odoni successit Archembaldus anno 942. Ulfaldus

sancti confessoris sui Benedicti Dominus operari dignatus est, seu in aliis sub ejus nomine locis, nobis usque nunc incognita manent, partim antiquitate, partim scriptorum negligentia oblivioni tradita. Ipse tamen eo sermone, quem in ejusdem Patris laude ac honore facundissima dictavit eloquentia, memorat eumdem cœnobitarum legislatorem suis temporibus multis miraculorum radiasse signis.

13. At eo migrante, et Archembaldo (12) hujus sacri ovilis sollicitudinem excipiente, Drogo quidam, sæculo non solum corpore, verum etiam tota implicitus mente, ad conversionem venit. Cujus spiritum mundanæ vanitati jampridem deditum idem abbas experiri pro certo volens utrum adhuc ex Deo esset, tramitem regularis excessit probationis. Nam petiturus Romam, animal sarcinas itineri necessarias ferens manu trahere absque ullius evectionis adjumentis pedibus viam terenti imperavit, ut qui pravitate morum reliquos sæcularibus nugis abrenuntiantes excessisse credebatur, excederet etiam præ ostensa abjectioris forma humilitatis. Qua ille injuria, quasi quadam cote, ad virtutum acumen usus, postquam ut susciperetur obtinuit, præcedere cæteros in sanctitate vitæ nitebatur.

14. Verum memorato abbate monasterialis reginiinis metas attingente, venerabilique viro Wlfaldo ei succedente, qui post Carnotensis exstitit (13) præsul urbis, jam dictus vir Drogo ab eo petiit ægerrimeque impetravit ut sibi, in cœnobitali diuturna probato conversatione, eremi singularem liceret aggredi pugnam. Quam eo loco qui Balma (14) dicitur viriliter adversus antiqui hostis insidias suscipiens, quanta et qualia tentationum certamina pertulerit, non est hujus operis evolvere. Sane dum in contritione carnis ac spiritus totam expenderet vitam, et vigiliis jejunia, jejuniis vigilias alternando subnecteret, graviores inimici generis humani perpeti cœpit insidias.

15. Quadam namque nocte quæ unam festivitatum excellentissimi legislatoris monachorum antecedebat Benedicti, maturius pervigil surgens eremita, explorabat sub dio progressus stellarum in ortu competentis horæ adventum, in qua Deo ac protectori suo laudum præconia sancto persolveret Benedicto. Sed invidus omnium bonorum diabolus, calliditatis consuetæ astu mentem ejus ab incœpto deterrere bono gestiens proposito, aereæ quercus instar figuratus, quæ flammivomis ardere æstimaretur ignibus, tecto appropinquabat pauperis tugurii. Tum miles Christi ad nota recurrens præsidia, signo crucis armat frontem, totumque se adversus phantasticum objicit incendium, memor utique, ut conjici datur, operum domini ac magistri sui Benedicti, qui, divinæ gratiæ præventus munere, adurentes flammas, vocatis ad suos oculos discipulis, imaginarias fuisse declaravit (Greg. lib. II *Dial.* cap. 10). Hac illius constantia fraus inimica devicta disparuit. Adfuit e vestigio supernæ visitationis benigna consolatio, et claritatis immensæ circumfusus lumine, conspexit simul cum splendore advenisse quemdam egregia comptum forma albaque palliatum stola, qui in hæc verba venusta resolvit ora: « Ave, inquit, primus hujusce vastæ solitudinis accola, Christo diatim contriti cordis placabilia offerens libamina. Fuerit quidem intolerabilis visa perfidi tentatoris pervicacia, sed post ventos et nubila, tranquilla, crede mihi, tibi succedent serena. Propositi itaque tui ne cesses continuare perseverantiam, alumnique tui Benedicti laudibus prosequi celebritatem. Tuum post hæc erit deliberare quid velis poscere; illius studium postulata concedere. Aderit deinceps ut non sit necesse quidquam petere; quin potius ante tui invocationem, tibi præsto procurabit fore. » Hujus jucundissimæ affabilitatis auctorem non alium solitarius ille (15) procul dubio suspicatus esse quam beatissimum Patrem Benedictum, ei pro posse ac scire gratiarum studuit munia recompensare. Ecce qualis ac quantus hujus nostri protectoris circa devote ad ejus sacrosanctum excubantes tumulum existat favor, hinc colligi valet, si ita præsens his quoque apparet ipsius consolatio qui procul remoto commanentes in solo, ejus humiliter se dedunt obsequio.

CAPUT V.

Ludovicus rex Caroli successor; filii ejus duo. Arnustus S. Benedicto dat pœnas.

16. Cæterum Rodulfo rege defuncto, qui, dum armis protervos Danorum compescit incursus, Gallias usque adhuc ab eorum impetu magna ex parte facit manere quietas, conversæ res: nam Carolus ergastulo clausus, animam, non corpus, custodia exemit, relinquens Ludovicum ex Headtgiva (16) Anglorum regis filia susceptum. Qui calamitatis paternæ procella semet involvi metuens ad Anglo-Saxones, maternæ affinitatis invitatus gratia, se con-

Archembaldi successor laudatur in Vitæ sancti Odonis loco præcitato.

(12) Is est Ercamboldus, qui *regulam monasticam in monasterio Sancti Remigii* apud Remos *restituisse* perhibetur apud Frodoardum in Historiæ lib. IV, cap. 32.

(13) Anno VIII Lotharii regis, ut constat ex fragmento apud Chesnium edito in tomo III Historiæ Francorum, pag. 343, qui annus respondet anno Christi 962. Is eo loci Floriacense monasterium vallo et muro munivisse dicitur; et Oswaldus, nepos Odonis Cantuariorum pontifices, Floriaci monachum induisse. Sed tamen corrigendus illius fragmenti scriptor in eo quod Richardo abbati Wlfaldum substituit, cum Richardus Wlfaldo successerit, ex Aimoino, infra cap. 7.

(14) An Balma in finibus Burgundiæ? ubi Berno abbas monasterium per suos instituit, ex lib. De Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis, cap. 16.

(15) Drogonem cum titulo *Beati* retulit in Menologium suum Bucelinus ad 2 Aprilis. Drogonem fuisse virum pium patet ex hoc loco: *beatum* dicere nolim absque auctore, neque mortis diem ignotum assignare.

(16) Ejus lapis sepulcralis in crypta monasterii Sancti Medardi apud Suessionas cernitur cum epitaphio, quod in tomo I Analectorum editum est

tulit, in transmarinis arbitratus se tutiorem manere regionibus quam inter suos dominus si foret in cubiculo, rex in convivio. Post excessum sane Rodulfi regis ab Hugone Magno revocatus, speciemus regno redditus est patrio. Cujus administratio, jus dominationis exercere cupienti, tam sui a Tetbbaldo Carnotensium comite captione quam post regni recuperatione, varia, instabilis fortunæ proventu, laboriosaque illi fuit. Is obiit mortem duobus liberis superstitibus, Lothario atque Carolo, quos ei Gerberga soror Othonis, Romanorum postea imperatoris, genuerat. Carolus ævo junior, privatis in ædibus senuit ; in hæreditatem omnem Lotharius successit, qui potestate regia functus est per triginta et eo amplius annos perpetua.

17. Ejus in diebus, tam apud sacratissima Patris nostri Benedicti ossa quamque et in aliis locis, ubi ejus veneranda habetur memoria, multa, præstante Deo, per eumdem egregium confessorem patrata sunt miracula, quæ posterorum notitiæ Christo nos juvante tradere adoriemur. Nam Arnustus quidam fuit, vir sæcularis militiæ clarus stipendiis, qui ab Archembaldo hujus loci abbate beneficiario jure aliqua ex possessionibus monasterii sibi tradita possidebat. Hic oblitus benefactorum, fidei quoque quam sacramento sancto spoponderat Benedicto, ac illi pro posse famulantibus monachis, Pauliacensis (*Pouilly* in Nivernis. *V. Adrevald.*, cap. 37) parochiæ prædium assidua exinanibat metatione [*id est* hospitatione]. Cui cum a fratribus mandatum esset ut ab hac præsumptione quiesceret, illeque obtemperare despiceret, coacti fratres, omnipotentis Domini clementiam patronique sui Benedicti auxilium implorare cœperunt. Illis denique obnixe Dominum rogantibus, adversario vero in sua perdurante malitia, contigit ut una dierum memoratus vir prandium sibi in jamdicto prædio parari jubens, inter lautioris mensæ epulas, poma piri ad vescendum inquiri juberet. E quibus unum manu tenens, post multas blasphemias adversus monachos Floriacenses prolatas, juramentum protulit mendax, ita inquiens : « Hoc testor, ait, pirum, hoc anno me eis multa incommoda irrogaturum. » His dictis, partem pomi jam incisi suo injecit ori, quæ continuo ita blasphemum oppilavit guttur ut interclusa voce nulla valeret promere verba. Quem veluti exanimem sui, inter brachia lecto inferentes, hortabantur ut pœnitens eorum quæ injuste intulerat beatissimo obsequentibus Benedicto, veniam flagitaret. Sed ille proloqui non valens, reclinato ad parietem capite, spiritum exhalavit. Nec passus est Dominus Christos incassum cadere suorum preces servulorum, a gloriosa sua genitrice Maria dilectoque sibi allegatas Benedicto.

(17) Ex hac particula *nunc*, recte colligunt Socii Bollandiani Archembaldum superfuisse anno 1005.

CAPUT VI.

S. Remigii festum. Ensem altari S. Benedicti imponens punitur.

18. Unum vero ejus operum insigne, Patris dico Benedicti, nunc adorimur exponere, quod cujusdam fratris relatu seu scriptis non contigit agnovisse, qui se illud a fidelibus sanctæ Remensis Ecclesiæ viris testatus est didicisse in territorio ejusdem urbis fuisse gestum. Anniversaria beati confessoris Christi Remigii in terris ex more celebrabantur, dies videlicet festus et plenus reverentiæ, in quo concursus populorum ad ejus venerandam basilicam fieri assolet. Eodem die jam dicta Gerberga regina, tardiore jam incumbente hora, suorum circumfusa comitatu ad templum venit, et accidit ut vespertinæ laudis officia jam a cantorum choro inchoata offenderet. Quæ pudore suæ tarditatis, consuetæ stationis relicto loco, cryptas ipsius ecclesiæ ingressa est, in quibus pretiosi Patris Benedicti oratorium habetur ; ubi dum ad orandum regii stipatores suas flecterent cervices, unus eorum protervæ temeritatis ausu spatam quam manu gerebat altario superposuit. Exsecrati factum socii, gladio inde ablato, adversus tantæ auctorem vanitatis, increpatoria invexere verba. Quibus ille superbe respondit : « Quænam, inquiens, in nos [*f.*, vos] nova isthæc incessit religio, ut aggestum calcis ac sabuli cum lapidum mole meo judicetis ense fore sanctius ? » et simul cum verbo, receptam machæram, Dominicæ non dubitavit reimponere mensæ. Hoc faciens tertio a contumaciæ suæ fastu inhiberi non potuit. Sed qui blandis hominum verbis corrigi nolnit acriorem divinæ severitatis redargutionem in semet expertus est. Nam discedente a sacra æde regina, et ipse discessit. Cumque nimium sui securus ac de se præsumens, lætus cum cœnantibus et ipse cœnaret, inter epulas ac pocula, labente super inguina cultello sauciatur ; deinde elatus manibus obsequentium a mensa, e vestigio impœnitens, nimiumque lugendus suis, infelicem exhalavit animam, ostenditque Deus displicere sibi altaris sui abominationem, quod sub nominibus servorum suorum ipsi dicatur, quodque ob sacrosancti corporis Christi immolationem figuram obtinet crucis.

CAPUT VII.

Herberius, prædiorum Floriacensium invasor percutitur baculo S. Benedicti.

19. Soliacensis [*Sailly*] castri, quod a vico Floriaco tribus distat millibus, possessor quidam Herbertus dictus est, Herchenaldo genitus patre, fratrem habens, nomine Archembaldum, Turonicæ Ecclesiæ nunc (17) archipræsulem. Huic Richardus venerabilis abbas (18), successor domini Wlfaldi, aliqua juris ecclesiastici prædia in beneficium concesserat. Qui nequaquam his contentus, reliqua quæ cœnobitarum usibus delegata erant nefando ausu

(18) Richardus abbas præfecturam iniit anno 962, quo Wlfaldus assumptus est ad sedem Carnutensem, ex dictis.

diripiebat. Tunc Pater monasterii cunctaque congregatio ad eum dirigunt poscentes ut, memor fidei jurejurando eis a se pollicitæ, res eorum invadere desisteret. Quo parvipendente eorum monita, ad Lotharium regem, seu ducem Hugonem, querimoniæ suæ flebilem deploraturi ærumnam profecti sunt. Apud quos tum quidem parum proficientes, per semetipsos eumdem perfidæ mentis hominem adorsi, orant ut sui misereatur, ab eorum oppressione cessando. Verumtamen eo avertente aurem, ad nota recurrunt præsidia. Denique toto propemodum ejusdem anni quadragesimali tempore, inter litaniarum solemnia, sua Domino pro tribulatione fundentes vota, duo ærea pulsabant signa, ut eorum sonitu audientes ad simile invitarent opus.

Interim præfatus Herbertus in suæ malignitatis perseverans contumacia, pessimis quotidie adjiciens pejora, quadam nocte cum quibusdam satellitibus in Wastinensem pagum adire disposuerat. Et quia juxta Veritatis vocem, *qui ambulat in nocte offendit, quia lux in eo non est* (*Joan.* XI, 10), luce utique carens virtutum ac tenebris obsessus vitiorum, obscuritate quoque mundanæ noctis impius quisque se suosque actus celare nititur; sed licet humanos, quantum in ipso est, devitet obtutus, oculos tamen Domini, qui super vias hominum sunt et omnes gressus eorum considerant, effugere nullatenus valet. Non enim, ut beatus Job testatur, apud Dominum ullæ sunt tenebræ aut umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem (*Job* XXXIV, 22). Sic itaque ab hoc impio Herberto ablata lux sua est, ipseque repente sublatus, quia diu fuerat exspectatus. Namque dum equi tergo insidens, cum suis nocturna adopertus caligine iter carperet, aspexit subito astitisse lateri suo aliquem monachalis habitus stigmata præferentem; cujus indumentum ætherea claritate, ut post ipse suis retulit, resplendebat. A quo baculo quod præ manibus habere videbatur, inter scapulas ictus, horribilem emisit vocem; sicque visio ex oculis ejus ablata est. Circumequitantes, horrore vocis pervicti, inquirunt sollicite quid ei acciderit. Quibus ille: « Sanctus, inquit, Benedictus, nunc mihi assistens, valido me afflixit verbere, ex quo male habens immenso crucior dolore. Sed vos, o fidissimi commilitones, retrogradum callem arripientes, ad domum me referte meam: indeque mihi veniam efflagitatori, ad sepulcrum properate confessoris gloriosum. » Illi ejus obtemperantes præceptis, hinc inde sustentatum unde digressus fuerat reduxerunt. Qui inter manus famulorum, in ipso pene ostii limine, animam reddidit; cujus devoti fideles cœnobii Patris Benedicti fratres adeuntes, eventum rei innotescunt, petentes quatenus vel cadaver exanime ad sepulturam suscipiant. Quibus illi, quamvis indignationis suspecti abbatis sui, qui tum forte aberat, assensum præbentes, susceptum corpus humo texerunt. Qui etsi pro parta sibi quiete applaudebant, pia tamen compassione defuncto compatiebantur, eo quod in primævo juventutis flore vitæ hujus privatus munere pravitatem quoque morum non valuit corrigere.

CAPUT VIII.

Romaldus item morte correptus.

20. Romaldus civis Carnotensis exstitit, cujus silva trans Ligerim, in Segalonia (*la Sologne*) sita, confinis silvæ quam Deo devoti viri jam dictæ ecclesiæ attribuerunt, esse dignoscitur. Is unus existens eorum de quibus Scriptura dicit: *Quoniam quidem ipsi terminos transtulerunt, diripueruntque greges* (*Job* XXIV, 2), adunatum tam in silva S. Benedicti quamque in sua silva ad pascendum porcorum gregem ex æquo partiri conabatur. Et quia pars salus monachorum major quam ipsius erat, grave hoc fratribus videbatur. Unde communi consilio quosdam ex suo collegio dirigunt ad Arnulfum Aurelianorum tum præsulem, cui idem vir beneficii gratia percepti parebat, ut eum ad æquitatis jura sua revocaret auctoritate. Verum ille, contumaciæ fartus spiritu, suadenti ejus scopo quatenus justitiæ tramitem servaret, superbe respondit se eo die quo sues e bosco abducendi erant interpellantibus responsa daturum, æstimans miser servis Dei se quæ requirebant ereptum, immemor evangelici divitis, cui sua amplianti horrea Dominus infit: *Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetunt, et quæ parasti, cujus erunt?* (*Luc.* XII, 20.) Nempe Romaldus præfatus, antequam e loco ubi legatis porterve responderat pedem movisset, febre ingenti correptus, eo usque languit donec eo ipso die, quo se sperabat pauperibus Christi suillum pecus iri ereptum, morte damnatus ferretur ad sepeliendum. Fratres interea a reliquis juxta condictum destinati ad silvam, ejus operientes adventum, comperto quod obiisset, cum portione suum sibi debita ad propria sunt regressi, benedicentes Dominum, simulque sanctam Christi matrem Mariam, ac Dei famulum laudantes Benedictum.

CAPUT IX.

Floriacense incendium; aliud.

21. Tempore sæpius ac cum reverentia nominandi abbatis Richardi, cum ab imperatoria cœlestis Regis severitate ob enormitatem peccaminum decretum processisset, ut flammis voracibus venerabilis hic locus, Floriacensis scilicet, purgari debuisset, quæ et quanta, perfidis quidem despicienda, nobis autem et quibusque sanum sapientibus miranda, acciderint prodigia, paucis memorare libet. Primum quidem satis obstupescendum quod basilica Sancti Petri principis apostolorum, casuali conflagrante incendio, ea quæ sanctissimæ Dei Genitrici ac perpetuæ Virgini Mariæ dicata, cunctis Dominum timentibus multipliciter diligendum retinet thesaurum, corpus videlicet sanctissimi Patris Benedicti, illæsa resedit. Non solum autem illa quæ sexaginta et non multo amplius ab ipsa distabat passibus, verum universa intra ambitum castri admodum arctum constructa ædificia, uno duntaxat horreo ardentis ecclesiæ pariete adhærente, incorrupta mansere ab ignibus. Acervus quoque frugum, quem melum

(Gallice *méteil*) vulgo dicimus, qui tantum ponte novem vix passibus in longum dilatato, ab ipso distabat oratorio, voraces evasit ignium flammas. Movere debuerat hoc damnum corda mortalium; sed heu! mens hominum nimium ignara futuri, dum non veretur, dum non metuit, sibi ingruentia nequaquam considerans adversa, cadit in deteriora!

22. Etenim non longo labente annorum curriculo, præcellentissimi Richardi abbatis industria fusile æris vas ad convocandos in oratorio fideles parabatur. Cujus rei ministri, cum nocte quæ octavas sancti præcedebat Laurentii, labore fessi membra sopori dedissent, accensam candelam postibus affixam obliti exstinguere reliquerunt. Quæ decidens, stramen lectorum stipula exstructum accendit, a quo domus completa flammis, ut jam vehementius arderet, etiam in contiguam sibi aulam Sanctæ Mariæ Christi Matris ac dilectissimi domini Benedicti incendia sparsit. Clamor subito ac luctus ingeniscentium tollitur fratrum, verentium ne comprehensis omnibus educendi sarci corporis sancti Patris Benedicti sibi facultas deperiret. Quibus etsi spes inerat eumdem excellentissimum Patrem suos posse incontaminatos servare artus, humanus tamen animus, fragilitatis suæ vento agitatus, in incertum agebatur. Effertur denique lugentium mœrentiumque manibus illud admirabile margaritum, et cum palla (19), super quam pridie sacrosanctum corpus Jesu Christi fuerat confectum, circumducitur. Cum repente aquilone, qui ad horrea fratrum flammas impellebat, flare cessante, totus ignium globus volumine facto cœlum versus cacumen extendit; ibique par superiori apparuit miraculum, ecclesia Sancti Benedicti, quæ pridem succensa atque restaurata erat, remanente cum xenodochio ejusque coquina, necnon et pistrino, ac si Dominus non verbis, sed operibus, servis suis dicere videretur: Etsi vobis pro commissis iniquitatibus iratus videor, precibus tamen fidelium meorum, quos huic loco tutores delegi, mitigatus, aliqua vobis ad inhabitandum domicilia reliuquo.

CAPUT X.

Mensa incombusta. Cœnobii instauratio. Incendium anno 974.

23. Aliud quoque inusitatum antea sæculis ostensum a Domino est signum quod non ambigitur meritis gloriosæ Virginis Mariæ sanctissimique confessoris Christi Benedicti fuisse obtentum, ad mœstorum solamen monachorum. Tripoda erat exigua, ad usus reficiendorum qui forte advenissent peregrinorum præparata. Hæc casu sub turri e qua signa dependebant, elata, decidentibus ambustis circumvallatur trabibus. Tunc renovante Deo antiqua miracula, qui sub Moyse rubum mediis in flammis servavit incombustum, mensa lignea vaporem non sensit igneum. Videbatur ergo non ardens ardere tripes, nec juncta calori materies alimenta dabat, ut aperte claresceret ipsum aliquando super hanc discubuisse mensam qui sibi tribui fatetur, quod egenis ac mendicis confertur (*Matth.* xxv). Fit concursus ingens ad hoc spectaculum, videruntque quibus est videre datum, quasi turbinem a prædicta mensa exsurgentem, congeriem carbonum huc illucque dispergentem. Videre erat dudum lugubres pro imminenti calamitate multorum vultus, repente hujus prodigii alacritate permutatos. Consumptis igitur omnibus, hæc remansit inusta. Nec his incommoditatibus fracti animi bonorum; quin imo procurante venerabili Dei cultore Richardo abbate in eo quo nunc cernitur statum, intra trium spatium annorum, hoc sacrum et valde monachicæ vitæ cultoribus jucundum præparatum est cœnobium. Porro annus combustionis ipsius fuit ille qui ab Incarnatione Domini (20) nongentesimus septuagesimus quartus dicitur fuisse.

CAPUT XI.

Architectus casu illæsus. Mulier a dæmone liberatur.

24. Circa tempus vero illud quo summo studio restauratio ejus perficiebatur, architectus quidam, qui nunc adhuc superest, Dominicus nomine, operam cooperiendo fratrum dabat refectorio. Cumque in summo operturæ fastigio consisteret, ac cuidam sibi poculum porrigenti, ultra quam necesse erat, intenderet, lapso pede subito inter immensas trabium moles ad terram decidit. Concurrentes fratres, qui eum tam ictibus lignorum quam duritia terræ exanimatum putabant, non solum viventem, sed etiam omnibus membris integerrimum reperiunt. Quod non ambigitur meritis sancti viri Benedicti fuisse obtentum, ne homo ejus deditus servitio, vitæ aut membrorum quodlibet sustineret dispendium.

25. Ea etiam tempestate qua adhuc instaurationi ejus studiosus impendebatur labor, et sacratissima Patris sui Benedicti ossa, in ecclesia Sancti Petri (21) devotus filiorum asservabat amor, tale quid in priori tumulationis suæ loco hic tutor noster ostendisse narratur. Mulier quædam dæmonio obsessa, ad monasterium est deducta, atque in crypta interiori, ut

(19) Corporale vocant, quod contra incendia deferri tunc temporis solebat. Lege Consuetudinum Cluniacensium librum II, cap. 30, Rodulphi Glabri librum V Historiæ cap. 1 ubi *chrismale* appellatur, et Rupertum abbatem de incendio Tuitiensi.

(20) Consentit anonymus chronographus in tomo III Chesnii, pag. 355.

(21) Oratorium istud hactenus magna ex parte superest intra claustra monasterii, aliud ab ecclesia principali, quæ beatæ Mariæ dicata est, tametsi ara major etiam in honore sancti Petri sacrata erat, ut colligo tum ex litteris Eccardi comitis superius adductis, tum ex quodam scriniolo ligneo, quod nuper, dum altare istud augustius instauraretur, in imo loco inventum continebat hæc verba aurichalci laminæ inscripta: MUMMA FIERI. JUSSIT. IN. AMORE. STE. MARIE. ET. STI. PETRI. Is est Mummolus abbas loci secundus, cujus elogium in Sæculo II relatum est.

ibi curaretur, intromissa. Unde post aliquantulas A debacchationis suæ moras retracta, ante altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ constitit; ex cujus ore ut nobis relatum est, tres dæmones in modum scarabæorum cum viridi cholera in concha decidentes ærea, sonitum repercusso ære cierunt. Sicque persona illa mundata est, obtentu gloriosæ Matris Domini ac inclyti confessoris ejus Benedicti.

CAPUT XII.

Contractus erectus. Duodecim pauperes Floriaci aliti.

26. Homo fuit quidam Wastinensis pagi indigena, qui ab utero matris pedum privatus officiis, scamellorum adminiculo iter conficiebat, humum verrendo. Hic, ter beati Patris nostri Benedicti audita fama, ejus venerarda adiit limina. Susceptus autem B in domum alendorum pauperum usibus delegatam, petiit se alimonia sustentari fratrum, donec interventu sancti confessoris sui Dominus optatæ ei salutis tribueret effectum. Cujus precibus Richardus abbas annuens, in numero duodecim egenorum eum haberi instituit, quos diligens boni antiquorum cura Patrum in hoc nostro Floriacensi cœnobio, ob duodenarium apostolorum numerum, communibus stipendiis diatim ali ac vestiri sancivit. Qui quotidianis suspiriis aures piissimi pulsans Conditoris, dona cupitæ poscebat sospitatis. Et quia juxta Veritatis dictum, cœlorum vim patitur regnum, et instantia rapitur violentorum (*Matth.* XI, 12), petens accipere, quærens invenire, pulsansque ut sibi misericordiæ C aperiretur aditus (*Luc.* XI, 40), meruit obtinere. Tandem enim suffragio in primis almæ Genitricis Christi Mariæ, in cujus excubabat aula, ac deinde excellentissimi monachorum legislatoris Benedicti, quem mediatorem inter se et Dominum suarum elegerat precum, arentes humectari nervi, cruraque contracta cœpere resolvi. Hoc ubi languidus persensit, et ipse cupidus sanitatis, insueto attentabat viam terere more. Paulatim itaque se subrigendo, processu temporis ambulandi firmissimas adeptus vires, meritis egregii confessoris, nativæ statuit repetere proprietatem telluris. Postulata itaque abeundi licentia, gratias liberatori Deo sanctoque pro posse referens Benedicto, cum propriis quos ad hoc ipsum evocaverat fratribus ad sua reversus, agricul- D turæ de reliquo operam dedit.

CAPUT XIII.

Lucernæ tres in ecclesia B. Mariæ. Cereus cœlitus accensus.

27. Sæpe nominati abbatis Richardi temporibus, cuidam monacho Benedicto, cui Niger prænomen fuit, ab eodem abbate cum aliquantis aliis ex cœtu fratrum tuendæ sacræ ædis mandata sollicitudo fuit, illius sane quæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ sub honore Deo dicata, cœlestis thesauri, corporis dico sanctissimi Patris Benedicti, mirabile cunctis in se retinet margaritum. Una itaque dierum, dum ei in ordine vicis suæ propensioris curæ immineret diligens cautela, accidit lucernam ante altare perpetuæ Virginis Mariæ venerationis gratia accensam exstingui. Mos vero a priscis institutus Patribus observari solitus erat, quod nos quoque in nostra perspeximus fieri puericia, ut tam diebus quam noctibus, trium lucernarum lumine memorata illustraretur ecclesia. Exstinctam ergo prædictus frater candelam, ad aliam quæ sepulcro beati confessoris prælucere consueverat, ut accenderet deferens, ipsam quoque defecisse reperit; tertiam etiam, quæ oratoria cryptæ illustrare solita erat, dum invisisset, et ipsam emortuam offendit. Turbatus igitur animo, dum concito gradu se effert, ut lumen basilicæ restitueret, regressus perspexit unum e cereis eminentioribus, qui penes altare Reginæ virginum poni solent, et in festivitatibus tantum accendi, divinitus illuminatum, flammis rutilare coruscis. Quam rem valde admirans, gratias Deo reddidit, intelligens exstinctionem luminum, non casu, sed divina accidisse providentia, ad ostendendum mortalibus, huic sacratissimo loco supernam nequaquam abesse visitationem.

CAPUT XIV.

Sancti contemptor punitus.

28. Eques quidam aliquando iter faciens, devenit in villam ad jus monasterii Sancti Benedicti pertinentem, cui Vitriarias nomen est; ingressusque domum cujusdam viduæ, invenit sextarium avenæ, quam pabulo equorum necessariam sibi tollere volens, a muliere prohibebatur, dicente: « Si, inquit, viduitatis meæ paupertatem auferendo me despectui habes, saltem sanctissimum reverere Benedictum, cujus juris hoc rus est quod incolo. » Cui miles: « Tantum, ait, pro sancto Benedicto, quantum pro te dimitto; » vocatoque armigero, avenam quam ipse in sacculum pauperculæ transfuderat, collo equi ferendam tradidit, sicque discessit. Nec longum itineris spatium emensus, subito, ac nullis urgentibus calcarium stimulis, equo ad cursum prochivo in præceps labitur. Sonipes disrupto gutture interiit; ipse fracto debilitatus crure diu languit. Sua igitur pœna ipse didicit et aliis exemplum præbuit nec sanctos oportere contemni, nec viduarum lacrymas debere esse despectui, quæ, ut ait Salomon, ab oculis ad maxillas, a maxillis ad terram decidunt, et Dominus omnium susceptor est earum (*Eccli.* XXXV, 19).

CAPUT XV.

Prædatores multi a paucis fusi. S. Benedicti vexillum.

29. Caput-cervium (*Sacerge*) possessio quædam est Sancti Benedicti, de qua in sequentibus plenius, favente Deo, narraturi sumus (lib. II, cap. 5. *V. Adrevald.*, cap. 38), qualiter scilicet ad dominium hujus Floriacensis cœnobii pervenerit, seu quomodo inde habitatio monachorum ad Salense (22) castrum mutata sit. Cui possessioni gubernandæ paulo ante

(22) De situ castri Salensis, vulgo *Saint-Benoist du Sault*, infra in lib. II, cap. 6, num. 15.

memoratus (*num.* 27) vir venerabilis Benedictus monachus præpositus est. Qua tempestate ex castris, quæ creberrima per eam regionem habentur, ad centum quadraginta armati, in Argentomagenses (23) agros, qui ei loco vicini sunt, sese diffuderant, prædas ex eis acturi; idcirco ex villis etiam prædictæ possessionis armenta seu pecudes abegerant. Cumque Argentomagensibus damna suarum perlata fuissent rerum, e castrensibus confestim adversus eos pugnaturi prosiliere portis; sed in unum conglobati, cum se hostibus numero inferiores viderent, congredi cum his pavitabant. Tunc unus ex ipsis divinitus animatus sociis infit: « Nunc interim, o fidissimi commilitones, terram Sancti Benedicti adversarios deprædatum ingredi sinamus; et quia dominus noster Giraldus ejus est advocatus, eam vice ipsius defensaturi, hostes viriliter secundeque aggrediamur, misso prius legato, qui e monasterio Salensi, quod est sancti Benedicti, vexillum ipsius pretiosi confessoris, quod nobis præsidio sit, maturato deferat. » Consentientibus cunctis ac ejus consilio obtemperantibus, post susceptionem vexilli, adversariis nil tale verentibus, quadraginta solummodo juvenes totis viribus sanctum invocantes Benedictum, ex improviso prædonibus superveniunt. Adversariorum vero corda omnipotens Deus meritis dilecti sui Benedicti ita perterruerat ut nullo modo resistere auderent; et hoc modo a quadraginta tantum juvenibus, centum quadraginta hostium, nullo aut minimo fuso sanguine, fugati, seu capti sunt. Victores vero omni potiti præda, nobilioribus quoque ex hostili agmine captis, ad Salense cœnobium venerunt rogantes memoratum Benedictum præpositum ut quidquid inter manubias ex suorum agnosci posset substantia pauperum gratis reciperet. Quod ille libens accepit, et receptis suorum spoliis, tripudiantes bellatores ad propria sivit abire. Sequuntur alia duo miracula haud multum huic dissimilia, a Domino per summum confessorem Benedictum iisdem in locis gesta. E quibus unum quod tempore ejusdem præpositi accidit, isti ipsi connectentes, aliud illi per omnia simillimum suo in loco aptius referemus.

CAPUT XVI.

Item alii. Argentomagenses eulogiis panis et vini muniti.

30. Monarchiam regni Francorum adhuc Lothario regente, gravi perduellione primores Aquitanici regni contigit turbari; siquidem Giraldus Lemovicinæ urbis vicecomes, et Boso marcham ipsius possidens regionis, contractis adversum se decertabant odiis. Quapropter Elias Bosonis filius, dominum suum Willelmum comitem Pictaviensem muneribus precibusque pellexit, quatenus castrum Giraldi, quod Brucia (*V.* lib. II, cap. 6) dicitur, secum obsidione cingeret. Qua de re non solum villas Giraldo parentes, verum etiam possessiones Salensis cœnobii contigit graviter devastari. Nuntius ad Giraldum Lemovicina tunc in urbe residentem venit, qui diceret non solum ejus regionem, sed etiam agros Sancti Benedicti, eo quod ejus essent delegati tutelæ, ab hostibus depopulari. Ille in talibus nequaquam procrastinandum ratus, maxime confidens Benedictum Patrem sibi auxilio ob suarum vastationem possessionum adfuturum, dirigit eo Guidonem filium cum lecta equitum manu, dans in mandatis ut hostes et a rapinis inhiberet, et junctis sibi Argentomagensibus, ab obsidione, si tuto posset, bello deterreret. Argentomagenses non ignari per quem post Dominum in superiori pugna victores exstitissent, ad jam nominatum Sancti Benedicti monasterium oraturi venerunt, poscentesque a fratribus eulogias panis et vini sibi tribui, dixerunt se tantæ fidei esse ut absque dubitatione crederent per illam escam meritis gloriosi Confessoris Benedicti se et in prælio fore victores, et a mortis periculo immunes; nec sua eos spes fefellit. Nam congressione habita, tanta adversarios cæde affecerunt ut post victoriam a monachis respectu humanitatis etiam inimicos inhumare cupientibus vix sepeliri quirent. Attamen aratris humum hac illacque more arantium inverti præcipientes, glebis, utcunque poterant, cadavera obruebant. Nullus sane Argentomagensium, qui pane ac vino Sancti Benedicti ob suæ salutis auxilium pasti fuerant, discrimen aliquod necis perpessi sunt; sed omnes victores, integroque numero ad sua redierunt, laudantes Dominum, ejusque confessorem summis laudibus extollentes Benedictum, cujus meritis et se periculo liberatos, et hostes palam profitebantur esse fugatos.

CAPUT XVII.

Trabs loco mota.

31. Richardo abbati Amalbertus (24) successit, qui benignus natura, benignior etiam exstitit humilitatis sibi insita mansuetudine. Hic a Lothario, Ludovici quondam a Tethbaldo comite capti filio, cum electione fratrum regimen nostri susceperat cœnobii. Hujus in diebus, in possessione ipsius Floriacensis cœnobii, quæ Hervini-curtis (*V. Tortarii* cap. 6) dicitur, res hujusmodi divinitus acta est. Gauzlinus monachus, ei curti tunc præpositus, conductis operariis, ad ostium basilicæ sub nomine

(23) Argentomagum, *Argenton*, aliis Argentomum, olim castrum, quod Waiferius Aquitaniæ dux destruxisse, Pippinus vero Francorum rex instaurasse perhibetur; nunc oppidum pagi Bituricensis ad Crosam fluvium, infra confluentes Crosæ minoris in majorem, *la Creuse*.

(24) Incertum mihi quo anno. In Chartario Patriciacensi binas invenio chartas Richardo abbati scriptas, nimirum XXV et XXVIII. Prior data est *anno decimo*, posterior *anno quinto decimo* Lotharii regis, ac proinde anno Christi 969. Lege istius Chartarii instrumentum IX, et librum De miraculis S. Maximini abbatis Miciacensis cap. 12, ubi Richardus funeri Amonis abbatis interfuisse, et Amalricus Floriacensis decanus, rejecto Hermenaldo monacho, Amonis successisse memoratur.

egregii confessoris Christi Benedicti, Deo in eadem villa dicatæ, gradus ligneos fieri disposuerat. Faber lignarius ei rei studium impendens, dejectæ in proxima silva arbori dolabra superflua quæque demere parabat, cumque eam in partem alteram vertere tentaret, et non posset : « Eia, inquit, sancte Benedicte, quia ego nequeo, tu illam verte. » Hæc dicit non orantis voto, nec poscentis affectu, quin potius quasi diffidens. Vicinas silvæ adiit domos, auxiliares accersiturus; cum quibus regressus, reperit lignum, quod vix sex virorum movisset manus, divina virtute eam in partem versum quam ipse volebat. Quid putas beneficii egregius iste Pater noster illis largiri prævalet qui eum tota mentis intentione cum cordis invocaverint puritate, si tantum illi præstitit qui se cum quadam, ut ita dicam, interpellaverat animi vanitate? nec nobis, quibus, quamvis immeritis, a Deo donatum est talem ac tantum inpræsentiarum habere Patrem, omnino desperandum, si ejus opem pura ac simplici imploraverimus prece, cum et extraneorum non aspernetur gemitus humillimos, et longe positos sæpissime exaudiat famulos. Quid denique cuidam monacho sui gregis, vocabulo Annoni (*infra*, lib. II, cap. 6), qui nunc adhuc superest, longiuscule hinc remoto, mœstorum solamen animorum, semper nominandus contulerit Benedictus, breviter exponere libet.

CAPUT XVIII.

Navicula cœlitus subministrata.

32. Post excessum pastoris Amalberti, a quo in tenera ætate habitum monasticæ suscepi religionis, atque utinam cum proposito mentis! Oilboldus (25) ad prælationem Floriacensium fratrum, ipsorum electione et regia principis Lotharii ascendit donatione, qui pia sollicitudine, tam spiritales quamque temporales subditorum procurans utilitates, imminente celebri Patris Benedicti transitus solemnitate, congruum duxit ad abundantes uberiore piscium copia regiones quempiam suorum dirigere. Mittens igitur memoratum fratrem, et per manum ejus sufficientem ei negotio pecuniæ quantitatem, monuit ut impigre injuncto insisteret operi. Qui præcepto parens, fluminum legumina solerti cura quæsivit, quæsita emit, emptaque ut ad Patrem a quo missus fuerat, reveheret anxie instabat, sed ejus accelerationem itineris inundantes profusione imbrium retardavere Aquitanici amnes. Inter quos Andria despicabilis quidam visu fluviolus, sed crebra in multiplices discursus alvei sectione, ac paludum aliquantis in locis interpositione, ad transmeandum difficilis; ad cujus, ut vulgariter loquar, matrem aquam prædictus perveniens frater, offendit vadum inundasse aquis, ac ideo impermeabile equis; A naviculas vero duas, unam medio in flumine semimersam, aliam ulteriori in ripa detineri revinctam. Circumspiciens undique, nullius naucleri opem, aut alicujus prætereuntis, valuit reperire juvamen. In hac itaque animi anxietate constitutus, dum iter suum impediri, et diem festum appropinquare intelligeret; sese in se colligens, et audaciam ex desperatione sumens, totum se ad orandum contulit. « Adsit nunc, inquiens, Domine Deus, mihi indigno famulo tuo auxiliatrix dextera tua, et si quid unquam majestati tuæ bene placitum Pater noster sacer Benedictus patravit, seu quispiam servulorum ejus tibi in præsentia sacri corporis ipsius famulantium, ad præsens declara. Placeat tibi eamdem nunc, ordine quo tibi placuerit, exercere potentiam, quam B quondam meritis ipsius dilecti tui exercuisti, dum discipulo illius undas siccis pedibus calcare concessisti! Non quidem ad hæc poscenda de meis præsumens accessi meritis, sed majora egregium confessorem Benedictum apud te posse impetrare confidens, ego quoque de patrocinio ipsius, pro mea apud tuam clementiam fragilitate, majora meis audendo viribus præsumpsi. » Hujusmodi oratione, ac mansueta qua idem monachus pollet simplicitate, præcedentibus insuper beatissimi Benedicti meritis, flexus Dominus, citissimum illi suæ gratiæ contulit suffragium. Navis etenim quam contrario in littore sitam esse diximus, divinitus soluta, absque ullo mortali remige, ad eam in qua cœnobita ille cum C sociis residebat, fluminis partem transiit. Videre erat ingens prodigium, navim aliquando invito ac frustra obnitente gubernatore, in fluentis aquæ devios agentem cursus, tunc quasi cœlitus ostensam sibi lineam a ripa in ripam inoffense teneret, transmeavisse, donec contigua famulis monachi facta, lanceis attraheretur; qui hastis subremigando, universa onera transponunt, equos natatui committentes. Reversus ad Patrem vel ad fratres festi jam diei celebre officium initiare parantes, præfatus monachus eos magno exhilaravit gaudio, non tantum advectione tripudiantes alimentorum, quantum devote exsultantes virtute signorum quoque [*f.*, quocunque] terrarum Dominum suum sanctissimum radiare Benedictum.

CAPUT XIX.

D *Arnulfo episcopo vineas invadente, reliquiæ delatæ, æger sanatus, ædicula constructa.*

33. Liberalis circa ægrotantes quoque ipsius sancti viri Benedicti exstat gratia. Unde unum narro miraculum, quod memoratus abbas Oilboldus suo lætatus est accidisse tempore. Arnulfus Aurelianorum episcopus (26), alias sane bonus, et ecclesiasticas regulas scientia et opere optime servans, nunquam ad purum prælatos hujus Floriacensis loci dilexit, ideo quammaxime, quod illi ditioni

(25) Quo anno factus sit abbas Oilboldus non mihi liquet, mortuus anno 988, aut insequenti, infra.

(26) Duos ejusdem nominis episcopos fuisse puto, inter quos medius Manasses; unum Ermenthei nepotem ac successorem, qui Floriacenses ac Mitiacenses monachos plurimum amavit, ut constat ex libro De miraculis sancti Maximini Mitiacensis abbatis, cap. 12 in Sæculo I; alterum post Manassen. de quo hic sermo, et in libro De Vita sancti Abbonis abbatis.

solummodo parentes regiæ, subjectionem (27), qua ipse ultra modum delectabatur, nequaquam ei ad ipsius voluntatis dependerent nutum. Qua de re vineas S. Benedicti in suburbano Aurelianensis urbis, in loco qui Boaria (*le clos de Bourie*) dicitur, sitas, ut sui eas pervaderent satellites, assensum præbuit; propter quarum recuperationem cum prædictus abbas ad eum legatos misisset, nec impetravisset, cum senioribus habito consilio, deliberavit ut sumptis sanctorum pignoribus, imminente vindemia, ad locum cum aliquibus e fratribus fructus earum collecturus properaret, ut, quia eidem viro viribus armatorum obniti difficile erat, cum ipse multis sæculari potentia præditis regibus quoque persæpe restitisse comprobetur, saltem hac arte obviam iretur; cui idem pontifex, cunctos pene antistites Galliarum suo existentes tempore in his quæ Jesu Christi sunt, sapientia antecedens, refragari intuitu divini respectus nequiret. Levatis igitur duorum corporibus martyrum Mauri (28) atque Frongentii (29), sub nomine inclyti confessoris Dei Benedicti, venitur ad locum, et inter iter agendum, vicinis, et qui viæ propinqua incolebant domicilia, percontantibus cujus tam celebris foret pompa prætereuntium, respondebatur, sancti Benedicti. Inter quos quidam æger, longo attritus vires febrium ardore, sciscitabatur prætergradientes, cujus in obsequio tanta cum crucibus viam tereret turba. Respon- A sum ei est sanctum Domini dilectum eo itinere Benedictum ad suburbana Aurelianensium ob suarum defensionem transire vinearum. Quo ille audito, spem promerendæ salutis induens, imbecillia membra baculo sustentante, reliquias usque beatas protraxit, prostratusque sub argenteo quo reconditæ erant scrinio, in somnum revolvitur. Transacta vero una nocte, mane primo surgens, incolumitati se sensit restitutum pristinæ, ac gratias Deo agens, laudum quibus poterat præconiis sanctum attollebat Benedictum, procuratorem eum suæ dictitans sospitatis. Nec multum a vero ejus deviabat opinio. Ipsius enim ope ac precibus constat eum propriæ redditum virtuti, cujus meritis fisus seu fama evocatus ad illa properaverat loca, licet nos B supra nominatos veritatis testes nequaquam ab hujus secludamus operatione miraculi, imo per omnia æquales et merito judicemus et actu. Porro fratres cum memorato abbate, peractis absque ullius interpellatoris impedimento pro quibus ierant, gemino lætabundi gaudio, ad sua regrediuntur. Verum pauper spiritu qui sanatus erat, tuguriolum eo loci quo ipse cubans superpositos capiti sanctorum habuerat artus, ligneo construxit tabulatu; sub quo simili detenti languore quiescentes, si tamen plena eorum hoc fides exegerit, citissimam opitulantibus tribus memoratis sanctis capiunt medelam, uti accolæ eorumdem testantur locorum.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Floriacus, Vallis aurea. Sibi nota narrat auctor. Francorum reges. Abbo Oilboldi successor.

1. Favorabili supernæ dignationis præsagio, hoc in quo Deo auctore famulamur cœnobium, ut Floriacus (29*) vocaretur accepit; qui [quod] priscis temporibus, non dissimilis gratiæ prærogativa, Vallis nominabatur Aurea. Retinet enim in se aureum paradisi florem, sanctissimum Patrem Benedictum; qui gratantissimo virtutum odore quosque remotissimos ad sui reverentiam invitat. Quarum proprietatem operationum si per singula explicare velimus, chartam nobis sermonemque antequam sermonis materiam deficere pro certo intelligemus. Sed ne C beneficiis piæ paternitatis ejus, ab ipso nobis immeritis impensis, ingrati esse videamur, ea quæ nostram attigere notitiam, in quantum ipsius benigni patroni clemens supplicatio vires nostro tenui ingeniolo a Christo obtinuerit, rusticano licet sermone, posterorum mandare adoriemur memoriæ. Et primo, qualiter his temporibus respublica Francorum substiterit, succinctim perstringamus, ut post liberius ea quæ proposuimus, exsequamur.

2. Lothario regi, cœleste, ut credimus, pro terreno commutanti regnum, Ludovicus filius successit. Qui immatura præventus morte, destitutum proprio hærede Francigenæ gentis principatum, utpote naturalis expers conjugii, dereliquit. Sane

(27) De subjectione spirituali, quam abbates tum, cum benedicebantur, promittebant episcopo, alias dicendum; hic de temporali quæstio videtur. D

(28) *Quidam pontifex de Britannia veniens, cui nomen erat Hedrem, et in Floriacensi loco monachilem induens tunicam, corpus beati martyris Mauri secum detulit, quem constat Romæ passum sub Celerino præfecto, imperantibus imperatoribus Carino et Numeriano. Sed et alter ad idem veniens cœnobium, Otto nomine, et corpus cujusdam sancti Frotgentii sancto secum obtulit Benedicto*, ut legitur in præcitato fragmento Chesniano. Mauri martyris Vita metrice scripta est a Rodulfo Tortario, et historia ejus translationis, uti habetur in Bibliotheca Floriacensi. In catalogo Bibliothecæ Petavianæ Framberto monacho ejusdem martyris Vita metrica tribuitur; an a Tortarii carmine diversa?

(29) De hoc sancto Frongentio seu Frotgentio intelligendum videtur diploma Caroli Calvi concedentis Hilboldo abbati Deensi rogatu Erispogii Britanniæ ducis *cellam in pago Cenomannico sitam* apud Bussogilum, *in honore beati Petri a sancto Trogetio* (legendum videtur *Frogetio*) *fundatam*, apud Chifflet. tium in probationibus Historiæ Tornutiensis, pag. 206.

(29*) Hoc nomine locus censebatur etiam ante conditionem monasterii, ut constat ex Leodebodi abbatis testamento. Joannes a Bosco testatur sibi lectam fuisse inscriptionem in arcu sacelli Beatæ Mariæ apud Floriacum: HÆC EST VALLIS AUREA. A conditione monasterii nonnunquam Vetus Floriacus dictus est locus, ubi nunc oppidum, Floriacus monasterium. Cœnobium de Parco, de quo infra in libro Tortarii, ab initio itidem Vallis Aurea dicebatur.

patruus ejus Carolus, quem privatum sennisse supra prælibavimus, conabatur, si posset, a sui generis auctoribus diu possessum sibi vindicare imperium; sed ejus voluntas nullum sortitur effectum. Nam Franci primates, eo relicto, ad Hugonem qui ducatum Franciæ strenue tunc gubernabat, magni illius Hugonis filium, cujus jam mentio facta est, se conferentes, eum Noviocomo (*Noyon*) solio sublimant regio. Is eodem anno Rotbertum filium sibi consortem regni legit. Et quia, quantum ad cœptæ rei causam attinet, de regibus diximus, ad eam prosequendam veniendum est.

3. Igitur Oiiboldo abbate in Christo quiescente, Abbo (30), Deo et hominibus vir amabilis, a fratribus Hugone annuente rege electus, in gradum successit monastici regiminis. Qui, præcedente hunc quo hæc scribimus anno qui fuit ab Incarnatione Domini millesimus quartus, in Vasconiæ partibus a perfidis illius nationis hominibus, nobis præsentibus, innocenter occisus, martyrii sanguine laureatus, ad regna est æterna a Christo vocatus. In cujus diebus res mirabiles per præeminentissimum Patrem nostrum Benedictum, ab omnipotente Domino patratas, quia jam tunc nos intelligibilis contigit pervenisse ad metas ætatis, certiori, utpote aliquibus præsentes, digerimus stylo.

CAPUT II.

Floriacense incendium. Apparatus in festo translationis. Incendium divinitus restinctum.

4. Festivus æstivis mensibus translationis ejusdem gloriosi Patris annuo successu recurrebat dies; ad cujus spectanda gaudia, non solum quique pagenses, ut quidam in ipsius laude ait sapiens (S. Odo *in serm.* De transl. S. Benedicti), verum plebs urbana honestis clericorum confluxerat personis inflorata. Quibus vigiliis insistentibus nocturnæ laudis, quam devota monachorum caterva identidem undecunque ob lætitiam tantæ solemnitatis adventando nostris sociata, in sui legislatoris explebat obsequela, repente per aquilonales basilicæ fenestras nocivi ignis lux resplenduit horrenda. Quippe in quoddam femle casu quidam ignis decidens, aridis auctus fomentis, circumpositas sese diffudit in ædes. Nec laborabat flamma, ut suas augeret vires, cum æstatis ardor tectorum jam torruisset culmina, et domus sibimet copulatæ, una alteri exustionis occasionem præberet facilem. Interea matutinalibus relictis hymnis cuncti e sacris prosiliunt adytis, ad sua quisque tutanda totis intenti animis. Pauci seniorum una nobiscum pueritiæ in annis constitutis matutinales, prout exigebat res, laudes, licet minus decenti fine, concluserunt. Inde ad subtrahenda ignibus quæque necessaria promptæ vertuntur manus. Aula erat sanctæ Dei Genitricis Mariæ holosericis palliis aliorumque velorum tam decora introrsus circumamicta varietate, ut multi eorum qui ad diem convenerant festum faterentur nunquam antea sic decenter eamdem vidisse ornatam basilicam. Ad cujus pulchritudinem decoris, cum lampadarum ac cereorum stellata, ut sic dictum sit, area, accedebat auro ac gemmis præfulgens a fronte lectica, thesaurum Arabico metallo lapidique præferendum topasio in se retinens. Id primum cum cæterorum reliquiis sanctorum humeris dolentium suorum effertur servulorum, atque ad orientalem ecclesiæ partem in cœmeterio exponitur fratrum. Inde universi ad deponendum sanctuarii ornatum ora conversi, quod solers ædituorum diligentia per octo spatium dierum eleganter compserat, id nos trium aut non multo amplius quatuor horarum noctis intervallo deposuimus. Perspicere erat ac gemere regiam (30*) illam Matris Domini, stigmata viæ illius qua quondam dilectus Domino cœlum Benedictus conscendit nocturnis in laudibus præferentem, post modicum desertarum ædium factam similem. Et quia igneo fervore in vitreis jam fenestris plumbum liquari posse conjiciebatur, maxime cum victricis flammæ vorago cuncta exinaniret, spe sublapsa mortalis auxilii, supellex varia longiuscule a monasterio inter nemorum densa occulitur, cum repente uni ex abbatibus, qui ex vicinis cœnobiis emerito duci suo militaturi advenerant, nomine Rainardo (31), visio supernæ apparuit consolationis. Aspexit namque cum aliis, quibus hæc datum est videre, duas columbas super nivis candorem albicantes, quæ trino volatu ambitum circumcingentes templi, ad Africum sui impetus direxere cursum, ubi jam proxima horreis fratrum violentia stetit ignium; nec divinitus designatum ausa est prætergredi terminum. Jamque humani cessaverat ars ingenii, laborque conquieverat hominum, ut major divinæ miserationis virtus clareseret per beatissimum Benedictum, quem nos miseri criminabamur iisse dormitum. Nec quidpiam eorum quæ ambitu claustri claudebantur ullam sustinuere jacturam, ac si illarum angelici aspectus volatu avium circumvallata protegerentur.

CAPUT III.

Contractus erectus. Ingratus denuo male habet; iterum sanatus.

5. Nostris modo diebus Archembertum Antissiodorensis territorii incolam fuisse novimus diutino languore graviter afflictum; cui cum amicorum seu propinquorum solers defuisset cura, ita assidua cubatione curvatis genibus coxis tibiæ adhæserunt ut latitudinem palmæ hominis subtercrescens excederet caro. Quem dum parentes ad cujusdam sancti Si-

(30) Anno 988 Oiboldo successit Abbo, cum annis sexdecim Floriacensi monasterio præfuerit, mortuusque sit anno 1004, teste Aimoino in ipsius Vita.

(30*) Id est, basilicam principalem, quæ beatæ Mariæ Deiparæ sacrata erat, quanquam *regia* nonnunquam ecclesiæ portam significat.

(31) Duo tum temporis abbates ejusdem nominis vivebant in vicinis monasteriis, Ferrariensi et Senonensi Sancti Petri. Rainardus Senonensis abbas fuerat quidem abbas cœnobii Sanctæ Columbæ prope Senonas; sed Sevinus archiepiscopus cœnobii Sancti Petri instaurator, istuc *monachos regulares ex cœnobio S. Benedicti et S. Petri Cluniacensis adduxerat*, teste Clario monacho in Chronico, ubi Rainardus iste dicitur obiisse anno 1025.

menis (32) sepulcrum, quod sanitatum gratia illustrari fama vulgante didicerant, efferre destinavissent, eo quod intra suam esse regionem, abnuit æger, seque ad Floriacense poposcit deduci cœnobium. Aiebat namque per nocturnum se conspexisse soporem, quia eo stante ante sacratissimam Patris Benedicti tumbam coram altare præcelsæ Virginis Mariæ, rectis constitisset plantis, immensique decoris intuitus esset basilicam, ex qua sibi exeundi facultas negabatur. Nec vana illa quibus sæpe ludimur fuere somnia; sed, opitulante Deo suffragantibusque meritis Reginæ virginum ac eminentissimi confessoris, salubrem habuere operationem. Denique locato asello ad desideratum devectus locum, a proximis qui eum deduxerant, pro foribus monasterii exponitur. Unde quia necdum scamellis usus fuerat, natibus reptando ac manibus, ad unum e publicis se protrahens pistrinum, ab ejus custode humanitatis compassione susceptus est; ubi diu curationis suæ præstolando adventum, desiderio accensus est adeundi Matris Christi aulam, in qua spes directionis ejus sanctus quiescit Benedictus. Quam introgressus, minutum [*al.*, minutam] sibi a vicario ejusdem vici, Ermenfredo nomine, obtentu transmissum eleemosynæ altario, quod Deo sub honorem sanctæ Mariæ omniumque sanctarum virginum dicatum est, superponere cupiens, sensit suos resolvi nervos. Cumque circumspectaret qui sibi auxilium ferret; a matriculario ecclesiæ elevatus, scamellos quidem suos cancellis sanctuarii, munus vero, haud secus quadrante illius evangelicæ viduæ, Christo acceptabile altari imposuit; dehinc humi prostratus cum orationi incubuisset, resolutus in somnum, salso perfunditur sudore. Experrectus autem, non jam scamellos poscens, sed baculo a quodam circumstantium sibi porrecto semet sustentans, ad hospitium abiit, pedetentimque firmissimas ambulandi vires adeptus est.

6. Cumque sensisset copiam peragendi itineris sibimet non deesse, ingratus salutis, absque licentia hospitis vel sanctorum qui ei medelæ tribuerant efficaciam, clam abscessit; veniensque ad villam quæ Dominipetri (*Dompierre*) dicitur, iterato debilis redditur. Cui presbyter, Teudo nomine, qui ei locum metandi in sua concesserat domo, ita locutus est: «Quid, inquit, mali commeruisti, o homo, ut languorem pristinum evitare nequas?» Respondit ille se sine gratiarum actione a sanctis suæ curationis provisoribus recessisse. Interea sequenti nocte, quiescenti ei videbatur quod sacris a quibus discessisset locis astaret incolumis, tenens lucernam (33) præ manibus, status sui mensuræ æqualem. Monitu igitur et adjutorio prædicti sacerdotis carruæ impositus, ad loca male a se deserta reducitur. Demum emptam ceram, juxta præostensam visionem, ad memoriam (*id est* ecclesiam) inclytæ Virginis Mariæ deferens, ante sepulcrum gloriosi confessoris Christi Benedicti accendit; adhærensque pavimento, veniam admissi reatus cum redintegratione poscebat sospitatis. Facto ergo voto nunquam se ex eodem recessurum vico, gressuum meruit redonari integerrimo supplemento. Hoc nos ab ipsius contigit ore audire eo ipso die quo hæc cœpimus scribere; ei quoque narrationi interfuere Constantinus (34) presbyter et Letherius, levita gradu, monachus habitu, suscipiendorum hospitum tunc delegatus ministerio.

(32) Quis sit sanctus iste Simeon, nondum discere potui.

(33) Id est cereum. Sic ad mensuram hominis ægrotantis cereos formari mos erat.

(34) An Constantinus scholasticus, ad quem extant plures Gerberti epistolæ? Constantinus presbyter laudatur in libro de Vita sancti Abbonis, cap. 10, ubi Bernardi Bellilocensis abbatis comes Italicæ peregrinationis fuisse dicitur.

CAPUT IV.

Sacergii situs. Otherius paralyticus, Caputcervium vovet S. Benedicto; facto dono mox sanatus. Alia relatio de traditione illius prædii.

7. Et quia, ut refert beatus papa Gregorius (lib. II *Dial.* cap. ult.), sancti martyres frequentiora ostendunt miracula ubi eorum tantum habetur memoria, quam ubi eorum sacra conservantur corpora, liquet idem de cæteris intelligere sanctis, maxime ex hoc patre nostro multipliciter excolendo sanctissimo Benedicto. Cujus excellentissima signorum, a Deo per ejus meritum aliis in locis patratorum, notitiæ posterorum tradere noster gestit animus. Caputcervium (*Sacerge*) dicitur prædium in finibus Biturigum situm, Lemovicinis contiguum, a quo vicina regio, corrupto vocabulo, Capcergens's vocitatur. Hoc ad dominium Floriacensis cœnobii, omnipotenti Deo sub nomine perpetuæ Virginis Mariæ sanctissimique Benedicti dicatum, hac de causa relatu seniorum valde antiquorum pervenisse comperimus.

8. Ejus possessionis dominus Otherius dicebatur, inter Aquitanicos primates clara nobilitatis pollens prosapia. Is a primævæ juventutis flore paralysis percussus languore, manuum ac pedum caruerat juvamine; solius illi linguæ, auditus quoque ac visus, ex parte manebant officia. Diutino igitur laborans morbo, dum vana medicorum studia propensius sibi adhibita nihil intellexisset conferre valetudinis, audita fama miraculorum, quæ Salvatoris nostri omnipotentia apud sacratissima patroni communis Benedicti creberrime tunc operabatur ossa, ait suis: «Videtis, fidissimi mihi, vitaque ipsa qua nunc fruor miserrima chariores amici, quod medicinæ impensis nihil proficio, imo in dies ægritudinis protrahitur longitudo. Quapropter si qua vos cura vestri tangit Otherii, mearum, quæso, miserantes ærumnarum, celeri calle sepulcrum adire curate gloriosi confessoris Christi Benedicti. Et ne forte vos conturbent ignota viarum, scitote Ligerici amnis (*la Loire*) littora, pagumque Aurelianensem, hoc præclaro irradiari thesauro. Id mihi divinum prænuntiavit oraculum, dum fessos artus sopori mandassem, debere me eo cum votis dirigere

meæ petitores salutis, quia inde forem adepturus remedium sanitatis. Et quia solus cum dulcissima genitrice resedi, patre orbatus et fratribus, ipsa non abnuente, verum hoc ipsum fieri sedulo deposcente, voveo Deo et jam dicto eximio Benedicto, hæreditatis meæ portionem, cui Caputcervium nomen est, cum omnibus ad eam pertinentibus, eo videlicet tenore ut superstites ambo usumfructum ac præsentis vitæ exactionem retinentes, fratribus Floriacensibus post nostri dissolutionem cuncta restitui faciamus. Spe etenim suscipiendæ prolis per supra memoratam privatus revelationem, sollicitudinem ducendæ uxoris funditus abjeci. Properate igitur quantocius, et vestris servorumque Dei inibi degentium precibus opem efflagitate misero. »

9. Acceptis ejus fideles hujusmodi præceptis, cum wantis (35) ipsius auro ornatis, per quos donationem memoratarum rerum sacris imponerent altaribus, absque dilatione venerandum adeunt cœnobium, mandata precesque sui domini catervæ innolescentes fratrum. Memorabile dictu! eadem die, ipsoque horæ momento, quo qui missi erant, donum cum orationibus ante sancti præsentarunt tumulum, æger qui nonaginta millibus jacebat semotus a loco integerrimam adeptus est sanitatem. Qui laudum Deo præconia sanctoque dans Benedicto gratiarum cantica, exercitationis venationisve gratia silvarum petiit abdita. Cui dum studet operam dare rei, occurrit suis a nostro remeantibus monasterio, quem illi conspicati equitando saltum peragrare, stupore ingenti perculsi sunt, videntes hominem, dudum absque alterius adminiculo e lectulo non valentem surgere, tunc non solum firmiter incedere, verum etiam equum cursu fatigare. Hæsitantibus illis et vultus similitudine se deceptos autumantibus, obvium se ille gratulabundus offert. Inquirit deinde sollicitius diem quo pro se vota solvissent; ipsumque fuisse certissime comperit quo sibi salutem obtigisse gaudebat.

10. Huic antiquæ veterum relationi virorum repugnabat antiquius tertii Clotarii (36) regis edictum, in quo continetur quod memoratus Otherius ob perfidiam ab ipso rege interfici jussus sit; rebusque ejus omnibus confiscatis, illud prædium ab eodem principe, sancto est Benedicto collatum. Et hoc est quod in quadam sententia primi libri legitur (*V. Andrevald.*, cap. 38) Caputcervium liberalitate regia Floriacenses promeruisse fratres. Potuit tamen fieri ut post hanc quam nunc retulimus donationem, ipse Otherius apud regem infidelitatis insimulatus juberetur interfici, et quasi ex sua parte eamdem villam idem rex nostro conferret cœnobio.

(35) Ritus investituræ seu traditionis per wantos, id est chirothecas, passim obvius apud auctores.

(36) Is filius erat Clodovei secundi, cujus principatu facta est translatio corporis sancti Benedicti in Galliam.

(37) Neque Aotharii, neque Otherii ulla mentio est, si non fallor, apud veteres Historiæ Francicæ scriptores.

A Quod vero in ipso regali præcepto Aotharius (37) vocatur, permutatio veterum facit verborum, ut post latius ostendemus. Post cujus excessum, vicini quique hoc eis prædium auferre moliti, ad sibi utile coegerunt declinare consilium.

CAPUT V.

Ademarus Brucciæ et Capitiscervii invasor. Otherio præposito Hugonem hortante, viso accedente. Territus audito nomine S. Benedicti. Castri de Salis situs. Ademarus tandem victus et captus, favente superna virtute; socii itidem castigati.

11. Denique, ut superioris continetur serie libri (*cap.* 15), habitaculis monachico congruis ordini inibi constructis, spem potiendarum rerum ipsarum adversariis sustulere usque ad tempora Rotberti regis filii Hugonis. Quo onus gubernandi suscipiente B regni, Ademarus quidam, juventa pariterque corporis elatus forma, cujus genitor Wido, in urbe Lemovicina vicecomitis fungebatur honore, nefarium molitus est scelus. Namque Lemovicinis nequaquam contentus facultatibus ex paterna sibi hæreditate jure suppetentibus, dum cerneret numerosam cohæredum fratrum suorum succrescere stirpem, in subripiendas res alienas animum intendit, dolique artifex, castrum quod a rusticanis Bruccia (38) dicitur ingressus, dominum se agebat. Erat in ea provincia, vir quidam haud contemnendæ potentiæ, Hugo nomine, cui media pars ipsius castri hæreditaria obvenerat successione. Hanc ille, uti et eam quæ genitorem competebat suum, ausu temerario pervadit. Toto itaque potitus castro, copias duorum comitum qui eum inde pellere nitebantur, Willelmi (39) videlicet Pictaviensis, et Bosonis Petragorici, per quindecim dierum eludens spatium, obsidionem eos solvere coegit; qua liberatus necessitate, audendo majora, municipium Patris Benedicti quatuor et semis millibus a memorato distans castello, absentiam præpositi Otherii aucupatus, latrocinantium more ingreditur. Municipio illi antiquitas Salis nomen indiderat, eoque monachi habitationem assiduam a Caputcervio commutaverant, eo quod is locus magna ex parte natura foret munitus. Hunc præfatus Ademarus idcirco, ut post ipse retulit, invadere nisus est, ut copiis frumenti ac vini, quæ a circumjacentibus incolis inibi ob tutamen sanctorum locorum aggregata erant, pervasæ Brucciæ inopiam sublevaret; re autem vera ut arctissimos possessionis suæ fines ampliaret operam dabat.

12. Interim præpositus loci jamdictus Otherius, tantæ calamitatis accepto nuntio, dolore cordis tactus intrinsecus quod commendatum sibi a venerabili abbate Abbone tunc Floriacensium rectore et fratribus locum funditus amisisse videretur, in di-

(38) *Brocia castrum* vocatur ab Ademaro monacho in tomo II Bibliothecæ Labbeanæ, ubi ejus castri obsessio describitur, non alia, ut videtur, quam ista, tametsi non per Ademarum soluta fuisse dicitur, sed per Widonem patrem, nulla Ademari facta mentione. Lege Aimoini lib. I, cap. 16 supra. Brocia, vulgo *Brousse*, adjacet castro Salensi, de quo infra.

(39) Is Willelmus Ferabrachia dictus, eo nomine quartus.

versa cogitationum turbine rapitur; tandemque non mœroris, sed consilii tempus ingruere sibi intelligens, ad superius nominatum Hugonem recta proficiscitur via. Cui opportunitatem capiendi innotescens inimici, quod scilicet Brucciæ firmissimo derelicto præsidio in Salensis municipii demigrasset domicilium, ad præoccupandos ejus conatus proficisci hortabatur. Nec ille distulit qui intelligeret suo usui proficere, si eum in minus tuto valeret præoccupare loco. Quid plura? non solum illum, verum quosque circummanentes vicinos, quibus cordi esse Patris Benedicti venerandam dilectionem cognoscebat, ad sui adjutorium alliciens, diluculo feriæ tertiæ præmonet hostibus occurrendum.

13. Interea cuidam militi ex auxiliaribus nostræ partis, nocte quæ diem belli præcedebat, hujusmodi per quietem ostensa est visio. Videbatur ei quod quasi cum præposito ecclesiæ Sancti Stephani Lemovicinæ sedis, nomine Ainardo, silvam peragraret, opportunisque in locis, retibus oppansis, multitudinem aprorum præ se ageret, quorum quidem alios ad præparatas insidias deductos vivos caperet, alios vero venabulis transfixos neci traderet. Evigilans igitur dum cuidam sodalium quæ viderat enarrasset, hoc ab eo responsum accepit: « Visionis, inquit, tuæ, Deo opitulante et sanctissimi Benedicti suffragantibus meritis, manifestus in proximo propalabitur intellectus. Nam quod tibi de porcis præostensum est silvestribus, hoc tu patrari conspicies de perfidis hominibus; quodque auctore Ainardo te agere somniabas, hoc ventura luce, Otherio sancti viri Benedicti monacho duce, una nobiscum Christo auxiliante perficies. » Cumque ille qui somnium viderat rem sibi manifestius declarari peteret, erat enim earum quæ gerebantur inscius rerum, interpres ad eum: « Num, ait, ad aures adhuc pervenit tuas, Ademarum Guidonis filium egregii confessoris Benedicti pervasisse monasterium, et Otherium præpositum ideirco domini nostri petisse auxilium? Gaufredus ob fortitudinem corporis, Asini prænomine vocitabatur; in cujus castro memoratus monachus tum forte aderat, cum hæc miles contubernali referret suo. » Quique hæc adjecit dicens: « Nos quoque, volente Deo ac sancto juvante Benedicto, sacri pervasores loci aut vindice feriemus gladio, aut captos nobili dicemus in triumpho. » Hoc dictum multorum roboravit pavitantia corda virorum. Videntur mihi somniator iste ac ejus interpres, duobus orientalibus fore similes, quorum unus victoriam Gedeonis somniavit, alter interpretatus est.

14. Feria porro sexta secundæ hebdomadis sanctæ Quadragesimæ vertebatur, quando factio latronum memoratum occupavit cœnobium; et ecce crepusculo tertiæ feriæ sequentis septimanæ undecunque adsciti auxiliares, improvisi astitere portis. Tunc quibusdam nostri agminis viris adhuc procul a castro constitutis una cum præposito Otherio, divinum apparuit prodigium. Viderunt namque, sole totius terræ reliquas clarissime illustrante partes, ambitum castri densissima vallari nebula, quæ quidem nullum sibi pugnandi afferret impedimentum, hostium vero obnubilaret intuitum. Olli hæc dies æquanda videtur de qua antiquus legislator scribit: Quia Ægyptiis erant tenebræ crassæ et palpabiles, filiis autem Israel erat lux in omnibus finibus suis (*Exod.*, x, 22, 23). Roboratis hoc signo animis, statuunt hostes prælio aggredi; et præmisso præposito, qui prævius dudum sibi fidos, tunc autem hostiles aggrediens muros, beati Benedicti nomen celsius inclamaret, ipsi elata in excelsum voce, Benedictum invocant monachorum Patrem. Benedictum resonant tum vallium concava, respondentque Benedictum proximæ silvæ abdita. Quo fragore vicinos consedisse montes infernaque patuisse hostibus visum; et quia montium facta mentio est, non sit audientibus onerosum jam dicti Salensis castri memorare situm.

15. Mons est non multæ altitudinis, in cujus declivio castrum constitutum est, quod quidem ab orientali australive parte difficilem ad se venientibus præstat accessum. Ab aquilonali sane latere devexus montis, machinamentorum omnium inhibet evectionem; at occidentem versus, ubi hostium facilis formidabatur progressus, domus erat lapidibus firmissime constructa, ad austrum in longum porrecta, ad repellendos inimicos satis idonea. Hujusmodi enim munitio adversariis facta est perditionis occasio, dum ob nimiam securitatem prius hostem adesse senserunt quam prævidissent.

16. Primus ferratas aquilonali parte intulit acies Gaufredus, propter vires, non propter pigritiam, Asinus agnomine; ignemque, ut pridie suis inter pocula (40) in amore Patris Benedicti sumpta condixerat, admoveri præcepit. Post eum reliqui auxiliares, Giraldus scilicet Cluensis castri dominus, et Hugo Gargelensis, reliquique, quorum nomina dicere supersedi; qui ducentorum vallati caterva armatorum, adversarios pari fidentes numero, sed virtute constantiæ impares, e propugnaculis quæ tueri parabant, jaculis ac lapidibus repellere cœperunt. Et ecce providentia divina interventuque egregii confessoris ventus aquilo surgens, flammas

(40) Ejusmodi propinationes etiam in honorem sanctorum, si tamen is honor est, factas hactenus retinet mos compotandi in pervigilio sancti Martini, ad nos usque traductus; de quo lege Spondanum, anno 580, num. 2, et ex eo Cointium, ad annum 577, num. 45. Hinc natæ olim potandi conjurationes per S. Stephanum aliosque sanctos, imo et per reges eorumque filios, quod vetant Carolus Magnus in Capitulari anni 789, De diversis rebus, cap. 10, et Hincmarus Remensis in Capitul. 1, cap. 14, et ante utrumque Augustinus in serm. 232 de tempore, laudatus a Canisio in Notatione ad Alcuini epistolam 22. Lege Gregorium Turonensem, lib. II De gloria martyrum, cap. 35.

quidem ignium portis ingerebat, hostilia vero tela retro agebat. Cumque ignem convalescere, jaculaque sua in irritum cadere oppidani cernerent, formidinem animis induentes, introrsus fugere. Seditiosis ecclesiam petentibus, nostri a tergo sequuntur attentius, cæsisque in introitu portæ aliquantis, eos qui basilicam petebant insectabantur; in qua non tutam sibi latebram fore auspicatus Ademarus, turrim ligneam de qua signa dependebant, cum sex factionis suæ sociis formidolosus conscendit. Ibi quoque se latere posse diffidens, tecta more architecti perambulabat, donec ab Hugone qui studiosius reliquis eum investigabat, visus, pacta vitæ ac membrorum securitate captus est. Cum quo quinque commanipulares ex eminentioribus tenti sunt, Hugo videlicet ac Archembaldus de Buciaco, Rainardus et Americus frater ejus, filii Heldegarii haud ignobilis viri Argentomagensis, atque Giraldus Tirinensis, his exceptis, quos aut minor potentia, aut minus pollens de nobilitate parentum sanguis nostræ subtraxit notitiæ, quorum numerus ad viginti et eo amplius fuisse refertur; equi capti numero centum viginti, præter eos qui vel a victoribus furtim subducti, vel a victis fuga sibi consulentibus abducti sunt; e quibus et multitudo hostium colligi potuit, et virtus superna pariterque excellentissimum Patris Benedicti meritum evidenter agnosci, quod a tam paucis exercitatæ militiæ viris adversarii copiis ac natura muniti loci tam facile sint superati. Illud nihilominus gratia Dei gratuita nobis collatum credimus quod hostium triginta militibus peremptis, nostrorum nemo saltem vulneratus est, tribus exceptis, unus videlicet militaribus deditus stipendiis, qui lethali accepto vulnere ad propria rediens vita decessit, ac duo agriculturæ potius quam bellicis dedit stipendiis, qui cum multis aliis artis hominibus fama prælii exciti, auxiliatum nostris venerant; dum nimium rapinæ student, incertum a sociis an ab extraneis interempti sunt. Hoc itaque modo castrum intra sextam diei quo primum ibi advenerant horam receptum nostrisque redditum est, anno Incarnationis Dominicæ millesimo.

17. Et ne quis æstimet tantam victoriam hominum potius virtuti quam divinæ ascribi debere largitioni, sciat ipsorum nobis relatione adversariorum vulgatum eos vigore ita destitutos ut, quamvis telorum seu lapidum mole abundare se cernerent, nullam tamen efficaciam in jaciendo sibi inesse sentirent. Animæ quoque peremptorum nocturno tempore in eadem villa quiescentes homines somnos rumpere sæpissime cogebant, flebiliter oberrando inclamantes se miseras fore [esse], quæ excellentissimi Patris Benedicti res pervadere non dubitavissent.

18. Nec Guido genitor Ademari, sive etiam Giraldus frater ejus, patrinus jam dicti adolescentis, immunes miseriarum fuere; verum sicuti participes ejus fuere consilii, sic quoque, Dei justissima disponente providentia, periculorum fuere consortes. A Siquidem Guidonem non tantum orationis quantum dissimulationis, quasi nesciret quæ a filio gererentur, gratia, Romam profectum morbus adeo vitiliginis debilitavit ut non aliter quam in lectica ad sua regredi valeret. Giraldum vero obtentu ejusdem simulationis apud Pictavium degentem, et rei eventum præstolantem, ferox equus mordicus per coxam arreptum, per aliquot dies lecto cubare coegit. Hildebertus quoque Argentomagensis [Boscio Argensis] incola, hujus factionis signifer, qui pacis medius palam quidem videbatur fore, occulte autem proditionem alebat, igne divino in maxilla adustus, usque ad diem suæ mortis incurabilis perseveravit, ita ut, consumpta carne, dentes specie miserabili nudarentur. Per omnia benedictus Deus, B qui sibi beneplacitos assidue mirificat sanctos.

CAPUT VI.

Ademari castrum dirutum. Equus e puteo eductus.

19. Quia vero semel Aquitaniam ingressi sumus, non ab re esse videtur, si rei gestæ miraculum, quod ordo causarum superiori pancis elabentibus annis subnexuit, enarraverimus. Captus, ut supra dictum est, Ademarus ab Hugone, ad castrum Brucciæ deductus est. Id Giraldus quidam partibus favens Ademarianis tenebat, exclusis factoribus [fautoribus] Hugonis, qui partem ejusdem castri ab Ademaro sibi præreptam non mediocriter indignabatur. Denique eumdem juvenem, quem captum habebat, e regione murorum, unde a suis intueri C posset, deduci præcipiens, interminatus est se ejus caput abscissurum, ni maturato sibi munitionibus cederent. Quæ res Giraldum et eos qui intus erant, graviter perterruit, maxime videntes dominum suum cum tot exercitatæ militiæ egregiis bellatoribus subita rerum conversione dejectum. Unde non solum oppidum, sed etiam se suaque omnia territi dedidere. Hugo potitus castro, turrim quæ juris Ademari fuisse videbatur, confestim diruit. Juxta eam cisterna erat ad colligendas imbrium aquas effossa, quadraginta quinque et eo amplius cubitis in profundum patens.

20. Forte post aliquod temporis spatium duo ex fratribus nostris apud memoratum sancti Patris Benedicti Salense monasterium degentibus, utilitatis monasterii gratia, præfatum Hugonem Brucciam D tunc incolentem adierunt; ob cujus colloquium superiora turris petentes, binos equos retinaculis sibimet connexos in inferioribus reliquerunt. Horum unus quietis impatiens, dum huc illucque errando socium trahit, postrema corporis parte in superius nominatam cisternam labitur, nec alterius ope juvari valuit quin ad fundum usque decideret. Clamor illico intuentium oritur equum monachorum in puteum esse lapsum. Tumultus causam Hugo sollicite perquirens, ubi damna lapsi animalis reperit, vehementer indoluit, quod hi qui eum visitandi gratia adierant monachi (æger quippe erat), tantam fuissent passi jacturam. Itaque uxori imperat ut, evocatis juvenum robustioribus, seminecis equi cada-

vere puteo abstrahi faciat. Ipse post paulalum ubi se vestibus induit, eam secutus inclinans se ad os putei, solum equinum caput aquis eminere prospexit, reliquis membris cum sella lymphis opertis, et ad circumstantes conversus: «Hic, inquit, equus sellæ deinceps nunquam sentiet onus.» Ad quem mulier: «Num, ait, ille senex Benedictus, qui tibi a Domino victoriam obtinuit ex hostibus, tam est invalidus ut impetrare nequeat quatenus proprio animali suus revehatur monachus?» Ad hæc ille diffidens: «Si, inquit, hæc ille impetrarit, cæteris prælato sanctis, ejus me committam tuitioni.» Admotis igitur scalis, descendit quidam, audaci fisus juventa, qui equum per opportunas corporis partes funibus ligaret, quo facilius educi posset. Verum eo egresso, cum difficile videretur tam immensi corporis animal simul cum scala posse abstrahi ob angustiam putei, primo scalam educentes, dehinc caballum abstrahere cœperunt. Sed omnipotens Deus, ut ostenderet non solum jam sæpius dicto Hugoni, verum quibusque sanum sapientibus egregium ducem monachorum, summum videlicet Benedictum, non parvi apud se esse meriti, imo majoris quam quisque mortalium conjicere valeat, geminavit miraculum. Nempe cum jam numerosa juventus usque ad summum putei marginem equum elevavisset, ac fratres eminus astantes, litaniæ preces Domino solverent, ubi dilectum Domino Benedictum invocare cœperunt, subito rupti funes equusque ad interiora lapsus est. Desperatio cunctos habuit, diffidentes eum ulterius posse vivum retrahi, maxime cum et descensus ad eum alligandum difficilis foret, nec funium illis tanta suppeteret copia, casusque de superioribus ejus æstimaretur contrivisse membra. Accedens autem unus fratrum ad memoratum Hugonem, hortatus est ut de virtute confessoris Christi Benedicti sumpta fiducia, adhuc semel attentatum adorirentur opus. Annuentibus quoque ejus persuasioni quibusdam juvenum, quid suæ possent vires experiri cupientium, præcipue conjuge ejusdem nobilissimi viri Hugonis, quæ fidei ac devotionis in beatissimum Patrem nostrum Benedictum ardore flagrabat, iterato scalæ in puteum deponuntur. Porro apparatus funium nullus alter reperiri potuit, nisi quo retibus ad usum capiendarum silvestrium præparatis caprearum sibi invicem connexis atque contortis utebantur. Iis ergo alligatum, uti prius fecerant, retrahebant equum, magnis clamoribus sanctum invocantes Benedictum. Et ecce, cum jam pene inter manus futurus esset, iterato deficientibus vinculis relabi cœperat in imis. Tunc unus e turba alligari se poscit cingulis ex coriis cervorum desectis, quibus Aquitani utuntur latissimis atque fortissimis, sicque introrsus, dimitti, arreptisque tibiarum fasciolis, caballum aptissime capite alligans, monet socios se quidem primum, deinde quadrupedem extrahant. Qui monitis ocissime parentes, utrosque ad superos reduxerunt. Sonipes ac si mortuus humi exponitur, ad quem honorabilis vir Hugo accedens, eumque virga tangens, ad circumstantes ait: «Hic reviviscet nunquam.» Tunc equus quibusdam eum sublevantibus a terra, sese erigens concussit, aquamque quam invitus hauserat, per meatum urinæ digessit. Alacris illico mulier his verbis virum arguebat: «En, ait, experimento hoc disce Benedictum Dei famulum fideliter se invocantibus, præcipue suis famulis, præsto esse.» Plausus continuo ac vox lætitiæ toto oriuntur castro, Benedictum laudantium, Benedicto gratias agentium quod jam viveret, quod jam propriis pedibus equus vaderet. Sane religiosa femina, quia hiems erat, in aprica domo cornipedem deductum mollioribus stramentis usque ad diffusionem sudoris ipsa operuit; qui inde post paululum retractus, terræ se provolvens ac omnibus membris concutiens, hinnitu sodalem quærebat. Quem fratres qui aderant, receptum lætantes, ad propria incolumem, nullo membro debilem reduxerunt. Horum uni nomen Anno (*supra* lib. I, cap. 17), qui sacerdotii fungitur officio; alteri Remigius, in ordine manens diaconatus; quorum relatu ante transactos quindecim soles hæc ita gesta fuisse comperi; a quibus et sella ostendebatur quæ dilapsa cum equo fuerat, cujus scandilia, quamvis nova, et antelam suis impatiens pedibus ipse disruperat.

21. Viderit nunc quisquis ille est, qui hæc non sibi mira videri jactitat, quid horum præcellat, utrum ferrum e profundo laci reduxisse an quadrupedis vitam in immani præcipitio non solum servavisse, verum et incolumem superis reduxisse. Ego quia utrumque noster iste legislator patravit, in ambobus eum non tantum potentem, sed etiam potentissimum fuisse fateor. In hoc vero illud admiratione dignum est quod equum, quem chordarum nequivere retinaculis protrahere, fasciolæ fragilis retraxerunt habenis (Greg. lib. II *Dial.*, c. 6), ac si patenter pius Pater Benedictus eos non verbis, sed factis moneret id non humanæ fortitudini, sed divinæ potius operationi debere imputari suæque interventioni. Verum si quispiam ejus mira facta ob nostræ vilitatis personam contemnenda judicat, hunc nos rogamus, non ut nostra legat, sed ut mitissimos ejusdem Patris vultus sua nequaquam exasperet ingratitudine. Qui si, quod absit! offensus fuerit, nulli dubium quod durum se præbeat et intractabilem, sicut econtra, humilitatis precibus mitigatus, favorabilem se exhibebit ac lenem.

CAPUT VII.

Milites pasti pane S. Benedicti in prælio illæsi.

22. Opportunum videtur et illud inserere lectioni quod in eadem provincia sub antedicto præposito Otherio meritis sancti sui Benedicti Dominus operari dignatus est. Hildeberius supra nominati Bosonis filius, ex materni avi successione comitatum Petragoricæ urbis adeptus, adversus Guillelmum comitem Pictavorum arma movit; et commoto exercitu, ad secundum Pictavæ civitatis milliarium castra posuit,

Inter reliquos vero ejus auxiliares, quos ad id evocaverat bellum, erat Hugo, de quo præmisimus, dominus castri, quod Gargilissa dicitur. Is cognitum habens beatissimum Patrem nostrum Benedictum his qui se plena invocaverint fide ubique et maxime in bello solere auxiliari, memoratum rogavit præpositum Otherium, ut sibi saltem duos conferret panes ex iis quibus monachi vescebantur, quos ipse cum suis certamen intraturus in escam sumeret; fidei non modicæ exsistens, qui crederet illo se cibo validius omnibus posse armis contra universa muniri pericula. Interim Hildebertum, tam ipsum Hugonem quamque cætera exspectantem auxilia, præcipue Fulconem (41) Andegavensem comitem, congregati Pictavienses repentina irruptione opprimere conati sunt, quatenus eo qui dux belli erat, antequam cunctæ ejus congregarentur copiæ, oppresso, residuos ab ipsius deterrent adjutorio. Nec ille segnior in obviando fuit, sed cum paucis, quos secum habebat, excipiens advenientes, bis cum eis campali certamine conflixit. Cumque in eo esset ut ab hostium multitudine superaretur, veteranis etiam suis fugere non erubescentibus, ex improviso jam dictus supervenit Hugo, qui dejectos rebus adversis sociorum intuens animos, fractis citatim, quos ex monasterio Sancti Benedicti acceperat panibus, et ipse sumpsit, et his quos secum adduxerat, distribuit, ac demum Pictavos jamjamque victores, et sui nimium securos, cum Hildeberto aggressus, vicit fugavitque. Sane ex militibus, qui quidpiam panis Sancti Benedicti quamvis modice sumpserant, nullus lethale suscepit vulnus, sed omnes incolumes evaserunt.

CAPUT VIII.

Abbatisvillæ monasterium cum miles per vim ingressus fuisset et in contemptum S. Benedicti sese vino fratrum inebriasset, abbate orante Deum ut se ostenderet tutorem loci, igni consumptus est, nec non duo pueri ipsius complices, equi et quæcunque sua.

23. Nunc jam ab Aquitania gressum verbi promoventes, in Franciam redeamus, narratisque de statu regni seu regum quæ ad rem pertinere videbuntur, miraculum per beatissimum Patrem nostrum Benedictum ad omnipotente Deo in loco qui Abbatisvilla dicitur gestum recitemus, sicque per monasterium ad Burgundiæ partes certis ex causis transitum faciamus.

24. Dux Francorum Hugo insulas regni adeptus, cum filio per decem continuos annos eis potitus est; moriens autem Rotberto filio monarchiam sui reliquit principatus. Hugonides Rotbertus uxoriam inire copulam jamdudum mente tractans, et ab Arelatensium partibus assumere sibi conjugem (42) volens, exercitum congregat, sponsæ jamjamque adventanti occursurus. Dum ergo iter agens exercitus, ulteriorem Ligeris ripam teneret, contigit Guillelmum Belesmensem, castra metandi causa, curtim superius nominatæ villæ Abbatis sibi diligere. Porro e satellitibus ejus quidam perversæ mentis juvenis prævéniens dominum, monacho ei curti præposito, Theoderico nomine, furibunde imperat ut sibi portas aperiat, eo quod ipse inibi metatum abiturus foret. Ad quem monachus : «Patientiam, inquit, o optime militum, in me habe, adventum tui senioris operientem, cui soli hæ patebunt portæ.» Animadvertens miles copiam introeundi sibi denegari, conversus in iram, sociis infit : «En, inquit, contemplamini hunc monachum, veluti tumidum bufonem, equo itidem tumenti superbe residere, nec mihi aperire velle.» Illis contumeliæ verbis cœnobita motus, conversus ad orientalem, ad quam monasterium situm est, plagam : « Ego, ait, te, o senior sanctissime Benedicte, aut perpetuo obdormisse suspicor somno, aut nostris offensum peccatis, ab his olim tibi dilectis abcessisse sedibus, qui ita inultas tuorum pateris manere injurias.» Quid multis morer? non diu vindex dilata, est blasphemiæ ultio, divina eam meritis beati confessoris idcirco, ut credimus, accelerante providentia, ne pusillanimitate victus frater, majoris offensæ in verbo incurreret lapsum. Namque, adventante Guillelmo, infelix ille qui scandalizaverat fratrem, et insuper Benedictum despexerat Patrem, jactitans se vino servorum ejus ad ebrietatem usque sua suorumque viscera absque ejus oppleturum gratia, domum a curti longiuscule remotam ingreditur; in qua minarum suarum satisfacturus exsecutioni, dum ultra modum vina haurit, calicem furoris Domini una cum mero usque ad fæces potavit. A mensa quippe surgens secus ignem se collocavit, temporalem æterno socians somno. Namque ignis stramenta lectorum corripiens, flammarum globos in sublimi extulit, ac tectum domus facile accendit; nec evigilavit miser donec, comprehensis omnibus, obrueretur trabium molibus. Itaque cum duobus obsequii sui pueris (nam tertius semiustulatus evasit) ac quinque equis, seu cum omni itineraria supellectili, incendio consumptus est. Qui vero ambusta veste vel capitis crinibus, discrimine mortis beneficio exemptus fuerat fugæ, in præsentiam Guillelmi deductus, rem, ut erat gesta, ordine retulit. Tum ille : «Merito, ait, hæc infelicibus pœna provenit, qui malivolo vecordiæ suæ spiritu vina monachorum cuncta se exhaurire posse æstimantes, ita ebrietati operam dederunt ut imminens periculum vitare nequirent.» Hoc itaque facto suspicio fratris abolita est, qua falso calumniatus erat, beatissimum Patrem nostrum Benedictum obdormisse, qui cura pervigili assiduam sollicitudinem sibi subdito exhibet gregi. Porro a sibi placitorum istorum visitatione locorum, nullius nostrum quolibet immani poterit deterreri facinore quem grata suorum invitat præsentia ossium. Veruntamen eo magis nobis cavendum, ne

(41) De hoc Fulcone, qui Nerra dictus est, lege Glabrum Rodulfum in lib. II, cap. 3, et lib. III, cap. 2. Lege etiam Gesta comitum Andegavensium, in Spicilegii tomo X.

(42) Constantiam scilicet, filiam Guillelmi comitis Arelatensis, et Blanchæ seu Adelæ ejus uxoris.

tam pii aspectum visitatoris fusca commissorum offendamus caligine peccaminum.

CAPUT IX.

Ligeris exundatio, anno 1003. *Armentarius ex aquis ereptus.*

25. In ea inundatione Ligeris, quam plus solitam littoris accola, insolitam procul remotus sensit agricola, quid mirandi per meritum sæpissime nominandi patroni nostri actum sit Benedicti, quia absentem me contigit fuisse, relatu seniorum cognitum memoriæ adoriar tradere posterorum. Igitur Liger, eorum maximus fluviorum qui per Galliam alvei sui cursus in Oceanum propriis invehunt nominibus, inaudito antea sæculis modo antiquos excessit terminos, anno Incarnationis Domini millesimo tertio, regni autem Rotberti regis quo cum patre regnare cœpit, sexto decimo, monarchiæ vero septimo (43). Tanta vero tamque repentina ejus fuit profusio ut agrarios laborantes, seu equites iter agentes, subita involverit ruina, ut non incongrue illi aptetur illud Virgilianum de Pado dictum :

> Proluit insano contorquens vortice silvas
> Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes,
> Cum stabulis armenta tulit.
>
> (Virg. I *Georg.*)

Sic et iste, non solum pecudes cum ovilibus, homines cum domibus, verum etiam patrem matremve familias cum filiis ac filiabus, seu cum universis improviso impetu protraxit utensilibus. Hac aquarum illuvione involvi metuens armentarius gregis, usui monachorum Patris Benedicti in cœnobio Floriacensi degentium delegati, ad tutiora montium pascua vaccarum abduxit armenta ; unde regrediens, dum concitus sese proripit, ut intra septa castri receptus imminens evitaret periculum, obvium habuit hostilem quem fugere cupiebat amnem. Retrogrado itaque se proripiens pede, ad pontem rivuli, qui ob circumjacentis latitudinem paludis, Longumrete dicitur, quem jam forte præterierat, summa cum festinatione tendebat. Ibi quoque obvios habens inundantis fluctus gurgitis, in desperationem vitæ labitur ; et incertus consilii, fasciolis a tibiis resolutis, ad binas pontis tabulas se alligavit. Invocare tamen Christum et sanctum cœpit orare Benedictum, ut sui misereretur opem ferendo ; sed, resoluto vi tumescentis fluminis ponte, ipse pariter ferebatur in præceps. Tum vero toto cordis affectu nomen beatissimi iterabat frequentius Benedicti ; et quia jam morti traditum se credebat, ut animam tantum salvaret poscebat. Cumque undis se propellentibus ad eum delatus esset locum, ubi Bonodia fluviolus Ligeri influit, per tria fere milliaria aquis vectus, et semper in ore, semper in corde sanctissimi vocabulum replicaret Benedicti, exaudiri meruit. Nam mutatis flatibus ventorum, flans zephyrus ad littus eum leni impulsu deducere cœpit. Quidam vero ejus noti, prope lintribus obnavigantes, cognito quis esset, solutis quibus ipse se vinxerat ligaminibus, ad tutam portus stationem secum incolumem reduxerunt. Vocitatur autem homo ipse Constantius ; qui etiam refert se multitudine circumdatum serpentium seu diversi generis reptilium, nec tamen per Dei providentiam et egregii Christi confessoris Benedicti interventionem quidquam sibi fuisse nocitum. Quod eo magis mirandum censetur quia quosdam hominum summa arborum cacumina conscendentium, ubi undoso torrenti aspirare fas non fore arbitrabantur, reptando subsecuti angues, miserandis laniatos morsibus decidere in profundum cogebant ; hunc vero in imis constitutum, quamvis in modum cinguli circumambirent, nullatenus tamen lædebant, grata eum divina meritis sancti sui confessoris Benedicti custodiente, ad exhibendum famulis ejus devotæ servitutis obsequium. Cui etiam aliud divini muneris attributum constat fuisse beneficium. Ruerat radicitus aquarum alluvies maximas arborum moles, quarum impetu trunci quoque antiqua diuturnitate solidati evertebantur. Horum ille impulsu non solum mergi non poterat, verum sola manu vel brachio, ac si leves stipulas ad se appropinquantes depellebat.

CAPUT X.

S. Benedicti agrum minuens mala morte perit.

26. Ager quidam, ditioni subditus ecclesiæ Sancti Stephani Antissiodorensis urbis, confinis est terræ Sancti Benedicti, quæ memoratæ superius adjacet paludi. Hunc quidam Walterius jure beneficii sortitus, ejusdem telluris partem ad suos usus præripere cupiebat ; confictaque calumnia, quod ex suo beneficio existeret, atque a nostris ruricolis injuste pervasa foret, querelam ante venerabilem abbatem Abbonem exponit. Nam quodam tempore ab uno dominorum suorum missus est, ut sua vice jam dicto obsequeretur abbati ad regale palatium properanti. Inde cum redirent ambo simul, et ad eum perventum esset locum, de quo lis videbatur orta, idem vir conversus ad abbatem : « Nunc, inquit, domine abba, si placet, ostendam tibi terminum meæ possessionis. » Monente autem illo, ne quid supra suum determinaret jus, ne forte id nequaquam ei impune cederet, ille impulso calcaribus equo, ad locum determinationis sibi placitæ properat, obtestantibus pene omnibus qui cum abbate aderant illum metam justæ divisionis transgredi. Sed cum habenis equum refrenare conaretur dicens :

(43) Notanda hæc epocha de regno Rotberti regis, cujus cum patre regnantis annus primus comparatur cum anno Christi 988, monarchiæ cum anno 997. Utraque epocha multis instrumentis confirmatur, sed potissimum prima, de qua suo loco agendum. Et tamen Hugo anno 987 rex dictus, *eodem anno filium suum consortem regni legit*, teste Aimoino supra in lib II, cap. 1, nempe eodem anno Hugonis, sed Christi insequenti, et quidem Kalendis Januarii, qui pro veteri more ad annum præcedentem pertinebat.

« Ab hoc ego loco universum jus ad istam partem (manu eam demonstrans) mihi, etiamsi necessarium fuerit, singulari certamine vindicabo, » equus in cursum actus retineri ab eo non potuit, quin potius invito sessore proruens semel ac secundo, offenso labitur pede. Tunc reverentissimus Abbo abbas conversus ad suos ita infit : « Jam nunc æquissimi Judicis justum citissime conspicietis examen. » Post quæ verba, equus tertio lapsus dominum a tergo suo abjicit. Qui cadens, discissis interioribus, fractaque scapula debilitatus ad villam monasterii delatus, advesperacente ipso die defunctus est, peregitque ipse solus singularem quam proposuerat pugnam, Deo manifestum exerente judicium meritis dilecti sui confessoris Benedicti, cujus res alienare cupiebat; cujus casum miseratus honorabilis Abbo abbas, eo quod sibi in itinere devotissime obsecutus fuisset, cum fratribus in cœmeterio ecclesiæ honorificentissime tradidit sepulturæ.

CAPUT XI.

S. Pauli corporis translatio Floriacum.

27. Osa (*Huessant*) Oceani maris quædam est insula, quæ a continenti Armoricanæ regionis terra, quam Cornugalliæ nominant, pelago sexdecim passuum in transversum porrecto sejungitur. In ea beatum Paulum, cognomento Aurelianum, eremiticam duxisse vitam ex libro Vitæ (44) ejus didicimus. Hic denique S. Paulus, in loco Britanniæ qui oppidum Sancti Pauli (45) dicitur, Episcopus factus, multis in vita sua clarus virtutibus, ibidem per divinam designationem tumulariam meruit sepulturam. Cujus corpus post longa obitus ipsius transacta tempora, a Mabbone (46) ipsius loci pontifice, ad hoc nostrum Floriacense translatum est cœnobium. Hujus translationis seriem, quia occasio se præbuit, licet multis antea temporibus gesta sit, sicut a prioribus nostris eam auditu comperimus, referre dignum duximus. Memoratus denique venerabilis Mabbo pontifex, amore divino contemplativæ succensus vitæ, hæsitabat animo quonam potissimum in loco suum posset explere propositum; cui divinitus inspiratum est nusquam aptius id posse eum perficere quam in præsentia corporis sanctissimi Patris nostri Benedicti, qui dux et signifer illius esset institutionis quam ipse sectari cupiebat. Sumptis igitur Evangeliis et sacrarum vestium non contemnendo ornatu, simul cum sacratissimo corpore egregii præsulis Pauli ad sibi desideratam pervenit habitationem, quem abbas istius sacri cœnobii, præcedenti libro nominatus Wifaldus (47), cunctaque congregatio gratantissimo dilectionis suscipientes obsequio, quo advixit tempore, honorifice secum tenuerunt. Qui peracto laudabilis vitæ cursu, ante altare Sancti Joannis evangelistæ, in basilica Sanctæ Dei genitricis Mariæ, tumulariam adeptus est sepulturam. Corpus autem antedicti confessoris Pauli cum proprio loculo, post loculum sanctissimi Patris Benedicti posuerunt, uno tamen ampliori scrinio, quod etiam argento tectum erat, utrumque concludentes. Nunc jam ad id quod cœpimus exsequendum regrediamur.

CAPUT XII.

Felix anachoreta naufragio liberatus. Episcopus Leonensis id cœlitus discit. Felix ob id in S. Benedictum amplius animatus. Iterum liberatus.

28. In memorata igitur insula, ob amorem tanti præsulis, quidam civis jam dictæ regionis Cornugalliæ, Felix nomine, ad inhabitandum demigrans, cum aliis suæ provinciæ viris, per aliquantos annos, Deo placitam studuit ducere vitam. Sed cum veraci referente fama didicisset corpus jam dicti sancti apud nos retineri, deliberavit animo ad ejus sacratissima properare membra. Incitabat quoque bonæ voluntatis ejus conatum rumor sanctissimi Patris nostri Benedicti, qui totius etiam remotissimos Britanniæ repleverat sinus. Ascensa ergo una, quam solum tunc reperit navim, ad superius nominatum Sancti Pauli oppidum venire disposuit, cum pontifice ipsius sedis tractaturus utrum sibi hæc quæ cogitaverat agere expediret. Verum pelagus illud quod inter insulam ac continentem diximus esse terram, ob sui angustiam et rupium in eo prominentium exasperationem, difficilem multoties navigantibus officit transitum. Quod cum jam dictus vir transmeare vellet, inopinato impetu undarum navis versata eum cum universis sociis inter se et mare conclusit. Erant inter eos natandi ignari; hos unda raptos, super unum e prominentibus saxis illæsos deposuit. Ille vero cum uno tantum sodali, jam reductæ in suum statum navi insiluit, et fluctus qui eam oppleverant, panno sinuatæ vestis exhauriens, cum duobus qui soli remanserant remis ad recipiendos socios rupi appropinquavit. Quibus receptis prospicit eminus librum per quem laudes Deo persolvere consueverat, undis jactari, nec mergi. Post quem d recto cursu navis eum levavit, ita omni humore introrsus carentem quasi non undæ ipsum per maria, sed ventus per terras portaverit. Deinde aliquibus remis cum aliquantula supellectili receptis, ad destinatum tandem delati sunt locum.

29. Cumque memoratus vir, cum episcopo loci colloquium familiare habens, ea quæ sibi obvenerant referre vellet, prævenit eum pontifex, ita inquiens : « Num, ait, ignoras, domine mi Felix, quid cuidam Monacho omnibus tibique bene noto de te per nocturnum soporem revelatum sit? » Cui cum ille diceret se id funditus ignorare, episcopus ad eum :

(44) Exstat liber iste, sed mutilus, in bibliotheca Floriacensi.

(45) Sic restituerunt Socii Bollandiani, Boscio mendose, *qui oppidum dicitur*. Leonium nunc dictum, *Leon*, sedes episcopalis.

(46) Mabbo Leonensi Ecclesiæ præfuit ab anno 940-945, ex Alberto de Monterelaxo, qui hanc sancti Pauli reliquiarum translationem Floriacum tribuit etiam Liberali episcopo sub Carolo Calvo.

(47) Auctor fragmenti historici jam citati, apud Chesnium tomo III, pag. 343, idem attestatur.

« Retulit, inquit, mihi idem monachus coram multis testibus, dicens : Videbatur mihi quod Felix, qui in insula habitat, hic apud nos foret positus. Qui dum ad sua regredi vellet navimque ascendisset, diabolus in specie vulturis adveniens, cujus corporis moles montis altitudini æquari posse credebatur, cunctos qui rate vehebantur simul cum ipsa in profundum mergere mihi videbatur. Illis itaque hoc modo submersis, apparuit repente vir quidam monachico adopertus indumento, more abbatum recurvum a capite de manu gerens baculum ; quique super aquam deambulans, eodem ligno navim cum hominibus nil mali passis, ac cunctis rebus, de profundo ad littus traxit. Liberatis vero imperans ut se ibidem operirentur, vulturem qui jam fugam paraverat, insecutus, virga percussum in profundum abyssi mersit. Reversus ad Felicem et socios ejus, alacri ut erat vultu, eos hortabatur ut ascensa lintre quo cupiebant secure enavigarent, dicens : En adversarius vester, per Dei gratiam a me submersus, perdidit omnem vobis nocendi potestatem. »

30. Cumque ista referente antistite Dei servus audisset, casus quoque suos et ipse omnes ei exposuit, asserens ipsam visionem, etiam corporeo actu, in se completam. Intelligens vero ex memorata apparitione sanctissimum Patrem nostrum Benedictum suæ saluti auxilium contulisse, magis amore ejusdem præcellentissimi confessoris flagrare cœpit, atque ut ad ejus sacrosanctum tumulum perveniret instare.

31. Igitur pauci temporis interposita mora, assumptis quibus se indigere rebus æstimavit, ad continentem destinavit remeare terram. Sane omnipotens Deus, ut ejus cor ad amorem sanctorum quorum expetebat præsentiam amplius inflammaret, duplicavit miraculum. Nam dum apchora a littore sublata alta peteret maria, repente se fluctus attollunt, et in sublime elatus præruptus aquæ mons ita totam circumcinxit scapham ut nulla ex parte aditus reperiretur evadendi. Tunc jam dictus Christi famulus Felix, horrore imminentis periculi perculsus, intra ima pectoris hujusmodi fundebat preces humillimæ supplicationis : Inclyti, inquiens, confessores Christi, Benedicte atque Paule, quorum sacratissimos adire exopto cineres, ferte opem mihi misero qui solius nunc mortis discrimen formido. Post has preces, dicto citius tumida considunt æquora, ventisque placidum stans mare tutam navigantibus præbuit viam. Ita ab instanti naufragio sæpe nominatus Felix (48) exemptus, ad hoc sibi diu desideratum venit cœnobium, nobisque hunc suæ salvationis retulit fuisse modum.

CAPUT XIII.

Advocatus malus perit.

32. Brevitati quidem studendum erat ne prolixitas verborum audientibus fastidium materiæ gigneret. Sed quia decurrens sermo retineri non potuit quem vis dilectionis sanctissimi Patris Benedicti ad plenius exponendas res gestas impulit, ignoscendum est si, plusquam licuit, loquax pagina fuit. Procuralimus deinceps succincto narrandi genere miracula ejusdem dilecti domini comprehendere, ut et laudes ejus promamus et lectori nequaquam oneri simus.

33. Burgundiæ in partibus, territorio Tricassino, villa habetur Sancti Benedicti, Tauriacus nomine, quam advocatus, vocabulo Gauzfredus, quamvis ab extraneis defenderet, violentius quam quilibet externus vastabat. Quem a monachis frequenter ut a malefactis quiesceret, admonitum, nec obtemperantem, pius Pater Benedictus a Deo obtinuit flagello correptionis prius percuti quam ejus malitia funditus deleretur. Quadam itaque die eo in domo propria intra memoratæ urbis Tricassinæ muros constituta residente, et judiciariam inter rusticanos agente actionem, niger canis rabie plenus adfuit, et nullum lædens circumstantium, impetu in eum facto nares ejus ac faciem morsibus dilanians abscessit. Unde ille in amentiam versus, ab amicis ad basilicam Sancti Dionysii est deductus ; ibique aliquantulum, sed non ad plenum sensu recuperato, regressus ad propria, dum malis quæ pauperibus Sancti Benedicti intulerat adjiceret pejora, a dæmonio arripitur, catenatusque et in quoddam retrusus cubiculum, ultimum exhalavit spiritum, profitentibus cunctis qui eum noverant, ob sævitiam ejus in ruricolas pretiosi confessoris Benedicti talia ipsum pertulisse. Huic metuendæ ultioni, aliud amplectendum misericordiæ ac sanitatis adnectamus signum.

CAPUT XIV.

Monachus in extremis ab omnibus derelictus, S. Benedictum habet propitium.

34. In inferioribus hujus Neustriæ (49) partibus, in Andegavensi scilicet urbe, Ainfredus quidam apud monasterium Sancti Albini ex clerico monachus sponte factus est. Is meliorandæ vitæ gratia ad hunc venerabilem Floriacensem demigrans locum, aliquantisper nobiscum commoratus, ad memoratum regressus est cœnobium. Ubi dum moratur, gravi tumescentis coxæ afflictus languore, gemino urgebatur angore. Nam abbas ipsius monasterii, quibusdam simultatibus eum impetens, cunctis interdixerat fratribus ne quis eum saltem in exitu visitaret animæ. Cumque ille, morbo ingravescente ac dolore ad vitalia serpente, fratres ad se invisendum suumque exitum Domino commendandum venire deposceret, ab uno, cui soli concessum erat eum invisere, quid abbas de eo præcepisset addidicit. Quod ipse audiens graviter tulit, et per Andegavæ civitatis nobiles qui ab ejus visitatione, quia eum diligebant, inhiberi non poterant, abbati mandavit

(48) Hic est Felix ille, multis laudatus in libro de Vita Gildæ abbatis in Sæculo primo, is qui a Gauzlino Floriaci abbate in Armoricam missus est anno 1008 ad instauranda in ea regione monasteria.

(49) Neustria siquidem olim complectebatur quid quid terrarum est inter Ligerim et Sequanam ad Oceanum.

ut sibi misereretur, ad satisfactionem, si quid in eum non recte commisisset, parato. Sed eo differente coactus est æger aliunde consolationem quærere, et, quia se a temporali abbate videbat despici, ad illum qui legionibus monachorum per longa jam pridem sæcula sollicitudinis suæ curam impendit tota se contulit mente, recordansque quantam in Patribus hujus Floriacensis cœnobii tempore suæ peregrinationis reperit dilectionem, converso ad parietem capite ac lacrymis suffusus ora, in hæc prorupit verba : O sancte, inquiens, Benedicte, miserere mei tuum auxilium anxie implorantis, tibique spondentis quod, si mihi corporis sanitatem vitæque a Deo obtinueris prosperitatem, tua supplex sacratissima expetam ossa, gratiarum pro posse redditurus vota. His peroratis, aspexit, ut post ipse retulit, subito quemdam incogniti vultus virum, monachalis habitus tegmine adopertum, qui e regione ulceris manu protenta, silenter abire visus est. Mox ægrotus in somnum resolutus, qui tres et eo amplius noctes pervigiles duxerat, unius horæ spatio placidissima quiete potitus est. Evigilans vero, dum summis digitis vulnus quod vis morbi patefecerat, incautius premeret, particula quædam putrefactæ carnis, instar boleti, inde cum maxima doloris parte prosiluit, ac demum infra breve tempus, resumptis viribus, quod voverat, devote, nec absque munere complevit.

CAPUT XV.

Patriciacus (Pressy) *in Burgundia. Ibi reliquiæ S. Benedicti cum aliis contra prædatores delatæ. Cerei cælitus bis reaccensi ; reliquiæ datæ in præmium doctrinæ.*

35. Patriciacus dicitur villa in Augustudonensi territorio regionis Burgundiæ sita. Hanc Echardus, comes Burgundionum ditissimus, Sancto Benedicto et fratribus Floriacensis cœnobii ad stipendiarios quondam sumptus benigna largitate contulit. Quo defuncto ac in Floriacensi monasterio juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ sepulto, in memorata possessione fratres habitationem sibi statuerunt ; in qua etiam delatis a Floriaco sancti Patris Benedicti reliquiis, ecclesia in honore Dei ac gloriosæ virginis Mariæ, simulque egregii ipsius confessoris constructa est, quam Christus Dominus meritis sanctæ suæ Genitricis, necnon dilecti famuli sui Benedicti sæpissime miraculis illustrem reddidit. De quibus quia multa per inertiam oblivioni tradita sunt, pauca quæ vilitatis nostræ attigere notitiam, memoriæ posterorum, ad omnipotentis Dei ac sanctorum ejus laudem, tradere curabimus.

36. Solmaricense prædium, jam dicto Patriciacensi cœnobio subditum, quidam perversæ mentis homines invadere moliebantur. Quorum malitiæ Rotbertus monachus illi loco tunc præpositus obsistere cupiens, instante vindemiæ tempore cum sanctorum pignoribus ad locum properat. Cumque iter agendo, sanctarum vectores reliquiarum Cluniacum cœnobium devenissent, inibi nocte quieverunt. In crastinum vero cœpti itineris callem capturi, a fratribus ejusdem cœnobii cum magno processionis apparatu ducebantur, et ecce in ipso basilicæ Sancti Benedicti egressu, orta cum vento pluvia, cereos ob honorem Dei ac sanctorum ejus accensos funditus exstinxit. Sed antequam portam castri ipsius monasterii egrederentur, et serenitas rediit, et cerei divinitus reaccensi, inspicientibus cunctis, per aliquod viæ spatium nullis ventorum flatibus exstingui potuerunt. Simili modo dum, peractis pro quibus ierant, sanctas reliquias a tabernaculo sub quo manserant extulissent, lucernæ exstinctæ, divinaque virtute illuminatæ, nullo auraram spiramine lumen amiserunt, donec a terra Sancti Benedicti sanctorum progrederentur pignora. Erant autem, quæ ferebantur cum patrocinio sancti Patris nostri Benedicti, pretiosæ reliquiæ beatissimorum confessorum Eucherii et Verani, necnon Cypriani, Sperati, ac Pantaleonis martyrum. Has, sicuti relatu seniorum nostrorum comperimus, quidam aliquando Lugdunensis antistes (50) cuidam monacho hujus sanctæ congregationis contulerat remunerandæ sedulitatis gratia, quia liberalibus eum instruxisset litterarum studiis. Quas ille, ut celebrior inde esset locus, in ejusdem Patriciacæ villæ oratorio condidit.

CAPUT XVI.

Minax et blasphemus in S. Benedictum interit. Duæ feminæ sanantur a quatuor morbis.

37. Bernardus quidam, ejusdem Burgundiæ vir illustris, dominusque castri quod Uzon [*al.*, Vizon] vocatur, discordiam habebat cum quodam sibi affinitate propinquo, non minoris potentiæ, nomine Letboldo. Cujus possessiones dum direptionibus vastaret, etiam ex villis ad jam dictum Patriciacum monasterium pertinentibus armenta abducere cupiens, quosdam servorum Sancti Benedicti resistentes sibi interemit. Propter quam causam supra nominatus Rotbertus præpositus eum adiens, humiliter poscebat ut legaliter sancto Benedicto ac ejus monachis emendaret malum quod contra leges servis eorum irrogaverat. Ille contumaciæ plenus spiritu, in hæc verba respondit : Miror, domine Rotberte, tam sapientem virum ad tantam stultitiam devolutum ut a me emendationem rei exigas, cum me magis rogare oportuerit ne pejora adjicerem ; et adjecit, Dominum, inquiens, qui me nasci fecit, testor me, antequam quindecim ab hoc die evolvantur soles, experimento probaturum utrum sanctus Benedictus igni, an ignis a me ejus injectus domibus sancto prævaleat Benedicto, qui meum intra suum castrum defensare nititur inimicum. Ad quæ verba commotus monachus : Confido, ait, in Domi-

(50) Leidradus reliquias S. Cypriani Arelate Lugdunum advehi curavit, testante Adone in Martyrologio, quas postea Carolus Calvus Compendium deduxit in basilicam ab se constructam, ubi hactenus asservantur. At de Leidrado intelligi non potest hic locus, propterea quod donatio Patriciaci Floriaco serius facta est.

no, ac in sanctorum ejus meritis, te nec ista impleturum, nec constitutum a te terminum temet vivendo excessurum. Hoc dictum rei veritas subsecuta est. Denique prædicto viro venerabili Rotberto ad monasterium regresso, antequam præfinita præteriisset dies, præfatus Bernardus ab obvio sibi hoste præscripto Letboldo lancea confixus interiit, subiturus pro certo illud diutinum cum igne certamen, quod falso juraverat se sancto Benedicto brevi tempore illaturum.

38. Adjiciantur huic vindictæ prodigio quatnor sanitatum insignia duabus tantum feminei sexus personis, a Christo collata in eodem monasterio Patriciaco per merita sanctæ suæ Genitricis ac inclyti confessoris Benedicti, aliorumque, quorum ibi habentur patrocinia, sanctorum.

CAPUT XVII.

Muta et clauda sanatur.

39. Mulier quædam, Adelais vocabulo, linguæ ac pedum privata officio, ad memoratum venit cœnobium manibus reptando. Hæc præ foribus monasterii per aliquantulum decubans temporis spatium, a fratribus quidem nutu manuum petebat vitæ subsidium, a sanctis autem voce cordis sanitatis auxilium. Quadam itaque die, tertia videlicet feria ante sanctam Pentecosten, cujus ipso anno (51) festivitas XIII Kalendas Junii evenit, medelæ suæ horam adesse persensit; veniensque ante ecclesiam, indiciis quibus poterat, aperiri sibi introitum exposcebat. Quo impetrato per terram se trahens oratorium intravit, et coram altare sanctæ ac individuæ Trinitatis in ipso ingressu posito subito substitit, ac se paulatim ab humo sustollere cœpit. Quid pluribus morer? intra breve momentum pleniter erecta, rectis gressibus ad altare Sanctæ Dei genitricis Mariæ atque confessoris Christi Benedicti progressa, acsi in oratione prosternitur; indeque post paululum se erigens, elatis in altum manibus in hanc vocem prorupit : Gratias, inquit, ago tibi, Domina mea, virginum Regina sancta Maria, tibique, sancte Benedicte, quorum interventu omnipotens Deus mihi curvæ ac mutæ rectitudinem membrorum contulit et loquelam. Nec vobis, sancti Dei Eucberi et Veranne, minores persolvo gratiarum actiones, quos sæpe exoratos meæ non diffido adjutores fuisse salutis. In his vocibus totam pene exegit noctem. Agebatur eo die festivitas beati Romani (52) alumni sanctissimi Patris nostri Benedicti, et fratres completorios Deo solvebant hymnos; qui continuo sonantibus signis laudes Deo alacres pro ostenso reddiderunt miraculo.

CAPUT XVIII.

Item alia ambulare non valens. Iterum impotens, iterum sanata.

40. Christo disponente adhuc sanctos suos mirabilibus insignes reddere, nono post patratum istud signum die, tertio videlicet Kalendas Junii, alia inibi deducta est mulier. Huic Alexandra nomen erat, quæ gestatorio, quo lapides ferri mos est, a duobus viris advecta, in basilicam se introduci rogavit. Quæ in eodem quo et prior erecta fuerat loco, ad orationem se inclinans, post modicum pedetentim erigere sese cœpit. Cujus conatum fratres, qui ad tam mirandum convenerant spectaculum, juvare cupientes, inter manus eam elevando sustentabant. Ipsa quoque circa horam diei tertiam, in qua delata fuerat, plenæ donata sanitati, per aliquot menses in servitio ecclesiæ permansit.

41. Postulata autem atque impetrata a jam dicto ejus loci præposito Rotberto licentia redeundi ad sua, pollicita est se ad inchoatum reversuram sanctuarii obsequium; sed dum moras ad regrediendum innecteret, pristinum languorem incurrit. Verumtamen dum quæreret qui se ad suæ salutis locum reveherent, nec inveniret, cœpit anxiari et mœsta esse. Tandem necessitas consilium reperit, ut Deo ac sancto Benedicto voveret, si salus collata sibi restitueretur, ut ad jam nominatum valeret regredi monasterium, se deinceps inde nequaquam recessuram. Statim igitur ut hoc vovit, firmissimas in eo quo residebat loco ambulandi vires resumens, postposita omni morarum occasione, ad Patriciacum sancti Benedicti cœnobium, ubi sanata prius fuerat, reversa est. Cumque cuncta quæ circa ipsam acta fuerant fratribus referret, sponderetque se inde amplius non discessuram, in commune benedixerunt Dominum, famulumque ejus sanctissimum Patrem nostrum Benedictum, gratias agentes illi, qui servulos suos, quos fortè absentia sacri corporis ejus mœstificare poterat, spiritali visitatione dignos ducendo miraculis lætificaret. Et ne qua dubitatio de præstitis mirabilium beneficiis remaneret, vicinos ambarum mulierum sollicite perscrutari curaverunt; hospitem etiam ejus quæ prius sanata fuerat, interrogantes utrum eam aliquando loquentem aut ambulantem recte vidisset, tam ab ipso quam a reliquis qui utrasque noverant, vere eas debiles, vere a Christo meritis sanctæ suæ Genitricis ac dilecti sui Benedicti fuisse sanatas didicerunt.

CAPUT XIX.

In festo translationis incendium restinctum.

42. Migrante ad superos eo quo superius relatum est ordine venerabili Patre nostro Abbone, e vestigio quædam adversæ res, maxime nobis qui ejus obsequio adhæseramus, evenere. At reliquis neglectis ærumnis, unam memoriæ mandare non grave videatur audientibus; quæ pene intolerabili hoc sacrum cœnobium profligasset damno, ni superni Regis Christi pia clementia, interventu sanctæ suæ Genitricis Patrisque nostri Benedicti mitigata, vindicem nostrorum scelerum retraxisset dexteram. Enimvero quia in signis superioribus demonstra-

(51) Id est anno 1005, quo sanctum Pascha in primam Aprilis, Pentecostes in 20 Maii incidebat.

(52) Vides antiquitus celebratum fuisse diem festum sancti Romani abbatis, alumni seu nutritoris sancti Patris Benedicti; cujus Romani Vita exstat in Sæculo I.

tum est quam potens hic egregius dux noster ac semper nominandus Benedictus in duobus singulatim exstiterit elementis, aqua videlicet et igne, in hoc manifeste apparebit quantum in utrisque valuerit uno eodemque tempore, et, ut verius fatear, temporis momento.

43. Celebris nostro orbi illuxerat dies translationis ipsius summi confessoris, quæ quinto Iduum Juliarum annuum nobis repræsentare consuevit delectabileque festum. Cumque tota vigiliarum nox cum subsequente die in laudibus Deo debitis congrue fuisset expensa ob tanti devotionem Patris, post debitam refectionem vespertinaleque officium, hora quietis advenit, et cupientibus nobis oculos diurno furari labori, erroneæ antiqui hostis adfuere insidiæ. B Namque ejus instinctu quidam perversæ mentis homines, latrocinandi, ut quidam referunt, cupiditate, ignem forensibus imposuere domibus; ut vero alii tacentur, casualis eisdem ædibus irrepsit ignis. Qua de causa, excitato tumultu fratres expergefacti, ad exstinguendas voraces incendii flammas properarunt, subductoque primum, quaqua opportunitas sese obtulit, omni ornatu basilicæ, qui non minor, imo per omnia major quam in priori incendio, interiora templi venustabat; ad jam dictum opus unanimes vertuntur; sed illorum labor incassum cedebat. In superiora namque se aurarum spiramine ignis attollens, coquinam xenodochii repente corripuit, quæ aulæ sanctæ Dei genitricis Mariæ vicina erat, in qua pretiosus confessor Domini C Benedictus quiescit. Tum metus ingens cunctos habuit, verentes ejus ædis occasione venerabile cunctis Dominum timentibus exustum iri templum. Unde quidam nostrorum, interioris hominis voce, auxiliari sibi piis precibus sanctam Dei genitricem Mariam famulumque ejus inclytum poscebant Benedictum, repetito sæpius nomine sororis ejus Scholasticæ. Alii vero id ipsum clara quidem voce, sed querulosis iterabant verbis. Tandem memoratorum preces sanctorum audiit Omnipotens, cœlique a parte serena intonuit. Denique cum summa cœli esset serenitas, profusus subito e nubibus imber, flammas quæ interiora castri ædificia depascebantur, funditus exstinxit. Mutati autem ventorum D flatus cadentes favillas, quarum copia instar decidentis nivis introrsus ferebatur, retroactas in semet redire cogebant. Ita meritis egregii protectoris nostri Benedicti non solum monasterium incolume resedit, verum nec tantum vici exustum est, quantum priori incendio perierat, quod in eadem festivitate, temporibusque memorati contigit venerandi abbatis Abbonis. Unde nimirum legiones monachorum domino suo Benedicto illud cujusdam sapientis non incongrue et absque fuco valent aptare elogium,

A Quod ille fucata usus laude, de quodam terrenarum protulit principe rerum ita inquiens :

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

(*Ex Claudiano in Paneg. Honorii.*)

Liceat nobis hac de re quædam proludendo paululum eloqui. Congruum, ut reor, huic nostro videbatur legifero, in commotione elementorum venerabilis sororis suæ adhibere solatium, quam meminerat ad se retinendum tempestatum opposuisse obstaculum. Unde non incongrue, aereis potestatibus complacita sibi loca evertere molientibus strenue repugnaturus, a suis famulis eamdem sororem suam secum invocari voluit, cujus preces ad obtinendas a Domino imbrium profusiones agnoscebat fore idoneas.

CAPUT XX.

Contracta erigitur.

44. Puellam quamdam nobilibus ortam antiquitus fuisse natalibus, nomine Adelaidem, nuper didicimus cruribus contractam. Quam dum pater ejus ac mater per multa sanctorum loca duxissent nil remedii ei a sanctis impetrare potuerunt. Ii, desperata salute, ad domum eam reducentes, manebant tristes, quid de ea agerent ignorantes. Nam Parisius (53) eam ad S. Dionysii sepulcrum, atque Lemovicas ad domini Martialis tumbam, qui ambo tunc miraculis coruscabant, perducentes, nihil omnino profecerant. Quiescenti autem matri ejus vox cœlitus advenit quæ diceret : Quænam, ait, dementia vos tantas in vanum compulit perdere expensas, ut longe posita sanctorum adiretis patrocinia, vestro hic relicto vicino, sanctissimo videlicet Dominique dilecto Benedicto, cujus sacratissima ossa, pro vestra (si tamen id ex fide expetieritis) multorumque salute, ex Italia provincia in hanc divinitus translata sunt regionem? Unde pro certo scias nullatenus tuam sanandam esse filiam, nisi eo delata fuerit. Evigilans itaque mulier viro sibi conjacenti somnium refert. Cui ille : Ego, inquiens, jam id ipsum mente conceperam; sed vereor ut sanctus ille nostro irritatus contemptu Dominum pro ea exorare velit. Ad hæc illa respondens : Ducatur, inquit, ad sancti sepulcrum; et siquidem eam sanaverit, habeat ipsam ancillam in sempiternum; sin vero noluerit, reducatur; cum debilitate etiam libertatem retinens. Erant enim ipsi non solum liberi, verum etiam genere clarissimi, ac facultatibus ditati. Orto igitur sole iter ad monasterium arripiunt, quod non nisi XVIII millibus ab eorum distabat domo, una secum filiam deducentes debilem. Instabat autem celebre festum ejusdem sanctissimi Benedicti, et in ipsa quidem die festivitatis eam sanandam sancto Patri Benedicto obtulerunt. In crastino vero mane surgentes, dum regredi cuperent, filiam sanam omnibusque membris benevalentem repererunt. Pro qua

(53) Id est in suburbano Parisiorum agro, qui unus locus sufficit ad interpretandos quosdam locos auctorum veterum, qui basilicam Sancti Dionysii tumulo illustrem *Parisius* locant. Nam eam tempore Aimoini quinto ab urbe lapide sitam fuisse nemo negaverit, qui legerit librum De Vita S. Abbonis, cap. 9. Lege Elogium Fulradi abbatis in parte II Sæculi III.

re immensas gratiarum actiones Deo ac ejus amico beatissimo referentes Benedicto, eamdem natam suam ei perpetuo servituram tradiderunt, quæ postmodum ducens virum, filios procreavit; ex quorum progenie quidam adhuc non inutiles (54) in servitio perdurant fratrum.

CAPUT XXI.

Cæci duo lumen receperunt.

45. Nuper quoque res est gesta quam narro. Quidam cæcus Argentomagensis castri incola, dum reliquiæ ipsius præcellentissimi confessoris Christi Benedicti a Salensi cella ad Sanctum Marcellum martyrem (55) a fratribus deferrentur, tacto loculo confestim visum recepit. Requiescit sane corpus ipsius sancti martyris in ecclesia non longe ab ipso castro constructa. Quod cum identidem a suis ad Salense monasterium delatum fuisset, alter cæcus de villa ipsius monasterii, Modicia nomine, ibi advenit magnis vocibus sanctum invocans Benedictum; fama namque suprafati miraculi jam ejus attigerat aures. Qui et ipse non multo postquam ibidem advenerat tempore, miserante Deo et meritis sanctorum obtinentibus, lumen quod petebat, recipere meruit. In quo videlicet Salensi cœnobio tantis tamque assiduis idem toto orbe venerabilis Pater monachorum renitet miraculis Benedictus, et maxime in ulciscendis inimicis, ut si cuncta quis velit mandare memoriæ, proprio indigeant volumine.

CAPUT XXII.

Auctor multa omisit.

46. Hæc de miraculis quæ Deus per merita sancti sui Benedicti diversis in locis operari dignatus est, inerti stylo ac sermone rusticano edidimus. Verumtamen hanc sententiam claudendo operi adnectentes, monemus lectorem multa nos scienter præteriisse. Cavendum est enim in universis rebus omne nimium, et auditorum intentio grata brevitate invitanda, non fastidiosa est loquacitate deterrenda. Hic ergo finis erit libri, quamvis, si Dominus voluerit vitaque comes fuerit, ea quæ fidelis fama in tota pene divulgavit Neustria, nostra nequaquam sint silenda desidia. Compellunt etiam nos ad tacendum amici [*f.*, inimici] nostri, qui maximum deputant sibi affluere epulum, si aliorum studiis lacerum infigant dentem. Attamen nulla eorum detractione deterrebimur quominus laudes Dei ac ejus dilecti, Patris videlicet nostri beatissimi Benedicti, referamus. Ista igitur omnia, et quæ in priori opusculo ab aliis auctoribus descripta sunt miracula, sub triginta (56) abbatibus, qui huic Floriacensi cœnobio ab initio suæ fundationis, per trecentos octoginta quinque (57) et eo amplius præfuerunt annos, diversis in locis per merita sancti confessoris sui Benedicti operari dignatus est Jesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(54) Nempe servi monasteriis devoti, si quos gignebant liberos, ii monasteriis etiam addicti erant.

(55) Marcellum apud Argentomum castrum martyrii palmam obtinuisse legitur in Vita S. Genulfi episcopi, et tamen vicus Sancti Marcelli est infra Argentomagum.

(56) Desunt ergo quinque in catalogis vulgatis, in quibus Gauzlinus, cui hos libros dedicat Aimoinus, vicesimum quintum occupat locum.

(57) Aimoinus, et eum secutus Helgaudus, Floriacensis monasterii conditionem referunt ad annum Christi 620, ex male comparato anno Incarnationis cum anno secundo Clodovei Junioris Dagoberti Magni filii; quo anno ejus monasterii jacta sunt fundamenta. Lege Dissertationem de translatione corporis S. P. Benedicti in Galliam in Sæculo II.

AIMOINI FLORIACENSIS

SERMO

IN FESTIVITATIBUS SANCTI PATRIS BENEDICTI.

(Apud Joannem a Bosco primum in lucem emissus, *Bibliotheca Floriacensis*, t. I, p. 271.)

In annuis terrenorum imperatorum natalitiis, moris quondam fuit a subjectis regibus maxima eis exhiberi donaria. Studebat igitur unusquisque pro se; et ne alter in offerendis muneribus potior eo videretur elaborabat. Quo exemplo, condecet unicuique nostrum in solemnitatibus sanctorum placabilia Deo offerre munera, et cui deest auri vel argenti copia saltem devotionis prætendat obsequia, fundat preces ad Dominum, ut suum rite dignetur acceptare votum. Et quamvis *non* sit *speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv), tamen unusquisque nostrum studere debet ut, juxta Psalmographi monitum, *in sanctis ejus* laudet *Dominum* (*Psal.* cl). Quapropter amantissimi patroni nostri Benedicti mansueta benignitate inducti, qua nos suis sanctis interventionibus adjuvare non desistit, dignum duximus universa quæ de ipsius laude a diversis auctoribus sparsim descripta sunt summatim in unum colligere, et quasi quoddam munus nostræ servitutis, in ejus sacris solemniis, licet exiguum, tamen fidele

persolvere, ut et apud quamplures laus ejus dilatata patefiat, et qui omnia volumina auctorum habere nequiverit, præconia alumni sui in unum collecta se invenisse gratuletur. Hoc ergo promissæ rei erit exordium.

Supernæ dignatio majestatis, electos suos cœlestibus munerans donis, in terris quoque eximiis laudum ditat præconiis. Quæ per servos suos, summæ scilicet eloquentiæ viros, dilatans in populis, quam magni apud se sint meriti facundis elucidari præstat scriptis. Unde egregii meriti famulum Benedictum tanto præ cæteris sanctæ Ecclesiæ Patribus donavit privilegio, ut ejus vitæ laudes non quilibet scholasticorum, verum præcipuus doctorum, Gregorius, sanctæ sedis apostolicus, mellitis dilatarit eloquiis, et multorum quidem sanctorum duo aut tria defloravit miracula. Hujus autem qualis ab ineunte ætate fuerit vita, quamque mirandum habuerit transitum dulcissima promulgavit facundia. In cujus Vitæ libro, inter alia hujus sancti præconia, cum aliquibus antiquis Patribus æquiparat in quibusdam miraculorum gestis : inter cæteros vero, sancto prophetæ Eliseo illum comparat in ferro quod ex profundo aquæ ab utrisque retractum memorat. Verum nos, salva ipsi sancto papæ Gregorio sua auctoritate, liceat dicere ipsius sancti prophetæ Elisei gesta sancti Patris nostri Benedicti gestis pene per omnia fore similia. Liceat igitur nobis aliquid de ambobus, quasi concionando, sermocinari. Interrogatus in Evangelio a discipulis Dominus de adventu Eliæ, respondit : *Elias jam venit* (*Matth.* XVII, 12) ; et paulo post : *Si vultis* scire, Joannes *ipse est Elias* (*Matth.* XI, 14). Apparet itaque cujus meriti Elias fuerit, cum Joanni æquatur, de quo ipsa Veritas testatur quod *inter natos mulierum* nemo *major* eo *surrexit* (*Matth.* XI, 11). Is ergo cum rapiendus esset a Domino in cœlum, habens Eliseum discipulum, monuit eum ut peteret quod vellet, priusquam ipse transferretur. Ad hæc ille : Peto, ait, *ut fiat spiritus tuus duplex in me* (*IV Reg.* II, 9). Annuit ille, *si tamen me videris*, inquit, *quando tollar a te* (*Ibid.*, 10). Vidit igitur, et quæ petiit impetravit. Hæc idcirco retulimus, ostendere volentes quam magni meriti sanctus iste Pater noster beatus existat Benedictus, cujus opera illi sunt per omnia similia, qui spiritum Eliæ, ac per Elisei videlicet, cum actibus venerabilis Benedicti comparata, in hunc modum visuntur se habentia. Eliseus, post translationem magistri, pallio quod illi ceciderat Jordanem divisit, et transiit (*ibid.*, 14). Beatus Pater Benedictus, dilectum discipulum suum Maurum super aquas sui meriti virtute ambulare faciens, Placidum puerum jam demersum ad vitam reduxit. Quid horum præcellat non est hujus operis disserere, maxime cum a venerabili Odone hoc miraculum, Moysis operi in divisione maris Rubri comparatum, propriam habeat expositionem. Hoc breviter intimasse sufficiat per Eliseum unum in divisione aquæ patratum signum, per beatum Benedictum in collatione æquoris ac salvatione fratris duplex apparuisse beneficium. Ibi vestis cooperata est magistri, hic ereptus puer melotam abbatis super se ferri, seque ab ea aquis eripi conspexit. Revertenti Elyseo a translatione Eliæ, filii prophetarum etiam ab invito exigunt ut dominum ejus quærere eis liceat, ne forte in unam vallium, aut in quemlibet montium translatus lateat. Quæsierunt ergo, sed minime repererunt (*IV Reg.* II, 16, 17). Econtra beatus Pater Benedictus, pro Dei amore consortia linquens hominum et concava petens rupium, a presbytero divinitus monito, per defossa terrarum, per prærupta quæsitus montium, et repertus; quod Pascha esset est edoctus, et alimentis refectus. Ascendentem ad montana Eliseum pueri cavillantes deridebant, dicentes : *Ascende, calve, ascende, calve* (*IV Reg.* II, 23). Benedictum Patrem ad superna magis ac magis animo suspirantem, dæmones, qui utique in bonitate infantes sunt, maledictis lacessebant, dicentes : Maledicta, et non Benedicte, quid nobiscum habes? quid nos persequeris? verum derisores pueros egressi de silva ursi devoraverunt. Maledicos dæmones æterni gehennæ ignes perpetuo adurunt. Tribus regibus, rege scilicet Israel et rege Juda cum rege Edom, adversus regem Moabitarum expeditionem agentibus, et siti laborantibus, jussit Eliseus in siccato torrentis alveo facere fossas, e quibus aqua progrediens, fatigatum satiavit exercitum (*IV Reg.* III, 18). Venerabilis Benedictus monachis ex tribus monasteriis a se constitutis, atque pro penuria aquæ ad se venientibus præcepit cavare rupem super quam tres a se impositos invenissent lapides. Quo facto fons continuo prodiit, qui hodieque in rivum fluit (II *Dialog.* c. 5). Mulier quædam, a creditore viri sui jam defuncti calumniam patiens, virum Dei adiit Eliseum, consilium ab eo simulque auxilium expetens. Cujus meritis oleum quod mulier se professa fuerat habere in tantum excrevit ut et debitum creditori redderet, et ipsi, unde cum filiis viveret, abundanter remaneret (*IV Reg.* IV, 6). Eodem modo dilectum Domino Benedictum quidam adiit, ære pressus alieno, duodeno scilicet solidorum numero. Cui pius Pater subvenit, tredecim solidos ei conferendo, quos divinitus susceperat ; dans in mandatis ut duodecim fœneratori redderet, tertium decimum ad usus proprios retineret (II *Dial.* c. 27). Itemque, vase vitreo petenti clerico, cum oleo dato, ad ejus orationem, dolium vacuum ita replevit, ut superexundans pavimentum madefaceret. Elisei virtus Sunamitis filium ab inferis orando, revocavit ad vitam. Venerabilis Benedicti meritum rustici puerum sanctis precibus patri reddidit vivum. Commorante Eliseo in Galgala, cum filii prophetarum cum eo degentes mortiferum quid degustassent coctum in olla, ipsius medicante manu evaserunt mortis discrimina (*IV Reg.* IV, 40). Nihilominus Pater Benedictus oblatum sibi a falsis fratribus veneni poculum, per crucis signaculum,

redegit in nihilum. Puerum quoque qui flasconem a fideli viro submissum furtim absconderat, prophetico spiritu, pestem serpentis qui jam illud vas intraverat, vitaret edocuit (II *Dialog. per totum*). Tertia, in hoc uno Elisei facto, sancti Patris nostri Benedicti virtus enituit, quando infectum veneno panem, ne pestis ad plures serperet, per corvum longe projecit.

Ecce quanti apud Dominum meriti rutilans monachorum gemma existat Benedictus, luce clarius patet, qui in uno illius actu, quem sanctus Spiritus duplici vestierat dono, quadruplici effulsit miraculo : in effuso scilicet veneno, in flascone cum serpente detecto, in obediente corvo, in pane mortifero longius projecto. In quibus mirabilibus quamvis et aliis possit æquari Patribus, præcipue sancto Eliseo, nostri tamen hoc solum exstitit propositio vitam hujus sancti actibus conferre justi Elisei. Nempe Eliseus de viginti panibus esum centum viris præbuit, panisque superfuit (*IV Reg.* IV, 42, 44). Benedictus Dei famulus, fratribus inopia laborantibus, collatione ducentorum modiorum farinæ, incertum unde advectæ, divinitus subveniri obtinuit. Laboranti Naaman Syro pestifera lepræ contagione, ab Eliseo præceptum est ut lavaretur septies in Jordane. Ivit igitur, lavit, et mundatus ad Syriæ regna regressus est (*IV Reg.* V, 10-19). Puer autem quidam parvulus, elephantino morbo percussus, ad Dei hominem Benedictum est adductus; qui, pristina sanitate recepta, incolumis remeavit ad propria. Alter quoque, qui haustu veneni varietatem incurrerat cutis, per eumdem virum Dei Benedictum antiquæ redditus est formæ. Giezi puer viri Dei Elisei, per spiritum prophetiæ deprehensus suscepisse a Naaman vestes et munera, ipsius etiam donatus est lepra (*ibid.*, 22, 27). Monachus quoque, hominis Dei Benedicti itidem spiritu prophetico agnitus sanctimonialibus mappulas accepisse (*Vide totum librum Dialogorum Gregorii*), sibique eas in sinum misisse; mox, confessa culpa, non pœna, sed indulgentissima donatus est venia. De ferro, quod ex profundo aquæ rediit, nobis tacendum, ut summo præsuli Gregorio congruus honor exhibeatur, qui hunc beatissimum Patrem nostrum Benedictum, in hoc signo, huic sancto exæquavit Eliseo. Porro, quod Eliseus consilia regis Syriæ prophetico spiritu regi Israel per internuntios denuntiavit, assimilatur ei rei, cum venerabilis Benedictus, ad fratres qui parietem construebant mittens, monuit ut sibi caverent, quia malignus spiritus insidians ad eos veniret.

Sane Eliseus a Syris obsessus angelorum exercitum, sibi cœlitus in auxilium missum, non videnti ministro ostendit. Noster Benedictus, licet et in dissimili re, simile quid egit, dum dilecto discipulo suo Mauro immundum monstravit dæmonem, ab oratorio monachum educentem. Eliseus Syros se obsidentes, excæcatos in Samariam ad regem Israel deductos, non solum occidi non passus est, verum pristino visui restituit, pane et aqua pavit, atque ad sua redire permisit. Venerabilis Benedictus sævientem Zallam, sibique pertinaciter minitantem, solo visu terruit, cibo refecit; et ut deinceps minus crudelis esset solo verbi præcepto effecit. Eliseo prædicente regi Israel famem, quæ, Syris obsidentibus Samariam, populum presserat, abundantiam frumenti secuturam, cum unus ducum, super cujus manum rex incumbebat, incredulus ac rebellis prophetæ existeret, hæc ab eodem viro Dei audivit : *Videbis, inquit, et exinde non comedes* (*IV Reg.* VII, 19). Qui in incredulitate permanens, juxta verbum hominis Dei, sufficientiam alimentorum vidit, et in introitu portarum oppressus a populo interiit (*ibid.*, 20). Haud multum dispar huic causa exstitit, cum quidam clericus, a dæmonio per Benedictum Jesu Christi Domini famulum liberatus, mandatum ab eo accepit ne carnem comederet, neve ad sacros ordines accedere auderet; quod si præsumeret, statim juri diaboli manciparetur. Qui in quantum ejus jussa custodivit, incolumis mansit. At ubi inobediens et quasi ori Dei incredulus, sacris se ingessit ordinibus; mox persuasus a dæmone in eadem pœna permansit usque ad exitum vitæ. Azaele, qui post regnavit in Syria, consulente Eliseum pro salute Benadad domini sui, inter alia dixit vir Dei ad eum : *Scio, inquiens, quæ mala facturus sis filiis Israel : civitates eorum munitas capies, prægnantes dirides, infantes gladio interficies* (*IV Reg.* VIII, 12). Pari modo rex Gothorum, Totila, ad Dei hominem Benedictum veniens, atque coram eo prostratus et ab ipso de terra elevatus, hæc sibi dicentem audivit : « Multa mala facis, multa mala fecisti, jam tandem ab iniquitate compescere. Et quidem Romam ingressurus es, mare transiturus, novem annis regnabis, decimo morieris. »

Et licet, ut jam prædictum est, nostræ non fuerit intentionis nisi ut actus sancti Patris nostri Benedicti cum actibus solummodo beati conferremus Elisæi, tamen, quia mentio regis Totilæ opportunam præbuit occasionem, congruum visum est de quodam alio sancto propheta dignum memoria retexere verbum, quod collatum assimilari possit uni operum hujus inclyti confessoris. Denique uxor Jeroboam, qui peccare fecit Israel, consultura pro filio suo ægrotante Achiam prophetam, qui caligantibus præ senectute oculis videre non poterat, adiit, mutato habitu, ne agnosceretur quæ esset. Quam venientem venerabilis propheta non carnalibus, sed spiritualibus intuens oculis, ait ad eam : *Ingredere, uxor Jeroboam; quare te esse aliam simulas?* (*III Reg.* XIV, 6.) Huic rei illud est simillimum quod cum regi Totilæ nuntiatum foret virum Domini Benedictum prophetiæ habere spiritum, hoc ipsum experiri volens, se quidem ad eum venturum esse mandavit. Misit autem spatharium suum, cui Rigo nomen erat, regiis indutum indumentis, cum magna obsequentium caterva, ut tam ex vestimentis quam

ex ducum obsequiis rex putaretur. Cui advenienti occurrens Dei famulus, adhuc longius constituto, clamans imperavit : « Pone, fili, pone hoc quod portas; non est tuum. » Quo cum rubore ad dominum suum reverso, ipse Totila, per semetipsum ad Dei hominem accessit, et quæ prædicta sunt prophetæ verba ab eo audivit.

Verum nos ad nostrum redeamus Eliseum, nostrum utique, quia cujus opera sancti Patris nostri Benedicti operibus sunt similia hunc nos præ cæteris prophetis dignum ducimus dilectione præcipua. Ultimum ergo ejus miraculorum cum uno, sed nequaquam extremo, mirabilium venerabilis Benedicti comparemus. Nam cum idem servus Dei, e præsenti excessisset vita, post non longum tempus, quidam sepelientes hominem, visis latronibus, projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Cujus tactu mox mortuus surgens, ad propria rediit. Per beatissimum quoque Benedictum, ac ejus venerabilem sororem Scholasticam, dum ab Italiæ partibus, eorum sacratissima ossa gaudenti inveherentur Galliæ, duo mortui vitæ sunt redditi. Et hæc quidem quæ retulimus beato Patri nostro Benedicto, et sancto prophetæ Eliseo communia sunt. Veremur equidem ne a quolibet amatorum hujus egregii confessoris nobis objiciatur quod, dum eum laudibus extollere cupimus, extenuasse visi simus, cum eum uni solummodo prophetæ comparavimus. Verum, quisquis ille erit, sciat, et hoc sibi responsum esse deputet, non nos illum cuilibet ex prophetis, sed illi ipsum exæquasse in quo duplex Eliæ requievit spiritus. Et ne objectio ista prævaleat, succinctim, si placet, coæquetur tam novis quam antiquis Patribus : in restauratione videlicet capisterii, Joanni dilecto Domini, qui fragmenta gemmarum conjunxit in solidum; in conversatione eremi a pueritia, Eliæ, vel Baptistæ Joanni; in dimissione prælationis, Samueli, seu ipsi Baptistæ Joanni, qui, summo progenitus sacerdote, maluit eremi deserta incolere quam sacerdotii principatum tenere; in prophetia destructionis monasterii sui, seu subversionis Romanæ urbis, Isaiæ, vel potius Jeremiæ, qui ruinam urbis Hierosolymarum duplici planxit alphabeto. Domini quoque sui videlicet Redemptoris omnium Jesu Christi imitatus exemplum in hoc facto est : etenim benignus Jesus odientis se Hierosolymæ civitatis eversionem lacrymans prædixit. Ejus autem verus famulus Benedictus, dilectæ sibi habitationis domicilia, divinitus eversioni gentium tradita, deflens ac ingemiscens prænuntiavit.

Enimvero, Eliam corvi quondam pavere ministri, beatum Benedictum Patrem iter agentem sunt circumvolantes secuti. Eliæ ad solos ciborum ministraverunt usus; Benedicto Patri non solum in transportatione venenati panis, verum etiam in comitatu servierunt itineris. Comparetur, quia dignum est, in legislatione Moysi. Quamvis a Moyse uni tantummodo genti lex data sit; a venerabili Patre ubicunque, per tribus, per linguas, per nationes electi Dei dilatati, sunt paterna mansuetudine filii appellati, ut suavi iugo Christi colla submittant admonentur.

Et hæc quidam a nobis abbreviato modo loquendi dicta fautoribus tam inclyti confessoris, oramus, haud quaquam displiceant. Cæterum ea quæ a beato Gregorio descripta sunt, ejus relinquimus excellentiæ. Hoc de nobis, procul dubio profitentes nequaquam gloriam santi Patris nostris laudibus eo propagari quo eam promulgavit dulcis eloquentia hujus præsulis. Qui videlicet beatus papa (S. Gregorius), uti Joannes, majoris ejus Vitæ descriptor, testatur, missis Anglorum genti prædicatoribus, hujus mansuetissimi legislatoris institutionem, post sanctum evangelium, præcipue observandum tradidit. Quique in Dialogo suo, post explanationem Vitæ ipsius sanctissimi Patris, quam secundo posuit loco, in tertio volumine, capituto XVI, quasi quæ memoria excessisent, quædam de ipso intulit. Dum de quodam sancto viro, Martino nomine, loqueretur, ita inquiens : « Hic vir Domini, haud dubium quin Martinus, cum prius in eodem monte se contulit, necdum clauso specu habitans, catena sibi ferrea pedem ligavit, eamque saxo ex parte altera affixit; ne ultra ei liceret progredi quam catenæ ejusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, cujus superius memoriam feci, ei per discipulum suum mandare curavit: Si servus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. Ad quam vocem protinus Martinus eamdem compedem solvit. Sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem ultra locum quo hunc tendere ligatum consueverat. » In quarto quoque volumine, dum de exitu loqueretur animarum, miraculum quod in Vita ipsius legislatoris nostri Benedicti descripserat, quodque pro sui magnitudine apud infirmorum mentes in dubium fortassis devenire poterat, recapitulando inferens aliud quod minime retulerat, subjunxit. Ait enim capitulo octavo ita : « In secundo hujus operis libro jam præfatus sum quod vir venerabilis Benedictus, sicut a fidelibus ejus discipulis agnovi, longe a Capuana urbe positus, Germani ejusdem urbis episcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab angelis aspexit. Qui eamdem quoque ascendentem animam intuens, mentis laxato sinu, quasi sub uno solis radio, cunctum in suis oculis mundum collectum vidit. Eisdem quoque discipulis beati Benedicti narrantibus, didici quia duo nobiles viri atque exterioribus studiis eruditi, germani fratres, quorum unus Speciosus, alter vero Gregorius dicebatur, ejus se regulæ in sancta conversatione tradiderunt. Quos isdem venerabilis Pater in monasterio quod juxta Terracinensem urbem construxerat fecit habitare; qui multas quidem pecunias in hoc mundo possederunt, sed cuncta pauperibus pro animarum suarum redemptione largiti sunt, et in eodem monasterio permanserunt. Quorum unus, scilicet Speciosus, dum pro

utilitate monasterii juxta Capuanam urbem missus fuisset, die quadam frater ejus Gregorius, cum fratribus ad mensam sedens atque convescens, per spiritum sublevatus aspexit et vidit Speciosi germani sui animam, tam longe a se positi, de corpore exire. Quod mox fratribus indicavit, et cucurrit. Jamque, eumdem fratrem suum sepultum reperit, quem tamen ea hora qua viderat exiisse de corpore invenit. »

Veruntamen a quodam hujus loci sapientium, cui Gausbertus nomen, haud mediocriter studiis a pueritia liberaliter imbuto artium, hujus modi præfatiuncula Vitæ hujus eximii Patris, superaddita est:

Germine, doctrina, meritis ac nomine clari
Abbatis vitam continet iste liber.
Quem Deus, æterna faciens in sede potentem,
Hæredem proprii nominis esse dedit.
Nam fuit, est, et erit Benedictus jure vocatus:
Ut relegens ejus gesta, probare vales.
De quibus, ut nulli dubitare liceret homonum;
Eximium testem promeruere sui.
Romanus sed enim præsul super æthera notus,
Gregorius, mundo hæc compublicavit ovans.
Schemate quæ dialogico variavit honeste,
Lectori sermo gratior unde foret.
Tum sequitur munus nobis divinitus actum
Corporis ejusdem Patris, et ore ducis.
Cujus ab exortu decoratur Nursia mater;
Miratur puerum quem pie Roma nutrix;
Provectu cujus veneratur Sublacus antrum,
Pastoris fructus, sed Beneventus habet.
Florida Floriacus membra, de nomine, fundus
Aurelianensis, ast tegit ecce solo.
Gallia, plaude satis, tanto donata patrono,
Ejus et exemplis te super astra leva.
Gloria, Christe, tibi, tali qui stemmate servos
Nobilitas proprios, sicque paterne foves.

Sane post beatum Gregorium, Faustus vitæ sancti Mauri conscriptor, miraculum quoddam a benigno Patre nostro Benedicto patratum, sed ab eodem pontifice prætermissum, hoc modo refert: Quodam tempore S. Benedictus a quodam nobilissimo secundum sæculi dignitatem viro exoratus est ut ad domum ejus dignaretur per semetipsum accedere, quo uxorem ejus ac filium, quem nuper enixa fuerat, a dæmonio quo gravissime pariter vexabantur suis sanctis meritis et orationibus liberaret. At sanctus Domini, pro eo quod ei familiaris pro aliquibus operibus ab eo religiose gestis existeret, ire non distulit, eosque integerrime sanitati restituit.

Dehinc Marcus quidam poeta, ad eumdem venerabilem Benedictum veniens ejusque magisterio se committens, aliqua in ejus laude, Levita ipsius, versibus exaravit, quæ ita se habent.

Cap. I. — *De oratorio quod S. Pater Benedictus in summo monte condidit, ubi sacrificabat Jovi erronea paganitas.*

Cæca profanatas coleret dum turba figuras,
Et manibus factos crederet esse deos,
A Templa ruinosis his olim struxerat aris
Quæis dabat obsceno sacra cruenta Jovi.
Sed jussus veniens, et eremo sistitur alta,
Purgavit sanctus hunc Benedictus humum,
Sculptaque confractis dejecit marmora signis,
Et templum vivo præbuit esse Deo.
Huc properet cœlos optat qui cernere apertos,
Et hic memor et votum [servet votum], semita [dura pium.
Semper difficili quæruntur magna labore,
Arctam semper habet vita beata viam.
Hunc ego dum pressus, progressus fasce subissem,
Depositum sensi pondus abesse mihi.
Credo quod et felix vita fruar insuper illa,
Ores pro Marco si, Benedicte, tuo.
B Hunc plebs stulta locum quondam vocitaverat arcem,
Marmoreisque sacrum fecerat esse deis.
Quem tunc si vero signasset nomine quisquam,
Tartareum potuit jure vocare chaos.
Ad quem cæcatis errantes mentibus ibant,
Improba mortifero reddere vota Jovi.
Sed, puto, perversæ culmen signaverat aulæ.
Nomine nunc arcis, templa moderna vocant.
In quibus æternæ damnorum porta gehennæ,
Arxque modo vitæ est quæ fuit ante necis.
De qua stelligeri pulsatur janua cœli,
Dum canit angelicis turba beata modis.
De qua colloqueris vir, o Benedicte, Tonanti,
Monticola, et sacri dux eremita chori.

C Cap. II. — *De angelis qui ostenderunt ei viam qua pergere deberet.*

Ad quam tu ex alio monitus cum monte venires,
Per deserta tibi dux fuit ipse Deus.
Namque duos juvenes bivium perduxit ad omne,
Qui te firmarent quod sequereris iter.
Hic quoque viventi justorum dixerat uni,
His, tu, parce locis, alter amicus adest.

Caput III. — *De tribus corvis quos alere solitus erat, qui eum a Sublacu usque Beneventum, per quinquaginta fere milliaria, sunt secuti.*

Credeque ficta loqui, nisi ternis solus abiret.
Tres subito corvi promeruere sequi.
Hic quoque te clamant populos qui teste requirunt,
Exspectas noctis cum pia festa sacræ.
D Qui velut orbati, raucis, tibi flere loquelis
Instant convictu quod caruere tuo.
Te sibi sublato tenebris mons Cœlius horret,
Et pollet nebulis concolor ipse suis.

Caput V. — *De monachis qui, ex tribus monasteriis pro necessitate aquæ ad eum collecti, meruerunt ex petra aquam ubertim manantem adipisci.*

Mœrent, et largis distillant fluctibus antra,
Cumque suis plangunt arida lustra feris.
Ast tunc perdocto scopuli cessere rubique,
Siccaque mirandas terra retexit aquas.
Certum est mons Christi quod montibus imperet [ipsis
Subjectis pedibus, mons caput ipse tuis.

Ut summum, tu sancte Pater, vegetere (58) cacumen,
Submisso tumidam vertice planat humum,
Neve fatigentur qui te, Benedicte, requirunt,
Molliter obliquum ponit ubique latus.
Nunc mons ipse tamen juste tibi reddit honorem,
Qui meruit tantum, te decorante, bonum.
Arida tu cujus, hortis componis amœnis,
Nudaque fecundo palmite saxa tegis.
Mirantur montes, scopula [scopuli], freta nunc sua dona,
Pomiferisque viret silva decora comis.
Sic hominum celeres in fructum dirigis artus,
Sicca salutifero flumine corda rigans.
Sic, rogo, nunc spinas, in frugem verte malignas,
Quæ macerant Marci pectora bruta tui.

Et hæc quidem Marcus in Præconio spiritalis doctoris sui metrice lusit. Post eum Paulus sacri cœnobii Cassinensis monachus, in Historia Romana libro decimo sexto, taliter hujus sancti Patris nostri facit mentionem : « His ipsis temporibus, procul dubio quibus Belisarius patricius Vandalos in Africa bello domuit, apud Castrum Cassinum, post solitariam vitam, sancto degens cœnobio, stupendis beatissimus Pater Benedictus, nec minus futurorum præscius, radiabat virtutibus. Porro in Historia gentis suæ, hoc est Longobardorum, vitam ejusdem nostri post Dominum protectoris elegiaco metro describere disponens, hoc sumpsit exordium. « Justiniani Augusti temporibus, qui Romanum imperium felici sorte rexit, qui et bella prospere gessit, et in causis civilibus mirificus exstitit, beatissimus Benedictus prius in loco qui Sublacus dicitur, qui ab urbe Roma quadraginta millibus abest, et postea in Castro Cassino quod Harum appellatur, et magnæ vitæ meritis, et apostolicis virtutibus effulsit. Cujus vitam, sicut notum est, beatus papa Gregorius in suis Dialogis suavi sermone composuit. Ego quoque Paulus, ipsius sanctissimi Patris monachus, pro parvitate ingenii mei, ad honorem tanti Patris singula ejus miracula, per singula disticha, elegiaco metro hoc modo contexui :

Ordiar unde tuos, sacer o Benedicte, triumphos?
Virtutum cumulos ordiar unde tuos?
Euge, beate Pater, meritum qui nomine prodis!
Fulgida lux sæcli, euge, beate Pater!
Nursia, plaude satis, tanto sublimis alumno,
Astra ferens mundo, Nursia, plaude satis!
O puerile decus transcendens moribus annos,
Exsuperansque senes, o puerile decus!
Flos, paradise, tuus despexit florida mundi,
Sprevit opes Romæ flos, paradise, tuus.
Vas pedagoga (59) tulit confractum, pectore tristi
Læta reformatum vas pedagoga tulit.
Urbe vocamen habens (60), tyronem cautibus abdit
Fert pietatis opem, Urbe vocamen habens.
Laudibus antra sonant mortalibus abdita cunctis,

(58) Obscurum verbum.
(59) Excusanda antiquitas.

A Cognita, Christe, tibi, laudibus antra sonant.
Frigora, flabra, nives perfert tribus impiger annis,
Temnis amore Dei, frigora, flabra, nives.
Fraus veneranda placet, pietatis furta probantur,
Qua sacer altus erat, fraus veneranda placet.
Signat adesse dapes agapes, sed lividus obstat
Nilminus alma fides, signat adesse dapes.
Orgia rite colit, Christo qui accommodat aurem,
Abstemium pascens, orgia rite colit.
Pabula grata ferunt avidi ad spelæa subulci,
Pectoribus lætis, pabula grata ferunt ;
Ignis ab igne perit, lacerant dum viscera sentes,
Carneus æthereo, ignis ab igne perit.
Pestis iniqua latens, oculo est deprehensa sagaci,
Non tulit arma crucis, pestis iniqua latens.
B Lenia flagra vagam sistunt modestimine [moderamine] [mentem
Excludunt pestem, lenia flagra vagam.
Unda perennis aquæ, nativo e marmore manat,
Arida corda rigat unda perennis aquæ.
Gurgitis ima Chalybs capulo divulse petisti,
Deseris alta petens, gurgitis ima Calybs.
Jussa paterna gerens dilapsus currit in æquor,
Currit vectus aquis, jussa paterna gerens.
Præbuit unda viam, prompto ad præcepta magistri,
Cursoris ignaro, præbuit unda viam.
Tu quoque, parve puer, raperis nec occidis (mer- [geris) undis,
Testis ades verax, tu quoque, parve puer.
C Perfida corda gemunt stimulis agitata malignis
Tartareis flammis perfida corda gemunt.
Fert alimenta Corax digitis oblata malignis;
Dira procul jussus, fert alimenta Corax.
Pectora sacra dolent inimicum labe peremptum.
Discipuli excessum pectora sacra dolent.
Liris amœna petens ducibus comitaris opimis,
Cœlitus attraheris, lyris amœna petens.
Anguis inique furis loco [luco] spoliatus et aris;
Amissis populis, anguis inique furis.
Improbe sessor abi, sine dentur marmora muris;
Cogeris imperio, improbe sessor abi.
Cernitur ignis edax falsis insurgere flammis,
Nec tibi, gemma micans, cernitur ignis edax.
Dum struitur paries, lacerantur viscera fratris,
D Sospes adest frater, dum struitur paries.
Abdita facta patent, patulo produntur edaces,
Muneris accepti, abdita facta patent.
Sæve tyranne, tuæ frustrantur retia fraudis,
Frena capis vitæ, sæve tyranne, tuæ.
Mœnia celsa Neumæ nullo subruentur ab hoste,
Turbo ait, evertet, mœnia celsa Neumæ
Plecteris hoste gravi ne lites munus ad aram,
Munus fers dum aris, plecteris hoste gravi.
Omnia septa gregis, præscitum est, tradita genti,
Gens eadem reparat, omnia septa gregis.
Fraudis amice puer suaso captaris ab hydro,

(60) S. Romanus.

Hydro non caperis, fraudis amice puer.
Mens tumefacta, sile, tacita ne carpe videntem,
Cuncta patent vati, mens tumefacta, sile.
Pellitur atra fames delatis cœlitus escis,
Nilhominus mentis, pellitur atra fames.
Pectora cuncta stupent, quod eras sine corpore præ-
[sens,
Quod pervisa mones, pectora cuncta stupent.
Vocis ad imperium sacris non esse sinuntur,
Intersunt sacris, vocis ad imperium
Tellus hiulca sinu, corpus propellit humanum,
Jussa tenet corpus, tellus hiulca sinu.
Perfidus ille draco mulcet properare fugacem,
Sistit iter vetitum perfidus ille draco.
Exitiale malum capitis decussit honorem,
Id procul imperiis, exitiale malum.
Fulva metalla pius nec habet, promittit egenti :
Cœlitus excepit fulva metalla pius.
Tu miserande, cutem variant cui fella colubræ,
Incolumem recipit, te miserante, cutem.
Aspera saxa vitrum rapiunt, nec frangere possunt :
Illæsum servant aspera saxa vitrum.
Cur, o proconde, times stillam præbere Lechti?
Dolia, cerne, fluunt, cur, o proconde, times?
Unde medela tibi, spes est cui nulla salutis?
Qui semper metuis, unde medela tibi?
Ah! lacrymande senex, hostili concidis ictu,
Ictu sed resipis, ah! lacrymande senex.
Barbara lora manus ignaras criminis arcent,
Sponte sua fugiunt, barbara lora manus.
Ille superbus equo reboans clamore minaci,
Stratus humi recubat, ille superbus equo.
Colla paterna ferunt exstincti viscera nati,
Viventem natum colla paterna ferunt.
Omnia vincit amor, vicit soror imbre beata :
Somnus abest oculis, omnia vincit amor.
Simplicitate placens instar petit alta columbæ;
Regna poli petit, simplicitate placens.
O nimis apte Deo, mundus cui panditur omnis!
Abdita qui lustras, o nimis apte Deo!
Flammeus orbis habet justum super æthera nan-
[tem,
Quem pius jussit [ussit] amor, flammeus orbis habet.
Ter vocitatus adest testis novitatis habendus,
Charus amore patris ter vocitatus adest.
Dux bone, bella monens, exemplis pectora firmas :
Primus in arma ruis, dux bone, bella monens.
Congrua signa dedit, vitæ consortia linquens,
Ad vitam properans, congrua signa dedit.
Psalmicen assiduus, nunquam dabat otia plectro,
Sacra canens obiit, psalmicen assiduus.
Mens quibus una fuit, tumulo retinentur eodem,
Gloria par retinet, mens quibus una fuit.
Splendida visa via est, facibus stipata coruscis :
Qua sacer ascendit, splendida visa via est.
Rupea septa petens, nacta est errore salutem :
Errorem evasit, rupea septa petens.
Poemata [carmina] parva dedit, famulus pro munere
[supplex,

A Exsul, inops, tenuis, poemata [carmina] parva
[dedit.
Sint precor apta tibi, cœlestis tramitis index,
O Benedicte Pater, sint, precor, apta tibi.

Hymnum quoque singula ejusdem Patris mira-cula continentem, metro Iambico Archilochio, ita texuimus :

Fratres, alacri pectore
Venite, concentu pari :
Fruamur hujus inclytæ
Festivitatis gaudiis.
Hac Benedictus aurea
Ostensor arcti tramitis,
Ad regna conscendit Pater,
Captans laborum præmia.
B Effulsit ut sidus novum
Mundana pellens nubila ;
Resplenduit prodigiis,
Ventura sæclo præcinens.
Laturus esum pluribus
Sanis, reformat vasculum.
Arctumque dans ergastulum,
Exstinxit ignes ignibus.
Fregit veneni bajulam
Crucis per arma, cymbiam :
Coercuit mentem vagam
Leni flagello corporis.
Funduntur amnes rupibus
Redit Chalybs e gurgite
Hostem ruina conterit,
C Cedit fremens leo grave.
Immota fit moles levis
Rogus migrat phantasticus :
Fractum revisit sospitas,
Excessus absentum patet.
Rector vafer [deprehenderis] depræn-
[deris,
Inique possessor, fugis :
Futura prænoscimini,
Arcana cor non contingit.
Fundatur ædes eminus,
Tellus vomit cadavera
Dracone frenator fugax,
Æther pluit numismata.
D Vitrum resistit cautibus,
Manant olivo dolia;
Vinctum resolvit visio,
Vitam receptans funera.
Tanti potestas luminis
Voto sororis vincitur
Quo plus amat quis, plus valet
Enare quam cernit polo.
Non ante seclis cognitum.
Noctu jubar effulgurat [refulgurat];
Quo totus orbis cernitur,
Flamnisque subvehi pius.
Hæc instar..... nectaris
Miranda, plectro claruit :
Nam pinxit apte lineam

Vitæ sacræ sequacibus.
Jam dux alumni sat potens,
Adsis gregis suspiriis,
Gliscat bonis, hydrum cavens,
Sit callis ut sequax tui.

Porro desolationem ipsius sacratissimi Montis Cassini, quam beatus Pater Benedictus, multo ante spiritalibus præviderat oculis, nec non restaurationem ejus, brevissimo narrandi genere curavit manifestare. At vero translationi sacratissimi corporis ejusdem sancti Patris ac sororis ejus Scholasticæ, ad hunc venerabilem locum Floriacum, licet invitus, in ipsa Longobardorum Historia testimonium præbuit (Paulus Cassinensis). Quæ omnia quia in primo libro Miraculorum pene ipsius verbis exarata sunt, nos interim succincto genere narrandi prælibasse sufficiat. Illud sane non reticendum quia Deo amabilis abbas Odo in laude ejusdem Patris sermonem facunda edidit eloquentia, et in sermone quem de sancto conscripsit Martino hujus non siluit præconia. Smaragdus quoque, expositionem in ipsius regulam commentatus, hos præmisit versiculos :

Quisquis ad æternum mavult conscendere regnum,
Debet ad astrigerum mente subire polum,
Relligione pia, vitæ perquirere callem,
Scandere quo valeat aurea regna celer,
Est monachis sancti Benedicti regula Patris
Perfectis, plana, suavis, et ampla via,
Aspera, sed pueris, nec non tyronibus arcta
Quos aluit gremio lactea vita diu.
Hæc est sancta via, prælucida semita cœli ;
Carpere quam cupiunt castra beata Dei.
Admonet hæc monachos sublimis regula cunctos,
Ut rebus careant, regna superna petant,
Propria dimittant, habeant ut propria cuncta,
Prospera quæ sociis cœlica regna manent,
Patribus a nostris, in sacro carmine legis,
Regia rectogradis dicitur ista via.
Hæc est vita bonis, nec non et norma salutis,
Arcus et arma piis, frigida tela malis.
Hanc nullus nolens, cupiens implebit et omnis :
Estque gravis gravibus, suavis et apta bonis.
Florigeri monachis [cœli jubet ista docetque] ostendit hæc paradisi
Regula, lucifluum desiderare locum (concupisce locum).
Hæc bene materno natos castigat amore,
Arguit erudiens, et sine felle monens.
Hæc patienter eos tenero cum verbere nutrit,
Candida post obitum præmia multa dabit.
Pandit iter rectis, cœlestia pandit amicis,
Currere ne pigeat, sed patienter eant.
Examinat vitas, mores componit et ornat.
Librat et æquiparat et moderando minat (et minuit moderans).
Adnihilat, parvum justum conflascit [*sic*, conflat] ut aurum.
Limat et examinat, et poliendo librat.

A Omnibus est virga gracilis, moderatio justa,
Lima pia [pie] capiens, regna beata parans.
Arguit, obsecrat, increpat, atque libenter emendat.
Quos sibi germano fœdere consociat.
Novit ad æternum monachos perducere regnum
Et sociare choro dulciter angelico.
Quamvis hæc socios cœli deducat ad alta,
Est tamen angustus callis, et arcta via,
Arcta pios celsi deducit ad atria regni,
Ampla malos putei mergit in ima nigri.
Nemo viam timeat monachorum intrare per arctam,
Ducunt ad astrigerum castra beata polum.
[Astrigero inducunt castra beata polo]
Ille poli poterit leviter conscendere celsa
B Quem nocuo nulla pondere culpa gravat,
[Noxia quem nullo pondere culpa gravat.]
Aliger æthereus gravido cum corpore nullus
Verberat, æthereas sæpe volando vias.
Nullus enim monachus peccati pondere pressus
Stelligeri poterit regna subire poli.
Omnis enim monachus lacrymis commissa lavare
Debet, et ulterius nulla lavanda pati.
Temperet interea monachi discretio mentem,
Et via per medium regia ducat eum.
Ut caveat dextram solers, timeatque sinistram,
Hortantur sacræ munia legis eum.
Tristia non timeat..... sed prospera mundi,
Scandere tum poterit, regna beata poli.
Quisquis amat rutilos sanctorum carpere fructus,
C Actibus in cunctis consocietur eis.
Moribus ornatus, et casto corpore comptus,
Vivat, et a Domino semper amatus erit.
Sic [sit] tacitus, humilis, mitissimus, atque benignus
Sit patiens, sobrius, providus, atque pius,
Indolis et docilis, sapiens, ac mente pusillus
Conceptus, placidus, et bene cautus eat.
Excitet interea cordis compunctio sontem,
Qui sordes animæ [mentis qui sordes] illuviesque lavet.
Chrismate perfuso lacrymarum fusio fonti
Æquiparat, maculas tergit ut ille nigras.
Tergit et ablutos paradisi rite colonos,
D Efficit ut cives jam sine fine petat.
Qui jugiter laudes [lautas] possint persolvere grates,
Vivere cum Domino semper et esse suo.

Nihilominus Adhelmus Anglus, primum abbas, post episcopus factus, in libro De laude sanctorum a se edito, hujus S. Patris hoc modo meminit.

Imperium mundi florens cum Roma teneret,
Atque gubernaret regnorum septa per orbem,
Temporibus Faustus Benedictus claruit. Isdem
Quem Deus Ausoniæ clemens indulserat auctor,
Ut populum Domini, vadentem tramite recto,
Ferret ad æterni ductor vestigia regni.
Quem prius abstrusus sævis anfractibus error,
Trusit ad inferni torrentis tartara nigra,

Sæpe tyrannorum contrivit templa priorum,
Qui Dominum lucis tenebroso corde negabant,
Mox illic figens victricia signa salutis
Sic miles Christi, devicto [ex] hoste triumphat.
Basilicam Domino restaurans æde renata,
Quis modus aut numerus, vel certe calculus index
Explanare valet virtutes illius amplas?
Quæ modulum et numĕrum excedunt pro mole suo-
[rum,
Namque cadaveribus reddebat lumina functis,
Quæ gelidæ mortis per vim fortuna necarat (*melius* [negarat)
Auditu surdos et claudos gressibus ornat,
Ægrotos vegetat, membrorum viribus augens,
Dœmonis arma fugans, necnon et spicula frangens,
Hostibus explosis, restaurat saucia corda,
Iste capisterium rimarum fragmine ruptum
Innovat, ut nutrix lacrymarum flumina fudit,
Pestiferum calicem qui mortis pocula cinxit
Porrecta, rupit dextra per signa salutis.
Sic etiam Chalybem prolapsum gurgite Gothi,
Ad proprios iterum jussit remeare lacertos.
Primo qui statuit nostræ certamina vitæ;
Qualiter optatam tentant cœnobia normam.
Quoque modo properet directo tramite sanctus.
Ad superum scandens cœlorum culmina cultor,
Cujus præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius præsul chartis descripserat olim.
Donec ætheream [Ætheream donec] felix migraret in
[arcem.
Hujus alumnorum numero glomerantur ovantes,
Quos gerit in gremio fecunda Britannia cives.
A quo jam nobis baptismi gratia fluxit,
Atque magistrorum veneranda caterva cucurrit.

Parimodo in præconio sororis ejus, beatæ videlicet Scholasticæ, aliquantos eidem carmini taliter interserit versiculos.

Tempore Gothorum, fulsit virguncula quædam,
Quæ proprium ex (61) schola sumpsit Scholastica no-
[men.
Hanc Deus ubertim cœlesti munere ditat,
Aurea virgineo lucrantem præmia voto.
De qua hoc præcipuum vitæ ramusculus alma
Divulgare solet, latus qua tenditur orbis.
Quod fratrem sibimet germano fœdere junctum,
Subnixis precibus gestit compellere virgo,
Quatenus acciperent [acciperet] sacrorum dulcia noctu
Fercula librorum, et sancti convivia verbi.
E quibus affatim saturantur pectora plebis,
Atque saginantur sanctorum corda virorum.
Sed fidus precibus frater non flectitur ullis,
Quinimo sanctam contempsit voce sororem.
Tunc Virgo Christum pulsabat corde benignum,
Ut sibi dignetur vultus sanare doloris:
Mox igitur cœlum nimboso turbine totum,
Et convexa poli nigrescunt æthere furvo.
Murmura vasta tonant, flammis commista coruscis,
A Et tremuit tellus magno tremebunda fragore.
Humida rorifluis humectant vellera guttis,
Irrigat et terram tenebrosis imbribus aer.
Complentur valles, et larga fluenta redundant,
Tunc mansit nolens qui pridem sponte negavi
Quod germana petit, deplorans anxia curis.
Sic Deus auscultat devota mente rogantes,
Quamlibet a nullo solandi verba capessant,
Et hæc quidam Adhelmus.

Ad extremum proprii clientes ipsius amantissimi patroni nostri Benedicti, in præsentia pretiosissimi corporis ejus apud Floriacum speciali gratia educati, ad laudandum alumnum suum haud segnes apparuerunt: in describenda duntaxat translatione sanctarum ejus reliquiarum, nec non miraculis quæ
B per illum antiquis seu modernis temporibus Christus operari dignatus est. Nos quoque pro modulo nostræ possibilitatis, post præscripta quædam ejus miracula, in ipsius laude hoc aggressi opus, videamus quibus adhuc sanctis possit æquiparari Patribus. Æquetur sane viro forti Geleoni, qui hostes Israeliticæ plebis prælio aggressurus, prius aram Balaal de paterna exterminavit domo, nemusque illi sacratum exstirpavit. Sic et iste fortis miles Christi, nereis potestatibus bellum in Castro Cassino indicturus, oraculum Apollinis evertit, lucum succidit, ac fanum ejus, templum vivo præbuit esse Deo. Samson ille virorum fortissimus, mirabilium ejus invideat virtutibus. Ipse etenim pro avulsione oculorum, dejecto solario, tria millia secum delevit
C inimicorum; hic autem Deo amabilis Benedictus, armis patientiæ fultus, inimicum suum Florentium, et devitavit vivum: et solarii ruina contritum, flevit fuisse defunctum. Samson nervos et vincula, quibus ipse ab inimicis alligatus erat, rupit ac si stupea fila; mitis Pater Benedictus aliena, et, quod mirabilius est, solo intuitu solvit ligamina. Tobias junior archangelum Raphaelem, meruit itineris habere ducem; beato Patri Benedicto duo angeli in figura juvenum apparentes, ostendere ei viam qua ad castrum Cassinum pergere deberet. Daniel vir desideriorum, sagacitate astutæ mentis, furtiva sacerdotum Beli deprehendit convivia; strenuus Benedictus Spiritus sancti illustratus gratia, absentium fratrum sum-
D ptuosa cognovit ac detexit convivia. Ille draconem exstinxit, iste fugitivo fratri draconis speciem objecit, et antiqui hostis, qui in serpente figuratur, callidas persuasiones in ejus corde mortificavit. De antiquis Patribus quibus aut æqualis miraculis, aut excellentior fuerit, satis dictum. Nunc jam, Novi Patres Testamenti perscrutantes, inspiciamus quos aut potentia exæquet signorum, aut exuberet. Petrus primus in apostolorum ordine primus ponatur in hujus causæ ratione, cui hunc inclytum confessorem beatus papa Gregorius non dubitavit coæquare, tam in itinere aquæ quam in sanctimonialium excommunicatione. At vero Doctori gentium illum

(61) In hoc excusanda antiquitas

coœqual, cum, cognita divinitus Cassinensis cœnobii desolatione, animas habitatorum hujus loci eum obtinuisse narrat, ita inquiens : Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cujus dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium qui eum comitabantur accepit. Ipse sane egregius Prædicator scribit de se ter Dominum rogasse ut auferretur ab eo stimulus carnis, nec impetrasse ; Gregorius vero narrat de hoc ter beato, post edomitam vepribus ac urticis carnis tentationem, tale quid deinceps eum nunquam sensisse. Martinus ille toto orbe nominatissimus, hujus nostri Patris haudquaquam invidet virtutibus; quem secum gaudet regnare in cœlestibus regni sedibus. Ille enim ab Aniciano dæmonem, qui ejus insederat cervicibus, sola exsufflatione depulit. Iste duos monachos, unum ictu virgæ, alterum alapæ incussione ab antiqui hostis dominatione ruit. Brictium sibi derogantem, absens Martinus audivit. Monachum superba in cogitatu loquentem, providus Benedictus divinitus intellexit. Ampulla sanctificatum a Martino oleum continens, et in pavimentum marmore stratum decidens, nequaquam confracta est. Vas vitreum cum oleo propter inobedientiam a venerabili Benedicto, per fenestram cellarii super molem lapidum projici jussum, permansit illæsum.

Nec anachoretarum choro hic noster patronus dispar invenitur. In signorum trophæo, Macharius ille mirabilis, orationi instans, aspexit dœmonem in veste forata, varia vitiorum eremitis ferentem pocula. Quem interrogans! Ohe : major ait, quo vadis? Responsum abillo accepit quod ad fratres iret et varios affectionum gustus illis propinare vellet. Præcipuus monachorum Benedictus, dum ad orationem pergeret, eumdem antiquum hostem, in specie medici obvium habuit; quo tenderet inquisivit. Ille respondit se ad fratres ire, potionem illis dare velle. Macharius Theoctistum, dæmoniaca fraude vitiatum, suis exhortationibus ad melioris vitæ reduxit statum. Benedictus, ob diaboli despectum, unum tantummodo seni ab eo venato incussit colaphum, et continuo reddidit sanum. Antonius inter anachoretas eximius, animam Pauli eremitæ primi vidit ab angelis ad cœlum ferri : sinceritas Patris Benedicti non solum sororis Scholasticæ spiritum in columbæ specie vidit scandere cœlum : verum et Germani Capuani animam, in sphæra ignea celsa penetrare polorum. Illi ipsi antiquissimo, atque ideo primo eremitarum Eliæ, quamvis jam per obsequundantes sibi corvos sit æquatus, videamus tamen utrum et in ejus translatione sit non dispar a Deo judicatus. Elias enim curru igneo raptus est in cœlum. Amabilis Pater Benedictus, via palliis strata ac innumeris corusca lampadibus, alta conscendit polorum. Eliam dum tolleretur a se, flens inclamabat Elyseus : *Pater mi, pater mi currus Israel et auriga ejus.* (*IV Reg.* II). Discipulis venerabilis Benedicti, viam qua ad Dominum jucundus ibat magister, mirantibus; astans vir clarus, haud dubium quin angelus, hæc verba consolationis est effatus : Hac, inquit, via dilectus Domino, cœlum Benedictus ascendit. Hucusque quibus sanctis hic beatus Pater noster Benedictus par apparuerit in miraculis disputatum sit : nunc, ejus dilectores succinctim disputando considerent in quibus signis alios excellere credendus sit. Nam in eo quod adhuc puerulus eremum petiit intrepidus, quoque carnis incentiva sic edomuit in adolescentia, ut nulla deinceps libidinis certamina, aut rarissima aut nulla aliorum inveniuntur exempla. Quia vero eum quem terra post obitum non tenuit, per impositionem Dominici corporis sepulturæ conclusit, et ligamina rustica solo in intuitu solvit, fratribus quoque quibus se ad construendum monasterium venturum esse prædixerat, apparuit, universum mundum sub unius horæ momento conspexit, via palliis strata cœlos conscendit, ut pace omnium loquar sanctorum, nullum ei video conferendum. Licet enim in transitu Eliæ eum comparasse visi sumus, hoc tamen humanis sensibus excellentius fore creditur, quod hic amantissimus Domini Benedictus, non subjectus aut raptus esse, sed conscendisse perhibetur.

De cætero nos, qui, multa gravedine peccaminum pressi, laudes tam magnifici Patris aggredi ausi sumus, interim sileamus, quia mens sibi male conscia, pavet se tanta attentasse præconia. Unde hujus alumni nostri, luce ipsa qua fruimur vitaque charioris, sanctissimi Benedicti efflagitamus benevolentiam, ut apud omnipotentis Dei mesericordiam peccatorum nobis obtineat veniam, et per infinita sæcula sempiternam gloriam. Amen.

JOANNES DIACONUS

VENETUS.

DE JOANNE DIACONO

ET EJUS SCRIPTIS

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(Apud PERTZ, *Monum. Germ. hist.* VII, 1.)

Antiquissimum Venetorum quod exstat chronicon exeunte sæculo decimo inchoatum atque ad annum usque 1008 perductum, a nonnullis Joanni Sagornino, fabro ferrario, quod notitiam ab eo profectam ad calcem operis legimus, tribuitur; perperam tamen, cum notitia illa viginti quatuor post librum absolutum annis spatio vacuo inscripta, non Chronici auctorem, sed codicis fortasse possessorem indicet. Auctor vero, licet nomen suum latere voluerit, non alius fuisse videtur a Joanne diacono Veneto, Petri Urseoli ducis ministro, quem legationis ad Ottonem III munus non semel suscepisse, imperatoremque clam Venetias adduxisse (1) infra legimus. Cujus legationis historia ita comparata est, ut aut ipsum Joannem, aut virum ei amicissimum Chronicon conscripsisse necesse sit. Fuit igitur vir summæ apud suos existimationis, duci deditus ab eoque arcanis regiminis admotus, cujus rei ipsa narratio in Historia sui temporis maximi faciendo amplum testimonium præbet. Fontibus usus est narrationibus antiquis et legendis sanctorum A fabulosis, libris annalibus, quos inter Bedam De sex ætatibus mundi et Pauli diaconi Historiam Langobardorum fuisse compluta inde decerpta ostendunt, catalogis ducum Venetorum et patriarcharum Gradensium, chartis etiam publicis majori minorive fide dignis, quas quamplurimas apud Venetos asservatas fuisse ex maxima earum copia hodieque Vindobonæ et Venetiis exstante conjicere licet. Quibus subsidiis ita usus est, ut in antiquioribus et rectam temporis computationem et justum judicium nonnunquam desideres, in recentioribus plurimum laudes. Primam operi manum admovisse videtur circa annum 980 (2), deinde codice autographo teste decursu temporis narrationem produxit (3), et demum anno 1008 stylum deposuit. Scribendi genus B ut plurimum simplex et dilucidum, lingua tamen Latina dialectum Venetam (4) prodit et compluribus contra grammatices regulas peccatis formisque verborum Italam linguam quasi præmonstrat (5).

Liber non solum Venetiis inclaruit, sed cis Alpes quoque translatus esse videtur, siquidem sæculo

NOTÆ.

(1) Eum Joanni quoque, ducis filio, Constantinopolim pro Maria uxore arcessenda comitem ivisse, Lebret asserit, cujus tamen asserti rationem ignoro.

(2) Anno 979 Petrum ducem et Warinum abbatem « domnos » vocat, et catalogus ducum Venetorum, Chronico Veneto subjectus regnante tribuno Meni annum et menses quatuor, igitur a. 980, subsistit.

(3) Vide infra historiam anni 1004, quam ipso tempore, certe ante annum 1007, scriptam fuisse patet.

(4) Exempli gratia : *Serzi* pro *Sergii; circumsee pti, viscere, scita, posce, obscula* pro *circumsepti, visere, sita, posse, oscula. Consendentes, siphus, justa, estitit* pro *conscendentes, scyphus, juxta, extitit;* legitur etiam *dequoritas, quomoda, Venetiquorum, Teutoniquorum* pro *decoritas, commoda, Veneticorum, Teutonicorum;* tum *condam* l. *quondam.* Littera *h.* passim omittitur, e. g. *illaresco* pro *hilaresco.* Habetur et *mollitur, pallacium, cessar; Vergelensis. Belonensis* pro *molitur, palacium. cesar; Vercellensis, Bellunensis; Federicus; Arripdanus, Eripdanus* l. *Eridanus.*

(5) Cf. e. g. formas casuum vitiosas *a Ausonia* pro *ad Ausoniam; suo seeptrui, episcopati, præconi* loco *præconis, illo* pro *illum, filia* pro *filiam, filium,* pro *filius, adventum* pro *adventus, unus* pro *unum, ditatus* pro *ditatum, tanti* pro *tanto, duci* pro *ducis, capacitate* pro *capacitatem, subditos* pro *subditi, cunctos cleres* pro *cunctus clerus, perversos* pro *perversi, dies* pro die, *multitudine* pro multitudo, *Mediolensem rurem* pro *Mediolanense rus; patre* pro *pater; Gradensem castrum;* formas verborum *diferabatur* l. *differebat; largivit, expugnaturam* l. *expugnandam; vento imperatore, auderet* l. *auderent;* constructiones verborum ut : *Quem successit Petrus, ab aliquis, ab ipso infortunium, ut* sequente indicativo ubi conjunctivus requirebatur, accusativos absolutos pro ablativis. Mitto *turim* l. *turrim,* voces aliena significatione usitatas, e. g. *interim* l. *donec, reciprocare* l. *repetere, repetere* l. *redire* et alia ejusmodi. Adverbia sæpius in *æ* desinunt.

duodecimo Chronicon Gradense excerptum, eodem exeunte quædam chronici Veneti ab Annalista Saxone decerpta videmus (6); quo tamen tempore autographus codex damnum passus, ultima folia, alteram scilicet Chronici Gradensis partem, amisit. Sæculo decimo tertio transcriptus, decimo quarto liber tam Chronici Veneti quam Gradensis integer ab Andrea Dandulo, celeberrimo Venetiarum duce, Historiæ suæ adhibitus est, et auctoribus librorum De Vitis patriarcharum Aquilegiensium innotuit (7). Posteris quoque sæculis opus iterum transcriptum et doctis Venetis (8) notum, sed nonnisi anno 1765 Venetiis a Zanettio luci datum, hodie subsidio codicum optimorum iterum prodit. Quos inter primo loco nominandus eminet

1) C. bibl. Urbinatis in Vaticano numero 440 signatus, membranaceus, in 4 majori, quem a Boehmero nostro evolutum precibus meis V. cl. Giesebrecht Ph. D. diligentissime exscripsit. Constat quaternionibus quinque, quorum qui hodie primum locum obtinet, sed sæculo certe decimo tertio ultimo loco positus fuit, Chronicon Gradense, reliqui Venetum exhibent. Utrumque Chronicon eadem manu scriptum est; fol. 22 inde a vocibus *imperatorum Grecorum ratio coegit* scriptor littera paulo minori et magis æquali pergit; folii 27 pars prior vacat, posteriori historia anni 991 littera majori et atramento magis pallido pergit. Scriptura inde a folio 32 *Egressus vero inde levigrade* minus ampla, folio 35 verso lineis omissis iterum grandescit, et fol 37 medio *Interea Petrus dux dum sibi pro votis* primarum iterum paginarum scripturam refert. Folio 38, linea sexta, Chronicon explicit, subjecto pagina posteriori et 39 catalogo ducum Venetorum. Partes paginæ vacuas posteriores sæculi XI scribæ chartis duabus et catalogis regum Longobardorum et imperatorum Occidentis a Carolo Magno usque ad Berengarium I, Orientis inde a Julio Cæsare usque ad Probum expleverunt. Codicem autographum esse ipsa scripturæ varietas, rerum decursu temporis gestarum seriem comitata, atque sæculi X exeuntis et XI characterem præ se ferens comprobat; cujus rei et multa eadem manu eodemque tempore correcta fidem faciunt; pauca posteriore tempore addita, in numeris præcipue, facile distinguuntur. Ordinem paginarum hodie turbatum complura arguunt, tum quod longe potior libri pars, scilicet Chronicon Venetum, primum locum occupasse judicari potest, tum institutio codicum ex nostro descriptorum, in quibus Chronicon Gradense ultimum locum occupat· nec minimum argumentum est, quod, si ita autographum quoque antiquitus compactum fuisse statuas, jactura priorum et ultimarum paginarum, initii chronici Veneti et alterius partis Chronici Gradensis, facilius explicatur. Nec adversatur conditio codicis, cum hodiernus quaternionum ordo ciphris præcentibus recenti tempore institutus sit, et prima ultimi quaternionis pagina, quæ una numero antiquo X signatur, ita detrita sit, ut eam primam totius Chronici quondam fuisse facile conjicias.

Ex Urbinate transcriptus est

2) codex Vaticanus numero 5269 signatus, membranaceus, in-8° majori, et sæculo XIII, intra annos scilicet 1237 et 1261, exaratus. Habentur ibi fol. 1-40 Chronicon Venetum, fol. 41-48 Chronicon Gradense, fol. 49-96 Gesta pontificum Romanorum usque ad Gregorium II, quibus olim Lucas Holstenius usus est (9), fol. 97-99 catalogus imperatorum Occidentis et Orientis (9) usque ad Balduinum I productus. Liber amissam codicis Urbinatis partem priorem servavit, qua V. cl. Giesebrècht in textu corrigendo usus est.

3) C. olim Apostoli Zeni, postea bibliothecæ Prædicatorum (10), jam vero in bibliotheca Divi Marci Venetiis inter libros manuscriptos classis X, numero 141 signatus, referente Kopkio nostro membranaceus in folio, pulchra sæculi XIV exeuntis vel XV incuntis manu exaratus est. Originem ex Vaticano ductam lectiones indicant. Usui fuit Zanettio, qui in editione sua textum male inde descriptum expressit, variasque nonnullas Urbinatis et Vaticani codicum lectiones margini ascripsit, quas ex utriusque

4) apographo in usum Marci Foscareni Venetorum ducis, dum legatus Romæ morabatur, confecto se sumpsisse scribit. Quod quidem apographum veram codicum lectionem minime expressit, prout ipsis iterum iterumque evolutis Giesebrechtus perspexit, quare lectionem nostram a notis Zanettii marginalibus haud raro discrepare noveris. Apographum hoc nuper in catalogo bibliothecæ Foscarinæ laudatum (11), in bibliothecam Cæsaream Vindobonensem transiit (12).

4*) Editione nostra jam absoluta, beneficio Leopoldi Ranke, clarissimi historiæ in universitate regia Berolinensi professoris, uti licuit apographo apparatus critici a P. Pellegrino a. 1806 in usum editionis novæ congesti. Constat textu Zanettiano, adnotatis in margine lectionibus codicum 3, 2, 1; præfatione, qua Zanettii incuriam exponit, et novæ editionis subsidia, codicem scilicet Venetum fundamenti loco positum et Vaticani utriusque apogra-

NOTÆ.

(6) V. Mon. Germ. SS. t. VI, pag. 567 (*tom. CXLVII Patrolog.*).

(7) Muratori SS. XVI, pag. 8, et alterius auctore Antonio Bellono ibid. pag. 30.

(8) Exempli gratia Flaminio Cornelio, qui anno 1749 in Ecclesia Torcellana, pag. 5-11, 15 sqq., fragmenta chronici Gradensis edidit.

(9) Codex minor.

(10) Cornelii Eccl. Torcell. p. 5.

(11) Archivio storico Italiano V. p. 283.

(12) Alius de quo spem quamdam conceperamus codex sæculo XI adscriptus, Mediomontanus, quem nuper apud V. ill. Thomam Phillipps Equitem evolvimus, ex editione Zanettiana descriptus est, ideoque in calculum venire non potest.

phum curante Borgia sibi transmissum, recenset : adnotationibus criticis et historicis locos a Zanettio prætermissos complexis ; Chronico Gradensi ex codice Veneto usque ad Primogenii patriarchæ electionem producto, et indice clericorum atque laicorum qui in Chronico Veneto occurrunt.

5) C. bibliothecæ principis Barberini, n. 247 signatus, et sæculo XII exaratus, ita inscribitur : *Cronica de singulis patriarchis nove aquileie quæ gradensis ecclesia vocatur a tempore domini heliæ ejusdem ecclesiæ patriarchæ*. Exhibet in quatuor membranæ plagulis Chronici Gradensis excerpta hoc initio : *Temporibus tyberii constantini augusti helias patriarcha aquileiensis in gradensi castro ecclesiam sanctæ eufemiæ fabricari præcepit ;* et ultra quod in codicibus 1-4 exstat catalogum archiepiscoporum Gradensium usque ad Ursum II producit, qui a. 1012 cathedræ admotus, eam 37 annis occupavit. Eam igitur Chronici partem codicis hujus beneficio restituere licet. Nam cum chronicon Venetum usque ad A. a. 1008 procedat, nonnisi annos Vitalis, qui circa a 1012 obiit, et Ursi successionem a succedente quodam scriba addita conjicias. Cæterum codice nostro jam Ughellus in Gradensibus patriarchis, et apographum Philippi a Turre nactus Jo. Fr. Bernardus Maria de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis usi sunt (13) ; nostrum in usum V. cl. Roestell, publicus juris in universitate regia Berolinensi professor, dum ante viginti annos Romæ degebat, codicem iterum exscripsit, et varias

6) codicis Vaticani n. 3922 eadem excerpta exhibentis lectiones adnotavit.

Quibus subsidiis adjuti, editionem nostram ita instituimus, ut codice 1 fundamenti loco posito, lacunas ejus auxilio codicis 2 expleremus, et Chronici B Gradensis partem alteram, qualis in codice 5 exstat, aliquot locis ope Chronici Andreæ Danduli emendatam subjiceremus. Lectiones codicum minoris momenti et editionis Zanettianæ raro tantum indicandas censuimus.

NOTÆ.

(13) P. 241 sqq

JOANNIS DIACONI
CHRONICON VENETUM ET GRADENSE

(PERTZ, *Monum. Germ. hist.* Script. VII, 1.)

CHRONICON VENETUM.

Siquidem Venetiæ duæ sunt. Prima est illa quæ C in antiquitatum hystoriis continetur, quæ a Pannoniæ terminis usque ad Adda fluvium protelatur ; cujus et Aquilegia civitas extitit caput, in qua beatus Marcus evangelista divina gratia perlustratus, Christum Jesum dominum prædicavit. Secunda vero Venetia est illa quam apud insulas scimus, quæ Adriatici maris collecta sinu interfluentibus undis positione mirabili, multitudine populi feliciter habitatur [1]. Qui videlicet populus, quantum ex nomine datur intellegi et libris annalibus comprobatur, ex priori Venetia ducit originem. Quod autem in insulis maris inhabitat, hæc causa fuit. Winulorum [2] qui et Longobardorum gens de litoribus oceani partes septemtrionis egressa, cum per multorum bellorum certamina diversarumque terrarum [3] circuitus tandem venisset Pannoniam, ultra jam non audens procedere, sedem sibi in ea perpetuæ habitationis instituit (PAULI *hist. Long.* II, 7). Ubi cum habitasset quadraginta duobus annis, tempore quo Justinianus gloriosissimus augustus Romanum imperium apud Constantinopolim gubernabat, directus ab eo est Narsis patritius, vir eunuchus, ad urbem Romam, ut exercitus Totilæ regis Gothorum, qui Ytaliam devastabat, Deo auxiliante contereret (*ib.* c. 1). Qui cum venisset, primum cum Longobardis omnimodam pacem instituit, atque deinde procedens ad bellum, universam Gothorum gentem ipsorumque regem Totilam usque ad internitionem delevit, et universos Italiæ fines obtinuit.

(c. 3) Hic Narsis prius cartolarius fuit, deinde propter virtutem patriciatus honorem promernit. Erat autem vir justus, in religione catholicus, in pauperibus largus, in recuperandis basilicis satis studiosus, vigiliis et orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis quam armis bellicis victoriam obtineret (c. 5). Sed cum de spoliis gentium quas contriverat plurimum auri et argenti diversarumque rerum immensas divitias acquisisset, magnam a Romanis, pro quibus multa

VARIÆ LECTIONES.

[1] *ita ed.* habitant 2. [2] *ita corrigo ;* winillorum 2. [3] transitionum *ed.*

contra eorum hostes laboraverat, invidiam pertulit. Qui contra eum Justino augusto, qui Justiniano in regnum successerat, et ejus conjugi Sophiæ in hæc verba suggesserunt dicentes, quia : *Expedierat Romanis, Gothis potius servire quam Grecis, ubi Narsis eunuchus imperat, et nos servicio premit; et hæc noster piissimus imperator ignorat. Nunc ergo aut libera nos de manu ejus, aut certe et civitatem Romanam et nosmet ipsos gentibus trademus.* Cumque hoc Narsis audisset, hæc verba breviter retulit : *Si male feci cum Romanis male inveniam.* Tunc augustus in tantum adversum Narsetem commotus, ut statim in Ytaliam Longinum præfectum mitteret, qui Narsetis locum teneret. Narsis vero his cognitis valde pertimuit, et tantum maxime ab eadem Sophia augusta territus est, ut egredi jam ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, pro eo quod erat eunuchus, ita mandaverat, ut cum puellis in genicio lanarum faceret pensas dividere. Ad quæ verba Narsis dicitur hæc responsa dedisse, talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum viveret deponere non posset. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolim Campaniæ civitatem secedens, legatos mox ad Longobardorum gentem direxit, mandans ut pauperrimam terram relinqueret, et ad Ytaliam cunctis repletam divitiis possidendam veniret. Simulque multitudo pomarum genera, aliarumque rerum species quarum Ytalia ferax est misit, quatinus eorum ad veniendum animos posset illicere. Longobardi legata, nuncia, et quæ ipsi præoptabant gratanter suscipiunt, deque futuris commodis animos attollunt, et egressi cum Alboin rege suo, Ytaliam possessuri adveniunt (an. 568).

(P. D. II, 10) Eodem tempore Romanam ecclesiam vir sanctissimus Benedictus papa regebat. Aquilegensi quoque civitati ejusque populis beatus Paulus patriarcha præerat; qui, Longobardorum rabiem metuens, ex Aquilegia ad Gradus insulam confugit, secumque beatissimi martiris Hermachoræ et ceterorum sanctorum corpora quæ ibi humata fuerant deportavit, et apud eundem Gradensem castrum honore dignissimo condidit, ipsamque urbem Aquilegiam-Novam vocavit. In quo etiam loco post paucum tempus Helyas egregius patriarcha, qui tertius post Paulum regendam suscepit ecclesiam, ex consensu beatissimi papæ Pelagii, facta synodo 20 episcoporum, eandem Gradensem urbem totius Venetiæ metropolim esse instituit. Ad cujus roborem [a] Heraclius post hæc augustus beatissimi Marci sedem, quam dudum Helena Constantini mater de Alexandria tulerat, sanctorum fultus amore direxit. Ubi et actenus veneratur pariter cum cathedra, in qua beatus martir sederat Hermachoras.

(Cf. Pauli *Hist. Lang.* II, 14.) At vero dum essent revoluti anni ab incarnatione Domini quingenti quadraginta (14), Longobardi Venetiam, quæ prima provincia est Ytaliæ, penetrarent [b], Vincentiam Veronamque, et reliquas civitates, excepto Patavi et Monte Silicis, Opitergio atque Mantua Altinoque, expugnantas cepissent; populi vero ejusdem provintiæ, penitus recusantes Longobardorum ditioni subesse, proximas insulas petierunt. Sicque Venetiæ nomen, de qua exierant, eisdem insulis indiderunt. Qui et actenus illic degentes, Venetici nuncupantur. Heneti vero, licet apud Latinos una littera addatur, græce [c] laudabiles dicuntur. Verum postquam in his insulis futuræ habitationis sedem optinere decreverunt, quædam munitissima castra civitatesque ædificantes, novam sibi Venetiam et egregiam provintiam recreaverunt. Nunc vero singularum nomina insularum necesse est convenienter exprimere.

Prima illarum Gradus (15) dicitur; quæ dum constat altis mœnibus, ecclesiarumque copiis decorata, sanctorumque corporibus fulta, quemadmodum antiquæ Veneciæ Aquilegia, ita et ista totius novæ Venetiæ caput et metropolis fore dinoscitur.

Secunda namque (16) Bibiones nominatur.

Tertia vero Caprulas (17) vocitatur, ad quam Concordiensis episcopus cum suis, Longobardorum timoratione territus, adveniens, auctoritate Deusdedi papæ (18) episcopatus sui sedem inibi imposterum manendam confirmavit et habitare disposuit.

Quarta quidem insula (19) exstat [f], in qua dudum (20) ab Eraclio imperatore fuerat civitas magnopere constructa; sed vetustate consumpta, Venetici iterum illam parvam composuerunt. Postquam autem Opiterine (21) civitas a Rothari rege capta est, episcopus illius civitatis auctoritate Severiani papæ hanc Eraclianam petere ibique suam sedem confirmare voluit.

Quinta insula Equilus (22) nuncupatur; in qua

VARIÆ LECTIONES.

[a] roborationem *ed.* [b] penetrarunt *ed.* [c] greci 2, [f] estat 2.

NOTÆ.

(14) Imo 568

(15) Grado.

(16) Scilicet quæ postmodum Bebbe appellata est, ubi longissimo annorum spatio turris prælta perduraverit, cujus vestigia et rudera usque in hunc diem ætatem tulerunt, unde Torre delle Bebe loco nomen inditum. In veteri documento apud me anni 1478 hæc habentur : *Item a communi turris Bebbiarum annuatim ad festum natalis gallin.* XIV, *et ad fest. paschæ alias* XIV. Documentum incipit : *Exemplum. Regaliæ autem D. Ducis in veteri promissione inventæ hæc sunt.* Zanetti. Turrim Bebe ad meridiem Capitis Argilis sitam hic minime innui, ordo narrationis a septentrione meridiem versus procedentis probat; unde insulam inter Gradum et Caprulas olim exstitisse patet.

(17) Caorle.

(18) Sedit c. a. 615.

(19) Heracliana amplius non exstat.

(20) Quo anno Heraclius imp. defunctus est, Rotharis rex Opitergium cepit; igitur ista Heraclianæ civitatis historia consistere nequit.

(21) Oderzo.

(22) Jesulo.

dum populi illic manentes episcopali sede carerent, auctoritate divina novus episcopatus ibi ordinatus est.

Sexta insula Torcellus (23) subsistit; quæ, licet urbium mœnibus minime [9] clarescat, tamen aliarum insularum munitione circumscepta, in medio tutissima pollet.

Septima insula Morianas (24) vocitatur.

Octava quidem insula Rivoaltus (25) subsistit. Ad quam ad extremum licet populi ad habitandum confluerent, tamen ditissima et sublimata [9] omnibus manet; quæ non solum ecclesiarum seu domorum decoritate ostentatur, verum etiam ducatus dignitatem atque episcopali sedem habere et possidere videtur.

Nona insula Metamaucus (26) dicitur, quæ non indiget aliqua urbium munitione, sed pulchro litore pœne ex omni parte cingitur; ubi auctoritate apostolica episcopalem sedem populi habere consecuti sunt.

Decima vero insula Pupilia (27) manet.

Undecima Minor Clugies (28) dicitur; in qua monasterium sancti Michaelis [10] situm est.

Duodecima insula Clugies (29) Major nuncupatur.

Est etiam in extremitate Venetiæ castrum quod Caput Argilis (30) dicitur. Sunt etenim apud eandem provintiam quam plurimæ insulæ habitabiles.

(P. D. III, 11.) Per hec tempora apud Constantinopolym, ut supra premissum est, Justinus minor regnavit. Vir in omni avaritia deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut archas juberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret; quem etiam ferunt in heresim Pelagianam dilapsum. Hic, cum a divinis mandatis aurem cordis averteret, justo Dei judicio ammisso rationis intellectu amens effectus est. Hic Tyberium [11] cesarem adscivit, qui ejus palacium vel singulas provincias gubernaret hominem justum, utilem, strenuum, sapientem, elemosinarium, in judiciis æquum, in victoriis clarum, et, quod his omnibus supereminet, verissimum christianum. Hic cum multas de thesauris quos Justinus aggregaverat pauperibus erogaret, Suffia augusta frequentius eum increpabat, quod rem publicam redigisset in paupertatem, dicens : *Quod ego multis annis congregavi, tu intra paucum tempus prodige dispergis.* Agebat [12] autem ille : *Confido in Domino quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum ut pauperes elemosinam accipiant aut captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino : Thesaurizate vobis thesauros in cœlis, ubi neque erugo neque tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ergo de his quæ Dominus tribuit congregemus thesauros in cœlo, et Dominus nobis augere dignabitur in sæculo.* Igitur Justinus cum 11 annis regnasset, amentiam, quam incurrerat, tandem cum vita finivit. Bella sane quæ per Narsetem patricium Gothis vel Franchis illata per anticipationem diximus, hujus temporis gesta sunt. Denique et cum Roma temporibus Benedicti papæ, vastantibus omnia per circuitum Longobardis, famis penuria laboraret, multa milia trumenti navibus ab Egipto dirigens, eam suæ studio misericordiæ revelavit [13].

(c. 12.) Mortuo igitur Justino, Thiberius Constantinus, Romanorum regum quinquagesimus, sumpsit imperium. Hic cum ut superius diximus, sub Justino adhuc cæsare palacium regeret, et multas quotidie elemosinas faceret, magnam ei Dominus auri copiam subministravit. Nam deambulans per palacium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream in qua erat crux dominica sculpta, et ait : *Cruce Domini frontem nostram et pectora munire debemus, et ecce eam sub pedibus conculcamus!* Et dicto citius jussit eam tabulam auferri. Deflossamque tabulam et erectam inveniunt subter et aliam hoc signum habentem. Qui et ipsam jussit auferri. Qua amota reperiunt et tertiam, jussuque ejus cum fuisset ablata, inveniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centinaria, sublatumque aurum pauperibus adhuc habundantius quam consueverat largitur (c. 25.). Defuncto vero Paulo patriarcha, qui ecclesiam Gradensem rexerat annos 12, huic successit Probinus. (c. 12.) Narsis quoque patricius Ytaliæ cum in quadam civitate intra Ytaliam domum magnam haberet, cum multis thesauris ad supra memoratam urbem advenerat, ibique in domo sua occulte cysternam magnam fodit, in qua multa milia centenariorum auri argentique reposuit. Interfectisque omnibus consciis, uni tantumodo seni hec, juramentum ab eo exigens, commendavit. Defuncto vero Narsete supradictus senex ad Tiberium cesarem veniens dixit : *Si mihi, inquit, aliquid prodest, magnam rem tibi cesari dicam.* Cui ille dixit : *Quid vis? Proderit enim tibi, si quod nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsis reconditum habeo, quod in extremo vitæ potius celare non possum.* Tunc cesar Tyberius gavisus, mittit usque ad locum pueros suos; præcedente vero sene, hi secuntur attoniti. Pervenientesque ad cisternam,

VARIÆ LECTIONES.

[9] munita *ed.* [9] præ *inserit ed.* [10] scitum 2. [11] tyberim 3. [12] *i. e.* aiebat. [13] *i. e.* relevavit.

NOTÆ.

(23) Torcello.
(24) Murano.
(25) Rialto.
(26) Malamocco.
(27) Poveglia.
(28) Chiozza.
(29) De duplici Clugia vide quæ adnotavimus in observationibus ad Papyr. Ravenn. editis Venetiis a. 1752. pag. 29. ZANETTI.
(30) Capo d'Argine.

deopertam ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum est, ut per multos dies vix a deportantibus potuisset evacuari. Quæ ille pene omnia secundum suum morem erogatione largiflua dispensavit egenis. Hic cum augustalem coronam accepturus esset, cumque juxta consuetudinem ad spectaculum circi populus expectaret : insidias ei preparans Sophia augusta ut Justinianum Justini nepotem ad dignitatem imperatoriam sublimaret, ille per loca sancta prius procedens, dehinc vocato ad se pontifice urbis cum consulibus ac præfectis, palacium ingressus, indutus purpura, diademate coronatus, et trono imperiali impositus, cum immensis laudibus in regni est gloria confirmatus. Quod ejus adversarii audientes, nihilque ei qui in Deo spem suam posuerat officere valentes, magno sunt confusionis pudore cohoperti. Transactis autem paucis diebus adveniens Justinianus, pedibus se projecit imperatoris, ob meritum gratiæ quindecim ei auri centenaria defferens, quem ille secundum patientiæ suæ ritum coligens, sic in palacio assistere jussit. Sophia vero augusta, immemor promissionis quam quondam in Tyberium habuerat, insidias ei temptavit ingerere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperiale triginta diebus ad vindemiam jocundaretur, vocato clam Justiniano voluit eum sublimare in regno. Quo comperto, Tyberius cursu veloci Constantinopolim regreditur, apprehensamque augustam omnibus thesauris spoliavit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens, segregatisque pueris ejus ab ea, alios de fidelibus suis posuit qui ei parerent, mandans prorsus ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum; Justinianum vero verbis solummodo objurgatum, tantum in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, rursumque filio suo filiam ejus expeteret. Sed hæc res nescio quam ob causam ad effectum minime pervenit. Hujus exercitus ab eo directus Persas potentissime debeilavit. Victorque regrediens tantam molem prædæ cum 20 pariter elephantis detulit, ut humanæ crederetur posse sufficere cupiditati.

(P. D. III, 14). Mortuo (31) vero apud Aquilegiam patriarcha Probino, qui ecclesiam uno rexerat anno, eidem ecclesiæ sacerdos Heylas præficitur (*infra col.* 950), qui hæc quæ suprascripta sunt ordinavit, domumque sibi a fundamentis ædificavit. Etiam dicta corpora sanctorum miro modo collocavit, asserens in synodo supra statutum : *Karissimi fratres, intervenientibus malis nostris, cottidie hostile perpetimur flagellum. Jam pridem ab Atila Unorum rege Aquilegia, civitas nostra, funditus destructa est, et postea Gothorum incessu et ceterorum barbarorum cassata, vix aspirans; sed et nunc Longobardorum infandæ gentis flagella sustinere non potest. Quapropter dignum ducit mansuetudo nostra, si vestræ placet sanctitati, in hunc castrum Gradensem nostram confirmare metropolym.*

Quo dicto omnibus placuit episcopis, et facto libello statutæ suæ, id est de memorato Calcedonense synodo et de ac ipsa sede subter manibus suis conscripserunt : id est primus Helyas patriarcha; deinde Marcianus episcopus sanctæ ecclesiæ Opetergiæ, Leonianus episcopus Tyborniensis, Petrus episcopus Altinatis, Vindemius episcopus Cessensis (32), Bergullus episcopus Patavinæ ecclesiæ, Johannes episcopus Celeianæ (33), Clarissimus episcopus Concordiensis, Patricius episcopus Emonensis (34), Adrianus episcopus Polensis, Maxentius episcopus Juliensis (35), Severus episcopus Tergestinæ ecclesiæ, Solatius episcopus Veronensis, Johannes episcopus Parentinæ ecclesiæ, Aaaron episcopus Avonciensis (36), Ingenuus episcopus secundæ Retiæ, Agnellus episcopus Tridentinæ, Vigilius episcopus Scaravaciensis (37), Fontegius episcopus Feltrensis, Martianus episcopus Petenatis, Laurentius presbyter, et Marinus presbyter, atque Emeritus presbyter provinciales, et ceteri presbyteri tam metropolitani quamque et plebani. Omnes isti suprascripti consentierunt, et omnia in eodem loco confirmaverunt.

(P. D. III, 15.) Tyberius igitur Constantinus postquam imperium septem rexerat annis, sentiens sibi diem mortis imminere, una cum consilio Sophie auguste Mauricium genere Capadocem, virum strenuum, ad imperium elegit, ornatamque suam filiam regalibus ornamentis, ei eam tradidit dicens : *Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum. Utere eo felix, memor semper ut equitate et justicia delecteris.* Hoc posquam dixit, de hac luce ad æternam patriam migravit, magnum luctum populis de sua morte relinquens. Fuit enim summæ bonitatis, in elemosinis promptus, in judiciis justus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens. Ipse quoque est dilectus a cunctis. Quo defuncto, Mauricius indutus purpura redimitusque diademate, ad circum processit, adclamatisque sibi laudibus largitisque populo muneribus, primus ex Grecorum genere in imperium confirmatus est.

(c. 17.) Hoc tempore Mauricius imperator Childeperto regi Francorum quinquaginta milia solidos per legatos suos direxit, ut cum exercitu super Langobardos irrueret, eosque de Ytalia exterminaret. Legati oblatis muneribus pacem cum Childeperto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeasset, cognito imperator Mauricius quia cum Langobardis fœdus inierat,

NOTÆ.

(31) Hæc cum Chronico Gradensi ad verbum fere conveniunt usque *loco confirmaverunt.*
(32) In Istria.
(33) Cilly in Carantanis.
(34) Laybach.
(35) Castri Julii in Carniola.
(36) Fortasse Avronzo prope Cadore.
(37) Scarabantiæ ad Istrum.

solidos quos eidem ob Langobardorum detrimentum dederat repetere cepit ; sed ille, suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

(c. 20.) Denique post Benedictum papam Pelagius Romanæ ecclesiæ pontifex absque jussione principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam a Roma progredi. Hic Pelagius Helye Aquilegensi episcopo, nolenti tria capitula Calcedonensis synodi suscipere, epistolam satis utilem misit, quam beatus Gregorius cum esset adhuc diaconus conscripsit.

(c. 23.) Circa hoc fuit, ut diluvii effusione in tantum apud urbem Romam fluvius Tyberis excrevit, ut aquæ ejus super muros urbis influerent et maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alveum ejusdem fluminis cum multa serpentium multitudine draco etiam aquæ magnitudine per urbem transiens usque ad mare transcendit. Subsecuta est statim post hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam appellant. Quæ tanta strage populi devastavit urbem, ut de inextimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium papam, virum venerabilem, perculit et sine mora extinxit. Deinde pastore interempto sese per populos extendit.

(c. 24.) In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius, qui tunc levita erat, a cunctis generaliter papa electus est. Qui dum septiformem letaniam fieri indixisset, intra unius horæ spacium, dum hi Deum deprecarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes spiritum exalarunt. Septiformis autem letania ideo dicta est, quia omnis Urbis populus a beato Gregorio in septem partibus deprecaturus Dominum est divisus. In primo enim choro fuit omnis clerus, in secundo omnes abbates cum monachis suis, in tertio omnes abbatisse cum congregationibus suis, in quarto omnes infantes, in quinto omnes laici, in sexto universe viduæ, in septimo omnes mulieres conjugatæ. Ideo autem de beato Gregorio plura dicere ommittimus, quia jam ante aliquot annos ejus vitam Deo auxiliante texuimus (38). In qua quæ dicenda fuerant, juxta tenuitatis nostre vires universa descripsimus.

(c. 25.) Hoc tempore idem beatus Gregorius Augustinum et Mellitum et Joannem cum aliis pluribus monachis timentibus Deum in Britaniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos convertit.

(c. 26.) His diebus cum essent anni ab incarnatione Domini 588, defuncto Helya patriarcha Aquilegensi, postquam 15 annos sacerdotium gesserat, sepultus est apud Gradensem metropolim in ecclesia sanctæ Eufemiæ (39.) Quem Smaragdus patricius, veniens de Ravenna in Gradum, per semet ipsum ex basilica extrahens, Ravennam duxit cum aliis tribus ex Hystria episcopis, id est Joanne Parentino et Severo atque Vendemio, nec non etiam Antonio jam sene ecclesiæ defensore. Quibus comminans exilia atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati episcopo trium capitulorum damnatori, qui tempore papæ Vigilii vel Pelagii a Romanæ ecclesiæ describerat [15] societate. Exemplo vero anno, e Ravenna ad Gradum reversi sunt, quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri episcopi eos receperunt. Smaragdus patricius a demonio non injuste correptus, successorem Romanum patricium accipiens, Constantinopolym remeavit. Post hæc facta est synodus decem episcoporum in Mariano. Ubi receperunt Severum patriarcham Aquilegensem dantem libellum erroris sui, quia trium capitulorum damnatoribus communicaverat Ravennæ. Nomina vero episcoporum qui se ab hoc schismate cohibuerunt, hec sunt : Petrus de Altino, clarissimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronensis, Horontius Vicentinus, Rusticus de Tarvisio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilo, Laurentius Bellunensis. Cum patriarcha autem communicaverunt isti episcopi : Severus Parentinus, Joannes patricius, Vendemius et Joannes.

(Paul. D. IV, 4.) Hoc anno fuit pestis inguinaria iterum apud Ravennam, Gradus et Hystriam nimium gravis, sicut et prius ante triginta annos extiterat.

(c. 26.) Igitur Mauricius augustus, postquam uno et viginti annis rexit imperium cum filiis Theodosio et Tyberio et Constantino, a Focate, qui fuit strator Priscii patricii, occiditur. Fuit autem utilis rei publice, nam sepe contra hostes dimicans victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui et Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt.

(c. 33.) His diebus defuncto Severo patriarcha, ordinatur in loco ejus Joannes abbas patriarcha in Aquilegia vetere cum consensu regis et Gisulphi ducis. In Gradus quoque ordinatus est a Romanis Marcianus antistes (40).

(c. 36.) Focax igitur, ut premissum est, extinto Mauricio ejusque filiis, Romanorum regnum invadens, per octo annorum curricula principatus est. Hujus secundo anno indictione octava Gregorius papa migravit ad Dominum. Hic rogante papa Bonifacio statuit sedem Romanæ et apostolicæ ecclesiæ caput esse omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat. Idem alio papa Bonifacio petente, jussit in veteri fano, quod Pantheum vocabatur, ablatis ydolatræ sordibus ecclesiam beatæ semperque virginis Mariæ et omnium martirum fieri, ut ubi quon-

VARIÆ LECTIONES.

[15] *I. e.* desciverat.

NOTÆ.

(38) Paulus scilicet, non Joannes.

(39) Severi patriarchæ nomen excidit.

(40) *Candidianus antistes* Paulus.

dam non deorum sed demoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Hujus tempore prassini et veneti per Orientem et Egyptum civile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Persæ quoque adversus rem publicam gravissima bella gerentes, multas Romanorum provincias et ipsam Jerosolimam auferunt; et destruentes ecclesias, sancta quoque prophanantes, inter ornamenta locorum sanctorum vel communium etiam vexillum dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Focatem Eraclianus, qui Africam regebat, rebellavit; atque cum exercitu veniens, eum regno vitaque privavit, remque publicam Romanam Eraclius, ejus filius, regendam suscepit.

Defuncto autem Marciano, qui ecclesiam Gradensem rexerat annos tres, dies quinque, successit Candidianus.

(c. 49.) His diebus defuncto Heraclio, qui viginti et quinque annos gubernarat imperium, Eraclonas [15], ejus filius, cum matre Martina regni jura suscepit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente, successit in loco ejus Constantinus, germanus ejusdem, alius filius Heraclii, imperavitque mensibus sex.

(c. 33.) Rursum mense Novembris et Decembris stella cometis apparuit. Candidiano [16] patriarcha quoque defuncto apud Gradus, qui ecclesiam Gradensem rexerat annos quinque, ordinatur patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius notariorum, ab episcopis qui erant sub Romanis; et ex illo tempore cœperunt esse duo patriarche.

(c. 49.) Mortuo vero jam dicto Constantino filio Heraclii, Constantinus ejusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuitque regnum annis octo et viginti.

(c. 50.) Circa hæc tempora regis Persarum conjunx, nomine Cesara, de Perside exiens, cum paucis suis fidelibus privato habitu propter christiane fidei amorem Constantinopolym venit. Quæ ab imperatore honorifice suscepta, post aliquos dies, ut desiderabat, baptismum consecuta et ab augusta de sacro fonte levata est. Quod vir ejus Persarum rex audiens, legatos Constantinopolym ad augustum [17] direxit, quatenus eidem uxorem suam redderet. Qui ad imperatorem venientes, verba regis Persarum nunciant, qui suam requirebat reginam. Imperator hæc audiens, remque omnino ignorans, eis responsum reddidit dicens: *De regina quam quæritis fatemur nos nihil scire; præter quod ad nos hic aliqua mulier privato habitu advenit.* Legati vero responderunt dicentes: *Si placet, nostro conspectui velimus hanc quam dicitis mulierem videre.* Quæ cum jussu imperatoris advenisset, mox eam legati conspiciunt, ad ejus vestigia provolvuntur, eique venerabiliter quia eam suus vir requireret suggesserunt. Quibus illa respondit: *Ite, renunciate regi vestro et domino, quia nisi, sicut ego jam credidi, ita et ipse in Christum crediderit, me jam ultra consortem thori habere non poterit.* Quid multa? Reversi legati ad patriam, universa quæ audierant suo regi renunciant; qui nihil moratus cum sexaginta milibus viris Constantinopolym pacifice ad imperatorem venit. A quo gratanter et satis digne susceptus est. Qui cum universis Christum dominum credens, pariter cum omnibus suis sacri baptismatis unda perfusus est, et ab augusto de fonte levatus, catholica fide confirmatus est. Multisque muneribus ab augusto honoratus, accepta sua conjuge, letus et gaudens ad suam patriam repedavit.

Anno ab incarnatione Domini sexcentesimo secundo [18] Epiphanius patriarcha mortuus est, qui ecclesiam Gradensem rexit annos 5 et menses 3. Huic successit Cyprianus patriarcha.

(P. D. v. 6.) His diebus Constantinus augustus, qui et Constans est appellatus, Ytaliam a Longobardorum manibus eripere cupiens, Constantinopolym egressus, per littora iter habens Athenas venit, indeque mare transgressus, Tarentum applicuit; qui tamen prius ad solitarium quemdam, qui prophecie spiritum habere dicebatur, adiit, studiose ab eo scissitans utrum gentem Longobardorum, quæ in Ytalia habitabat, superare et obtinere posset. Circa hec namque tempora Cyprianus patriarcha hominem exuit, qui Gradensem ecclesiam rexerat annos viginti quinque, menses tres, dies viginti. Huic successit Primogenitus, Romanæ sedis subdiaconus regionarius. Igitur cum servus Dei Constantino augusto spacium unius noctis expetisset, ut pro hoc ipso Dominum supplicaret, facto mane ita eidem augusto respondit: *Gens Langobardorum superari modo ab aliquo non potest; quia regina quædam ex alia provincia veniens basilicam beati Joannis baptistæ in Langobardorum finibus construxit. Et propter hoc ipse beatus Joannes pro Langobardorum gente continuo intercedit. Veniet autem tempus quando ipsius oraculum habebitur despectui, et tunc gens ipsa peribit.* Quod nos (41) ita factum esse probavimus, qui ante Langobardorum perditionem eandem beati Johannis basilicam, que utique in loco qui Modicia dicitur est constituta, per viles personas ordinari conspeximus, ita ut indignis et adulteris non pro vitæ merito, sed datione præmiorum, isdem locus largiretur.

(Paul. D. v, 7.) Igitur, ut diximus, Constantinus augustus cum Tarentum venisset, egressus exinde Beneventiorum fines invasit, omnesque pene per quas gens venerat Langobardorum civitates cepit. Luceriam quoque, opulentam Apulie civitatem,

VARIÆ LECTIONES.

[15] raclones 3. [16] Candidianus 3. [17] augustam 3. [18] DCXII. Pellegrin

NOTÆ.

(41) Paulus scilicet.

expugnatam fortius invadens diruit et ad solum usque prostravit. Arentiam sane, propter munitissimam loci positionem, capere minime potuit. Deinde cum omni suo exercitu Beneventum circundedit, et eam vehementer expugnare cepit. Ubi tunc Romald Grimualdi filius adhuc juvenculus ducatum tenebat. Qui statim ut imperatoris adventum cognovit, nutricium suum nomine Sensualdum ad patrem Grimaldum transportandum direxit, obsecrans ut quantocius veniret, filiique suo ac Beneventanis, quos ipse nutriverat, potenter succurreret. Quod Grimoald rex audiens, statim cum exercitu, filio laturus auxilium, Beneventum pergere cepit. Quem plures ex Langobardis itinere relinquentes, ad propria remearunt, dicentes quia expoliasset palatium, et jam non reversurus repeteret Beneventum. Interim imperatoris exercitus Beneventum diversis machinis vehementer expugnabat. Econtra Romald cum Langobardis fortiter resistebat. Qui quamvis cum tanta multitudine congredi manu ad manum propter paucitatem exercitus non auderet, frequenter tamen cum expeditis juvenibus hostium castra irrumpens, magnas eisdem inferebat undique clades. Cumque Grimoald ejus pater jamque properaret, eumdem nutricium ejus, de quo premisimus, ad filium misit, qui ei suum adventum nunciaret. Qui cum prope Beneventum venisset, a Grecis captus, imperatori delatus est; qui ab eo unde advenisset requirens, ille se a Grimoaldo rege venire dixit, eumdemque regem citius adventare nunciavit. Statimque imperator exterritus, consilium cum suis iniit, quatinus cum Romaldo paciscereture, ut Neapolim posset reverti.

(c. 8.) Acceptaque obside Romaldi sorore, cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit, ejus vero nutritium Sesualdum ad ursos duci præcepit, mortem ei minatus si aliquid Romaldo aut civibus de Grimoaldi adventu nunciaret, sed potius asseveraret eumdem venire minime posse. Quod ille ita se facturum, ut ei præcipiebat, promisit; sed cum prope muros advenisset, velle se Romaldum videre dixit. Qui, cum Romoald citius venisset, sic ad eum locutus est: *Constans esto, domine Romoald, et habens fiduciam noli turbari, quia tuus genitor citius tibi auxilium præbiturus aderit. Nam scias eum hac nocte juxta Sangrum fluvium cum valido exercitu manere; tantum obsecro ut misericordiam exhibeas cum mea uxore et filiis, quia gens ista perfida me vivere non sinebit.* Cumque hoc dixisset, jussu imperatoris caput ejus abscisum atque cum belli machina quam petrariam vocant in urbem projectum est. Quod caput Romoald sibi deferri jussit et lacrimans osculatus est dignoque in loculo tumulari præcepit.

(c. 9.) Metuens igitur imperator subitum Grimoaldi regis adventum, dimissa Beneventi obsidione, Neapolym proficiscitur. Cujus tamen exercitum Mitola Capuanus comes juxta fluenta Caloris fluminis in loco qui usque hodie Pugna dicitur vehementer adtrivit.

(c. 10.) Posquam vero imperator Neapolym pervenit, unus ex ejus optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab augusto, ut fertur, viginti milia militum expetiit, seque cum Romoaldo pugnaturum victoremque spopondit. Qui cum accepto exercitu, ad locum, cui Fornitus nomen est, advenisset ibique castra posuisset, Grimoald, qui jam Beneventum advenerat, hæc audiens, contra eum proficisci voluit. Cui filius Romald: *Non est opus*, inquit, *sed tantum partem nobis de exercitu vestro tribuite; ego Deo favente cum eo pugnabo, et cum vicero, major utique gloria vestræ potentiæ adscribetur.* Factumque est; et accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum suis hominibus contra Saburrum proficiscitur; qui, priusquam bellum cum eo iniret, a quatuor partibus tubas insonare præcepit, moxque super eos audacter irrupit. Cumque utræque acies forti intentione pugnarent, tunc unus de regis exercitu nomine Amalongus, qui regium contum ferre erat solitus, quendam Greculum eodem conto utrisque manibus fortiter percutiens, de sella super qua equitabat substulit, eumque inter aera super caput suum levavit. Quod cernens Grecorum exercitus, immenso pavore perterritus in fugam convertitur, ultimaque pernicie cesus sibi fugiens, Romaldo et Langobardis victoriam peperit. Ita Saburrus, qui se imperatori suo victoriæ tropheum de Langobardis promiserat patrare, ad eum cum paucis remeans ignominiam deportavit. Romald vero, patrata de inimicis victoria, Beneventum triumphans reversus est, patrique gaudium et cunctis securitatem convexit.

(c. 14.) At vero Constans augustus, cum nihil se contra Langobardos gessisse conspiceret, omnes sevicie sue minas contra suos, hoc est Romanos, retorsit: nam egressus Neapolym, Romam perexit. Cui sexto ab Urbe miliario Vitalianus papa cum sacerdotibus et Romano populo occurrit. Qui augustus cum ad beati Petri limina pervenisset, obtulit ibi palium auro textum, et manens apud Romam duodecim diebus, omnia quæ fuerant antiquitus constituta ex ære in ornamentum civitatis deposuit, in tantum ut etiam basilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheum vocabatur, et conditum fuerat in honorem omnium deorum, et ibi per concessionem superiorum principum locus erat omnium martyrum, discoperiret, tegulasque æreas exinde auferet, cosque simul cum aliis omnibus ornamentis Constantinopolym transmitteret. Deinde reversus imperator Neapolym itinere terreno, perexit civitatem Regium. Ingressusque Siciliam per indictionem septimam, habitavit in Syracusa, et tales afflictiones imposuit populo seu habitatoribus vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ atque Sardiniæ, quales antea nunquam auditæ sunt, ita ut etiam uxores a maritis, vel filii a parentibus separarentur. Sed et alia multa et inaudita harum regionum populi perpessi sunt, ita ut alicui spes vite non remaneret. Nam et vasa sacrata vel cymilia sanctarum Dei ecclesiarum imperiali jussu et Græcorum avaritia sublata sunt. Mansit autem imperator in Sicilia ab indictione septima usque in

duodecimam; sed tandem tantarum iniquitatum penas luit, atque dum se in balneo lavaret, a suis extinctus est.

(c. 12) Interfecto igitur apud Syracusas Constante imperatore, Mezetius in Sicilia regnum arripuit, sed absque orientalis exercitus voluntate. Contra quem Ytaliæ milites alii per Hystriam, alii per partes Campaniæ, alii vero a partibus Africæ et Sardiniæ venientes in Syracusas, cum vita privarunt, multique ex judicibus ejus detruncati, Constantinopolym perducti sunt, cum quibus pariter et falsi imperatoris caput est deportatum.

(c. 13.) Hæc audiens gens Sarracenorum, quæ jam Alexandriam et Egyptum pervaserat, subito cum multis navibus venientes, Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra et juga confugerunt montium, auferentes quoque predam nimiam et omne illud quod Constans augustus a Roma abstulerat ornatum in ære et diversis speciebus; sicque Alexandriam reversi sunt.

Anno autem ab incarnatione Domini sexcentesimo quadragesimo septimo Primogenitus patriarcha ex hac luce migravit, qui ecclesiam Gradensem gubernavit annos 20, menses 3 [19-20], dies 7. Huic successit Maximus; cujus tempore Maurus Altinensis episcopus, non ferens Langobardorum insaniam, Severini papæ auctoritate ad Torcellensem insulam venit (42), ibique suam sedem corroborare et pro futuro manere decrevit. Qui Altinensem ecclesiam gubernavit annos 4, et mortuus est. Huic successit Julianus episcopus.

(Paul. D. v, 30) Igitur extincto, ut diximus, punitoque qui ei successerat Mezenzio tyranno, Romanorum regnum Constantinus, Constantii augusti filius, suscepit regendum. Sarraceni Siciliam invadunt, et præda nimia secum abiata, mox Alexandriam redeunt. (Id. vi, 4.) Agatho papa, ex rogatu Constantini, Heraclii et Tyberii, principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos, in quibus erat Joannes Romanæ ecclesiæ tunc diaconus, non longe post episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei ecclesiarum. (Beda *De sex ætat. mundi.*) Qui benignissime suscepti a reverendissimo fidei catholicæ defensore Constantine, jussi sunt, remissis disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere. Datis igitur eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum, quos petebant, libellis, affluerunt autem et episcopi 150, præsidente Gregorio patriarcha regiæ urbis, et Antiochiæ Macharío; et convicti sunt qui unam voluntatem et operationem astruebant in Christo, falsasse [21] patrum catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu, Gregorius correptus est, Macharius vero cum suis sequacibus simul et precessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo et Petro anathematizatus, et in locum ejus Theophanius de Sicilia Antiochiæ episcopus factus, tantaque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, ut Johannes Portuensis episcopus, unus ex ipsis, dominica octavarum paschæ missas publicas in ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe et patriarcha latine celebraret. Hec est sexta synodus universalis, Constantinopoly celebrata et Greco sermone scripta, temporibus papæ Agathonis, exequente ac residente piissimo principe Constantino intra palacium suum, simulque legatis apostolicæ sedis et episcopis 150 residentibus. Prima enim universalis in Nicea congregata contra [22] Arium 318 patrum, temporibus Julii papæ sub Constantino principe; secunda in Constantinopoly 150 patrum contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi pape et Gratiani principis, quando Nectarius eidem urbi est ordinatus episcopus; tertia in Epheso 200 patrum contra Nestorium Augustæ urbis episcopum, sub Theodosio Magno principe et papa Celestino; quarta in Calcedone patrum 630, sub Leone papa temporibus Marciani principis, contra Euthicen nephandissimum præsulem monachorum; quinta item in Constantinopoly, temporibus Vigilii papæ sub Justiniano principe, contra Theodorum et omnes hereticos; sexta hæc de qua in præsenti diximus. Sancta et perpetua virgo Christi Edildruda, filia Anne regis Anglorum, et primo alteri viro permagnifico, et post Hecfrido regi conjux data, postquam 12 annos tho um incorrupta servavit maritalem, post reginam, sumpto velamine sacro, virgo sanctimonialis efficitur. Nec mora, etiam virginum mater et nutrix pia sanctarum, accepto in construendum monasterium loco, quem Eilge vocant. Cujus merita vivacia testatur etiam mortua caro, quæ et post 16 annos sepulturæ cum veste qua involuta est incorrupta reperitur.

Mortuo quoque Maximo hac tempestate, qui ecclesiam Gradensem gubernavit annos 20, huic successit Stephanus patriarcha. (P. D. v, 17.) Circa hec tempora Lupus dux Forjulanus in Gradus insula cum equestri exercitu per strata quæ antiquitus per mare facta fuerant introivit, et, depredata ipsa civitate, Aquilegiensis ecclesiæ thesauros exinde auferens portavit.

VARIÆ LECTIONES.

[19-20] IIII. 3. [21] *ita corrigo.* Falsa se 3. [22] *vox deest in cod.*

NOTÆ.

(42) Ex Dandulo l. vi, c, 7, p. 11. Paulus urbis Altinatis catholicus episcopus cum catholico populo .... in Torcello. ... advenit, et ibi primo .... incolatum elegit, elapsoque mense uno mortuus est. Consentiunt etiam alii. Forte auctor noster ob tam brevem eo loci vitam illum omisit, et a Mauro ejus successore (*Mauritius* a Dandulo et aliis dicitur) incepit. Pellegr.

(VI, 12.) Inter hæc Constantinus imperator apud Constantinopolym moritur, et ejus filius minor Justinianus Romanorum regnum suscepit, cujus per annos 10 gubernacula tenuit. Hic Africam a Saracenis abstulit, et cum eisdem pacem terra marique fecit. Hic Sergium pontificem, quia in erroris illius synodo, quam Constantinopoly fecerat, favere et subscribere noluit, misso Zacharia prothospatario suo, jussit Constantinopolym deportari. Sed militia Ravennæ vicinarumque partium jussa principis nephanda contemnens, eumdem Zachariam cum contumeliis ab urbe Roma et injuriis pepulit. Justinianus ob culpam perfidiæ regni gloria privatus exul in Pontum secedit. Anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo secundo Stephanus patriarcha ex hac luce migravit, qui ecclesiam Gradensem rexit annis quinque. Huic Agathon.

(c. 13.) Contra hunc suprascriptum Justinianum Leo augustalem dignitatem arripiens, eum regno privavit. Regnumque Romanorum tribus annis regens, Justinianum exulem in Ponto servavit.

Rusumque Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum ejus invasit, eumque toto quo ipse regnavit tempore in eadem civitate in custodia tenuit.

(c. 31.) At vero Justinianus, qui amisso principatu in Ponto exulabat, auxilio Terebelli Vulgarum regis, regnum rursus recipiens, eos qui se expulerant patricios occidit. Leonem quoque et Tyberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, et in medio circo coram omni populo jugulari fecit; Gallicium vero patriarcham Constantinopolytanum, erutis oculis, Romam misit, Cyrumque abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, episcopum in locum Gallicii constituit. Hoc Constantinum papam ad se venire jubens, honorifice suscepit ac remisit, quem prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta ejus ecclesiæ privilegia renovavit. Qui cum exercitum in Ponto mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum cum eisdem venerabilis papa prohibuit ne hoc facere deberent; sed tamen inhibere non potuit. (c. 32.) Conversus omnis exercitus ad partes Philippici, fecit eum ibidem imperatorem. Reversusque cum eo ad Constantinopolym, pugnavit contra Justinianum ad duodecimum ab urbe miliarium. Evicto atque occiso Justiniano, regnum suscepit Philippicus.

Hoc quoque tempore mortuo Agathone patriarcha, qui ecclesiam Gradensem rexerat annos 10, huic successit Christophorus. Circa hæc tempora Julianus Altinensis episcopus mortuus est, qui ecclesiam rexerat annos quadraginta octo. Huic successit Deusdedi episcopus, qui sanctæ genitricis ecclesiam devotissime componere variisque marmoribus condecorare perfecerat.

(P. D. VI, 34) At vero Philippicus, qui et Bardanis dictus, postquam imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo dixeramus, de pontificatu ejectum ad gubernandum monasterium suum Pontum redire precepit. Hic Philippicus Constantino papæ litteras pravi dogmatis direxit; quas ille cum apostolice sedis concilio respuit. Et hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ gesta sex sanctarum synodorum universalium retinent. Nam hujusmodi picturas, cum haberentur in urbe regia, Philippicus jusserat auferri. Statuit populus Romanus ne heretici imperatoris nomen aut cartas aut figuram solidis susciperent. Unde nec ejus effigies in ecclesia introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum.

Hic cum annum unum et sex menses regnum gessisset, contra Anastasius, qui et Artemius dictus est, insurgens, eum extra regnum expulit oculisque privavit, nec tamen occidit. Hic Anastasius litteras Constantino papæ Romam per Scolasticum, patricium et exarcum Ytaliæ, direxit, quibus se fauctorem catholicæ fidei et sancti sexti concilii predicatorem se esse declaravit.

Igitur dum apud eandem provintiam [52] populorum multitudine permanerent, tribunis tantummodo maluerunt subesse. Unde factum est quo, spatio centum quinquaginta annorum, unoquoque anno ad hujus officii fastigium sublimabant, qui illorum causas examinis censura experiri satagerent. Et quoniam omnino patrios fines dolebant a barbaris possideri, maxima inter utrasque partes jurgia versabantur, ita ut inter se vicissim molestias et depopulationes conferre decertarent. Temporibus nempe imperatoris Anastasii et Liuprandi Langobardorum regis (713-716) omnes Venetici una cum patriarcha et episcopis convenientes, communi consilio determinaverunt, quod dehinc honorabilius esset sub ducibus quam sub tribunis manere. Cumque diu pertractarent quem illorum ad hanc dignitatem proveherent, tandem invenerunt peritissimum et illustrem virum Paulitionem nomine; cui jusjurandi [53] fidem dantes, eum apud Eraclianam civitatem ducem constituerunt. Qui tantæ fuerat temperantiæ, ut æquo moderamine suos dijudicaret. Cum Liuprando vero rege inconvulsæ pacis vinculum confirmavit; apud quem pacti statuta, quæ nunc inter Veneticorum et Langobardorum populum manent, impetravit. Fines etiam Civitatis novæ, quæ actenus a Veneticis possidentur, iste cum eodem rege instituit, id est a Plave (43) majore, secundum quod designata loca discernuntur, usque in Plavisellam.

VARIÆ LECTIONES.

[52] *Zanetti hic ad marginem notam quam* Noster *interpretatur, haberi scribit; sed est signum notissimum et in codicibus* 1. 2. *sæpe occurrens :* NOTA. [53] cujusjurandi 2.

NOTÆ.

(43) Piave.

Anno incarnationis Domini 717 [25] Christoforus patriarcha ex hac luce migravit. Huic successit Donatus.

Circa hæc tempora Deusdedi Torcellensis episcopus, qui ecclesiam rexerat annis 24, ex hac luce migravit; cui successit Honoratus episcopus.

(c. 36.) Theodosius anno 1. Hic electus est, imperatorem Anastasium apud Niceam gravi prælio vicit, datoque sibi sacramento, clericum fieri ac presbiterum fecit ordinari. Ipse vero ut regnum accepit, cum esset catholicus, mox in regia urbe ymaginem illam venerandam, in qua sanctæ sex synodus erat depicta, et a Philippico fuerat dejecta, pristino in loco erexit. Tyberis fluvius alveum suum egressus, multa Romanæ fecit exitia civitati, ita ut in Via lata ad unam et semis staturam excresceret, atque a porta sancti Petri usque ad pontem Molvium aque descendentes conjungerent. Mansit autem diebus septem, donec agentibus letanias crebris vicibus decimum diem revertit. (Beda *De sex ætat. mundi.*) His temporibus multi Anglorum gentes, nobiles et ignobiles, viri et feminæ, duces et privati, divini amoris instinctu, de Britania Romam venire consueverant. Inter quos etiam reverendissimus abbas Ceolfridus annos natus 74, cum esset presbiter annis quadraginta septem, abbas autem annis 35, ubi Lingonas pervenit, ibi defunctus, atque in ecclesia beatorum geminorum martyrum sepultus est. Qui inter alia donaria quæ afferre disposuerat, misit ecclesiæ sancti Petri pandente a beato Hieronimo in Latinum ex Hebreo vel Greco fonte translatum.

Eodem tempore mortuo Honorato episcopo, qui Altinensem ecclesiam rexerat annis 7, Vitalis ad regendam suscepit ecclesiam. (P. D. VI, 47.) Leo annis 8. Sarraceni cum immenso exercitu Constantinopolym venientes triennio civitatem obsident, donec, civibus multa instantia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, frigore, pestilentia perirent, ac si [26] pertæsi obsidionis abscederent. Qui in die regressi, Vulgarorum gentem, quæ est supra Danubium, bello agrediuntur, et ab hac quoque victi refugiunt, ac naves repetunt suas; quibus, cum altum peterent, ingruente subita tempestate, plurimi etiam, mersis sive confractis per littora navibus, sunt necati. (c. 48.) Liuprandus audiens quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fedarent illa ubi ossa sancti Augustini episcopi propter vastationem barbarorum olim translata et honorifice fuerant condita, misit, et dato magno precio accepit, et transtulit ea in Ticino, ibique cum debito tanto patri honore recondidit.

Anno ab incarnatione Domini 727, mortuo Paulitione duce apud Civitatem novam, qui ducavit annis 20, mensibus 6, successit Marcellus dux. Eo quoque tempore Leo imperator migravit a sæculo; cui successerat Constantinus.

A Circa hæc tempora Donatus patriarcha ex hac luce migravit, qui ecclesiam Gradensem rexit annis 7. Huic successit Antoninus patriarcha.

Eodem quoque tempore prælibato Marcello duce mortuo, qui apud Civitatem novam Veneciæ ducatum annis 12 et diebus 20 gubernaverat; cui successit Ursus dux, qui etiam in eadem [27] civitate sæpedictum ducatum rexerat annis 11 et mensibus 5. Unde postmodum Venetici illum acri livore interimentes, quinque annorum spatio magistris militum tantummodo subditi manere voluerunt. Primus quorum nomine Leo dicebatur, cujus potestas super eosdem fuit anno 1. Deinde secundus illorum nominabatur Felix cognomento Cornicula, qui similiter illos unius anni spatio rexerat. Exinde tercius magister militum vocitabatur Deusdedi, filius sæpedicti Ursonis interfecti ducis, qui etiam unius anni spatio illius potestatis fuerat [27]. Postmodum quartus ex iis habebatur Jubianus nomine Ypatus, qui [28] ejusdem honoris unius anni similiter spatio possessor fuerat. Cujus quoque diebus (*an.* 729) exarchus Ravennæ primas Venetiam veniens, nimiumque Veneticos postulans, quatenus propriam urbem, quam Ildebrandus nepos Liubrandi regis et Paradeus Vicentinus dux captam habuerant, tueri atque defendere eorum auxiliis potuisset. Cujus Venetici faventes petitioni, navali cum exercitu prælibatam Ravennam ad urbem properantes, unus illorum, Ildebrandus [29] scilicet, vivus ab eis captus est; alter vero qui dicebatur Paradeus, occisus dimicando occubuerat. Atque hujusmodi exarcho prælibato primati urbs decenter est restituta. Ob quam rem Gregorius quoque apostolicus urbis Romæ tota aviditate sæpedictæ urbi subveniendo, propriam epistolam quæ inferius legitur Antonino Gradensi patriarchæ miserat, ut Veneticos amabili obsecratione inlicere deberet, ad eandem defendendam urbem venirent : *Dilectissimo fratri Antonino Gregorius. Quia peccato faciente Ravenantium civitas, qui caput erat omnium, ab nec dicenda gente Longobardorum capta est, et filius noster eximius domnus exarchus apud Venecias, ut cognovimus, moratur, debeat tua fraterna sanctitas ei adærere, et cum eo nostra vice pariter decertare, ut ad pristinum statum sanctæ rei publicæ et imperiali servicio dominorum filiorumque nostrorum Leonis et Constantini, magnorum imperatorum, ipsa revocetur Ravenantium civitas, ut zelo et amore sanctæ fidei nostræ in statu rei publicæ et imperiali servicio firmi persistere Domino quo* [30] *cooperante valeamus. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.*

Iis prælibatis, post decessum prædictorum quatuor militum magistrorum quintus ejusdem præfecturæ ordinatur, qui Johannes Fabriacus vocabatur, cujus simili modo ut aliis, principatus unius anni

VARIÆ LECTIONES.

[25] 712. *cd.* [26] *i. e.* sic (Ed. Patr.). [27] cade 2. [27] *scil.* possessor. [28] *deest* 2. [29] ilderandus 2. [30] *ita* 2 quoque?

spatio manserat, ipsiusque etiam a Veneticis oculi avulsi sunt.

His quoque temporibus Antoninus Gradensis patriarcha a præsenti luce migraverat; cujus regimen annorum 22 et mensium 10, insuper et dierum 20 fuerat. Hisdem etiam diebus Forjulensis ecclesia a Sereno præsule regebatur, qui, nullius justitiæ expertus, sibi, usurpationis causa, regia potestate ab apostolica sede pallium primus tantummodo acquisivit, ac hujusmodi epistolam a Gregorio antistite Romano accepisse dinoscitur:

Tanto munere quis ditatur, quantum in sublimitate positus de se ex mandato domini Redemptoris humiliter sentit. Etenim pastoralis dignitas singulariter ex humilitate ornatur; spernendum quippe apostolica lectio argnit elatos; et si accepisti, quid gloriaris, quasi si non acceperis. Nam dum ad cumulum tui honoris precibus eximii filii nostri regis flexi, plurimum etiam pro rectitudine fidei quam te tuamque ecclesiam tenere et amplectere cognovimus provocati, pallium tibi direximus, interdicentes et inter cetera, ne unquam aliena jura invaderes, aut temeritatis ausu usurpares jurisdictionem cujusquam, sed in his esses contentus quæ usque actenus possedisti. Nunc vero, ut cognovimus, Gradensis præsulis niteris pervadere jura, atque ex his quæ possedit nunc usque usurpare. Ne ergo in quodam existas temerator, ex apostolica auctoritate præcipimus ne ullo modo terminos excedas ad eum possessos, sed solum sufficiat in his quæ modo usque possedisti; nec amplius quam in finibus procul dubio gentis Langobardorum existentibus gressum tendere præsummas, ut non injuste suscepisse gratiam collatam [31] *pallii ex præsumptione ostendas; et inde apostolici vigore concilii, si inobediens fueris, reprobatus multum et indignus judiceris.*

Eodem etiam tempore Emilianus patriarcha, qui Gradensem ecclesiam annis 8 et diebus 5 gubernaverat, in pace vitam finivit. Cui deinde Vitalianus in eadem successerat sede.

His quoque temporibus prælibatus Vitalis, qui Altinensem annis 9 et mensibus 6 ecclesiam rexerat, ab hac luce subtractus est. Severinus postmodum vitæ cujus adsecutor in eadem fuerat dignitate ordinatus. Eisdem etiam diebus Venetici magistrorum militum prælibatæ præfecturæ dignitatem abominantes, rursus ut quondam ducem, videlicet Deusdedem, sæpedicti Ursonis Ypati filium, in Metamucense insula sibi crearunt. Cujus regimen extitit spatio annorum 13. Ipse quoque post hæc cum decoris et honestatis gratia castrum quod Brundulus dicitur non eo loco in quo nunc situm videtur, sed ultra præsentem ripam fluminis condere voluit, et illic a quodam infideli, Galla nomine, ejus avulsi sunt oculi, ipsiusque ducatum auferens possessorque ejus unius anni spatio fuerat. Super quem deinde Venetici irruentes, unaque conspirantes voluntate, oculos similiter illius eruerunt. Loco cujus Dominicum cognomento Monegarium, Metamaucensem, ducem sibi fecerunt. Et ut mos vulgi est, qui nunquam in præposita voluntate persistens [32], sed quandam superstitiosa stultitia alias atque alias adinventiones excogitans, primo illius ducati anno tribunos duos, qui sub ducali decretu consisterent, sibi præposuerunt. Quod etiam per singulos annos prænominati ducis vitæ facere consti sunt. Deinde præfati Venetici facta conspiratione ejusdem Dominici ducis oculos evellerunt. Fueruntque anni ducatus illius numero 8.

Post [33] dicessum [34] cujus omnis Veneticorum frequentia simul collecta, quendam civem Hæracliane civitatis Mauricium nomine, peritissimum sæculari studio, ducatus honore apud Metamaucensem insulam sublimavit. Qui dum sapienter et honorifice Veneticorum causam in omnibus tractaret, undecimo sui ducatus anno apud Olivolensem (44) insulam apostolica auctoritate novum episcopatum fore decrevit. In quo quendam clericum, Obelliebatum nomine, episcopum ordinavit. Dehinc cum triginta et uno anno ducatus dignitatem gubernaret, jam effectus senex, populo interpellante, Johannem suum filium honoris sui habere consortem complacuit. Duobus postmodum annis cum sobole extitit et sic ultimum in pace finivit diem.

Preterea cum essent anni ab incarnatione Domini octingenti viginti tres, Johannes, Mauricii antedicti filius, honoris fastigium apud eandem insulam adorsus est gubernare, quem neque scripto neque relatione experti sumus suæ patriæ commoda bene tractasse. Extitit quidem [35] sibi filius Mauricius nomine, cui octavo decimo anno sui ducatus ejusdem dignitatis societatem concessit. Temporibus quorum apud Veneciam adeo excrevit mare, ut omnes insulas ultra modum cooperiret. Circa hæc siquidem tempora Constantini augusti oculi a quibusdam suis militibus evulsi sunt, et Herenis augusta imperium cepit gubernare (*an.* 797).

Mortuo vero Obeliebato episcopo, qui Olivolensem episcopatum rexerat annis 23, Christoforus extitit ei successor. Anno verò vigesimo tercio ducatus predicti Johannis, comperta occasione suum filium Mauricium navali exercitu ad Gradensem urbem, ut domnum Johannem sanctissimum patriarcham interficeret, destinavit. Ubi illuc pervenit, paternis jussionibus obtemperare studens, eundem sanctissimum virum crudeliter interfecit. Cujus mors maximum dolorem suis reliquit civibus, quoniam insons fuerat interemptus. Gubernavit autem predictus Dei

VARIÆ LECTIONES.

[31] collata 2. [32] presistens 2. [33] *hinc codex* 1 *pergit.* [34] *ita* 1. [35] *vox supra lineam scripta* 1.

NOTÆ.

(44) Olivolo.

virGradensem ecclesiam annis 36 [36], sepultusque fuit in sancti Marci capella (45) post sanctorum martyrum mausolea. Quem successit Fortunatus ad regendam ecclesiam.

Eodem quoque tempore domnus Carolus Francorum rex Romam adiit (*an.* 800, *Dec.* 25), ibique ab apostolico coronatus et unctus est in imperatore. Mortua est namque Herenis augusta, quæ rexerat imperium annis 8, et Nicyforus imperiale fastigium adeptus est. Quem quidam tirrannus, Turchis nomine, magna expedicione stipatus, conatus est ad prælium provocare. Sed augustus cum sui imperii pene omnia loca contra tyrrannum tueretur, tantummodo solum Tarsaticum destruere potuit [37]. Postmodum vero predictus tirrannus pœnitens quod contra imperiale numen aliquod nefas peregisset, devotus et cernuus suam adinvenit gratiam.

Prelibatus siquidem Fortunatus patriarcha acriter dolens interfectionem sui decessoris et parentis, insidias adversus Mauricium et Johannem duces composuit [38], et relicta sede et urbe ad Italiam perexit [38] *; quem etiam secutus est quidam tribunus Obellierius nomine Metamaucensis, Felix tribunus, Dimitrius, Marinianus seu Fuscarus Gregorii, et nonnulli alii Veneticorum majores (*an.* 803). Ex quibus solus patriarcha in Franciam ivit. Ceteri vero remanserunt in quadam civitate non procul a Venecia, nomine Tarvisio; ibique non diutius degentes, consilio illorum ammoniti qui in Venetia morabantur, Obellierium (46) tribunum ducem elegerunt.

Quo Johannes et Mauricius duces comperto, attriti timoratione, lapsi sunt. Alter illorum Franciam, id est Mauricius, alter vero Mantuam adivit, ubi adeo commorati sunt, ut neuter illorum Veneciam rediret, sed illic diem clauserunt extremum. Christoforus etiam Olivolensis episcopus, dum Obelierii ducis adventum non auderet prestolari, cum predictis ducibus fuga lapsus est. Tunc hisdem Obelierius audacter Veneciam intravit; qui cum devote et honorifice a populo susceptus esset, suum fratrem, videlicet Beatum nomine, dignitatis fecit sibi socium. Hac etiam tempestate Civitas nova, quæ vocatur Eracliana, a Veneticis destructa est. Deinde predicti duces navalem exercitum ad Dalmaciarum provinciam depopulandam destinaverunt. Olyvolensis nam- A que sedes, quæ proprio pastore vacua videbatur, Johanni diacono electo a plebe fuerat adtributa.

Post aliquod vero tempus Fortunatus patriarcha cum Christoforo episcopo de Francia repedavit. Quibus cum fas non esset Veneciam penetrare, in sancti Cipriani ecclesia, plebe scilicet Altinatis episcopii [39] quæ scita est apud Mistrinam (47), ospitati et aliquamdiu commorati sunt. Verum postquam domnus Fortunatus Christofori episcopi sedem a Johanne diacono injuste usurpatam didicit, prorsus doluit, et tractare studiosissime cepit qualiter sibi faveret, ut cum ad propriam sedem restituere posset. Johannes si quidem prædictus diaconus quadam die cum incautus iret, a Fortunato patriarcha captus et diu detentus est. Sed ut excogitaret quid de illo agere B deberet, nocte fuga lapsus evasit, et instanter Obelierium ducem adivit. Cui cum ea que passus a Fortunato fuerat ordine recitaret, pocius ducis animum adversus eundem patriarcham in odium quam antea esset excitavit. Tamen consulente patriarcha, Christoforus sedem suam tandem [40] recepit, Johannes vero diaconus reversus est ad propriam domum. Igitur Fortunatus patriarcha cum per aliquanta temporum spacia exul a propria sede maneret, Gradensem disposuit reciprocare urbem. Et quia valde Nicetæ patricii adventum prestolari formidabat, qui tunc missus ab imperatore cum exercitu in partes Dalmaciarum atque Veneciarum veniebat, relicta sede et propria urbe, iterum Franciam petiit (*an.* 806). Johannes vero diaconus, qui electus fuerat in C episcopatu Olyvolensi, ordinatus est patriarcha. Obelierius siquidem dux per Nicetam patricium spatharii (48) honorem suscepit. Beatus vero, frater ejus, cum predicto Niceta Constantinopolim ivit, secumque deferens Veneticorum obsides et Christoforum episcopum et Felicem tribunum (*an.* 807). Quos augustus exilio dampnavit. Gubernavit autem predictus Christoforus Olivolensem ecclesiam annis 12. Quem successit Christoforus presbyter, qui sancti Moysi ecclesiæ estitit plebanus. Eodem quoque tempore civitas Eracliana a Veneticis iterum devastata et igne combusta est.

Tunc Beatus dux, qui cum Niceta patricio Constantinopolim ivit, in Veneciam reversus, ab imperatore honore ypati (49) condecoratus est [41]. Deinde D Obelierius et Beatus duces Valentinum, tercium

VARIÆ LECTIONES.

[36] *numerum ope chronici Gradensis supplevi; deest in* 1 *et ed.* [37] *suprascripta vox* 1. [38] ad *suprascriptum* 1. [38] * *suprascript.* 1. [39] p. s. A. e. *in margine addita* 1. [40] *suprascriptum* 1. [41] *suprascripta vox* 1.

NOTÆ.

(45) In ecclesia S. Eufemiæ. Chron. Gradense.

(46) Ab Einhardo Wilharenus, Willeri, vocatur.

(47) Mestre.

(48) Spatarii et protospatarii, vel ut alii scribunt spatharii et protospatharii, idem prope erant tunc temporis quod hisce nostris equites, cavalieri. Eorum insignia scaramangium (genus vestis), ensis et torques. Videsis in Ceremonial. aulæ Byzantinæ lib. 1, cap. 59. De protospatariis insignis locus est in exceptis legum in egg. Leonis et Constantini impp. ann. circiter 870 apud Leunclav. in Basilic. p. 99. Ibi vocatos legas μεγαλοπρεπεστάτους, h. e. *magnificentissimos*. Zan.

(49) Ypatus, h. e. consul, sed consul honorarius, seu mavis consularis, et ut apud Procop. lib. III De bello Goth. consul nomine tenus ὑπατος καλούμενος μόνον. Frequens de iis in Græcis auctoribus, post conditam Constantinopolin, mentio. Recte tamen monuit Com-

illorum fratrem, in dignitate sui ducatus habere consortem voluerunt.

Interea fœdus quod Veneticorum populus olym cum Italico rege habebat, illo tempore (*an.* 810), Pipino agente rege, disruptum est, et hisdem rex ingentem exercitum Langobardorum ad Veneticorum provinciam capiendam promovit. Qui cum magna difficultate portus qui dividunt insularum littora pertransisset, tandem ad quendam locum qui Albiola vocatur pervenit [48], nulla ratione inantea pertendere gressum valuit. Ibique duces stipati magna Veneticorum expeditione eundem regem audacter aggressi sunt, et divinitus datum est Veneticis de inimicis triumphum; sicque predictus rex confusus recessit. Igitur anno incarnationis redemptoris nostri . . . Pipinus rex deposuit hominem (*an.* 810, *Jun.* 21), et Constantinopolitani missi, qui tunc ad eum legationis causa veniebant, mortuo ipso reversi sunt. Johannes siquidem patriarcha, qui per 4 annorum spacia Gradensem sedem vivente pastore usurpavit, sinodali censura depositus est. Licet injuste sedem invaderet, tamen ante sanctorum martyrum Hermachoræ et Fortunati, seu Hyllarii et Taciani corpora, nec non et sancti Marci capellam, marmoreis columnis et tabulis honorifice choros componere studuit. In sanctæ vero Dei genitricis Mariæ ecclesia supra altare ciborium peregit. Fortunatus dehinc ad propriam sedem reversus est. Et quia nulla ratione sui operis plenitudinem exarare me posse existimo, partem quam corrumdam relatione expertus sum stilo adnotare studui. Ecclesiarum namque altaria Gradensis urbis, lamminis argenteis condecoravit, et supra altaria martyrum argentea templa composuit. Ecclesiam vero sanctæ Agathe martyris a fundamentis ipse edificare devotissime fecit. Ubi martyrum quadraginta et duo corpora in ejusdem ecclesiæ cripta [49] recondivit. Celerum vero quicquid in thesauris seu in ecclesiarum ornamentis peregit, nemo nominatim exprimere potest.

Hac quidem tempestate nuntius Constantinopolitanus nomine Ebersapius Venetiam adivit, et Veneticorum consilio et virtute hoc peregit, ut [51] utrique duces et dignitatem et patriam amitterent. Unus, id est Obelierius, Constantinopolim, alter vero Jateram (50) petiit; qui quinque annorum spacio Veneticorum ducatum gubernaverunt.

Deinde cum essent anni ab incarnatione Domini [52] 8.. [813] [53] apud Rivoaltensem insulam Venetici [54] communi decreto ducatus sedem habere maluerunt, et ad hunc honorem quendam virum Agnellum [55] (51) nomine, qui palatii hucusque manentis fuerat fabricator, sublimarunt. Sub dignitate etiam cujus duos tribunos per singulos annos fieri constituerunt. Eodem quidem anno Michahel imperator cum ad expugnandam Bulgarorum gentem aggressus esset, in tantum inimicorum multitudinem perterritus fuit, ut, proprio relicto exercitu, fugam Constantinopolim arripuit. Et quia valde sibi ignominiosum hoc fecisse videbatur, non palacium sed monasterium petiit. Tunc Leo qui illius exercitus ductor et signifer erat, pugnam patrare minime timuit, et Deo favente cum triumpho urbem reversus est. Quem imperatorem omnes fieri conlaudaverunt. Postmodum vero Constantinum, suum filium, socium habere in hac dignitate voluit.

Prelibatus siquidem Agnellus dux cum duos haberet natos, unus illorum, id est Justinianus, Constantinopolim destinavit; quem imperator honorifice suspiciens, ipati honorem sibi largivit; alterum vero, id est Joannes, ducem fieri promovit. Dehinc autem non post longum tempus Justinianus imperator [56] ipatus Constantinopoli ad propria repedavit, dolensque fratrem suum in honore fastigiatum, contempsit adire palatium, sed in sancti Severi ecclesia una cum sua conjuge hospitatus est. Pater namque ejus non diu filii molestationem et absentiam passus fuit, quoniam valde illum diligebat. Interdixit honorem Johanni, et expulso [57] a patria, apud Jateram civitatem exilio retrusus est. Tunc satisfacere per omnia voluit Justiniano suo filio, non solum ipsum sed etiam Agnellum suum nepotem, ejusdem Justiniani natum, consortem sui fecit ducatus. Unde factum est ut Johannes, qui apud Jateram exulabat, fuga lapsus primum Sclaveniam, deinde ad Italiam ad Bergami civitatem pervenit. Interea pater et frater hoc audientes, miserunt nuncios imperatori Ludovico, efflagitantes ut sibi redderet filium [58] fuga lapsum. Imperator vero libenter illorum precibus obtemperans, reddidit sibi fugitivum; quem absque

VARIÆ LECTIONES.

[48] *Supple* sed, *aut lege* et tandem ad quendam locum — pervenisset. *ZAN.* [49] *ita* 1. 2. *contra Zanettii assertionem.* [50] *suprascripta vox* 1. [51] c. e. a. ab i. D. *suprascripta* 1. [52] VIII[e] viii *post addita in margine, et recentiore quidem manu; ante numerum in margine rasura cognoscitur. In cod.* 2. *in marg. adjectum est;* octingenti quatuor, *eadem manu qua totus liber exaratus est.* [53] *suprascripta* 1. [54] *ita* 1. [55] *ita scribendum erit:* imperator *apographum Giesebrechti manu correctum; legi conjicio* impr. [56] ex *supra lin. add.* 1. [57] *suprascriptum* 1.

NOTÆ.

befisius in notis ad Theophanem, vocem ὕπατος non semper in auctoribus Græcis significare *consulem*, sed quandoque *eximium, præcipuum, proceres* et hujusmodi. De insignibus horumce consulum honorariorum vide Cassiodor. lib. VI Variar. Vide insuper celeberrimum Pagium in Dissert. Hypat., cap. 8, p. 71, unde hæc hausimus. ZAN.

(50) Zara.

(51) Exstat documentum anni 819, Venetorum omnium, ni fallor, vetustissimum, in quo agitur de translatione monachorum Sancti Servuli ad Sanctum Hilarium ab eodem duce peracta. Vid. cl. Cornelium in eccl. Sancti Servuli. ZAN.

mora Constantinopolim una cum uxore destinaverunt. Eo quoque tempore Leo imperator apud Constantinopolim interfectus (*an.* 820), qui imperii principatum annis gubernaverat septem, et Michahel imperium adeptus est. Agnellus vero predictus dux legationis causa suum nepotem et æquivocum Constantinopolim misit, ibique mortuus fuit. Fortunatus quidem patriarcha cum non sedule in sua vellet degere sede, sed contra Veneticorum voluntatem sepissime Franciam repetebat, et quia hoc amodo ducibus displicebat, pepulerunt illum a sede, et in loco ejus ordinaverunt Johannem, Sancti Servuli abbatem. Circa hæc tempora apud Olivolensem insulam sancti Petri ecclesia edificari incepta est. Antedictus quidem Fortunatus patriarcha propria sede amissa, secundum quod diximus Franciam cum Grecorum missis repetebat. Ibique aliquamdiu moratus, diem finivit extremum (*an.* 824). Gubernavit autem Gradensem ecclesiam per viginti et septem annorum spacia. Eo quoque tempore quidam Veneticorum conspirationem adversum duces facere conati sunt; ex quibus duo prope sancti Gregorii ecclesiam suspensi sunt, id est Johannes Tornaricus, et Bonus Bradanisso. Johannes autem monetarius fuga lapsus est ad Lotharium regem; tamen quidquid habuit et domus et fortuna depopulata sunt. Interea Johannes abbas qui electus in Gradensi pontificatu fuerat, sua sponte relicta sede, sancti Yllarii ecclesiam petens, una cum monachorum contubernio quod in sancti Servoli monasterio degebat, monasterium ibi deinceps ordinare decrevit et habere pro futuro [55].

Venerius deinde Gradensem adeptus est sedem, qui sancti Mauri ecclesiæ, quæ suburbio scita est, fabricator extitit.

Anno quidem incarnationis Domini octingentesimo vigesimo secundo, mortuo Agnello duce, qui decem et octo annis Veneticorum ducatum gubernavit, ducatus dignitas in suo filio Justiniano remansit.

Hac etiam tempestate (*an.* 827). Michahel imperator mittens exercitum ad Siciliam, Veneticorum auxilium petiit, cui Justinianus dux quasdam bellicosas naves transmittere studuit. Sed uterque exercitus minime aliquod triumphum consequi valuit. Eodem quoque tempore Johannes, Agnelli antedicti ducis filius et Justiniani frater, qui exul apud Constantinopolim extitit, ad Venetiam reversus est, et favente sibi Justiniano fratre, dux effectus est. Iterum imperatore efflagitante, exercitum ad Siciliam preparaverunt; qui etiam reversus est absque triumpho.

Mortuo quidem Justiniano duce (*an.* 823), qui una cum patre gubernavit ducatum annis decem et septem, et post mortem patris unius anni spacio, dignitas in suo fratre remansit [56]. Fuerat namque predictus Justinianus [57] maximus ecclesiarum cultor; sancti vero Zachariæ et sancti Hyllarii monasteriorum ipse extitit devotissimus fabricator. Ultimo vero vitæ suæ anno sanctissimi Marci evangelistæ corpus de Alexandria [58] a Veneticis allatum, recipere promeruit. Qui tanti thesauri munus honorifice suscipiens, in sui palatii angulo peragere fecit cappellam ubi illud reconditum posset reservari, interim ecclesia esset expleta, quam hisdem domnus inchoavit, sed preventus morte, Johannes suus videlicet frater ad finem perduxit.

Circa hæc tempora missus Sclavorum de insula Narrentis (52) ad domnum Johannem ducem veniens, ab eo baptizatus est, pacem cum eo instituens, licet minime et perdurasset.

Interea Obelierius dux, qui apud Constantinopolim exilio fuerat dampnatus, Veneciam reciprocavit, et in Vigilia civitate apud Curidum (53) sese retrusit. Quo audito, Johannes dux ad eundem capiendum promovit exercitum. Sed cum diu predictam civitatem obsidione circumvallaret, tandem diviso exercitu Metamaucenses ad predictum Obelierium confugium fecerunt. Exercitus vero qui suo seniori fidem servabant, Metamaucensem insulam expugnantes, prorsus incenderunt. Tunc domnus Johannes dux iterum preparavit exercitum; cum quo ipse veniens Vigiliam civitatem expugnavit, et capto Obeliero decollare eum jussit. Cujus caput ad Metamaucensem insulam delatum, in sabbati sancti die juxta Sancti Martini marginem suspensum est. Eo autem tempore sancti Petri Olivolensis ecclesia, quæ per novem annorum spacia fuerat fabricata consecrationem recepit.

Anno vero nostri redemptoris ab incarnatione..... Istrienses episcopi, qui consecrationis donum a Gradensi patriarcha more solito recipiebant, Aquilegensi metropolitano, Langobardorum regis virtute coacti, sese subdiderunt. Interea quidam Veneticorum, id est Carosus tribunus et Victor nonnullique alii, facta conspiratione Johannem ducem a Venecia pepulerunt et Carosus hanc usurpavit dignitatem. Tunc domnus Johannes dux in Franciam ad Carolum (54) regem ivit; qui eum devote suscipiens, honorem et solatium sibi impendere procuravit.

Sequenti vero anno Basilius tribunus et Johannes Marturius et ceteri nobiliorum numero triginta, predicti Johannis ducis fidelitate a patria exientes, in sancti Martini ecclesia quæ apud Mistrinam, loco qui vocatur Strata, scita est, ospitati, et tamdiu commorati sunt, donec Veneticorum multitudo ad illos conveniret, ut Veneciam ad Carosi ducis periculum intrare sine aliquo obstaculo quivissent. Unde fa-

VARIÆ LECTIONES.

[55] et h. p. i. *suprascripta* l. [56] d. i. s. f. r. *addita in margine* l. [57] o. J. *suprascripta* l. [58] de A. *suprascripta* l.

NOTÆ.

(52) Norrenta, Nurenta, ad quam insulæ Corcyra nigra, Lesina, aliæ pertinebant.

(53) Curidum (aut fortasse *Curiclum*) est hodie Cornichia in insula vegna prope ejusdem vocabuli oppidum.

(54) *Ludowicum* scribit Andreas Dandulo.

ctum est quo, quadam die, dum prelibatus Carosus dux securus in palacio maneret, a predictis hominibus captus, evulsis oculis exilio retrusus est. Sui quoque secutores, id est Deusdedus Grurus, Marinus patricius, Dominicus monatarius et Tritulus Gradensis interfecti sunt. Dehinc neminem ducem constituere maluerunt, sed eo carente ab Ursone Olivolensi episcopo et Basilio et Johanne tribuno unius anni spacio dijudicabantur. Tunc domnus Johannes dux de Frantia in sancti Dimitrii festivitate reversus est; quem Venetici prompte suscipientes, ducatum sibi restituere satagerunt. Dominicus quidem Torcellensis episcopus, relicto episcopatu, monasterium peciit, et in loco ejus Johannes est ordinatus.

Circa hoc tempore Venetici negocii causa dum de Benevento revertebantur, a Narrentanis Sclavis capti, pene omnes interfecti sunt. Isdem vero domnus Johannes dux sanctissimi Marci evangeliste ecclesiam consecrare, et digne beatum corpus in eadem collocare procuravit. Preterea quidam Veneticorum, cognomento Mastallici, diabolica sugestione decepti, eundem Johannem sancti Petri de ecclesia in ejusdem festivitate venientem comprehendentes (*an.* 836), detonsa barba cum capillis, clericum apud Gradensem urbem consecrare fecerunt; qui ibi perstitit, interim diem ultimum vixit. Prefuit autem Veneticorum populo septem annorum spacio. Cui successit quidam nobilissimus, Petrus nomine, qui Johannem suum filium consortem in honore habere voluit. Iste namque tercio sui ducatus anno Sclaveniam bellicosis navibus expugnaturam adivit. Sed ubi ad locum qui vocatur Sancti Martini curtis perveniret, pacem cum illorum principe Muisclavo nomine firmavit. Deinde pertransiens ad Narrentanas insulas, cum Drosaico Marianorum judice similiter fedus instituit, licet minime valeret; et sic postmodum ad Veneciam reversus est. Ubi diu commorari eum minime licuit; sed denuo præparavit exercitum adversum Liuditum Sclavum, ubi plus quam centum Venetici interfecti fuerunt, et absque triumpho reversus est. Tunc (*an.* 840) in mense Madii sexta hora diei sol obscuratus est, et factus est eclipsis. Hac denique tempestate Theodosius patricius Constantinopoli ad Veneciam veniens, spatharii honoris investituram Petro contulit duci, integroque anno ibi commoratus est, ex imperatoris parte eundem ducem efflagitans ut expeditionem Sarracenos ad expugnandos sibi adtribuere non recusaret; quod libenter dux facere non denegavit. Tunc præparare sexaginta bellicosas naves omni sub festinatione studuit, et usque ad Tarantum, ubi Saba Saracenorum princeps cum maximo exercitu manebat, easdem destinavit. Sed a Sarracenorum multitudine pene omnes Venetici capti et interfecti sunt. Iidem nempe Sarraceni, videntes quod in christianis victoriam essent consecuti, ad Absarensem civitatem (55) usque pertingere non dubitaverunt, et in feria secunda pasce incendio eam devastantes, ad Anconam civitatem transierunt; quam similiter igne concremantes, multos captivos exinde secum detulerunt. Deinde vastum per mare huc illuc [56] navigantes, Adrianensem portum (56), qui vicinus Veneciæ subsistit, applicuere. Uli cum sortis industria se illic nullam predam capturos pervidissent, reddeundi iter ad propriam arripuerunt [57]. Postquam vero ad exitum Adriatici culfi (57) pervenerunt, naves Veneticorum quæ de Sicilia seu de aliis partibus revertebantur, omnes ab eisdem comprehense sunt.

In secundo vero anno iterum previcti Sarraceni maximo cum exercitu usque ad Quarnarii culfum (58) pervenerunt. Quos Venetici navali expedicione aggredientes, acriter juxta locum qui Sansagus [58] (59) nominatur supra eosdem irruerunt [59]. Sed demum Venetici dantes terga, victi regressi sunt. Predicti Sarraceni etiam Romam ausi sunt adire (*an.* 846, *Aug.*), ecclesiamque sancti Petri deprædare. Verum ad [60] sancti Pauli cum pervenissent, a Romanis civibus pene omnes occisi sunt (60).

Circa hæc tempora Sclavi venientes ad Veneticorum loca expugnanda, Caprulensem tantummodo castrum depredaverunt.

Interea Ludovicus Francorum rex Beneventi principatum adivit (*an.* 848), et capto Abomasale (61) inimico, cum suis Romam regressus est [61], sicque ab apostolico coronatus et unctus est in regem (*an.* 850, *Apr.* 6). Fertur quoque tunc Ragusiensem civitatem maris et venti impetu maxima ex parte cecidisse. Denuo Anchona civitas [62] iis diebus depredata est. Venerius quidem Gradensis patriarcha, qui pontificalem cathedram annis rexerat 24 et mensibus octo, mortuus est et Victor patriarcha extitit sibi successor. Illud etiam non pretermittendum, quod antedicti duces ad sua tuenda loca eo tempore duas bellicosas naves tales perficere studuerunt, quales nunquam apud Veneciam antea fuit; quæ græca lingua [63] zalandriæ dicuntur. Iis diebus [64] Ursus Olivo-

VARIÆ LECTIONES.

[56] h. i. *suprascripta* 1. [57] ar *suprascriptum* 1. [58] g *suprascriptum* 1. [59] *vox suprascripta* 1. [60] d *suprascriptum* 1. [61] *vox suprascripta* 1. [62] *add. in marg.* [63] a lingua *suprascripta* 1. [64] is d. *suprascripta* 1.

NOTÆ.

(55) Ossero in insula Cherso sinus Flanatici.
(56) In ostio Padi.
(57) Id est *sinus*.
(58) Sinus in quo insulæ Cherso, Lussin, Arbe, Pago jacent.
(59) Sansego insula parva ab occidente insulæ Lussin.
(60) Quod et Prudentius in Ann. testatur.
(61) *Amelmassar*, *Massar*, in Chron. Casinensi, ab Andrea Berg. et Erchemperto vocatur.

lensis ecclesie presul, qui pontificalem sedem annis gubernavit 32, hominem exivit [65]. Cui successit Maurus episcopus. Eo vero anno (860) talis glacies apud Veneciam dicitur fuisse (52), qualis nec antea nec postea visa est.

Mortuo vero Victore patriarcha, qui Gradensem ecclesiam annis gubernaverat sex et mensibus tribus et diebus quattuor, Vitalis hanc adeptus est sedem.

Anno quidem Domini nostri Jesu Christi incarnatione [66]..... Lodovicus Longobardorum rex una cum conjuge sua ad locum qui Brundulus (63) vocatur veniens, apud sancti Michaelis monasterium ab utroque duce honorifice susceptus est. Ubi cum triduo simul comanerent, ad dilectionis seu pacis vinculum corroborandum Johannes dux suam de sacro baptismate sobolem regem promovit ut susciperet. Quo peracto rex cum conjuge Italiam, duces vero ad pallaticium [67] reversi sunt. Eo tempore Normannorum gentes cum trecentis sexaginta navibus Constantinopolitanam urbem adire ausi sunt. Verum quia nulla racione inexpugnabilem ledere valebant urbem, suburbanum fortiter patrantes bellum quamplurimos ibi occidere non pepercerunt, et sic predicta gens cum triumpho ad propriam regressa est. Is etiam diebus Caroli, Francorum regis et Lotharii [68] filii (64), exitus Lodovico Longobardorum regi denuntiatus est (*an.* 865); et isdem Francis interpellantibus, illuc ire festinavit, eosque sub suo mansuros regimine adquisivit, duorumque deinceps regnorum imperator effectus est. Tunc vero Mauro Olivolense episcopo mortuo, qui pontificali honorem rexit annos decem, Dominicus episcopus sibi successor extitit.

Interea cum essent anni ab incarnatione nostri Redemptoris..... Johannes dux diem finivit supremum, et ducatus in suo genitore solo remansit; qui uno anno post filii funus dum in sancti Zacharie monasterio diem celebraret festum, a pessimis hominibus, exiente eo, peracto vespero, de ecclesia, insons crudeliter interemptus est. Cujus corpus sanctæ moniales in ejusdem ecclesie atrio sepelire studiose procuraverunt. Gubernavit autem Venetiorum populum..... annorum spacio. Deinde ad eundem dignitatis culmen quemdam virum Ursonem nomine sublimarunt (*an.* 864). Nomina nempe homicidarum qui hoc facinus peregerunt, hec sunt: Johannes Gradonicus cum quodam suo nepote, Petrus Stephani Candiani filius, Stephanus de Sabulo, Dominicus Faletri filius, Ursus Grugnarius, duo fratres Salbiani filii, et multi alii, nomina eorum ignoramus [69]. Sed divina clemencia diu noluit inultum hoc pretermittere scelus. In sancti Sixti festivitate Johannes Gradonicus cum duobus natis, Stephano de Sabulo, Johannes Labresella occisi sunt. Petrus quidem Candianus, et Petrus Cletensius, Petrus Flabianicus, Dominicus Faletrus per Petrum Equilegensem episcopum et Johannem Gradensem archidiaconem, et Dominicum Massonem Constantinopolin ad exulandum destinati sunt. Ceteri namque, id est Stephanus Candianus cum Johannis Gradonici nepote, seu omnes sceleris predicti conscii, repulsi a patria, exilio apud Franciam damnati, redeundi aditum numquam repperire valuerunt. Tamen unus illorum qui apud Veneciam remansit, id est Ursus Grugnarius, a demonio conquassatus expiravit. Prelibatus quidem Ursus dux adversus Dommagoum, Sclavorum principem, cum navali expedictione properavit. Sed cernente eo Veneticorum multitudinem, proibuit pugnam, pacem requisivit. Deinde acceptis obsidibus dux ad Veneciam repedavit. Eodem videlicet tempore Deusdedus Torcellensis episcopus a duobus suis servitoribus apud Altinum interfectus, diem finivit ultimum. Quod audiente dux, unum ex illis juxta flumen quod Silis vocatur, alterum vero in Torcellensi lacuna suspendere permisit. Prefuit autem Altinati ecclesiæ antedictus episcopus annis..... Ecclesia namque sancte Dei Genetricis et Virginis Mariæ, quæ vetustate pene consumpta manebat, a Marini patricii filiis consolidata est. Hac denique tempestate Michael imperator interfectus est (*an.* 867). Basilius vero [70] cum suo filio Constantino imperatores effecti [71] sunt.

Is diebus Ursoni Veneticorum duci nunciatum est quod exercitus Sarracenorum juxta Tarantum maneret. Tunc navibus bellicosis eosdem dimicaturos adivit. Cumque diu inter sese [72] decertantes, Sarraceni superati cecidissent, Venetici victores reversi sunt. Interea Baris civitas domni Ludovici regis Francorum et Longobardorum ab exercitu capta est (*an.* 871, *Febr.* 2); quam videlicet civitatem, Bandone ejusdem civitatis gastaldio agente, Sarracenorum gens per annos circiter 30 tenuerunt. Trigesimo primo anno, divina favente gratia, reddita est illis impietas quam Christianis civibus olim intulerant. Capta est autem quarto Nonas Februarias, qua die sancte Dei Genitricis Virginis Mariæ purificatio celebratur. Sequenti vero anno (872) mense Madii item Sarraceni Creta insula egredientes, quasdam Dalmaciarum urbes depopulati sunt, pariterque etiam Braciensem ejusdem provinciæ [73] urbem invaserunt. Quod cum domno Urso duci denunciatum foret, parvam naviculam cum 14 hominibus ad Istriam usque destinare sub festinacione studuit, quatenus Sarraceni ne forte Veneciam petere vellent

VARIÆ LECTIONES.

[65] *in marg. recentiori manu adjecta* : Obiit à VIIIe Luje [66] A. q. d. n. I. Ch. ab i. *post inscripta sunt in lacunam, ut pallidius atramentum demonstrat.* [67] *i. e.* palatium. [68] ejus *supra scribitur, perperam.* [69] n. c. i. *suprascripta* 1. [70] *vox suprascripta* 1. [71] *ita* S; interfecti *ed. st codd.* (?). [72] se *alterum suprascriptum* 1. [73] e. p. *suprascripta* 1.

NOTÆ.

(62) V. Rudolfi Annales, a. 860.
(63) Brondolo.
(64) Provinciæ regis.

vel qualis eorum fortitudo subsisteret explorare deberent. Qui cum Gradensi de civitate Istriam petituri exissent, predones [75] Sclavi, qui in portu Silvodis reclusi latitabant, supra eandem naviculam velociter irruerunt. Ubi cum uterque pars fortiter dimicaret multique Sclavorum percussi deficerent, novissime vero capta Veneticorum ab eisdem Sclavis navicula, omnes Venetici qui intus erant occisi sunt. Predicti autem Sarraceni, urbibus quas diximus devastatis, cum inestimabili preda ad propriam sunt reversi. Eodem vero tempore dum Lodovicus imperator adhuc apud Beneventum commoraretur exercitusque ejus Taranti civitatem obsideret, quam Sarraceni captam detinebant, Adelchisi Longobardorum princeps imperatorem extinguere mollitus est (*an.* 871, *Aug.* 25). Sed cum facile hoc nefas perficere non valeret, sacramento eum constrinxit quod ultra in regione eadem nec ipse nisi rogatus veniret, nec exercitum mitteret. Deinde ad Beneventum cum rediret, Sarracenos qui apud Terracinam Campaniæ manebant aggressus (*Sept.*) fortiter debellavit, undecimque milia ex eis occidit, et sic ad Italiam reversus est.

Hac denique tempestate mortuo Vitale patriarcha qui Gradensem ecclesiam annis rexerat... [75] (65), domnus Petrus diaconus in loco ejus electus est, vir sanctitate precipuus, grammatice artis peritus. Hic dum tanti honoris se indignum judicaret, priusquam eligeretur, ad Italiam confugit; sed tandem precibus reductus, invitus ad pontificale culmen ascendit. Lodovicus pius imperator tunc Veronæ (66) obiit (*an.* 875, *Aug.* 12). Apud Torcellum quidem mortuo Senatore episcopo, qui Altinatis ecclesiam annis gubernavit, subrogatus est in ea sede [76] Dominicus abbas Altinatis monasterii, qui olim fuerat monachus sancti Illarii, et inde egressus, pro impositio crimine veretro sibi absiso, apud Spoletum postmodum aliquamdiu moratus est. Quem dum contra ducis decretum Petrus egregius patriarcha sub anathematis vinculo coarctaret, ejusdem [77] ducis amissa gratia egressus, Istriensem peciit provinciam.

Circa hec tempora Sarraceni advenientes, Gradensem urbem capere conati sunt. Sed civibus fortiter decertantibus, Sarracenorum impietas non prevaluit. Tamen cum duobus predictam urbem diebus obsedissent, denunciatum est domno Urso duci; qui instanter Johannem filium suum adversus eosdem cum navali exercitu misit. Quod dum Sarraceni sorte investigarent, protinus recedentes ab urbe, Cumaclensem (67) villam depopulati sunt.

Domnus vero Petrus patriarcha, relicta Gradensi urbe, Rivoaltum adveniens, apud sancti Juliani sui [78] patrimonii ecclesiam ospitatus, ibi per integrum annum commoratus [79] est. Tamen perfectam cum duce pacem propter Torcellensem electum minime habebat. Tandem patriarcha duci resistere non valens, occulte de Venecia exivit, Romamque adire disposuit; quem domnus papa Johannes devote suscipiens, integro anno secum morari coegit. Eo tempore domnus Ursus dux Johannem filium suum in dignitate sibi consortem fecit. Tunc Sclavorum pessime gentes et Dalmacianorum Ystriensem provinciam depredare ceperunt. Quattuor videlicet urbes ibidem devastaverunt, id est Umacus, Civitas nova, Sipiares, atque Ruinius (68). Deinde nunciatum est domno Urso duci quod Gradensem ad urbem vellent transire; cum triginta navibus ad predictam civitatem venit. Inde pertransiens Istriam, audacter super eosdem Sclavos inruens, in tantum eosdem cede prostravit, ut nemo illorum evadens patriam valuit reverti. Quoniam hisdem princeps celitus victoriam consecutus, Sclavos quos in hoc certamine ceperat liberos dimisit, ecclesiarumque res quæ sublatæ in prelibata provincia fuerant restituit, sicque triumphali cum gloria palatium rediit. Et propter hoc fedus quod inter Sclavos et Veneticos olim fuerat, disruptum est. Eo tempore Saudan Sarracenorum princeps, qui in Varensi [80] urbe (69) jam dudum captus usque ad tempus istud carcere trusus manebat, ab Aldegisi Longobardorum duce dimissus (*an.* 876), iterum post aliquantum tempus Tarantum reddiit, multaque postea Christianis mala induxit. Dehinc mortuo Domogoi, Sclavorum pessimo duce, domnus Ursus dux et Johannes suus filius cum Sclavis pacem et concordiam iniit. Tamen adversus Narrentanos cum quibus jurgium habebat, exercitum misit.

Hac tempestate Dominicus Olivolensis episcopus mortuus est, qui Olivolensem sedem annis gubernavit.....; domnus Johannes archidiaconus, Marini patricii filius, in loco ejus ordinatus est. Petrus siquidem patriarcha, qui Romæ fuerat, una cum Johanne papa Ravennam adveniens, ibique septuaginta episcoporum sinodo congregata, duos episcopos Venetiæ, id est Petrum Equilensem et Leonem Caprulensem, et eos qui erant in eadem provincia electos ad eundem concilium convocavit, ut contentionis causam inter Ursonem ducem et patriarcham diligentissime determinaret. Sed dum episcopi cum electis tarde et expleta jam sinodo Ravennam venirent, communione a papa privati, duce tamen inter-

VARIÆ LECTIONES.

[75] *vox suprascripta* 1. [75] *manus recentior supplevit in codice* 3. [76] c. s. *suprascripta* 1. [77] e. d. a. g. *suprascripta* 1. [78] s. p. *suprascripta* 1. [79] c. e. *suprascripta* 1. [80] *ita* 1. 2. 3.

NOTÆ.

(65) Annis 19, mense 1, diebus 6. Chron. Gradense.

(66) Immo in finibus Brescianis, teste Andrea presbytero. S8. III. 237.

(67) Comachio.

(68) Umago, Cittanuova, Cervere, Rovigno.

(69) Bari.

pellante soluti sunt. Circa hæc tempora Carolus Francorum rex, quem dudum Johannes papa regem Italiæ unxerat (*an.* 877, *Sept.*), Papiam adveniens, regnum invasit; ad quem papa profectus, digno honore susceptus est. Petrus vero patriarcha Boloniam veniens, aliquandiu ibi commoratus, rursus Parmam adiit, ac deinde domni papæ amore Papiam petiit. His diebus Carlemannus Baiovarorum rex, magno cum exercitu ingressus Italiam, Carolum effugavit. Qui videlicet Carolus Franciam cum petere vellet, infirmitate detentus, in via mortuus est (*Oct.* 6). Domnus quidem papa Romam reversus est, Petrum vero patriarcham Papiæ reliquit. Qui ibi aliquantis diebus manens, dehinc Tarvisium veniens, a Landono ipsius civitatis episcopo dignissima veneracione susceptus est. Ubi cum, legatis inter ipsum et predictum ducem euntibus, tandem pax pristina consolidata esset, isdem egregius pontifex Veneciam repedavit, et duce interpellante aliquantis diebus in palacio mansit; ea vero ratione, ut Dominicus presbyter, Torcellensis ecclesiæ electus, pro quo inter eos discordia fuerat, diebus Petri patriarchæ episcopali consecratione careret, in episcopii tamen domo manens fruendi rebus ipsius ecclesiæ licenciam haberet. Qui post paucos dies cum gratiam aput condictum pontificem repperiret, eum in Torcellensi ecclesia ad convivium invitavit. Deinde ad Gradensem urbem patriarcha reversus, tres electos episcopos consecravit, id est Johannem Olivolensem, et Leonem Metamaucensem, et Johannem Civitatis nove. Petrus vero patriarcha post paucum tempus ad [81] Rivoaltum adveniens, in sancti Juliani basilica ospitatus est; qui non diu corporis sospitatem gerens, molestia preventus in eadem ecclesia, sancta ejus anima migravit ad gloriam. Gubernavit autem Gradensem ecclesiam annis quattuor et mensibus sex. Fuit autem statura decens et aspectu pulcher, non plus ætatis quam quadraginta annorum extitit. Cujus corpus maximo cum honore Venetici ad [82] Gradensem urbem deportantes, ante sanctæ Euphemiæ ecclesiam in atrio sepellierunt.

Post hunc vero ad Gradensem gubernandam ecclesiam Victor, presbyter sancti Silvestri basilice, successit. His diebus Sedesclavus, Tibimiri ex progenie, imperiali fultus præsidio Constantinopolim veniens, Scavorum [83] ducatum arripuit, filiosque Domogoi exilio trusit. Eo videlicet tempore domnus Ursus dux ab imperialibus internunciis protospatharius effectus, donis amplissimis ditatus est, suamque filiam nomine Feliciam Rodoaldo, Johannis ducis Bononiæ filio, in conjugium tradidit. Johanna siquidem abbatissa, domni Ursi ducis filia, sancti Zachariæ monasterium jam pæne consumptum vetustate a fundamentis recreare studuit. Tunc Victor electus patriarcha 8 Kal. Febr. consecratus est (*Jan.* 25); qui etiam Dominicum Torcellensem electum contra voluntatem consecravit, quoniam in suæ electionis die sacramento a principe constrictus est, ut qualem ipse illi electum dirigeret, talem ille consecraret. Dixit tamen sibi patriarcha: *Ve tibi, quia temere ad hunc accedis honorem! An nescis ubi dicitur: Si quis semet ipsum abscideri, dejicitur a clero? Et ut coacte me hoc facere credas, in die judicii pro hoc honore, nisi penitens, rationem reddas, quia tibi ipsi verendam amputare minime pepercisti.*

Circa hæc tempora mensis Madii die 22 sanguis de nubibus pluit. Tunc Johannes Olivolensis ecclesiæ presul obiit, qui prædictam ecclesiam annis gubernaverat. . . . . quem Laurentius presbyter ad hanc sedem regendam secutus est. His diebus quidam Sclavus nomine Brenamir, interfecto Sedescavo ipsius ducatum usurpavit. Domnus quidem Ursus dux efflagitante Basilio imperatore eo tempore 12 campanas Constantinopolim misit, quas imperator in ecclesia novo iter ab eo constructa posuit, et ex tempore illo Greci campanas habere coperunt.

Mortuo vero hac tempestate (*an.* 881) domno Urso duce, dignitas in Johanne suo filio remansit. Fuit autem predictus Ursus multæ sapientiæ et pietatis vir amatorque pacis. Ipse aput Civitatem novam Eraclianam palacium construere fecit. Temporibus cujus in Rivoalto etiam paludes cultandi homines licenciam habuerunt et domos edificandi contra orientem. Insula namque que Dorsumduram vocatur, consulente ille composita fuerat. Gubernavit autem predictum honorem annis 17, et mortuus est ac sepultus in sancti Zachariæ monasterio. Johannes vero dux Cumaclensem comitatum ex Romani pontificis largitate adquirere cupiens, Badovarium suum fratrem Romam direxit: qui dum Ravennam adiret, Marinus Cumaclensium comes super eum viros armatos misit, et ibi vulneratus in crure captus est. Tunc predictus comes, ne hanc injuriam requireret, sacramento eum constrinxit atque dimisit. Sed reversus ad [84] Veneciam, statim vitam finivit. Propter quam causam domnus Johannes dux navali exercitu Cumaclensem castrum properans, ejusdemque populum atquisivit, et ordinatis ibi secundum suum velle judicibus, ad palacium reddiit, et morte fratris ulciscenda Ravennates depredari jussit. Circa hæc tempora mense Julio stella de oriente in modum facule visa est pertransisse, que totum pene mundum illuminavit. Post cujus transitum visum est hominibus in cœlum audisse in modum sonitum portarum cum aperiuntur et clauduntur, et propterea dicebant quod celum apertum esset et clausum. Tunc Victor patriarcha ex hac luce migravit, qui Gradensem gubernaverat ecclesiam annis 18, sepultusque est in atrio sanctæ Eufemiæ. Quem successit Georgius, frater ipsius, qui

VARIÆ LECTIONES.

[81] ad *suprascriptum* 1. [82] ad *suprascriptum* 1. [83] *lege* Sclavorum. [84] ad *suprascriptum* 1.

non plus quam anno uno et mensibus 6 et diebus 21 vixit. Hunc Vitalis junior ad regendam successit ecclesiam. Domnus siquidem Johannes dux, corporis infirmitate detentus, Petrum minimum suum fratrem, populo adclamante, successorem sibi elegit. Quem postea cum convaleret, habere eum consortem voluit. Ipse vero [65] infirmitate correptus, non diu cum fratre manens expiravit, sepultusque fuit juxta predictum Badovarium fratrem suum, qui non plus annorum quam 25 fuerat. Domnus vero Johannes dux sanctorum Cornelii et Cipriani ecclesiam a fundamentis in loco qui Vinea contra nominatur edificare fecit. Tunc imperator Basilius migravit ab hac luce (*an.* 886).

Prelibatus Johannes dux alterum germanum suum, Ursum nomine, sibi consortem fecit. Siquidem domnus Ursus dux dum quattuor haberet filios, id est Johannem, Badovarium, Ursum et Petrum, omnes ducatus dignitate præter Badovarium claruerunt. Eodem vero tempore aquæ diluvii in finibus Venetiarum fuerant, in tantum ut omnes ecclesias sive domos penetrarent. Deinde cum domnus Johannes dux adhuc infirmitate detentus, frater ejus ducatum rennueret, Venetici ducem sibi constituerunt Petrum videlicet, cognomento Candianum, infra domum ipsius 17 die mensis Aprilis (887). Quem domnus Johannes dux clementer ad palatium convocans, spatam (70) fustemque ac sellam ei contradidit, eumque sibi successorem constituens ad domum suam reversus est.

Suscepto itaque ducatu Petrus dux cum domno Johanne duce ejusque germano satis honorifice egit; et contra Narrentanos Scavos confestim exercitum misit. Qui cum sine effectu reversus esset, tunc per semet ipsum cum 12 navibus mense Augusto in mare hostiliter est egressus, et ad montem Scavorum perveniens, in loco qui vocatur Mucules exivit, licet cum paucis. Sed Sclavos sibi resistentes, primum in fugam vertit, multosque ex illis occidens, quinque naves illorum que ibi erant, securibus fregit. Sed demum irruentibus Scavis, ibidem interfectus est cum aliis septem mense Septembris die octavo decimo, ceteri vero incolomes reversi sunt. Tenuit autem ducatum idem Petrus dux menses 5. Fuit autem vir bellicosus et audax, sapiens et amodum largus; ecclesiam vero in tantum frequentans, ut nullo tempore divino careret officio. Cujus corpus Andreas tribunus latenter a Sclavis sublatum Gradensem urbem misit, ibique sepultus est in atrio ecclesiæ. Fuit autem statura mediocris, annorum quadraginta quinque. Tunc domnus Johannes dux, A quamvis adhuc infirmis, deprecante populo ad palatium rediit.

(*An.* 888.) Sed diucius stare nolens, licentiam populo dedit ut constitueret sibi ducem quem vellet. Tunc omnes pariter elegerunt sibi Petrum nobilem virum, filium Dominici tribuni; qui videlicet Petrus natus fuerat de Agnella neptia Petri superioris ducis, quem ad monasterium diximus interfectum. Mortuo itaque ipso tempore Vitale patriarcha, qui ecclesiam Gradensem gubernaverat annis 3 et mensibus 3 diebusque 14, successit sibi Dominicus patriarcha. Domnus vero Johannes dux rursum ad domum propriam reddiit, ibique usque ad vitæ finem mansit.

B Interea (*an.* 899) Ungrorum pagana et crudelissima gens Italiam veniens, incendiis et rapinis cuncta devastans, maximamque multitudinem hominum interficiens, nonnullos etiam captivos reservavit. Contra quos Berengarius rex direxit exercitum 15 milia hominum. Sed pauci ex eis reversi sunt. Ungri vero pertransenntes Tarvisium, Patavium, Brixiam, ceterosque fines, Papiam et Mediolanum venerunt et usque ad montem Job (71) depopulantes cuncta. Sed ad Venecias introgressi cum æquis adque pelliciis [66] navibus (72), primo Civitatem novam, fugiente populo, igne concremaverunt. Deinde Equilum, Finem, Cloiam, Caputargelem incenderunt, litoraque mari depopulaverunt. Verum etiam temptantes Rivoaltum et Metamaucum ingredi per loca que Albiola vocantur in die C passionis sanctorum apostolorum Petri et Pauli, tunc domnus Petrus dux navali exercitu, Dei protectus auxilio, predictos Ungros in fugam vertit. Fuit namque hæc persecucio in Italia et Venetia anno uno. Rex igitur Berengarius, datis obsidibus ac donis, predictos Ungros de Italia recedere fecit cum omni preda quam ceperant. Hac scilicet tempestate Dominicus patriarcha migravit a sæculo, ecclesiam Gradensem rexerat annis 7 et mensibus 11. Cujus Laurencius successor extitit. Circa hec vero tempora domnus Petrus dux una cum suis civitatem aput Rivoaltum edificare cepit (73) anno sui ducatus 9, sicque Leo imperator protospatharii honorem sibi injunxit. Predicte vero civitatis murus D a capite rivuli de castello usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ que de Jubianico dicitur extendebatur. Maximaque catena ferrea inibi composita erat, quæ uno capite in fine predicti muri, alio vero in sancti Gregorii ecclesiæ margine, quæ trans ripam posita est, coherebat, ob hoc videlicet, ne ulla navis penetrandi facultatem nisi dissoluta catena haberet. Vixit

VARIÆ LECTIONES.

[65] vero *suprascriptum* 1. [66] *ita* 1; bellicis *ed.*

NOTÆ.

(70) In antiquis nostratibus nummis argenteis, vulgo grossi, seu matapanes dux dextera vexillum, sinistra fustem gerit, seu sceptrum. Zan

(71) Jovis, S. Bernhard.

(72) Navibus ex pellibus confectis.

(73) Primordium urbis Venetiarum. Zan.

autem jam dictus Petrus [87] dux in ducatu annis 23, et mortuus est (*an.* 912), sepultusque in sancti Zachariæ monasterio, de cujus funere non modice Venetici condoluerunt, quoniam plenus omni bonitate honorifice rexit ducatum. Quem successit ad hanc regendam dignitatem domnus Ursus cognomento Particiacus, qui mox ut dux effectus est, suum filium Petrum nomine Constantinopolim ad Leonem imperatorem destinavit. Quem imperator cum honore suscipiens, protospatharium [88] fecit, ditatumque maximis donis ad propria redire permisit. Qui dum Chroatorum fines rediens transire vellet, a Michahele Sclavorum duce fraude deceptus omnibusque bonis privatus, atque Vulgarico regi, Simeoni nomine, exilii pena transmissus est. Quem pater perditum acriter dolens, minime acquirere quivit, interim per suum internuncium, Dominicum videlicet Metamaucensem archidiaconem, qui postea episcopus effectus est, suis donis redimeret.

His autem diebus defuncto Leone imperatore (*an.* 912), Constantinus ejus filius imperium adeptus est. Ipso etiam tempore Laurentius patriarcha hominem exivit, qui Gradensem ecclesiam rexerat annis 12, mensibus 9, diebus 24, tumulatusque est in sanctæ Eufemiæ atrio. Quem Marinus patriarcha successit. Prelibatus itaque Ursus dux, dum ducatum annis gereret 20, jam senex effectus terrena penitus parvipendens cœnobitalemque habitum in sancti Felicis monasterio devote suscipiens, ibi vitam finivit. Fuerat namque ingenio preclarus, sanctitate preditus, justitie amator, elemosina dapsilis, omnibusque bonis fultus. Post cujus discessum quidam nobilissimus Petrus cognomento Candianus ducatum suscipiens, nihilo minus sui decessoris exemplo subditum sibi populum tractare conatus est. Ubi dum Cumaclensis insulæ homines quosdam Veneticos temere comprehendissent, ipse vero tanti dedecoris injuriam non ferens, misso illuc exercitu ipsorum castrum igne combussit, quosdamque illorum interficiens, reliquos utriusque sexus ad Veneciam duxit, ibique tamdiu ipsos detinuit, donec sese suæ dicioni sacramentorum fide subderent et ut proprii sibi deinceps in omnibus obtemperarent. His namque diebus quidam Olivolensis episcopus Dominicus nomine defunctus est, quem successit Petrus, Petri tribuni filius. Antedictus vero Petrus Candianus dux suum dilectum equivocum filium Constantinopolim ad Constantinum et Romano imperatores transmisit, a quibus protospatharius effectus, cum maximis donis ad Veneciam rediit. Qui vero prelibatus dux post adventum filii non plus quam quinque annorum spacia vivens, ab hac luce subtractus est. Quem successit [89] Petrus Ursonis [90] ducis filius, is qui aput Vulgaricum regem fuerat exulatus. Sane non absurdum videtur interponere, quomodo predictus Romano inperiale fastigium usurpavit. Leo scilicet imperator quem supra memoravimus, dum solito more navalem exercitum in Sarracenos mitteret, eundem Romano, qui tunc delongarii officio fungebatur, primum eductorem ipsius exercitus constituit. Interea mortuo Leone imperatore, Constantinus ejus filius omnium electione imperium est adeptus. Qui statim ad Romano suos delegavit nuntios, mandans ut una cum exercitu Constantinopolim remearet; quibus respondisse fertur se nulla ratione Constantinopolim redditurum, neque sæ dicioni obtemperaturum, nisi eum in palacio majorem consiliarium et quasi patrem coleret: sin vero aliter, procul dubio sese totis nisibus suo imperio repugnaturum promisit. Mox namque verba operibus adimplens, civitatem quæ Avitus (74) dicitur adiit, ibique ne aliquis alimoniam Constantinopolim deferret penitus interdixit. Unde factum est, ut cives inedia pene consumpti, imperiali consilio eundem in palacio ut exoscerat receperunt (*an.* 919). Qui instanter suam filiam Constantino imperatori in conjugio tradidit. Tum (75) sibi tribusque suis filiis, id est Christoforo, Stefano et Constantino, imperialem coronam imposuit, sicque in uno palacio quinque simul imperatores manebant. Nam Christoforus, major Romano filius, non diu vivens, imperium cum vita perdidit (*an.* 920). His diebus mortuo Petro duce Badavario, qui rexerat ducatum annis 3, successit Petrus [91] Candianus, antedicti Petri ducis filius. Predicti namque quattuor imperatores inter se animos repugnantes, dum Stefanus et Constantinus fratres suum cognatum Constantinum occidere molirentur, interdicentem Romano patrem violenter monachum effectum, aput insulas quæ Paonariæ (76) nuncupantur exilio damnaverunt. Hoc denique paterno scelere patrato, iterum qualiter predictum Constantinum perdere conati sunt intimabo. Antiqua etenim consuetudo in Constantinopolitano palacio fuisse fertur, quo quisquo imperator milites illic haberet qui palatinas excubias sorte peragerent, quos Eolica lingua littorias (77) nominat. Cumque tres simul illo tempore imperium gubernarent, unusquisque illorum in palacio

VARIÆ LECTIONES.

[87] vox *suprascripta* 1. [88] Illum *additum est, sed signis suppositis indicatur non esse legendum.* [89] *suprascr. manu recentiori* XIIII^{c}XXXVII [90] *suprascriptum manu recentiori* Baduario. [91] *suprascr. manu recentiori* VIIII^{c}XL.

NOTÆ

(74) Abydos.

(75) His cum confer Liudprandi narrationem, Antapod. v. 21 sqq., quam noster ignoravit.

(76) Principum insulæ hodie; Romanum imperatorem in insulam Proten relegatum, Zonaras lib. XVI scribit.

(77) Fortasse a Latina voce *lictor*, Græco more iis sæculis inflexa, veluti καμπιδοὐκτωρας, *campiductores*; καντάτωρας, *cantatores*, aliæque id genus hybridæ voces, quæ etsi Latinæ, Græcis tamen litteris Græcaque inflexione descriptæ, a Græcis sequioris ævi passim usurpabantur. In codice tamen repo-

hujus conditionis proprios milites habebat. Quibus omnibus quidam eunuchus Gallus nomine preerat, cum quo quadam die duo fratres, id est Stefanus et Constantinus, clam tali ordine consiliati sunt, videlicet dum simul solito [95] ad mensam convenirent et duris sermonibus cognatum Constantinum exasperarent, mox ut condictum indicium magister ab illis sentiret, propriis militibus aditum exeundi panderet, qui eumdem Constantinum vel exstinguerent vel de palacio turpiter eliminarent, Constantini vero militibus, ne sibi favere possent, aditum interdiceret. Quod predictus Gallus libenter adimplere promisit. Sed Dei [96] providencia qui illum, scilicet Constantinum, imperare disposuerat, hanc malignam conspiracionem noluit sibi latere. Isdem vero Gallus, divina inspiratione, mox creditum sibi consilium Constantino prodere studuit, spopondit-que ut illis innuentibus, Constantini militibus quos claudere promiserat aperiret, illorumque milites quibus aperire spoponderat clauderet. Quod factum est. Cumque in crastinum ad mensam convenirent et predicti fratres injurias cognato imponerent, certus Constantinus fide Galli, illatis sibi injuriis constanter vicem reddere cæpit. Tunc illi innuentes inquiunt : *Numquidnam, Galle, possumus habere aliquos, qui in isto arrogante nostras queant vindicare injurias?* At ille : *Potestis*, inquit, et rapido cursu Constantini milites ad sui senioris auxilium promovit. Qui venientes, statim utrumque fratrem comprehenderunt, ac Constantini jussu clerici facti ad patrem monachum, quem ipsi exiliaverant, detulerunt. Quos cum patre [97] venientes cerneret, insultans ait : *Et unde in hac mea exilii solitudine tam devoti et pulchri clerici delati sunt? Sed qui patrem exiliare non puduistis* [98], *exilii penam simul non sustinebitis, ut, quem contempsistis habere consortem in honore, non habeatis consolatorem in dolore.* Mox vero per nuncios Constantinum suum generum taliter affatus est : *Noli, queso, mecum filios in uno exilio esse permittere, quia quos unum palacium capere nequivit, neque unum exilium capiat.* Tunc Constantinus imperator alterum illorum, id est Stefanum, ad insulam que Proconisum (78) nuncupatur, alterum vero, id est Constantinum, ad Sumatrapi (79) insulam exiliari jussit; qui videlicet Constantinus aput eandem insulam post parvum tempus a quodam imperatoris milite cautte est truncatus [99].

Imperatorum Grecorum ratio coegit nos a nostræ istoriæ serie aliquid discedere. Nunc necesse est illam ordine repetere. Igitur Petrus Candianus dux, quem prediximus, sexto sui ducatus anno, triginta et tres naves quas Venetici gumbarias nominant contra Narrentanos Sclavos misit, quibus Ursus Badovarius et Petrus Rosolus prefuerunt. Qui absque effectu reversi sunt. Iterum namque totidem contra eos mittere studuit. Quæ federe firmato ad propria redierunt. Eo videlicet tempore mortuo Petro Olivolensi episcopo, qui episcopatum rexit annis. . . ., Ursus sibi successit. Antedictus quidem Petrus dux tres habuit filios, quorum unum nomine Petrum, populo suggerente, consortem sibi elegit (*an.* 959). Qui paterna monita flocti [97] pendens, adversus eum insurgere temptavit, adeo ut quadam die utrarumque parcium milites ad pugnam peragendam in Rivoalto foro convenirent. Sed dum infirmo et vetulo patri major pars populi obtemperaret filiumque perdere vellet, tandem pater misericordia motus, ne illum occideret [99], rogare cæpit. Tamen volens populo satis facere, extra patriam illum exire jussit. Deinde omnes tam episcopi quam cuncto clero cum omni populo, facta conspiratione juraverunt, quo nunquam nec in vita nec post hobitum patris eum ducem haberent. Is autem Petrus, qui patria pulsus fuerat, comitante illo Georgio diacono et Gregorio quodam presbitero una cum 12 propriis servis ad Hwidonem marchionem, Berengarii regis filium, pervenit. Qui eum devote suscipiens, patri Berengario regi presentavit. A quo similiter cum honore susceptus, ut secum ad Spoletensem seu Camerini marchiam debellandam properaret, invitatus est. Qui rediens, accepta a rege licentia de Veneticis vendicandi, Ravennam adiit. Ubi cujusdam relatione didicit, septem Veneticorum naves in portu qui vocatur Primarius (80) fore, quæ negotiis honerate, Fanensem urbem proficisci disposuerant. Tum sex Ravennatum navibus adeptis, contra easdem hostiliter irruens, eas absque obstaculo comprehendit. Sicque Ravennam reversus est. Interea mortuus est Petrus dux pater ipsius, qui decem et septem annis rexerat ducatum. Post filii quidem ejectionem non plus quam duobus mensibus et 14 diebus vixisse fertur. Anno igitur Incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo quinquagesimo nono, omnis Veneticorum multitudo una cum episcopis et abbatibus convenere, et sacramenta oblivionis tradentes, cum trecentis pene navibus preparatis Ravennam, ut supradictum Petrum in ducatus honorem restituerent, properarunt. Quem suscipientes, cum tali apparatu ad palatium duxerunt, sacramentorumque fide principem iterum

VARIÆ LECTIONES.

[95] to *suprascriptum*. [96] *vox suprascripta* 1. [97] *sic in codd. Urb. et Vatic., sed emendatum est in* pater *in cod. Urb. manu recentiore*. [98] *ita scribo;* duistis 1. 2. *in hoc emendatum corr. in* timuistis. [99] *hinc littera nullo minor et æqualior, sed ejusdem manus.* [97] *ita infra;* flo. . pendens 1. flocipendens 2. [99] t *post add.* 1.

NOTÆ.

pendum *lictoras* pro *littoras*, quos interpretor *somatophylaces*, custodes corporis. ZAN.

(78) Proconnesus.

(79) Samothrace.

(80) Porto di Primaro, in ostio meridionali Padi.

recrearunt. Qui non post multum tempus nacta occasione, maritale thorum Johanniæ uxori suæ interdicens, in sancti Zachariæ cœnobio monachicam vestem vi eam recipere coegit. Filium siquidem quem ex ea habuit, Vitalem nomine, clericum devovens. Gradensem patriarcham postmodum fieri promovit. Deinde Hugonis marchionis sororem (81) Hwalderada nomine in conjugio excepit, a qua servorum ancillarumque copiis prediisque maximis dotalicii jure acceptis, exteros milites de Italico regno, cum quibus defendere et possidere predicta prædia possed, acquirere studuit. Nempe tante audaciæ fuisse fertur, quo et subditos virtutis rigore plus solito premeret, extraneosque sibi obsistentes ulciscendo devinceret. Ferrariensis quippe castelli populum potentissime debellavit. Opiterginum quidem castrum igne concrematum devastari jussit. Nonnulloque alia se objurgantibus aspera intulit. Verum quia omnia gesta ab illo explicare minime possum, ejus exitum exarando demonstrare curemus. Octavo decimo quidem sui honoris anno (977), una cum filio parvulo quem de predicta Hwalderada habuit, tali ordine interfectus est. Dum illo (82) longo tempore Venetici ob austeritatem sui exosum haberent facultatemque perdendi sedule machinarent, quadam die facta conspiratione in illum insurgere adorsi sunt. Palatium tamen, qui bellicosis, licet paucis, militibus illum stipatum noverant, nulla ratione ausi sunt penetrare. Tandem nequam consilium invenientes, propinquas domos, quæ econtra palatium citra rivolum consistebant, igne mixto picino fomento accendere studuerunt, quatinus flamarum flexibilia culmina vicinum palatium attingere et concremare possent. Unde factum est, quod non modo palatium, verum etiam sancti Marci sanctique Theodori, nec non sanctæ Mariæ de Jubianico ecclesiæ et plus quam trecente mansiones eo die urerentur. Is autem dux cum ignis calorem fumique suffocationem diu inter palatium ferre nequiret, per sancti Marci atrii januas evadere cum paucis conatus est; ubi nonullos Veneticorum majores una cum generis affinitate suum expectantes periculum repperit; quos ut cernens taliter allocutus est: *Et vos, fratres, ad exicii mei cumulum venire voluistis? Si aliquid in verbis vel in rebus publicis deliqui, meæ insperate*[99] *vitæ spacium rogo, et omnia ad vestrum velle satisfacere promitto.* Tunc ipsi celeratissimum et morte dignum eum affirmantes, diris vocibus clamaverunt, quod nulla evadendi in illo possibilitas foret. Et instanter mucronum ictibus undique illum crudeliter vulnerantes, diva anima corporeo relicto ergastulo, superum petiit solita. Filium siquidem, quem nutrix ab incendii pœna liberavit, a quodam nequissimo cuspide transverberatus est, pariterque milites qui illi favere nitebantur, occisi sunt. Gelida namque corpora quorum, idem (83) genitoris et sobolis, ob ignominiam primitus exigua navi ad macelli forum, deinde quodam sanctissimo viro Johanne Gradonico nomine interpellante, ad sancti Yllari monasterium detulerunt.

Patrato vero hoc[100] nequissimo scelere, in sancti Petri ecclesiam convenerunt, ibique communi voto quendam virum, Petrum videlicet Ursoylum cognomine, preclarum generositate et moribus in ducatus honorem sublimare decreverunt. Qui puerili etate nil aliud quam Deo placere studens, ad tante dignatis provectum scandere contempnebat, timens ne sæcularis honoris ambitione propositum amitteret sanctitatis. Tandem importune populo interpellante, non humano favore, sed totius rei publicæ commodo hujusmodi principatus apicem accipere non recusavit. Deinde sacramentorum fide ab omnibus confirmatus, in propria domo degere voluit, ut interim sancti Marci ecclesiam et palatium recreare posset. Erat siquidem sibi conjux, Felicia nomine et merite, unius nati tantummodo mater, qui patris equivocus nomine, non dissimilis extitit opere. Post cujus vero conceptionem, quam angelico inditio diva mater fertur cognovisse, maritalem torum viro sibi obtemperante, inviolatum vicissim Deo conservare deinceps devovere. Ceperat namque isdem dux Veneticorum causas bene et utiliter tractare, censuramque legis in omnibus studiosissime observare, et omnium virtutum gratia pollere. Combustum vero palatium et sancti Marci ecclesiam honorifice propriis sumptibus redintegrare studuit. Interea Vitalis Gradensis patriarcha, predicti Petri interfecti filius, quorumdam Veneticorum consilio Saxoniam ad secundum Ottonem imperatorem properavit. Quem imperator devote suscipiens, dixit: *Cur ad me, pater, posita tanti itineris intercapedine meam presentiam adire voluisti?* At ille: *Proprii*, inquid, *parentes exicio coactus, ad tuam clementiam veni, quatinus mei infortunii meæque inopiæ consolator et fautor efficiaris.* Tunc cesar experta ordine hujus sceleris ratione, patriarcham secum manere aliquamdiu rogavit, suasque querelas pie veniabiliterque condoluit. Eodem quoque tempore domnus Hwarinus venerabilis abbas sancti Michahelis monasterii, quod in Equitanie partibus in loco qui vocatur Gussa-

VARIÆ LECTIONES.

[99] inspirate *corr.* inspirate *f.* [100] *suprascr. m. rec.* VIIII^{c} LXXIIII. *f.*

NOTÆ.

(81) Ugo rex Italiæ et Provinciæ dux.

Ubertus marchio Tusciæ ann. 970.

Ugo — Wal lrada nupta Petro Candiano Venet. duci.

Vide Guichenonium in Hist. genealog. famil. reg. Sabaud. p. 164, et Grandium in Vita D. Petri Ursceli, ubi plura de Waldrada seu Gualdrada Uberti marchionis filia. ZAN.

(82) Id. est *illum*.

(83) Pro *id est*.

nus (84) scitum manere decernitur, Romam ad apostolorum limina properavit. In redeundo quidem Dei fultus timore beatique Marci, Venetiam intravit, ibique aliquantis diebus orationis studio et domni Petri ducis precibus constrictus commoratus est. Quem dum domnus dux digna veneratione coleret et sedulæ divina colloquia simul agerent, expertus est abbas ducem prorsus terrena parvipendere habitamque dignitatem non ambitionis studio sed subditorum solatio obtinere; injunxit tamen sibi dicens: *Si vis perfectus esse, relinque mundum hujusque dignitatis apicem, et in monasterio Deo servire festina.* Cui dux: *Egregie*, inquid, *pater et meæ animæ lucrator, summa aviditate tuis monitis obtemperare gestio. Sed aliquanti temporis spacium rogo, inter im meam facultatem disponere queam. Postea vero in monasterio tuique regiminis vinculo summissus, Deo militare cupio.* His quidem determinatis, certam diem decreverunt, quas abbas Veneciam ad eundem suscipiendum reciprocaret. Tunc accepta licencia, ad suum monasterium repedavit. Antedictus vero dux ceptam patriæ salutem sollerti studio procurare non desiit, licet aliquanti, quorum consilio, ut diximus, patriarcha imperatorem adiit, sue ditioni perversos repugnantes efficerentur, adeo ut suam vitam crudeli funere perdere molirentur. Tamen tante bonitatis et divinæ virtutis gratia vigebat, ut quicquid ipsi de se clanculo iniqua machinatione determinarent, nemine indagante cognosceret, nullique resistenti aliquod nephas recompensare voluit, sed equo animo Dei timore omnia tollerando sustinebat. Inter hec statuta die prelibatus abbas ad Venetiam reversus est, ea occasione quo Hierosolimam ire vellet (*an.* 976). Quem Petrus dux libenter suscepit, et prima nocte diei Kalendarum Septembriarum ipse una cum Johanne Gradonico necnon Johanne Maureceni, suo videlicet genero, nesciente uxore et filio omnibusque fidelibus, occulte de Venetia exierunt. Qui non procul a sancti Illarii monasterio equos assendentes, jam detonsis barbis velocissimo cursu viam carpere ceperunt, in tantum in tercia die Mediolanensem ruram (85) transeuntes, Vergelensem urbem (86) conspicerent. Sequenti vero die Veneticorum populi perditum pastorem conquæsti sunt; quem minime reperientes, maximo tabescebant dolore. Fuit nempe pauperum nutritor, ecclesiarum recreator, clericorum et monachorum fauctor, omnibusque benivolus. De suis quidem facultatibus mille librarum numerum ad Veneticorum solatia in palatio largivit, alias mille in pauperum alimonias contulit; in sancti Marci altare tabulam miro opere ex argento [101] et auro Constantinopolim peragere jussit. Secum etiam maximam thesauri copiam ad predicti monasterii restaurationem deportavit. Rexit itaque ducatum annis duobus et mense uno. Nam non plus etatis quam quinquaginta annorum fuerat, quando sæcularem deposuit gloriam.

Post cujus discessum [102] Vitalis cognomento Candianus, vir totius prudentiæ et bonitatis, in ducatus honorem subrogatus est (*an.* 976). Quod audiens Vitalis patriarcha, qui apud Veronensem marchiam morabatur, in Venetiam intravit. Qui a duce interpellatus, cum suis nuntiis ad pacem inter imperatorem et Veneticos consolidandam Teutonicam petiit regionem [103], quoniam ducis Petri interfectione ammodum illos execrabiles exosque habebat; firmato autem fedare ad propria reversus est. Prædictus namque dux corporali molestia ingruente, quattuor diebus antequam vitam presentem determinaret monachum fieri et ad sancti Illari monasterium se deferri promovit. Præfuit autem Veneticorum ducatui anno uno mensibusque duobus, tumulatusque est in eodem monasterio (*an.* 977).

Quem Tribunus cognomento [104] Menius dignitate successit, qui, licet sæculari sollertia careret, maximis tamen fortunæ copiis exuberabat. Temporibus cujus aurea Venetia nonnullis ignominiorum periculis dehonestata est. Contigit autem ut Veneticorum majores primitus contra ducem insidias demolirentur, deinde inter sese invicem discidentes vicissim odiorum nequitiis inficiebantur. Interea inter Maurecenos et Coloprinos, Venetiæ proceres, maximum jurgium exortum est; adeo ut Stefanus Coloprinus cum filiorum et parentum afinitate, prædicti ducis consensu et virtute, quadam die in Maurocenos ablendos insurgerent. Sed Dei virtute hujus periculi flagitium providi omnes evadendi facultatem consecuti sunt. Unus tamen illorum, id est Dominicus Maureceni innocens in sancti Petri Olivolensis foro detentus et diutissime laceratus est. Cujus corpus turpiter denudatum semivivum ad sancti Zachariæ monasterium parva lintre delatum est. Cumque in ecclesia positum a circumstantibus parentibus deploraretur, infra duarum orarum spatia vitalem deposuit halitum. Cujus mors suis maximum dolorem induxit; adeo ut ad hoc scelus ulciscendum oportunum expectarent tempus. Circa hæc siquidem tempora secundus Otho imperator ad Italiam veniens, Veneticorum fedus ob Petri Candiani ducis funus disrumpere conatus est. Ad quem Tribunus predictus dux suos internuntios mittens, cum placare suis muneribus studuit. Pacti etiam scriptionem tunc Veronæ duci suoque populo renovatam perpetualiter ad habendum indulsit (87). Dehinc Ravennam per-

VARIÆ LECTIONES.

[101] argen 1. [102] *suprascr. manu rec.* IX^{c}LXXVI. [103] r. *suprascriptum* 1. [104] *suprascript. m. rec.*, IX^{c}LXXVII.

NOTÆ.

(84) *Saint-Michel de Cusan*, diœceseos Perpiniacensis.

(85) Rus, terram.

(86) Vercelli.

(87) Auctor rei gestæ seriem invertere videtur; Otto primo adventu Veronam ann. 980 mense De-

transiens, Romam adire festinavit (*an.* 981, *Mart.*), ubi didicit Sarracenorum formidolosam gentem Calabriæ ora invasisse loca, jamque in Apulienses partes vellent tendere gressum : quam aggredi hostiliter conatus est. Verum dum proxima loca, quibus Sarracenorum multitudo manebat, incautus peteret, tetra cohors repente Christianorum exercitum ad certamen lacessere tentavit (*an.* 982, *Jul.* 14). Imperator quidem garrus, quod montium per anfractus omnes Sarracenorum majores latitarent, illos quos cernere valebat facili certamine debellare autumans, pugnam audacter inchoavit, eosque audacissime Christo favente devicit. Cumque Christianorum milicia cum triumphali gloria tentoria applicare propria vellent, paganorum multitudo e montibus exiliens, super eosque insinuate irruens, illos cædere acriter cepit, in tantum ut illi quibus fugiendi aditus negabantur, crudeliter vulnerati caderent. Imperator siquidem, licet ingenti difficultate, per nemorias barbarorum acies vix ad litus usque pervenit; inimicorumque importunitate territus, fluctivagum mare intravit. Ubi duæ Græcorum naves, quæ lingua illorum zalandriæ nuncupantur, non procul a terra anchoris herebant. A quibus ille cum duobus suis vernaculis susceptus, minime agnitus est. Fertur namque quod per triduum illum vinctum custodirent, et quamquam ipse imperatorem se fore omnino denegaret, tamen Greci ingenio peritissimi nescio quibus inditiis eum agnoscere potuerunt. Agnito vero, Constantinopolim illum deferre decreverant; quod ipse experiusus ait : *Et ego hoc toto mentis affectu opto, quoniam potius ad sanctorum augustorum vestigia exul degere gestio, quam omnibus bonis privatus mei infortunii ignominiam hic sustinere. Tantum promittite, quatinus meam conjugem meæque fortunæ reliquias me, prinsquam recedatis, accedere liceat.* Tunc duodecim scrinea, plena thesauris copia, ad littoris marginem delata sunt. Greci hoc cernentes, omni titubatione remota, eumdem secum velle firmiter credebant. Et dum hæc agerentur, Cessonæ (88) Metense episcopo cum nonnullis aliis (89) littori [103] astantibus, ipse adepto gladio in mare prosiluit, et viriliter natando desideratum littoris marginem illesus petiit, et sic a duobus periculis liberatus, Romam cum uxore advenit. Deinde Papiam ceterasque Italiæ civitates peragrans, Veronam adii. (*an.* 983, *Jun.*). Quem prædictus Stefanus Coloprinus una cum duobus filiis et quibusdam parentibus, expertus quod Maurecenorum temeritas, ducis videlicet consultu, parentis mortem vellent ulcisci, clam de Venetia exiens festinanter adire procuravit. Cui imperator valedicens, cur propria amittere voluisse requisivit; cumque infortuniis viæ ventum seriæ exponeret, cesari persuasit, quod si vellet consiliis monitisque suis acquiescere, Venetiam diu desideratam facili certamine posset acquirere. Et insuper quo imperatoris animus ad hoc nequissimum perficiendum scelus potius exardesceret, centu libras purissimi auri se illi daturum spopondit, si devicta patria, sibi ducatus dignitatem concederet. Quod audiens imperator, universis suo sceptrui adjacentibus edictum et inevitabile intulit preceptum, ut nemo aliqua præsumptione fultus, deinceps quemlibet Veneticum in aliquam sui imperii partem permitteret exire, neque aliquis suorum in Venetiam auderet intrare. Tunc unicuique Veneticorum secum degenti firmiter præcepit, ut cum suis videlicet nunciis loca quibus alimonia confluere ad Veneticorum solacia noverant, sollerti studio custodirent. Unde factum est quod Stefanus Coloprinus cum filio suo Dominico Patavi commoraretur, Ursus Badovarius Athesim fluvium præviderat, Dominicus quidem Silvo cum Petro tribuno Mistrinis partibus insisterent, Johannes quidem Bennatus ceu nugigerulus inter omnes discurrere sedule festinaret, Marinus Coloprinus Mistriensi comitatu hujuscemodi officium perageret, Ravennam quoque Stefano juniori, prelibati Stefani filio, ad custodiendum injungerent. Antedictus nempe Tribunus dux repugnantium infidelium nequitiam inultam diu non ferens, domos illorum devastari permisit, uxoresque ne fugere possent custodire precepit. Imperator autem in tanta severitate et duricia ad Veneticorum destructionem perseverabat, quo nec precibus nec quibuslibet muneribus eum placare valerent. Sed omnibus suum iterum preceptum imposuit, ut nulli in aliqua sui imperii parte pervento Venetico parcere auderet. His quidem definitis Romam viscere disposuit; in qua non diu incolomes manens, valida ingruente febre, mortuus est, sepultusque in sancti Petri carte non procul a sanctæ Mariæ ecclesia (*an.* 983, *Dec.* 7). Unde non dubium est ut quidam spiritalis monachus, angelo sibi indicante, cognovit, quod ob Veneticorum afflictionem inopinatam incurrisset mortem. Venecia namque per biennium tali perpessa infortunio divinitate propitia liberata est. Prælibatus quidem Stefanus Coloprinus una cum filiis et ceteris aliis Papiensem urbem adire satagerunt, flexisque poplitibus Adheleidam augustam, quæ inibi morabatur, exorare incessanter ceperunt, ut inlesi suo conservarentur in regno, quoniam omnibus pene Italiæ principibus morte digni ob propriæ patriæ delationem dijudicati sunt. Tunc repente apud Ticinum mortuo Stefano Coloprino, augusta, precibus Ugonis

VARIÆ LECTIONES.

[103] littori a. i. a. g. i. m. p. et v. n. d. *desunt* 2. 3.

NOTÆ.

cembri Venetos commeatibus prohibuit, et biennio exacto Veronam redux, die 7 Junii a. 983 pactum renovavit.

(88) *Deoderico;* nisi fortasse *Et dum hæc agerentur Cessonæ, Metense*, etc. distinguendum sit, *Cessonæ* loco *Rossani* scripto.

(89) Linpone et Richizone. Cf. Alpertum SS. t. IV (*Patrologiæ* t. CXL).

videlicet marchionis constricta, filios cum quibusdam aliis suis precuntibus nuntiis ad Tribunum ducem destinavit, quatinus quicquid sibi vel quibuslibet aliis perverse deliquissent, suo amore Venetiam [106] consequi mererentur. Tribunus vero dux quamquam invitus tamen imperatricis jussu et prece, gratiam simul et patriam illis concessit, et insuper ne ab aliquis inimicorum temere occiderentur, quattuor juratoribus sacramentorum fide muniti, securi in patria persisterunt. Maureceni sane taciti hoc totum considerantes, firmiter parentis mortem vindicare decreverunt. Quapropter dum quadam dies tres fratres, Stefani Coloprini nati, de palatio solito vellent domum parva rate redire, a quattuor Maurocenis interempti, rivoli latices proprio cruore infecerunt. Quorum corpora a quodam suo homine de limpha sublata, orbate genetrici atque conjugibus delata sunt. Altera vero die in sancti Zachariæ monasterio tumulata sunt [107]. Quorum duo laici fuerunt; tercius autem, id est Johannes, clericatus officii sortem gessit. Licet dux ab hujuscemodi nefas se inmunem redderet, nonnulli tamen ejusdem sceleris eum noxium affirmabant. Anno vero 13 sui ducatus isdem dux Mauricium suum filium Constantinopolim mittens, ipso eodemque infirmitate detentus, sex diebus non sua sponte sed populo cogente antequam ultimum sibi obscuresceret, monachus in sancti Zachariæ cœnobio effectus est. Præfuit autem Veneticis annis 13 et mensibus quinque. Sepultusque est in eodem monasterio [108].

Anno vero Dominicæ Incarnationis noningentesimo nonagesimo primo Petrum, antedicti domni Petri Ursiuli ducis sobolem, trigesimo suæ ætatis anno Veneticorum populi ad paternam dignitatem promoverunt. Qui probitate et actu haud degenerans a divo parente, utriusque tamen hominis peritia omnes pœne antiquos excellebat duces. Iste nempe patriæ comoda non modo in priscum consolidando reduxit statum, verum in tantum rem publicam auxit, ut suis temporibus Venecia præ omnibus finitimarum provinciis decore et opulentia sublimata diceretur. In sui quidem honoris exordio Constantinopolytanos imperatores, omnesque Saracenorum principes suis legationibus placatos ac devotos amicos firma stabilitate adquisivit. Nuncios etiam Saxoniam ad tercium Ottonem regem, præclare indolis puerulum, destinavit, cum quo tanto amoris et amiciciæ vinculo sese coarctavit, quatinus remota dilatione, deinceps quicquid sibi possibile conpetebat ad votum consequæretur (90). Ilisdem namque dux a Croatorum Sclavorum oppressione suos potenter liberavit; quibus etiam solitum censum (91) primus dare interdixit. Cum Italicis vero principibus amiciciæ fœdere copulatus semper mansisse probatur. Tamen si quis horum aliqua stipatus temeritate suis quoddam honerosum plus pacti decreto inponere voluisset, viriliter obsistendo sui compos in omnibus manebat. Quid dicam? proprios æquo moderamine æquitatisque trutina preesse satagebat; extraneis vero suæ resistentibus ditioni vicissitudinem reconpensabat. Quibus tamen fortunis Venecia suis diebus claruit, serie prodere conabor. Eo namque tempore Gradensis civitas, quæ totius novæ Venetiæ metropolis fore dignoscitur, vetustate ex maxima parte consumpta videbatur, quam prædictus princeps ad ipso fundamine ad propugnaculorum usque summitatem munitissime renovavit, domumque propriam in ea juxta occidentalem turrim edificare fecit, parietes etiam seu ecclesiarum laquearia recreare libentissime studuit. Apud Civitatem quidem novam, quæ vocatur Eracliana, pulchræ imaginis domum una cum capella ipso eodemque tempore componere fecit.

Interea Johannes Belonensis episcopus Venetiquorum ducatus prædia in finibus Civitatis novæ Tribuni ducis tempore usurpata per vim actenus retinebat, quem nec regalis jussio nec quolibet promissum ab ipso infortunium terrere potuit, quo injuste retenta redderet pacemque cum domno Petro duce haberet. Qui dux quamquam moleste, tamen pacifice, interim Heinrici ducis præsenciam Veronensis susciperet marchia, hoc tollerare disposuit. Pervento vero duce, suis internunciis eundem petere procuravit. Qui amiciciæ fœdere simulatus, de Johanne episcopo seu ceteris sibi adversantibus legem facere ad suum velle spopondit. Tamen quod ore promisit, citius faciendi voluntatem dicto permutavit. Petrus itaque dux tantæ deceptionis providus, suum legatum Ottoni famosissimo regi ad Aquisgrani pallacium sine aliqua mora transmisit, qui hujusmodi causas ordine sibi panderet. Hoc denique expertus rex prenotati ducis Heinrici actum omnino redarguens, omniaque obmissa prædia Petro duci præceptali institutione ad habendum concessit: cui etiam Brunonem, nobilem suum militem, misit, qui hoc negocium legis censura regiaque auctoritate inter se et episcopum definiret. Quem episcopus adeo floctipendens, ut illum nec conloquio adire nec videre voluisset. Cumque dominus Petrus dux talia cerneret, accepto a regio nuncio et a suis salubre consilium, inevitabile decretum supra suos imposuit, quo nemo illorum aliqua præsumptione fultus prædictam seu Istriensem austa

VARIÆ LECTIONES.

[106] Veniam *Zanetti legere mavult; sed lectio codicum sequentibus* patriam illis concessit *defendi poterit.* [107] *Ita* I Altera — sunt *desunt in edd.* [108] *Hic in codice Urb. lacuna exstat unius paginæ; quæ sequuntur inter ipsas res gestas scripta esse videntur.*

NOTÆ.

(90) Pactum d. 19 Julii a. 991 renovatum Liber Blancus exhibet et Andreas Dandulus in Chronico pag. 225-228.

(91) Cf. Andreæ Chron. lib. IX, part. III, p. 225. ZAN.

foret marchiam adire, neque aliquod venale vicissim vendere vel comparare. His quidem peractis, regalis nuncius ad propriam reversus est. Ceptum vero jurgium a duce diutissime perduravit, in tantum videlicet ut non solum illius marchiæ peculia salis egestate consummerentur, verum etiam homines subsidiis Veneticorum carentes, miserabili [109] calamitate perpessi, sedule ad ducem pacem, quam consequi non valebant, humiliter efflagitarent.

(*An.* 996.) Dux itaque audiens Ottonem regem ad Italiam venturum, pacem cum prædictæ marchiæ populo facere diferabatur. Tunc suos nuncios denuo Teutonicam mittere disposuit (*Mart.*) qui inter Alpium anfractus regem jam a Ausonia venientem repperierunt. A quo honorifice suscepti, quicquid nefas suis dux inimicis intulerat libenter audivit; insuper promisit nunquam quolibet modo illum constringere ad pacem faciendam, interim ipse vellet. Deinde antequam Italiæ planiciem peteret, eundem ducem dulci præce rogando demandavit, ut suum natum adhuc Christianæ fidei confirmatione carentem Veronam sine aliqua mitteret mora; quod dux suorum fidelium consillo facere adquievit. Puero quidem Verona pervento officiose a rege susceptus est, quem chrismatis unctione propriis amplexibus coarctatum fecit munire, et amisso paterno nomine, Otto, id est suus æquivocus, nuncupatus est. Johannes quidem prememoratus episcopus, seu Rozo Tarvisianæ sedis antistes, cum quibuslibet aliis ad pacem interpellandam ibi convenerunt. Quibus rex hanc adquirere interdicens, donec domni Petri ducis polliciti forent satis faciendo gratiam recuperare. Insuper Johannem episcopum ducis terram, quam injuste possidebat, reddere cum lege coegit. Hac tempestate inter Veronensium cives et Teutonicorum exercitum exortum fuerat jurgium, sed Teutonici a civibus interemti per civitatis platheas nonnulli occubuerunt. Inter quos nobilissimus unus cecidit adolescens, Carolus nomine, qui maximum de suo funere dolorem regi suisque compatriotis reliquerat. Quod rex graviter ulcissi in civibus decreverat. Tamen ejusdem civitatis Odberti episcopi interventu evaserunt. Otto vero, prædicti domni Petri ducis filius, diversis muneribus a rege ad Veneciam reppedavit. Tunc domnus dux pacem diucius imploratam inimicis indulsit, quamvis Johannis episcopi severitas in amisso prædio perduraret. Eo quoque tempore apud Rivoaltum mortuo Marino Olivolensi episcopo, qui episcopatui prefuit annis..., successit sibi Dominicus cognomine Gradonicus. Otto denique rex Brisciam cæterasque Italiæ urbes peragrans, Papia advenit (*April.*). Hic

A Italici principes fidem supra evangeliorum sacraria facientes, regem ipsum conlaudaverunt; ibique Johannem apostolicæ sedis antistitem defunctum audiens, Brunonem suum videlicet nepotem, Ottonis ducis filium, ad hanc dignitatis apicem fastigiare disposuit, quod postea complevit. Deinde per Aripdani (92) fluenta navigio Ravennam adivit. Ubi aliquandiu commoratus (93), Redulfi Ariminensis comitis, nec non Herimundi, atque sui fratres Raimundi, pro æcclesiarum seu pauperum prædiis quæ usurpata possidebant, oculos ejicere jussit (*Mai.* 1). His definitis Romulidarum appetens urbem, in qua a predicto Brunone apostolico, qui postmodum Gregorius dictus est, Romanorum multitudine interpellante, unctus et consecratus est imperator (*Mai.* 21).

B Hinc non procul a Romana urbe discedens, ut remissius illius climatis æstum tollerare quivisset, inter Camerinæ marchiæ alpes aliquid commoratus est. Postmodum per Tusciæ viam Paplensem repetens urbem (*Aug.* 1), omnibus sibi obtemperantibus imposuit ædictum (94), quo ubicumque in suo imperio perventi Venetici forent, inlesi et sine aliquo imposito gravamine degere debuissent. Et tunc per Cummanum lacum iter arripuit ultramontanum.

Circa hæc namque tempora Croatorum judex propter interdictum sibi censum a duce in Veneticos lesionis molestiam exercere conatus est. Unde domnus dux sex naves præparatas i luc mittens, quibus Badovarius cognomento Bragadinus prefuit.

C Qui unam illorum civitatem quæ Issa (95) nominabatur conprehendens, utriusque sexus captivos ad Veneciam deportavit. Et ex hoc majoris odii cumulum inter Veneticos et Sclavos pululavit. Cœperuntque iterum censum inportune ducis exiere (96); quibus dux pro illorum ignominia demandans : *Non per quemlibet nunciorum hunc mittere curo; sed vita comite, ad hanc persolvendam dationem venire ipse* [110] *non denegabo.* Eo namque tempore Joannes Grecus, Placentinæ ecclesiæ præsul, Constantinopoli cum Grecorum imperatoris legato reversus, Romam adivit. Qui dum apostolicam sedem, abjecto a Johannis Crescentii temeritate pastore, vacuam repperiret, invadere contra imperiale decretum

D minime formidavit. Gregorius vero, illius æcclesiæ sponsus, per Italiæ urbes merens imperatoris expectando adventum versabatur. Per hæc quidem tempora antedictus dux Johannem suum filium Constantinopolim destinavit, quem imperator non solum diversis muneravit donis, verum etiam ægregiis honoribus sublimavit.

(*An.* 998.) Imperator siquidem hoc nequissimum scelus a Johanne Greco patratum cum audiret, Ita-

VARIÆ LECTIONES.

[109] m. *suprascriptum* L. [110] ipse *suprascriptum* 1.

NOTÆ.

(92) Id est Eridani.
(93) D. 1. Maii Petro duci portuum trium instituendorum libertatem impertivit.
(94) Non exstat.
(95) Ho lie Lissa.
(96) Id est *exigere*.

liam festinus reciprocare non pigritavit. Qui ex Ticinensi urbe Ravennam descendere navigio disponens (*Jan.*), Petro suo dilecto compatri Veneticorum duci rogando demandavit, quatinus Ottonem suum filium ultra Ferariense castrum sibi obviam mittere non recusaret. Quod dux libenter agere volens, filium cum decoratis navibus misit. Inter quas una quantitate et pulchritudine [111] excellebat navis. Quam imperator una cum puero ascendens, Ravennam usque pervenit. Ubi non diu manens, ducis puerum donorum copiisque ditatus ad Veneciam redire permisit (*Febr.*). Ipse vero Romam, ut inimicorum arroganciam abolere posset, petere curavit. Qui audientes eum Romam venturum, alter illorum, id est Johannes Crescencius, in sancti Angeli castello se cum suis retrusit. Alter quidem, id est Johannes Grecus, procul a Roma inexpugnabilem turim intravit, in qua non diu, vento imperatore, illum manere licuit. Sed ab ejus militibus captus, projectis oculis auribusque præcisis, nares etiam et linguam amisit, et capitis deturpatus decoritate Romam in quodam monasterio delatus est. Et quoniam ad tanti facinus ultionem hoc non sufficerat, postmodum a sacro concilio depositionis sententiam sustinens, sacerdotale officium perdidit, et a Romanis impositus deformis aselli terga, versa facie ad caudam [113] sub præconi voce per Romanas regiones ducebatur. Dehinc munitissimum sancti Angeli castellum omnes Romani cives una cum Teutonicis quorum exercitu expugnare cæperunt. Quod magna cum difficultate comprehendentes, Johannem Crescencium, veniam miserabili voce adclamantem, in sumitate ut ab omnibus videretur decollaverunt (*Apr.* 29). Et projecto tellure, aliis quibus evadendi facultas defuit simili pœna in monte Gaudio imperiali decreto suspensi sunt. His peractis, trium annorum spacio imperator regno præfuit Italico, in quibus multa peregens regnum visitavit Teutonicum.

Illis namque temporibus in Dalmacianorum confinio non plus quam lateranenses cives Veneticorum ducis ditioni obtemperabant, quos Croatorum ac Narentanorum principes crebro affligere solebant, in tantum ut Narrentani horum quadraginta comprehendentes, secum victos (97) deportaverunt. Unde Dalmacianorum populi omnes pœne simul convenientes, Petro Veneticorum duci suis internunciis hoc demandaverunt, quod si ipse venire aut exercitum mittere vellet, qui eos a Scavorum severitate liberaret, ipsi et illorum civitates perpetua stabilitate suæ suorumque successorum potestati subditos manerent. Hoc audiens Petrus dux, nulla interposita dilacione, suorum consilio munitus navalem preparare expeditionem peregit. Septimoque sui ducatus, anno ascensionis Domini festo (*Mai.* 26) cum suis in sancti Petri Olivolensis æcclesia ad missarum ministeria percipienda convenire voluit. Cui Dominicus, ejusdem loci episcopus, triumphale vexillum contulit, et una classem consedentes illo die Equilensem portum intraverunt. Dehinc velis libratis occiduoque vento flante, Gradensem applicuerunt urbem. Quos domnus Vitalis patriarcha, prerunte plebe, cum clericorum apparatu excipiens, digna suo principi obsequia exibuit; cujus quoque dexteram victrici sancti Hermachoræ signo condecoravit. Inde pellagi sulcando undas Istriensem ad [114] provinciam transientes [115], civitatis Parentinæ juxta insulam velis depositis pernoctare disposuerunt. Quibus venerabilis Andreas episcopus occurens, famulamina Petro duci multa [116] impertitus est. Quem humiliter rogitans, ut sancti Mauri oraculum adire non recusaret. Cujus petitioni adquiescens, multo milite stipatus urbem (98) intravit, et expletis in sancti Mauri æcclesia ministeriis sacris, arrepto exin itinere, remigantibus nautis apud monasterii sancti Andreæ insulam quæ juxta Pollensem (99) civitatem manet, grata ospicia habere voluerunt. Illuc Bertaldus Pollensis eximius antistes cum clericorum et civium multitudine festinus advenit, et utroque honore eumdem ducem glorificavit. Deinde vastum velificando æquor Absarensem ad urbem (100) delati sunt. Ubi non modo cives, verum omnes de finitimis tam Romanorum quam Sclavorum castellis convenientes, tanti ospitis adventum se prævenisse gaudebant. Et sacramentis ab omnibus peractis, sub illius principis potestate manere decreverunt. Hoc peracto sacrum diem pentecosten solemniter celebrantes (*an.* 998, *Jun.* 5), predicto principi laudis modulamina decantaverunt. Tunc omnibus quibus ætatis plenitudo adherat secum venire jussit, et acceptis stipendiis dispositum transfretare iter cæperunt. Altera vero die Jatarensem antequam adpropinquaret urbem, ejusdem civitatis prior cum episcopo et cæteris suum dominum gaudimoniis potiti recæperunt; et ingressi urbem, ibi illius regionis majores confluentes, ejusdem principis dominationi subesse præobtabant. Inter quos Veclensis et Arbensis (101) episcopi cum earum civitatum prioribus adfuerunt, et pari voto supra sacra evangelistarum dicta juraverunt, quod juxta illorum scire et posce deinceps domni Petri ducis fidem observare debuissent. Insuper episcopi eisdem sacris confirmaverunt, quo feriatis diebus quibus laudis pompam in æcclesia depromere sole-

VARIÆ LECTIONES.

[111] pulchritudine *suprascriptum* 1. [113] ad cnidam 1. ad cauda 2. [113] ad *suprascriptum* 1. [115] transientes *suprascriptum* 1. [116] multa *suprascriptum* 1

NOTÆ.

(97) Id est *rinctos*.
(98) Parenzo.
(99) Pola.
(100) Ossero.
(101) Insularum Veglia et Arbe.

bant, istius principis nomen post imperatorum laudis præconiis glorificarent. Croatorum itaque rex ad suæ gentis depopulationem ducem advenisse prenoscens, nunciorum studio eumdem placare pacificis nisus est verbis; quod domnus dux omnino parvipendens, eosdem nuncios redire dimisit; et sic tractare cum utriusque gentis exercitu adorsus est, quo inimicorum aditus intrare, vel quibus argumentis illorum munitissima loca indemnis capere posset. Tunc quorumdam relatione didicit quadraginta Narentanorum nobilium de Apuleis partibus, peractis negociis, ad propriam velle reverti. Decem naves hominibus [116] onerate ad insulam quæ vocatur Caza (102) sub omni festinatione destinavit. Qui dum irent, facili certamine eosdem comprehendentes, Traorensem (103) ad urbem accelerare voluerunt. Domnus namque dux utriusque et Dalmaciarum ac Venetiquorum militibus circumseptus, sexto die predictam urbem relinquens, ad quamdam non longe a Belgradense urbe (104) insulam advenit. De qua talem legationem civibus mittere placuit, ut si spontaneum famulicium persolvere et fidelitatem sibi jurare vellent, gratiam adipisci valerent: sin autem, se certamine capturos procul dubio scirent. Hoc vero audientes, domini sui, Sclavorum scilicet regis, periculum incurrere formidabant, et tanto principi resistere non valebant. Unde utroque discrimine positi, quid agere penitus ignorabant. Tandem timoratione domni ducis atriti, adstantibus ejusdem regis militibus, et sacramenta et obsequium persolverunt. Egressus vero inde, Levigradæ insulæ (105) colones egregio duci occurrentes sacramenta prompte fecerunt. Cumque Traorensem urbem peteret, ab episcopo civibusque sacramentis corroboratus est; inibi suos, quos antea ex Jaterensi civitate misisse diximus, victores repperit. Sclavorum etiam regis frater Surigna nomine aderat, qui eondam fraterno dolo deceptus, regni amiserat diadema. Ipse namque non modo sacramenti vinculo se eidem duci associavit, verum etiam Stefanum puerulum, karissimam sobolem suam, sibi pro obside commendavit. Hinc Spaletinam (106) nobilissimam et validam urbem, quæ tocius Dalmaciæ metropolis constat, predictus princeps advenit; quem archiepiscopus sacro infulatus officio cum urbana tam clericorum quam laicorum multitudine excepit, et missarum sollempnia incelebrans, ex voto jusjurandi fide eidem omnes placare satagerunt. Narrentanorum quidem princeps quadraginta suorum in captivitatem mancipatos expertus est. Qui suis internunciis domnum ducem continua prece, sibi illos reddi, imploravit: hoc videlicet pacto, quo priusquam ipse dux de illis exiret finibus, tam ille Narrentanorum princeps quam omnes sui majores sibi ad satisfaciendum pro suis votis convenirent, et nec censum predictum aliquo modo exiere, nec quempiam iterantem Veneticum molestare deberet. Tunc dux captivos redd.re jubens, sex tantum illorum, ne ipse pacem violasset, retentos secum reservavit. Eis definitis, ad alios illius regionis subjugandos gressum tendere cepit. Apud sancti Maximi ecclesiam ospicium habere dum voluisset, Curzule (107) insule habitatores sui recusantes parere jussionibus, valida manu adquisivit sueque potestati subjugavit. Preterea dum isdem dux quicquid cordi aderat, Deo fautore ad votum consequeretur, improbos Ladæstinæ insulæ (108) habitatores aggredi conatus est, a quorum rabie Venetici, illa pernavigantes loca, propriis facultatibus privati, nudi sepissime evaserant. Erat siquidem eadem insula scopulosis promunctoriis circumsepta. Licet aditum intrantibus non denegaret, montium tamen sublimitate ostentabatur; e quibus unus murorum menibus turriumque hedificiis munitus, inexpugnabilis ab omnibus credebatur. Dein vero predictus princeps multitudine navium collecta, quendam illius insulæ portum penetravit, mandans civibus, ut relicta pertinacia ad se venirent aut pugna sese petituros scirent. Qui timore constricti, pacifica verba protulerunt. Postmodum illis injunctum fuit nulla ratione parem a duce consequi posse, nisi civitatem ipsi destruerent, destructam vero inreparabilem inhabitabilemque relinquerent. Quod omni nisu facere interdicentes, tanti exercitui sese obsistere adorsi sunt. Tunc isdem princeps suos ad certamen preparare illosque impugnare acriter jussit. Verum quia arduus locus difficilem dabat appropinquantibus ingressum, jaculorum ictibus hostes aliquandiu procul virtute qua poterant coarcere satagebant. Tamen Dei omnipotentis dispensacione major pars exercitus ex illo loco, unde illius municipii ostia patebant impetum facientes, reliqua montis per devia consendendo, turres ubi aquarum vascula tuelantur comprehenderunt. In quibus consistentes, in tantum luctamine comprimebant, donec [117] dejecti animo, armis depositis, nichil amplius quam mortis exosum periculum evadere flexis exorabant poplitibus. Dux itaque pietatis amator omnes vivos conservare [118] instituens, civitatem tantum devastare præcepit. Quo peracto, victor princeps sancti Maximi æcclesiam reciprocavit (109). Illic Ragusiensis archi-

VARIÆ LECTIONES.

[116] h. o. *suprascripta* 1. [117] donec 1 [118] conservare *suprascriptum* 1.

NOTÆ.

(102) Cazza.
(103) Trau, ab occidente et septentrione Spalatri.
(104) Olim Belograd, jam Zara Vecchia.
(105) Utrum Novigrad urbs munita, an insula Grossa, cujus in littore oppidum Neligrad consistit?
(106) Spalatro.
(107) Curzola.
(108) Lesina.
(109) Id est repetiit.

episcopus cum suis conveniens, eidem principi sacramenta omnes facientes, obsequia multa detulerunt. Inde predictas civitates repetendo, remeans ad Veneciam cum tali triumpho tandem regressus est.

(*An.* 1000.) Interea Otto imperator ad Italicum regnum tertio repetere disponens, per vasti Cumani lacus gurgites aditum habere voluit (*Jun. ex.*); quem Longobardorum multitudo Cumana in urbe excœperunt, inter quos Johannes diaconus, supradicti Petri ducis nuncius, licet de sui senioris triumpho ignarus advenit, suumque seniorem tantum profectum ad debellandam Sclavorum duriciam imperatori nunciavit. Cumque isdem Joannes una cum imperatore Ticinensem adiret urbem (*Jul. inc.*), nonnullis referentibus sui domini adventu et triumpho extitit expertus. Cui imperator ad propriam jam reddire volenti, hoc secretum injungens suo seniori delegavit, ut si possibile foret, dilectionis gratia in aliquo suæ potestatis loco clam vellet venire, et tanti viri et compatris presentia et sagacitate potiri. Dux namque quamquam avide tale audiret nuntium, tamen numquam hoc fieri posse credebat, quo tantorum regnorum princeps, suis ignorantibus, expedite aliena jura valeret intrare. Verum cum suorum nemine eodem communicare sermone volens, tacitus sibi in corde servabat. Predictus vero cæsar, Ticinense relicta urbe (*Nov.*), per Tuscie alpes Romanum obtabile peciit solium. Deinde in abstinencia que pascalem antecedens solemnitatem, Ravennam descendere curavit (*an.* 1001). Cui Petrus dux eumdem Johannem diaconum destinavit; a quo benigne susceptus, importune id ipsum quod antea dixerat reciprocare satagebat. Unde factum est ut, inter utrasque partes sæpedicto Johanne diacono crebro discurrendo, tale ventilaretur negocium. Demum imperator salubre a duce accepto consilio, sacrum diem pascalem devotissime celebrans, omnibus majoribus suis indicavit, se purgationis poculum apud sanctæ Mariæ monasterium in quadam insula, quæ Ponposia nominatur, accipere et aliquantis inibi diebus commorari velle. Manet siquidem eadem insula non procul a Venecia, ex una parte marino littore, ex aliis Eripdani cingitur fluentis. His dictis, statuta est [119], in qua ille et sancti Marci oraculum et diu desideratum compatrem adiret. Tunc, cum aliquantis quibus hoc familiariter commissum habebat, intrans navim, predictum peciit monasterium. Ubi minime pernoctans, abbate cum monachis astantibus, ejusdem monasterii quoddam ospiciolum previdens, preparari jussit. In quo sese per triduum curationis potum custodire simulabat. Nocte itaque perventa parvam naviculam ascendens, qua predictus Johannes diaconus ad ipsius insulæ marginem prestolando latitabat. Hecilinus vero comes, qui postea (110) Bajovariorum dux effectus est, et Raimbaldus Tarvisianus comes, Teupernus belicosissimus vir, Rainardus, Tamo, camerarii, Walterus unicus capellanus, Federicus [qui [120]] postmodum (111) Ravennæ archiepiscopus extitit, simul in predictam navim ascenderunt. Qui tota nocte et die nautis inquiete navigantibus jam sequentis noctis in tempestate sancti Servuli æcclesiam, quæ non longe a ducis palacio scita decernitur, applicuerunt; ubi Petrus prepotens dux tanti hominis occulte adventum prestolabatur. Et quia tetræ noctis obscuritate minime conspici vicissim sese valebant, inter amplexus et novi ospitis dulcissima obscula, dux taliter illum allocutus est : *Si vis sancti Zachariæ monasterium providere, instanter oportet te illuc ire, quo lucis ante crepusculum in palacii mei meniis queas dignissime ospitari.* Deinde navim uterque ascendens, alter proprium palacium, alter quidem predictum petiit monasterium. Postquam illius monasterium ingressus ipsi patefactus foret, ecclesiam intravit, haud tamen illic diucius commoratus [121]; sed ut conditum fuerat, ad palacium advenit, et omni dequoritate illius perlustrata, in orientali turre se cum duobus suis retrudi et servari voluit. Erat sane vili, ne agnosceretur, habitu indutus. Prefatus vero Hecelinus cum ceteris ducem de matutinali officio veniente ante [122] sancti Marci limina exceperunt. Cui salutaria verba, ne circumstantes hoc secretum sentirent, ex imperiali parte pertulerunt. Quibus dux, quomodo imperator vigeret vel ubi esset, inquiens requisivit. At illi apud Pamposiæ monasterium eumdem sospitem dimisisse responderunt. Et datis obsculis, hospitari illos juxta palacium jubens, ipse vero imperatorem adivit. Neque fas duci fuerat cum imperatore per totum diem in predicta turre mancre, ne quis Veneticorum hujuscemodi rei capacitate posset sentire. Ad prandii refectionem cum aliis palam conveniebat, sero una cum cesare [122] dapibus colloquiisque reficiebatur; ad perfectæ namque fidei vinculum confirmandum filia ducis adhuc caticumina de sacro baptismatis lavacro cesar suscepit. Pallium quidem, quod pro pacti fedcre (112) a Veneticis supra quinquaginta libras persolvebatur, eidem suo compatri duci perpetua scriptione donabat. Et omnia quomoda (113) illi firmiter dehinc impertiri pro votis promittebat. Sed

VARIÆ LECTIONES.

[119] *scilicet* dies. [120] *vox deest.* [121] com *suprascriptum* 1. [122] aut 1. [122] *i. e.* cæsare.

NOTÆ.

(110) A. 1004. Thietmar. l. VI, c. 5.
(111) Annis 1001-1003.
(112) Quale inde a Caroli M. tempore per imperatores passim renovatum erat; recensum eorum vide in Annalibus nostris t. III, p. 578 579, 598 sqq.
(113) Commoda.

nichil dux ei exigere volens, nisi ut ecclesiarum suarum seu omnium Veneticorum predia integre solidatis, in statu suis temporibus conservaret. Altero autem die cum jam redeundi licitum habere volebat, diversarum generum fortunis dux cum munerare voluit; qui nichil horum continere cupiebat, dicens: *Illud mihi crimen inducere nolo, ne quis cupiditatis et non sancti Marci tueque dilectionis causa me huc venisse asserat.* Tamen importunis coartatus precibus, eburneum sedile cum suo subsellio, nec non argenteum siphum et urceum raro peractum opere dono, licet invitus, recepit. Datoque obsculo, lacrimantibus utrisque, separati sunt. Hecilinus siquidem et ceteri antedicti non illo sed altero die licentiam perceperunt. Imperator cum duobus tantum et Johanne diacono navim intrans, predictum occulte in nocte regressus est ad monasterium. Mane vero se prestolantibus videre inopinate exibuit, et Ravennam cum prelibati Johannis diaconi nave properans, de Venetia se reverti omnibus prodiit. Quod difficile credere volentes, amodum mirantur. Dux itaque omnem Veneticorum populum post triduum in palacio convenire indixit. Cui hujuscemodi gestum patefaciens, non minus fidem imperatoris quam pericia sui senioris collaudabat (114). (*An.* 1001, *Mart. ex., April. inc.*)

Eodem quoque tempore Beneventanos cives audiens imperator sibi rebellare, quibus aggressis suo imperio potenter subjugavit, multosque interfecit. His peractis Ravennam iterum adveniens, Papiensem deinde peciit urbem. Ibique Romanorum cives dominationis jugo abjecto sibi repugnaturos audivit. Contra quos patricium suum nomine Zazonem cum exercitu mittens, ipse navigio Ravennam instanter descendit (*Nov.*). Eo tempore duo imperialia ornamenta auro miro opere acta cesar per Johannem diaconum Petro suo compatri duci, unum ex Papiensi, aliud ex Ravennati urbe, dono transmisit. Cui dux recompensationis gratia cathedram elephantinis artificiose sculpta tabulis per eumdem diaconum Ravennæ direxit. Quam avide suscipiens, in eadem urbe conservandam reliquit. Dehinc Romanam dum vellet validam urbem repetere, civium insidias formidans, in quoddam castellum Paternum nomine ascendit (*an.* 1002, *Jan.*). Ubi infelix non diu sospes manens, inter dulces annos corpoream dure vitam amisit (*Jan.* 4). De cujus funere gentes ubique minime tunc questu silebant. Corpusculum vero ejus Coloniensi archiepiscopo cum ceteris deferente, in Aquisgrani palacium fuerat delatum, ut cum decessore suo piæ memoriæ Karolo queat judicialem sibi prestolari diem.

Post hunc Henricus [135] regalis dux, prosapia de regia ortus, regnorum rite suscepit diadema (*an.* 1002, *Jan.* 6), quanquam Ardoinus, comitis Dadonis filius, apud Ticinum quibusdam Langobardorum sibi faventibus regni coronam usurparet. Tamen illorum major pars Henrici regis expectabat adventum.

Anno quidem incarnationis Redemptoris nostri millesimo quarto, ducatus vero domni Petri Veneticorum ac Dalmaticorum ducis decimo Johannes, ejusdem ducis egregia proles, genitoris effectus est consors dignitate. Quem dum tercia etas octavo decimo anno ephebum foveret, nimirum paterno ingenio et probitate vigebat; qui pii parentis adeo obtemperare studeat [138] (115) moribus, ut sub gemino regimine omnis patria uno maneret fœdere. Eodem vero anno Sarracenorum multitudo Apuliensium fines invadens, Varensem civitatem, ubi Gregorius imperialis catapanus preerat, ex omni parte obsidione circumdabat. Quod audiens Petrus prepotens dux, preparare maximam expedicionem jussit. Sanctique Laurentii in solempni die (*Aug.* 10) de Venecia exiens, eosdem expugnaturus aggressus est. Qui vastum per mare vel floando terrarum diversa loca dum transiret, octavo Idus Septembris (*Sept.* 6) predictam urbem appropinquabat. Sarracenorum nempe uterque exercitus cernens insperatam salutem Christianis advenire, armatis manibus alii supra equos littore adstabant, alii naves ascendentes, Christianos ad certamen audacter provocabant. Sed divina propiciatione domnus Petrus dux cum omnibus suis antedictæ civitatis in portum indemnis ingressus est. Quem cives una cum Gregorio imperiali catapano digne suscipientes, ejusdem urbis in palacio espitari fecerunt. Tunc domnus dux, quomodo urbem a paganorum severitate tueri quivisset, pertractare cepit. Verum prius alimoniarum solatiis cives inedia perpessos sufficienter recreavit. Tum ut viriliter contra nequissimam gentem bellum agerent amonuit; et victrice vexillum se preire jubens, quosdam in suburbio ad pugnandum instituit, quosdam vero secum adsumens, navale adorsus est peragere bellum. Unde factum est quatinus per triduum continuatim nunc gladiorum, nunc igneis jaculis Sarracenos acriter insequerentur. Terciæ noctis in silentio paganorum aufugit exercitus. Ceteri autem qui finitimarum loca crudeli jure mancipando possidebant, non multum post illic degentes confusi recesserunt. Cives itaque domni Petri ducis nomen deinceps celebre et honorabile habuerunt, qui nullo terreno sed divino constrictus timore, eos liberavit ab inimicorum persecutione.

Non puto pretermittendum fore prodigium quod referat, hæc ipso quo contigerunt tempore scripsisse censendus est.

VARIÆ LECTIONES.

[135] *infra* Heinricus. [138] *ita* 1. studuit *ed.*

NOTÆ.

(114) Scil. populus.
(115) Cum noster infra a. 1007 obitum Joannis

cuidam Saracenorum, die quo festiva Dei genetricis assumtio a fidelibus celebratur, divinitus ostensum est. Nam dum in sancti Benedicti monasterio haud procul ab urbe quadam munitissima turre ipse maneret, emicantem stellam ex occiduo climate prepete cursu venire ejusque civitatis in portu cadere conspexit. Hoc ut Jeronimo, spirituali et prenominati monasterii patri, patefactum est, statim futurum sanctæ Mariæ auxilium, que *stella maris* interpretatur, civibus advenire intellexit; quod intemerata puerpera in Petri Veneticorum ducis adventu procul dubio complevit, quem de occiduis partibus venire permittens, in suæ nativitatis festo de oste illi concessit triumphum. Isdem namque dux de illo loco nuncios suos Constantinopolim destinavit, et a catapano imperiali multis ditatus muneribus, ad Venetiam incolomis remeavit.

Hoc quoque tempore Heinricus rex Ottonem ducem (116) ad Italiam cum exercitu mittens, cum Ardoine usurpativo rege juxta Alpes in compo [196] qui Vitalis nuncupatur (117), pugnam peregit, et ex utraque parte multi ceciderunt. Cumque hoc Heinrico regi foret expertum, in sequenti anno (1004) maxima stipatus expedicione Italiam intravit, et Ardoine a Veronensi urbe expulso, omnes Langobardos potenter suo regimini suljugavit. Cui Petrus etiam Veneticorum dux in predicta urbe suum natum, mire pulchritudinis puerulum, prece sua permotus honorifice delegavit; quem chrismatis divo liquore ex more fecit linire, patri oblime remuneratum remisit. Deinde ceteras Italiæ civitates properare disponens, Papiæ a Mediolanensi archiepiscopo estitit coronatus (*Mai.* 14). Ubi cives insidias contra suum regimen molliri cognoscens, totam pene urbem incendio et interfectione devastavit, et tunc per Cumanum lacum ultramontanum petiit regnum (*Jun.*).

Hoc quoque tempore Petrus famosus dux, sedula petitione a Vassylio et Constantino imperatoribus coactus, Johannem ducem, suam dilectam prolem, ad regiam urbem causa conjugii delegavit. Quem imperatores dum benigne susciperent, cujusdam nobilissimi patricii filiam Argiropoli nomine, imperiali editam stirpe, illi desponsare decreverunt (118). Et ut tantæ femine, imperatorum videlicet neptis, copulationis dies acceleraret, prefatus dux una cum puella imperiali decreto in quadam capella convenire permissi sunt, ibique ab ejusdem urbis pastore sacre benedictionis munus, ab imperatoribus aureas diademas suis capitibus, perceperunt. Quibus dextera utroque imperatore superposita manu, aulam qua convivantium cetus manere videbatur, tali decoritate pervenerunt. Predicti namque imperatores tam egregie ac jocunde hunc peragere thalamum satagebant, ut triduo convivantium gaudiis haud defuerunt ipsi familiares convive. Hoc tali, in palacio quod Yconomium nuncupatur, peracto ordine, quisque eorum muneribus receptis retrogradus recessit. Novicius vero dux cum sua venusta sponsa apud pallacium quod jure dotalicii nuper acquisiverat, degere disposuit. Cui Vassilius imperator injungens monuit, ne ab urbe discederet, interim (119) de Bulgarorum finibus, ques valida expugnandos manu agredi temptabat, Dei auxilio reverteretur. Cujus monitis dux acquiescens, prompte ejus adventum prestolabatur. Ipso autem redeunte, patriciatus officii dignitate eumdem sublimavit ducem. Ottonem suum puerulum, qui aderat, fratrem muneribus tantum honoravit. Dehinc dux sponsali dote, id est diverse fortune copiis, simulque imperialibus donis acceptis, licitum veniendi ad propria impetravit. Nam parentum conventus, permobilem puellam regionem ad exteram quasi exulem exeuntem plorantes, haud deerant. Dux itaque pro votis omnia consecutus, navim cum spectabili sponsa ascendens, equoreas sulcare procellas suis imperavit. Cui Grecorum seu aliarum gentium incole ubique usque ad patriam non denegabant impertiri obsequia. Cumque probabili et diu anhelanti patri duorum natorum foret nunciatum adventum, cœlorum regi gratias agens, navium multitudine eosdem procul a litore fecit excipere; et tali circumscepti pompa aput pallacii tribunal genitorum amplexibus sunt restituti incolomes. Pater siquidem non solum suis verum exteris hominibus convivia crebra hujuscemodi thalamus facere non cessavit. Revera par gaudium nostris finibus emicuisse nemo nostrorum reminiscitur. Domna vero Maria, Greca ductrix, non post plures dies puerum Constantinopolim genitum Venetiæ protulit natum, quem Petrus eximius dux de sacro baptismatis lavacro suscipiens, Vassilium ob avunculi sui imperatoris nomen imposuit. Circa hæc tempora prelibatus Petrus dux pro animæ suæ remedio mille quinquaginta libras denariorum solatio tocius suæ patriæ Veneticis donavit, ceptique palacii opus ad unguem perduxit. Ubi inter cetera decoritatis opera dedalico instrumento capellam construere fecit, quam non modo marmoreo verum aureo mirifice comsit ornatu. Interea Petrus dux dum sibi pro votis pœne cuncta subpeditare decernere, plus solito subjectum equitatis censura populum regere studebat. Sed divina providentia moderamine equo omnia disponens, illum in tante felicitatis fastigio constitutum, ad sue

VARIÆ LECTIONES.

[196] *ita* I.

NOTÆ.

(116) Ducem Karantanorum et marchionem Veronensem. Cf. Thietmar. v, 16.

(117) In campania Veronensi.

(118) V. Cedrenum t. II, p. 452 edit. Bekker.

(119) Id est donec.

virtutis provectum acriter perculit. Eodem itaque tempore (120) [*an.* 1006] stella cometis, cujus indicium humanum semper pronunciat flagicium, in meridiano climate apparens, quam maxima per omnes Italiæ seu Veneciæ fines pestilentia subsecuta est (121) [*an.* 1007]. In qua utriusque sexus humanæ conditionis nonnulli inopinata morte ceciderunt. Inter quos domna Maria, Greca ductrix, nec non Johannes, egregius vir suus, sedecim dierum numero in sancti Zacharie monasterio, proh dolor! uno clauduntur mausoleo. De quorum funere non modo mesti genitores velut fraterna societas deplorabant, verum omnis patria lacrimis et dolore tabescebat. Fuerunt namque omni probitate in tantum famosi, ut Deo et hominibus ambo boni complacerent. Sex annorum spacio tantum sub patris regimine Veneciæ prefuit populo. Sed ut tanti meroris quoddam presidium adesset consolationis, pari consensu Venetici interpellantes, domni Petri principis alterum natum, scilicet Ottonem regalem puerum, ducatus dignitate sublimavere. Qui quamquam tenera ætate quattuordecim annorum flore vegetaret, tamen adeo ingenii facundia vigebat, quoad altero fratre non probitate sed ætate diceretur secundus. Preterea Petrus dux omnibus suis liberis paternum munus impertiri voluit, ita ut testamentario jure quisque suas acciperet porciones. Nomina quorum ut rite recordor, exprimere libet. Illorum primus herile sortitus est nomen, qui forma et viribus bene respondebat satis natalibus. Secundus nominatur Ursus: iste sic officium gerens clericatus, quo haud immerito queat dici clericorum decus. Tercius est ordine Otho, predictus puerulus, patris qui constat dignitate equivocus. Quartus nominatur Vitalis: hic ingenii strenuitate ecclesiasticam adeptus est sortem. Quintus estat vocabulo Heinricus, species cujus puerilis ceu jubar micat solis. Quatuor quoque filiæ eidem optimo manebant patri, quarum prima Hilam nomine Stefano Sclavorum regis filio, de quo antea predixi, in conjugio honorifice sociavit; reliquas vero tres in monasterio Deo omnipotenti mancipavit. His itaque bene compositis, Mariæ generosæ suæ uxoris thorum sequestratum habere deinceps decrevit, ea videlicet ratione, quo nullum divorcium foret in familiaritatis conversatione. Deinde quicquid facultatis restabat, totum ecclesiis et pauperibus erogans, nichil sibi preter dignitatem reservabat. Anno igitur Incarnationis Jesu Christi Domini nostri millesimo octavo, Valerio Altinatis æcclesiæ presule mortuo, qui episcopalem cathedram rexit annis viginti, quindecim diebus tantummodo minus, Ursus, predictus domni Petri ducis filius, clero et populo consulente in eadem subrogatus est sede. Hujus adulentis [127] mores meo famine perstringere volo. Erat nempe fide religiosus, specie decorus; ingenio providus, industria litterarum ita peritus, ut tanti honoris a cunctis dignus diceretur. In cujus ordinacionis exordio Petrus, dux et preclarus suus genitor, totum sanctæ Mariæ domum et ecclesiam jam pene vetustate consumptam recreare studiosissime fecit*.

* *Hic initio paginæ* 38 *codicis* 1 [128] *loco vacuo charta inscripta est anno* 1032: Quadam die nos Johannes Sagornino ferrarius insimul cum cunctis meis parentibus in unum convenimus ad tempore domni Petri Barbolani ducis, et requirebat nobis suoque gastaldo, quod in curte ferrum laborare debuissemus. Sed tamen omnibus modis contradiximus, nisi tantum quod laborare debeamus per nostras mansiones quicquid necessitatem fuisset, omnique tempore ad predictum palacium quantum nobis deportasset carcerarius. Unde nos illo tempore ita comprobavimus cum testibus, et judicatum extitit nobis, ut jurare debuissemus ad sancta Dei quattuor Evangelia. Sed in diebus predicti nostri senioris jam dictum sacramentum minime fecimus [129]. Nunc autem nos venimus ante presentiam domni Dominici Flabiani gloriosissimi ducis, senioris nostri, cum ipse residebat in pallacio cum suis judicibus, et ibi adstante maxima pars suorum fidelium, et corpimus nos lamentare de virtutem (122) quod gastaldus fabri ferrarii nobis faciebat. Denique judicaverunt et confirmaverunt, ut secundum quod ad tempore præfati Petri Barbolani jurare debuissemus, ita modo adimplere debemus; quod ita fecimus. Sed piissimus gloriosus dux senior noster noticiam scriptionis exinde nobis fecit, ut in curtis pallacii ferrum laborare minime debeamus, neque sub jugo gastaldioni fabri permanere debeamus, nisi tantum in nostras mansiones laborare debeamus ferrum, quantum carcerarius hujus pallacii nobis deportant cum omni nostro precio et expendio, ita quod ceteri fabri de illorum capitibus persolvunt; et liceat nobis cunctum ferrum laborare, secundum quod ceteri fabri laborant.

Paulicis dux ducavit annos 20 et menses 6 et dies 9. Marcellus dux ducavit annos 9, dies 21. Ursus dux ducavit annos 11 et menses 5. Post interfectionem Ursi duci in annis 6 non fuerunt duces in Venecia. Sed magister militum eam judicabat; id est domnus Leo magister militum sedit anno 1, Felix magister militum sedit anno 1, Deusdedi annis 2, Jubianus ypatus anno 1, Johannes Fabriacus anno 1. [130] Deusdedi ypatus ducavit annos 13. Galla dux ducavit annum 1 et menses 2. Dominicus dux ducavit annos 8. Mauricius dux annos 23. Johannes dux ducavit annos 25, Obilierius dux et Beatus sederunt 5. Agnellus dux ducavit annos 18. Justinianus dux ducavit annum 1, menses 2. Johannes dux ducavit annos 8. Petrus dux ducavit annos 29. Ursus dux

VARIÆ LECTIONES.

[127] *ita* 1. eux 2. [128] *In margine codicis* 3 *legitur*: Johannes Sagorninus hujus libelli auctor. *Quam scribæ sæculi* XV *conjecturam nullius momenti esse, jam Zanettius animadvertit.* [129] minime fecimus *suprascripta* 1. [130] *Quatuor linearum spatium vacat in* 1.

NOTÆ.

(120) V. Ann. Sangall. majores et Ann. Leodienses.

(121) Ann. Sangall. majores.

(122) Virtus=vis.

ducavit annos 17. Johannes dux ducavit annos 5 et menses 6. Petrus dux ducavit menses 6. Petrus dux Trondominico ducavit annos 23 et dies 23. Ursus dux ducavit annos 20. Petrus Candiano ducavit [131] 5. Petrus Badoario ducavit annos 3. Petrus Candiano ducavit annos 23. Petrus Candiano filio ejus ducavit annos 18. Petrus Ursoyolo ducavit annos 2 et dies 20. Vitalis Candiano ducavit annum 1 et menses 2. Tribunus Meni [132] ducavit annum et menses 4*.

A

* *Hic in codice* 1 *subjicitur :* Inquisicio facta est de pallie, que portabant per loca Italiæ. Veni ego Otho dux in publico placito cum majores judices nostræ terræ, mediocres et minores. Testicaverunt Badovario Bragadino et Mauricius Maureceni et Dominicus Florencius Flabianicus (123), quod in nullis partibus Italiæ debuissent pallia portare nec venundare, nisi a Papia et a mercato sancti Martini et Olivo.

B

Hic in Italia regnavit Alboin annos 3 et menses 6. Cleps regnavit annum et menses 6. Longobardi regem non habuerunt per 10 annos. Authari regnavit annos 6. Agilulfus [133] * regnavit annos 25. Adaloald regnavit annos 10. Arioald regnavit annos 12. Rotari regnavit annos 16 et menses 4. Rodoald regnavit annos 5. Aripert regnavit annos 9. Grimoald regnavit annos 9. Bertari regnavit annos 17. Cuniberd regnavit annos 12. Liuperto [133] regnavit menses 8. Ariper regnavit annos 12. Ansprando menses 3. Liutprando regnavit annos 31 et menses 7. Ilprand [135] * regnavit menses 7. Ratchiso regnavit annos 4, menses 9. Agistulfo regnavit annos 7. Desiderio regnavit annos 17 et menses 3.

Anno ab Incarnatione Domini 774 [134] Karolus rex in Italiam introivit, eamque cepit. Regnavit annos 46. Mortuo quoque Karolus rex [135] successit Lodoicus, qui rexit regnum annis 59, et mortuus est. Huic successit Karolus, qui regnum rexit 2. Defuncto Karulo successi [136] ei Karlomannus, qui regnum rexit annos 3. Mortuo jam dicto Karlomanno successit Karulo junior, frater ejus, qui regnum rexit annos 9. Successit Berengarius imperator.

C

Alia manu sæculi XI *exeuntis hæc adscripta sunt :*

Primus in Romana sede Julius Cesar regnavit annos quatuor et menses sex.
Octavianus Cesar regnavit annis quinquaginta sex et menses sex.
Tiberius Cesar regnavit annos viginti tres.
Gaius cognomento Caligula regnavit annos tres, menses decem et dies octo.
Claudius Cesar regnavit annos tredecim, menses septem et viginti octo.
Nero Cesar regnavit annos tredecim, menses septem et dies viginti octo.
Vespasianus cesar regnavit annos novem, menses undecim, dies viginti duo.
Titus cesar regnavit annos duo [137] et menses duos.
Domitianus, frater Titi junior, regnavit annos quindecim et menses quinque.
Nerva cesar regnavit anno uno, menses quattuor, dies octo.
Trajanus cesar regnavit annos decem et novem, menses sex, dies quindecim.
Adrianus cesar regnavit annos undecim.
Antoninus cesar cum filiis suis Aurelio et Lucio regnavit annos viginti duos, menses duos.
Marcus Antonius Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo regnavit annos decem et novem et mensem unum [138].
Lucius Antonius Commodus post mortem patris regnavit annos tredecim.
Helius Pertinax regnavit menses sex.
Severus Pertinax regnavit annos decem et septem.
Antonius cognomento Caracalla regnavit annos septem.
Macrinus cæsar regnavit annum unum.
Marcus Aurelius Antonius regnaverunt annos quattuor.
Aurelius Alexander regnavit annos tredecim.
Maximinus cæsar regnavit annos tres.
Gordianus cæsar regnavit annos sex.
Philippus cum Philippo filio suo regnavit annos septem.
Decius cæsar regnavit annum unum et menses tres.
Gallus cum Volusiano filio suo regnavit annos duos et menses quattuor.
Valerius cum filio Gallieno regnavit annis quindecim.
Glaudius cæsar regnavit annum unum et menses octo.
Aurelianus cæsar regnavit annis quinque et medium.
Tacitus cæsar regnavit dimidium annum.
Post hujus interfectionem Florianus regnavit dies octuaginta octo.
Probus cæsar regnavit annos sex et menses quattuor.

Orientalium imperatorum catalogum usque ad sæculi XI *exitum scilicet :* Alexius vero regnum imperii arripuit anno ab Incarnatione Domini 1081, indictione 4, mense Aprilis die prima in qua tunc cena Domini celebratum est, et regnavit annis.... *indeque alia manu usque ad medium sæculum* XIII *productum exhibet codex* 2, *hac sententia finem imponens :* Post mortem vero Johannis Balduinus gener ejus, filius supradicti Petri, imperavit annis.... *Balduinus hic* 11 *annis* 1237-1261 *regnavit.*

VARIÆ LECTIONES.

[131] *vox bis scripta* 1. [132] *ita* 1. *dux* 2. [133] * Agdulfus 2. [133] Gomberto — Lauperto 2. [135] * Idprand 2. [135] *ita* 1. 2. [136] *ita* 1. 2 [136] *ita* 1. 2. [137] *ita.* [138] *pergit alta manu in* 1.

NOTÆ.

(123) Qui postea a. 1028 Othonem ducem expulit.

CHRONICON GRADENSE.

• (*Fol.* 1.) Post multarum urbium destructionem et Aquileie desolationem, cum sevissima paganorum multitudo ad Altinensium civitatem aciem direxissent, in qua cum ejusdem civitatis indigenis fugatis

neminem reppérissent, omnem illam civitatem depredantes, igne succenderunt, muros quoque ac turres funditus subvertérunt. Huis vero civitatis magna pars populi timore correpta, cum in paludibus et in insulis paganorum fugientes insidias diu habitaret, divinitus factum est, ut quidam sanctissimus vir Geminianus nomine, sacerdos, Spiritus sancti perlustratus gratia, egenis cupiens subvenire, cum plurima loca diligenter perlustrasset, ad prefatum paludum perveniens locum, cum Ario quodam et Aratore copiosam Christianorum ibidem invenit multitudinem, quibus visis ac de invencione eorum admodum illarescens (124), nunciavit eis, quod pessima illa multitudo divine nutu clemencie destructa esset et in nichilum redacta. At illi gratias agentes glorificaverunt Deum qui non desérit sperantes in se. Tunc Arius et Arator, filius ejus, cum omnibus qui cum eo erant, vicinas quasdam insulas quæ in eisdem erant paludibus intuentes, ac meliores quas eligerant perscrutantes, domos et æcclesias in eisdem edifficare ceperunt. Quarum in edifficatione relictam Altinensis civitatis pulchritudinem nec non et multarum turrium subversionem recolentes, licet nimio merore turbati, tamen supradictarum turrium nominibus illas quas habitantes [139] insulas appellarunt. Unde factum est, ut cujusdam excellentissime ejusdem civitatis turris nomine Torcelli Arii omnes insule prefate vocarentur. Ex supradictis itaque insulam quandam Arii cum quibusdam suis serviciis, ut ibi habitarent, sibi vindicarunt, ubi etiam proprium nomen commutantes, omnes qui ex eorum tribu erant, Aurii appellati sunt. Cum his quidem omnes illi qui in Altinensium erant civitate, in porta illa que versus boreas (*fol.* 1') respiciebat, ibidem hospitati vicum Burianum Aurii a porta illa appellari constituerunt. Aurius vero tribunus cum massi (125) qui Macinii Celires appellati sunt, et cum quibusdam aliis quorum nomina ignorantur, locum qui huic insule vicinior erat ad habitandum eligerunt. Cum his quidem permanserunt omnes illi qui fuerant in prefata civitate de eorum porta, juxta quam turris magna et nimis excelsa fuerat, ex qua erat eis introitus et exitus. Hunc namque locum inhabitantes ex porta et turri illa magna Vicum Majoribus (126) isdem Aurius constituit appellari. In qua Maxum militem judicii fecit. Idem Aurius tribunus cum Fraudunis, qui et Faletri appellantur, et Rusticus, qui Luthoitus dicitur, et Calciamiri, quos Gambas sericas nominarunt, cum viatoribus et quibusdam reliquis quorum nomina ignorantur, omnes insimul quasdam vicinas eligerunt insulas, ex quibus vicum Constanciacum et vicum Amianarum Aurii constituentes, nominibus portarum ex quibus fuerant Aurius tribunus constituit appellari. Postquam vero universa hujus populi multitudo convicinancium insularum loco invaserat, una insimul convenientes mirabili forma ac prelucida claritate basilicam fundaverunt in honore sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ, pulcherrimo pavimento ornatam, cujus medium pulchritudine sua rota quedam admodum decorabat. Unde omnis habitatio que ipsi æcclesiæ proxima erat ab Aurio tribuno Rota appellata fuit; quam æcclesiam videlicet episcopatum Aurius tribunus constituit, quod episcopium prefatus Aurius ex collaudacione Metamaucensium et Rivoaltensium, nec non ex confirmacione Obellierii [140] et [140] Beati [140] ducum, qui tunc Venetiam regebant, ducatum in proprii dominii jure vindicavit. Quibus omnibus compositis et ordinatis, prefatus Aurius tribunus cum universa populi multitudine qui ex predicta Altinensi confugerant civitate, Obelierio [141] et [141] Beato (127-8) [141] ducibus colla submittentes se subjugaverunt. eo ordine quo in prefata civitate (*fol.* 2) olim subditi fuerant ducibus qui ipsius regimen obtinuerant. His namque patratis, ut supra memoratum est, ex concessione jam dictorum ducum et populi collaudatione quedam littora in prefati Aurii tribuni potestate concessa sunt. In primo quorum quendam Maurum presbiterum, qui de Altinensium fugerat civitate, invenit; qui ei ordinatim omnia exposuit, qualiter sibi Deus revelaverat quendam heremi locum, in quo sancti martires Hermes et Herasmus in Dei honore et eorum nominis titulo æcclesiam ei edifficare jusserant, cujus etiam mercedem illi impendere promiserunt. In sequenti quoque littore albissimam nubem sibi apparuisse dicebat, ex qua duos claritatis velut solis radios resplendere viderat. Ad quam cum proppius accederet, clarissima voce sibi dicentem audivit : « Ego sum Dominus Deus Salvator et tocius orbis dominator. Terra autem in qua stas, cave ut in ipso loco, quem tibi monstravero, in nomine meo basilicam construas. » Tunc nubes illa cum prefatis radiis non longe ad alium transferens se locum, in quo dulcisona alia vox facta est de nube dicens : « Ego sum Maria domni Jesu Christi Mater; in hoc loco æcclesiam in honore mei nominis volo ut edifices; » quem etiam locum sibi denotasse aiebat. In tercio autem cum pervenisset littore, ejusdem littoris medietatem ex gencium et populi diversa multitudine occupatam se vidisse narrabat. Cujus alia medietas boum ac bu-

VARIÆ LECTIONES.

[139] *ita c.* [140] *jam deleta, quorum loco recentiore manu* tribunorum procerum et *scriptum est* 1. *Lectionem antiquam codex* 3 *servavit.* [141] *jam deleta; quorum loco manu recentiore* tribunis proceribus et *scriptum est* 1. *Antiquam lectionem præbet* 3.

NOTÆ.

(124) Id est hilarescens.
(125) Id est massa, armatorum globo.
(126) Mazzorbo.
(127-8) *V.* supra, col. 897-899.

balorum densissimas acies vegetabat. In medio autem littore nubes illa candidissima cum suis radiis stetit. Ad quam cum accessisset, splendida canicie senem quendam in speciosissima sede sedentem infra ipsam nubem contemplatus est, cum quo videlicet juvenis quidam erat, insimul confabulantes. Tunc senior ille ait eidem Mauro presbitero : « Ego sum Petrus apostolorum princeps, a Christiani gregis pastore constitutus, ut ipsius pascam oves et agnos. Nunc in peccatorum tuorum remissione tibi injungo, quatinus ad Dei honorem (*fol.* 2') et in mei nominis titulo honorifice in hoc loco æcclesiam fundare studeas, ut in natalicii mei die universus Torcellanus populus in ea congregetur. » Junior vero ille, qui cum eo erat, dixit : « Ego sum servus Dei nomine Antoninus, qui pro Christi nomine passus fui. Ideoque precipio tibi, ut parvam æcclesiam juxta magistri mei basilicam in honore Dei et sub titulo nominis mei edifices. Nichil tamen alieni operis inter utrasque facere presumas. In qua si quis juste ac devota mente aliquid pecierit, meis precibus apud Deum obtinere non ambiget. Cave ut, sicut tibi designaverimus, ipsius æcclesias extruere facias. » In quartum autem cum pervenisset littus, visum fuit ei, quod totum littus vineis esset plenum, maturissimas uvas habentibus; et ecce nubes illa, quam paulo ante diximus, apparuit ei. Ad quam cum accessisset, decora facie puellam quandam in sede preciosa sedentem aspexit. Que dixit : « Ego sum Justina virgo, que pro Christi nomine in Patavi civitate passa fui; pro ejus amore te deprecor, ut parvam æcclesiam in Dei honore et mei nominis commemoratione in hoc littore construere facias. » His omnibus taliter revelatis, visum sibi fuerat in cujusdam brevissime tumbe [*i. e.* tumuli] loco persistere, ubi et nubes illa lucida apparuit ei, supra quam solem illustrantibus radiis aspexit. In eadem autem nube vir quidam mirabilis aspectu erat, dicens ei : « Ego sum Johannes baptista precursor Domini; deprecor te per nomen ejus, ut secundum hanc quam tibi in hoc loco ostendero formam æcclesiam michi edificare facias. » In qua die noctuque orationibus ac vigiliis sibi vacare injunxit, nec non per anulum ac scripture paginam investicione tradidit. His omnibus expletis supra ecclesiæ sancte Mariæ tectum astitisse sibi visum fuit, ubi nimio molendinorum strepitu qui juxta præfatam æcclesiam adesse videbantur, ex hujus quiete visionis sompno expergefactus, scripti (*fol.* 3) volumen et anulum in suis repperit manibus. Hæc autem seriatim postquam omnia exposuit, Aurius tribunus et alii nobiles qui cum eo erant, viso anulo et scripti volumine, quod ipse reppererat in manibus suis, de hujus revelationis visione certificati, parvam æcclesiam in honore Dei et sancti Johannis, sicut idem sanctus baptista ipsi Mauro ostenderat, juxta atrium episcopii mira pulchritudine edificaverunt. In ipsa quoque baptismatis fontes ponentes, mirum in modum per occultos meatus in eisdem fontibus æreas bestiarum imagines aquas evomere fecerunt. His itaque peractis, prefatus sacerdos Maurus secum duxit Aurium tribunum ad littus in quo sancta sibi apparuerat Justina. Ibique juxta quod in prefata visione sibi revelatum fuerat, parvam æcclesiam construere fecit. Deinde veniente in littus in quo gencium ac boum sibi apparuerat multitudo, secundum quod in prefata revelatione sibi jussum fuerat, æcclesiam in honore sancti Petri et aliam parvam ecclesiam in honore sancti Antonini martyris edificaverunt. Littus autem boum Aurius tribunus constituit hoc appellari. Deinde ad aliud littus transfretari cupientes, albissimam nubem supra id ad quod tendebant littus viderunt. Ad quod cum pervenissent, evanescente nube, secundum ea que illic reppererant signa æcclesiam in honore domni Salvatoris edificaverunt. Ex prefate quidem albe nubis visione, littus Album idem Aurius tribunus illud constituit nominari. Ad hujus littoris versus dexteram gradientes partem, sicut in prefata sibi ostensum fuerat visione et a sanctis martiribus designatum, æcclesiam in honore sanctorum martirum Hermetis et Herasmi edificaverunt [152] cujus mercedis promissa locum in quo altaria fodientes destinaverant, plurimum auri invenerunt, et ob hoc Aurius tribunus (*fol.* 3') littus Mercedis constituit hoc appellari.

Expletis his omnibus, hec omnia que supra memoravimus littora prefatus Aurius cum ceteris ejusdem episcopii principibus in jure proprie dominationis sub eodem episcopatu susceperunt. In quibus etiam multos agricolas seu colonos constituerunt : hoc itaque modo ut nullus in eisdem littoribus vineas vel alicujus culture opus agere presumeret sine episcopi concessione vel venundatione.

Constituerunt quoque quod singulis annis ex unoquoque sulcu uniuscujusque vineæ jam dicto episcopatui duos palmites cum omnibus racemis pro censu persolverent, et pro unaquaque domo pro fisci [153] precio octo nummos eidem episcopatui impenderent. Omnes vero piscarias gurgitum ac paludum prefato subjugaverunt episcopio. Preterea quedam alie ejusdem [154] episcopatus partes in censi debitum ova et gallinas offerebant. Omnium autem supradictorum cunctos redditus prefato Mauro [155] presbitero, usque quo episcopali fungeretur honore, comiserunt.

Eó namque tempore Frauduni cum Willarensis mastalicis (129) æcclesiam in honore Dei et sancti

VARIÆ LECTIONES.

[152] edificerunt 1. [153] prosisci 1. pro fiscli 3. [154] eisdem *c*. [155] *mutatum in* Magno ; *v. not. seq.*

NOTÆ.

(129) Id est massalicis, incolis.

Laurencii levite et martyris honorifice construxerunt. Cujus per girum fundamentis constructis, castellum quoddam illic fieri ordinaverunt. A quo vero castello pontem edificantes, usque ad Amianas fecerunt iter. Prefatis namque Fraudunis concessit Aurius tribunus et Maurus presbiter in vico Amianarum judicii tribunatum. Maximam vero cujusdam littoris partem ex concessione Aurii tribuni, necnon et Mauri presbiteri, ut ad ejusdem æcclesie utilitatem vineas edificarent, ipsi Frauduni apprehenderunt. Piscarias quoque ac paludes, ut eidem æcclesie molendinos constitueret idem Aurius tribunus (*fol.* 4) et Maurus [146] presbiter plures concessit. In eodem vero vico Amianarum supradicti Frauduni æcclesiam sancti Marci construxerunt, eamque sancti Laurencii ecclesiæ subjugantes. Non post multum temporis ipsi Frauduni cum Calciamiris aliquas reliquias sanctorum martirum Sergi et Bachi a quodam Stephano Scopacalle susciplentes, æcclesiam in Dei et eorum honore in capite vici Constanciaci edificaverunt, quam prefate plebi sancti Laurencii subdiderunt. Iterum quasdam alias reliquias sanctorum martirum Marcelliani et Maximi a quibusdam castellanis acquisiverunt, in quorum honore æcclesiam edificantes, jam dicte subjugaverunt plebi. Has namque tres æcclesias per scripti cyrographum pre'ate subdiderunt plebi; eo vero ordine ut singulis annis in earum festivitatibus jam dictæ æcclesiæ plebano prandium preparare [147] honorifice deberent. Hujus vero vicem isdem plebanus in ipsius plebis festivitate earundem æcclesiarum clericis constituerunt reddere. Ex collaudacione vero Aurii tribuni, principis Torcellani, et Mauri presbiteri, qui in episcopii honore electus fuerat, per testamenti paginam censuerunt, quatinus si quis ex illorum tribu utilis inveniretur clericus, accepta investicione a Torcellano pontifice, sine alicujus contraditione, in sancti Laurencii æcclesia plebanus constitueretur. Sin autem ex predicta prole nullus talis superesset clericus, ejusdem parrochiæ vicini in aliam quam vellent personam liberam faciendi electionem haberent potestatem. Reliquas vero ecclesias, que per diversas Torcelli partes fuerant edificate, Aurius tribunus et predictus Maurus presbiter qui fuerat electus cum universi populi laude constituerunt et confirmaverunt, atque sub potestativo jure æcclesiæ sanctæ Mariæ subdiderunt (*fol.* 4'), et omnium supradictarum [148] æcclesiarum censuerunt episcopium ipsam ecclesiam sanctæ Mariæ. Juxta hanc quippe æcclesiam non longe in honore Dei et sancti Johannis apostoli et evangelistæ prefati Frauduni edificaverunt basilicam. Ex concessione vero Obelierii et Beati Metamaucensium ducum et collaudacione Aurii tribuni necnon ex confirmatione Mauri presbiteri, qui in episcopatus honore electus fuerat, ipsam æcclesiam sancti Johannis apostoli et evangelistæ cenobium sanctimonialium perpetuo esse ordinaverunt.

His autem ut supradictum est constitutis, eodem tempore universa Venetiæ populi multitudo communicato consilii in Gradense pervenerunt castrum, ibique juxta æcclesiæ sancti Johannis Baptiste de Torcellis formam, in honore sanctæ Mariæ Virginis basilicam construxerunt. Aliam quoque æcclesiam in honore sancte Agathe virginis edificantes, mirabili opere in eandem ordinarunt criptam. In qua altare in honore sancti Vitalis martyris erectum est.

Ea namque tempestate cuidam Geminiano presbitero divina revelatione injunctum est, ut in Tergestina civitate destructa, inter muros ecclesiæ et muros destructæ civitatis, corpora sanctorum quadraginta et duo martyrum diligenter perquireret. Quibus inventis, cum quibusdam suis comprovincialibus [149] ad Aquilegensium destructam perveniret civitatem, perquirentes reliquias sanctorum, invenerunt ibi corpora sanctorum martyrum Cancii et Canciani atque Cancianillæ, necnon et corpora sanctarum virginum, Eufimiæ, Dorotheæ, Tecleæ et Erasmæ, quas omnes reliquias, ut ei revelatum fuerat, secum defferentes, cum maximo honore in castro Gradensi infra æcclesias dignissime condiderunt.

Hisdem autem temporibus Beatus [150] dux Metamaucensium, cum quibusdam tribunis (*fol.* 5) et nobilibus suis ad universalem Romane sedis pontificem nomine Benedictum (130) adgressi sunt iter. At quem cum pervenissent, suppliciter fusis precibus quatinus Gradense castrum novam Aquileiam instituteret, et tocius Venetiæ et Hystriæ metropolim ordinaret deprecabantur. Nomina quoque patriarcharum qui post destructionem Aquilegensium urbis sine alicujus apostolici concessione in prefato Gradensi castello sederant, refferebant dicentes: « Marcellinus patriarcha, ipse primus in eadem novam Aquileiam sedis [151] annis 19, qui prius fecerat monasterium Beligniense in destructa Aquileia, quod etiam monasterium sub proprii dominii jure quamdiu vixit retinuit. Huic autem successit Marcellinus, qui annis 15 novæ Aquilegæ rexit ecclesiam. Post quem Stephanus in ejusdem castri æcclesiam sedit annis 12 et mensibus 3 et diebus 15. Hujus quippe successor extitit Maurus, qui in eadem æcclesia prefuit annis 4, mensibus 5. Post

VARIÆ LECTIONES.

[146] *sic primum scriptum erat, post* u *in* g *et* n *in* r *mutata sunt, ut nunc* Magnus *in codice legatur. Indicia tamen primæ lectionis facile cognosci possunt.* Giesebrecht. [147] prepare *c.* [148] *ita* 3. tribunorum et procerum et *in loco raso postera manu* 1. [149] cum *supplendum esse videtur.* G. [150] *ita* 3. proceres et *in loco raso* 1. [151] *lege :* sedit.

NOTÆ.

(130) Benedictus nullus initio sæculi noni sedit.

quem Macedonius per annos 16 et menses 5 et dies 6 ibidem extitit patriarcha, qui æcclesiam sancti Johannis apostoli et evangelistæ in eodem castello fundavit.

« Hos autem in numero episcoporum, qui a tempore beati Marci usque ad Nicetam, qui tempore destructionis Aquilegensi prefuit æcclesiæ, connumerari credimus, necnon ab apostolice sedis pontificibus cum pallii benedictione in hanc quam petimus novam fieri Aquileiam destinati sunt. »

Tunc idem sanctissimus Benedictus, summus Romanæ sedis pontifex, benignitatis clemencia motus, dignis eorum condescendit precibus, communicatoque (*fol.* 5') 39 episcoporum concilio, Gradensem civitatem novam Aquileiam constituens, ex collaudatione supradictorum episcoporum et omnium sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, tocius Venetiæ et Histriæ metropolim ordinavit. Accersitoque duce et qui cum eo erant : « Per privilegii, inquit, preceptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ et [183] collaudatione ac confirmatione omnium istorum fratrum, tam episcoporum, quam cardinalium, tocius Venetiæ, necnon et Hystriæ Gradensem æcclesiam metropolim vobis ordinamus. Ejusdem vero presulis electionem clero et populo liberam faciendi tribuimus facultatem. Prefate preterea regionis duci post factam electionem investicionis potestatem committimus, qua ab ipso duce accepta, ejusdem suffraganeis consecrandi licenciam concedimus. Quibus expletis, ad hujus sanctæ Romane æcclesiæ sedem ad pallii benedictionem suscipiendam properare injungimus. » Hec omnia per privilegii paginam duci [183] et cunctis ejus [184] successoribus concessit. Ad hujus rei confirmationem, recto ut supradictum est ordine, quendam Paulum cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, facta electione ab ipsis tribunis nobilibus qui cum Beato [183] duce aderant, a prefato quoque duce accepta investicione, patriarcham consecravit, atque cum pallii benedictione in novam Aquileiam cum eis remisit. Qui sanctissimus patriarcha corpora sanctorum in eisdem nove Aquileie æcclesiis honorifice condivit. In æcclesia sancti Vitalis quadraginta et duo martyrum corpora dignissime tumulavit; in æcclesia sanctæ Mariæ corpora sanctarum virginum Eufimiæ, Dorotheæ, Teclæ et Erasmæ diligenter collocavit; corpora autem sanctorum Cancii, Canciani et Cancianillæ in æcclesia sancti Johannis evangeliste celeberrime composuit.

(*fol.* 6) Cumque idem venerabilis partiarcha ad destructam Aquileiensium civitatem cum populi multitudine ire disponeret, divina revelatione sibi innotuit, qualiter cives Aquileiæ sevissimam Longobardorum rabiem in Gradense castrum fugientes, beatissimi corpora sanctorum Quirini, Illari et Taciani et ceterorum secum asportaverunt; hac itaque revelatione. non parum illarescens, et translationem eorum scripsit, et natalicii diem constituit celebrari. In octavo die pentecosten natale quadraginta et duo martirum instituit; natalicia sanctorum Illari et Taciani sexto decimo Kalendas Marcii, Quirini sacerdotis quarto Kalendas Junii, sanctorum Cancianorum pridie Kalendas Madii, natale sanctarum virginum tercio Nonas Septembris.

Rexit autem Paulus, benignissimus patriarcha primus per apostolicam concessionem, novæ Aquileiæ æcclesiam annis 12.

Huic successit Probinus, qui in eadem nova Aquileia metropolitanam rexit æcclesiam annis 2, mensibus 8.

Dehinc Helias [186] egregius patriarcha Gradensem regendam suscepit æcclesiam. Ipse in eadem æcclesiam sanctæ Eufimiæ juxta nominis proprietatem fabricare precepit. Nam quod grece eufimia, latine bona forma [187] sonat. In eadem quoque [188] æcclesia congregata multitudine episcoporum a Verona usque Pannoniam, cuncteque Venetie populo convocato, generalem sinodum celebravit. Ipso namque tempore corpora sanctarum virginum secundum quod a reverando Paulo patriarcha scriptum fuerat perquirens, omnibus revelavit. Quibus cunctis qui erant in prefato concilio visis, celeberrime ipsa corpora venerati sunt. Tunc Helias egregius patriarcha cum omni illa multitudine (*fol.* 6') episcoporum ac cleri et populi collaudatione ordinavit sedecim episcopatus inter Foroguliensium necnon et Hystriæ sivæ Dalmatiæ partes, videlicet in Vegla, in Apsaro, in Pathena. In Venetia autem sex episcopatus fieri constituit. Quorum electiones uniuscujusque parrochiæ clero et populo comittens, sicut a beato Benedicto sanctæ Romanæ sedis antistite fuerat sancitum necnon et privilegii scripto confirmatum, duci investicionem concessit. Horum episcopatûm primum constituit Torcellanum, sicut primus fuerat vetustate in Altinensium civitate; secundum Metamaucensem; tercium Olivolensem, cui ideo hoc nomen impositum est, quia ibi ante januam æcclesiæ sancti Serzi [189] imanis (131) erat olivarum arbor. Cujus parrochiæ convocatis populis, magnam æcclesiam in honore Dei et sancti Petri idem venerabilis patriarcha edifficare precepit, ibique episcopium constituit, ubi scripti confirmatione et anathematis vinculo convenire in unoquoque sabbato se constrinxerunt, ibi-

VARIÆ LECTIONES.

[183] *ita primum scriptum erat, quod post altera manu mutatum est in* ex. G. [183] *alia manu* ducibus 1. [184] *alia manu* eorum 1. [185] *ita* 3. prefato *in loco raso.* [186] *hic incipit codex* 3. [187] *lege* fama. [188] quoquoque 1. [189] *i.a* 1; *id est* Sergi, Sergii, *Veneta lingua, qua e. g* San Giorgio *pronuntiatur* San Sorso.

NOTÆ.

(131) Immanis.

que plurimas mercationes faciebant. Quartum episcopium in Æquilensem civitatem fieri constituit. Quintum in civitate Eracliana adesse precepit. Eodem quoque tempore idem venerabilis patriarcha æcclesiam in honore Dei et sancti Petri edificavit, quam Opiterginam appellavit. Sextum autem episcopium in Caprulis fieri jussit, ubi castellum constituit, in quo æcclesiam in honore sancti Stephani protomartyris fundavit, juxta quam episcopalem domum secundum loci posicionem sat honorifice edificare precepit.

Metamaucensium autem episcopatus ex Patavium civitate extitit oriundus, et veluti universus populus exivit cum suo episcopo, sic in eadem insulam (*fol.* 7) Metamaucensi habitare disposuit.

Episcopatus vero civitatis novæ, quæ Eracliana appellata est, de Overdecina civitate (132) advenisse testatur. Unde dux et magna pars nobilium ejusdem civitatis fugientes, in prefata Eracliana civitate prelibatum episcopatum constituerunt.

Caprulensium quidem episcopatus de Concordia a fugienti clero et populo, sicuti ibidem fuerat, hic ita constitutus est.

Idem quoque sanctissimus Helias patriarcha in littoribus quæ a Gradensi civitate usque Caprulanum episcopium discurrunt, quasdam edificare fecit ecclesias. In primo littore, quod juxta Gradensem adesse dinnoscitur civitatem, basilicam in honore Dei et sanctissimi Petri apostolorum [160] principis edificare precepit, ubi et cenobium puellarum adesse ordinavit.

In secundo quoque littore, cujus longitudo per sex extenditur miliaria, in quodam ejusdem littoris heremi loco, duo viri ibidem manentes inventi sunt, quorum alter vocabatur Barbanus, alter vero Tardessus dicebatur. Idem namque viri paganorum fugientes rabiem, de Tarvisio cum omni sua suppellectile illic latitabant. Quibus ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, ut fuerat revelatum, prenominatus patriarcha facere precepit. Ad quem cum isdem patriarcha pervenisset locum, veluti ibi reppererunt signa, ejusdem æcclesiæ fundamenta injecit, ubi et monachorum cenobium adesse necnon et Barbanum abbatem fieri ordinavit. Hujus namque socius ad propria remeavit.

(*fol.* 7') In eadem vero sinodo (133) quam supra memoravimus, quicquid de Calcedonensi dubitabatur concilio, pulsa ambiguitate confirmatum est. Ibique statuit æcclesiam Gradensem caput et metropolim tocius provincie Hystriensium et Venetiarum; cujus Venetiæ terminus a Pannoniam usque ad Adam fluvium protelatur. Epistolamque pro his statutis

A acceperunt a beatissimo papa Pellagio, consentientibus universis episcopis jam dictarum provinciarum. Paulus siquidem, precessor [161] ejus, hostile periculum non ferens, Longobardis advenientibus cum omni thesauro ecclesiæ Gradus se contulerat, afferens secum corpora sanctorum martirum Hilari [162] et Taciani et reliquorum. Defuncto vero Paulo et in æcclesia Gradense umato, cujus sepulchrum usque hodie [163] ibi manet, Probinus Gradensem, id est nove Aquileie, rexit æcclesiam. Cui succedens memoratus Helias patriarcha, hec que suprascripta sunt (*v. supra col.* 881) ordinavit, et jam dicta corpora sanctorum ibi miro modo locavit, domumque sibi a fundamentis fabricare precepit, asserens in synodo supra statuto : *Karissimi fratres, intervenien-*
B *tibus malis nostris cottidie hostile perpetimur flagellum, et jam pridem ab Attila Ungarorum* [164] *rege Aquileia, civitas nostra, funditus destructa est, et Gothorum incessu et ceterorum barbarorum cassata, vix aspirat; sed nunc Longobardorum infande gentis flagella sustinere non potest. Quapropter dignum ducit mansuetudo nostra, si vestræ placet sanctitati, in hoc castro Gradense nostram confirmare metropolim.* Quod dictum omnibus placuit episcopis; et facto libello statutæ suæ, id est de memorata Calcedonensi synodo (*fol.* 8) et de hac ipsa sede et omnium supradictorum, supter manibus suis conscripserunt. Id est primus Helias patriarcha; deinde Marcellus [165]
C episcopus sanctæ æcclesiæ Opitergine, Leonianus episcopus Tyborniensis, Petrus episcopus Altinatis, Vindemius episcopus Cessensis, Bergullus episcopus Patavinæ æcclesiæ, Johannes episcopus Celejanæ, Clarissimus episcopus Concordiensis, Patricius episcopus Emonensis, Adrianus episcopus Polensis, Maxencius episcopus Juliensis, Severus episcopus Tergestinæ æcclesiæ, Solacius episcopus Veronensis, Johannes episcopus Parentine æcclesiæ, Aaron episcopus Avonciensis, Ingenuus episcopus secundo Reciæ, Agnellus episcopus Tridentine æcclesiæ, Vigilius episcopus Scaravaciensis, Fonteius episcopus Feltrensis, Marcianus episcopus Petenatis; Laurencius presbiter, et Marinus presbiter, atque Emerius
D presbiter, provinciales, et ceteri presbiteri, tam metropolitani quamque et Plebani. Omnes isti suprascripti consencierunt, et omnia in eodem [166] loco confirmaverunt.

Post annos quinque hec [167] omnia suprascripta peracta in ipsa sede metropolitana Gradense, defunctus [168] supramemoratus Helias patriarcha, qui annis pontificatum rexit 14 et mensibus 10, diebus 21, et sepultus est in æcclesia beatæ Eufimie.

Huic successit Severus patriarcha ad regendam

VARIÆ LECTIONES.

[160] apostorum 1. [161] processor *c*. [162] hylari 5. [163] modo 5. [164] unorum 5. *et supra cnron. Venet.* col. 881-883. [165] marcianus 5. *et supra* col. 881-885. [166] edem 1. [167] his omnibus suprascriptis peractis *corrigit* 5. [168] est *addit* 5.

NOTÆ.

(132) Oderzo.
(133) Cf. de Rubeis Monumenta Ecclesiæ Aquileiensis, pag. 255 sqq.

Gradensem eandem æcclesiam, qui omnes suas res, A que de parentum jure habuit, in jam dicta æcclesia sancte Eufimie reliquid, per testamentariam vocem comendans sacerdotibus ipsius metropolis Gradensis, ut ipsi superstites seu posteri eorum pro his rebus specialiter omni die sabbati pro ipso missas celebrarent, atque oblationes offerrerent; mensamque pauperum instituit (*fol.* 8'). Cujus et testamenti cartula apud æcclesiam Gradensem manet, et res quas sibi reliquid ipsa possidet æcclesia. Defuncto vero ipso beatissimo viro, apud Gradensem metropolim æcclesiam sepultus est in basilica beatæ Eufimiæ. Qui pontificatum rexit annis numero viginti et octo [169], et diebus triginta et uno.

Huic successit Marcianus patriarcha, qui ecclesiam Gradensem rexit annis numero tribus, mense B uno, diebus quinque. Mortuo vero ipso apud Gradus, id [170] est novam Aquileiam, sepultus est in æcclesia beatæ Eufimiæ.

Huic successit Candidianus patriarcha in ipsa suprascripta metropoli Gradensi. Sub cujus tempore per consensum Agilulfi, regis Longobardorum, Gisulfus dux per forciam episcopum in Forojulii ordinavit Johannem abbatem. In qua tres episcopi consenserunt Deo sibi contrario, et eum consecraverunt.

Tamen [171] postea per epistolam domni Bonifacii papæ urbis Romæ sub eandem metropolim Gradensem se subjugaverunt. Defuncto vero Candidiano patriarcha apud Gradense castrum, qui annis rexit æcclesiam numero quinque, successit Epiphanius qui sanctam æcclesiam Gradensem anno uno, mensibus tribus, diebus undecim gubernavit; qui mortuus et sepultus est in æcclesia beatæ Eufimiæ.

Huic successit Ciprianus patriarcha ad regendam æcclesiam Gradensem, qui eam rexit annis numero quindecim, mensibus tribus, diebus viginti. Et hoc mortuo, sepultus est in eadem basilica ubi suprascripti predecessores ejus humati sunt.

Isdem vero papa providens utilitati sanctæ Dei æcclesiæ, interventu supradictorum Primogenium subdiaconum, regionarium sedis apostolicæ, ad eandem metropolim regendam direxit.

CHRONICI GRADENSIS SUPPLEMENTUM [172].

Fortunatus quidam hereticus pontificatum arripuit; qui quintam sinodum minime credens, ob sui erroris piaculum pavens, totam æcclesiam Gradensem metropolitanam denudans in auro et vestibus vel ornamento, similiter [173] et ecclesias baptismales provinciæ Hystriæ [174] et sinochagia [175] quæ ad eandem æcclesiam Gradensem pertinere videbantur, fugam in Longobardiam petiit, apud castrum Cormones super civitatem Aquileiam miliario 15. Contra cujus nequitiam et heresim episcopi Venetiarum et Hystriensium et clerici Aquileienses, qui etiam Gradensis æcclesiæ, scripta sua ad Honorium papam direxerunt. Idem [176] vero papa providens utilitati sanctæ Dei æcclesiæ, Primogenium diaconum et regionarium [177] sedis apostolicæ ad C eandem metropolim regendam direxit, dans et epistolam auctoritatis apostolicæ innodantem memorati Fortunati heresim. Idem autem Primogenius per visionem ammonitus, corpora beati Hermachoræ et martiris atque pontificis et sancti Felicis et Fortunati, sita miliario tercio, in Gradensem civitatem adduxit, ibique diligenti cura deposuit; et usque hodie pontifex civitatis Gradensis pallei benedictionem a summa sede apostolica promeruit. At vero supramemoratus patriarcha Primogenius apocrisiarium suum dirigens in regiam urbem ad virum piissimum Justinianum (134) augustum hujus rei indagandæ causa, qualiter ipse baptismales ecclesiæ denudatæ fuissent, quod et Longobardi suos episcopos a diocesi ejus subtrahere voluissent, et ipsum thesaurum apud se ipsi retinuissent. Tunc demum ipse piissimus imperator aurum et argentum plus remisit quam [178] perdiderant, et insuper sedem beatissimi Marci evangeliste dirigens, quam ab Alexandria Heraclius augustus in regiam urbem adduxerat. Mortuo vero beatissimo viro Primogenio (*an.* 649), qui annis numero 20, mensibus 3, diebus 7 rexit pontificatum, sepultus est juxta corpus antecessoris sui beatissimi Cypriani, in basilica beatæ Eufemiæ. Huic successit Maximus præsul (*an.* 670), qui annis numero 20 rexit pontificatum, et sepultus est in eadem basilica. Deinde successit ad regendam æcclesiam Stephanus præsul, qui annis numero 5 pontifex fuit. Eo vero mortuo (*an.* 675) atque sepulto in eodem castro juxta basilicam beati Johannis euvangeliste (135), Christoforus præsul suscepit ecclesiam Gradensem regendam, qui in patriarchatu vixit annis numero 32, et mortuus est atque sepultus in eadem basilica (*an.* 685). Huic successit Donatus antistes (*an.* 717), cujus tempore Longobardi per fortiam Sereno Forojulensis æcclesiæ archiepiscopo a summa sede palleum detule-

VARIÆ LECTIONES.

[169] XXXI. 5. [170] i. e. n. *A. desunt* 5. [171] *In margine eadem manu, qua textus exaratus est adnotatur:* In hoc loco necessaria est epistola Bonifacii pape 1. [172] *ex codd.* 5. 6. [173] simul 6. [174] hystoriæ 5. 6. [175] *i. e.* xenodochia. [176] Idem — direxit *jam supra in fine codicum* 1. 2. 3. 4. *habetur.* [177] ragionarium 6. [178] quoniam 6.

NOTÆ.

(134) Cum Dandulo lege *Heraclium*.

(135) Agathonem hic inserit Ughellius.

runt [179] apostolica primitus; cui beatissimus papa Gregorius epistolam direxit, interdicentem [180] inter ceteras, ne umquam aliena jura invaderet, aut [181] temeritatis ausu [182] usurparet juris ditionem cujusquam, set in his esset contemptus [183] quæ usque tunc possedisset. Et ex auctoritate apostolica præcepit ipse beatissimus papa, nec ullo modo terminos excederet, a Donato præsule Gradense possessos, set sibi sufficeret in his quæ possidebat, nec amplius quam in finibus procul dubio gentis Longobardorum gressum tendere præsumeret. Quod si inobediens fuisset, apostolici vigoris indignus judicaretur. Mortuo vero Donato patriarcha, qui annis numero 7 rexit pontificatum, sepultus est in basilica sanctæ Eufemiæ.

Incipit epistola beati Gregorii papæ missa Sereno episcopo Forojulensi, in his verbis interdicens: « Tanto munere quisque ditatur, quantum in subimitate positus de se ex mandato domini Redemptoris humiliter sentit. Etenim pastoralis dignitas singulariter ex humilitate ornatur. Spernendum quippe apostolica lectio arguit elatos; et si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Nam dum ad cumulum tui honoris præcibus eximii filii nostri regis flexi, plurimum et pro rectitudine fidei, quam te tuamque æcclesiam tenere et amplecti cognovimus, provocati, palleum tibi direximus, interdicentes et inter cetera [184], ne umquam aliena jura invaderes, aut temeritatis ausu [185] usurpares juris ditionis cujusquam; sed in his esses contentus quæ usque hactenus possedisti. Nunc vero, ut cognovimus, Gradensis præsulis niteris pervadere jura, atque ex his quibus possedit nunc usque usurpare. Ne ergo in quoquam existas temerator, ex apostolica auctoritate præcipimus, ne ullo modo terminos excedas ab eo possessos, sed solum sufficitias in hisque te habeto, quo modo usque possedisti, nec amplius quam in finibus procul dubio gentis Longobardorum existentibus gressum tendere præsumas, ut non injuste te suscepisse gratiam collati pallei ex præsumptione ostendas. Et inde apostolici vigore concilii, si inobediens fuisses conprobatus, indignus judiceris. Data Kal. Decembris, indictionis 7. » Idem Gregorius pro hac re talem ad episcopos Venetiæ et Hystriæ direxit epistolam: « Gregorius, servus servorum Dei, episcopus, universis episcopis Venetiæ seu Hystriæ vel plebi ejusdem. Quamquam ex ministerio quod miseratione superna regimus, quicquid provide deliberando peragere absque obstaculo conveniat, attamen ne frustra judicium egisse videamur [186], illa cupimus persequi, quæ non [187] ad lesionem cujusquam, verum potius ad munitatem respitiant, et illa [188] satagere, unde non [189] ex potestate divinitus concessa supplicia sed præmia sperentur. Convenit enim, ut cum unius votis paremus, alterius jura non fraudentur. Quia ergo missa relatione, nos a Deo salvata communitas [190] vestra petiit, contra Forojulensem antistitem agentes, quod cupiat invadere ditionem [191] Gradensis patriarchæ et ut numquam excedere terminum vel jura invadere aliena; sed nec velle in ea quæ hactenus possedisset esse contentum; cui etiam in præsenti ne ea temptet ex auctoritate apostolica interdiximus, eique concessum pallium sub hac esse conditione, dilectissimi, sciatis. Cui denuo, ne præsumat excedere, præcepimus. Ne ergo incuria quadam aut discidio locum gens eorum insidiando, ut assolet, invadat, pervigiles cavete, potius solliciti de vestra post divinum præsidium percogitate [192] salute. Quia illud non occasione agitur, sed ubi possunt Deo ejus [193] resistente virtute perpetrare [194] nituntur. Optantes vos de reliquo in amore domini nostri Jesu Christi pollere, et ab omni inmunes aversitate manere. Bene valete. »

Interim autem hic beatus Gregorius defunctus est Romæ, cui successit beatissimus Gregorius papa tercius; qui post obitum Donati Gradensis patriarche epistolam suam direxit universis Venetiensis seu Histriæ et cuncto populo, ut electionem in Gradensem patriarcham facerent. Qui præcepto ejusdem papæ Gregorii elegerunt Antoninum virum probatissimum in nova sancta Aquileiensi patriarcham ecclesiam (*an.* 725). Qui a beato Gregorio papa tercio juxta decessorum suorum exemplar privilegium cum benedictione pallei consecutus est. Hic Antoninus [195] patriarcha ammonitus est a prædicto Gregorio papa Romam ad synodum occurrere; ad quam synodum Johannes archiepiscopus Ravenas vocatus est propter imagines quæ in regia urbe deponere jubebant Leo atque Constantinus augusti, et inlicite conjugia quæ per diversa loca fiebant. Post hanc vocationem Antoninus patriarcha cum suis suffraganeis Romam ad synodum perrexit; in qua synodo definitive divisio facta est inter Antoninum Gradensem patriarcham et Serenum Forojulensem antistitem, juxta edictum beati Gregorii secundi, confirmante tota synodo et sententiam anathematis in hujus confirmationis violatores dictante.

Mortuo vero ipso Antonino patriarcha, qui annos rexit pontificatum 22, menses 10, dies 20, sepultus est in eodem castro in æcclesia sanctæ Æufemiæ. Huic successit Æmilianus patriarcha (*an.* 749), qui rexit pontificatum annos 8, dies 6. Mortuo vero

VARIÆ LECTIONES.

[179] *deest* 5. [180] *deest* 6. [181] au 5. 6. [182] ausi 5. 6. [183] *i. e.* contentus. [184] prohibentes *addit Dandulus in chronico pag.* 132. [185] usu 5. 6. [186] a. ne f. i. c. v. *desunt* 5. 6. *recepi ea ex Dandulo p.* 133. [187] *deest* 5. 6. [188] et illa *desunt* 5. 6. [189] *deest* 5. 6. [190] c. et v. 5. 6. [191] invadere *usque* invadere *exciderunt* 5. 6. [192] cogitare *Dandulus p.* 133. [193] eis non *D.* [194] obtemperare *D.* [195] antonius 5. 6.

sepultus est in eadem æcclesia. Huic successit Vitalianus (*an.* 757), qui rexit æcclesiam metropolitanam annos 12, menses 2, dies 15, et sepultus est in eadem basilica. Huic successit Johannes patriarcha (*an.* 766), qui rexit æcclesiam metropolitanam annos 36, et sepultus est in eadem æcclesia beatæ Eufemiæ. Post hunc successit Fortunatus[196] patriarcha (*an.* 803), qui a Leone papa privilegium cum benedictione pallei juxta suorum decessorum exemplar consecutus est. Hic tantæ famositatis fuit, ut dive memoriæ Karolus imperator spiritalem patrem eum habere optaret. Cujus ad augmentum æcclesiæ idem reverentissimus augustus quamplurima contulit præcepta. Qui Fortunatus rexit æcclesiam annos 27. Cui successit Venerius restaurator ecclesiarum (*an.* 825), qui rexit pontificatum annos 24, menses 8, et sepultus est in sanctæ Eufemiæ æcclesia. Huic successit Victor (*an.* 848), qui rexit æcclesiam annos 6, menses 3, dies 4, et sepultus est in eadem æcclesia sanctæ Eufemiæ. Cui successit Vitalis patriarcha (*an.* 854), qui rexit pontificatum annos 19, mensem 1, dies 6, et sepultus est in æcclesia beatæ Agathæ. Post hunc successit Petrus patriarcha (*an.* 873), qui A æcclesiam rexit annos 4, menses 6, dies 8, et sepultus est ante ecclesiam sanctæ Eufemiæ. Cui successit Victor junior (*an.* 878), qui rexit ecclesiam annos 17, menses 11, dies 13, et sepultus est ante æcclesiam sanctæ Eufemiæ. Huic successit Gregorius patriarcha (*an.* 896), qui rexit pontificatum annum 1, menses 6, dies 22. Huic successit Vitalis junior (*an.* 897) patriarcha, qui rexit æcclesiam annos 3, menses 3, dies 14 et sepultus est in æcclesia sanctæ Eufemiæ juxta corpora sanctorum martyrum Hermachoræ et Fortunati. Huic successit Dominicus patriarcha (*an.* 900), qui rexit pontificatum annos 7, menses 11, dies 3. Post hunc successit Laurentius patriarcha (*an.* 921), qui rexit æcclesiam annos 12, menses 9, dies 24. Cui successit Marinus B patriarcha (*an.* 955), qui tenuit pontificatum annos 34, menses 3, dies 7. Huic successit Bonus patriarcha (*an.* 967), qui rexit æcclesiam annos 9, menses 6, dies 2. Post hunc successit Vitalis, qui rexit pontificatum annos[197] 50 et menses 6. Huic successit Urso (*an.* 1012), qui omni virtute plenus rexit ecclesiam annos 37, dies 45.

VARIÆ LECTIONES.

[196] fornatus. [197] *Reliqua a continuatore Chronici addita esse patet.*

ANNO DOMINI MVIII.

HERIGERUS

ABBAS LOBIENSIS.

NOTITIA HISTORICA IN HERIGERUM.

(FABRIC. *Bibl. med. et inf. Lat.* lib. VIII.)

Harigerus sive *Herigerus*, Lobiensis seu Laubiensis C abbas, ord. Bened., in ditione Leodicensi, ab anno 900 ad 1007, de quo auctor continuationis Fulcuini de gestis Abbatum Lobiensium, editus a Luca Dacherio tom. VI (editionis novæ t. II, pag. 744) *Scripsit gesta pontificum Leodiensium; scripsit metrico stylo Vitam S. Ursmari; scripsit etiam ad Hugonem epistolam de quibusdam quæstionibus, et alia multa composuit, sed in lucem non emisit. Scripsit, sub sua et Adelboldi persona, Leodiensis clerici, postea vero Ultrajectensis episcopi, Dialogum de dissonantia Ecclesiæ, de Adventu Domini. Congessit etiam contra Ratbertum multa catholicorum Patrum scripta de corpore et sanguine Domini.* Hæc ille, quæ eadem leguntur apud Sigebertum cap. 138, et apud Trithemium cap. 360, de S. E. et II, 65, illustr. Benedictin., qui addit etiam *librum de Divinis officiis*, quem Oudinus tom. II, p. 487 sq., illum esse putabat quem sub *Alcuini* nomine editum habemus a Melch. Hittorpio inter scriptores hujus argumenti pag. 225, et 15 capitibus locupletiorem inter Alcuini Opera p. 1007. *Gesta episcoporum Leodiensium* primorum XXVII, a B. Materno ad B. Remaclum, edita a Chapeavillo in Gestis pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium; tom. I, pag. 1-98, Leodii 1612, 4. *Vitam S. Ursmari* episcopi et abbatis in Belgio, an. 713 defuncti, scriptam versibus hexametris leoninis, libris VI mstam Gemblaci, negat se voluisse edere Henschenius tom. I. Act. Sanctor. April. 18, n. 558, quod nihil historici contineat quod non in Vita ejusdem Ursmari, quam Anso abbas prosa scripsit, succinctius legatur. Specimina tamen quædam dare non intermisit. Libros ipsos Herigeri vulgatos ab Ægidio Waulde inter alia monasterii Laubiensis monumenta, notavit Caveus. Titulus libri est: *La vie et les miracles de S. Ursmer et des sept autres saints, avec la Chronique de Lobbes, recueillie par Gilles Waulde, à Mons* 1628, 4. *Epistolam ad Hugonem* edidit Edmundus Martene tom. I. Anecdotor., p. 112-118, Paris. 1717, in-fol. In hac epistola subtiliter Herigerus adversus Dionysii Exigui calculum annorum Christi

disputat, Hugoni vicissim septem quæstiones enucleandas proponit. Non video causam cur hanc epistolam integram non esse cum Edmundo Martene existimem, qui pag. 117 etiam initium epistolæ Hugonis ad Harigerum e ms. codice publicavit. *Dialogus cum Adelboldo*, quem ms. Gemblaci servari monuit Miræus ad Sigeberti c. 137, necdum quod sciam a quoquam in lucem datus est. Liber *De corpore et sanguine Domini* non Rabberto (Paschasio) oppositus est quem laudat et sequitur, sed Ratherio (*vide Oudinum*, II, 486) monacho Lobiensi ac deinde Veronensi episcopo, cujus librum de eodem argumento memorat Sigebertus c. 127, diversum, ut puto, ab ejus epistola ad Patricium, quam edidit Dacherius t. XII Spicileg., p. 37 (edit. novæ tom. I, pag. 375). Herigeri librum primus, sed sine auctoris nomine vulgavit Cellotius ad Historiæ Gotheschalci calcem, Paris. 1655, fol. Primus Herigeri esse observavit Mabillonius tom. I Analect., pag. 211 (editionis novæ pag. 496. seq.), et in præf. ad Sæc. IV Benedictin., § 2 et 3. *Vita S. Landoaldi* archipresbyteri Sæc. VII, quam sub Notgeri episcopi Leodiensis nomine dedit Surius 19 Mart., cui ipsius etiam Nodgeri testimonio vindicat eam Vossius pag. 553 De hist. Lat. Eamdem Henschenius tom. III. Martii, p. 35-42, cum notis exhibet scriptam jussu Nodgeri ab Herigero. Denique Herigero etiam asserit Mabillonius Sæc. III, Act. Sanctor. Benedicti, pag. 14, *Vitam S. Berlendis* virginis circa annum 700 in Brabantia, quam sine auctoris nomine dederat Bollandus tomo primo Febr., 3, p. 378. Quæ in Catalogo librorum bibl. Leidensis an. 1674, 4, edito per Fridericum Spanhemium inter msta legati Scaligerani, pag. 393, num. 31, memoratur *Ratio abaci secundum Heringerum*, eam in Catalogo ejusdem bibliothecæ quem longe locupletiorem deinde an. 1716 fol. dedit Casimirus Oudinus, non invenio sed pag. 339. *Adolardi* philosophorum asseclæ ultimi, *Doctrinam* sive *Regulas abaci*. Huic auctori reipsa ascribi librum de *ratione Abaci* probat testimonium Alberici in Chronico, qui hunc librum tribuit Herigero ad an. 990. *Herigeri habentur Regulæ numerorum super abacum Gerberti* Remensis archiepiscopi, dein Ravennatensis, tum Romani pontificis Silvestri II nomine.

Historia rei litterariæ Gallicanæ multa scitu digna de scriptore hoc tradit. Principio quidem liber *De corpore et sanguine Domini* scriptus omnino est adversus Paschasium Radbertum; ita enim Sigebertus rotundis verbis affirmat. Insuper liber sub hoc nomine a Cellotio editus diversus omnino est ab Loc ipso opere ab Herigero confecto; nam iidem auctores Historiæ litterariæ Gallicanæ, tom. VI, pag. 587, etc., non exigui momenti rationibus evicerunt Cellotianum opus sincerum esse Silvestri papæ II fetum. Ex quo fit ut Herigeri liber *De corpore et sanguine Domini* nondum lucem aspexerit. Vide eamdem Historiam litterariam tom. VII, pag. 201, ubi et quædam ejus poetica in honorem sanctorum et sanctæ Virginis indicantur.

HERIGERI ET ANSELMI
GESTA
EPISCOPORUM TUNGRENSIUM, TRAJECTENSIUM
ET
LEODIENSIUM

EDENTE V. CL. RUDOLFO KŒPKE PH. D.

(Ap. Pertz *Monum. Germ. hist.*, Script. tom. VII, pag. 134.)

DE VITA ET SCRIPTIS HERIGERI ET ANSELMI
DISQUISITIO.

Idem fere artem scribendæ historiæ quasi decurrere spatium quod regum et populorum res gestas, atque iisdem quæ illis insitæ et innatæ sunt legibus obtemperare, et sciunt omnes et ipsa rerum natura probat. Itaque cum ex omnium rerum conversione Carolorum regnum emersisset, una cum iis post claros illos Germanicarum gentium scriptores nati sunt Annales regum et imperatorum, quos sæculo XI haud contemnenda auctorum arte floruisse constat. Sed eodem tempore quo Germanorum imperium ingruente imperatorum et Romanorum pontificum discidio dilabi videretur, paulatim aliud rerum scribendarum genus incrementa capere cœpit. Jam enim crebriores erant auctores in ecclesiasticis, ut ita dicam, componendis historiis, quibus et episcoporum et abbatum Vitas describerent; quod librorum genus eo magis invaluit apud clericos, quo melius, communi Ecclesiæ vinculo conjuncti, episcopatus et monasteria suo quasi genio frui perspiciebant. Cujus rei primum exemplar cum Gesta ipsorum pontificum

Romanorum ob oculos hominum posita essent, eamdemque viam Paulus Diaconus in Gestis episcoporum Metensium, scriptor Fontanellensis, et Bertarius Virdunensis præiissent, novum scriptorum agmen una cum Folcuino Lobiensi, Gestorum episcoporum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium, quæ jam edituri sumus, narratores Herigerus et Anselmus ducunt. Vix enim alia erat illo tempore episcopalis cathedra, quæ tot tantorumque clarorum rectorum nominibus et gloria qua Leodium fulgeret, ubi sanctum sanctus episcopus exciperet. Inter quos post S. Remaclum, Amandum, Lambertum duobus illis episcopis Notgero et Wazone, quorum admiratione ad scribendum Herigerus et Anselmus incitati sunt, præstantiori omnium virtutum laude qui excelleret nemo erat. Qui hanc quoque præ cæteris magnam gloriam consecuti sunt, ut ipsi non levi litterarum gustu imbuti, in Leodiensium scholis placidissimum pararent Musis refugium. Qua in academia cum a magistris claris clariores discipuli eruditi essent atque edocti, Leodium magni auspicii nomine quasi Athenæ per totam Germaniam atque Galliam ita celebrari cœptum est, ut in tali disciplina prædicanda illius temporis scriptores sibi vix satisfacere possent (1).

(1) Adelmannus, adversarius ille Berengarii, et apud Leodienses post Wazonem scholasticus, in rhythmis alphabeticis de viris illustribus sui temporis hos habet versus :

Legia magnarum quondam artium nutricula
Sub Wathone subque ipso, cujus sunt hæc rhythmica.

Vid. Mabillon. Analecta vetera p. 382. Cum Herigeri et Anselmi librorum innumeris pœne locis Leodii nomen occurrat, Leodiumque est quasi theatrum quod habebant episcopi illi, ab animo impetrare non possum, quin accuratam illius urbis descriptionem laudesque silentio prætereamus quas plena manu fudit Anselmi æqualis Gozechinus, Leodiensis scholasticus. Scripsit vero paulo post mortem Liupoldi, Moguntini archiepiscopi a. 1060, cum munere se abdicasset ad Walcherum, Leodiensem itidem scholasticum, hæc : Mabillon. l. l. p. 438 : *Præter omnes tamen angulus ille mihi ridet, quem mater Legia forti virtutum robore nodosa, indigenis suis tam delectabilem quam jocundum exhibet. Ipsa enim, ut nosti, ex occidua sua parte non subitis collium clivis clementer erecta geminoque publici montis reflexu qui in dorso non multum audaci, quatuor regularis viæ gestat greges, ipsius inquam gemino reflexu molliter sinuata, sicut gallina pullos suos, ita hæc filios suos, sub alas colligit, fovet et nutrit, et ad omne quod civile sit et moribus conducat, informat et instruit; nec quidquam patitur deesse, quod vel copiam regere vel inopiam possit temperare. Allubescit quoque et alluit ad loci munimentum et copiæ supplementum non subtitis allapsibus bicornis Mosa, fluminibus nostræ Belgiæ non immerito præferenda, quæ non solum civibus, sed et indigenis terræ piscium copia fluit dapsilis, variis mercium commeatibus habilis, omnique prorsus commoditatum genere conducibilis, excepto . . . quod si quando in convivium deorum cum nubigenis omnibus fratribus suis cumque Æolo rege et ventis suis intra palatium Junonis adsciscitur, dum longis laboribus exhausta, solito uberius Æolo propinante nives vel imbres adhibens, inebriata revertitur.* Mosæ inundatione facete descripta, ita pergit : *Habent quoque suburbana nostra undique versum suave olentes hortos olerum et dulce rubentes lucos arborum, scilicet vineis nostris brachiis aliis habilioribus sibi regionibus intendens, suprema vitium putamina et paucos inspergens thyrsos, extremam imposuit manum. His et hujusmodi multis commoditatibus Legia nostra ubertim ditata, adhuc habet multo potiora, hisque longe longeque præeminentia. Denique ipsa flos Galliæ tripartitæ et altera Athenæ nobiliter liberalium disciplinarum floret studiis, et — quod his præstantius est — egregie pollet observantia divinæ religionis adeo — quod pace ecclesiarum dixerim — ut, quantum ad litterarum studia, nihil de Platonis expetas Academia, quantum vero ad cultum religionis, nihil de Leonis desideres Roma.* Et alio loco p. 444 idem Gozechinus scripsit : *A diebus domini Notgeri, nostræ urbis episcopi, eorum pontificum qui ei contemporales in ecclesia florebant præcipui, usque ad hæc quæ jam in miseria defluxerunt duo lustra, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. Nunc autem*, etc. Vide quoque Nicolai Vitæ S. Lamberti c. 16, ap. Chapeaville I, 599.

Ex hac eadem schola sæculi decimi dimidio altero primus prodiit rerum Leodiensium scriptor Herigerus Lobiensis. Nam Lobiense quoque monasterium Jam Richarii Leodiensis episcopi temporibus (2) lætissimum fructus quem litteris allaturum erat auspicium fecerat, ut nomina doctorum virorum in litterarum monumentis conservata docent et monumenta ipsa confirmant. Inter illos Fulcuinus Lobiensium abbas Scaminum habet et Theoduinum viros « in litteris ediscendis opinatissimos (3), » Aletrannum suum decessorem, virum « eloquentem et undecunque doctissimum (3*), » et ante omnes quem omnium perspicacissimum fuisse prædicat Ratherium, Veronensem postea episcopum, quem multa ingenii opera condidisse scimus. Si eodem fere tempore Fulcuinum abbatem libellum de abbatum Lobiensium gestis (4) aliosque Lobienses et Leodienses (5) Annales scripsisse memineris, illisque viris qui medio sæculo decimo inter discipulos, exeunte vero inter magistros clarebant Lobienses, Herigerum nostrum ascripseris, Notgeri tempora qui annis 971-1008 Leodiensium res moderabatur (6), litterarum laude sane non immerito celebrari vides. Inter quos viros haud ultimum locum tenet Herigerus, primo scholasticus, dein abbas Lobiensis (7),

(2) A. 945. II, 20-22.
(3) C. 19.
(3*) C. 27.
(4) Mon. SS. IV, 53.
(5) Annales Lobienses Mon. SS. II, 209 num Lobiis scripti sint, dubitari potest, Notgeri tempore scriptos esse c. a. 982 certum est. Leodienses Annales Mon. SS. IV, 9 ex parte c. a. 1000 confecti sunt, conf. a. 867, 872, postero tempore Lobienses Annales qui ibidem leguntur.
(6) II, 25-30.
(7) Multi sunt qui sive Ecclesiæ sive rei litterariæ historiæ operam navantes de Herigeri et Anselmi Vita et scriptis egerunt, alii uberius, alii brevius, prout libri consilium poscere videretur ; qui vero dent in quo acquiescere possis sunt paucissimi ; ex his Mabillon. in Annalibus ordin. Benedict. IV, 60 178 et auctores hist. litt. de France VII, 194-208 472-476 et hoc loco et sæpius nominandi sunt. Reliquorum mentionem fecisse satis est : Magdeburgensium Centuriarum auctores cent. x, c. 10 ; Possevinus in Apparatu sacro I, 86, 735 ; V. Andreas in Bibliotheca Belgica p. 149, 396 ; Sweertius, Athenæ Belgicæ p. 129, 310 ; Miræus, Bibliotheca ecclesiast.

quem maximo cum posteritatis fructu litteris docendis navasse operam probant discipulorum quos erudivit clarissima nomina. Nam ad medium usque sæculum undecimum Herigeri et exemplum et præcepta sunt servata, cum felicissimum quod puerorum animis injecerat semen in Olberto (8) clarissimo Gemblacensi abbate et in Wazone episcopo Leodiensi (9) exuberaret et ad lætissimas fruges perveniret.

Sed jam videamus quæ vitæ Herigeri apud alios scriptores relicta sint vestigia. Unum nobis traditum est testimonium non ita multo post illius tempora scriptum, quod, cum quasi firmum quæstionis præbeat fundamentum, in textum recipere non ab re fore opinor, verbaque ipsa, ne testis illius sententiam minus accurate repetam, proponenda videntur. Sunt autem anonymi scriptoris qui Folcuini librum ad posteriora tempora deduxit. Quod si non primum de Herigero testimonium, gravissimum saltem esse nemo non videt, nam quod paucis tantum verbis in libro De scriptoribus ecclesiasticis dedit Sigebertus, ni fallor, ex illo altero mutuatus est (10).

Post hunc (11) *Herigerus substitutus est, cujus virtutum dotes perscribere superfluum puto, cum apud exteros etiam et vita et scientia clarus exstitit. In tantum enim prædicto venerabili episcopo Nothgero charus et familiaris fuit, ut non solum in domesticis vel ecclesiasticis rebus, sed in palatinis quoque negotiis, quorum tunc temporis præcipuus erat exsecutor* (12), *idem episcopus inter primos eum semper habuerit, nec in Lotharingia solum sed et in Italia, ubi Othoni II* (13) *adhuc puero regnum præparabat, ejus obsequiis et consiliis usus fuerit. Postquam vero abbas ordinatus est, construxit hoc oratorium ad occidentalem ecclesiæ plagam in honore Sancti Benedicti, quod ab eodem Nothgero episcopo dedicari fecit, et unde obsonium competens fratribus in die translationis ejusdem beati Benedicti omni in posterum tempore procuraretur, ejusdem episcopi auctoritate assignavit. Ornatum ecclesiasticum, cum adhuc monachus episcopali curiæ deserviret, et cum factus esset abbas, quantum adauxit, ipse quoque adnotare litteris curavit. Scripsit Gesta pontificum Leodiensium, scripsit metrico stilo vitam S. Ursmari, scripsit ad Hugonem de quibusdam quæstionibus, et alia quædam quæ composuit, sed non exposuit. Scripsit sub sua Ælboni etpersona Leodiensis clerici, postea Ultrajectensis episcopi, dialogum de dissonantia Ecclesiæ de Adventu Domini. Congessit etiam contra Ratbertum multa catholicorum Patrum scripta de corpore et sanguine Domini. Obiit in senectute bona, anno Dominicæ Incarnationis 1007, pridie Kal. Nov., sepultusque est*

p. 151, 156; Vossius, De Historicis Latinis II, 41; Oudinus, Commentar. de scriptoribus eccles. antiquis II, 483, 610: Dupin. Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiast. VIII, 51. IX, 109; Cave, scriptorum eccles. hist. litt. II, 112, 135; Pagi critica ad Baron. 1007; Spanheim, historia ecclesiast. Opp. II, 1, 1495; Olearius, scriptores ecclesiast. p. 60, 318; Fabricius et Mansi in biblioth. script. lat. med. et inf. ætatis I, 114, III, 189; Foppens biblioth. Belgica p. 65, 471; Berthollet, Histoire de Luxembourg I, 501; Ceillier, Histoire générale des auteurs sacrés XX, 51, 397; Hamberger zuverlässige Nachrichten III, 760, 821; Villenfagne, Mélanges pour servir à l'histoire de Liége 1785, quem librum non vidi; de Windt bibliotheek der nederlandsche Geschiedschryvers I, 1, d. 19, 20.

(8) Gesta abbat. Gembl. Dachery II, 763: *In cœnobio Laubiensi a puero in disciplina monastica regulariter nutritus et in studiis scripturarum apprime eruditus, ex provectu suæ indolis monstrabat qualis futurus esset. Hic ubi ex ore Herigeri Laubiensis abbatis viri suo tempore disertissimi aliquid de septem sapore artium bibit, sitim studii sui exstinguere non potuit.*

(9) II, 30, 70. Olbertus Wazonis ab ipsis pueritiæ annis coævus et collega appellatur. Gesta abb. Gembl. l. l. p. 766. De aliis Notgeri tempore Leodiensium disciplina eruditis cf. II, 29 inter quos Adelboldus Lobiensis clericus, dein Trajectensium episcopus, vid. Mon. SS. IV, 680.

(10) Etsi alios aliam sententiam amplexos esse video, tamen jejunum Sigeberti locum in libro De scriptor eccles. c. 137 esse fontem, ex quo Lobiensis anonymus uberiorem suam narrationem duxerit, utriusque auctoris verbis examinatis, haud facile mihi persuadebo. Chapeaville, in præfatione ad Gesta epp. Leodiens, illum scriptorem cui nostrum Lobiensis continuationis textum debemus c. a. 1160, vixisse jure affirmat, cf. Dachery II, 7; primam vero Folcuini continuationem ap. Dachery II, 743-746; quam exscripsit ille, ipsis Sigeberti temporibus, Otberto Leodiensi episcopo et Fulcardo abbate, litteris mandatam esse, minime affirmare vel conjicere ausim. Hæc sunt verba Sigeberti Gembl. c. 137 in Miræi bibl. eccl.: *Herigerus abbas Lobiensis litterali scientia clarus scripsit Gesta pontificum Leodiensium; scripsit metrico stilo laudabiliter Vitam S. Ursmari; scripsit ad Hugonem epistolam de quibusdam quæstionibus; scripsit sub sua et Adelboldi episcopi persona dialogum de dissonantia ecclesiæ, de adventu Domini. Congessit etiam contra Ratbertum multa catholicorum Patrum scripta de corpore et sanguine Domini* Cui alterum illud Trithemii testimonium adjicere liceat ex libro De script. eccles. c. 306 in Fabricii biblioth. eccles.: *Herigerus abbas Lobiensis cœnobii, ordinis S. Benedicti in divinis Scripturis eruditissimus ut in secularibus litteris nobiliter doctus, carmine excellens et prosa. Cujus Berno abbas Augiensis meminit in libro quodam ad Aribonem Moguntinum archiepiscopum. Scripsit dialogum insignem sub persona sui et Adelboldi clerici et monachi tunc Romæ existentis, postea episcopi Trajectensis, de dissonantia ecclesiæ librum* 1; *Vitam S. Ursmari metrice lib.* 1; *ad Hugonem de quæstionibus lib.* 1; *de divinis officiis lib.* 1; *Gesta episcoporum Lobiensium* (leg. *Leodiensium*) *lib.* 1; *de corpore et sanguine Domini lib.* 1, *et alia plura. Claruit sub Ottone imperatore tertio a. D.* 990. Eadem iisdem fere verbis repetivit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad a. 979, his additis: *Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur quæ ad manus nostras non venerunt.* Eum ne legisse quidem quæ in manus ejus venerint, satis docent quæ ibidem de Gestis temere scripsit: *De gestis quorumdam abbatum Lobiensium qui rexerunt episcopatum Leodiensem.*

(11) Folcuinum, qui obiit a. 990 ineunte, ut videtur. Non Dacherii textum exscripsi, sed ex codicis Bruxellensis collatione quam instituit v. cl. Waitz eum proposui.

(12) Ante oculos videtur habuisse Ottonis III litteras ap. Chapeav I, 211.

(13) Imo Ottone tertio; est error librarii.

ante altare sancti Thomæ apostoli in ecclesia S. Ursmari, quod quidem altare, quod in die ejusdem apostoli ordinatus esset abbas, eidem apostolo construxerat. In honore etiam ejus duas antiphonas : O Thoma Didime *et* O Thoma apostole *composuisse dicitur et hymnum de sancta Maria Virgine :* Ave, per quam, *et quædam alia. Fuere qui dixerint frigoreticos ad ejus tumulum sanatos : nos sicut de vitæ illius sanctitate non discredimus, ita et de sanctitatis remuneratione coram Sancto sanctorum illum gaudere non ambigimus.*

Adumbratam quidem Herigeri imaginem satis bene tamen expressam auctorem ob oculos posuisse nemo neget. Virum vides et virtute et litterarum doctrina ornatum, inter Notgeri episcopi amicos receptum, non solis ecclesiasticis rebus deditum aut in monasterii umbra delitescentem, sed in luce publica, in curia versantem; etiam antequam abbatis munus adeptus in ampliorem et honorum et rerum gerendarum locum ascenderet. Paulo ante eum Romæ commoratum esse jam alias viri docti conjecerunt (14). Num vero hoc illo ipso tempore quo abbas eligeretur factum sit, vix dicere ausim; sed non minus Lobiensium Annalium auctoritate probari videtur Herigerum anno ante Fulcuini obitum 989 Notgero in Italiam iter facturo comitem fuisse (15). In abbatis munere administrando eruditus eruditum virum excipiens, die 21 mensis Decemb. 990 (16) consecratus usque ad diem 31 mensis Octobris a. 1007 (17), Ottonis III et Heinrici II imperatorum temporibus naviculæ suæ clavum strenua manu tenuit. Sed ipsorum Lobiensium monachorum servata est ad Notgerum et Rothardum Cameracensem episcopum epistola, qua « jam dudum pastore viduati (18) » Herigerum, cum illo aptiorem invenire non possent, abbatem sibi petierunt. Legitur epistola illa in Chronico Cameracensium et Atrebatensium episcoporum; hic verba tantum quæ præcipuum de Herigero judicium faciunt, proponam :

Ad quæ (19) *utcunque affectanda nullum hoc tempore aptiorem invenire potuimus quam dominum Herigerum. Verum Deo teste non secundum suam, sed secundum nostram æstimationem, ante annos multos et nobiscum socialiter ut fratrem conversatum, multisque emolumentis nobis proficuum, pluribus vero nostrorum magistri et educatoris strenue adimplentem officium. — In cujus electionem noveritis non decesse nostram unanimitatem,* etc.

Cum tale munus regendi in se susciperet Herigerus, jam superasse eum mediam ætatem ex hoc apparet quod a. 1007 eum « in bona senectute » obiisse audimus, annoque 990 Lobienses monachi eum « ante annos multos » cum ipsis vixisse scribunt. Unde Herigerum ante annum 950 natum esse (20) sine ulla controversia statuere posse mihi videor. In his testimoniis de tempore quo monasterio præfuerit abbas subsistendum est, neque ex aliis qua ratione munere functus sit describere licet. Sed aliud est quod addam.

Quæ hucusque attulimus summam faciunt fidem haud vulgaris societatis vinculo Notgerum episcopum cum Lobiensi abbate conjunctum fuisse, sed majorem quamdam necessitudinem inter utrumque intercessisse vel ex eo apparet quod posteri quid unus quid alter in litteris elaborarit non discernentes, alteri alterius libros tribuerunt, et num unus an uterque communi consilio iisdem libris conscribendis operam suam navarit dubitarunt.

Cui quæstioni lucem afferri credo satis claram Notgeri episcopi litteris, quæ alii cuidam Herigeri opusculo, S. Landoaldi Vitæ, præfixæ sunt. Cum enim a. 954 apud Gandenses antiquior Vita S. Landoaldi et sociorum ejus, Hungaris irrumpentibus, cum aliis rebus flammis deperiisset, hoc damnum quoad possent reparaturi monachi, quæ de prioribus sanctorum illorum translationibus Saraberti, senis presbyteri, et aliorum memoria suppeditaret, collegerunt postero tempore, et a Notgero ut collecta in ordinem quasi redigeret et sua auctoritate confirmaret petierunt. Qui quomodo rogantibus satisfecerit, docent litteræ illæ XIII Kal. Jul. 980 datæ, quas in adnotatione apposuimus (21). Extrema sunt præ

(14) Histoire littéraire de France VII, 196.

(15) Ann. Lobiens. Mon. SS. IV, 18 ad 989 : *Notkerus episcopus vadit Romam et H. cum eo.* Littera *H.* Herigeri, ut videtur, nominis loco posita non inniterer, nisi continuatoris Lobiensis narratio, num Herigerus Italiæ fines attigerit, omnem dubitationem eximeret.

(16) Ann. Lobiens. 990 l. l. *Obiit Fulcuinus, substituitur Herigerus natali Domini.*

(17) Ann. Lobiens. l. l.

(18) Quod interregnum anni 990 terminos non transgressum esse, fidem faciunt diserta verba scriptorum Lobiensium; aliorum sententiæ Gallia Christian. III, 84 refutatæ sunt in hist. litt. Franc. I. l.

(19) I, 105.

(20) Eum Merbeci natum esse, haud procul a Ninovia, satis ambiguo illo loco quem e miraculis S. Berlendis sibi petierunt auctores hist. litt. Franc. VII, 194 probari nequit. Neque constat num ipsa Vita S. Berlendis ab Herigero conscripta sit; de qua vide paulo infra.

(21) Litteras quæ prologi loco Vitæ S. Landoaldi præfixæ sunt ex codice Gandensi, edidit Henschenius Act. SS. Mart. III, 35; cfr. etiam quæ de eadem Vita Bollandus Act. SS. Febr. I, 569 dixit, et Surii Act. SS. II, 281. Notgeri vero litteræ sunt hæ : *Nodgerus quem, etsi indignum sanctæ Mariæ sanctique Lamberti mancipium prædicant tamen episcopum, Womaro venerabili in Christo patri et fratribus Gandensibus omnibusque fidelibus quocunque locorum positis, hæc oculo non obliquo lecturis, perpetuitatem vitæ cœlestis. Postulare imo exhortari facultatulam nostræ modicitatis, patres reverendissimi, non dubitastis, ut ex mirabilibus sæculis omnibus et gentibus prædicandis nostrisque diebus, licet simus indigni, nobis quidem manifestatis, vobis insuper prærogatis, in translatione scilicet S. Landoaldi archipresbiteri et sociorum ejus revelatis, quia ex nostra elati diœcesi, vestro, prævordinante Deo, cesserunt juri; de-*

cæteris tenenda verba, quibus Notgerus se præter Gandensium narrationes nihil aliud dedisse confirmat, exceptis duntaxat iis quæ in episcopatu (22) nostro decerpta, huic schedulæ pro temporis ratione videbantur congruenter præponenda. » Sed in hoc uno loco subsistere non possumus, alter addendus est Gandensis enim quidam monachus anonymus, quem translationi et elevationi S. Landoaldi a. 982 interfuisse oculatum testem narratio ipsa docet, eodem fere tempore quæ viderat litteris commendavit (23). Qui inter alia hæc de Herigero scripsit : *At vero dominus abbas.* — Womarus (24) — *tantis beneficiis visis, gratias omnipotenti Deo rependit; nec multo post inspirante Domino, pro cautela futurorum, et, quod verius est, pro majori gloria sanctorum, priores nostros supra designatos ad venerabilem episcopum Leodiensis Ecclesiæ mittere curavit, supplici precatu efflagitans, quatenus de translatorum sanctorum reliquiis quæque digna per clericos suos inquireret, et illis veritatem de iis omnibus renuntiaret in scriptis, quod Domino donante extemplo completum est. Nam requisiti in synodo plena sacerdotes et clerici undique confluentes, quanta audierant et facta viderant de sanctis nostris miracula ore consono coram episcopo suo proferebant. Jubente itaque eodem eximio pontifice, ibidem miracula quæ divulgaverant sunt collecta et per dominum Heyngerum* (25) *didascalum ac musicæ artis peritum, breviter quidem, sed satis diserte ac luculento sermone descripta, nec*

A *non et ipsius episcopi sunt auctoritate roborata, insuper sigilli sui impressione munita atque domino abbati ac omnibus fratribus Gandensibus fideliter missa.*

Ex quibus hoc luce clarius apparet, Herigerum a. 980 scholasticum Lobiensem, musices artis peritum, S. Landoaldi Vitam ex Gandensium schedis composuisse (26), Notgerum vero ei rerum argumenta et scribendi materiem dedisse Vitæque ab illo vere et integre scriptæ sponsorem quasi factum esse. Dein, quod summi est momenti, illo tempore luci jam data fuisse gesta episcoporum Leodiensium, quæ ante a. 980 scripta esse statuendum est; ergo ab Herigero monacho minime abbate composita sunt, quod si quis Anselmi verbis in epistola ad Annonem
B archiepiscopum (27) innitatur conjicere possit. Non enim profecto video quid sibi velint illa Notgeri verba, ex episcopatu suo decerpta quædam in textum Vitæ S. Landoaldi se recepisse, nisi ea ad Herigeri episcoporum Historiam referenda esse cum Bollando statuas (28). Quod reipsa probatum vides, nam nonnulla ex Gestis episcoporum Tungrensium desumpta, in Vita S. Landoaldi iisdem fere verbis recurrunt. Ut hoc uno utar exemplo, epistolam ad Werinfridum abbatem Stabulensem, quæ Gestis præmissa est, in alteram illam ad Womarum Gandensem ex parte recepit Herigerus, sed ita recepit, ut hinc inde verba omitteret et orationem quasi in angustum deduceret (29).

C

beamus, quantum ad nos usque, fama vulgante, potuit perferri, omnium imo vestræ petitioni satisfacere. Justa quidem petitio et digna exhortatio, quæ juxta quemdam sapientem, et de præsentis honestate propositi et de futuræ ætatis utilitate conjuncta est. Nisi enim gesta eorum incuria prædecessorum nostrorum deperissent, nobis hodieque sufficerent; sed quanta audivimus et cognovimus, ea et patres nostri narraverunt nobis, ea videlicet quæ adhuc nostra tenet memoria, rogatis scripta mandanda, ne itidem et nos damnemur a posteritate subsecutura. Positis ad hæc in ancipiti, quia præsulatum apud vos omnium artium artem constat et esse credi, suspensam mentem silentium librabat, illudque poeticum animum offendens, in silvam ne ligna feras, parum quid diffidentiæ importabat. Sed quia in culpa est animus qui se non effugit umquam, diffidentiæ torpor cessit, expostulatio vestra invaluit, nisi quod celeritas, quæ juxta Socratem beneficium gratius facit, plus festinare quam res expostularet nos compulit. Erat namque ante nos dictum « vires quas imperitia denegat, charitas subministrat, » et quia incepto tantum opus est, cetera res expediet. Igitur adorsi sumus, ne vestram auctoritatem defugere videremur. Præsumenti enim auctoritas datur, cum credit quem postulat præstare posse quod petitur, et scienti ccontra parere æqualis est gloria cum imperante. Si quis autem forte futurus obtrectator obliquo hæc oculo non timuerit limare et odio obscuro morsu præsumpserit venenare, in ejus satisfactionem Jesum et sanctos angelos ejus judicumque futurum testamur, nos parum hic aliud posuisse quam quæ aut a presbytero Sareberto id sancte jurante a vobisque — ut ipse retulit — fortiter per Deum et horum merita sanctorum obtestato audivimus, aut in scripto vestro nobis delato fideliter mandata reperimus, exceptis duntaxat iis quæ in episcopatu nostro decerpta, huic schedulæ pro temporis ra-

tione videbantur congruenter præponenda. Valete. Datum 13 Kal. Julii anno Dominicæ inc. 980, *ind.* 8, *imperante domno Ottone post mortem patris anno* 8, *episcopatus nostri anno* 9. Eamdem epistolam legit et in suum usum vertit Joannes de Thielrode in Chronico S. Bavonis Gandensi c. 14, edit. Gandav. 1835.

(22) *Ex episcopali nostro* legitur in fragmento ejusdem epistolæ quod ex eodem codice Gandensi dederat Bollandus Act. SS. Febr. I, 369.

(23) Ex codicibus Gandensi et Corsendoncano historiam translationis S. Landoaldi una cum Vita in lucem edidit Henschen. in Act. SS. Mart. I. I.; vide c. 15.

(24) Præfuit monasterio Gandensi a. 965-982. Ann. Gand. Mon. II, 188; idem ad quem dedit Notgerus litteras supralaudatas.

(25) Legendum esse *Herigerum*, vel sponte apparet et Chronicon Gandense docet, in quo eadem D verba recurrent, ut dicit Henschen. l. I., desunt autem in altero Chron. Gandensi Mon. II, 188.

(26) Nihilominus Joannes de Thielrode in Chronico S. Bavonis c. 14 Vitam S. Landoaldi Notgero ascripsit, ut haud pauci post eum rei litterariæ scriptores recentiores.

(27) In fronte libri Herigeri.

(28) In præfatione ad Vitam S. Hadelini Act. SS. Febr. I, 1 I.

(29) Gestorum quoque c. 41 in primum caput S. Landoaldi recepit auctor, sed ex libelli consilio omisit nonnulla. Ne speret aliquis fore ut tempori quo Gesta scripta sint nova quædam lux Werinfridi Stabulensis abbatis nomine afferatur; nam novæ exoriuntur tenebræ. Primam Werinfridi abbatis mentionem deprehendimus in charta quadam Brunonis archiepiscopi Coloniensis a. 953 scripta apud Martene coll. ampl. II, 46; dein in litteris Everacri

Sed ne sic quidem enodata est difficultas illa quæ viros doctos satis vexavit (30), utrum ab Herigero ipso Gesta scripta sint, an potius Notgerum auctorem habeant. Nam in uno codice eoque satis antiquo S. Martini Leodiensis, de quo suo loco agemus, Notgeri non Herigeri Gestorum auctoris nomen legitur. Sed unde exorta est illa dubitatio de auctore, cum Anselmus, continuator Lobiensis et Sigebertus Herigero, minime Notgero, disertis verbis libellum nostrum ascriberent? Verum est, libri auctor modestius latere voluit; neque nomen neque locum quo scriberet posteris prodidit aut leviter tantum innuit, et nisi testibus supra laudatis constaret, librum a monacho Lobiensi conscriptum esse, vix erueres. Primam dubitationem attulit Vita S. Remacli, quam ut apud Anselmum Vitam Wazonis, dimidiam fere totius libelli partem complexam esse videmus (31). Surius enim eamdem Vitam ex codice nescio quo peculiarem edidit (32) sub Notgeri nomine. Qua in re suo ingenio, ut solet, non indulsit; nam S. Remacli Vitam sine ulla ratione reliquarum Vitarum scriptam esse, et ipsa libri indolens docet et auctor in epistola ad Werinfridum præfationis loco præmissa fatetur. Stabulensis enim abbas, S. Remacli, sui et Leodiensium patroni, Vitam quam habemus antiquiorum (33), aridam et jejunam esse querens, ut Vitam sancto viro digniorem componeret auctorem exhortatus erat. Qui talem occasionem nactus Vitas reliquorum quoque episcoporum litteris mandavit, et ex iis uberiorem illam S. Remacli scorsum edidit atque, ut ipsius verbo utar, excepit. Epistola vero illa, quæ in nostris codicibus et Notgeri et Werinfridi nominibus caret, in Surii codice talem in fronte præ se fert inscriptionem: *Notgerus, quem etsi indignum Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti mancipium prædicant tamen episcopum, Werinfrido, venerabili in Christo Patri et consacerdoti, salutis æternæ subsidium.* Quid igitur clarius? dicat aliquis; et litteras scripsit Notgerus et librum cui præfixæ sunt litteræ illæ. Sed non ita clarum illud; nam, ni fallor, Notgerus neque Gesta episcoporum neque Vitam S. Remacli, neque denique litteras scripsit. Ex ipsa libri auctoris persona scribere, quicunque litteras illas dedit, satis patet ex ipsis quibus usus est verbis (34). Sed sibi non constans est; uno loco ex illius persona qui auctorem ad scribendum impulerit loquitur his verbis: *Simulque visus es, ne dicam precari, sed potius exhortari ut eam* (Vitam S. Remacli) *nullo modo exemplari verum aliquanto lepidius mandarem polliri, tum quod gestorum illius aliunde sumptorum suppetat copia, tum quod temporum quorum diversitas nunc maxime scito opus est, ex chartulario vestro non desit notitia.* Quis, quæso, mandavit? Num idem qui librum conscripsit? Minime. Alius mandavit, alius conscripsit. Notgerum episcopum ut liber scriberetur mandasse, Herigerum scholasticum vero scripsisse, et Vitæ S. Landoaldi quod ob oculos habemus exemplum fidem facit et laudatorum testium auctoritas probat. Nisi forte quis difficultatem illam ita expedire malit, ut ipsa præfationis verba tenens, Notgerum alii S. Remacli Vitam scribendam reliquisse (35), reliquorum episcoporum Vitas ipsum composuisse conjiciat.

Sed aliud est quod obstet. Si scribendi genus, quod in gestis deprehenditur, paulo accuratius examinaveris, ab alio epistolam ad Werinfridum, ab alio Vitam S. Remacli, ab alio reliqua conscripta esse haud facile tibi persuadebis. Cui ultima capita Vitæ S. Remacli legenti (36) non epistola illa in memoriam recurrat, aut quæ ex reliquorum episcoporum serie desumpta est Vita S. Joannis episcopi (37)? Non sane limatius scripsit auctor aut

Leodiensis episcopi et in tabulis Ottonum a. 961, 966, 974; ibid. II, 47-50. Sed jam hoc ipso anno 980 quo ad Werinfridum litteras dedit Notgerus, minime Werinfridum sed Ravengerum monasterio præfuisse docet Ottonis II privilegium die 4 Jun. conscriptum; Marten. II, 50. Nihilominus vero in bulla Gregorii V papæ iterum Werinfridi abbatis et dein iterum Ravengeri nomen recurrit; ib. II, 52. Cujus expediendæ difficultatis alii aliam viam inierunt: Mabillon. duos Werinfridos duosque Ravengeros fronte monasterio præfuisse statuit Annal. ord. Ben. III, 616; eumque secuti sunt Martene et Durand coll. ampl. II, p. V; Rodérique vero in libro, disceptationes de abbatibus abbatiarum Malmundarii et Stabulai Wirzib. 1728, f. Gregorii bullam supposititam esse probare atque catalogi msc. Stabulensium abbatum auctoritate efficere conatus est 24 annos monasterium rexisse Werinfridum; cfr. p. 38, 120, quod cum litteris supralaudatis vix stare posse videtur. Res Stabulensium temporibus Werinfridi fuisse turbatas satis apparet ex loco quodam tabulæ Everacri episcopi a. 961, quem apponere juvat: *Qualiter abba Werinfridus cæterique fratres Stabulensis ecclesiæ nostram adeuntes mansuetudinem omnimodis expetierunt, quatenus propter diversos regni hujus multiplicesque persecutionis eventus aliquod civitatis nostræ saticum, in quo e diversis partibus venientes confugium facerent, contulissemus*, etc. Anno vero 966 Ottonis I, privilegio Werinfrido redditum est monasterium. Vide quoque Fulcuini gesta abbat. Lobiens. c. 28.

(30) Chapeavillium in præfatione ad Gest. epp. Leod., Valerium Andream, Miræum, Bollandum Act. SS. Febr. I, 369, auctores hist. litt. Franc. VII, 198, et reliquos quos supra nominavimus.

(31) I, 40-56.

(32) Acta SS. tom. V, 17.

(33) Act. SS. Septemb. tom. I; exeunte sæculo nono scripta est.

(34) His loquendi formulis utitur: *Adorsus sum munus, ei muneri acquievi, hic labor qui susceptus est, gesta — collegi — porrexi, munus susceptum amicitiæ præsumptione, morsus timeo invidiæ*, etc.

(35) Tali sententiæ repugnare videntur Vitæ S. Remacli codices duo, Trevirensis et Sangallensis, in quorum fronte Notgeri auctoris nomen legitur; et in altero Sangallensi Notgerus presbyter ad S. Lambertum appellatur. Cui inscriptioni si fides haberi posset, Notgerus Vitam S. Remacli ante a. 972 scripsisset; sed cum eveheretur ad Leodiensium episcopatum apud ipsos Sangallenses erat præpositus, natione ipse Alemannus. Cfr. ann. Hildesh. 1008 et infra II, 25. Obstant præterea quæ jam dicturi sumus de scribendi genere quod in Gestis deprehenditur, denique præfationis verba supralaudata *mandarem polliri*.

(36) I, 55, 56.

(37) I, 29—31. Eadem fere jam vidit Vossius de historicis Latinis II, 41.

cultiori stylo librum suum composuit. Est potius loquendi genus horridum et durum; est translationibus audax, et, quanquam liber veterum locis refertus est, haud raro ita obscurum ut interdum nescio quæ oracula te audire putes (38). Idem est dicendi genus in epistola, idem in Vita S. Remacli, idem in reliquis Vitis. Et si unus idemque est trium illorum auctor, quis scripsit alius nisi ille quem Anselmus, continuator Lobiensis, Sigebertus uno ore proferunt Herigerus? De Notgero apud illos ne verbum quidem. At unde tandem irrepsit in hunc librum Notgeri nomen? Una tantum via, ni fallor, inveniri potest, qua enodetur difficultas; est illa, quam persecutus est Chapeaville (39). Episcopi nomine et jussu Herigerus quasi scriba epistolam illam ad Werinfridum composuit, et ad episcoporum Gesta componenda Notgerum materiam rerum ex tabulario aliisque fontibus Herigero suppeditasse epistola ipsa docet. Neque ingenio plus justo indulsisse mihi videor, si Herigerum eamdem epistolam toti operi præfixisse conjiciam, ut amicum qui sibi scribendi auctor atque adjutor fuerat ornaret, gratique animi causa suum nomen latere maluisse credam. Itaque eamdem fere originem ac Vita S. Landoaldi hic quoque liber duxit. Sed unum adhuc restat quod moneam. Gesta episcoporum usque ad Notgeri tempora esse deducta, litteræ ad Werinfridum disertis verbis probant (40); quam libri partem gravissimi momenti aut temporum invidia nobis præreptam aut oblivione jam esse obrutam vehementer dolerem, nisi eam ne scriptam quidem unquam esse mihi persuaderem. Opinati sunt alii (41) S. Remacli successorum Vitas fuisse inter ea quæ, ut dicit continuator Lobiensis, composuerit Herigerus, sed non exposuerit. Sed quid, quæso, Anselmus episcoporum Vitas ad Notgeri usque tempora sibi scribendas sumpserit, si eas ab Herigero scriptas esse compertum habuisset? quid in præfatione ab illo res episcoporum ad S. Remaclum usque litteris mandatas esse probe testatus fuerit? Nisi mavis, septuaginta annis post Herigerum librum illum penitus periisse et ex hominum memoria excidisse, hæc una tantum est via qua expediri posse videtur difficultas. Librum ad sua tempora deducendi consilium tam firme in Herigeri animo insedit, ut res tanquam peracta ab eo proponeretur, sed quominus revera ad finem perduceret auctor nescio qua temporum iniquitate impeditus est.

Sed jam videamus quomodo ipso scribendi munere functus sit Herigerus, quibusque auxiliis instructus operi suo manum admoverit. Unum est quod in eo haud libenter desiderabis: quæ in rebus gerendis minister aut egerit aut viderit, omnino non scripsit, quæ ab aliis audierit paucissima. Qualem igitur ad historiam scribendam indolem attulerit, libro suo satis probare non potuit, alia itaque ex aliorum libris et litteris præsidia sibi paravit; inter quæ sanctorum Vitas, ut libelli argumentum postulabat, primum locum obtinere vides. Sunt vero auxilia ejus hæc: Eusebius in Chronico (42) ex versione Hieronymi, historiæ ecclesiasticæ, quo nomine Eusebii librum a Rufino Latine versum et ni fallor Sulpicii Severi historiam innuit (43), Jordanis (44), Geographi Ravennatis liber, ut videtur (45), Gesta Francorum (46), Einhardi Vita Caroli Magni (47), Bedæ liber de temporibus (48) et Martyrologium (49), passio SS. Petri et Pauli apostolorum (50) Vita sanctorum Eucharii,

(38) Eleganter scribendi artem in docta quadam obscuritate positam esse probat Herigerus, in epistola ad Hugonem (de qua paulo infra) satis dilucide scripta, ap. Martene Thesaur. anecdot. I, 117: *Minus de leporis urbanitate curavi, sciens eos qui ante nos de artibus scripsere ut tantum intelligerentur elaborasse, eloquentiam vero omnino neglexisse.* Eamdem urbanitatem reliquos quoque scriptores sectatos esse, qui ex Leodiensium disciplina prodierint, ex ipsis libris Fulcuini, Ratherii, Everacli in epistola ad Notgerum, Notgeri, Adelboldi, Anselmi, Gozechini satis patet.

(39) In præfatione laudata. Eamdem fere viam inierunt Andreas, Miræus et post eos Foppens; paulo aliter Bollandus, Oudinus, Lelong, Bibliothèque hist. de la France, I, 584; Laguille, Histoire d'Alsace, p. 47; auctores Hist. litt. Franc., Ceillier, l. l. rem explicari posse opinati sunt, verum Gestorum auctorem fuisse Notgerum, qui quæ scripserit Herigero limanda, emendanda et edenda tradiderit. Idem fere quod de Herigero proposui, statuit Hirsch v, cl. de Sigeberto p. 85.

(40) *Et ne hic labor, qui te adhortante susceptus est, inferacis operis fiat, non ejus modo cujus meminimus sancti scilicet Remacli, verum cæterorum nostræ sedis pontificum tempora et gesta, quæ undecunque potuere conradi, ad nostra usque tempora collegi.*

(41) Bollandus, Act. SS. Febr. I. l. Hist. litt. de France, tom. VII, l. l.

(42) Quem cum ipse in epistola ad Hugonem ap. Martene l. l. testem faciat, quin eum in Gestorum capp. 3 et 4, etsi liberius secutus sit, dubitari nequit.

(43) I, 3, 4, 16.

(44) I, 17—19.

(45) I, 26.

(46) I, 26, 41, 52.

(47) I, 26.

(48) I, 17; laudatur ab eo in epistola ad Hugonem.

(49) Ex hoc enim, non ex ipso de S. Lupo hymno duos versus illos I, 21 sibi petiisse videtur.

(50) I, 3, 4. Quæ sit hæc Petri et Pauli apostolorum passio ambigi potest. Ex rebus ipsis quas illi libello debet Herigerus non esse eam passionem patet quæ sancti Lini nomine circumfertur, cujus duæ non bene inter se congruentes recensiones exstant in bibliotheca maxima Patrum I, 67 et in Act SS. Jun. V, 424. Desiderantur enim nonnulla quæ apud Herigerum leguntur. Itaque alteram apostolorum passionem auctorem secutum esse conjiciam, cujus Marcello S. Petri discipulo falso suppositæ mensionem facit Sigebertus in libro De scriptor., eccles. c. 1, quamque ex codicibus Gladbacensi et Trevirensi in schedis suis habebant Bollandistæ. Hunc libellum bis in lucem editum a Nausea et Florentinio non vidi. Vid. Act. SS. l. l. p. 399.

Valerii et Materni (51), S. Servatii Gesta antiquissima (52), S. Lupi Trecensis Vita posterior (53), A Baudemundi Vita S. Amandi (54), Vitæ SS. Bavonis (55), Chlodulfi (56), S. Trudonis auctore Do-

(51) I, 5-14. Hoc modo de societatis vinculo statuendum esse, quo Herigerum et auctorem Vitæ sanctorum trium virorum illorum conjunctos esse omnes vident, certo mihi persuasi. At reipsa omnes, ni fallor, dubitationes removentur. Herigerum suam de tribus illis sanctis viris narrationem non conflasse ex fontibus nescio quibus aut ex suo ingenio petisse, repugnat enim ipsum quoque scribendi genus, sed Vitam quamdam Eucharii, Valerii et Materni ante oculos habuisse disertis verbis ipse testis est, in epistolæ ad Hugonem loco paulo infra afferendo, ubi hæc leguntur : *Locus quidam in Elisatia pago nomen habens Elegia concordat cum eorum* (Eucharii, Valerii et Materni) *historia.* Talemque librum in lucem jam fuisse editum antequam Herigerus Gestis episcoporum Tungrensium manum admovisset, fautorque ejus Notgerus in cathedram episcopalem escendisset a. 972, luce clarius apparet ex paparum bullis quas de eadem re collegit Hontheim. Anno enim ineunte 969 talis libelli fama Romam pervenisse videtur. In litteris enim Joannis XIII pontificis maximi d. 22. Jan. 969 ad Theodericum Trevirensem archiep. datis, Honth. I, p. 305, hæc exstant verba : *Sicut etiam pridem audiendo imo et legendo compertum habuimus eandem ipsam* (Trevirensem Ecclesiam) *præ cæteris Galliarum ecclesiis christianæ religionis exordium catholicæque fidei prima rudimenta percepisse per sanctissimorum virorum Eucharii, Valerii et Materni et cæterorum evangelicam doctrinam, quos tempore suo prædictus beatissimus Petrus apostolus ordinavit et instruxit nec non illuc ad prædicandum direxit.* Aliud denique gravissimi momenti accedit argumentum. Egberti Trevirensis archiepiscopi temporibus, quem a. 975—993 sedisse scimus, Remigius abbas Mediolacensis, illo jubente, de tribus illis sanctis cantum composuit dulci et regulari modulatione, ut testatur Trithemius in Chronico Hirsaugiensi 122; hoc vero ipsis probatur codicibus, eumdem de iisdem conscripsisse homilias, de quibus apud Hillarium hæc leguntur in libro quem contra Honthemium hac inscriptione edidit : *Vindiciæ historiæ Trevirensis de tribus primis Trevirorum episcopis, Eucharlo, Valerio et Materno, contra impudicam recentius crisin.* Metis 1763. 4, p. 132 : *Asservamus et nos in bibliotheca nostra grande homiliarum variorumque sermonum volumen in membrana. Fol 15 et seqq. reperio homiliam hujus Remigii, abbatis Mediolacensis in natali sancti Eucharii primi Trev. episcopi.* Remigium vero eamdem sanctorum Vitam exscripsisse quæ in Actis SS. Januar. II, 922 falso sub Golscheri nomine legitur, homiliarum fragmenta quæ dedit Hillarius satis probant; ex quibus unum apponere juvat, cod. fol. 18 : *Qui* (S. Eucharius) *se lapidibus obruere tentantes aggredi non formidabat; sic enim Deo gratissimæ ipsius Vitæ continet textus, quod die quadam dum hanc urbem simul cum sociis intraret, ut salutis monita populo præberet, universæ multitudinis cœtus super eum cœperit irruere, parans illum lapidum ictibus perimere. Verum autem Deo plenus cum sanctissimis sociis orationis arma prætendit, et omnes ita mirabili vigore constrinxit, ut unusquique, secundum motus sui tenorem quo se paravit ad jaciendum lapidem, inflexibilis tandiu staret, donec iterum precibus ad Dominum fusis præsul pius vigorem pristinum restitueret.* Verba typis insigniter expressa ad I, 8 recurrenti probabunt eamdem Vitam et Remigii et Herigeri ducem fuisse; hunc vero illius homilias mutuatum esse nemo sane mihi persuadebit. Edidit Hillarius ipsam

(53) I, 26; quam sæculo IX exeunte scriptam edidit Boschius Act. SS. Jul. VII, 77. Et hic haud pauca de S. Servatio leguntur.

quoque Vitam I. I, p. 146—159 ex codice S. Ghisleni, aliumque San Mathianum in manibus habuit p. 56 qui Bollandum epilogi illius, in quo inuitebatur Honthemius, prius tantum dimidium dedisse docent. Hanc perorationem in pluribus codicibus desiderari Bollandus ipse testatur, magna itaque exoritur suspicio eam postea additam esse, nihilque de tempore quo scripta sit Vita inde elici potest. Sed una manet dubitatio : unde Herigerus sumpserit illa quæ I, 5, 6 de triumviris leguntur et in Vita eorum desiderantur; amplior narratio illi Vitæ velut fundamento superstructa, in codice Herigeri fortasse legebatur. Inde a sæculo XVII usque ad nostra tempora, ne hoc silentio transeam, quæstio de Vita SS. Eucharii, Valerii et Materni viros doctos vexavit, vel ea causa quod illi S. Petri discipuli Gallis B Christi fidem primi prædicasse traderentur. Herigerum in libro suo Vitam illam exscripsisse jam recte statuerunt Bollandus, l. l., Laguille, Histoire d'Alsace p. 47, Bertholet, Histoire de Luxembourg I, 115. 301, Hontheim, Historia Trevir. III, 965, de Marne in libello quem dilucide conscripsit hoc nomine : Sur l'époque de la prédication de S. Materne, in Appendice libri Histoire du comté de Namur II, 482, Perier in disquisitione de prædicati primum in Belgica Evangelii epocha n. 23, in Act. SS. Septemb. IV, 354, sqq. Contrariam sententiam amplexi sunt Oudinus in Commentario de scriptoribus eccles. antiq. II, 1136, Schöpflin Alsatia illustrata I, 332 et nostris diebus vir cl. de Sybel in lepidissimo libro De tunica Domini fasc. II, 67. Contraque illos qui fabellas de primis illis Trevirorum et Tungrensium episcopis tueri conati sunt, Bucherium in disputatione historica de primis Tungrorum episcopis ap. Chapeavillium I, in Append. p. 16, Browerum Annal. Trevir I, 143, Gelenium de magnitudine Colo- C niæ I, 29, Fisenium Histor. Ecclesiæ Leodiens, I, 16, Laguillium l. l., Foullonium in Historia Leodiensi I, 25; Bertholetum l. l., Hillarium l. l., Hartzhemium in dissertatione critica in Ghesquieri Act. SS. Belgii I, 53, docte et acute scripserunt Launoy in dissertatione de tempore quo primum in Galliis suscepta est Christi fides in Opp. II, 1, p. 72 sqq., qui Martialis, Memmii et aliorum sanctorum Vitas examinavit qui mortuos in vitam revocasse dicuntur, Calmet Histoire de Lorraine I, p. III, Longueval Histoire de l'Eglise Gallicane I, 50 dissert. prelim., Tillemont Mémoires pour servir à l'histoire eccles. IV, 499, Hontheim, Perier, Sollier Act. SS., Marne, Schöpflin l. l., Grandidier Histoire d'Alsace I, 14. Librorum messem longe majorem de hac quæstione scriptorum, quos non vidi, præbent Hillarius p. 139—143 et Hartzheim l. l.

(52) Antiquissimæ Vitæ S. Servatii magnam par- D tem ad verbum, ut videtur, servavit Herigerus, quæ aut perisse aut adhuc in bibliothecarum umbra delitescere videtur. Jam Henschen eam amissam esse dolebat in præfatione ad Vitam S. Servatii Act. SS. Mai. tom. III, sed eodem fere tempore Ruinart in editione sua Gregorii Turonensis jacturæ remedium his verbis indicavit in adnotatione ad II. 5; p. 52 : *Occurrit mihi inter alios codices Corbeienses, qui in nostram S. Germani bibliothecam advecti sunt, unus Merovingico charactere partim et partim Romano ab annis saltem 900 conscriptus, in quo tota hæc Gregorii narratio et quidem paulo prolixior continetur, sub S. Servatii Vitæ titulo.* Et merito Gesta illa S. Servatii appellari antiquissima ex eo probatur, quod Gregorius Turonensis II, 5, et in libro De gloria con-

(54) I, 32—39, 42.
(55) I, 6.
(56) I, 44.

nato (57), S. Remacli antiquior (58), S. Remigii auctore Hincmaro (59), S. Lamberti auctore Stephano (60). Textum prout res postulare videbatur modo servavit ad verbum, ut Vitæ SS. Eucharii, Valerii, Materni, Jordanis, Baudemundi, modo liberius argumentum ex illis desumptum suo stylo prosecutus est. Sed aliorum quoque librorum mentio apud Herigerum occurrit, quos non in usum suum vertit, sed laudavit tantum. Multos historiographos, qui de Hunnis referebant, præter Jordanem habebat (61), Hilduini passionem S. Dionysii laudat in epistola ad Werinfridum, et ibidem se quamplurimas sanctorum Vitas ab aliis conscriptas legisse et scribendi rationem secum considerasse probat. Hisce libris litteras tabulasque publicas adjecit Sigeberti et Childerici regum, episcoporum litteras (62), conciliorum canones (63); et ea quæ dixerit multis scriptis in Leodiensi et Stabulensi tabulario asservatis firmari posse alio loco testatus est (64). Sed neque illum fontem contempsit, qui ex populi vivido ingenio redundat, vulgarem qui in hominum ore versatur rumorem, quem in Vita S. Joannis ita descripsit : *Auditu tantum et relatione a majoribus et ætate provectioribus accepimus* (65), quemque alio loco ab incolis referentibus se excepisse confirmat et relationis famam vel antiquitatem vocat (66).. Ipsas denique res quomodo se suis temporibus habuerint testes fecit (67).

His denique aliud accedit præsidium, quo, si acuratius examinaveris, Herigerum longe præ cæteris excelluisse non negabis; raram illis temporibus ex veterum et Patrum ecclesiasticorum scriptis sibi comparavit eruditionem; multa legit et secum cogitavit. Nam non primis tantum labris veteres attigit, sed ita, ut hoc verbo utar, in succum vertit, ut scribenti veterum sententias vel sua sponte memoria suppeditaret; non sane medii ævi Chronicon sed centonem quemdam interdum legere tibi videris (68). Eorumque excellit scriptorum notitia, quorum mentio rarius illo tempore deprehenditur. E veteribus occurrunt Cicero (69), Sallustius (70), Plinius (71), Terentius (72), Horatius (73), Virgilius (74), Tibullus (75), Persius (76), Martialis (77); quibus adde Hieronymum (78), Augustinum (79) et ex Christianis poetis Aratorem (80) et Prudentium (81). At alia quoque non deesse quæ superstitiosam illam quæ in monasteriis florebat doctrinam redoleant, vix est quod mireris (82). Sed nihilominus a critices exercendæ periculo in rebus ipsis scribendis minime auctor abhorruit. Miraculis fidem ipse non denegavit, tamen eos ex æqualibus suis sana sua mente refutat, qui suis ipsis temporibus miracula non fieri querebantur (83). Minime dubitat S. Servatii ex Salvatoris familia originem, quæ pietate fortasse Vitæ ejus ingesta sit, rejicere; et ingenui sane est animi illa quam profert confessio, melius esse *ignorantiam verecunde fateri, quam irreverenter pro pietate mendacia confessorum* c, 72, iis usus est, et ita quidem ut uno alterove loco cum Herigeri ad verbum consonet Gregorii textus. Quod jam vidit Henschen l. l., et nostris diebus confirmavit Haupt v. cl. in libro Zeitschrift für deutsches Alterthum V. 73 sqq. Num antiquissima illa Vita inter eas sit quarum haud pauci codices annotantur in libro Archiv. T. VII et VIII (vide indicem) vix dicere ausim; in uno illo codice Parisiensi sæc. XIII, 5320 (Archiv. VII, 59) eam non servari, descriptione codicis quam Bethmanno v. cl. debemus, probatur; reliquæ Vitæ aut ex Herigeri libro manarunt (vid. Archiv. VIII, 481) aut cum miraculis S. Servatii quæ scripsit a 1088 Jocundus presbyter conjunctæ sunt. De miraculis illis, in quibus fabulatoris somnia proferri dicere non dubitavit Henschen, vid. ejus præfat. ad vit. S. Servat. c. 3, 4. Act. SS. l. l. Similem librum auctor Germanici carminis sæc. XII ex. quem ex codice Viennensi edidit v. cl. Haupt in libro laudato, videtur secutus esse.

(57) I, 44, 45.
(58) I, 1, 41—54, 56.
(59) I, 1, 27, 41.
(60) I, 53.
(61) I, 17.
(62) I, 3, 46, 48, 54.
(63) I, 28.
(64) I, 1 : *Ex cartulario vestro* (Stabulensi) *non desit noticia.* I, 41 : *Multa etenim scripta ex eisdem rebus per multa annarum curricula a nobis possessis in utrarumque ecclesiarum adhuc retinentur archivis.*
(65) I, 29.
(66) I, 17, 46, et I, 48 : *Sicut quilibet ab incolis audire valebit referentibus.*
(67) I, 30. *Testantur prædia ab eodem nostræ ecclesiæ collata a majoribus nostris et a nobis adhuc possessa,* I, 48 : *Extat usque in præsens locus orationis ejus opere in rupe excisus.*
(68) I, 1, 55.
(69) Librum De Oratore et orationes in Catilinam legit, Tusculanas vero ante omnia in suum usum vertit, I, 1, 20, 55.
(70) I, 22, 55.
(71) Historia natural. I, 7.
(72) I, 1, 55.
(73) Odas, Sermones, Epistolas, Artem poeticam legit. I, 1, 55.
(74) I, 30, 55.
(75) I, 55.
(76) I, 29.
(77) I, 1.
(78) Epistolas contra Vigilantium et ad Ageruchiam; I, 7, 21.
(79) I, 2.
(80) Historiam apostolorum; I, 3.
(81) Librum Peristephanon I, 3. Sed ne his quidem quæ proposui veterum scriptorum nominibus in reconditioris Herigeri eruditionis recessus me penetrasse bene scio, nam et in epistola ad Werinfridum et in oratione S. Remacli I, 55, nonnulli relicti sunt loci, quos ex veterum scriptis ductos esse nemo non videt, unde vero desumpti sint non atque in aperto est. Quæ indaganda me peritioribus libenter relinquo. Sed unum est quod moneam. Taciti Germaniæ vestigium in Herigeri c. 7 deprehendisse sibi videbatur Bucher. ap. Chapeavillium I, app. p. 9 et nostris diebus Haupt v. cl. l. l.; sed ex Ægidii errore nata est illa lectio, quæ Tacitum redolere videbatur : in genuino Herigeri textu nihil tale occurrit.
(82) Cfr. quæ I, 7, de origine nominum Metis et Tulli urbium profert.
(83) I, 26.

tiri (84). Itaque de antiquissimis Tungrensium rebus in tanta rerum obscuritate nihil certi proferri posse non uno loco libero ore fatetur (85). Quæ critices exercendæ ratio quo magis in aperto sit, alium ex epistola ejus ad Hugonem afferam locum, quo Herigerum, num primi illi Trevirorum episcopi Eucharius, Valerius et Maternus revera Evangelium prædicaturi a S. Petro missi sint, dubitantem videmus. En verba ejus (86) :

De nostris Treverensibus Euchario, Valerio, Materno, qui dicuntur missi fuisse ab apostolo Petro, et locus quidam in Elisatio pago nomen habens Elegia concordat cum eorum historia, sed a passione beati Petri, qui est annus 13 Neronis, qui (scilicet Petrus) si forte Eucharium, Valerium et Maternum Treveribus misit, ante aliquot annos passioni suæ hoc fecit, computantur anni 263 usque ad annum 25 Constantini, quando obiit sanctus Sylvester, cujus jussu Arelato facta est synodus, ubi legitur interfuisse sanctus Maternus, Agrippinæ episcopus, cum Maurino archidiacono suo, ubi et adfuit sanctus Agricius Treverorum episcopus.

At non in rebus tantum gestis hæsit, sed indolem earum et naturam perspicere conatus, altiorem se gerere spiritum gustuque quodam philosophico se imbutum esse in libro suo probat. Nam de mundo non æterno, ab æterno Deo creato, de libero hominis arbitrio cum providentia divina conciliando quæstiones enodare conatus est (87). Alioque loco quid intersit inter antiquitatem et recentiora tempora explicandum sibi suscepit, ita ut ex hac ipsa re historiæ scribendæ necessitatem derivet (88).

Jam ad Anselmi librum transirem, nisi pauca de reliquis Herigeri opusculis addenda esse arbitrarer, ne quid tam erudito viro detraxisse videar. Vidimus jam supra Gesta episcoporum eum non post a. 979, anno sequenti vero Vitam S. Landoaldi composuisse. Quid versibus pangendis posset, in alio libro tentavit de Vita S. Ursmari hexametris conscripto, quem, antequam abbatis munus susciperet, edidit. Ex omnibus quæ habemus Herigeri opusculis, ni fallor, primum est compositum ; nam in Gestis episcoporum versus quosdam ex illo transcripsit. Ipse enim auctor est *metricanus* ille quem de S. Servatio versus haud incongruos fecisse dicit (89).

Sed Herigerum non modo rebus gestis narrandis operam navasse, sed magnam suam eruditionem in illustrandas alias quæstiones contulisse, catalogi librorum ejus ostendunt et testes comprobant. Inter quos sane primum obtinet locum libellus ille qui inscribitur *Epistola Herigeri abbatis ad quemdam Hugonem monachum* (90). Quam post a. 990 et ante a. 999 conscriptam esse, abbatis nomen Herigero datum et domni Gerberti mentio facta (91), summi pontificis nomine suppresso, mihi persuadent. Et jam provectiori ætate Herigerum illo tempore fuisse hæc quæ ibidem occurrunt verba docent : *Hæc, frater dilectissime, summatim breviterque, quia per memetipsum, infirmitate interpellante et oculorum acie jam caligante, scribere non potui.* Proposuerat enim Hugo ille quasdam de calculo chronologico quæstiones, quaque ratione cum Evangelii veritate Dionysii concilianda sit auctoritas (92). Quibus enodandis benignam eruditionis proferendæ occasionem nactus Herigerus, illud quod de se in Gestis episcoporum fecit judicium satis probavit. Nam Eusebium, Hieronymum (93), Augustinum, Fulgentium, Bedam, quos ipsis nominibus laudat, eruditionis suæ testes fecit. In calce demum epistolæ quæstionum ab Hugone propositarum quasi remunerationem septem chronologicas quæstiones illi solvendas reddit, quæ num ab illo expeditæ sint valde dubito. Tertiam quæstionem supra attulimus

(84) I, 20.

(85) I, 15 : *Qui quorum vel imperatorum vel consulum claruerint temporibus — nec a nobis lectoris alicujus requirat exactio.* I, 26 : *Incertum est, sicut et de multis aliarum legitur civitatum episcopis — quanta intercapedine ecclesia Tungrensis fuerit sine pontifice.* I, 45 : *Incompertum est deinde quanta temporis intercapedine plebs Trajectensium fuerit sine pastore*, etc.

(86) Martene et Durand Thes. anecdot. I, 117.

(87) I, 2, 40.

(88) I, 1.

(89) I, 21. Vitam S. Ursmari totam publici juris fecit cum aliis monumentis Lobiensibus a. 1628 Ægidius Waulde ; librum ipsum non vidi. Carminis fragmentum, in quo eosdem versus deprehendimus qui leguntur I, 21, ex codice S. Vitoni Virdunensis edidit Mabillon Act. SS. sæc. III, 2 ; cui hæc inscripta esse verba testatur p. 557 : *In Christi nomine incipit Vita S. Ursmari confessoris atque pontificis, venerabilis Herieri abbatis industria metro hexametro honorifice composita.* Quæ verba postero tempore addita esse ex supradictis satis apparet. Alium ejusdem Vitæ codicem Gemblacensem in manibus habuit Henschenius, ex quo præter quosdam versus hoc carminis argumentum dedit, in quo Herigeri ingenium non desiderabis (Act. SS. April. II, 558.) : *Proponit Herigerus lapsum angelorum, creationem mundi et Adami, hujus lapsum reparationemque per Christi adventum et triumphum in cruce. Deinde progreditur ad Evangelium per apostolos et viros apostolicos annuntiatum orbi universo ac potissimum vicinis regionibus.*

(90) Martene Thes. anecd. I, 112. Quem Hugonem eumdem esse voluit Mabillon Ann. ord. B. IV, 317, quem a. 1033 apud Lobienses Herigeri successorem creatum esse scimus. Ann. Lob. Mon. SS. IV, 19. Hunc libellum illum esse cujus codicem in monasterio S. Lamberti Lætiensi servatum fuisse dicit Sanderus in bibliotheca Belg. manuscript. II, 24 ; recte sine dubio viderunt auctores Hist. litt. Franc. VII, 207. Codex inscriptus erat : *Epistolaris responsio de cyclo paschali et ejusmodi contra Dionysium abbatem.*

(91) Martene Thes. I, 117.

(92) Martene et Durand Thesaur. anecdot. I, 117 ; Hugonis quoque litteras se legisse testantur quarum initium hoc est : *Domno abbati H. frater Hugo. Quod Beda et Dionysius in opusculis suis videntur diversa sentire, quod aliquando quoque plerosque confundit, vestro petimus corrigi examine.*

(93) Inter alia hæc ibidem leguntur (Mart. I, 112.) : *Secundum chronicam Eusebii vel etiam Hieronymi, qui, nisi probasset, non ita transtulisset.*

et septimam æque ad res Leodienses spectantem suo loco dabimus.

Alius liber, quem dialogum Herigeri et Adelboldi Trajectensium postero tempore episcopi fuisse scribunt, de Adventu Domini celebrando, temporum invidia nobis videtur esse præreptus. Quod vix mirandum, cum haud ita multo post Herigerum nondum in eam quæ optanda erat lucem prodiisset. Berno enim Augiensis abbas, qui eidem quæstioni operam dedit in pluribus libellis, hoc de illo libro testimonium fecit in epistola ad Aribonem archiepiscopum Moguntinum (94) : *Sed et abbas Heriger, vir non parvæ auctoritatis, nostris temporibus proprium super hac re libellum composuit, in quo, ut asserunt qui illum legerunt, probabilibus argumentis eos convincit contra Patrum instituta agere, qui plus quam quatuor Dominicos dies Adventus Domini celebrare contendunt.* Nec mathematicas disciplinas Herigerus a se alienas esse voluit ; regulas enim de abaco conscripsit, de quibus Albericus Trium Fontium monachus hæc acerbe scripsit ad a. 990 (95) : *Herigerus fit abbas Lobiensium septimus, scientia litterarum clarus, cujus habentur regulæ numerorum super abacum Gerberti. In multis nempe studebant antiqui quæ hodie habentur derisui.* Ejusdem libri codicem sæc. XII (96) Ratisbonæ in manibus habuit Pezius, alium Lugduni Batavorum servari scribit Oudinus (97).

Quos enumeravimus libros revera ab Herigero conscriptos esse vel codices vel testes in dubium non vocandi probant ; addamque unum, de cujus auctore aliam alii viri docti amplexi sunt sententiam. Est ille libellus, in quo, ut Lobiensis continuator habet, *congessit contra Ratbertum multa catholicorum Patrum scripta de corpore et sanguine Domini*, quem ab Herigero conscriptum esse cum Mabillonio persuasum habeo. Post Cellotum, qui hunc librum primus edidit (98), in Gemblacensi codice satis antiquo eumdem deprehendit Mabillon, his verbis quæ omnem pellere videntur dubitationem inscriptum (99-100) : *Dicta domni abbatis Herigeri de corpore et sanguine Domini ;* cumque paulo post Lobiensem bibliothecam perscrutaretur, in vetusto librorum catalogo anno 1049 ascripta legit hæc verba : *Erigeri abbatis exaggerationem de corpore et sanguine Domini.* Alium denique codicem ejusdem libri Herigeri nomine inscriptum vidit Oudinus (101). Probis hisce insisto testimoniis, neque eorum auctoritas convelli videtur a S. Geraldo abbate, qui Herigerum de illo argumento epistolam scripsisse dicit (102), neque moveor Gottwicensi codice a Pezio reperto (103), in quo idem liber sub Gerberti nomine legitur. Nam etsi ex ipso libro certum de auctore indicium peti non potest, tamen Herigeri et eruditionis et scribendi rationis vestigia deprehendisse mihi videor. Revera enim congessit auctor Patrum ecclesiasticorum locos de illo argumento, Eusebii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Leonis, Hilarii, Cyrilli, Basilii, Fulgentii. Dialectica quæ ipse profert argumenta (104) eodem sacræ Scripturæ loco de mensura, pondere et numero innituntur, cui quasi fundamento primum caput Gestorum supersiruxit. Hunc vero fuisse Herigero in libris conscribendis usum, ut quæ idonea viderentur ex uno in alterum librum transcriberet, jam supra vidimus (105). Omnia denique quæ in hoc opusculo congessit in hoc uno vertuntur, idque efficere volunt, ut Paschasii Radberti decreta (106) refellantur. Majorem dubitationem aliud opusculum afferre possit, quod Trithemius in Herigeri librorum catalogum hac inscriptione recepit : *De divinis officiis libri duo*, a continuatore Lobiensi vero silentio prætermissum esse viri docti mirati sunt. At aut fallor aut minime hunc librum reticuit Lobiensis scriptor ; eumdem enim vel vidit Trithemius vel in mente habuit, de quo apud illum hæc leguntur : *Ornatum ecclesiasticum*

(94) Liber *Qualiter adventus Domini celebretur.* Pez. Thesaur. anecd. nov. IV, 2, p. 46 ; vide ibid. dissertationem isagogicam p. VII.

(95) Ed. Leibnitii p. 32.

(96) Est membr. 4, et hanc in fronte habet inscriptionem : *Incipiunt regulæ Herigeri in abacum.* Primos versus exscripsit Pezius in Thes. anecd. noviss. I. dissert. isagog. p. XXXVIII : *Si dividitur utique major per minorem, dividendus accipit denominationes aut ex toto dividendo, aut ex partibus, aut ex neutro ; sed denominantur per differentias divisoris.*

(97) Codex Lugdunensis fol. inscribitur : *Ratio abaci secundum divum Harigerum ;* est msc. Scaligeri n. 31, vid. Oudin. II, 486.

(98) In Historia Gotteschalci Paris. 1655 fol. p. 541 sqq. ex codice mus. Sirmondi, in quo liber *De Eucharistia* nominatur ; et post eum sub Gerberti nomine luci dedit Pez. Thes. anecd. nov. I, 2, p. 135 sqq.

(99-100) Act. SS. ord. Bened. sæc. VI, 2, p. 591 et p. XXI *De nomine et ætate anonymi Cellotiani.* Vid. quoque Mabillon. vetera Analecta p. 496 ; Annales ordinis Bened. IV, 178.

(101) In bibliotheca Siguiacensi ordinis Cisterciensis in archiepiscopatu Remensi ; vide Oudini Comment. de scr. eccl. II, 486, qui etiam S. Martini Lovaniensem codicem exstare testatur.

(102) In prologo Vitæ S. Adelhardi Corbei. Mabillon. Act. ord. Ben. sæc. IV, 345 hæc habet de Paschasio : *Hic autem qualis fuerit et quantus in quadam epistola testatur abbas Laubiensis Herigerus, qui eo tempore inter sapientes habebatur celeberrimus.* Erravit sine dubio Geraldus ; Herigeri libellum commentationem, minime epistolam, fuisse et codex et catalogus Gemblacensis probant.

(103) Codex est sæculi XI ; vide Pezii Thes. anecd. 1, 2. p. LXIX. Geraldi quoque verba in auxilium vocavit Pezius, cujus sententiam tuiti sunt auctores Hist. litt. Franc. VI, 587. VII, 201, Ceillier l. l. et Mansi in editione Fabricii III, 191 ; reliqui fere omnes Mabillonium secuti sunt.

(104) C. 7.

(105) Ex Gestis nonnullos locos epistolæ ad Werinfridum et c. 41 in Vitam S. Landoaldi recepit, alia repetiit in epistola ad Hugonem, vid. supra et I, 1, 16 ; ex Vita S. Ursmari versus quosdam in Gesta transcripsit, vid. I, 21.

(106) Quod post Possev num et Miræum repetierunt alii, non contra Radbertum sed contra Ratherium vel Berengarium hunc librum composuisse Herigerum, nullo munitum est argumento, et refutatum ab Andrea bibl. Belg. l. l. et auctoribus Hist. litt. Franc. VII, 201.

cùm adhuc monachus episcopali curiæ deserviret et cum factus esset abbas, quantum adauxit, ipse quoque litteris adnotare curavit (107).

Alii denique libri tam dubiæ sunt originis, ut de iis sententiam non feram, alii plane falso Herigero ascripti sunt. In illis Vitam S. Berlendis habeo, quam Mabillon, et post eum alii ab Herigero compositam esse conjecerunt (108). Sed una excepta prætatione, a Lobiensi quodam monacho cujus nomen H. littera insignitur conscripta, ne verbum quidem occurrit quod nostrum indicare videatur; neque tempus quo libellus ille in lucem prodierit accuratius definiri potest. Itaque eum Herigero pro certo minime tribuam. Haud aliter se habet S. Landelini Vita metrica typis nondum mandata, quam ejusdem auctoris esse hoc præsertim Mabillonio persuasit, quod eam, auctoris nomine suppresso, S. Ursmari Vitæ in eodem codice S. Vitoni annexam legerit (109). Quæ vix absolvenda est quæstio, nisi librum ipsum inspexeris. S. Hadelini denique Vita quam, cum in fronte ejus iterum recurrat Herigeri præfatio ad Vitam S. Remacli, ab eodem scriptam esse nonnulli opinati sunt, non Herigeri est sed Notgeri episcopi (110). Quod et satis probavit Bollandus, et consenserunt reliqui (111)

Sed unum est quod, cum ad Herigerum potissimum spectet, in calce commentationis de abbate Lobiensi monere liceat. Præter illam cujus supra mentionem fecimus quæstionem de S. Materno ejusque successoribus, exorta erat alia quæ post Bucherium, qui in perscrutandis Tungrensium rebus antiquissimis primus viam critices præivit (112), viros doctos Leodienses sæc. XVII et XVIII valde exercuit. Bella enim litteraria gesta sunt de serie episcoporum, de tempore quo cathedra Tungris Trajectum, Trajecto Leodium translata sit; ob summam vero Tungrensium et Trajectensium æmulationem maxima exarsit contentio de nomine episcopatus, num Tungrensis an Trajectensis appellatus sit. Episcoporum seriem ab Herigero ex vetustioribus catalogis populique memoria ductam (113) et litteris mandatam primus merito perrupit Bucherius, qui Tungrensem episcopatum ante S. Servatium exstitisse negavit, postque illum usque ad Chlodovei tempora oblivione fuisse obrutum, nihilque certi ante S. Amandum in rebus Tungrensibus deprehendi mira sane illis temporibus audacia statuere conatus est (114). Vera omnia et recta, at Leodiensibus acerbissima; quæ tamen viris doctis non adeo bilem moverunt, quam altera illa Bucherii sententia, post S. Servatium episcopos illos nusquam Trajectenses, ubique Tungrenses appellari (115). Quod primum Godofredum Henschenium, hagiographorum antesignanum, ad arma vocavit, qui a. 1653 commentationem (116) uberrima doctrina conscripsit, qua Trajectensibus nomen episcopale vindicaret. Eadem iterum edita est 1688 Antwerpiæ (117), eamque ab auctore recognitam post Henschenii mortem eodem anno in Acta sanctorum Papebrochius recepit (118). Cum in Bucherii partes præter alios Fisen (119) et Foullon (120), rerum

(107) Oudinus II, 486. Hunc librum Herigeri sibi deprehendisse videbatur in anonymi cujusdam sæc. X commentatione quæ sub Alcuini nomine falso ferebatur; cujus sententiam satis refutarunt auctores hist. litt. Franc. VII, 207.

(108) Primus eam ex Lobiensi, Merbecensi aliisque codicibus, prætermisso prologo, edidit Bollandus Act. SS. Febr. I, 377, qui ob mentionem ducis Lotharingiorum factam librum circa a. 1000 conscriptum esse statuit. Ex suo codice Mabillon in Act. SS. ord. Bened. sæc. III, 16 prologum repetiit, qui inscribitur: *Domino et amico suo Gerardo H. Lobiensium monachus ultimus*, ideoque exorta est quam apposuit Mabillon. conjectura, *auctore, ut videtur, Herigero*. Eadem sententia placuit quoque auctoribus hist. litt. Franc. VII, 194. Si revera Herigeri est liber, ante a. 990 ab eo conscriptus sit necesse est.

(109) Act. SS. ord. Bened. sæc. III, 2, p. 557. Mabillon. conjecturam suam vel hoc argumento confirmavit, quod in Vita S. Landelini eadem quæ in Vita S. Ursmari legitur origo nominis Crispianensis monasterii ab aquis crispantibus deducta recurrat, quod revera Herigeri indolem prodere videtur. At in cod. Gemblacensi Vitæ S. Ursmari, quem vidit Henschen desideratur Vita S. Landelini; vide supra. Mabillonium secuti sunt auctores Hist. litt. Franc: VII, 202 et omnes fere quos nominavimus rei litterariæ scriptores.

(110) Notgeri nomen reticent Malmundariensis et Leodiensis codices, sed episcopum se esse auctor ipse his confirmat verbis c. 10, Act. SS. Febr. I, 368: *Hoc comperto qui tunc temporis præsul, cui nunc Deo annuente nomine, non — proh nefas! — merito famulamur, sedis auctoritate interminavit episcopali.* Leodiensem vero fuisse episcopum, villæ nomen in Leodiensi diœcesi sitæ c. 10 indicat. Alio loco laudatur ab auctore S. Remacli Vita: *in Vitæ ejus libro quisquis velit poterit reperire.* Omnis vero dubitatio vel eo pellitur, quod ex Herigeri Gestis c. 40 de S. Remaclo in præfationem Vitæ suæ S. Hadelini, dein capp. 43, 49 auctor mutuatus est.

(111) Cfr. Bollandi præfationem ad Vitam S. Hadelini l. l., cujus sententiam probarunt Mabill. Act. SS. ord. Bened. sæc. II, 1013, Hist. litt. Franç. VII, 214.

(112) Disputatio historica de primis Tungrorum seu Leodiensium episcopis, apud Chapeaville t. I in appendice.

(113) Ut I, 29, in Vita Joannis episcopi, quam populi memoriæ se debere fatetur Herigerus, et vel hoc probavit, quod I, 36 Amandi fuisse decessorem Joannem dixerit, cujus nomen Baudemundus, auctor duo sæcula illo antiquior, proferre non potuit.

(114) L. l. p. 38, 47, 49. Vide Albericum de episcopis Tungrensibus, cujus verba, quæ ex fonte nescio quo duxit, apposuimus ad I, 27.

(115) p. 48.

(116) Diatriba de episcopis Tungrensibus, Antwerpiæ 1653.

(117) Exegesis historica de episcopatu Tungrensi ac Trajectensi, apud Michaelem Cnobarum.

(118) Acta SS. Mai. tom. VII, p. XVIII.

(119) Sancta Legia Romanæ Ecclesiæ filia, sive Historiarum Ecclesiæ Leodiensis partes duæ, Leodii 1696, fol.

(120) In Vindiciis Ecclesiæ Tungrensis, Leod. 1653 et in Historia Leodiensis per episcoporum et principum seriem digesta, fol. 2 Voll.

Leodiensium scriptores, ivissent, aliique Henschenii sententiam tuiti essent (121), singulare denique litterarium certamen inierunt liber baro de Crassier, Leodiensis tunc principis episcopi consiliarius, qui Henschenium aggressus erat a. 1738 (122), et Petrus Dolmans, e societate Jesu (123), quibus accedit a. 1743 Bertholet (124) et a. 1754 de Marne (125); sententias denuo ad examen vocavit Josephus Ghesquier a. 1783 (126). Non uno igitur sæculo tantum bellum ad finem perduci potuit. Quæ omnia sexcenties sane ab illis repetita neque hoc loco neque in annotationibus aut probare aut refellere in animo est.

Quibus enim in tenebris jacerent Tungrensium res antiquissimæ jam sæculo exeunte decimo bene perspexit Herigerus, neque aperte indicare dubitavit, tria esse satis obscura episcoporum intervalla, post S. Maternum, post S. Servatium et ante S. Amandum (127); quæ libera inscitiæ confessio a nobis octo sæculis post viventibus nunquam sane refutari potest, neque, aliis præsidiis deficientibus, Herigeri testimonium excedere licet (128). Ipsas vero doctorum virorum adeat commentationes qui argumenta eorum ad normam vocare velit. Hoc unum quod Henschen et Dolmans jam recte observarunt hoc loco repetere juvat, Leodienses episcopos vel eo tempore in tabulis publicis appellari Tungrenses cum per tria jam sæcula Leodii cathedra fixa esset (129).

Jam transeamus ad alteram Gestorum partem septuaginta annis post libro Herigeri ab Anselmo subjunctam, cui testi oculato ob res gestas ad sua usque tempora deductas haud parva videtur gratia habenda. Sed est quod in utroque auctore desideres. De Herigero, quem erudissimum fuisse multi testes probant, merito dolebamus tantum talemque virum non majus ingenii sui monumentum in rebus scribendis condidisse; Vitam Anselmi, qui historiæ magnum fructum afferens opus reliquit, longe paucioribus quam optes testibus munitam esse non immerito dolemus. Pauca tantum sunt quæ apud alios de eo leguntur; nonnulla de Vita sua etsi haud plena manu in libro ipse posteris tradidit. Primum quod habemus testimonium est æqualis Anselmo cujusdam auctoris in Vita S. Theodorici Andaginensis. Quem si audis, erat *vir nobilis genere, sed nobilior moribus et ecclesiastica religione* (130); et alio loco legimus Theodericum in Terram Sanctam profecturum Theoduinum episcopum Leodiensem forte fortuna Romæ obviam habuisse, *et cum eo plures amicorum suorum, inter quos Anselmum S. Lamberti canonicum pro ingenii claritudine et morum nobilitate jam a puero in amicitiam sibi familiarissimum* (131). Leodiensium Musarum se fuisse inuti-

(121) Laurentius Ludovici, Michael Seneschal, Jacobus Platel, in Duacensi academia professores theologiæ de eadem sententiam tulerunt, eamque suis nominibus subscriptam miserunt Henschenio. Vid. Exeges. historic. c. 26.

(122) Brevis elucidatio quæstionis Jesuiticæ (ita sine dubio appellata quia omnes pene decertantes ordinis erant Jesuitici) de prætenso episcopatu Trajectensi ad Mosam.

(123) Observationes apologeticæ pro episcopatu Trajectensi ad Mosam, Antwerpiæ 1741. Cui libro alium opposuit Crassier: Additamentum ad brevem elucidationem; respondit Dolmans in libello: Observationes alteræ pro episcopatu Trajectensi ad Mosam. 1742.

(124) Dissertation sur .e prétendu évêché de Maestricht, in Histoire de Luxembourg VI, 313.

(125) Dissertation sur le siége épiscopal de Maestricht, in Histoire du comté de Namur II, 554.

(126) Acta sanctorum Belgii selecta, Bruxellis 1783, 4; qui illos libros ex parte recudentos curavit t. I, 221, sqq. Cfr. quoque Essais historiques sur le département de la Meuse inférieure p. 184, 1803.

(127) I, 15, 26, 43; vide supra.

(128) Paucissima erant quæ tria sæcula post Herigerum Ægidius de episcopis quorum sola nomina ille tradidit, adderet; pene nihil habet nisi jejuna elogia. Primus vero, ni fallor, posterioris ævi scriptoribus superstitionis viam præivit Joannes de Warnans, de quo paulo infra agemus, Herigeri et Anselmi continuator sæculi XIV, cujus codicem legit Bucher. l. l., p. 19, qui hæc de eo exscripsit: *Is in Valentino nono Tungrorum pontifice ita scribit: Scire se Herigerum octo priorum episcoporum S. Materni successorum non signasse annos, quod eorum gesta omnia Hunnorum persecutionibus interierint. Se tamen Joannem aliter sentire, credereque Tungris tranquillam semper pacem regnasse, dum aliæ Galliarum ecclesiæ persecutionum procellis quaterentur: quin potius religionem adeo floruisse, ut inibi insurrexerint 72 congregationes, prout credimus, inquit, religionum et ordinum seu ecclesiarum. Unde neo verum esse quod omnia priorum episcoporum gesta perierint.*

(129) Walandus *Tungrensis episcopus* appellatur in tabula Ludovici Pii a. 831 ap. Chapeaville I, 154; Franco *Lamberti ecclesiæ Tungrensis vel Leodensis episcopus* in tabula Caroli Crassi a. 884, ib. I, 161; idemque in alia Zuenteboldi ib. I, 162: *S. Lamberti Ecclesiæ in Leodio constitutæ episcopus* a. 898; *Tungrensis Ecclesiæ* bona a. 908 a Ludovico confirmantur, ib. I, 167; Stephanus *venerabilis Tungrorum* est *episcopus* in litteris Caroli Simplicis a. 915, ib. I, 169. *Leodicensis sedes* occurrit in privilegio Ottonis I a. 949, ib. I, 175; *episcopus Leodiensium* Notkerus apud Ottonem II, 981, ib. I, 209; Notkerus *Tungrensium vel Leodiensium* episcopus a. 985 apud Ottonem III., ib. I, 215; itemque in alio privilegio, I, 211; Notkerus *Leodiensium episcopus* a. 997, ib. I, 210; Notkerus *Tungrensis seu Leodiensis* episcopus a. 1006, I, 212, apud Heinricum II; Baldericus *Leodiensis* episcopus in duabus tabulis a. 1008, I, 224. 225; Durandus *Leodiensis* episcopus a. 1021 apud Conradum II, ib. I, 263; Nithardus *Leodiensis* a. 1040 apud Heinricum III, ib. I, 279. In concilio Tullensi subscripsit Franco episcopus *Tungrensis*, in Ingelhemensi Farabertus *Tungrensis*, Stephanus *Tungrorum* episcopus Vitam suam S. Lamberti misit ad Herimannum archiepiscopum Coloniensem. Chapeaville I, 351. Everaclus a. 961 S. Lamberti Ecclesiæ *Leodiensis* se appellat episcopum; Martene et Durand ampl. coll. II, 47. At hoc quoque alteri sententiæ dandum est Trajectensium episcoporum nomen sexcenties occurrere apud illius temporis scriptores.

(130) C. 16. Mabillon, Act. SS. ord. Bened. sæc. VI, 557.

(131) c. 15. l. l.

lem alumnum ipse testatur (132), quod modestius quam verius dictum esse opus quod posteris reliquit luce clarius ostendit. Quo tempore natus sit non satis constat; extremis vero Notgeri annis aut paulo post ejus obitum propriam lucem eum accepisse, vel inde conjiciam, quod nonnullos viros illius episcopi temporibus excultos se vidisse Anselmus confirmat (133). Ex sacro fonte baptismatis, ut patet ex alio Gestorum (134) loco, ab Ida abbatissa monasterii S. Cæciliæ apud Colonienses susceptus est. Dein in Lamberti canonicorum numerum receptus (135), primum in Wazonis familiaritatem et amicitiam interiorem pervenit (136), neque minus Theoduini successoris ejus consuetudine usus est. Quem cum a. 1053 (137) Romam profectum comitatus esset, Romæ Theodericum, Lobiensem tunc monachum sibique amicissimum, a consilio avertit quod non sine summo vitæ periculo exsequendum ceperat vir religiosus, itineris Hierosolymam faciendi, secumque eum in patriam abduxit. Quem virum paucis annis post 1055, cum ad decani honorem ipse evectus summa in rebus administrandis vigeret auctoritate, post Adelardi abbatis mortem S. Huberti Andaginensis monasterio præficiendum curavit (138). Sequentis anni mense Martio Anno Coloniensis archiepiscopus consecratus est (139), ad quem eodem anno litteras illas, quibus librum de Gestis episcoporum Leodiensium ei dicaret, Anselmus conscripsit. Ante a. 1052 auctorem librum illum non absolvisse, hæreticorum mentio fidem facit qui a. 1051 in Nativitate Domini Goslariæ capitis damnati sunt (140). Annorum igitur 1052 et 1056 terminis tempus quo Gesta litteris mandata sint certo circumscribi posse, nemo negabit; quod num ante iter Romanum a. 1053 an postea factum sit, argumentis ex libro ipso petitis ad liquidum perduci nequit. Sed ante a. 1053 eum scriptum esse hac ipsa re probari posse conjiciat aliquis, cum in libro ipso nulla Romani itineris mentio fiat. Quo anno mortuus sit Anselmus a nemine quod sciam posteris traditum est; sed sunt quædam argumenta quæ ipso anno 1056 eum obiisse persuadere mihi videantur· quibus num alii quoque fidem habere velint ex infra dicendis patebit.

(132) II, 74 : *O ducis nutricula, in cujus gremio ego inter tot veræ philosophiæ tyrones solus inutilis vernula coalui!*

(133) II, 30.

(134) Procem. lib. II. Quibus annis Ida munere suo functa sit, frustra quæsivi.

(135) Quod sibi finxerunt rei litterariæ scriptores supralaudati Anselmum fuisse decanum Namurcensem, commentum est quod alter ab altero bona fide excepit.

(136) II, 31, 52, 67, 68.

(137) Romam nuntiatur, ut in Vita S. Theodorici l. I legimus, Hugonem Lobiensem abbatem mortuum esse, eique successisse Adelardum, quod a. 1053 factum esse testantur annal. Lobiens. Mon. SS. IV, 20.

(138) Vita S. Theodorici c. 16. Historia S. Huberti Andaginensis ap. Martene et Durand. ampliss. coll. IV; 923.

(139) Lamberti Annales 1056.

(140) II, 64. Herimanni Augiensis chron. 1051.

(141) Martene et Durand ampl. coll. IV, 836 : *Cum tamen Leodii bibliothecam clarissimi viri domini baronis de Crassier perlustraremus, incidit in manus nostras antiquus codex Andaginensis monasterii S. Huberti ante sexcentos annos exaratus, lucubrationes continens Harigeri et Anselmi, quem diligenter cum editione illa collatum, non modo diversum in multis deprehendimus sed multo ampliorem. — Animadvertimus præterea Alexandrum Leodiensem S. Lamberti canonicum, delibatis ex Harigeri opere primorum episcoporum gestis, subsequentium post S. Remaclum antistitum acta scriptis commendasse*, etc.

(142) L. I, p. 843. Chapeaville loco Alexandri nominis legit Anselmus.

A Testimoniis de auctoris Vita propositis aperte indicasse mihi videor, Gestorum partem alteram Anselmo tribuere me non dubitare. Aliis vero dubitatione non ita libera illa quæstio visa est. Nam nescio quo fato factum est ut hujus quoque libr origo eadem fere ac prioris Gestorum partis auctp obscuritate prematur. Num illa ab Herigero a Notgero conscripta esset, erat dubitatio; utrum posterior Anselmum an Alexandrum canonicum auctorem habeat exorta est quæstio post Martenium et Durandum. Hi enim primi genuinum libri textum ex codice suo Andaginensi restituentes, neminem adhuc verum Herigerum verumque Anselmum vidisse docuerunt et Alexandrum illum ex umbra sua protraxerunt (141). Sed jam videndum B quomodo difficultas expediri possit. Versatur enim in uno loco procemii libri secundi, quem ita ex suo codice dederunt editores : *Deinceps quæ sequuntur jussu priorum loci istius anno Dom. Inc. 1056 ex alterius opusculi libello, quem quidam ex canonicis S. Lamberti Alexander nomine composuit, monitu Idæ venerabilis abbatissæ, quæ regebat monasterium sanctæ Ceciliæ virginis in Colonia, huic operi sunt annexa* (142). Itaque minime Anselmus, qui hæc verba conscripsisse putatur; Alexander verus est libri auctor, si hoc uno codice stare velis. Quam vero sententiam non ita firmam esse ut convelli nequeat, qui nostræ editioni substructi sunt codices probant. Verum est in uno quoque ex tribus nostris codicibus, et quidem recentissimo Hagensi C sæc. XIII, Alexandri nomen legi, sed haud magna ei tribuenda auctoritas, ei, ni fallor, idem est ille codex quem Martene et Durand ipsi secuti sunt, quod suo loco probare conabor. Longe vero aliter se habent reliqui duo codices, quorum Guelferbytanus ipso sæc. XI non ita multo post Anselmum exaratus est. In neutro enim aut Anselmi aut Alexandri nomen litteris expressum legitur, sed hic quoque auctor modestius nomen suum latere voluit, laudatoque loco canonicus ille sancti Lamberti sola littera *A* indicatur. Neque aliter in epistola ad Annonem sui mentionem fecit auctor ac solis his verbis : *Domno Annoni — presbiterorum infimus A.*, etc. Jam igitur summa exoritur suspicio, cum D uno illo loco nitatur Alexander, ne sciolus quidam

librarius qui verum auctoris nomen ignoraret, falsum ingenio proprio indulgens in textum receperit. Hoc uno argumento remota esset difficultas, nisi alio quodam loco augeri et quasi recrudescere videretur.

Certissima enim in libro ipso vestigia deprehenduntur duos post Herigerum de gestis episcoporum Leodiensium libros scriptos esse, quorum unum Anselmo, alterum Alexandro tribuere viris doctis placuit (143). Ille enim A. presbyter, quem supra audivimus confitentem alteram partem libri ex Alexandri opusculo se hausisse, in epistola ad Annonem disertis verbis hæc testatur : *Horum quidem pars prior ab Herigero Lobiensis cœnobii abbate absque capitulis est conscripta, cui nos capitula prænotantes, nostram cum capitulis suis elucubratiunculam coaptare studuimus. Et cum illa superior Gesta eorumdem pontificum a primo usque ad vicesimum septimum, scilicet a sancto Materno usque ad sanctum Remaclum, digesserit, nos quoque nostrum opus, quod precatu domnæ Idæ abbatissæ conscripseramus, decapitantes, ne eadem replicando fastidium legenti faceremus, a beato Theodardo incepimus et ordinem episcoporum usque ad domnum Wazonem, quem quinquagesimum secundum esse constat, prosecuti sumus, nihil ponentes nisi quod aut legimus aut certa fidelium personarum relatione didicimus, aut certe ipsi præsentes vidimus et audivimus.* Itaque ipse quoque A. presbyter antiquissimas Leodiensium res conscripsit, sed in Herigeri favorem primam sui libri partem suppressit. Hisce duobus scriptoribus in præfatione Gestorum libro secundo præfixa, tertius quidam accedit, si codicem Hagensem et Martenium sequeris, Alexander. Ex qua præfatione loco supra laudato hæc verba addere juvat : *Et priorem quidem ejusdem opusculi sui partem ex præsentibus 27 episcoporum Gestis* (i. e. Herigeri, quæ ibidem superius volumen Gestorum appellantur) *se compilasse non est confusus confiteri* (scil. auctor alterius opusculi, i. e. Alexander) *ita dicendo.* Jam sequitur præfationis ad eamdem Idam abbatissam particula his verbis (144) : *Ex pontificum Tungrensium Gestis, quæ a sancto Materno usque ad sanctum Remaclum sunt porrecta, placuit quasi ex florigera prati amenitate decerptum de diversis floribus texere sertum. Cui deinceps annectere studuimus quæ de posterioribus sparsim aut legimus aut certa antiquorum relatione didicimus et breviario quodam nomina singulorum cum paucis quorumdam ipsorum Gestis usque ad domnum Wazonem perstrinximus.* Itaque una particula illa epistolæ ad Idam abbatissam ex ipsius Alexandri libro temporum iniquitati erepta videri possit, reliquum opus compilator, quicunque est ille, A., in usum suum vertit. Alteram enim libri partem, qua priorum 27 episcoporum Gesta secundum Herigerum litteris Alexander quoque mandaverat, se recidisse compilator his verbis testatus est : *Quæ cum ita sint, nos quoque non inconvenienter ejusdem opusculi capite sublato, ut inoffenso pede servare possimus ordinem Gestorum pontificalium, a successore sancti Remacli, beato videlicet Theodardo, novum ingrediamur exordium.* Ex quibus hoc elucere videtur, compilatorem intactum nobis servasse Alexandri librum, uno exordio ad S. Theodardum usque sublato, quod ni fallor confirmant quoque verba supra laudata : *quæ sequuntur ex alterius opusculi libello — huic operi sunt annexa.* Sed in memoriam revocemus quid de suis temporibus deque sua auctoritate in epistola ad Annonem A. ille testatus sit. Quæ præsens audierit, quæ præsens viderit posteris de Wazone tradidit. Num credendum virum qui rebus ipsis gerendis vel testis oculatus vel minister et adjutor interfuerit easdem res scribentem de suo plane nihil dedisse, sed alius cujusdam librum ad verbum exscripsisse? Num credendum eum aliud pollicitum, aliud revera proferentem, turpiter mentitum esse? Et quid de altero illo auctore statuamus (145)? Non minus aperte Alexander in præfatione ad Idam docet se Wazonis episcopi faciem vidisse ejusque consuetudine usum esse, posteris se velle imaginem ejus tradere ex illo manasse fonte quæ de Wazone scripserit, satis aperte indicat. Itaque duo sunt auctores qui eodem tempore viventes Leodiensium episcoporum res ad Wazonem usque deduxerunt. Uterque in priore parte quæ legerit aut certa antiquorum relatione didicerit, in posteriore quæ viderit ipse scripsit, uterque Heriger libro suum subjunxit, uterque nihilominus tempora quoque ab Herigero scripta iterum litteris mandavit, sed postea hæc libri pars suppressa est: uterque denique librum

(143) Martene et Durand IV, 838. Histoire litt. Franc. VII, 472 sqq.

(144) Hæ nomen in hoc præfationis fragmento non occurrit, quin vero illa sit *Christi sponsa* ad quam scripta est epistola, nemini dubium erit, dissertisque verbis in procœmii parte priore confirmatur.

(145) Quomodo enodarent has tricas haud felici conatu tentarunt Martene et Durand editores, neque sane explicanda illa difficultas, si uno Hagensi codice innitantur. Primum hanc protulerunt opinionem, Alexandrum defuncto Wazone a. 1048, *calamo statim manum admovisse, ut Leodiensium pontificum gesta conscriberet, eoque paulo post vivis erepto, Anselmum Alexandri opus contractum Annoni Coloniensi archipræsuli obtulisse a.* 1056. Paulo post hanc viam inire posse sibi videbantur, in codice Hagensi et in recensione Chapeavilli propositos esse et Anselmi et Alexandri libros cum Anselmi præfatione, uter textus vero Anselmi sit, uter Alexandri non satis sciri posse. Hæc non stare posse videntes auctores Hist. litt. Fr. VII, 475 conjecerunt, cum Alexandri libellus prioribus istius loci displicuisset, eorum jussu Anselmum idem opus aggressum esse. Martenii sententiam amplexus est Cellier l. l. Vix est quod moneam Chapeavilli recensionem, quam nihil esse nisi epitomen Marteniani textus recte perspexerunt auctores Hist. litt. Fr., ab hac quæstione penitus esse removendam

suum ejusdem Idæ abbatissæ exhortatione composuit eidemque dicavit. Alexander opus genuinum revera ab ipso conditum ad Idam misit, impudenter sane alter suum quoque librum in quo alterum compilaverat ei sacrum esse voluit. Neque in hoc acquievit, sed eodem mendacio Annonem archiepiscopum fallere conatus est, tantæque erat impudentiæ vel, si mavis, dementiæ, ut in præfatione secundi libri se ab alio mutuatum esse libere confiteretur, quæ in epistola ad Annonem sua esse religiose confirmarat. Nam quæ tandem sunt illa quæ post tam superbam tamque magnificam de suo opere præfationem metroplitano suo A. ille mittere conatus est? Primus enim Gestorum liber ab Herigero, secundus ab Alexandro compositus est, ejusdemque est Alexandri alterum dimidium præfationis libri secundi. Quorum uterque si sua sibi vindicarit, nihil nisi mendax illa ad Annonem epistola, præfationis ad librum secundum dimidia pars prior et capitum inscriptiones presbytero A. ex ficiis illis divitiis propria relinquuntur, miseræ quasi laciniæ, quibus eum tam superbe se gessisse vix credat aliquis. Quæ omnia si mecum considero tam contraria et vix inter se conciliauda, ab animo impetrare non possum quin statuam alium esse Alexandrum, alium presbyterum illum A., qui litteras ad Annonem dederit : imo unus est idemque auctor. Quod si statuerimus, post ea quæ supra de codicibus nostris diximus, nemo facile nobis persuadebit Alexandri nomen auctori fuisse. Unum Anselmum Gesta episcoporum Leodiensium scripsisse Sigebertus (146), Ægidius Aureæ vallis a. 1251 (147), Joannes Stabulensis (148) c. 1450 et alii (149) disertis verbis probant ; de altero ne verbum quidem. Itaque abeat tandem infelicis ominis Alexander ille, qui tantam in rem litterariam confusionem invexit.

Duplici auctore jam e medio sublato, quomodo duplex liber de iisdem rebus Gestis Leodiensium episcoporum ab eodem conscribi potuerit, nova exoritur quæstio. Nam duo illi post Herigerum de rebus Leodiensium episcoporum libri vel sic manent, neque removeri possunt. Quorum unum ex integro Herigeri et ipsius Anselmi libello compositum, quem ante oculos habemus, Annoni archiepiscopo misit Anselmus, Idæ vero abbatissæ alterum libellum in cujus parte priore ex Herigero gravissima tantum excerpta suo stylo prosecutus est, ut ex ipsis epistolis apparet. In priore igitur parte inter se differunt libri ; alteram partem ad Wazonis mortem usque deductam in utroque fuisse eamdem nemo neget. Duplicem igitur libri sui textum Anselmus in lucem edidit ; unam editionem integram et illibatam, rerum Leodiensium quasi corpus, Annoni metropolitano dicavit ; succinctam alteram, ut satisfaceret adhortationibus, Idæ abbatissæ misit (150). Quæ duo hæc ab eo petierat, ut de S. Ebergiso Tungrensi episcopo, cujus cineres inde a S. Brunonis temporibus in ipso illo monasterio servabantur, nonnulla litteris mandaret, neque minus de Wazone, clarissimo æquali, cujus magna fama ad ipsam perlata esset (151). Illarum editionum utram nos habeamus in manibus, satis apertum esse videri possit ; sed neutram nos habere apparet ; est potius ex duabus satis inconcinne libellus noster compositus. Quid enim sibi velit particula illa præfationis ad Idam conscriptæ in libro quem Annoni auctor misit, profecto non perspicio. Neque video cur Anselmus eamdem præfationem, quam in totius operis fronte edere debebat, ut verba ipsa probant, libro secundo præmiserit. Vix sane mihi persuadeam, duplici parata editione, auctorem ipsum duas illas editiones in unam tam inconsulto confudisse. Novamque movet dubitationem, quod in præfatione libri secundi auctor canonicum *quemdam* S. Lamberti A. libellum illum composuisse scripserit, cum Anselmus neque in epistola ad Annonem neque in ipsis Gestis de se deque suis rebus suo nomine loqui dubitaverit (152). Neque hoc denique, quod ibidem legitur, alteram Gestorum partem priori esse annexam jussu priorum istius loci (id est *Leodii*), cum propriis Anselmi verbis conciliari potest. Nam Annoni sua sponte misit librum, ut bene vivendi inde exempla peteret, ut amplius ad virtutem accenderetur, alterum Idæ exhortatione monitus conscripsit.

(146) De scriptor. ecclesiasticis c. 163 : *Anselmus clericus Legiensis, scripsit gesta pontificum Legiensium, et in eo libro vitam Guazonis episcopi veraciter sibi notam plene descripsit.*

(147) In epistola ad Mauricium canonicum Hagensem Chapeaville II, 1 : *Imitati studium venerabilium patrum Herigeri Lobiensis abbatis et Anselmi viri religiosi, qui successive, unus post alium, usque ad sua tempora partes superiores fideliter sed breviter descripserunt.*

(148) Cod. Hamburg. Hist. Germ. f., cujus notitiam v. cl. Waitz mecum communicavit. Hæc sunt verba Joannis Stabulensis : *Primus conscriptor Herigerus abbas Lobiensis scribens suam partem a b. Materno primo Tungrorum episcopo suscepit, et inde ordinem episcoporum usque ad 27 prosecutus est, ex quibus b. Remaculus fuit ultimus, et ita idem sanctus dicitur esse meta libri Herigeri abbatis. Postea Anselmus presbiter scripsit, qui suum librum a b. Theodardo post Remaclum facto episcopo incipiens, recto ordine episcopos prosequens, in vicesimo quinto episcopo qui Waso nomine nuncupatus est terminatur.*

(149) Joannes Ultramosanus, Placentius, Brusthemius, rerum Leodiensium continuatores. Vide Chapeavillii præfationem.

(150) Similem sententiam jam proposuit Chapeaville centum annos ante Alexandrum malo omine inventum, his verbis in præfatione tomi I, p. 3. *Quamobrem verba in præfatione ad Anselmi librum superius allegata nil aliud volunt, quam quod Anselmus — hæc gesta pontificum desumpserit ex libro quem ipse de omnium pontificum gestis usque ad sua tempora scripserat, truncatis viginti septem primorum episcoporum gestis et præfatione ad Idam, Harigerique libro, qui gesta viginti septem episcoporum primorum jam ante scripta continebat, annexuerit.*

(151) Vide præfationes ad libros I, II.

(152) Vide locos quos infra afferemus. Modestiæ gratia in procœmio libri secundi sub alterius nomine locutum esse Anselmum conjecit Chapeaville in præf. tom I.

Unam tantum quæ in explicanda hac difficultate iniri possit viam video. Præfationem libri secundi, excepta particula epistolæ ad Idam, alius nescio quis compilator conscripsit; Anselmus vero quominus ipse Gesta omnibus numeris absolveret, partemque posteriorem cum priori idoneo aliquo transitu conjungeret, nescio quo fato iniquo impeditus est. Quod ipso illius præfationis textu, ni fallor, satis probatur, nam si paulo accuratius eam examinaveris, ex Anselmi epistola ad Annonem iisdem haud raro verbis eam exscriptam esse invenies (153). Neque hoc intelligendum, cur hic auctor breviter repetierit quæ in fronte totius operis et planius et fusius dixerat. Primam itaque ad Idam editionem paraverat, ut litteræ ad Annonem probant; in paranda altera, morte fortasse præventus, suum librum alii reliquit, qui, omissa parte priore, cum Herigeri libello in unum volumen eum conscriberet. Ideoque auctor Annoni opus suum revera misisse credi nequit. Anonymum ar.lem, qui sua interpolatione omnia confuderit et t.rbarit, munere felici conatu functum esse nemo licet.

In Anselmi libro non uberior illa, quæ in Herigero erat, doctrina cernitur, tamen haud contemnendis et rerum scribendarum et eruditionis præsidiis munitus, opus agressus est. Ad antiquiora tempora scribenda sanctorum Vitas in auxilium vocavit Theodardi (154), Huberti (155), Lamberti a Godescalco et Stephano compositas (156), Ruotgeri vitam S. Brunonis (157), monachi anonymi S. Jacobi Leodiensis Vitam Balderici episcopi (158), quibus ex amplioris argumenti libris Reginonis Chronicon (159) et Fulcuini Gesta abbatum Lobiensium addidit (160), et locum ex scriptore nescio quo de S. Lamberto desumptum (161). Sed in comparanda rerum materia non consueto illorum temporum auctorum more in describendi servitutem se dedit, sed, paucissimis exceptis locis, consilium liberius secutus, res sui libri argumento accommodare conatus est. Integra tamen alia servavit testimonia magni facienda, quæ ex Leodiensi tabulario illibata in textum recepit. Wazonis sunt litteræ, quæ nativa sua indole vel hodie lectoris animum movent, ad Joannem præpositum (162), ad Robertum regem Franciæ (163), et ad Rogerium episcopum Catalaunensem (164). Quibus accedunt ejusdem Rogerii litteræ et Richarii episcopi Leodiensis tabula (165). Sumuri tamen sunt momenti quæ ipse vel vidit testis oculatus, vel in curia Wazonis audivit; nam alterum pene libri dimidium quod de Wazone conscripsit hoc fundamento quasi superstructum est. A. 1041 solemni Wazonis inaugurationi testis interfuit (166), vidit episcopum 25 præbendas uno die conferentem (167), cumque domum exstruendam aggressus esset, subministrata pecunia ab illo adjutus est (168). Haud pauca ex Wazonis colloquio sibi sumpsisse testes sunt alii loci (169). Num morienti quoque episcopo astiterit, dicere dubito. Alios in aliis rebus secutus est; inter quos deprehendimus Popponem Stabulensem abbatem, Wazonis amicum (170), clericos qui diurna cum eodem conjuncti erant consuetudine (171); uno adversariorum non respuit testimonium (172), neque minus ea quæ, ob omnium oculos posita omnibus nota sunt laudat (173). Quibus ex rebus tantam narrandi materiem sibi comparavit, ut multa mentione dignissima se præteriisse non uno loco testetur, ne breviarii quod pollicitus sit fines excedat (174). Nec in scribenda priorum temporum historia ex vivorum memoria et rumore vulgari, quæ a consilio suo non aliena putaret, haurire sprevit. De S. Lamberti miraculis Thietwinum episcopum et clericos qui illa se vidisse affirmabant, testes facit (175); alia ipse

(153) Conferas hos locos ex præfatione libri II desumptos, *Superiori — successores; Deinceps quæ — sunt annexa; quæ cum ita — ordinem* cum loco epistolæ ad Annonem : *Et cum illa superior — audivimus;* locum *requiescit — affirmant* cum *quæ etiam præter — sepulchrum.*

(154) II, 2.

(155) II, 16.

(156) II, 3, 5, 6, 7, 8, 20. Vide quæ de diversis Vitæ S. Lamberti a Godescalco conscriptæ recensionibus acute disseruit v. cl. Hirsch in comment. de Sigeberto p. 288. Anselmus textum ad modum Mabillonianæ editionis ante oculos habuisse videtur.

(157) II, 24.

(158) II, 31.

(159) II, 8, 19.

(160) II, 19 — 22.

(161) II, 8. Neque Mabillon. neque Suyskens. Act. SS. Sept. V, 541, aut alii unde id haustum sit investigarunt; neque me feliciorem fuisse confiteor.

(162) II, 38.

(163) II, 58.

(164) II, 60. II, 62 quoque ex epistola Wazonis ad Heinricum imperatorem videtur desumptum.

(165) II, 59, 21.

(166) II, 51 : *Nisi præsens vidissem, nullo modo crederem*, etc.

(167) II, 67 : *Vidimus — ab eo — datas*, etc.

(168) II, 68 : *Quod ego — sum expertus*, etc.

(169) II, 24 : *Ut audivi Wazonem referentem*, etc. II, 52 : *ut ipse fatebatur* II, 68 : *Miserum me — dignaretur alloquio*, etc.

(170) II, 48 : *Ut attestari solebat abbas Poppo*, etc.

(171) II, 48, 57 : *Per diaconum ejus qui hoc idem ab ore ipsius didicerat*, etc. II, 71 : *Testati sunt presbiteri et capellani qui ei — assistebant*, etc.

(172) II, 56 : *Ipsi adhuc testari solent*, etc.

(173) II, 25 : *Sicut inpresentiarum est.* II, 38 : *Apud nos fas est cernere.* II, 46 : *Testes sunt pene quotquot Leodium novere.* II, 53 : *Fas est adhuc cernere vestigia.*

(174) II, 53 : *Pauca referens plura prætereo, quorum aliqua brevitatis studio me constat negligere.* II, 61 : *Brevitati studens materiæ succumbere timui, multa dicenda præterii.* II, 68 : *Quæ si enumerari velimus per singula, non jam breviarium, ut pollicii sumus, sed*, etc. Cfr. præfat. lib. II, II, 69 : *Prætermissis pluribus tam dictis quam factis*, etc.

(175) II, 6–10, 13, 14.

vidit S. Lamberti et Wolbodonis miracula (176), in cujus Vita famulo cuidam aut amico episcopi narrandi copiam ex parte debet (177). Neque desunt eruditionis testes, lumina illa ex veterum scriptis petita, quibus librum suum etsi non tam larga manu quam Herigerus frequentavit : Sallustii (178), Virgilii (179), Horatii (180) sententias inseruit, Ciceronem, Donatum, Priscianum (181) nomine laudavit : ex Patribus ecclesiasticis Sulpicii Severi (182) et Gregorii M. (183) libros legit et eorum verba in suum usum vertit.

Si denique quæris quomodo Anselmus munere rerum scribendarum functus sit, eum sana mente omnia expediisse, eaque quæ in vĕris falsisque judicandis cernitur perspicacitate rem absolvisse vix negabis. Nam in miraculis superstitiose celebrandis temporum suorum ingenio minus indulsit; simplicioris sunt generis quæ narrat neque a rerum natura abhorrent (184). Neque critices exercendæ periculum desiderabis; in epistola ad Annonem Evergisilum et Ebergisum unum eumdemque non fuisse evincere conatur; et cur S. Lamberti scriptores veram passionis ejus causam silentio præterierint deprehendisse sibi videtur (185). Ne pro certis incerta narret bene cavet (186), cautissimum vero se in eo præbet, quod miracula vulgo nondum probata narrare devitat (187), easque res quas minus exploratas habet ingenue indicare non dubitat (188). Illorum vero temporum indoles in ea potissimum cernitur ratione qua Wazonis imaginem depinxit, quem unum sibi neque immerito in libello suo celebrandum sumpsit, eamque ob posterorum oculos posuit. Est enim Wazo illorum episcoporum exemplar et quasi regula, quales Gregorii VII papæ temporibus haud pauci cathedram tenebant, qui, sanctæ vitæ religione splendentes, ut Ecclesia ex imperatorum potestate erepta uni summo pontifici regenda traderetur, omni animi fervore niterentur. Talem se gerentem Wazonem celebrat Anselmus, omniumque illorum antesignano Annoni librum suum dicavit. Acerbius igitur illos quoque episcopos et clericos perstrinxit, qui, monasticæ disciplinæ jugo abjecto, in regum curis versantes, quæ essent sæculi curarent, propriisque ecclesiis spoliatis mimos aliosque canes palatinos alerent (189). Neque minus qui fuerit Anselmi animus ex iis elucet quæ de contentione inter Wazonem et imperatorem scripsit (190). Dicendi denique genus quo usus est neque purum est neque emendatum; nam graviora quoque vitia occurrere non negabis. Sed nemo sane in illorum temporum auctore castitatem orationis requiret vel ad normam severiorem eam vocabit. Est vero scribendi genus si cum Herigeri comparaveris dilucidius magisque perspicuum, neque tam grave tantaque offusum est docta obscuritate, quam illum sectatum esse vidimus. At vel sic haud raro tumidum est et quæsitum, audaciusque quam verius; quibus ipsis vitiis Leodiensium disciplina se eruditum esse satis probat Anselmus.

Qui ex recentioris ævi scriptoribus nostros auctores in conscribendis libris in auxilium vocaverint, non sunt ita multi. Quos magnam partem fuisse Leodienses ex ipso, quod non tam late pateat, libri argumento apparet. Herigerum exscripserunt Notgerus in Vita S. Hadelini (191), Gesta Trevirorum (192), auctor anonymus vitæ S. Servatii (193), Nicolaus in Vita S. Lamberti (194); Anselmum Sigebertus in Chronico (195) et in Gestis abbatum Gemblacensium (196), Rupertus in Historia S. Laurentii Leodiensis (197), Reinerus in Vitis episcopo-

(176) II, 14 : *Contractum prius et post erectum vidimus.* II, 33 : *Tum ex me, tum ex aliis sum expertus.*

(177) II, 33.

(178) II, 61.

(179) II, 24, 37, 39, 59, 61, 73.

(180) II, 26, 52.

(181) II, 52.

(182) Vitam S. Martini II, 55, 64.

(183) II, 50.

(184) II, 11—14.

(185) II, 8.

(186) II, 20, 64 : *Cum diligenter sciscitaremur, non aliam — causam cognoscere potuimus.*

(187) II, 35 : *Quæ nos huic opusculo inserere devitavimus — quia relatu miraculorum nondum pervulgato dijudicare devitamus, sed posteris fideliter scribenda relinquimus.*

(188) II, 53 : *Aliqua quæ a me nesciuntur necesse est reticeri.* II, 60 : *Litteræ unde aut a quo transmissæ, parum est nobis cognitum.*

(189) II, 28, 34.

(190) II, 57, 60.

(191) Vide supra.

(192) C. 16. Genuinus textus est exscriptus, non mutilatus generis codicum C. quem apud Ægidium deprehendimus. Nullus dubito quin nomina quoque octo illorum episcoporum qui I, 15, S. Materno successisse et in catalogis et Gestis Trevirorum Tungrensi et Trevirensi Ecclesiæ præfuisse dicuntur, ob fugam vacui, ut ita dicam, posteriori tempore in libros Trevirenses transcripta sint. Nam Herigero ne in mentem quidem venisse illos episcopos duarum Ecclesiarum fuisse antistites ex ipsa ejus narratione luce clarius apparet; quod medio sæculo decimo tertio Ægidius silentio transiri non posse putavit. Eamdem fere sententiam amplexos esse video Henschenium in Exegesi n. 6, Calmetum Hist. de Lorr. I, VII, Honthemium, Marneum in dissert. p. 503, Perierium in disquisit, n. 53.

(193) De quo vide paulo infra quæ de auxiliis editionis diximus.

(194) C. 16, Chapeaville I, 399.

(195) Rarius quam exspectes ad a. 903, 960, 972 vide Mon. SS. VI, 275.

(196) Quæ de morte Wazonis et Olberti leguntur Dachery II, 767. Accurata collatione instituta hoc docuit Hirsch de Sigeberto p. 263, nec non jam Sigebertum et integrum Gestorum textum et recisum ante oculos habuisse.

(197) In Vitis Euracli 1, 2, 3, Notgeri c. 7, Balderici c. 1, Wolbodonis c. 2, 3, 4, 8, Wazonis c. 14, ap. Martene et Durand ampl. coll. IV, 1053. Quin utrumque textum Gestorum, vel quod magis mihi arridet, codicem minus mutilatum generis B. legerit Rupertus, dubitari non potest. Quod probant Notgeri c. 7, et Wolbodonis c. 3, quæ cum II, 26, 33, genuini textus ad verbum interdum consonant, in Euracli vero c. 2 recisi textus vestigia sunt, e. g. Rupertus : *Mediante die meridie eclypsis solis subito*

rum Everacli (198), Reginardi (199-200), Wolbodonis (201), auctor anonymus vitæ Wolbodonis (202); utrumque scriptorem in usuum suum verterunt Albericus Trium Fontium monachus in Chronico (203), et Ægidius Aurcævallis (204), qui recisum Gestorum textum in suam rerum Leodiensium historiam recepit, suaque additamenta intrusit.

Sed jam quo codicum fundamento nostra Herigeri et Anselmi editio constituta sit videndum, quorum duos in auxilium vocavimus a nemine huc usque adhibitos, tertium vero eumdem, quem ni fallor Martene et Durand secuti sunt. Reliqui in talem nostram notitiam venerunt, ut qualis sint momenti, neque sane magni, in textu restituendo perspicere liceat. Qui ex ipsa codicum natura in hunc ordinem redigendi sunt. Signavimus siglo A eos codices qui integrum et genuinum Herigeri textum, qui nunc primum in lucem prodit *, et Anselmi servarunt, neque recisam neque posteriorum interpolationibus fucatam narrationem exhibentes. Omnes vero codices et Herigerum continent et Anselmum ipso sæculo XI arcte inter se conjunctos; qui vero codex uno prætermisso alterius tantum librum proferat (205), in nostram notitiam non venit; itaque codicem Anselmo antiquiorem non habemus.

A 1, Cod. Guelferbytanus membr. sæc. XI, fol. minoris, ex quo jam Ruotgeri Vita Brunonis et Alperti Opera edita sunt (206), qui fol. 49-63 Herigeri et Anselmi libros continet. Scripti sunt duobus quaternionibus, ultimo folio et antecedentis dimidio vacuo relicto. Exaratus est textus binis columnis, lineæ minimo intervallo stylo descriptæ sunt, litteræ minutissimæ sed eleganter pureque expressæ, primum fusco atramento, dein subfusco et pene decolori scriptæ sunt. Orthographiam qualem antiquissimus hic ex nostris codicibus exhibet, tenendam esse ratus sum. Textus neque purus est neque emendatus, imo multis vitiis patet, quæ ex librarii negligentia aut potius inscitia fluxerunt, qui quæ scriberet haud paucis locis minime intellexit. Interdum autem veram lectionem servavit (207), ita ut corruptionibus reliquorum codicum ex hoc medela afferri possit.

A 2, Cod. Parisinus suppl. Lat. 812, membr. 4, sæc. XII, inc. (208) novem quaternionibus et 4 foliis f. 46-122 descriptus, cujus varias lectiones dedit Waitz v. cl.; litteris æque elegantibus atque perspicuis exaratus est. Sæpissime librarius *æ* usus est loco *e*, exempli gratia, æquitare, æbrietas, cæleriter, æcclesiæ, rabiæ progeniæ urbæ, *etc.* scribit, *aput*, *aliut*, *quit*, etc., frequentesque sunt accentus. Neque hic textus emendatior, imo novæ accedunt et graviores corruptiones, in quibus ex parte librarii calamus lapsus est. Nonnulla menda ipse librarius, alia corrector coævus haud felici ubique manu tollere conatus est. Quin ex eodem fonte cum A 1, manarit codex dubitari nequit; et haud pauca probant menda in quibus consonant, et saniores lectiones quæ in A 2 servatæ sunt.

A 3, 4. Quorum 3 est codex Hagensis A 23, membr. sæc. XII *ex bibliotheca G. I. Gerard* (209), alter 4 ille quem Martene et Durand in sua editione secuti sunt. A 3 foliis constans 143, sola continet Gesta episcoporum Leodiensium; in multis corcem ejus a. 1378 exaratum se vidisse testatur, quo auctor Herigeri, Anselmi et Ægidii narrationes se interpolasse fateatur. Easdem itaque plane res eodem tempore scripserunt Hocsemius et Joannes de Warnans. Cfr. Villenfagne Mélanges, etc. 1810, p. 290 sqq., qui continuatores duos Joannes eumdem esse conjecit; sed nisi codices inspexeris, nihil certi statui potest. Nec non Joannes Stabulensis, qui a. 1449 obiit, si epitomatori ejus credi licet, res a S. Materno repetivit, vid. Andreæ et Foppens. Bibl. Belg. p. 734, 753; idemque fecerunt Brusthemius, qui res Leodienses ad a. 1505 deduxit, vid. Sanderi bibl. Belg. msc. I, 24, et Placentius in libello Boxhornii de republica Leodiensi Amstelod. 1633, p. 209: cfr. quoque Villenfagne l. l.

facta est. Text. rec.: *Subito eclypsis solis defectus — hora vix meridiana transacta* Text. integ.: *Repentinum — solis pereulit deliquium — cum multum diei superesset*.

(198) C. 1, 2, 3, 4, 6, Pez. Thes. anecd. nov. IV, 3, p. 155 sqq. Integrum textum habuisse Reinerus videtur.

(199-200) C. 1, 8, Pez. l. l, p. 267 sqq.

(201) Act. SS. April. II, 857 sqq.

(202) Vide infra.

(203) Vide a. 546, 577, 595, 617, 626, 647, 651, 894, 1014, 1016. Gesta integra exscripsit.

(204) Cfr. Hirsch p. 424. Reliquos rerum Leodiensium continuatores Joannem Hocsemium, Joannem Warnantium, Joannem Ultramosanum, Joannem Brusthemium, Joannem Placentium in scribendis rebus Tungrensium antiquissimis non Herigerum sed Ægidium ducem sibi sumpsisse et lex quædam describendi mihi persuadet, et Chapeaville qui eorum codices vidit in præfatione testatur. De Hocsemio, cujus librum ex parte tantum edidit II, 272, idem hoc habet testimonium. *Et ea quidem quæ sua tempora præcesserant ex libris, monumentis et chartis ecclesiæ Leodiensis recolligens breviter scripsit.* In codice Joannis Stabulensis de Joanne Warnantio hæc leguntur: *Johannes vero investitutus S. Johannis de Warnans scripsit ab Henrico Getrensi episcopo facto post Robertum præfatum, et terminavit suum scriptum in Engelbertum de Marcka. Post istum scripsit quidam monachus S. Laurentii dictus Johannes de Stabulaus et ex ordine prosequens cathalogum episcoporum Leodiensium sicut hoc suo scripto claret.* Joannes de Warnans res Tungrenses minime præteriit, nam Bucher, ap. Chapeav. app. I, 19, codi-

(205) Quid statuendum sit de Gestorum codice quem Atrebati apud Vedastinos servari scribit Foppens. Bibl. Belg. p. 471, nescio.

(206) Vide quæ de eodem codice dicta sunt Archiv. VI, 6; VII, 439.

* Loca apud editorem Germanum in textu Herigeri restituta vel suppleta characteribus minutissimis sunt recusa; nos eadem inter uncos concludimus. EDIT. PATROL.

(207) E. g. I, 21 loco corruptæ vocis *quod* recte legit cod. A. 1. *Quadus*; II, 11 loco inepti *latam* recte *latera*; II, 30 pro *licet* recte *lucis*; II, 41 pro *celebratione* bene *celebri statione*, pro *dedere*, *ledere*; II, 51 pro *maturam*, *inaratam*. Sed non desunt vitia: II, 2 *occidi domesticorum* pro *acciti*; II, 7 *persuasores* pro *pervasores*; II, 15 *bellare rideat* pro *bella derideat*; II, 33 *in pectoris* pro *inspectoris*.

(208) Archiv. VIII, 309.

(209) Archiv. VIII, 569. Apographi fragmentum

ruptionibus nec non emendationibus, quas manus coæva in A 2 ascripsit, ita cum illo consentit, ut A 3 ex A 2 descriptum credas necesse sit. Quod vel iis vitiis quæ de suis addidit librarius firmatur, qui litteras in A 2 hinc inde minus pure scriptas falso legerit (210); pauca codicis A 2 vitia librarius sustulit et verborum collocationem haud raro leviter mutavit. Omnibus pene corruptionibus codicis A 3 blandam affert medelam codex Andaginensis, ex quo unum Anselmum ediderunt Martene et Durand, Herigerum prætereuntes (211). Arcte tamen inter se cohærent hi codices. In utroque eadem recurrit verborum collocatio, eademque verba in utroque exciderunt (212). Quæ sibi contraria vix alio modo expedias, quam ut Andaginensem et Hagensem codicem eumdem esse statuas, cujus vitia de conjectura deleverunt Martene et Durand. Sed tam feliciter delerunt ut eorum lectionem haud paucis locis in textum recipiendam esse nemo facile negabit. Hi generis A codices brevitatis causa solis numeris signati sunt, ita ut 4 Martenii lectionem indicet. Cum hi codices, si non emendatum, genuinum saltem textum exhibeant, non sane est quod reliquos codices nos non vidisse doleamus, in quibus et recisus et interpolatus est, ut ex descriptione et adnotationibus quas dedit Chapeaville (213) satis elucet. B. duos signavi codices, qui textum habent recisum, nondum vero interpolatum.

B 1. Cod. Alnensis, quem membranaceum ab abbate monasterii Alnensis nactus est Chapeaville; hodie servatur in bibliotheca viri doctissimi Thomæ Philipps Equitis Mediomontani, Pertzio tamen a. 1844 præsenti, in plurima codicum pretiosissimorum copia latens, monstrari non potuit.

B 2. Cod. S. Martini Leodiensis Ecclesiæ collegiatæ, membr. pervetustus, quem per omnia alteri illi similem Raymundo Leodiensi canonico debuit Chapeaville (214). Ambo, ut testatur, *fusiorem et ornatiorem quibusdam in locis dictionem habent; reliqua omnia exemplaria quæ videre licuit, iisdem in locis breviorem et magis historiæ accommodatam sequuntur, servata interim per omnia in omnibus exemplaribus earumdem rerum gestarum conformitate.* Quibus ex verbis elucet genuinum Herigeri et Anselmi textum Chapeaville omnino non attigisse. Nam in his quoque codicibus mutilatum esse Gestorum textum ex iis quas attulit variis lectionibus luce clarius apparet. Non sunt sane magni momenti; in capitibus vero II, 15-18 se hos solos codices secutum esse his probat verbis Chapeaville (215): *In separando textu Anselmi ab additionibus Ægidii Aureævallis hactenus usi sumus codice cruciferorum, qui hic est mutilatus, desunt enim illi quatuor capita* 14 17. (15-18). *Restituimus ex codicibus Alnensi et S. Martini.* In utroque vero codice extrema capitis 15 aliaque nonnulla desiderantur (216). Quæ qui sciat minime eo movebitur, quod S. Martini unus est codex ille qui Herigeri librum sub Notgeri nomine proferat.

C. Tertium genus unum tantum codicem habet a continuatoribus præ cæteris lectum versumque in suum usum; est codex conventus Cruciferorum Leodiensis, qui Chapeavillio teste, Ægidiano conformem habet textum absque Ægidii additamentis. Codex est chartaceus sæc. XVI, inscriptus *Liber fratrum S. Crucis in Leodio*, quem Leodii vidit Bethmannus v. cl. (217), ejusdemque generis videntur esse exemplaria quæ ab ill. viro Th. Phillips servantur (218). Est longe alius multoque magis recisus textus quam in B., qui in hoc codice legitur. Desiderantur penitus capita supramemorata II, 15-18, verum textum recisum et fucatum esse et Ægidii textus ipsæque probant quæ hinc inde apud Chapeavillium exstant lectiones codicis C. Eademque menda et lacunæ recurrunt magna ex parte in codicibus generis quarti, quod quin ex illo manarit nemo dubitabit (219).

D. generis codices sunt recisi et interpolati, et a posteris scriptoribus continuati.

D 1. Herigeri et Anselmi textum recisum et ab Ægidio interpolatum exhibet codex Aureævallis, quem Ægidii autographum esse conjecit Chapeaville. Hoc igitur codice, ex monasterio S. Huberti in Arduenna petito, quasi fundamento haud felici consilio in sua editione usus est.

D 1*. Cod. conventus Capucinorum Leodiensium cum illo conjungendus est, quem verbo tenus illi D 1 correspondere affirmat Chapeaville.

sæc. XVII Gestorum Anselmi ex Wilthemii schedis servatur Bruxellis. Archiv. VII, 36; VIII. 505.

(210) A 2 legit I, 17 *ex Cain generatis*, A 3 *ex ea ingeneratis*; A 2 I, 19 falso *Alantis* pro *Alani*, A 3 *Al* esse *M* putans *Muntis*.

(211) Ampl. coll. IV, 845: *Quod vero spectat ad opus Harigeri, etsi hic illic emendatius possemus exhibere, res tamen tanti nobis non est visa, cum primorum antistitum Tungrensium gesta fere omnia fabulis sint conspersa*, etc.

(212) E. g. desiderantur in A 5 et 4, II, 2 verba: *dicina — tantum*; II, 5 in utroque codice deest *cœlo*; II, 9 *Dei miracula* deest *Dei*; II, 10 desunt verba *sed ejus*; II, 14 desideratur *preme*; II, 25 *quatuor quadragesimus*; II, 26 *futuram*; II, 11 uterque codex legit *in rabiem verso*, A 1, 2 *converso*; II, 12 *ignotumque*, A 1, 2 *ignotum est*; II, 15 *congregavit*; II, 21 *struentes*; II, 24 *percutit*; II, 26 *jubet, cœperit*; II, 27, 12 *congregati*; II, 30 *in se*; II, 33 *inspirante, inspectoris*; II, 34 *crediderat*. Neque ultimum est argumentum Alexandri nomen in utroque codice falso scriptum; de quo vide supra.

(213) In præfatione ad Gesta epp. Tungr. Traj. Leod. I.

(214) De hoc codice vid. Sanderi Bibl. Belg. msc. I, 24, 26.

(215) I, 128 annot.

(216) Vide notas criticas textui subjunctas; duæ in capite II, 15 lacunæ deprehenduntur.

(217) Archiv, VII, 439, VIII, 478.

(218) N. 435, 1130; Archiv. VII, 96, 97. Codices illius generis longe antiquiores exstitisse Sigebertus et Rupertus comprobant.

(219) I, 38 desideratur in C. *vita*, itemque deest vox in codicibus generis D; II, 53 C. legit *conculcandum* pro *inculcandum*, eamdem lectionem habet genus D; II, 55 in utroque genere pro *portentuosis nominibus* occurrit *nominibus dæmoniosis*.

D 2. Codex membranaceus, quem viro nobili debuit Theodoro de Groesbeek, textum Herigeri et Anselmi mutilatum et ab Ægidio interpolatum exhibet una cum Ioannis Hocsemii canonici et scholastici Leodiensis continuatione, qui anno 1331 ineunte scribendi initium fecit, et in Leodiensi episcopo Engelberto de Marcka a. 1348 calamum deposuit (220).

D 3. Ultimo denique loco ponendus est codex Tungrensis, quem a Guillelmo Herkenroede canonicorum Tungrensium priore accepit, in quo Ægidii et Hocsemii continuationibus suam ad annum 1389 usque adjecit Radulfus de Rivo Tungrensis Ecclesiæ decanus (221). Cui addi posse videtur

D. 4. Cod Hamburgensis hist. Germ. fol. 31b sæc. XIV, XV, XVI (222) Joannis de Stabulao, qui eumdem Ægidianum Herigeri et Anselmi textum recepisse conjiciendus est.

His codicibus alia quædam accedunt auxilia quæ nonnullorum episcoporum Vitis haud paucas afferunt emendationes. Inter quæ primum locum tenet

1 cod. Leodiensis 260, quem contulit Bethmannus vir cl. In hoc codice S. Servatii legitur Vita, quæ, extremis lineis exceptis, nihil est nisi Herigeri textus c. 22-28. Valde dolendum est hunc Herigeri codicem periisse, ex quo hæc S. Servatii Vita manavit. Codex neque mutilatus neque interpolatus generi A. annumerandus est, sed alius ejusdem generis cum esse familiæ sanæ lectiones probant iis locis quibus in A 1. 2. 3. perversa menda deprehenduntur (223).

2. Simili codicum generi ascribendus est ille in quo sola legebatur S. Remacli Vita cum epistola ad Werinfridum, quemque ducem habuit Surius in sua editione vitæ S. Remacli. Textum neque recisum habet neque interpolatum, eique haud paucas debemus emendationes. Sed neque scio quem codicem Surius secutus sit, neque ipsos qui in meam notitiam venerunt vidi codices. Sunt vero quatuor quod sciam. Videtur antiquissimus Bernensis membr. sæc. X (224); Stabulensem membr. perantiquum vidit Chapeaville; Trevirensis membr. sæc. XI, fol. inscribitur *Notkeri Vita S. Remacli* (225); Sangallensis sæc. XI, membr., 4, itemque hanc præ se fert inscriptionem : *Notkeri Leodiensis ad S. Landpertum presbyteri Vita S. Remacli* (226).

3. Ejusdem fere naturæ est, ni fallor, Vita Wolbodonis quæ in Actis SS. edita est. Sunt Anselmi capita 30-36. de Wolbodone episcopo ex genuino textu desumpta, qui, etsi codicibus A 1. 2. propinquus, melioribus tamen lectionibus non caret (227).

4. Alius notæ est codex cujus fragmenta dedit Henschen in Actis SS. ad Vitam S. Servatii, Herigeri capp. 20 25, secundum collationem quam instituerat Rosweydæ, collega illius (228). Quæ fragmenta si accuratius examinaveris, quin generis C. sit codex vix dubitabis; nam uno alterove loco excepto cum textu Chapeavillii consonat. Itaque auxilium plane nullum hinc petendum est.

Tertii denique generis sunt præsidia quæ ad Herigeri textum sanandum ex fontibus ejus vel descriptoribus petivimus, quibus æque corruptionis remedia debentur. Ex quibus præcipue :

1) Vitam sanctorum Eucharii, Valerii et Materni in Herigeri capitibus 8-14. consuluimus, et hinc inde 2) S. Landoaldi Vitam ipso Herigero auctore et Notgeri Vitam S. Hadelini in auxilium vocavimus (229).

De editionibus Herigeri et Anselmi pauca tantum dicenda sunt; primum in lucem prodierunt Chronica in Joannis Chapeaville Leodiensis canonici et vicarii libro *Gesta pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium*, Leodii 1612, 4, p. 1-98, 99-318; idem liber minime emendatus vel mutatus, uno qui in fronte est folio denuo typis expresso, nova tanquam editio, Leodii 1618 iterum editus est (230). Ex iis quæ supra de codicibus diximus satis patet, et legenti vel sponte occurrit, quam infelici successu criticæ exercendæ conatum fecerit Chapeaville, qui interpolatum codicem ducem sibi sumpserit. Omnia susque deque sunt, et in quo acquiescas nihil habes. Hæc una est Herigeri editio. Anselmi genuinum textum dein in amplissimæ Collectionis monumentorum tomo IV, p. 843-911 ex codice Andaginensi ediderunt Martene et Durand. Singulam S. Remacli Vitam edidit Surius in Actis SS. V, 17, et fragmenta ejusdem Vitæ habent Duchesne I, 642, et Bouquet III, 544-547. Singulæ ex Herigero desumptæ leguntur Vitæ S. Servatii, Amandi, Mo-

(220) Chapeaville II, 272, 274.

(221) Chapeav. III. ab init. Radulfi de Rivo duos codices, Alnensem unum, Lovaniensem alterum notavit Sanderus Bibl. Belg. msc. I, 27.

(222) Archiv. VI, 240.

(223) Pauca exempli gratia apponere juvat : I, 22, perverse legitur in A 1, 2, 3 *salutem*, Vita Serv. recte habet *saltem*; I, 23, A 1, 2, 3 *genu inculcantes*, Vit. Serv. *incurvantes*; I, 24, A 1, 2, 3, falso *per manus*, Vit. Servat. recte *perinmanis*; I, 25, A 1, 2, 3 falso *irriguit*, Vit. Serv. bene *irrugiit*; ib. A 1, 2, 3, *invenire* falso, Vit. Serv. *invenires*; A 1, 2, 3, *ingeminantius* falso, Vit. Serv. recte *ingeminantium*.

(224) Archiv. V, 483.

(225) Archiv. VIII, 608.

(226) Archiv. IV, 334.

(227) II, 32, A 1, 2, 3, 4 falso *vitæ*, elog. Wolbod. rectæ *viæ*; II, 33, A 1, 2, 3 falso *prioris*, elog. Wolbod. recte *pejoris*; II, 35, A 2, 3, 4 falso *licet*, elog. Wolbod. *lucis*.

(228) Præfat. c. 3. *Quæ* (acta Servatii), *prætermissis Ægidii Aureævallensis interpolamentis, lubet hic verbatim proponere, juxta correctionem et emendationem Roswiedi nostri manu factam ad fidem veteris exemplaris*

(229) De quibus vide supra.

(230) Hist. litt. Franc. VII, 198.

nulfi, Remacli in Actis SS. ad 13 Mai., 6 Febr. et 16 Jul. In fragmentis denique Anselmi quæ in Bouqueti Collectione continuata, t. XI, 9-12, exstant, Martenium editores secuti sunt (231).

In constituenda denique chronologia antiquissimorum temporum Bollandistas in tanta rerum obscuritate sequi certissimum esse ratus sum; in Anselmo, post imperatorum privilegia et tabulas publicas, Annales Lobienses et Leodienses probi duces fuerunt.

Scribebam Berolini mense Julio 1845.

RUDOLPHUS KŒPKE.

PRÆFATIO.

Domno [1] *Annoni, venerabili Coloniensium archipræsuli, presbyterorum infimus A., prædicare annum Domini acceptum, et suam Christi familiæ fideliter dispensare annonam. Gloria omnipotenti Deo, qui nostris ita nomen suum dignatus est glorificare temporibus, ut te, qualem cognovimus servum suum, sanctæ Coloniæ sponsum, Leodicensi æcclesiæ præfecerit archiepiscopum. Quarum altera, Leodicensis videlicet æcclesia, matris suæ venerabilis Coloniæ oppido gaudet tam fideliter te invigilare provectibus, et toto desiderii affectu in amplexus tuæ karitatis gestiens, sese* [2] *tuæ paternitatis exoptat adjuvari pariter et confoveri amminiculis. Atque ut hoc sibi propensius tua debeat* [3] *benignitas, hæc suorum per me tibi dirigit gesta pontificum, ut qui per te ipsum studiose satis ad melioris vitæ arcem niteris, his profecto amplius ad* [4] *virtutem accendaris. Horum quidem pars* [5] *prior ab Herigero* [6], *Lobiensis cœnobii abbate, absque capitulis est conscripta; cui nos capitula prænotantes, nostram cum capitulis suis ælucubraciunculam coaptare studuimus. Et cum illa superior gesta eorumdem pontificum a primo usque ad vicesimum* [7] *septimum, scilicet a sancto Materno usque ad sanctum Remaclum digesserit, nos quoque nostrum opus, quod precatu domnæ Idæ abbatissæ* (232) *conscripseramus, decapitantes, ne eadem replicando fastidium legenti faceremus, a beato Theodardo incepimus* [8], *et ordinem episcoporum usque ad domnum Wazonem, quem quinquagesimum secundum esse constat, prosecuti sumus; nihil ponentes, nisi quod aut legimus, aut certa fidelium personarum relatione didicimus, aut certe ipsi præsentes vidimus et audivimus. Enimvero matrem suam, sanctam videlicet Coloniam, latere non decet quot et quales humilis* [9] *Lethgia habuerit rectores; quorum* [10] *si quos Deo placere* [11] *cogoverit, unde abundantius gaudeat sedula mater habebit* [12]. *Matrum enim est, filiarum proventus suos existimare. Quæ etiam, præter candidatorum martirum milia, unius ex patronis nostris, beati videlicet Ebergisi* [13], *noverit se cineres servare, quos in Trutmonia* [14] *nostri* [15] *episcopatus* [16] *villa* (233) *consepultos, ut hæc eadem testantur gesta, a Brunone archiepiscopo eodemque, ut aiunt, duce, inde in monasterium sanctæ Ceciliæ tam memorabilis abbatissa quam* [17] *indigenæ* [18] *prædictæ Trutmoniæ perhibent*

VARIÆ LECTIONES.

[1] *deest inscriptio* 1. *codex* 2. *hos versus præmittit :*

Hic liber est scriptus clarus studioque legentis
Gestis pontificum jam quinquaginta duorum
Sedis Tungrensis, Trajecti, Leodicensis.

3. *inscribitur :* In hoc libro sunt indita gesta L. duorum pontificum, Tungrensis, Trajectensis, Leodiensis, *et manu sæculi XV :* Cronica episcoporum hujus dyœcesis. Incipit prologus ad sanctum Annonem Coloniensem archiepiscopum in gestis pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium. *Sic quoque* D 1. 1°. [2] sanctæ *Ch.* [3] d. beata b. *Ch.* [4] per 1. [5] pras 3. [6] harigero *Ch.* [7] vicesimus 1. [8] cœpimus *Ch.* [9] *deest Ch.* [10] ut si quos eorum *Ch.* [11] placere *c corr.* 2. placeret 1. 3. placuisse *Ch.* [12] invenial. *Ch.* [13] ebregisi *Ch.* [14] trumonia *Ch.* [15] *ita* 1. 2. 3. B 1. 2. [16] episcopatu 1. 3. episcopii *Ch.* [17] tam m.ab. quam *deest Ch.* [18] omnes ejusdem trimoniæ indigenæ. *Ch.*

NOTÆ.

(231) Vix est quod ea repetam quæ vere jam perspexit Papebrochius a. 1688 in Paralipomenis ad Conatum chronico-historicum de catalogis pontificum Romanorum in Actis SS. Mai. VII, 65, merum esse falsarii fetum locum illum quem, quasi fragmentum ex litterarum naufragio servatum, Herigero in Vita S. Gundulfi, et Papebrochio sciolus nescio quis obtrudere conatus est. Cum enim illo tempore inter Hadrianum Jordanum aliosque exarsisset contentio de genealogia S. Arnulfi Metensis, fragmentum illud Herigero suppositum e tenebris suis emersit, quod totum in eo versatur ut Bodegisili ducis filium S. Arnulfum fuisse probet. Cui ut fidem faceret, impudentem sibi excogitavit falsarium fabulam, quam ipsis Papebrochii verbis reddam: *Quomodo hæc fuerint a Chapeavillio inserta historiæ episcoporum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium, ad deinde revulsa non solum ab impressis exemplaribus, sed etiam ab originali membranaceo codice Leodiensis ecclesiæ, qua deinde via acceperim illius membranæ sic revulsæ et adhuc Divione servatum ecgraphum, nihil attinet fusius explicare.* Ipsum Herigeri textum supposito illi fetui repugnare bene vidit Papebrochius, nostrique ad unum omnes codices luce clarius fraudem illam ob oculos ponunt.

(232) S. Cæciliæ Coloniensis.

(233) Cfr. I, 28; II, procœmium.

esse translatos (234), *ubi hodieque vacuum ejus in maximo honore habetur sepulchrum. At quod vestrates eum* [19] *Evergislum vocant ex aliquo hujus nominis epircopo, cujus mausoleum forsitan ignoratur, ob nominis consonantiam huic nostro Ebergiso hoc attributum esse arbitramur, licet nonnulli hunc eundem* [20] *e: Coloniensem et nostrum uno tempore fuisse contendant* [21], *eundemque cum beato Severino, antecessore ut adjiciunt* [22] *suo, vocum angelicarum in transitu* [23] *beati Martini psallentium auditorem asserant* (235). *Quod si ita esset, idem qui Coloniensibus quartus, nobis vicesimus quartus exstitisset. Sed hoc omnino* [24] *impossibile esse, liquido ex temporum ratione colligitur. In transitu enim beati Martini secundus Archadii et Honorii annus erat, qui est a dominica incarnatione quadringentesimus* [25] *primus. A quo ducenti quinquaginta duo* [26] *usque ad Dagobertum regem* A *computantur* [27], *circa cujus tempora hic noster Ebergisus Trajectensi kathedræ præsidebat. Restat igitur ut dicant, suum Evergislum aut post transitum sancti Martini per eosdem 252 annos usque ad Dagobertum vixisse, ut sic videatur credibile, eundem vestrum et nostrum episcopum esse potuisse uno tempore, quod fidem excedit; aut nobiscum credant eos omnimodo diversos esse, tum quia a tempore diluvii nemo* [28] *200 annis vixisse, tum quia inter beatum Servatium episcopum nostrum, qui contemporalis fuit beato Severino, et inter istum Ebergisum tredecim* (236) *episcopos nobis legamus præfuisse. In tuo igitur, domne archipræsul, pendeat judicio* [29] *utrum hæc quæ nostra sunt, jubeas ignibus dari necne; quamquam hanc materiam utcumque dictatam, uti bene vivendi exemplum esse possit, salvam esse expediet.*

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

1. Proemium opusculi sequentis.
2. Quod Deus omnia in numero et pondere et mensura constituit, et de mysterio crucis.
3. Quod Dominus occidentales partes apostolorum principibus Petro et Paulo [30] dignatus est illustrare.
4. [31] Quando Petrus Romam venerit.
5. Quod Eucharium, Valerium atque Maternum Trevericn [32] miserit.
6. Qualiter beatus Maternus defunctus, per baculum ejus sit resuscitatus.
7. Quod hi tres viri Treberi, Coloniæ, Tungri prædicaverint, et de insigni fonte Tungrensi.
8. Qualiter sanctus Eucharius populum resistentem oratione ligaverit et absolverit.
9. Quod filium viduæ resuscitaverit.
10. Quod revelatum [33] sit cuidam senatori, omnes oportere baptizari [34].
11. De obitu beati Eucharii.
12. De vita et obitu beati Valerii successoris ejus.
13. Quod beatus Maternus tot annis episcopus fuerit [35], quot diebus in sepulchro jacuit.
14. Qualiter eum Eucharius et Valerius de hoc mundo per visum vocaverint.
15. De octo episcopis qui beato Materno in sede Tungrensi successerunt [36].
16. Qualiter in diversis locis orthodoxi viri arrianæ heresi restiterint.
17. De Hunis per totum imperium Romanum diffusis.

B

18. Quod ab inmundis spiritibus et ex magis mulieribus procreati [37] dicantur.
19. Qualiter ductu [38] cervæ insula egressi, primo Gothos, deinde alias gentes, novissime Galliam invaserint.
20. De sancto Servatio.
21. Quod multi sancti viri contemporales illi fuerint, et de multarum urbium eversione.
22. Quod sanctus Servatius Romam adierit, si quo modo orationibus suis valeat Galliam ab Hunis liberare.
23. Qualiter ante tumulum beati Petri per visum de eversione totius Galliæ et de obitu suo sit edoctus.
24. Rediens quid viderit, commisso gregi exponit.

C

25. Oratio ejus et lamentatio clericorum et populi, et de obitu ejus.
26. Quod Huni multas Galliæ urbes cum Tungri subverterunt, quos item [39] Franci a Gallia expulerunt.
27. De sancto Remigio et novem Tungrensibus episcopis.
28. De sancto Domitiano, item Perpetuo et Ebregiso.
29. De sancto Johanne.
30. Quod ei a transmarino quodam prædictum sit, eum Trajectensem episcopum futurum.
31. Quid ad hec ille responderit, quodque baculus ejus terræ fixus floruit, et de episcopatu, vita et obitu ejus.

D

VARIÆ LECTIONES.

[19] cum 1. [20] deest 3. [21] contendunt 1. 2. 3. [22] aiunt *Ch.* [23] transitum 1. [24] *deest Ch.* [25] quadrigentesimus 1. [26] ducentesimus quinquagesimus secundus 1. 2. 3. [27] *ita* 1. 3. *Ch.* computantur, *corr.* computatur 2. [28] legatur *Ch. deest.* 1. 2. 3. *sed videtur supplendum.* [29] arbitrio *Ch.* [30] IIII *numerus inseritur errore quodam in* 1. [31] V. 1. 2. *qui deinceps numeros uno majores habent.* [32] Treberi 2. [33] relatum 1. [34] babtizari 2. [35] fuit 3. [36] successerint 2. [37] *deest* 3. [38] dictu 1. 2. 3. [39] itē 3.

NOTÆ.

(234) At non Ebregisi sed Evergisili archiep. Colon. corpus transferri jussit Bruno, ut testatur Ruotger in vita Brunonis cap. 31.

(235) Gregor. Tur. de miraculis S. Martini I, 4, et de Severino vid. de confess. mar yr. 45.

(236) Undecim tantum si Herigerum audis.

52. De sancto Amando.
53. De serpente orationibus ejus fugato, et quod clericus factus Turonos, hinc Bituricos, tunc Romam, itemque inde Gallias repetierit.
54. Quod episcopus ordinatus multa bona opera fecerit.
55. Quod Gandensem [49] populum converterit, Bavonem recluserit, mortuum suscitaverit.
56. Dagoberti regis filium catezizat [51], Trajectensem episcopatum post triennium dereliquit.
57. Quod contemnentes verbum Dei ex ore ejus ultio divina percussit, cecus ex aqua manibus ejus infusa visum recepit.
58. Insidiatores suos cecitate percussos, itemque cæcam mulierem illuminat, monachum inobedientem paralisi percussum liberavit. Enumeratio virtutum ejus et dormitio.
59. Proemium in vitam beati Remacli.
60. De regno Francorum et Aquitania, unde sanctus Remaclus originem duxit.
61. Quod idem a beato Sulpitio, dehinc sub Elegio educatus, palatii primoribus innotuerit.
62. Quod beato Amando in kathedra Trajectensi A successerit, et qualiter ibi vixerit.
63. Qui sancti viri sub eo coaluerint.
64. Sancto Trudoni adhuc puero quid eum oporteat facere prædicit.
65. Quam alienus fuerit a cupiditate.
66. Quod Sigebertus ex consilio ejus cœnobium primum super Sesmaria [52] fluvium, deinde in Arduenna construxit.
67. De Malmundarii constructione.
68. [53] De Stabulaus constructione.
69. [54] Quod designato sibi successore heremiticam vitam expetierit.
70. [55] Responsio filiorum, ne hoc fieret refragantium.
71. [56] Item excusatio ejusdem sancti viri.
B 72. [57] Quod multi ejus exemplis seculum reliquerunt
73. Quod crescente religione creverunt res ecclesiæ.
74. Exortatio sancti sacerdotis ad fratres instante die vocationis.
75. Obitus ipsius.

EXPLICIUNT CAPITULA.

GESTA PONTIFICUM TUNGRENSIUM SIVE LEODICENSIUM.

PROEMIUM OPUSCULI SEQUENTIS [48].

Omnis antiquitas, ut ait oratorum maximus, *quo propius* [49] *aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse quæ erant vera cernebat* [50] (237); verum angelo Daniheli narrante novimus, quia *pertransibunt plurimi, et multiplex erit sententia* [51] (*Dan.* XII, 4), in antiquis utique vigente ratione, veritatis indagatrice, et perspicatia futurorum, in modernis vero fide credulitatis [52], quam primum pollente cum plurima scientia præteritorum. Illis diuturnitas vitæ, vetustatis obducens callum (238), cognitionem præstitit omnium rerum; nobis econtra,

quod callidus [53] *sanguis, quod* [54] *rerum inscientia* [55] *[versat* [56] (239),

utinam non avolet ob brevem vitam et curam sollicitudinum, antiquorum memorare inventa virorum,

C *Vixere fortes ante Agamemnona*
Multi, sed [57] *inlacrimabiles*
Ignotique urgentur [58] *longa*
Nocte, carent quia vate sacro (240).

Hæc ut credo perpendens, abbatum reverentissime (241), et quia necesse est, quanto juniores, tanto esse perspicatiores: obtulisti libellum de vita tam nostri quam vestri spetialis patroni, domni scilicet Remacli (242), conquestus propter incuriam tamen [59] prædecessorum vestrorum [60] (243) brevius quam ut res expostularet pro magnitudine gestorum ejus esse editam [61]. Simulque visus es, ne [62] dicam precari, sed potius exhortari, ut eam nullo [63] modo

VARIÆ LECTIONES.

[49] Gaudensem 1. [51] cateciza 3. [52] sesmara 2. 3. [53] *deest numerus* 3. [54] XLVIII. 3. [55] XLVIII. 3. [56] *deest numerus* 3. [57] L. 3. *et ita deinceps.* [58] P. libri. 2. [59] proprius 1. 2. 3. [50] cernebat *Sur. Ch.* cernebant. 1. 2. 3. [51] scientia *Surita e corr.* 2. [52] *qui, ut* 1. 3. *legunt*, crudelitatis *habuisse videtur.* [53] callidus *corr.* callus 2. quos at. lidus *Sur Ch.*. [54] quos *Sur. Ch.* [55] inscientia *corr.* inscitia 2. [56] *Recepta lectio est* vexat; versat *occurrit Veneta ed principe Horatii.* [57] *omisit* omnes. [58] Urg. ig, *Bor.* [59] tam B 1. 2. C. [60] *ita* B 1. 2. C. *Sur. Ch.* nostrorum 1. 2. 3. [61] eruditam *Sur.* [62] ut ne *Sur.* [63] nullo *corr.* non 2. *Sur.*

NOTÆ.

(237) Cicero Tuscul. disput. I, 12. Eadem verba recurrunt in Herigeri epistola ad Hugonem, cfr. præfat.
(238) Tusculan. III, 22.
(239) Horat. Ep. I, 3, 33.
(240) Horat. Od. 4. 9, 25.

D (241) Werinfridus Stabulensis; vide præfationem.
(242) Cfr. quæ diximus in præfatione.
(243) Stabulensis est monachus qui primus S. Remacli Vitam scripsit.

examplari [64], verum aliquanto [65] lepidius [66] mandarem polliri [67]; tum quod gestorum illius aliunde sumptorum subpetat copia, tum quod temporum, quorum diversitas nunc maxime scito [68] opus est, ex cartulario vestro non desit notitia. Sed ad hæc dum te cum tuis omnium arcium præsulem esse constaret, illudque Pierium animo occureret :

In silvam ne ligna feras (244)!

et :

In mare quid pisces, quid aquas in flumina [69] *mittis? Suspensam interea librare silentia* [70] *mentem* (245).

cœperant, cum ecce memoriam offendebat, quia vires quas imperitia denegat, karitas ministrat, et quia incepto tantum opus est, cetera res expediet [71]. Igitur adorsus sum, et ut verbis cujusdam sapientis utar et ex illo quantum res poscit [72] tollam, « exhortatione tua, quæ et præsentis honestate propositi et futuræ ætatis utilitate conjuncta est, nihil antiquius [73] existimavi. » Et ne auctoritatem diffugere viderer, ei muneri [74] libentius adquievi. Præsumenti enim auctoritas datur, dum [75] credit præstari posse quod petitur; et parere scire, æqualis est gloria cum imperante. Fecerant idem jamdudum ætate venerabiles Hilduinus abbas in passione sancti Dyonisii (246), Hincmarus archiepiscopus in Vita sancti Remigii (247), et alii quam plurimi in non paucorum compilandis gestis sanctorum. Quibus auctoribus [76] optinere [77] possumus optimis [78], quod in omnibus causis et solet et debet valere plurimum. Nam

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad [*vitam fuit,*

Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet no- [*vi* (248).

Et ne hic labor, qui te adhortante susceptus est, inferacis operis [79] fiat : non ejus modo cujus meminimus, sancti scilicet Remacli, verum cæterorum nostræ sedis pontificum tempora et gesta, quæ undecumque potuere Conradi, ad nostra usque tempora collegi, et cujus potissimum anhelabas desiderio, vitam inde exceptam (249), votis tuis porrexi ; longe quidem mea sententia ab oratoris obtimi [80] (250) excellentia me ratus differre, qui plurima paucis absolvere, pauca plurimis protelare, vel magna extenuare, maxima e minimis efficere, lata anguste, angusta late, vulgata dicenter (251), dicentia [81] intellectualiter, nova usitate, usitata nove, et id [82] genus valeat plurima delibare, cui et a poeta præcipitur :

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge (252).

Nec ut scolares posito themate, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel ille qui intulit, aliquid finximus frivolum, immo nec creperum (253). Quod etsi eloquentissimum quendam dicentem *quod et si hæc*, inquit, *uterque non dixit, tamen in voto habuit et in actu ostendit*, sectari contenderem, nullius utique juditium extimescerem. Verum hæc alias. Misi, inquam, karitati tuæ munus, quod minus [83] quidem efficientiæ securitate, maxime autem susceptum amicitiæ præsumptione. Magna [84] etenim in difficillimi operis cursu [85] amicitiæ [86] contemplatio supplet, et placere multa sæpe rerum copia suppeditat. Unde licet verear nedum imperator [87] muneri [88] par nequeam esse, deficientis culpa in adhortantis [89] cedat injuriam : tamen cum tuam specto benivolentiam, fit omne pronum et facile, et ut ita dicam voluptuarium [90], quod in tuæ jocunditatis impenditur præscriptum. Hoc autem munere impenso sollicitum te reddere cupio ; quia si quid operum tuorum quandoque postulavero [91], injurius mihi fueris, si negabis.

Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti (254).

Set non arrogantur [92] magna, quippe tuis meritis et nostris votis impar ia, quapropter oblatrantis morsus timeo invidiæ, quia in difficili re facile solet livor præjuditium importare.

Denique non omnes eadem mirantur amantque (255). Ergo

Non istic obliquo oculo mea famina quisquis [93]

Limet, non odio obscuro morsuque venenet (256).

Set tu, pater beatissime, mei laboris tuæque adhortationis assertor [94], caveas securum [95] me peractum

VARIÆ LECTIONES.

[64] examplari *corr.* exemplari 2. [65] aliquando *corr.* aliquanto 2. [66] lipidius 1. [67] polliri *corr.* poliri 2. *cujus correctiones ejusmodi non omnes attuli.* [68] scitu *Sur.* [69] flumine 1. 2. 3. [70] silentia *corr.* scientia 1. [71] expediat 3. [72] p. acervo t. *Sur. Ch.* [73] antiqus 1. [74] *ita e. corr.* 2. *qui* numeri *ut* 3 *habuisse videtur.* numerari 1. [75] cum *Sur.* [76] auctoritatibus B 1. [77] *ita corr.* 2. optineri 1. 3. B 1. C. D 1. 1*. [78] oportunis C. [79] *ita corr.* 2. inferaci semper 1. 3. inferaciter fiat *Sur. Ch.* [80] primi *Sur.* [81] *ita* 1. 2. 3. dec. — dec. *Ch.* [82] ut precipit *post add.* 2. [83] *ita Surius ; deest in omnibus codd.* non *corr.* 2. [84] magnas *Sur.* [85] vires *addit Sur.* [86] amiticiæ 1. [87] impato 1. [88] numeri 3. [89] adhortandis 3. [90] voluntarium 3. *Sur.* [91] expostulavero *Sur.* [92] arrogant 2. 3. *Sur.* [93] quisq 2. 3. quisquam *Sur.* [94] afferior 2. 3. *corr.* assertor 2. asserior 1. [95] *ita Sur.* insecurum 1. 2. 3.

NOTÆ.

(244) Horat. Serm. I, 10, 34.
(245) Cf. Claudian. de bell. Get. 457.
(246) Hilduini epistolam ad Ludovicum Pium S. Dionysii passioni præmissam ante oculos habet. Sur. V, 636.
(247) Vita S. Remigii præfat. 7. Act. SS. Oct. I, 132.
(248) Terent. Adelphi V, 4, 1.
(249) i. e. e Vitarum serie selectam, seorsim editam.
(250) Ciceronis locum de Oratore III, 26 ex suo ingenio interpretatur.
(251) i. e. decenter, decentia.
(252) Horat. Ars poetic. 119.
(253) I. e. dubium ; vox apud Festum, Varronem, Lucretium obvia.
(254) Martial. epigramm. V, 60 ad Stellam
(255) Horat. Epp. II, 2, 58.
(256) *Commoda quisquam limat*, etc. sunt verba Horati, Epp. I, 14, 37.

reddat officium, cum tibi pudor amici dignius possit convenire, si displicet [96].

2. [97] *Quod Deus omnia in numero et pondere et mensura constituit, et de mysterio crucis.*

Deus summe bonus, cujus divina ex æterno natura regnat et in æternum sine aliqua mutabilitate perdurat, omnia providens [98] prudenterque disponens, universa in numero et mensura et pondere constituens (257) (*Sapient.* XI, 21), ipsum quoque universitatis mundum sponte sibique tantum conscia voluntate, cum non subsisteret, pulchrum pulcherrimus creavit, ut esset ; non eum ex sua proferens substantia, ne coæternus crederetur, quippe ex propria essentia [99] solum et sibi nota ratione coæternum, per quod omnia formarentur, ex corde eructuaverat verbum. Neque ut idem crearetur mundus molitus est aliunde, ne jam vel in materia, vel in [100] cooperatione altrinsecus esset quod ejus omnipotentissimam voluntatem extra petitis amminiculis, nec satis ad id peragendum sufficientibus, adjuvaret, ac subinde tale quiddam esset quod neque factum ab ipso esset et tamen esset ; non inquam, sed verbo cælos convivificante [101] spiritu volubiles perduxit, et ut pellem omnibus superextendit (*Psal.* CIII, 2), terram vero circumlibrantibus undique elementis in medio omnium collocavit, ita ut cælesti habitatione cælo dignas naturas efficeret, de terra vero terrena componerot (258). Quippe omnium potentissimus, solus summe [102] bonus, solus naturaliter unus, et quod hujusmodi sit solus ut nihil aliud sit nisi bonus, qui [103] [104] omnia de nichilo et ex non subsistentibus nempe solus subsistens creavit valde bona. Quæ quoniam non sunt [105] simplicia — non enim per se prodierunt, nec esse prorsus poterant, nisi ea is, qui solus naturaliter bonus est [106], esse voluisset — ideo quia bonum eorum a summo bono prodiit, eorum quoque esse necesse est bonum sit. Omnia inquam in numero et mensura et pondere suis quæque temporibus proditura constituit, ipsumque universitatis mundum prædiffinita dispositione quadripertitis elementis constantem, quatuor quoque plagarum climate quadravit, dispositissima dispensatione, ut credi datur, jam præsignans, quod hominem, quem creaturus erat et propter quem cuncta visibilia fabricabat, ipsumque quod idem pro nostra assumpturus erat salute humanum corpus, quadrifaria esset soliditate perfecturus, insigneque inde vivificæ crucis, ut esset obstaculum adversus omnium insidias inimicorum, quadrilatera porrectione sancturus. Quod in karitatis omnium virtutum perfectissimæ plenitudine videtur apostolus commendare. *In karitate* inquit *radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas* [107] *et profundum* (259) (*Ephes.* III, 17). [In latitudine [108] scilicet bona opera karitatis, in longitudine perseverantiam perfectionis, in altitudine præmia regni cælestis, in profundo inscrutabilia signans judicia omnipotentis, huicque intellectui coaptans mysterium salutiferæ crucis (260).] Quod in eo [109] auctor redemptionis nostræ voluit sponte subire, ut passis palmis in cruce, reliquoque distentus corpore, ipsa membrorum positione omnia ad se credatur traxisse. [In latitudine, quo per transversum extenduntur manus, propter bonorum operum secundum karitatem exhibitionem. In longitudine quoquo propter totius corporis crucifixionem,] voluntatem in exibitione karitatis longanimem, borealem suæ agnitioni plagam missis cultoribus addixit pariter et australem. [In altitudine, quo caput voluit eminere, propter supernorum [110] promissorum expectationem,] orientalem multis accensis prædicantium luminaribus irradiari voluit partem. [In profundum [111] autem, quo sub pedibus pars crucis in abscondito terræ defixa latuit, propter occultam hominum ex Dei voluntate vocationem,] plagam suæ voluntati mancipare dignatus est occidentalem. Nec frustra illuc misericordissimum spetialius deflexit intuitum, *non enim qui sani sunt egent medico. Venitque vocare peccatores ad pœnitentiam, non justos* (*Luc.* V, 31). Orientalibus etenim quibusdam [112] nomen Domini timentibus sol justiciæ quodammodo videbatur exortus, cum occidentales tenebris semper obtecti ignorantiæ, delegissent eatenus creaturæ potius quam creatori deservire [113]

3. [114] *Quod Dominus occidentales partes apostoli Petro et Paulo dignatus est illustrare.*

Non inquam frustra occiduis partibus pendens in cruce spetialius benignissimum dignatus est obtutum intendere, quas voluit tantis doctoribus, Petro

VARIÆ LECTIONES.

[96] Vale *addit Sur. ; sequuntur apud eundem hi versus :*

Quod nec vota pati nec fingere somnia possunt,
Gaudens semper habe : gaudent præ nomine molles
Auriculæ : tibi me virtus tua fecit amicum. Iterum vale.

[97] *deest* 1. 2. 3. [98] provide *Ch.* [99] substantia *Ch.* [100] *deest* 3. [101] cum vivificante 1. [102] us 2. 3. *e corr.* 2. e *Ch.* [103] [104] *erasum* 2. [105] *deest* 1. [106] *deest* 3. [107] *deest Ch.* [108] Latitudo 1. 2. [109] ideo *Ch.* [110] superiorum *Ch.* [111] *corr.* profundo 2. [112] *deest Ch.* [113] deservisse *Ch.* [114] *Numeri desunt in* 3.

NOTÆ.

(257) Haud aliter Augustinus in libro de Genesi ed. Venet. III, 1 p. 168.

(258) Augustin. l. l. p. 138.

(259) Augustin. ad Honoratum ed. Venet. II, 116.

(260) Allegoricam crucis interpretationem quam Augustinus adamat e. g. Enarrat. in Psalm. 103. Opp. IV, 1140, Serm. 53, 166. Opp. V, 317, 798, hoc loco ex epistola ad Paulinum de videndo Deo Opp. II, 486 sibi delibavit auctor. In libello de laudibus crucis, quem Hrabanus Maurus argutius quam verius conscripsit, talia, quod putare possis, non occurrunt

videlicet cum Paulo apostolorum principibus, ut gentilis lampadibus illustrare. Qui post plura virtutum et documentorum insignia diversis linguis et nationibus mirabiliter præbita, Paulus quidem qui plus omnibus laboravit (*I Corinth.* xv, 10), ab Jerusalem usque Illiricum Christi prædicans evangelium, tandem biennio ante victoriosissimæ mortis triumphum Romanæ arci contra Neronem et Symonem magum Petro intulit se [118] socium. Petrus autem et ipse quibusdam æcclesiis, deinde Antiocena [119] bene fundata æcclesia, pluribus jam ante annis eandem urbem, totius orbis primatum sibi defendentem, suo salutifero illustraverat adventu. Quorum qui fuerit exitus agonis [117], satis est textus eorum triumphalissimæ [118] passionis (261). Hoc tantum suffecerit nescientibus memorasse, per biennium ante consummationem eos in commune cum Symone mago conflictavisse postque detectionem et dejectionem magi, ab Agrippa et Nerone alterum crucis confixione, alterum gladio [119], neci simul addictos fuisse; et Petrum [120] quidem in præsenti mortem [121] occubuisse; Pauli vero tropheum, occupato in aliis Nerone, a militibus quibus traditus fuerat, quosque continuo [122] converterat, in annum quidem, sed in eandem diem dilatum esse, quod ipse videtur in epistola a Roma ad Timotheum scripta significare. *Et audiant*, inquit, *omnes gentes, quia liberatus sum de ore leonis* (*II Tim.* iv, 17), Neronem significans. Quod et satis testantur diversæ multorum tam Græcorum quam orientalium episcoporum epistolæ ad diversos scriptæ, sicut in historiis æcclesiasticis quilibet potest invenire. Sed et Arator Romanæ subdiaconus æcclesiæ in libro apostolorum actuum ita confirmat:

Non eadem tamen una dies annique voluto
Tempore sacravit repetitam passio lucem (262).

Et nobilissimus Hyspaniarum scolasticus prodit [123] Prudentius:

Unus utrumque dies pleno tamen innovatus anno
Vidit superba morte laureatum (263).

Sed ut ad quod animum ut [124] duximus articulum inflectamus, paululum prætermissa ad memoriam revocemus.

4. *Quando Petrus Romam venerit.*

Annus erat Claudii cesaris secundus, qui erat a passione dominica undecimus, cum Petrus, caput Antiochiam pro se ordinato Evodio, venit Romam, ubi per 25 annos Christum annuntians, id est usque ad annum Neronis 13 (264) et a Domini passione 36 (Cfr. Euseb. *Chron.*; Hieron., *De viris ill.*), animadvertit [125] suam per se prædicationem ad præoccupandam omnem occidentalem plagam, suo apostolatui spetialiter destinatam, non posse sufficere. In magna enim urbe et tocius orbis principe, quia maximus undique circumfluentium gentium erat incursus, maximus totius idolatriæ vigebat cultus, et quia tam [126] Symonis magi, quam multorum philosophorum et maxime Judeorum legem Moysi semper defendentium obviandum sibi sciebat erroribus, delectis bonis vineæ Christi cultoribus [127], misit qui offitium tantæ legationis explerent in omnibus et Italiæ et Galliæ finibus. Ex quibus Marcum secundo ingressionis suæ anno, cum evangelio a se quidem dictato, ab eodem vero conscripto, ad Aquileiam et alias quamplures Italiæ urbes, novissime autem ad Alexandriam et Egyptum direxit. Aliis Galliarum partibus prædicatores idoneos et testes Christi veridicos misit, quos hic, quia alias festinare contendit, singillatim nominare nostra intentio nequaquam admittit (*Cfr.* Rufin. II, 16). Ad [128] Galliam itaque, quæ comata dicitur, Mediomatricum urbi beatum Clementem direxerat episcopum, non eum autem qui quartus ab ipso Romanæ sedis administravit pontificatum, quique postea cum aliis multis veritatis assertoribus [129] ad Galliam brachatam Parisiorum Luteciæ urbi sanctum misit Dionisium.

5. *Quoa Eucharium, Valerium atque Maternum Treverim miserit.*

Sub ipso enim tempore beatus Petrus ad metropolim Trebirorum [130] scilicet civitatem ternos destinaverat Trinitatis unicæ astipulatores, in unitate fidei, corde et animo pariter et virtute concordes, Eucharium videlicet, Valerium atque Maternum (265) (*Vita Euch., Val., Met.*, 2). [Et Eucharium quidem pontificatus, Valerium vero diaconatus, Maternum autem subdiaconatus donavit honore,] et data eis apostolica benedictione: *Videtis* [131], inquit, *fratres et commilitones, quanta est messis dominicæ sationis, quamque multis indigeat operariis. Quia igitur omni-*

VARIÆ LECTIONES.

[118] se int. 3. [119] Antiochena 2. [117] *deest Ch.* [118] gloriosissimæ *Ch.* [119] capitis detruncatione *Ch.* [120] *Quæ sequuntur verba usque* Sed ut ad quod etc. *omnia desiderantur apud Ch.* [121] *morte* 2. 3. [122] continuo *corr.* continuo 2. [123] pd 1. *deest* 2. 3. [124] *erasum* 2. [125] adnimadvertit *e corr. ut videtur* 3. [126] *deest* 1. [127] *corr.* dejectos bonos—cultores 2. dejectis b. c. 3. [128] At *corr.* Ad 1. 2. [129] assertionibus 3. [130] Trevirorum 3. [131] videns 3. *corr.* videtis 2.

NOTÆ.

(261) Cfr. præfatio.

(262) Sunt ultimi versus historiæ apostolicæ Bibioth. max. Patrum X, 141.

(263) Liber Peristephanon hymn. XII, 5, 6.

(264) 14. apud Eusebium.

(265) Eadem fere auctor in Vita sua metrica S. Ursmari his versibus inclusit. Cfr. Mabillon. Act. SS. sæc. III, 2, p. 608:

Et Clemens Mediomatricum missus ad urbem
Edocet in solum vicinos credere Christum.
Treveribus terni mittuntur corde fideli,
Trinum personis Dominum deitate, sed unum
Credere qui doceant populum lavacro renovandum,
Scilicet Eucharius, Maternus, Valeriusque.

Cfr. præfat.

bus catholici a me dogmatis [133] *sanctionibus sufficienter edocti ac christiana admodum religione estis roborati, ite, in nomine Domini partes occiduas aggredimini, et ut boni milites Christi præliamini bella Domini Dei nostri. Murum validissimum infidelitatis, quo totius Galliæ vallatur populus ac Germaniæ, divini spiculo verbi perfodite, ariete fidei dominicæ propugnate. Potestas quoque a Domino Jesu Christo nobis collata in ligandi et solvendi auctoritate vobis semper assit, comitante* [134] *et nostra oratione cum nostri apostolatus sorte.* Tali itaque dotatam benedictione hanc societatem fraternitatis absolvit abire. Qui urbe Roma egressi peregrinatione suscepta felici, circumcirca incunctanter nomen prædicabant Domini Jesu Christi; cum vix paucorum evascrant iter dierum et tanti sodalitii [135] perpessi sunt dispendium.

6. *Qualiter beatus Maternus defunctus per baculum ejus resuscitatus fuerit.*

[Nam cum in quoddam castellum nomine Elegia (266) pervenissent, ibique aliquantum [136] temporis commorantes, omnes ad credulitatem instanter incitarent, sanctus Maternus a febre valida interceptus, humanis subito exemptus est rebus.] (*Vita E., V., M.*, 3.) Hinc [136] diabolus auxit lætitiam, quod Christus providit ad gloriam. Reliqui dolore insperato perculsi sed de Dei pietate non dubii, cadaver decernunt non insepultum relinqui, viaque qua venerant remensa, ad beatum Petrum quantotius reverti. Cumque [137] adessent inprovisi, suspiriis ab imo cordis tractis anheli : *Ecce*, inquiunt, *Domine, quem collegam et cooperatorem dignatus es dare, extremo vitæ per omnia functus humanæ, comitatu vitæ susceptæ incepto nos quoque frustratus est opere.* At apostolus benigne eos consolatus [138], *Recertimini*, inquit, *quantotius, et vobiscum nostri tollite petalum pontificatus, nec* [139] *de Dei pietate et nostra auctoritate diffisi, super defuncti ponite corpus simul imperantes ut protinus surgat, iterque cœptum comitans, opus evangelistæ* [140] *faciat, mynisterium* [141] *injunctum expleat. En, inquam, baculus pontificalis patrator efficacissimus signorum, locius virtutis solamen et alleviatio* [142] *vestri laboris. Sicut fuit Dominus semper mecum in omnibus, ita votis vestris ubique assit propitius.* Hac apostolica consolatione iterum animati, tandem quadragesimo postquam inde [143] dimoverant die, sine cunctatione [144] ad corpus regressi sunt defuncti, et egesto terra tanto thesauro, ut veritatis dominicæ promissa firmarentur, *qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet et majora horum faciet* (*Joan.* XV, 12), et ut eorum mentes ad signa patranda corroborarentur, quorum [145] pedes ad evangelizandum pacem dirigebantur, cujus umbra sanaverat omne genus morborum, ejus baculus a morte beatum revocavit Maternum (267). Qua visa virtute roborati, quid putas super recepto sodali animis eorum accumulatum [146] est gaudii? Quanta super profunditate inscrutabilium judiciorum Dei superque potentia divinitatis ejus inenarrabili? Quæque apud superos [147] viderat et si omnia lingua humana promere non licebat, conferendo et itineris conviantium laborem leviabat, et ad Christi magnalia prædicanda mentes collegarum amplius animabat (*Vita E., V., M.*, 5). [Incolæ autem ejus loci laudes immensas in cœlum extulerunt, et multi paganorum baptismi [148] gratiam indepti unitati fidei se conjunxerunt. Et [149] mortis illius occasio multorum fuit ad vitam rèsurrectio. In quo loco postea christiani æcclesiam construxerunt, eique ex eo quod ibi acciderat nomen Resurrectionis imposuerunt (*c.* 6). Illi vero postquam multos ad fidem Christi imbuerunt, et jam [150] ad alia loca tempus transmigrandi videntes, valedicentes fratribus per Galliam et quocumque transibant verbi divini spargentes sementem, tandem pervenerunt ad antiquissimam Trebirorum,] trium civitatum metropoleos, urbem. Quarum medianam matremque, Mediomatricum scilicet civitatem, — quam Romani, qui [151] bene quicquit uspiam gentium erat suo subsiderant imperio, ob memoriam Mettii Fefecei Albanorum regis, Mettim [152] vocaverant, sicut et ob memoriam Tulli, Romanorum tercii regis [153] eidem contemporalis (268), et primo quidem sibi fœderati, sed post ob rutum fœdus male multati,

VARIÆ LECTIONES.

[133] dochmatis 2. [134] commitante *corr.* comitante 2. 1. [135] *Verba* alquantum — incitarent *desunt apud Ch.* [136] Hinc — gloriam *desunt Ch.* [137] *Verborum loco* cumque — opere *leguntur apud Ch. hæc* infortunium quod acciderat nunciantes. [138] consolatos 1. 2. consolans *e corr.* 3. [139] nec — diffisi *desunt Ch.* [140] euangelistæ 2. 3. *et sic deinceps.* [141] mysterium *eadem manu corr.* mynisterium 2. *ita quoque* 1. [142] alleuiatio 1. alleuato *corr.* allevatio 2. [143] *deest* 3. [144] contatione 3. [145] quorum—dirigebantur *desunt ap. Ch.* [146] accu : mulatum 2. [147] supernos *corr.* superos 1. [148] babtismi 2. [149] Et — resurrectio *desunt* 3. [150] et jam — videntes *desunt Ch.* [151] qui — imperio, *dein* eidem — multati *desunt ap. Ch.* [152] metum 3. *corr. ut videtur* mettim 2. [153] r. t. 3.

NOTÆ.

(266) *Locus quidam in Elisatio pago nomen habens Eleg a.* Epist. Herigeri ad Hugonem, cfr. præfat. Hodie villa Ell, ad rivum Ill, inter Kogenheim et Ernstein, e regione oppidi Benfeld. Vide Calmet Hist. de Lorr. I, p. 3; Laguille Hist. d'Als., p. 47. Idem occurrit locus apud geographum Ravennatem his verbis : *Civitas quæ dicitur Alaia juxta civitatem Stratisburgo.* Alege appellatur in bulla Leonis IX papæ Grandidier I, p. 261, et in litteris Friderici episcopi Argentoratensis a. 1387 hæc leguntur verba quæ attulit Grandidier I, 14 : *In quo quidem loco Elley multi christiani de diversis regionibus ad beatissimum patrem nostrum S. Maternum per totum anni curriculum confluunt.*

(267) Eamdem fabellam postea repetiverunt Otto Frisingensis in Chronico III, 15, Petrus Cluniacensis in libello contra Petrobrusianos in max. Biblioth. Patrum XXII, 1074.

(268) Cfr. gesta epp. Mettensium ap. Dachery II, 224

Leuchum Aulercorum populosam civitatem Tullum dominaverant. — Metensem inquam urbem quidam divini jubaris jam irradiaverat spiculus, beatus videlicet Clemens a beato Petro eidem urbi jam ante præmissus. Qui dum primo illuc adventasset et sub theatrales arenas, quia aliud non habuerat hospicium accepisset, ædesiam sub beati Petri nomine [154], parvulam ibi dedicavit, in qua multos scenicis maxime ludis et lupanaribus deditos ad Christum convertit (269).

A

7. [155] *Quod illi tres viri tribus civitatibus prædicaverint, et de insigni fonte.*

Quoniam igitur ut dictum est quidam veri solis eam quæ Treberibus vicina est jam penetraverat radius, ea neglecta jam dicti [156] tres viri Trevirorum civitatem ingressi, ut ubique Trinitas quæ ab eis prædicabatur, sub unius veri Dei cultu innotesceret vere, sub unius ipsorum trium pontificatu alias sibi duas contiguas civitates addidere, Agrippinam [157] cognomento Coloniam et Tungros. Cujus Plinius Secundus, qui temporibus Trajani augusti quadringentis et eo amplius ante ejus subversionem annis claruit, in naturali historia, libro scilicet de naturis aquarum, mentionem facit in hæc verba : *Tungris* (270) *civitas Galliæ fontem habet insignem, pluribus bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorum vitio* (271) *adest; aqua igni admota turbida est, ac postremo rubescit.* Et octaviam eam ob honorem Octaviani [158] Augusti vel matris ejus, sororis Julii Cæsaris, qui primus Galliam Romano subegit imperio et Germaniam, ferunt (272) fuisse [159] nominatam. In quibus civitatibus ut [160] boni veræ vineæ Christi agricolæ [161] jam dicti tres viri semina verbi serentes divini, comitante [162] sibi omnium gratia virtutum, per eum quem semper secum beati Petri ferebant bacillum [163], multos ad Dei vivi cultum revocabant, abjecta idolorum cultura. Flectebatur leni Christi jugo ferocitas Callorum, curvabatur imperio fidei cervicositas Germanorum. Et Gallicanus, teste beato Iheronimo, coturnus, *qui monstra non habuit, sed viris semper* [164] *fortibus et eloquentissimis habundavit* (273), piscatorum discipulis et magisterio favorabiliter corda submittit. Lætabatur a patre [165] hereditas Christi, quia portio cotidie minorata [166] lugebat diaboli.

B

C

D

8. *Qualiter sanctus Eucharius populum resistentem orationibus ligaverit et absolverit.*

[Cumque [167] sanctus Eucharius per singulos dies populum admoneret ut idola vana colere cessarent et ad Deum verum creatorem cœli ac terræ se converterent, illique nullo modo verbis ejus adquievissent, quodam die cum sociis urbem ingressus est, eundem sermonem ad populum habiturus (*Vita E., V., M.* 6). Quapropter [168] pontifices capitolii zelo contra eos accensi, maximam partem populi adversus eos concitaverunt, et expellentes eos extra civitatem lapidibus obruere voluerunt. Quod videns beatus Eucharius (*Vita E., V., M.* c. 7), ad arma orationis se cum suis convertit, obsecrans videlicet cum lacrimis omnipotentis Dei clementiam, ut et illis [169] contra incredulos pium præberet auxilium et insanis infidelium turbis ad cognoscendam fidei veritatem capabilem aperiret sensum. Inter hæc omnis illa sevientium turba mirum in modum ita cœlitus obligata est, ut [170] alii ex eis [171] incassum jactui innitentes, brachiis extentis [172] inflexibiles starent, alii nichilominus pro colligendis lapidibus deorsum inclinati, terræ pronis cervicibus inhærerent, et [173] omnes secundum uniuscujusque [174] motum corporis immobiles et obstinati perdurarent. Dumque hoc fere per unius horæ spatium ageretur, et cuncti per varios modos nexibus superni numinis astricti tenerentur, cœperunt omnes jam nimio dolore fatigati absolutionem suorum membrorum humiliter petere, seque crediturus si absolverentur clamare. Tunc sanctus Eucharius iterum orationem ad Dominum fundens, omnem illam rebellantium multitudinem a vinculo doloris absolvit, et ad priorem statum reddita sanitate restauravit (*c.* 8). Hoc viso miraculo, omnes pariter se ad pedes sanctorum provolventes, rogabant ut eis viam salutis ostendere non differrent, sed quid illis pro eorum recuperatione agendum, quidve vitandum esset citius insinuarent.

9. *Quod filium Albanæ viduæ resuscitaverit.*

Prædicante sancto Eucharios, conpuncti sunt corde, ac [175] se numquam talia audisse vel comperisse testati sunt (*c.* 13). Affuit etiam huic salutiferæ ammonitioni divinæ virtutis confirmatio, et eam mox subsecuta est stupendi miraculi attestatio. Nam fuit in eodem spectaculo quædam vidua nomine Albana, genere præclara, rebus opulentissima, quæ a famulis illuc cum festinatione currentibus triste accepit

VARIÆ LECTIONES.

[154] Nomine Petri. [155] *deest numerus etiam* 1. 2. [156] *deest initium apud Ch.* [157] Agrippinam *corr. ut videtur* Agripinam. [158] octoviani 3. [159] *deest* 3. [160] ut — agricolæ *et* comitante — bacillum *desunt ap. Ch.* [161] septem 1. [162] *corr.* apte 2. [163] *ita corr.* 2. imminorata 1. 3. [164] Cumque. — Quapropter *desunt apud Ch.; sequentia paulo aliter leguntur.* [165] *immo* sibi *ut habet vita E. V. M.* [166] et 3. *superscr.* ut 1. 2. [167] nexeis 1. 3. *corr.* ex eis 2. *Ch. ita vita E. V. M.* [168] extensis 3. [169] et — perdurarent *desunt Ch.* [170] rei *addunt* 1. 2. 3. *erasum* 2. *deest in vita E. V. M.* [171] ac — sunt *desunt Ch.*

NOTÆ.

(269) Vid. Pauli Diac. gest. ep. Mettens.

(270) Plinii nat. Hist. XXXI, 8.

(271) *Calculorumque vitia : eadem aqua igne admota* etc., sunt verba Plinii

(272) *Octavia quæ Tungris est vocata* legitur in Vita S. Lupi poster., c. 33, Act. SS. Jul. VII, 77.

(273) Hieronym. contra Vigilantium Opp., ed. Vallarsi II, 387.

nuncium, videlicet unicum filium suum, quem domi reliquerat infirmum, redeunte ad vitalia dolore esse mortuum [172]. Quod illa audiens, misit se statim cum lacrimis ad pedes sancti Eucharii dicens : *Obsecro* [173] *te, renovator nostræ urbis et illuminator totius gentis, ut mei miseræ jam bis orbatæ misereris, et viscera pietatis super me infelicissimam habere digneris. Nuper enim marito sum viduata, et heu ! hodie miserabiliter unici filii morte sum destituta. Quod si eum resuscitaveris, scias me certissime post hæc præceptis tuis libentissime obedire et cum ipso meo filio ac tota familia in Christum tuum credere* [174], His gemitibus motus beatus Eucharius ibat cum illa, et pro tanti miraculi novitate, cum eo turba copiosa. Cum vero illuc pervenisset, assumptis secum beatis Valerio et Materno, domum introivit, populo extra fores exspectante eventum rei. Et prius quidem flectens genua, in orationem se dedit, et [175] ab oratione surgens, ad corpus exanime accessit, tenensque manum ejus cum fiducia dixit : *Dico tibi, juvenis, ut in nomine Jesu Christi qui unicum filium viduæ sua virtute resuscitavit, tu quoque ad præsentem lucem redeas, et deinceps relicto demonum errore, creatorem tuum recta fide recognoscas.* Qui, redeunte anima, statim surrexit, et nondum fide imbutus, Deo gratias agere cœpit. Quem assumens sanctus Eucharius, secum extra domum duxit, et coram omni populo virum et totius infirmitatis expertem matri reconsignavit. Tunc omnes qui aderant magnis vocibus cœperunt clamare dicentes : *Vere magnus et potentissimus Deus Christianorum esse probatur, quia talia signa et mirabilia per famulos suos operatur.* Eadem die baptizata est [176] Albana cum filio ac tota familia, et de populo turba non modica. Domus vero ejus non post multos dies a sancto Eucherio est æcclesia consecrata.

10. *Quod revelatum sit cuidam senatori omnes oportere baptizari.*

Post hæc quidam nobilis ejusdem urbis senator vidit somnium ad salutem cunctorum [177] civium profuturum (*c.* 14). Quadam autem [178] nocte aspexit per somnium virum quemdam coram se stantem, vultu elegantem [179], splendidissimis vestibus corruscantem, crucemque miræ [180] estimationis in manu ferentem ac sibi dicentem : *Isti viri, qui huc venerunt, servi Dei sunt excelsi, et propter vestram salutem huc destinati. Et ideo si mortem evadere et ad vitam æternam vultis pervenire, omnia quæ vobis dixerint facite, et præceptis illorum cum omni devotione obedite.* Et hæc dicens, ab oculis ejus sublatus est. Facto autem mane convocatis civibus narravit per ordinem quæ [180] per somnium viderat, quæque audierat. Qua revelatione freti, cœperunt certatim ad sanctos Dei currere et sacri baptismatis [180] undam sicienter expetere [181]. Tantaque fuit per tres dies ad illos concursio, ut in flumine quod per mediam civitatem currit eos baptizarent, nec eorum aliter obpressionem ferre sufficerent, unde et accidisse creditur, ut ex eo tempore ipse rivulus ob infusionem sancti olei derivative Olevia [182] nuncupetur. Interim civitas a pollutione idolorum mundatur, error superstitiosus abjicitur, destruuntur demonum aræ, fabricantur per loca Christi æcclesiæ, personat per urbem late tuba salutaris, omnesque invitat ac pulsat ad gratiam credulitatis, armisque fidei contra spiritualium hostium insidias [183] undique munitur, ymnusque novus in ea publice canitur, et quæ antea creatorem suum non cognoscendo [184] erat adultera, ipsa se per fidem convertendo facta est Christi sacratissima sponsa. Interim (*c.* 16) per universas circumquaque regiones verbum vitæ prædicabant, et tam sermone quam virtutibus longe lateque pollebant, nam cecos illuminabant, debiles restaurabant, mortuos suscitabant, demones fugabant et omnes languores curabant.

11. *De obitu beati Eucharii.*

Cumque beatus Eucharius per 23 annos pontificatum Trebericæ urbis teneret et æcclesiasticas res bene firmatas atque fundatas haberet [185]; ipseque jam provectæ esset ætatis (*c.* 16); quadam nocte astitit ei angelus [186] dicens : *Euchari, fideliter in mandatis Domini laborasti, viriliter in agone præsentis vitæ certasti ; veni jam in requiem tibi promissam, et accipe certaminis tui incorruptibilem coronam.* His per visionem compertis, sanctus Eucharius valde gaudebat, et tempus ejus dissolutionis intrepidus expectabat. Cum vero diem exitus sui sibi instare prænosceret [186] convocatis ad se discipulis ait : *Scio, fratres karissimi, me de hoc sæculo citius migraturum atque debitum humanæ conditionis expleturum, et ideo vos rogo ut fidem firmam, spem inconcussam* [187], *karitatem veram inter vos* [188] *habeatis, et nequaquam deinceps diabolicis erroribus consentiatis. Quod de me terrenum est, terræ commendate, et quod spirituale, spiritualibus quoque exsequiis procurate* (*c.* 17). Ad beatum vero Valerium dixit : *Commendo tibi, frater karissime, sponsam Christi, æcclesiam videlicet* [189] *ejus, quam in istis regionibus ipsius virtute adquisivi* [189], *ut illam caste custodias et nullis eam errorum deceptionibus in diebus tuis pollui sinas. Mensuram evangelicæ familiæ* [190] *largiter eroga, commissa tibi talenta in eis fideliter multiplica, ut cum* [191] *judex rationem ponere cum servis suis advenerit, non ut servus nequam et de-*

VARIÆ LECTIONES.

[172] subita morte defunctum *Ch.* [173] Obsecro — credere *desiderantur apud Ch.* [174] *deest* 1. [175] *deest* 1. *ab eadem manu superscr.* 2. [176] multorum 3, *ita vit E. V. M.* [177] *corr.* enim 2. [178] eligantem 1. 2. *corr.* elegantem 2. [179] *deest* 1. *post ad.* 2. [180] quæ — expetere *partim desunt, partim mutata apud Ch.* [181] baptysmatis 2. [182] *deest.* 3. [183] nequitias *Ch.* [184] fugiendo *Ch.* [185] strennue administrasset *Ch.* [186] *paucis exceptis desunt ap. Ch.* [187] incussam 1. [188] *deest.* 1. *superscr.* 2. [189] videlicet — adquisivi *desunt Ch.* [190] pabuli spiritualis *Ch.* [191] dum *vit E. V. M.*

sidiosus pro infossis talentis puniaris, sed potius pro duplicitatis thesauris ad gaudium Domini tui feliciter introducaris. Hæc dicente sancto Eucharío, subito cunctis qui aderant cernentibus, lux clara velud fulgur emicuit, ac pene per unius horæ spacium totam cellulam ejus circumfulsit. At ille valedicens fratribus, repressisque reverenter oculis, reliquit hoc triste seculum, et cum ipsa luce 5 [198] Idus Decembris letus migravit ad Christum (*c.* 17). Tunc discipuli pro ejus exitu sacras exequias celebraverunt, et corpus ejus in æcclesia, quæ est extra mœnia civitatis ad meridianam plagam sita, cum ymnis et piis lacrimis sepulturæ tradiderunt.

12. *De vita et obitu beati Valerii successoris ejus.*

Post cujus venerabilem obitum beatus Valerius in ministerium sacerdotale [199] successit (*c.* 18), illudque [200] per quindecim annos sancte vivendo et verbum vitæ prædicando probatissime rexit, in quo videlicet temporis spacio [201] multos ad Dominum populos, signa magna et stupenda prodigia exercendo convertit, et [202] ad agnitionem catholicæ fidei saluberrima instigatione perduxit [203]. Qui etiam studiosissime verbo prædicationis instabat, ut jam tunc pene per Galliam ac Germaniam christiani [204] paganos et numero superarent et religione. Erat namque doctrina ejus singulis congrua, cunctisque audientibus dulcis et gratissima, unde et ob mellifluam [205] sermonum ejus facundiam undique ad eum populi confluebant, et saltem aliquod [206] verbum ex ore ejus audire cupiebant (*c.* 19). Quantum vero ad proprios mores pertinuit, ut breviter narrem, fuit cogitatione mundissimus, verbo utilis et discretus, operatione nichilominus inreprehensibilis ac præcipuus [207], ac sic per activam vitam singulis compassione extitit proximus, ut tamen præ cæteris contemplatione esset suspensus [208]. Et in hac contemplatione positus, non deserebat fraternam condescensionem vitæ actualis, nec etiam in actione submissus, recedebat a sublimitate [209] contemplationis, quique salutaria monita sui magistri recto tramite sequens, evangelicum triticum dominicæ familiæ fideliter dispensavit, et credita sibi talenta spiritualibus augmentis multiplicavit. Cum vero perfectuum [210] gradibus usque ad venerabiles canos pervenisset et jam consommatio sui cursus appropinquaret (*c.* 20), quadam nocte apparuit ei beatus Eucharius per visionem dicens [211]: *Tempus jam instat, frater Valeri, resolutionis tuæ, et parata sunt tibi gaudia retributionis æternæ. Patet enim tibi janua cælestis regni, quam post hanc horam quinto die gratulabundus ingredieris, et de concessis Domini tui beneficiis sine fine lætaberis; quapropter Maternum agonis nostri cooperatorem [212] tui officii successorem constitue, illumque de visitatione nostra ante diem sui exitus certissimum redde.* Et hæc dicens recessit. Evigilans autem sanctus Valerius, mox visum somnium beato Materno cæterisque fratribus qui præsto erant narravit, et eis diem obitus sui lætissimo vultu instare prædixit [213]. Sequenti vero [214] die venerabilem Maternum ad sacerdotalem gradum provexit, et eum de studio commissi ministerii diligenter instruxit (*c.* 21). Cumque per prædictum spacium ob famam depositionis ejus advenientes fideles verbo salutiferæ ammonitionis de exercitio [215] sanctæ conversationis instanter instrueret, et eos ad salutem animarum suarum dulciflua exhortatione paternisque visceribus incitaret, illucescente jam quinto die oratorium ingressus, viaticum quod ipse consecraverat accepit, et post hæc extensis [216] inter discipulorum manus sacris membris 4 Kal. Februarii spiritum cælo reddidit. Cujus corpus colligentes discipuli, sacratissimo corpori sancti Eucharii coaptaverunt, et in eodem sarcofago divinis laudibus condiderunt, quod [217] superna dispositione actum esse credimus, ut quorum una semper mens [218] in Domino erat, eorum quoque corpora nec sepulchrum ab invicem separaret.

13. *Quod beatus Maternus tot annis episcopus fuerit, quot diebus in sepulchro jacuit.*

(*An.* 314.) Deinde beatus Maternus pontificalem suscipiens apicem (274) (*c.* 22), cœpit per civitates et regiones veram fidem quæ est in Christo constanter prædicare, cunctos ad viam salutis assidua ammonitione provocare, magnis virtutibus crescere, signis et miraculis longe lateque clarescere, quanto cotidianis incrementis fidelium multitudinem plus augeri conspexerat, tanto diligentius injunctum ministerium regulariter ordinare studebat. Hic [219] etenim quamvis esset vir magnæ auctoritatis et prudentiæ, nichil tamen ex proprio imperio quamsi [220] libera utens potestate exercuit, sed omnia humiliter atque simpiciter egit, communemque se subditis studio sanctæ dilectionis exhibuit;

VARIÆ LECTIONES.

[198] 6. *vit E. V. M.* [199] sacerdotalem 3. *corr.* sacerdotale 2. [200] illutque *corr.* illudque 2. [201] *corr.* 1. *e.* sp. temp. [202] *desunt Ch.* [203] xpī 1. 3. *corr.* xpiāni 2. [204] mollifluam *corr.* mellifluam 2. [205] aliquot 1, [206] *corr.* 1, *e.* præcipius. [207] intentus *Ch.* [208] c. s. 3. *longe aliter Ch.* [209] *corr.* profectuum 2. [210] *desunt ap. Ch.* [211] cooperationem 2. [212] die vero 2. [213] exerticio 1. [214] *ita vita E. V. M. deest* 1. 2. 3 [215] *reliqua desunt Ch.* [216] semper mens *corr.* 1 *pro* m. s.; mens *superscr.* 2. *deest.* 3. [217] *desunt Ch.*

NOTÆ.

(274) Maternum quemdam revera a 214 Coloniensi Ecclesiæ præfuisse docent Optanus Milevitanus in libro de schismate Donatistarum I, 23, et Constantinus in epist. apud Euseb. X, 5. Interfuit concilio Arelatensi. Mansi II, 475. Cfr. Perieri disquisitio de prædicato primum Evangelio in Belgica Act. SS. S pt. IV, 334 sqq.

in omnibus etiam quæ probabiliter gesserat non suam sed Christi gloriam quæsivit. Quique[813] inter cætera sanctarum virtutum exercitia[813] mitissimus insistens[813] consolabatur afflictos, pavit ex his quæ habebantur egenos, vestivit nudos, redemit captivos, suscepit peregrinos, errantibus viam solutis misericorditer ostendit, desperatis spem veniæ consequendæ clementer promisit, currentes viam mandatorum Dei semper ad anteriora[814] impulit, in[813] eadem romorantes verbo exhortationis instigavit[813], et modo docendo, modo exhortando, modo sustinendo, modo in[813] periculis se objiciendo, omnibus indesinenter pio solamine occurrit (*c.* 23). His ergo atque aliis hujusmodi bonorum operum studiis fultus, ad sanctam et laudabilem senectutem pervenit et sicut quadraginta dies jacuit in sepulchro, ita etiam totidem annos mansit in sacerdotali ministerio.

14. *Qualiter eum Eucharius et Valerius de hoc mundo per visum vocaverint.*

Is itaque solitus erat per nocturnam quietem locum ubi corpora sanctorum requiescunt silenter frequentare et ibidem diutius in oratione solus persistere[817]. Unde dum quadam nocte juxta morem eandem æcclesiam intraret, ibique prolixius divinas laudes celebraret, circa mediam noctem cœpit somno gravari, et ab instantia precum offendente sepius lingua retardari. At[818] ille in subsellio quod ibi erat considens, infixis ad genua[819] cubitis, inter utrasque manus sanctum caput reclinavit et paululum somno cedens celeriter obdormivit, statimque apparuerunt ei per visionem sanctus Eucharius et beatus Valerius clarissimis[820] vultibus splendentes, sacerdotalibus infulis coruscantes, coronas singulas rosis et[821] liliis ac[822] cæteris odoriferis floribus[823] mirabili arte intexas in capitibus gestantes, consimile sertum demonstrantes et dicentes: *Ecce, Materne, sicut olim tibi promisimus, ita ante diem dormicionis tuæ visitandi gratia ad te venimus. Nunc ergo gaude et lætare, quia die tercia ex hoc seculo migrabis et ad inenarrabilia Domini tui gaudia introibis. En cerne*[824] *præmiii tui incorruptibilem coronam, quæ a paradiso perpetuæ amenitatis*[825] *est sumpta, et tibi a Christo per nos famulos destinata; cujus flos numquam marcescet, cujus odor numquam a suavitate deficit, cujus perseverantia finem non novit, quam post corruptibilem præsentis vitæ incorruptibiliter possidebis, et in conspectu regis regum cum ea æternaliter laureatus perseverabis.* His dictis mox disparuerunt (*c.* 24). Ille autem a tenuissimo somno evigilans, valde quidem lætus de ostensa sibi visione extitit, sed statim tamen adesse[826] corporis molestiam sensit, accersitoque ministro cum ejus adjuvamine[827] ad cellulam rediit, et seorsum familiaribus discipulis hoc quod sibi ostensum fuerat retulit (*c.* 24). Die autem crastina convocata ad se fratrum caterva, cœpit eos studiose de fidei integritate admonere et animos eorum ad cæleste desiderium delectabilibus verbis accendere, ac per totum diem salutaria monita eis dare non cessans, usque[828] ad octavam horam subsequentis noctis sermonem exhortatorium protraxit, et quod reliquum noctis supererat, in psalmis et ymnis[829] cum fratribus transegit. Post pullorum vero cantum, instante jam die, venit desuper clara vox, cunctis qui in illa cellula erant audientibus, dicens: *Materne, dilecte Dei, veni.* Qui[830] mox quasi assuetam vocem audiens, conversus ad circumstantes fratres ait: *Valete, filioli*[831] *mei et viscera mea. Ego enim jam migrabo, et in præsenti seculo amplius vobiscum*[832] *non ero.* Et hæc dicens[833], communionem dominici sacramenti accepit, statimque sanctam animam exalavit: *Pro cujus absolutione* hi qui præsentes aderant fideles condignas exequias compleverunt[834] et ejus corpus non longe a reliquiis sanctorum Eucharii ac Valerii honorabiliter posuerunt].

15. *De octo*[835] *episcopis qui beato Materno in sede Tungrensi successerunt.*

Eloque humanis exempto, secundus ei cathedræ præsedit Navitus, tercius Marcellus, quartus Metropolus, quintus Severinus, sextus Florentinus, septimus Martinus[835], octavus Maximus, nonus Valentinus. Qui quorum vel imperatorum vel consulum claruerint temporibus, quosque vita singulorum habuerit exitus, quotque singuli annis amministraverint officium pontificatus, vel ubi quorumque sit tumulus, seu quantum quisque ampliaverit æcclesiæ suæ reditus, quia totius Galliæ ab Hunis facta non solum nostræ sed aliarum æcclesiarum abolevit eversio, nec a nobis lectoris alicujus requirat[836] exactio. Hoc certum tenemus omnium æcclesiarum copias exuberasse, circa ea scilicet tempora quo[837] divæ memoriæ Romano orbi præerat Constantinus augustus, deinde filii ipsius Constans et Constantius.

16. *Qualiter in diversis locis orthodoxi viri Arrianæ heresi restiterint.*

Quo[838] etiam tempore inclinatis religioni christia-

VARIÆ LECTIONES.

[813] *desunt Ch.* [813] insistens *corr.* existens 2. [814] interiora 3. potiora *Ch.* [816] *desunt Ch.* [816] *erasum* 2. [817] *Initium deest Ch., sequentia longe aliter.* [818] *desunt Ch.* [819] infixis ad jenua *corr.* 1. *e* ad jen. inf. [820] clarissumis *corr.* clarissimis 2. [821] ac. 3. [822] et 3. [823] geminis *Ch.* [824] *ita Vita Euch. Val. Mat.* certe 1. 2. 3. [825] ammenitatis *corr.* amen. 2. [826] ad ejus 1. [827] adjuvamine *corr.* juvamine 2. [828] *corr.* 1. *e* ausque 1. [829] hymnis 2. 3. [830] *desunt Ch.* [831] filii 2. 3. [832] non e. v. 3. [833] expleverunt 2. 3. [835] septem 1. *sed idem in capitum indice* octo. [835] *deest Ch.* [836] requirit 1. 3. *corr.* requirat 2. [837] quo *corr.* quibus 2. [838] *desunt Ch., sequentia aliter expressa.*

næ principibus orbis (275), ac per hoc cessante turbine persecutionis [229], exuberantibus facultatibus ecclesiasticis, quanto affluentia augebatur divitiarum, tanto luxus [230] fomenta subministrabat libidinum [231], hæc potissimum mala superante Arrianæ perfidia hereseos, quæ [232] pullis sui erroris totum resperserat orbem Romanorum. Cui pesti ubique serpenti resistebant potissimum a collo ecclesiæ et turre veri David quæ edificata est cum propugnaculis, dependentes mille clipei, omnis armatura fortium (*Cant.* IV, 4), Silvester Romanorum, Athanasius Alexandrinorum, Ambrosius Mediolanensium, Maximus Trevirorum, Hilarius Pictavorum, Martinus Turonorum, Anianus Aurelianensium, Severinus Coloniensium, Eusebius Vercellensium et eque alii catholici ac præclari ejus temporis episcopi (276). Ex quibus Athanasius toto orbe fugatur, sed a Maximino Trevirorum archiepiscopo intrepide suscipitur (277). Paulinus post eum episcopus cum Rodiano (278) et Hilario eque Galliarum episcopis in Frigia exilio damnantur, ubi et Paulinus Trevirensis exulans mortem obiit (*An.* 361). Hac [233] itaque fece sub multis deinde imperatoribus per christianum imperium usque ad tempora Valentis augusti pullulante, *videns Altissimus quod multa malitia esset hominum et cuncta cogitatio cordis humani prona esset ad malum omni tempore* (*Gen.* VI, 5), qui primum per aquarum diluvium [234] omnem purgaverat terram, ne [235] commixtione filiorum Dei, de Seth videlicet procreatorum, cum filiabus hominum ex Cain generatis [236] coinquinaretur progenies, de qua pro nostra salute carnem decreverat sumere : ipse his temporibus orbi Romano præparaverat excidium, ne ecclesia non habens maculam aut rugam suo sanguine redempta et aqua baptismi super nivem dealbata Arriana diutius fuscaretur perfidia.

A

B

C

17. *De Hunis per totum imperium Romanorum diffusis.*

Valentis igitur imperatoris tempore qui persecutionem novissimus [246] ecclesiis catholicis non timuit intentare, et ab Eudoxio heresiarche [247] rebaptizatus est Arriano dogmate, excitata est de latibulis suis effera gens Hunorum, quæ per totum diffusa est orbem Romanum [248]. Cujus ante ea [249] tempora invisæ gentis exortus, ut sese fert antiquitas relationis, nos quoque absolvamus perpaucis. Fertur namque a quibusdam, quod tempore famis [250] quæ facta est [251] anno decimo Claudii (*Act.* XI, 28) Cæsaris, cujus et Lucas in actibus apostolorum meminit (279), cum [252] et Petrus Romam ingressus nonum annum ageret, et Paulus omnes ecclesias ad elemosinam pauperibus sanctorum Iherosolimis mittendam moneret — modius enim annonæ sex dragmis aureis aput Greciam vendebatur — eum, inquam, eo tempore, ut Lucas dicit [253], Claudius pro inopia totum orbem profligatura non solum Judeos expelli jussisset ab Urbe, sed et omnes inbecillioreſ [254] cum ipsis Judeis, ut saltem validiores sustentarentur reliquo pane, claudi fecisset in quodam abdito terræ, coaluisse usque ad supradicta tempora in gentem magnam ; Ungros denique notum est huic famæ assentari velle, qui et jactant se a Judeis originem ducere. De Hunis autem cum multi historiographi assint, testis verissimus præ cæteris adest Jordanis episcopus, quis eorum fuerit ortus, in historia de gestis Gothorum vel Getarum luculentissime edita in hæc verba :

18. *Quod ab inmundis spiritibus et ex magis mulieribus procreati dicantur.*

[Postea [255] autem non longi temporis intervallum, ut refert Horosius, Hunorum gens cum omni ferocitate atrocior exarsit in Gothos [256]. Nam hos, ut refert antiquitas, ita constitisse comperimus (*Jordan.*, 24) : Filimer [257] rex Gothorum [258] Gadarici magni filius, qui post egressum Scantiæ insulæ jam quinto loco tenens [259] principatum Getharum, qui et terras Scithicas cum sua gente introisset, sicut [260] a nobis dictum est, repperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Haliorunnas is ipse cognominat, easque habens suspectas, de medio sui proturbat, longeque ab exercitu suo fugatas, in solitudine coegit errare. Quas spiritus inmundi per heremum vagantes dum vidissent et se earum complexibus in coitu miscuis-

VARIÆ LECTIONES.

[229] persecutionibus 1. [230] luxis 3. [231] *superscr.* 2. [232] *reliqua desunt Ch.* [233] *corr.* 1. *e* diluium. [234] non 2. 3. [235] ex ea ingeneratis 1. 3. [236] novissimis 1. [247] heresiarche *corr.* cha 2. [248] Romanum *corr.* 1. *e* Romanorum ; totum mundum diffusa est 3. [249] antea 1. [250] fames 1. [251] teste Beda *Ch.* [252] *desunt Ch.* [253] imbecilliores *corr.* 1. inbec. [254] *desunt Ch.* [255] filime 1. 3. B 1. *corr.* filimer 2. filimeth B 2. [256] *erasum* 2. [257] tenens *corr.* tenebat 2. [258] *sic* 1. 3.

NOTÆ.

(275) Eadem fere vide apud Sulp. Severum in Hist. eccles. II, 35.

(276) Conf. Sulp. Sever. II, 36, 37—45

(277) Cum his conf. septima quam auctor in epistola sua Hugoni proposuit quæstio *de probroso Arii interitu quasi tempore Constantii, filii Constantini, secundum historiam ecclesiasticam extitit, sub Alexandro episcopo suo esse non potuit. Obitus enim Alexandri obitum præcessit Constantini annis 8. Athanasius namque qui Alexandro successit, primum exilium apud Treverim jussu Constantini, non Constantii pertulit, quando cum Maximo episcopo Treverorum et Servatio Tungrorum et aliis multis Coloniensi synodo interfuit, ubi Ephrata ejusdem civitatis episcopus damnatus fuit.* Cfr. quoque Rufini Hist. eccles. X, 13, 18 sqq.

(278) Tolosano.

(279) Hæc ex parte Bedæ in libro De sex ætatibus mundi debet, qui Claudii annum fuisse nonum scribit.

sent, genus hoc ferocissimum ediderunt. Quod fuit primum inter paludes, minutum, tetrum atque exile, quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quia humani sermonis imaginem assignabant. Tali igitur Huni stirpe creati, Gothorum finibus advenerunt. Quorum natio seva, ut Priscus historicus refert, Meotida palude ulteriore ripa insidens, venationi [269] tantum nec alio [270] labore experta, nisi quæ [271] postquam crevisset [272] in populis fraudibus et rapinis vicinarum gentium fines [273] conturbans.

19. *Qualiter ductu cervæ insula egressi, primo Gothos, deinde alias gentes, novissime Gallium* [274] *invaserint*

Hujus ergo gentis ut assolet venatores, dum in ulteriore Meotide ripa [275] venationes inquirunt, animadvertunt, quo modo ex improviso cerva se illis obtulit, ingressaque paludem, nunc progrediens, nunc subsistens, index se viæ tribuit, quam secuti venatores paludem Meotidem, quam [276] inperviam ut pecus [277] existimabant pedibus transierunt. Mox quoque ut Scithica terra ignotis apparuit, cerva disparuit, quod credo spiritus [278] illi, unde progeniem trahunt, ad Scitharum invidiam id [279] egerunt. Illi [270] vero quia præter Meotidem [271] alium mundum esse penitus ignorabant, admiratione ducti terræ Scithicæ, et ut sunt sollertes, item illud ante hac ætate nulli notissimum per [273] divinitus sibi ostensum rati, ad suos redeunt, rei gestum edicunt, Scithiam laudant, persuasaque gente sua, via [273] quam cerva indice didicerunt, ad Scithiam properant, et quantoscumque in ingressu Scitharum habuerunt, litavere victoriæ, reliquos perdomitos subegerunt. Nam mox ingentem illam paludem transierunt, illico Alpidzuros ac Ildzuros, Itimaros, Tuncorsos et Boiscos, qui ripæ istius Scithiæ insidebant, quasi quidam [274] turbo gentium rapuerunt. Alanos [275] quoque pugna sibi pares, sed humanitate [276], victu [277] formaque dissimiles, frequenti certamine fatigantes subjugaverunt. Nam et quos [278] bello forsitan minime superabant, vultus sui terrore nimium pavorem ingerentes terribilitate [279] fugabant, eo quod erat eis species pavenda nigredinis, et velud quædam, si dici fas est, deformis offa, non facies, habensque magis puncta quam lumina; quorum animi fiduciam turbidus [280] prodit aspectus, qui etiam in pignora sua primo die nata deseviunt. Nam maribus ferro secant genas, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tollerantiam [281]. Hi inberbes senescunt et sine venustate [282] effœbi sunt, quia facies ferro sulcata pilorum gratiam [283] per cicatrices absumit. Exigui forma, sed acuti, motibus expediti, et ad equitandum promptissimi, scapulis latis, et ad [284] arcus sagittasque parati, firmis cervicibus et superbia semper erecti. Hi vero sub hominum figura vivunt beluina sevitia.] Novissime autem Gallicanum inpugnare aggressi sunt orbem.

20. *De sancto Servatio.*

Ea tempestate sanctus Servatius Tungrensi decimus præsidebat cathedræ, vir vultu angelicus, alloquio facundissimus et omni morum honestate præclarus. Cujus quidem ortum et prosapiam, licet quidam [285] ferant (280) [286] ex domini Salvatoris cognatorum descendisse [287] familia, quia tamen locum nativitatis ejus nequaquam accepimus, nec causas ejus aliunde adventus uspiam audivimus, idcirco auditu [288] faciles esse possumus ad credendum, nec tantæ opinioni, quæ fortassis ex pietate ingeritur, arbitramur omni modo derogandum. Sed [289] cui non displicet [290] post lapidationem protomartiris Stephani ultra trecentos ferme annos inventorem sanctæ crucis Judam cognomento Quiriacum (281), ejusdem protomartiris ex Symone fratre fuisse nepotem, ipsi nichilominus placeat, ultra quadringentos fere post nativitatem vel passionem dominicam annos, beatum Servatium sanctæ Dei genitricis ex matris matertera fuisse [291] abnepotem. Verum utcumque res sese habeat [292], nec illi nimium laboraverunt ad suadendum, nec nos etiam nimii simus ad derogandum, cum juxta Tullium *non debeat pudere nos fateri nescire quod nescimus* (282), et illis conveniat ignorantiam potius verecunde [293] fateri quam inreverenter pro pietate [294] mentiri.

21. [295] *Quod multi sancti viri contemporales illi fuerint, et de multarum urbium eversione* [296].

Hic sane vir, sicut in gestis ejus legitur (283) antiquioribus, ex generosa magnorum virorum stirpe

VARIÆ LECTIONES.

[269] venationi *corr.* ventionem 2. [270] alio labore *corr.* alium laborem 2. [271] *erasum* 2. [272] crevisset in populis *corr.* crevit in populos 2. [273] *sic* B 2 D 1ª fide 1. 3. fidem C. D 1. [274] gallias 3. [275] ult. M. ripam 1. ulteriores meotidem ripam 2. 3. *corr.* ulteriore meotide ripa 2. [276] quæ 1. 3. quæ *corr.* quam 2. [277] *ita* 1. 2. 3. pelagus *Jord.* [278] nequam *addunt* B 1. 2. C. spiritus *deest* C. [279] *erasum* 2. [270] illo 1. [271] meotidam 1. meotidem *corr.* meotim 2. [273] *erasum. deest Jord.* [274] sua *deest*, viam C. [275] quedam 1. 2. *corr.* quidam 2. [273] Alantis 1. Alan : : s *corr.* Alanos 2. Mantis 3. [276] humanitates *corr.* 1. humanitate. [277] victus 2. victi 3. [278] quod 1. 3. *corr.* quos 2. [279] terribiliter 3. [280] turbitus 3. [281] assuessere dure tiam C. D 1. [282] vetustate 1. 2. 3. [283] gratia cicatrices assumit 1. 2. 3. *corr.* gratiam per c. absumit 2. [284] *deest* 1. 3. *superscr.* 2. [285] q. 1. ex d. *e corr. coæva* 2. [286] fuerant 1. [287] decendisse 1. [288] audivimus 1. satis *addit vit. Serv.* [289] *desunt Ch.* [290] cui dispicet 3. [291] *deest* 3. [292] habet 2. 3. [293] verecundie 3. [294] *sic Ch.* proprietate 1. 2. 3. [295] XI. 2. [296] subversione 3.

NOTÆ.

(280) *Filius Emmui filii Eliud qui fuit consobrinus b. Mariæ virginis*, appellatur Servatius in Vita S. Lupi Trec. posteriori, s. IX, ex. scripta, Act. SS. Jul. VII, 77.

(281) De hoc deque actis ejus apocryphis adeunda Papebrochii commentatio Act. SS. Mai. I, 439.

(282) Tusculan. I, 25.

(283) Cfr. præfatio p. 143.

est editus, nobiliter natus, nobilius conversatus, pontificale petalum gessit (284) oves dominicas ab insidiatore lupo et rugiente leone protexit, pro eisdem, etsi gladius non incubuit persequentium, paratus perferre martirium. In diebus plane sui sacerdotii placens Deo, probatus inventus est, justus in tempore imminentis iracundiæ (*Eccli.* XLIV, 17), quærens pro barbarica irruptione fieri reconciliatio. Ejusmodi enim multas ea tempestate Dominus accenderat lucernas, qui et erroris mundani pellere possent tenebras, et sevientis in tanto turbine tribulationis sedarent procellas. Unde quidam metricanus non incongrue de eis deque hoc [297] tempore sic ait :

Talibus ædclesiæ fautoribus undique firme
Obstant imbriferis vento quatiente procellis
Desuper, et petram nequeunt trepidare ruinam.

Et de hoc specialiter beato viro inter alia :

Servatius servando fidem servat pereuntem
Oranda populum conservans forte Trajectum (285).

Et beatus Lupus Tricassinæ urbis episcopus

Dum bella cuncta perderent
Orando Trecas munit (286).

Et Iheronimus ad Geruntiam (287) scribens epistolam super mundi contemptum (288), super hujusmodi quoque cladem lacrimabile sumpsit lamentum. Cujus hæc sunt verba : [*Quod vari hucusque residemus, non nostri meriti, sed Domini misericordia est. Innumerabiles et ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt, quicquit inter Alpes et Pyreneum est, quod oceano et Reno includitur, Quadus* [298], *Wandalus et* [299] *Sarmata, quod* [299] *Alani, Gipedes, Heruli* [300] *Saxones, Burgundiones, Alemanni et, o lugenda res publica! hostes Pannoni vastaverunt, etenim Assur venit cum illis. Magontiacus nobilis quondam civitas capta atque subversa est et in æcclesia multa hominum millia trucidata, Wangiones longa obsidione deleti, Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrabate, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus, translatæ in Germaniam, Aquitaniæ, novemque populorum, Lugdunensis et Narbonensis provintiæ præter paucas urbes cuncta populata* [301] *sunt; quas et ipsas foris gladius intus vastat fames. Non possum absque lacrimis Tolosæ* [302] *facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, sancti Exuperii episcopi merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ contremiscunt recordantes irruptionis Ambricæ* [303] *et quicquit alii semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. Cætera taceo, ne videar de Dei desperare clementia. Olim a mari Pontico usque ad Alpes Julias non erant nostra quæ nostra sunt, et per annos 30 fracto Danubii limite, in mediis imperii Romani regionibus pugnabatur. Aruerunt vetustate lacrimæ, præter paucos senes omnes in captivitate et obsidione generati, non desiderabant, quam non noverant, libertatem.*] Et quia non perit pius pro impio, multos sanctorum tam clericorum quam monachorum et sanctimonialium sub hoc contigit occubuisse excidio. Urbes munitissimæ licet longa obsidione evertebantur, æcclesiæ sanctorum exurebantur, altaria jugulatorum ante ea sacerdotum sanguine profanabantur, pueri innuptæque puellæ suffocabantur, virgines Deo dicatæ stuprabantur [304], monachi et clerici ludibrio et spectaculis exponebantur, et omnibus in commune diversa mortium facies adhibebatur. Et quia sic portio populi merita erat nequissimi, usque ad internectionem gladius seviebat Altissimi. Unde contigit sanctum Nicasium Remensis urbis episcopum, sicut et alios multos, cum Eutropia sancta virgine et sorore, hac Hunorum incursione marmora æcclesiæ imbre preciosi sanguinis cruentasse (289). Nec solum nostri hac sunt pena multati, sed etiam Arrianæ defensores hæreseos Gothi, qui soli Valenti augusto et Romanis in Gallia videbantur resistere et reniti, ab Hunis crudeliter sunt devastati, et Athanaricus eorum rex pro eo quod multum sanguinem innoxium catholicorum non timuit effundere, pulsus a regno meruit exulare. Verum Huni fame compulsi per avaritiam Maximi a Valente Galliis præfecti, coacti sunt Romanorum partibus refragari, moxque iterum Gallias occupare, et urbes et castra cum incolis crudeli cede vastare (290).

22. *Quod sanctus Servatius Romam adierit si quomodo oratione valeat Galliam ab* [305] *Hunis liberare.*

Quorum adventum sanctus Servatius Tungrensis æcclesiæ episcopus audiens (*Gesta S. Servatii*, cf. Grae-

VARIÆ LECTIONES.

[297] *deest* 3. [298] quod 2. 3. [299] *deest* 1. *post add* 2. *et ita* 3. [300] Alanigi pedes herculi 1. 2. 3. [301] populata *corr.* populata 2. [302] Dolosæ *corr.* Tolosæ 1. [303] Cimbricæ *Hieron.* [304] strupabantur 1. [305] a 3.

NOTÆ.

(284) Sardicensi concilio a. 347, Mansi III, 67, dein Ariminensi a. 359 interfuit Arianorum furis oppugnator Servatius, Tungrorum episcopus, ut testatur Sulp. Sever. II, 44. Cfr. Heuschenii Comment. de S. Servatio Act. SS. Mai. tom. III. t. VII.

(285) Sunt versus ex ipsius auctoris S. Ursmari Vita metrica desumpti Mab. l. l., p. 609.

(286) *Sicut in ejus hymno canitur : Dum bella cuncta*, etc. sunt verba Bedæ in Martyrologio ad IV Kal. Aug.

(287) Epistola 123 ad Ageruchiam, quam in quibusdam codicibus Geruntiam vocari adnotant editores. Hieronymi opp. ed. Vallarsi I. 89.

(288) De monogamia inscribitur.

(289) Passio SS. Nichasii et Eutropiæ Sur. VII 1011 ævi Herigero recentioris est.

(290) Cfr. infra c. 26. ubi eadem non minus falso de Francis refert auctor.

GOR. TURON. II, 5), simulque de irruptione et perditione suæ civitatis timens, vigiliis multis et jejuniis corpus affligebat, seque crebris lacrimis profundens[306], misericordiam Dei postulabat, ne [307] unquam hanc gentem incredulam, seque semper indignam Gallias intrare permitteret (291) nationemque suo cultui dicatam contaminari quodammodo [308] sineret [307]. Sed sentiens per Spiritum sanctum peccatis populi interpellantibus [309] id sibi nullomodo concedi, induxit animum adire limina apostolorum Petri et Pauli, ut saltem [310] super salvatione suæ urbis per intercessionem eorum mereretur exaudiri. Et [311] quia prinsquam quid inchoetur consulto, at ubi consultum fuerit, mature opus est facto [312] (292), paratis viatico commodis, et assumptis secum comitibus necessariis, data etiam benedictione civibus suis, indicta pariter vigiliarum et orationum, jejuniorum et elemosinarum super tanto discrimine instantia, deliberavit beati etiam nomine et merito Auctoris Mettensis episcopi super hoc inire colloquia, qui [313] tunc in Dei rebus habebatur præstantissimus, sed de perditione sibi commissorum et irruptione suæ etiam urbis nimium sollicitus [313]. Quique habita cum beato Servatio deliberatione, adjudicavit ejus ratam esse intentionem, simul exposcens pro se quoque suaque urbe fundi profusius ejus ante apostolorum limina precem, ut quoniam per se Romam nequibat adire, ejus sanctissimi viri intercessione voti sui compos et ipse mereretur existere. Suscepta [313] itaque tanta profectione, posthabita totius itineris difficultate, tum [314] in vastissima Alpium progressione, tum [315] in fluminum transmeatione, tunc [316] etiam ex latrocinantium infestatione, dummodo quod habebat in voto assequi possit, tandem Romam peraccessit.

23. *Qualiter ante tumulum beati Petri per visum de eversione tocius Galliæ et de obitu suo sit edoctus.*

Accedens ergo ad beati Petri tumulum (cfr. GREGOR. TUR., II, 5), deprecabatur ejus intercessionis auxilium, ut, quia [317] suo apostolatu insignierat Omnipotens orbem occiduum [317], arceret saltem a Tungrensi et Metensi urbe infandam gentem Hunorum. In hac desiduus persistens oratione, macerabat se multa afflictione, maxima inedia corpus consumens, ita ut in tridui biduique interdum [318] curriculo absque edulio potuque maneret, nec esset intersticium quo ab oratione vacaret. Et die quidem aliorum sanctorum patrocinia frequentabat, noctu vero ad beati Petri tumulum remeabat; tandem quia sine intermissione non cessabat aures pulsare clementissimi Dei, tali meruit visione solari [319]. Videbat, et ecce quasi ante altare beati Petri thronus positus, et super thronum sedens Altissimus, et circumcirca sanctorum [320] animarum et angelorum chorus, duos autem conspicui vultus viros ante ipsum thronum genu incurvantes [321], et vicibus Domini magestatem, vicibus sanctæ Dei genitricis interventonem implorantes, quos constat præcipuos apostolorum Petrum et Paulum fuisse, et ob conservationem Gallorum obnixius subplicasse. Et quia idem sanctus [322] vir, cui hæc demonstrabantur, cum sua subplicatione beati quoque Auctoris Metensium episcopi obtulerat precem, vidit in parte septentrionali altrinsecus stantem fidelem quendam virum, albis vestibus bene stolatum, quem procul dubio constat protomartyrem [323] fuisse Stephanum, et ad eum sanctos apostolos responsa quædam perferentes, et ab eo [324] ad majestatem Omnipotentis subplicationes quasdam referentes. Sanctum itaque Servatium hac contemplatione attonitum aggreditur sanctus Petrus, quasi in gradibus æcclesiæ positum : *Et quid* [325], inquiens, *me inquietas sanctissime vir? Ecce apud Omnipotentem æquissima deliberatum est sanctione, Hunos Galliam universam impetere, cunctaque oppida et castella Europæ humi coæquare, civitatemque tuam peccatis populi exigentibus penitus eversum iri* [326]. *Quem vides in septentrionali parte nobis interloquentem* [327], *noveris* [328] *Stephanum protomartirem pro urbe Metensi subplicius* [329] *rogantem. Qui* [330] *licet primus præciosi cruoris rore ante omnes rependerit Deo, quod communiter cum omni genere humano accepit ab eo, vix pro illo valuimus habere* [331], *ut saltem oratorium in Mediomatricum urbe, quo sanguis ejus dinoscitur pullulare, flammas et excidium reliquæ civitatis possit evadere; quod et Auctori coepiscopo* [329] *in responsis habes perferre* [330]. *Tu* [333] *autem, sanctissima anima in sorte sanctorum jam præelecta, quia in diebus tui sacerdotii placens Deo facta es dilecta, vivens inter peccatores jam jamque es transferenda quia in te est inventa justitia. Jam, inquam, ad patres tuos es* [334] *colligenda, ne oculi tui videant mala, quæ* [335] *facturi sunt Huni in tota Gallia, et potissi-*

VARIÆ LECTIONES.

[306] perfundens 1. *vit. Serv.* [307] *desunt Ch.* [308] quomodo 1. 2. *corr.* quodammodo 2. quoquomodo *vit. Serv.* [309] interpellentibus 3. [310] *ita vita Serv.* salutem 1. 2. 3. [311] *desunt Ch.* [312] *desunt Ch.* [313] *sequentia longe aliter ap. Ch.* [314] dum 1. 2. 3. [315] dum 1. [316] dum *corr.* tunc 1. [317] *desunt Ch., sequentia aliter.* [318] *ita vit. Serv.* interdiu 1. 2. 3. [319] consolari *vit. Serv.* [320] *ita vit. Serv.* sanctarum 1. 2. 3. [321] *ita vit. Serv.* inculcantes 1. 2. 3. [322] *deest* 3. [323] martirem *corr.* martyrem 2. [324] iterum *addit vit. Serv.* [325] inquit 3. *vit. Serv.* [326] *ita vita Serv.* [327] loquentem *vita Serv.* [328] esse *addit vita Serv.* [329] suppliciter *vit. Serv.* [330] *desunt Ch.* [331] optinere *vit. Serv.* [333] episcopo 1. [334] Tu 1. 2. *vit. Serv. corr.* Tua 2. 3. [335] *Verba* transferenda — tuos es *quæ in codicibus nostris desiderantur, ex vita S. Servatii recipere non dubitavi; ipsa codicum lectio* videns inter peccatores jam jamque es colligenda, *excidisse aliquid nobis persuadet, necnon probare videntur repetitæ voculæ* jam, es. *Verba* et in brevi transferenda *Ægidius servavit.* [333] *desunt Ch.*

NOTÆ.

(291) Quod demum centum annos post Servatium factum esse inter omnes constat.
(292) Sallust. Catilina 1.

mum in civitate tua. Tungris enim sicuti nomine, ita et opere tunsa et cesa permanebit usque in finem [336]. *Quamobrem reversionem festinato accelera, domumque tuam ordina, nitida linteamina quere* [337] *sepulturamque compone* [338]; *nec habebis in urbe scelerata et ideo peritura sepulchrum, quia placuit Altissimo oppidum reservare* [339] *Trajectum, propter corpusculum tuum in eo recondendum.* Hoc oraculo [340] venerabilis pontifex Servatius suscepto, reversionem accelerat, Galliasque quam citissime [340] repedat, transitumque per urbem Mettensium habens, beato Auctori indicat quæ in responsis acceperat.

24. *Rediens quid viderit commisso gregi exponit.*

Tandemque [341] nimium fatigatus, tum itineris difficultate, tum remeandi acceleratione, ad urbem pervenit Tungrensem, pastoris sui adventum suspense præstolantem. Et quæque congrua sepulturæ videbantur, assumptis super via Domini sacerdotibus et levitis, necnon in commune consulebat universis, ut parati essent in animarum suarum salutem; quibus tantum imminebat discrimen. Ac per triduum dissimulata recessione, tandem omnes alloquitur, aggregatos in æcclesia catholica majore beatæ semper virginis Mariæ [341]: *Jam collegio vestræ* [342] *fraternitatis nequeo celare, quod per triduum dissimulans, tandem compellor dicere. Ab* [343] *hodierna die faciem meam non videbitis, nec ultra me in hac urbe vobiscum morantem* [344] *conspicietis, quia viam totius terræ sum iturus, et huc ultra non reversurus* [345]. *Super vestra salute pridem beati Petri sepulchrum adii, hujus urbis reservationem supplicatione præmissa petivi, et quia hoc peccato non merebar* [346] *vestro in responsum accepi: « Huic enim urbi æternus instat interitus, vestra quoque perimmanis* [346] *perditio, nisi ex toto corde morum præcedat conversio. » Quapropter et hic prohibitus sum effodere mihi sepulchrum, et ad vicum hinc jussus* [347] *sum transire Trajectum, ut illinc me dies assumat extrema, priusquam me vobiscum vestra contingat vel cernere vel perpeti mala. Hoc autem quantum in me est vobis promitto quia, quodsi pro* [348] *corporum vestrorum salvatione supplicans exaudiri peccatis vestris præponderantibus nequeo, pro animarum saltem* [349] *salute vestrarum a Deo mihi commissarum defunctus, et cum Christo regnans, felicius interveniens impetrabo.*

25. *Oratio ejus et lamentatio clericorum et populi, et de obitu ipsius.*

Deinde multa exhortatione eos consolatus, oculis ad cælum surrectis [349] cum manibus: *Et* [351] *has, inquit, oves, quas, Domine, præcioso sanguine redemisti, hunc inquam gregem, quia tuus est, tibi hodie dedo, meque totum tibi commendo* [351]. *Deprecor te, judex æquissime, humili et flebili prece, ne ovile tuum lupi rapaces gregi non parcentes subruant, nere* [352] *carnes ovium tuarum deglutientes consumant. Tu, Domine Jesu, qui animam tuam pro eis posuisti in morte, animas eorum a luporum voracitate* [353] *eripe et a rugiente leone, ut possim* [354] *ad te aliquos manipulos reportare.* His ergo [355] a beato Servatio [356] peroratis, mox universus astans populus, clamore magno irrugiit [357], luctus et ejulatio [358] ab utroque sexu increvit. At [359] vir Domini necessariis sepulturæ secum levatis, progressus ad orientalem plagam pedester porta Tungrensi exiit, pergens viam quæ ad oppidum [360] Trajectensium mittit [360]. Tunc universi cum vociferatione et lacrimis vestigia illius persequuti [361], prodeunt a civitate dolentes, subplici hac voce subjungentes: *Ne derelinquas nos, pater sancte, ne obliviscaris nostri, pastor vigilantissime, nos populus tuus et oves gregis tui, ne nos dimittas in sevientis faucibus inimici.* Monachi vero et sacratæ Deo puellæ, quorum illic cœnobia erant perplura [362], et omnis in commune clerus de monasterio exeuntes persequebantur ejus iter, pectora percucientes seque post [363] omnia humi prostrantes, hæc quoque ingeminantes: *Cur, pastor bone, tam cito deseris, vel quo nunc iturus* [364] *proripis? Educ nos tecum, ut commorientes consepeliamur tibi, quibus solum est infortunium post te relinqui. Adventu* [365] *tuo eramus gaudentes, quod ex longinqua* [366] *reversus peregrinatione dignareris jam nunc nobiscum esse* [367], *cum nec* [368] *tridui saltem curriculo apud nos velis manere. Die nobis quid faciendum, quidve* [369] *te discedente consilii sit nobis captandum* [370]. *Quid* [370] *erit de nobis quibus tanti aufertur præsentia patris? Quid miseri facturi sumus, qui sine te vivere* [371] *nequimus, sed morti pessimæ tradendi sumus? Ve nobis qui ideo tua præsentia destituimur, quia vindictæ cælesti objicimur, nec digni sumus commoriendo* [372] *hac pœna liberari, teque nimis indignum est perditioni nostræ nobiscum implicari. O, o* [373] *nomen quod semper præ te ferebas pastoris, malle te occumbere pro tibi commissis, quam oves tui gregis* [374] *exponeres delanianibus lupis! Eu non ad diluniandum potius, sed exponimur ad penitus devorandum. Saltem* [375] *hac* [376] *fortassis occasione quod semper sitiveras invenires* [377] *martirium, esseque tua præ nostris oculis habita nostræ mortis utcumque solatium* [378].

VARIÆ LECTIONES.

[336] æternum *vit. Serv.* [337] nitida — quere *desunt vit. Serv.* [338] servare 3. [339] miraculo 3. [340] citius 2. 3. [341] *aut desunt aut aliter expressa ap. Ch.* [342] *ita vit. Serv.* nostræ 2. 3. [343] *desunt Ch.* [344] commorantem 3. [345] peccatum — merebatur *vit. Serv.* [346] *ita vit. Serv.* per manus 1 [347] *ita* 1. *vit. Serv.* missus 2. 3. [348] *deest* 3. *vit. Serv.* [349] *addit vit. Serv.* [350] levatis *vit. Serv.* [351] *desunt Ch.* [352] nec ve 2. 3. ve *erasum* 2. [353] voratitate 1. 2. [354] de eis *addit vit. Serv.* [355] igitur 3. *vit. Serv.* [356] flebiliter *addit vit. Serv.* [357] *sic vit. Serv. Ch.* irriguit 1. 2. 3. [358] julatio 3. [359] *desunt Ch.* [360] *ita* 1. 2. [361] prosecuti *vit. Serv.* [362] plura 3. [363] *ita vit. Serv.* per 1. 2. 3. [364] *addit vit. Serv.* [365] *desunt Ch.* [366] longuinqua *corr* longinqua 1. [367] esses 1. [368] *ita vit. Serv.* [369] quidque *vit. Serv.* [370] ergo *vit. Serv. addit.* [371] vivivuere 2. [372] tibi *addit vit. Serv.* [373] *desunt Ch.* [374] gr. 1. 2. 3. *vit. Serv.* [375] saltim 2. 3. [376] *ita vit. Serv.* his 1. hic. 2. 3. [377] *ita vit. Serv.* invenire 1. 2. 3.

Propositam quæsumus [378] *mitte intentionem aliquam faciens progressionis dilationem, ut tridui vel bidui vel unius saltem noctis procrastinatione dignetur nostræ fructum pœnitentiæ acceptare, qui Ninivitis dignatus est parcere.* Quorum [379] beatus Servatius permotus insecutione, pariter et flebili talia ingeminantium [380] excruciatus vociferatione, paulatim progressus iterumque resistens, in lacrimis resolutus, ut putandum est pertulisse [381] martirium, dum exquoquebatur [382] super aurum affectu compassionabili [383], torquebatur pro commissis jam jamque deserendis affectione carnali, urgebatur ad discedendum pro perditione suorum, ut dixerat, irrecuperabili [379]. At inbecilliores et [384] claudi, pauperes et peregrini, viduæ et pupilli, a turribus et propugnaculis stantes, pulveremque in cælum spargentes [385], cum fletu et singultibus clamabant dicentes: *Quis nobis daturus est victum? Quis tribuet alimentum* [386]*? Nudi sumus et famelici; quis consolabitur nostri?* Sed cum his fletibus [387] non posset revocari, data eis pontificali benedictione, osculatus eos et confortans coegit redire. Et ad Trajectensem accedens vicum, modica pulsatus febre, fragili absolutus corpore, publico elatus [388] funere, et a viris fidelibus juxta aggerem publicum 3. Idus Maias sepultus.

A

B

26. *Quod Huni multas Galliæ urbes cum Tungris* [389] *subverterunt, quos item Franci* [390] *a Gallìis expulerunt.*

Post hujus obitum (293) Huni subversis multis Galliæ urbibus, civitatem quoque diruerunt Tungrorum pervenientesque ad urbem Mettensem [391] in vigilia paschæ, eam obsidionibus circumdedere, fatigatique longa obsidione, cum de reditu jam cepissent tractare, muri civitatis ultro corruere, aditumque revertentibus patefecere. Tunc civitatem sine cunctatione ingressi, omnes sicut et apud Tungros interfecere in ore gladii, reliquam urbem tradentes igni, excepto oratorio beati Stephani, quod videbatur ipsis a quodam splendidissimo super illud stante viro defendi (294). Post eam igitur [392] vindictam, quæ facta est ab eis cede Galliarum, Wandalorum prosequente [393] crudelitate (295), incertum est, sicut et de multis aliarum legitur civitatum episcopis, paucis qui supererant christianis in abditis montium et cavernis petrarum habentibus latibula, quanta intercapedine ecclesia Tungrensis [394] fuerit [395] sine pontifice. Nam et Franci [396], qui ab Antenore ducebant originem (*Gesta Fr.* 1), et Vinetia [397] (296) vel ut [398] alii ferunt [399] in Mauritania (297) excreverant in magnam gentem, et Sicambri [400] vel a quodam suæ gentis duce Merovingi dicebantur, quoniam propria jam eis [401] non poterat præ multitudine sufficere patria, palantes hac et illac, prædis et rapinis intenti erant [402], nec stationem adhuc certam inveneraut; solum ejus Toringia profugium erat. Quibus Valens imperator, ad quem summa imperii pertinebat, et proprium nomen, qui Francus Attica lingua vocabatur (298), dedit, et partem Galliarum et ad utendum et inhabitandum sine vectigalium exactione permisit. Qui et Hunos ad Meotidas ire [403] paludes vel in Pannoniam compulit [404], ubi post multos annos a Karolo magno imperatore et filio ejus Pipino penitus etiam nomine disperiere (299). Franci vero propter avariciam sequentium imperatorum vectigalia ab eis exigentium, et Romanis coacti sunt fidem non servare, et civitates quas adhuc tenent Galliæ præoccupare (300). Hi inquam paganis adhuc ritibus inserviebant, et ideo plures episcopis civitates vacabant [405].

C

27. [406] *De sancto Remigio et* [407] *septem Tungrensibus episcopis.*

Tandem ad hoc sancto Remigio cælitus prænuntiato, et per promissionem nato, ut eam gentem ad Dei vivi cultum converteret et Galliæ populus in unitate fidei catholicæ conveniret — jam [408] enim ablato misericordia stillabat [409] Altissimi et beatorum angelorum et hominum spiritus jamjamque poscebant Galliæ misereri, quia, inquiunt: *Tempus miserendi ejus, quia venit tempus* [408] (301) — eo inquam tempore undecimus præsedit ecclesiæ Tungrensi Agricolus et

VARIÆ LECTIONES.

[378] qs. 1. 2. 3. [379] *desunt Ch.* [380] *ita vit. Serv.* ingeminantius 1. 2. 3. [381] *ita* 1 2 3. *vit. Serv.* [382] *ita vit. Serv.* exquoquatur 1. 2. 3. [383] compassibili 3. [384] ut *superscr.* et 2. *unde in* 3. utque *scriptum est* [385] aspergentes 1. [386] indumentum *Ch.* [387] *addit vit. Serv* [388] elevatus *vit. Serv.* [389] tungri 1. 2. [390] *in rassura* 1. [391] Mettense 1. [392] *deest* 1. [393] persequente *vit. Serv.* [394] trungrensis 2. [395] *ita vit. Serv.* fuit 1. 2. 3. [396] Frangi 1. [397] Venetia *vit. Serv.* [398] velud 1. 2. [399] *ita vit. Serv., deest* 1. 2. 3. [400] Sicabri 1. 2. 3. [401] ejus 1. 2. 3. [402] intenderant *vit. Serv.* [403] *ita vit. Serv.* iterum 1. 2. 3. [404] *ita vit. Serv.* compellere 1. 2. 3. compullere *Ch.* [405] carebant *Ch.* [406] XXVI. 1. 2. [407] *deest.* 1. [408] *desunt Ch.* [409] *Sic* 1. still : bat 2. *quod* stillebat *fuisse videtur;* stillebat *corr.* stillabat 3.

NOTÆ.

(293) Vita S. Lupi Trec. c. 36.

(294) Paulo aliter Paulus Diac. in Gest. epp. Metens. Mon. II, 263. Cfr. quæ de hac fabella disseruit Hirsch in commentatione de Sigeberto p. 229.

(295) Imo præcedente, ut ex ipso Hieronymi epistolæ fragmento c. 21. patet.

(296) In hanc sententiam auctorem Livianæ narrationis memorem Antenoris nomen abduxisse videtur.

(297) Sic infelici conatu Maurungani nomen interpretatus est, quod apud Geograph. Ravenn. I, 11. D in hisce verbis deprehendebat : *Patria Albis Maurungani antiquitus certissime dicebatur, in qua patria Albis per multos annos Francorum linea remorata est.*

(298) Festinanti calamo hoc excepit ex Gest. Fr. 2; non Valentinianus imperator sed Franci hoc nomine lingua Attica appellati sunt.

(299) Hæc ex Einhardi Vita Caroli cap. 13. hausisse videtur.

(300) Cfr. c. 21.

(301) Cfr. Hincmari Vit. S. Remigii c. 2.

deinceps 12 Ursicinus, 13 Designatus, 14 Resignatus [610], 15 Supplicius [611], 16 Quirillus, 17 Eucherus [612], 18 Falco (302), 19 Eucharius.

28. *De sancto Domitiano itemque Perpetuo et* [613] *Ebergiso.*

Vicesimus sedit Domitianus (303), qui jam florente christiana ubique religione sub Hildeberti gloriosissimi regis tempore (*an.* 549), Aurelianensi legitur sinodo interfuisse (304). Qui et civitatis jam dirutæ [614] fastidiens Tungrensis, sancti Servatii aput Trajectum frequentabat sepulchrum, circa illius quippe tumulum quamlibet nivium copia defluxisset, ita ut interdum [615] duorum aut etiam trium pedum crassitudine circumjacens terra respergeretur; tumulus tamen ejus numquam ea operiebatur (*Gesta S. Servatii.* Cf. Gregor. Tur., *De gloria conf.*, c. 72). Eratque mirum montes in circuitu nivium videre, nec tamen sancti Servatii sepulchrum contingere [616]. Operabatur etiam multa in eodem loco Christus miracula, ut plane daretur intelligi præciosa in conspectu ejus sancti viri jugiter esse merita. Ob hoc et devotio fidelium fratrum et frequentantis populi studium conati sunt sepe illi pro posse facere oratoriolum [617]. Sed quia tanto viro non erat condignum, de lignis scilicet levigatis tabulisque tæssalatis compactum, citius aut [618] a vento rapiebantur, aut [618] sponte ad terram subruebant [619], donec sancto Domiciano humanis exempto et apud Iloium [620] (305) in æcclesia majore sanctæ theoticos [621] Mariæ sepulto, beatus Munulfus vicesimus primus procedente tempore in regimen æcclesiæ Tungrensis successit, et in sancti viri honore templum honorificatum erexit, composuit, ornavit, corpusque illius in eo cum digna reverentia transtulit, sedemque in Trajecto pontificalem amodo [622] esse constituit, ubi et corpus suum sepeliri mandavit in medio æcclesiæ. Ubi etiam beatus Gundulfus, qui 22 successit in regimine, habet locum sepulturæ (306). Sanctus autem Perpetuus qui 23 præfuit aput Deonantum [623] (307) quiescit. Beatus quoque Ebergisus succedens 24 in Trutmonia ejusdem episcopatus [624] villa fuit tumulatus (308).

29. *De sancto Johanne.*

His per successionem ad alia vocatis, Johannes 25 succedit, vir totius sanctitatis, cujus vitam et gesta, ut auditu tantum et relatione a majoribus et ætate provectioribus accepimus, nos quoque perpaucis absolvamus. Nec debet existimari difficere [625] (309), licet inusitatum quod placet, mirabiliter omnia valentem operari Deum, qui mirabilis in omnibus operibus suis sanctos quoque inedicibiliter suos [626] mirificat quibuslibet modis, potens [627] etiam efficere mirabiliora, temporibus accommodans tempora, inportunis et incredulis ingerens oportuna. *Linguæ* enim, ut ait Apostolus, *in signum sunt non fidelibus sed infidelibus* (*I Cor.* XIV, 22), ut quia cottidie in mundi fabrica, in elementorum concordia, in gubernatione cælestis machinæ, et annua seminum et frugum et animalium redintegratione operantem mira non attendunt Omnipotentem, miraculis saltem invisis excitentur [628] ad fidem. Audivimus sepe quosdam stulte submurmurantes, quia non olim (310) mira sui dignarentur patrare martires, ignorantes profecto, quia necesse fuit tunc eos miraculis innotescere, cum pro humana fragilitate potuerunt hostibus in morte succumbere, et inproperantibus ubi est Deus corum visi sunt ad horam vilescere. At nunc eum debita pro nosse reverentia eorum honori dependitur, non usus sit virtutibus eos coruscare, sed vota [629] et preces fidelium intra sacrarium suæ exauditionis admittere, acceptanterque in ara summi Dei offerenda mandare. Ille igitur qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, quique stulta mundi approbat, ut confundat forcia, et contemptibilia et ignobilia et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruat, piscatores elegit, non philosophos, paupere et ignobiles, et fecit apostolos, et qui *stultam* juxta Apostolum *fecit sapientiam hujus mundi* (*I Cor.* III, 19), ipsi nichilominus placuit per simplicem apostolorum rusticitatem salvos facere credentes. Ipse os

VARIÆ LECTIONES.

[610] *ita vit. Serv.* Renatus 1. 2. 3. [611] Sulpicius *corr. vit. Serv.* [612] eucherius 3. [613] *deest* 1. 2. [614] diruputæ 1. 2. 3. [615] *ita vit. Serv.* interdiu 1. 2. 3. [616] a nivibus contigi *Ch.* [617] oratorium *vit. Serv.* [618] ut 1. [619] subruebantur *vit. Serv.* [620] hominum 1. [621] Dei genetricis *vit. Serv.* [622] *ita vit. Serv.* eo modo 1. 2. 3. [623] dionantum requiescit 3. [624] episcopatu 1. 2. 3. [625] difficile *Ch.* [626] *deest* 3. [627] *desunt Ch.* [628] *corr.* 1. *pro* excitente. [629] nota 1. 2.

NOTÆ.

(302) Præerat Tungrensibus S. Remigii tempore, si litteris apud Sirmond. I, 205. a Remigio ad Falconem datis fidem habere licet.

(303) S. Domitiani quæ in Act. SS. Mai. t. II. exstant Vitæ post translationem ejus a. 1173 scriptæ sunt, neque majoris momenti altera illa S. Monulfi Act. SS. Jul. I.

(304) Quintæ a. 549 habitæ cujus acta subscripsit Domitianus. Mansi IX, 135. Apud Albericum in Chronico ad a. 511 hæc leguntur : *Dicitur quod ab obitu b. Servatii usque ad synodum Aurelianensem vacavit sedes Tungrensis per annos* 80 *et amplius.*

(305) Huy ad Mosam.

(306) Monulfi et Gundulfi corpora, præsente Heinrico III rege a Nithardo Leodiensi et Gerardo Cameracensi levata sunt mense Augusto an. 1039. Cfr. Chron. Camerac. III, 51. De sepulcro eorum anno 1623 aperto, deque litteris in eo repertis vide Acta elevationis Act. SS. Jul. t. I.

(307) Dinant.

(308) Cfr. Anselmi litteras ad Annonem.

(309) i. q. deficere.

(310) jam pridem i. e. nostris temporibus.

muti [630] aperuit, ipse linguas infantium disertas fecit. Et cum diceret propheta : *Ecce nescio loqui quia puer ego* [631] *sum : Noli*, inquit, *dicere « quia puer sum, » quia ad omnia quæ mittam te ibis et quæ mandavero tibi loqueris* (*Jer.* I, 6, 7). Et ut mirabilior prædicaretur dispositio Omnipotentis etiam in gentibus discolis, sulco [632] terentem dentalia Quintium Seranum (311).

Trepida ante boves dictatorem [633] *induit uxor,*
Et tua aratra [634] *domum lictor tulit.*

Et non modo alienigenæ [635] oculos adhuc apertos habenti resolvit in laudes ora prophetæ, verum quod mirificum fuit cadenti et ad maledicendum properanti, ipsius cui insidebat linguam ad loquendum reseravit asellæ [637]. Ille, inquam, qui tam miris et ineffabilibus signis omnibus gentibus innotescit, ipse beatum Johannem propter ejus forte temporis incredulos præstantissime mirificavit, ut, qui soli omnia scienti propter conscium sibi opus bonum erat notissimus, mirabiliter ejus temporis ostenderetur hominibus.

30. *Quod ei a transmarino quodam prædictum sit eum Trajecti* [638] *episcopum futurum.*

Trajectensis [637] sedes episcopo vacabat, et ad alium substituendum clerus et populus confluxerat, regia sublimitas quem vellent annuerat, sacerdotum et optimatum dignitas auditorium publicum condixerat. Forte *Scinditur incertum studia in contraria vulgus* (312), quia mirifice [638] a Domino providetur alius [637]. Beatus Johannes, cui tunc temporis nomen erat Agnus, tanto et præsago vocabulo meritis simplicitatis et castis respondebat operibus. Insistebat enim agri culturæ, quæ sola fere ars exerceri valet absque totius criminis labe. Hoc autem opus non egestatis coactus penuria vel necessitatis alicujus constrictus inedia, sed pro ejus temporis consuetudine pocius invigilando sequebatur. Non autem ipse operabatur; nobilis siquidem erat, et multis magnarum possessionum [639] reditibus abundabat. Quod ne cui forte videatur ambiguum, testantur etiam prædia ab eodem nostræ æcclesiæ collata, a majoribus nostris et nobis adhuc possessa, et de quibus dominicam decimationem sanctæ Cosmæ retinet æcclesia, pro ejusdem sancti viri sepultura. Dum igitur talibus incumberet laboribus, supervenit quidam de partibus transmarinis peregrinus, qui visione angelica fuit monitus, ut mare transiret, et civitatem bene factam, ab Antonio augusto constructam præaccederet, et virum sanctum ex nomine designatum super magnalia Dei institueret [640]. Is itaque multas circumcirca terras lustraverat, bene factam civitatem quesierat, tandem Hoium peraccessit, civitatem ex nomine demonstrato invenit [641]. Amplius progressus ad horientem, beatum repperisse se lætatur Johannem, juxta condignum angelicum rationali opere in prædio suo Tictantia [642] (313) incumbentem. Et ne ullus ejus animo scrupulus remaneret, temptavit an ex nomine reliquum indicium conveniret. *Salve*, inquit, *vir optime Agne.* Cui cum annueret, et salutatus resalutaret, cercior iam factus vir transmarinus : *Bono*, inquit, *operi insistis, bonus et ipse a Deo cogn*oceris. *Bonus ad te missus sum nuntius, nisi forte, quod absit! verbis meis extiteris incredulus. Opera tua et elemosinæ placuerunt Altissimo, cælos quoque tua frequens penetravit oratio, cuique nota sunt omnia, complacita est quæ in abditis tua manet intentio. Et quia magnifice Domino famularis, magnifice ab eo honoraberis. Mirum servitutis tuæ spectaculum exhibuisti angelicis spiritibus, mirabile de te exemplum præbebitur hominibus. Oppidum Trajectense proprio viduatum est pastore, statuit Dominus eo officii te sublimari honore.* Ad [643] hæc sanctus vir primo obstupuit, arrectæque comæ vox faucibus inhesit (314), perterritusque rei novitate, tandem sic voce resumpta : *Mira quoque* [644], inquit, *prædicas, nec sum incredulus his omnino quæ narras. Oppidum quidem Trajectense vacuum est pontifice, sed me ad id admitti multum videtur ab re. Me enim uxorio innexum vinculo necesse est juxta Apostolum cogitare « quæ sunt mundi, quomodo placeam uxori* (*I Cor.* VII, 33). » *Sed nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, et necesse est his cum vacare, qui quam suavis est Dominus* (*Sapient.* XII, 1) *cupit videre. Non enim canones antistitem statuunt, non talem statuta Patrum saltem ad clerum admittunt. Liberos* [645] *habere mihi contigit, quorum prosperitati* [646] *et usibus intendere lex seculi sancit, et eos quidem subditos in omni castitate* (*I Tim.* III, 4) *Apostolus præcipit, sed domum ante ordinandam canon mandavit. Et hæc omnia esto suppeditent ; quod necessarium tamen est, ad id mihi officium peragendum omnino deest. Opera indolis* [647] *summa ab apostolo in episcopum deflorata desunt, sanctitatis privilegia stirpitus absunt* [648], *inreprehensibilem* (*I Tim.* III, 2) *me esse non autumo* [649], *multis me viciis irretitum conscius mihi ipse condempno. Non astiti laborantibus, non sum compassus merentibus, cum Martha pauperibus Christi* [650] *non ministravi, cum Maria verba*

VARIÆ LECTIONES.

[630] mutum 1. 2.*corr.* muti 2. [631] *deest* 1. [632] fulco 3. [633] *ita e Persio restituendum ;* dicturam 1. 2. 3. [634] dum aratur 1. 2. 3. [635] alienigene *corr.* aligenene 2. [636] trajectensi 1. 2. [637] *deest Ch.* [638] mir : ficissime 2. mirificissime 3. [639] possionum 1. 2. [640] instrueret *corr.* instituere 1. instrueret 3. [641] mine monstrato invenit 2. *corr.* monstrato 3. [642] Tutantia *Ch.* [643] at. 1. [644] *deest* 3. [645] Liberos — absunt *desunt Ch.* [646] prosteritate 1. 2. 3. posteritate *e corr.* 2. [647] indotis 1. 2. 3. [648] inauctumo 1. [649] spū (spiritu) 1. 2.

NOTÆ.

(311) Persius I, 73 75.
(312) Virgil. Æn. II, 39.
(313) Villa est Huyo vicina, Tyhange Gallico vocabulo hodierno tempore nuncupata. CHAPEAV.
(314) Virgil. Æn. III, 48. IV, 280.

divina non attendi. Ideo ab activa multum me desentire fateor vita [450], *contemplativæ vero nunquam saltem delibasse principia. Proferentem* [451] *inquit apostolus eum qui secundum fidem est rectum sermonem. Quem proferet rectum, qui pene numquam didicit ullum* [451]? *Litteras non didici, nunquam studui, scolis non interfui, ferulæ nequaquam manus subduxi: « Non neophitum (I Tim. III, 6) » ait apostolus. Et quomodo ad pontificatum tam insperato debet ascendere, cui non contigit singulos gradus singulariter amministrasse? Quomodo tandem poterit præesse, qui nunquam scivit subesse?*

Tantos ille suo rumpebat [452] pectore questus (315). At senior demum subnectit talia dicens :

« Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis (Psal. CXLIV, 3). » Qui omnia sicut vult potest, ei quoque id perficere impossibile non est, et quidem ex nihilo cuncta creavit, ejus potentiæ quis resistit? Quique valet de lapidibus suscitare filios Abrahæ [453], *ipse potest scientia sua os tuum replere. Tantum ejus majestati nichil difficile existimes, sed credulus linguam fidelem in creatoris aperias laudes. Licet* [454] *enim propheta præconem summæ veritatis dignus generare sit habitus, tamen taciturnitate est dampnatus, quia divini promissi apparuit dubius. Consideravit quippe corpus suum emortuum, uxorisque conditionem effetam ; nec retractavit majestatem Domini omnipotentissimam. Si enim Deum universa ex non subsistentibus fecisse satis adverteret, et stantibus aliquit componere minus dubitasset, etsi indignum se, quia suam perspexit præponderare nequitiam, sed non adversus Dei debuit putare clementiam. « Ecce, » inquit Dominus ad alium prophetam sua sibi crimina inculcantem, et ideo a visione Dei, et magnalibus ejus annuntiandis trepide suspendentem, « Ecce, inquam, calculus quo tetigi labia tua, et auferetur iniquitas tua* [455]. *» Ne, queso, dubita, sed antiquorum diligenter historias pertracta, — fortassis enim aliquas saltem auditu percepisti, — quid in eis aliud antiqua sonant miracula, nisi quia ab omnipotenti Deo mirabiliter jussa innatum sibi mutavit statum natura?*

31. *Quid ad hæc ille responderit, quodque baculus ejus terræ fixus floruit.*

Ad hæc beatus Johannes respondit : *Horum quidem nihil mihi est dubium, sed comparatione eorum, per quos vel a quibus ea gesta sunt insignia, ego sum inferior multum.* Pariterque baculum, quem forte tenebat, infigens [456] humo : *Sicut*, inquit, *perdifficile est hoc amplius aridum quod cernis lignum radicitus terræ inherere, stirpes producere, florere pariter et fructificare, ita videtur inconsentaneum verba quæ dicis in me impleri posse.* Mox mirum in modum lignum continuo superficiem immutavit, stirpitus [456] terræ inhesit, corticem induit, protinus viruit, floruit, et fructificavit [456]. O mira potentia conditoris, o ineffabilis gratia creatoris, o tempus acceptabile, dies prædicanda ubique! Felices hi qui hæc meruerunt videre, felices et nos si non [457] dissimulemus credere, felix et rex cujus hæc contigerunt tempore, felices palatini quibus contigit interesse! Felix clerus tali pontifice, felices populi tanto pastore! Renovatur [458] antiquum miraculum, reparantur virgæ Aaron præclarum prodigium. Illa legitimi index fuit sacerdotii, hæc insperati et dubii, sed divinitus mirabiliter provisi monstratrix exti it pontificii, nisi quod illa unius dilationem noctis accepit, hæc in momento fructificans procrastinationem nullam habuit. Illa infideles confutavit, hæc cælitus destinatum ad opus adduxit [458]. Vulgatum est hoc celebre aput omnium aures, perlatum est ad plurimos regni totius proceres. Non latuit regem fama hæc, aput Trajectum congregatam occupavit plebem. Confestim properatur, legatio Hoium dirigitur, beatus Johannes cum transmarino invenitur, Trajectum usque sub admiratione omnium perducuntur. Regnum Austrifranciæ Dagobertus adhuc adolescens administrabat (*an.* 622), Lutharius magnus, pater ejus, monarchiam quatuor regnorum strenue solus regebat (316). Regia igitur præcepta edicuntur, res in ancipiti posita solvitur, beatus Johannes ad episcopatum assumitur (*circa an.* 625), consentitur a cunctis, omnes favent, universi lætantur. Sanctus vir licet adhuc vellet reniti, quia tamen a cunctis videbat se favorabiliter excipi, lætabatur se vinci a dispositione Dei tam mira et ineffabili. Igitur [459] ab universis exceptus cum laudibus, electus intronizatur, adductus extollitur, acclamatus sanctificatur, sedi inpositus cum reverentia obauditur, nomenque ei Johannes immutatur [459]. Qui qualem quantumque se meritis sanctitatis ornaverit, armis fidei induerit, virtutibus optimis decoraverit, et quod pius opere impleverit, quæcumque digna subjectis implenda mandarit, omnibus est et erit perspicuum, qui tam mira præmissa ab Omnipotente in eum completa non ducent ambiguum. Nam et ipsum in omni morum honestate perfectum, complures habuisse perfectos constat discipulos, ex quibus unum [460] accepimus beatum scilicet Mononem (317), responsis sub eo æcclesiasticis instantem perfectum

VARIÆ LECTIONES.

[450] *deest* 1. C. D 1. 1*. 2. [451] Proferentem — ullum *desunt Ch.* [452] rumpepat 1. [453] Habrahæ 2. 3. [454] Licet — tua *desunt Ch.* [455] infingins 1. [456] stirpitus — fructificavit *errore quodam exciderunt in* 1. [457] si 1. [458] Renovatur — adduxit *desunt Ch.* [459] Igitur — immutatur *desunt Ch.* [460] in unum 1.

NOTÆ.

(315) Virgil. Æn. IV, 553.
(316) Obiit a. 628.
(317) Vita S. Mononis Sur. VII, 783. Herigero recentior est

exhibuisse martyrem. Ipse vero domnus et sanctus Johannes cursum vitæ præsentis explens, in senectute bona repausationem indeptus, hominem exivit, bravium coronæ perhennis accepit, sepultus in æcclesia Cosmæ Hoio sita in monte (318).

32. *De sancto Amando.*

Post hæc sanctus Amandus 22 subrogatur, cujus, quia vita plena virtutibus habetur descripta, placuit hic inde decerpta deflorare tantummodo pauca, et ipsa ante episcopatum [661] gestorum ejus altius repetere initia. [(Baudemundi *Vita S. Amandi*, c. 2.) Igitur Aquitania nativitatis ejus extitit patria, pater Serenus, mater Amantia vocitata est, non solum secundum seculi dignitatem incliti, verum etiam christiani. Dum puer adhuc esset, patriam parentesque reliquit, Ogiam (319) insulam ad occidentem maris oceani expetivit. Illic a fratribus spiritualibus cum magno recipitur gaudio, et quia sacras [662] litteras didicerat, in Dei cottidie [663] servitio majori fervebat desiderio.

33 [664]. *Quod serpentem oratione fugaverit, loca sancta adierit, patriam revisit.*

[Primum signorum ejus inditium [665] fuit, quia dum per eandem insulam gratia obedientiæ cujusdam jussus deambularet, miræ magnitudinis serpentem obvium habuit [666]. (c. 3.) Primo ut puerilis patiebatur ætas extimuit, deinde orationem prostratus fudit, surrexit, crucis signum opposuit, vi verborum ut ad latebras redeat edicit. Ille imperatis obaudit, quantocius redit, et in eadem insula ulterius non comparuit. (c. 4.) Deinde pater ejus ad eandem insulam devenit, ut de monasterio debeat egredi monet, ut secularem resumat habitum suadet, addit insuper quia, nisi obtemperaret [667] hereditate se privet. Ille autem : *Id*, inquit, *territas ociose, quo semper voluntas est carere ; Dominus pars hereditatis meæ.* Post hæc Turonos [668] sancti Martini petit sepulchrum ; ibi ejus interventionis oravit auxilium, ut id sibi gratiæ apponi expostulet Dominum, quatinus peregrinationi tocius vitæ sibi concedat dependere cursum. (c. 5.) Ab oratione surrexit, capitis comam abscidit. Clericatus est adeptus honorem, omnem in clero gratiam transcendebat per ordinem. (c. 6.) Inde progressus Bituricos adiit, ubi a sancto Austrigisilo ejus civitatis episcopo et ejus archidiacono beato Sulpicio post honeste et humane suscipitur, quorum suasu cellam ibidem construxit, quam fere per 15 annos inhabitavit. Cilicio tectus et cinere vigiliis se macerabat assidue, jejuniis et inedia attritus, ordeacio pane contentus, a vino abstinuit, aqua tenui corpus sustentavit potius quam aluit. (c. 7.)

A Deinceps desiderio inflammatur cælesti Romam adire, limina apostolorum invisere, orationum eorundem suffragia expetere. (c. 8.) Quod ubi complevit, egredientibus quadam nocte custodibus in æcclesia submittit, inventus injuriis afficitur, ab æcclesia eliminatur. Hac de causa in foribus sedentem contristatum et subito in mentis extasi raptum sanctus eum Petrus blande et comiter delinit [669], ut Gallias ad prædicandum repetat admonuit. Ille hilarior redditus Gallias est reversus

34 [670]. *Quod episcopus factus multa bona opera fecerit.*

(c. 9.) Subinde coactus a rege et sacerdotibus episcopus ad prædicandum, ut tunc moris erat, est ordinatus. Quod officium strenue inplevit, circumB quaque positis verbum Domini annuntiavit, monasteria plura exstruxit, prædiis et opibus a rege et principibus acceptis juvit, qui ea incolerent et Christo militarent locavit. Captivos vel transmarinos, si quos inveniebat, accepto a rege vel fidelibus pretio redimebat, litteris [671] sacris inbuebat, diversis ad sustentandum æcclesiis dirigebat. Alii ex his visi postea sunt abbates, multi presbiteri, aliqui insuper episcopi [671]. (c. 10.) Iterum [672] subiit animum Romam temptare, contigitque inde revertentem Centumcellis devenisse. Ubi cum in oratione pernoctaret [673], diabolus unum de famulis ad mare pertrahebat, ut eum demergeret. Illo iterante : *Christe adjuva me*, diabolo hæc inproperante : *Qui Christus ?* ait beatus Amandus : *Filius Dei vivi crucifixus.* Ad hanc vocem disC parente diabolo, ereptus est homo. (c. 11.) Per idem pelagus navigantibus eis, captus est piscis; cujus captura gaudium cumulaverat nautis. Hanc læticiam subito orta turbavit tempestas, quæ omnes in desperationem adduxit, jactari quæque necessaria in mari compulit, ad ultimum ad Dei famulum confugere fecit. Iterato sanctus Petrus per puppim navim transiens apparuit, confidere jussit, salvandas omnium animas repromisit. Sedata est procella, tempestas fugata. Facto mane, omnes ad terram incolomes exiere.

35 [674]. *Quod Gandensem [675] populum converterit.*

(c. 12.) Aggressus est interea Ganda oppidum Scaldi fluentis impositum, diaboli sic laqueis irretitum, ut arbores et ligna pro Deo colerent cæterisque circumquaque positis ad fidem Christi inclinatis, ipsi vel propter efferatos mores, vel propter infecundos [676] cespites, adhuc idolis inservirent, favente Aichario [677] episcopo Noviomense, regia superincumbente auctoritate, tantum discrimen aggredi

VARIÆ LECTIONES.

[661] epam 1. 2. 3. [662] l. s. 2. 3. [663] totidie 3. [664] XXXII. 1. 2. 3. [665] initium *Tit. A.* [666] habet 1. [667] obteperaret 1. obtemperet 2. 3. [668] turonos *corr.* turonis 2. [669] delinivit 2. 3. [670] XXXIII. 1. *deest* 2. 3. [671] litteris —episcopi *desunt Ch.* [672] item C. [673] prenotaret 1. 2. 3. [674] XXXIIII. 1. 2. 3. [675] Gaudensem 1. [676] *e corr.* 2. infedos 1. [677] Achario *corr.* Aichario 1.

NOTÆ.

(318) Si Ægidium audis hoc erat Joannis epitaphium :

Per stimuli florem tulit agricultor honorem.

(319) Nunc insula Oyem e regione Rupellæ. Cfr. Act. SS. Febr. I, 816.

susus est sine cunctatione. Quociens injuriatus, quociens [478] flagris cesus, quociens ab inhonestis mulieribus deturbatus, quam sepe in flumen præcipitatus, ad ultimum fugatis cæteris sodalibus ipse remansit prædicationi desiduus. (*Vita S. Baronis.*) Monasterium sancti Petri illic ædificavit, sanctum Bavonem ex Haspanio prædonem convertit, et trans fluvium facta cellula pœnitentem reclusit. (*Vita S. Amandi*, c. 13.) In eodem pago reus quidam comiti ad dirimendas causas sedenti a lictoribus præsentatus, graviter cæsus, stipiti est addictus, sanctus vir Amandus supervenit, pro reo intercedere voluit, aput judicem nichil optinuit, domum confestim rediit. Reus patibulo est affixus, et statim apparuit mortuus. Judex cum cæteris discessit, beatus autem Amandus hominem mortuum invenit, ad cubiculum ubi orare solebat deferri fecit, in oratione super corpus pernoctavit, mane fratribus convocatis aqua lotum restituit vivum, ita ut vulnerum quidem ejus nullum [479] remaneret inditium. (c. 14.) At ubi longe lateque divulgatum hoc miraculum, sponte ad eum confluebant, idola sua propriis manibus destruebant, ex eis æcclesias Christi et monasteria edificabant. (c. 15.) Sic prædicationem suam fructificare gavisus, transito Danubio, gentibus illis prædicare est orsus. Paucos in Christo regeneravit, et quia fructum quem putavit non est lucratus, martirium quod sperabat non est indeptus, ad propria subinde est regressus.

36. *Dagoberti regis filium catezizat.*

(c. 16-17.) Dagobertus interea rex filium suscepit, beatum Amandum qui eum ex sacro fonte exciperet inquiri mandavit, et quia idem pontifex dudum pro capitalibus eum criminibus arguens, non absque injuria de regno fuerat expulsus, humiliter ut sibi hoc remitteretur volebat orare, et ex generatione filii sibi conciliare. Beatus Amandus repertus advenit, noxam remisit, filium ejus tamen de sacro fonte suscipere humiliter recusavit, fugiendo declinavit. Missis deinde rex sanctis viris Eligio (320) et Audoenio (321) post episcopis, vix obtinuit, filium non plus quadraginta dies a nativitate habentem catezizavit. Circumstantibus in alia occupatis non respondentibus, puer clara voce *amen* respondit, sicque baptizatus et Sigebertus vocitatus gaudium omnibus fecit. (c. 18.) Post hæc, ut supra dictum est, beatus Johannes episcopus Trajectensium feliciter migravit ad Christum (*circa an.* 646). Rex convocatis A multis sacerdotibus sanctum Amandum evocavit, Trajectensibus præfecit. Per triennium vicos et castra circuivit, verbum vitæ annuntiavit; tunc nichil se proficere cernens, sacerdotes insuper [480] et levitas insultare sibi considerans, pulverem pedum in eis excussit, et ad alia deinde loca demigravit (322) (*an.* 649). De cætero brevitate studemus, quia aliorum scribendis gestis pontificum nos reservamus.

37. *Quod contemnentes verbum Dei ex ore ejus ultio divina percussit.*

(c. 19.) Canalaus (323) postea insulam super Scaldum fluvium invenit, ibi cum fratribus spiritualibus Christo militavit. Contemptores verbi Dei ingens per biennium plaga attrivit, ita ut eo loco nullus remanserit, qui virum Dei prædicantem contempsit. (c. 20.) B Vacceiam deinde gentem quæ Wasconia dicitur adiit. Ea in montibus manebat, idola pro Deo colebat. Mimilogus [481] (324) quidam servum Christi derisit, evangelium annullabat, protinus a demonio arreptus, propriis se lacerans manibus miserabiliter expiravit.

38. *Insidiatores suos cecitate percussos* [482], *itemque cecam mulierem illuminat.*

(c. 21.) Illic etiam parum proficiens civitatem quandam in revertendo intravit. Ibi ab episcopo civitatis honorifice susceptus, dum aqua in ejus funderetur [483] manibus, caute jubente episcopo conservata, cecoque cuidam porrecta, dum oculos ex ea fovit, protinus vidit.

C 39. [484] *Monachum inobedientem paralisi percussum liberat. Enumeratio virtutum ejus* [485].

(c. 22.) Franciam deinde rediit, locum ubi deinceps habitaret elegit, Hildericum regem adiit, municipium ubi monasterium construeret rogavit. (c. 23.) Igitur inpetravit, sed Mumolus Ozidinsis (325) urbis episcopus hoc graviter tulit, apparitores continuo misit, qui ei aptiorem locum simulate ostenderent, et ad quendam montem deductum occulte interficerent. Hoc beatum virum Spiritu sancto revelante non latuit, tamen ardore martirii ire perrexit. Ad montem itaque pervenitur, apparitores cecitate feruntur, sed pœnitentes beato Amando orante iterum illuminantur. (c. 24.) In redeundo apud quandam cecam in pago Belvacensi ospicium accepit; sciscitatus causam D cecitatis, didicit, adorare eam arborem dicatam demoniis, mox ut illam incidi ab eadem fecit, protinus mulier recepto lumine vidit.

(c. § 25.) [486] Præposito monasterii cujusdam ut

VARIÆ LECTIONES.

[478] quocens 1. [479] ullum 1. 2. 3. [480] et super 1. [481] Minilogus *corr.* Mimilogus 1 [482] perculsos 3. [483] funderentur 1. 2. [484] XXXVIII. 1. 2. [485] et dormitio *additur in indice* 1. [486] *in* 1. 2. *hoc loco* XXXVIIII. *scriptum est, in* 3. *quædam erasa videntur; desideratur in indice.*

NOTÆ.

(320) Noviomensi.

(321) Rothomagensi.

(322) Cf. Martini I. papæ litteras ad S. Amandum datæ a. 649. Mansi X, 1185.

(323) Chavelaus, Chanalaus, Chalelaus, Calolo in itis S. Amandi vocata, insula est Scaldis fluvii Calloo, duas leucas ab Antwerpia distans. Act. SS. Febr. t. I 820.

(324) Jocularis in quibusdam Vitæ S. Amandi codicibus vocatur. Act. SS. l. l.

(325) I. e. Uceticensis in Gallia Narbonensi

plaustra vino fratrum subvehendo pararet mandavit; ille ad excusandas excusationes in peccatis quasi plaustra habere non posset neglexit, et ad horam inobediens extitit. Ut tamen ire cœpit, mox in paralisi resolutus, quibus valuit verbis quia inobœdientiæ causa hæc pateretur manifestavit. (*c.* 26, 22, 27.) Navi inpositus ad virum Dei [587] Elnonem deducitur, vinum et panem ab eo accipiens, in integrum sanitati restituitur, et de perversis moribus in reliquum emendatur. Alia multa miranda peregit, cœnobia innumera ædificavit, opibusque [588] ditavit, Deo servientibus cumulavit, ad ultimum Elnonem monasterium (326) inhabitavit, ubi et sanctam dormitionem accepit (*circa an.* 684).]

40. *Proemium in vitam beati Remacli.*

Omnipotens Dominus, qui dives est in misericordia, cujus natura bonitas, voluntas effitientia [589], opus misericordia, sustinuit vasa iræ, apta in interitum, in multa patiencia (*Rom.* IX, 22), tandem salvandis omnibus venit, quia a reatu primæ prævaricationis liberum nullum invenit. Divitias bonitatis et longanimitatis suæ omnibus prærogavit, voluntatis omnipotentiam et [590] ingratis et respectu gratiæ suæ indignis efficacissime exercuit, quia opus misericordiæ salvatricis ut esset recuperabile misericorditer ante providit. Forti [591] arma abstulit, in quibus confidebat, vasa distribuit quæ possidebat, ut sicut prius fuerant peccatis interpellantibus [592] iræ, ita deinceps per gratiam divinam fierent vasa misericordiæ. Quia ut non est credendum aliquem ad salutem venire nisi Deo invitante, sic nec invitum quidem salutem suam operari nisi Deo auxiliante, nullum voluntate Dei perire, sed permisso arbitrii pro [593] sua electione, ne ingenuitas potestatis attributa semel homini ad servilem cogatur necessitatem referri [594]. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus. Ut [595] itaque adquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ est potestatis, ut adipiscamur quod moniti adquiescendo cupimus, divini est muneris; ut labamur, nostræ est potestatis et ignaviæ, ut non labamur, indepto salutis munere nostræ quidem est quodammodo sollicitudinis, omnimodo vero adjutorii cælestis. Et ei spei fortissimæ innitentes [596] beatos esse, re ipsa comperimus, qui dum Christum in carne tantam prælibantem salutem non viderint, credere fideliter audita non dubitaverint. Multos namque ipsorum quæ ipse fecit fecisse, et majora (*Joan.* XIV, 12) juxta promissum ipsius operatos esse, non solum fatentur proximi, sed etiam ultra Sauromatas prædicant positi, et glacialem frequentantes oceanum et fortunatarum incolæ insularum. Et ideo tanto delectet nos succumbere bono, tanto voluptas sit subesse Domino, qui non modo fautor et adjutor est incremendo proficientium, verum remediabiliter providet ruentium casibus obviandum, dum et angelica nobis præstat suffragia non deesse, et patrocinia conferi sanctorum, quos pro reatibus intercessores non dubitemus efflagitare. Quos cum passim et diversis donatos provinciis in commune conveniat honorare; singulis tamen quibusque locis misericorditer provisos attribuit, quos specialiter amplectendos et propensius exorandos voluit. E quibus nobis beatum Remaclum destinavit, cujus quia suffragiis plurimum innitimur, ejus vita et gesta, ut captus est facultatis, narrare ordimur.

41. *De regno Francorum et Aquitania unde sanctus Remaclus oriundus fuit.*

Francorum regnum a sui principio semper infatigabile, tunc præ cæteris sibi collimitaneis [597] visum est florere, [cum jugo dominicæ fidei colla passum inclinare, et quod prius adorat incendere, quod incenderat voluit deinceps adorare (Hincm. *Vit. S. Remigii*, c. 64. Cf. *Gesta Franc.* c. 40).] Maximum autem accepit incrementum et firmum sub eo sancta Dei æcclesia statum, cum Clotharius [598] rex justa successione hanc [599] quartus monarchiam singulariter trium regebat regnorum, et eum quadragesimum agebat annum (*an.* 613), quem Eraclius augustus sanctæ crucis relator quartum decimum. Hic sceptro [600] suo nullius circumpositi sceptrum [601] passus est occursare; sed quicquit pene Gallia et Germania regum et gentium continuit, suis studuit habenis coercere. Hic filium suum inclitum Dagobertum Austrasiis præfecerat, ejusque dominio Germaniæ regna conjunxerat (*an.* 622). Quorum felicissimo tempore in tantum exuberavit christianitatis titulus ubique, ut pene rara aut nulla citra finitimos inveniatur hodieque æcclesia, quæ non alicujus ejus temporis sancti nobis prætendat [602] patrocinia. Sed ut sileamus interim de innumeris, tunc sancti viri Eligius et Audoenus (327) palatinis inceptabant insudare curis, beatus Arnulfus cum Romarico regalibus jam tunc intererant consiliis. Sanctus autem Amandus et beatus Remaclus et sanctus Goar Aquitaniam nativitatis suæ illustrabant auspiciis. Est autem Aquitania, quam quidam partem fere terciam autumant Galliarum, ab obliquis aquis Ligeris fluminis nuncupata, qui ex plurima parte eam limitat, peneque in orbem circumdat. Hæc a circio habet occeanum, qui Aquitanicus

VARIÆ LECTIONES.

[587] *deest* 1. [588] que *deest* 2. 3. [589] efficientia 2. [590] *deest* 3. [591] Forti — referri *desunt Ch.* [592] interpellentibus 3. [593] p. 1. 2. 3. [594] Ut— innitentes *desunt Ch.* [595] collimitanus 1. collimitans 2. 3. [596] clo *e corr.* 2. lotharius 1. 3. [597] tunc 2. 3. [598] *ita vita Landoaldi* c. 1. circumpositis ceptrum 1. circumpositis sceptrum 2. 3. [599] *ita vit. S. Landoaldi c.* 1. portæntat 1.

NOTÆ.

(326) Situm inter Tornacum et Valencenas. CHALLAY

(327) Cf. S. Audoeni Vita coæva c. 6, Act. SS. August. IV, 806.

sinus dicitur, ab occasu Hyspanias, a septentrione et oriente Lugdunensem [800] provintiam, ab euro et meridie Narbonensem (328). Rivulis et fluminibus piscosa, glebis terræ pinguissima, vinetis nectarea, nemoribus consita, fructibus opulenta, pascuis pecorum sufficientissima, auri et argenti et cæterorum copiis metallorum refertissima, navium et vectigalium comeatibus questuosa, sed voluptatum omnium præ ceteris provinciis luxuriæ fructuosa, et viris præ reliquis efferatos mores habentibus bellicosa pariter et inquieta. Hæc, municipiis et cæterarum municionum castris exceptis, habet civitates opinatissimas pergrandes pariterque populosas 14. Ex quibus duæ sunt metropoleos urbes, una scilicet Burdegalensium titulis semper magnorum insignita virorum, altera est Bituricum habens hac tempestate sanctum Austrigisilum archiepiscopum et beatum Sulpicium archidiaconum in brevi post eum pontificali (329) honore donatum. In quorum parrochia beatus isdem diebus Remaclus felicissime sumpsit nativitatis exordia, [pater ejus Albucius, mater est vocata Matrinia. Ambo secundum seculi dignitatem divitiis pollentes [801], utpote generis nobilitate cluentes, velut traditio magnarum possessionum ejus tam Tungrensi æcclesiæ quam nostro monasterio [802] (*Vita S. Remacli*, c. 1)] facta, vel ab ipso vel a proheredibus ejus, vel etiam a regia sublimitate, testatur. Multa etenim scripta ex eisdem rebus per multa annorum curricula a nobis possessis, in utrarumque æcclesiarum adhuc retinentur archivis.

A

B

C

42. *Quod idem a beato Sulpicio dehinc sub Elegio educatus palacii primoribus innotuerit.*

Sed ut, unde [803] paulo momento evagati sumus, articulum reflectamus [804], [educatus est sublimiter bonæ indolis puer Remaclus (*Vita Rem.* 1) prout plurima facultatum copia ejus suppetebat parentibus,] sub beato Sulpicio (330), in cujus veneratione constat ab eodem sancto viro plurimas in nostra dyocesi postea dicatas æcclesias. Deinde eum adultum et tocius bonitatis, ut tali competebat ætati, jam [fructum ferentem tradunt beato Eligio, viro omnibus ejus temporis hominibus meritorum gratia præferendo. Qui eum Solempniaco [805] (331) monasterio, quod ipse pio opere in sua construebat hereditate,] locavit, et sacris monasticæ disciplinæ institutionibus ad unguem [806] instruxit. [In tantum autem bonus adolescens adhesit monitis sancti viri, ut non modo haut segnis fieret verbi executor [807] divini, verum gratia ita [808] exuberaret superna, ut omnibus sub eadem militantibus disciplina religiosæ conversationis fieret exemplum et norma. In vigiliis namque continuis pernoctabat, orationes vero per noctem [809] continuabat, in abstinentia præcipuus, in universa morum probitate [810] præclarus.] Hæc sanctus Eligius, cui commissus fuerat, cernens, simulque ad ejus profectum animi alacritate commigrans, [curam sibi gregis commissi illi committere non abnuit, onus et vices repartiri non dubitavit, seque servitio palatii sicut compellebatur reindulsit. (*c.* 2.) Post [811] hæc labentibus annorum curriculis vulgante fama in circumpositis Galliæ totius provinciis, auditum est undique de vita et actibus sancti viri. Et aures procerum, qui tunc palatinis invigilabant curis, penetravit [812] gestorum eorum opinio, quod scilicet talis ac tantus pullulans palmes vitis summæ responderet plantario. Non potuit ordinante Altissimo lucerna divinæ accensa gratiæ spiculo sub propriæ considerationis contegi modio, sed ut supplementum fieret desiduis in fide proposito lichnus superponitur candelabro [813]. Igitur promulgatum est in aula regali tantum virum non debere abesse præsentiæ regis, ut illius prudentia disponerentur regni negocia, cujus tanta jam tunc audirentur meritorum insignia. Evocatus itaque honorifice ut decebat ad palatii producitur limina, magnum eo [813] modo omnibus solamen futurus, uti subinde perdocuit rerum eventus.] Per idem ferme tempus beatus Johannes Tungrensium vel Trajectensium feliciter regens pontificatum, hominem exivit [814]. Inclitus [815] rex Dagobertus, qui patri defuncto auspicabiliter successerat et monarchiam imperii solus sollerter administrabat, beatum Amandum, qui ad prædicandum, ut tunc moris erat (332), factus fuerat episcopus, arcesierat. [Et quia dudum arguens eum pro capitalibus (*Vita S. Amandi*, c. 16) injuriatus fuerat et expulsus, deinde per regenerationem [816] (333) filii sui Sigeberti aliquantisper reconciliatus, temptavit, sicut et fecit, eum sibi arcius devincere, et in Trajectensium cathedra sublimavit. (*c.* 18.) Qui per triennium vicos et castra circuivit, verbum vitæ disseminavit, nichil se proficere cernens, sacerdotes insuper et levitas sibi insultare dolens, pulverem pedum juxta Domini præceptum in testimonium supra illos excussit, eosque tali elogio in posterum denotavit, et ad alia deinde loca prædicando ut antea fecerat demigravit.]

D

VARIÆ LECTIONES.

[804] lugdiniensem 1. 2. [801] *reliqua desunt Ch.* [802] ad nos *vit. R.* [803] inde 2. 3. [804] flectamus 3. [805] sollemniaco 1. cum sollempniaco 3. [806] apprime C. ad primum D 1. [807] exesutor *corr.* executor 1. [808] *deest* 3. [809] pernox 2. 3. *Ch. vit. Rem.* [810] honestate 3. [811] Post—candelabro *desunt Ch.* [812] *deest* 1. [813] ea 1. [814] exiuit *corr.* exuit 2. [815] *reliqua pæne omnia desunt Ch.* [816] *ita restituendum ex vita S. Amandi*, peregrinationem 1. 2. 3. *corr.* per regenerationem 2.

NOTÆ.

(328) Hæc in Æthici cosmographia, dein apud Orosium I, 2, leguntur. Unde sequentia hauserit auctor me ignorare libere confiteor; ipsi Herigero tribuendum esse vix ac ne vix quidem mihi persuadere possum.

(329) Bituricensi.

(330) Silentio hoc prætermittitur in S. Sulpicii Vita coæva Act. SS. Jan. III, 167.

(331) Solignac in Aquitania et diœcesi Lemovicensi. Cf. Vita Eligii I, 16; Sur. VI, 636.

(332) Cfr. cap. 34.

(333) Scil. baptismatis.

43. *Quod beato Amando in cathedra Trajectensi successerit, et qualiter ibi vixerit.*

Incompertum est deinde, quanta temporis intercapedine[817] plebs Trajectensium fuerit sine pastore, donec Sigebertum pater regem Austrasiis præfecit, et in Mediomatricum urbe sedem habere constituit (*an.* 632). Cui plebs[817] Trajectensium cum electione communi sacerdotum, cum frequentia et audientia magnatum[818], cum vociferatione etiam acclamatione omnium ordinum, obtulit tale precum suarum votum, neminem sibi debere nisi beatum præesse Remaclum, hunc Deo et hominibus acceptum et nulli ejus ætatis[819] sanctitate secundum[820], hunc[821] angelicis spiritibus gratum, hunc terram incolentibus reverendum, ejus se multimoda expertos commoda beneficiorum, interventionum illius tam apud regem quam apud proceres sepe sensisse suffragium, prudentiæ illius advertisse sollertiam, cum regalibus crebro consiliis inpenderet operam; non deesse ei scientiam scripturarum unde proferat nova et vetera, subesse ei omnem[822] catalogum cum dotis summa ab apostolo in episcopum deflorata[823] (*I Tim.* III, 2). Talibus votis rex favorabiliter assentiens, tantis studiis officiose concordans, decrevit eorum quia æquum expostularent annuere peticioni, simulque super hoc inire colloquia beati viri. Sed quis memoratu possit sufficere, quanta illum benignissimus rex ad assentiendum demulsit verborum dulcedine? Quis denique valeat enarrare, quantum vir beatus reluctari et reniti visus est pro posse? Et rex sacerdotum et obtimatum fretus consilio, a proposita non destitit[825] intentione. Sanctus vero sacerdos metuens sanctioni contraire divinæ, licet nolens septimus et vicesimus Tungrensi vel Trajectensi substituitur[824] æcclesiæ (*an.* 650) [ut verbi semina deinceps in plures diffunderet, quæ in se hactenus diu latentia occuluisset (*Vita S. Remacli*, c. 3).] Porro cujus meriti religionisque quam integre in eodem extiterit regimine, nostræ facultatis non est evolvere, cum[826] mox in ipso initio ejus ordinationis tantam ei gratiam Dominus contulit prædicationis, ut omnes aurem quam citissime accomodarent[826] obœditionis[826], nullus esset qui non eum ex affectu diligeret, unusquisque ejus inherere doctrinæ pro se sedulo ageret. Nichil enim arrogantia[827] de ejus moribus usurpabat, totum hunc humilitas tota possederat. Superbi hunc reverebantur[828] ut sibi superiorem, humiles amplectebantur ut fratrem. In commune bonus, omnibus certe benivolus, in terra positus cælestem se habitu ostendebat et moribus, angelicus in aspectu, mundus in incessu, nitidus, sanctus in actu, integerrimus corpore, sollertissimus mente, circumspectus in opere, optimus ingenio, magnus in consilio, catholicus fide, patientissimus spe, diffusus extitit charitate, et cujusque meriti erat, operibus declarabat, quippe piissimus et omni suavitate facillimus. Inter divites et pauperes semper medius, ut pauperes illum quasi pauperem, divites computarent ut divitem. Non enim[829] personas potentum, sed pensiducebat elegantiam morum; tantum quemque honorans propensius, quantum agnovisset vivere sanctius. Quod astruebat ore, numquam destruens actione, præmonstrans opere quid esset docendum voce. Et quod ei gratia divina concessit, in posteros derivavit; non solum enim per se ipsum nobis hodieque proficiunt gesta, sed discipulorum illius et qui ab eo edocti[830] fideliter sunt exemplo et imitationi nobis opera[831]. Cœnobiorum extitit plurimorum fundator et rector, ubi ejus exemplo usque in præsentem diem Christo famulantium accrescunt agmina. Discipulorum multorum fuit pater et institutor, quorum[831] et Christo lucratus est animas, et quorum ab eis et ab eorum successoribus adhuc lucrantur animæ; ipsius cottidie usuratu fœneratur talenti[832] recompensatione, ejusque ascribitur meritis, quod eorum cumulantur augmentis[831]. Ex quorum numero beatus extitit Theodardus, ab eo procul dubio disciplinis æcclesiasticis informatus, utpote ab ipso sibi successor designatus[833], et ad ultimum martirii coronam indeptus.

44. [834] *Quot sancti viri sub eo coaluerint.*

Sanctus etiam Lambertus unus ex discipulis ejus extitit, qui et ipse martirem probatum suo tempore exhibuit. Sic quoque beatus Badelinus[835], qui et ipse Aquitania ortus et convena dicitur fuisse peregrinationis[836] illius, dum aliquando digna ubi secesserat Deo opera gereret, vidit in visione eundem patrem sibi apparuisse, vultu venustum, crine reverendum, statura reliqua præstantissimum, quique illi locum (334) futuræ conversationis[837] et perpetuæ requietionis ostendit, et fontem usibus habilem hominum demonstravit. Quod cunctis adhuc liquido demonstratur, dum et[838] in eodem loco corpore tenus[839] requiescit, et spiritu præsens innumera credentibus ibidem cottidie beneficia præstare non desistit. In[840] sancti quoque viri Trudonis opere et electionis sorte perpendendum est, qua intentione

VARIÆ LECTIONES.

[817] pleps 1. [818] *ita vit. S. Rem.* magistrorum *vit. Had.* magnarum 1. 2. 3. [819] æt. acceptum s. 1. *sed expuncto est vox* acceptum. [820] *deest* 1. [821] hunc — deflorata *desunt Ch.* [822] omne *corr.* omnem 2. [823] destituit 1. 3. *corr.* destitit 2. *et vita S. Remacli.* [824] substituitur 1. substituitur *corr.* substituitur 2. [825] cum— obeditionis *desunt Ch.* [826] *ita vit. Remacli; desideratur* 1. 2. 3. [827] *ita vit. Rem.* arrogantiam 1. 2. 3. [828] revertebantur. 1 [829] Non—opera *desunt Ch.* [830] educati *vit. Rem.* [831] quorum—augmentis *desunt Ch.* [832] *ita vit. Rem.* tali 1. 2. 3. [833] *deest* 2 3. [834] LIII. 1. 2. [835] Hadelinus 3. [836] fuisse *repetitur in* 1. [837] cumversationis 1. [838] *deest* 3. [839] corporenus 3. [840] In—hortabatur *desunt Ch.*

NOTÆ.

(334) Nunc Celle dictum non procul a Dionanto. CHAPEAV.

sanctus sacerdos circa caulas et custodiam dominici gregis invigilaverit, [et quod spiritu prophetico plenus futurorum interdum præscius fuerit (*Vita S. Remacli*, c. 4),] et divinitatis amore flagrans cupiditatum omnium incentivo refrixerit.

44. [841] *Sancto Trudoni adhuc puero quid eum oporteat facere prædicit.*

Pastorali sollertia parochiam beatus Remaclus circuiebat [842] ex more, quos poterat a luporum voracitate eripiebat, et summo pastori lucrari satagebat, bonis ut in melius proficerent adminiculabatur, desidiosis et torpentibus ut resipiscerent hortabatur [843]. [Interea sanctus Trudo puerili adhuc ætate floridus primos emittebat boni saporis fructus. (*Vita S. Remacli*, c. 4. Donati, *Vita S. Trudonis*, c. 1).] Hic cum superbi admodum sanguinis generositate polleret, magis tamen in divini amoris et virtutum studiis anhelabat, [et ideo sancti Spiritus tactus est ardore, ut voto se aliquando obligarit, ut si quandoque Christo auspice sacros apices addisceret, æcclesiam in suæ proprietatis fundo (335) ædificare deberet, seque ibidem perhenniter famulaturum,] cooperatores et [844] Domino conservituros [845] quo possit aggregaturum. [(*Vita S. Remacli*, c. 5.) Tali estuans desiderio, visione nocturna corripitur, et angelica consolatione in hæc verba perdocetur: *Vota* [846] *quibus te, frater, obligasti a puericia cuncta tuenti scias accepta, preces quas Omnipotenti humiliter obtulisti, qui præveniendo aspiravit, adjuvans coadimplevit, quique prælibavit affectum subpeditabit potenter effectum. Ipse sapientia sua inplebit* [847] *cor tuum et eruditet te mandatis suis, et monita sua exarabit in antro pectoris tui. Ad æcclesiasticæ quoque dignitatis gradus promoveberis* [848], *multos Christo et æcclesiæ filios tuo exemplo generabis, et ut ex his cercior teddaris, surgens beatum Remaclum debes adire, qui nunc haut procul abest huic viciniæ, illi* [849] *revelavit Dominus quæ agere habes* [850] *omnia, ipse diriget gressus tuos in quæ desiderat anima tua* [851]. (*c.* 6.) Surgit vir Dei propere, de visione angelica non dubitat, quo [851] jussus fuerat tendere gressum accelerat. Sanctus Remaclus curæ pascendarum interim ovium insudabat. Beatus Trudo adveniens comminus appropinquabat [852], cum ecce, ut Spiritus sanctus ejus dudum auriculæ revelaverat, ait domesticis suis: *Surgite* [853] *velocius, viro Dei qui ad visitandum nos venit obviam conamini quantocius, cum reverentia illum excipite, cum honore ad me introducite; ecce est in comminus, occurrite ei celerius.* Illi mandata perficiunt, ad episcopum ubi domi cum suis manebat [854], introducunt [855]. Intuitus pater eum pius surrexit, et præ gaudio fletus ejus in oscula ruit, illum suis se vestigiis advolvere conantem sustinuit, et a terra protinus elevavit, hasque de intimo pectoris Deo grates libavit: *Sit tibi, Jesu bone* [856], *per Spiritum sanctum cum æterno Patre visitator animarum, gloria, laus et jubilatio; qui voluisti nos in hac die consolari per ejus in quo habitas adventum famuli tui* (*c.* 7.) *Et tu, fili mi, sis benedictus a Deo altissimo, qui te dignatus est ad nos dirigere, et desiderium animi tui occulta inspiratione nobis significare. Scito ergo præ-noscens* [857], *fili mi, quia ab hac hora filius mihi vinculo charitatis eris, et ego perhenniter jura tibi patris supplebo spiritualis. Mihi enim servo tuo dignatus est Dominus revelare quicquit super dispositione animi tui te oporteat agere, et a me perdoceberis qualiter compos voti tui existere possis. In puericia tua Spiritu sancto insinuante vovisse* [858] *te didici, quia si Christo adminiculante sacras unquam litteras addisceres, æclesiam in tua hereditate edificares, ibique ipsi vita superstite militares. Hæc omnia hoc ordine noveris te adimpleturum, sancto Stephano protomartiri possessiones tuas quas* [857] *apud urbem Mettensem habes tradere, et ab inhabitantibus divinas pleniter scripturas addiscere. Postea voti compos ad me remeabis, et æcclesiam quo volueris sicut pollicitus es edificabis.*] Dans (336) itaque litterarum suarum indiculum, benedictione sua munitum ad Metensis urbis misit episcopum, ab eo secundum quod sibi sanctus indicaverat [859] Spiritus [860] instruendum. Mediomatricum urbi sanctus tunc præerat Chlodulfus [861] (337), beati [861] Arnulfi sicut carnaliter filius, ita et virtutum meritis et pontificatus infulis heres et successor dignissimus. Hic benignissime et humanitus beatum suscepit Trudonem, non modo ejus qui suscipiebatur gratulatus electione, verum mittentis eum, sancti [862] scilicet Remacli, reverentissima commendatione. Causas ejus adventus addidicit, inbuendum sacris litteris et divina lege mandavit [861], traditionem possessionum ejus vice sancti Stephani suscepit, et per plura annorum curricula illic morantem benigne habuit, pro quibus venerat instructum et ad presbiterii usque culmen promotum sancto patri et coepiscopo Remaclo remisit. [(Donat. *Vit. S. Trud.* c. 9, 13.) Qui percunctatus quæ erga eum Dominus egerit, et an prosperum [863] ejus iter et reversio fuerit, et approbans ut lege divina eruditus sit, immensas Deo gratias retulit. *Laus* [864], inquit, *tibi sit, Domine pater cæli ac* [865] *terræ, quod adimplere dignatus*

VARIÆ LECTIONES.

[841] *numerus deest* 1. 2. [842] circuiebat 1. 2. *corr.* circuibat 2. circuibat 3. [843] *vide var. lect.* [840] *paginæ præcedentis.* [844] *deest* 3. [845] conservaturos 1. [846] Vota — anima tua *desunt Ch.* [847] inplevit 1. [848] promoveberis 1. 2. 3. [849] illic *corr.* illi 1. [850] debes 3. [851] quos 1. [852] propinquabat 2. 3. [853] Surgite — introducunt *desunt Ch.* [854] manebant 1. 2. *corr.* manebat 2. [855] bone — prænoscens *desunt Ch* [856] novisse 1. 2. 3. [857] *addendum videtur, deest* 1. 2. 3. [858] indicaverit 2. 3. [859] *deest* 3. [860] Choldulfus 1. [861] beati — mandavit *desunt Ch.* [862] *deest* 1. [863] prosperatum 2. 3. [864] Laus — revocasti *desunt Ch.* [865] et 3.

NOTÆ.

(335) Sarchinii in territorio Hasbaniensi.

(336) Cfr. Donati Vit. S. Trudonis c. 6. 9.

(337) Cfr. Vita S. Chlodulfi.

es verbum, quod mihi exiguo super famulo tuo revelasti; et quia eum præceptis tuis decenter ordinatum [866] *mihi incolomem revocasti* [865]. Et concessit illi in diœcesi sua verbum annuntiare divinum, missas in quas vellet æcclesias celebrare, ut in pueritia sponderat, in sua potestate oratorium construere.] (*cf. c.* 13.) Et aliquandiu illic commorans sanctissima conversatione, tandem episcopali ac paterna accepta benedictione, natale solum revisit. Quod mente diu acceperat effecit; oratorium in prædio suo fundavit, Deo servientibus cumulavit, ad ultimum a beato Remaclo consecrationem expostulavit, quam et impetravit. Post hujus vitæ multimodos laborum excursus ibidem est tumulatus, et per plura beneficiorum et miraculorum commoda apta monachico ordini in hodiernum usque præbet habitacula.

45. *Quam alienus fuerit a cupiditate.*

Libet ad hæc non paucis intendere, omnium, ut prædiximus, in beato Remaclo cupiditatum ignes deferbuisse, omnium nostræ ætatis sacerdotum merita excessisse, omnes nostri temporis episcopos sua comparatione dampnare. Quibus si forte eadem, ut huic viro sancto, daretur optio [867], aliud procul dubio facerent ne id facerent, scilicet ne, dum alteri æcclesiæ et non suæ offerenda a devotis testanda mandarent, ipsi potiùs ultroneis id facere dissuaderent, immo sibi testari facerent, et ut pace eorum dicatur, aliis supplantarent. Quod quanto in nobis hoc amplius inculcandum [868], tanto meritum beati Remacli talia proterentis magnificis laudibus efferendum. Totum [869] ideo beati Trudonis textum inserendum putavimus, ut etiam prophetiæ donum et futurorum noticiam sancto sacerdoti Remaclo non deesse monstraremus. [Qui primo eidem Christi famulo a se discedenti, cum super ejus habitu domestici illius [870] insultarent, eo quod talem personam tam abjectis vestimentis indutum juxta se collegisset, hæc Spiritu sancto revelante cognovit, et super ea re durissime increpavit, pœnitentes recepit, et de cætero emendandos ammonuit. Verum hæc alias. Quis denique sufficiat enarrare, quam sancte et religiose de reliquo beatus Remaclus conversatus sit, quantave illi sollicitudo erga sibi commissum gregem fuerit? Monebat omnes ut a lenociniis [871] blandientis [872] mundi observarent, a secularibus curis intentionum gressus retraherent,] fraternæ pacis tenerent concordiam, [mandatorum] Dei sine offensa currerent semitam, mundum et ejus concupiscentias non diligerent, sed velud florem fœni in brevi præteuntes animo non repugnante calcarent, cælestia mente et opere concupiscerent. [In hoc desidius (338) opere majore cœpit animi intentione flagrare, quo liberius vacare] et quam suavis est Dominus, possit videre, causasque quod [873] id fieret facilius inventas sibi dari optabat attentius.

46. *Quod Sigebertus ex consilio ejus cenobium primum super Sismara* [874] *dehinc in Arduenna construxit.*

Sigebertus ejus temporis rex gloriosus, loca sanctorum cultibus mancipanda, in quibus non erant partibus, maxima devotione fundabat, fundata autem aut a se aut a præcedentibus regibus benignissima largitate et opibus sustentabat, et ut debitus Deo cultus non deesset, tam hujus sancti patris quam cæterorum sacerdotum invigilantia providebat [875]. [In loco qui vocatur Casecongidunus (339) super Sesmarum [876] (340) fluvium sito, cœnobium idem rex obtimatum suorum consilio in honore apostolorum Petri et Pauli et Johannis ædificaverat, quia congrua servorum Dei habitationi domicilia portendebat. Munere largitatis suæ ditaverat, probatas Deo servientium personas aggregaverat. Quibus beatum Remaclum provisorem instituit, et ut inhabitantes juxta traditionem Patrum vivere assuefaceret demandavit (341).] Extat usque in præsens locus orationis ejus opere in rupe excisus, unde infirmantibus usque nunc proveniunt beneficia; ubi et ipse se aliquandiu victimam in ara summi Dei jejuniis et vigiliis maceratam litabat, et familiarius Deo conjunctus contemplationi se sanctæ suspenderat, et fluenta suæ doctrinæ in subjectorum cordibus diffundebat. Tandem ejus loci fastidiens, licet incertum quibus de causis, tamen ut sese habet fama relationis, quia scilicet undique premeretur idem locus a circumhabitantium et potentiorum insectationibus, nec [877] haberet rex in vicino [878], unde ulla eidem loco fieri [879] posset dilatatio [880], induxit sanctus vir animum regem super hoc adeundum. *Vestram*, inquit, *celsitudinem, inclite princeps, stat sententia pertemptare, quia cum plura ubi sint vestra munificentia Dei et sanctorum cultibus dicata cœnobia, sola Arduenna* [881] *in arduis montibus collocata, extra limitem seclusa raro immo nulla habere dinoscitur monasteria. Igitur jubeat vestra serenitas, illic aliqua extruere, aderit in ædificando* [882], *Deo favente, facultas, et nostræ sedis illud supplebit vicinitas. Nec illa exemplare et ne-*

VARIÆ LECTIONES.

[866] ornatum 3. *Donat. vit. Trud.* [867] opinio 3. [868] conculcandum C. D. 1. 1*. 2. [869] Totum— providebat *desunt Ch.* [870] ejus 3. [871] lenotiis 1. [872] *ita vit. Rem.* blandimentis 1. 2. 3. [873] quo 2. 3. [874] Ssismara 1. [875] *vide var. lect.* [876] Sesomiris *tab. Sigeb.* [877] *reliqua desunt Ch.* [878] ullu *expunctum in* 1. [879] fieret 1. fieri: 2. [880] possit dilatio 3. [881] arduentia 1. [882] *ita vit. Rem.* sanctificando 1. 2. 3.

NOTÆ.

(338) i. q. desiduo.
(339) Cougnon inter Boullion et Chiny oppida.
(340) Le Semoy.
(341) Hæc ex ipso privilegio fundationis Sigeberti regis desumpta sunt, quod omnibus chronologiæ signis carens inter a. 644 et 648 scriptum conjiciunt. Vide I. Veldii comment. de S. Remaclo, Act. SS. Febr. I, 234

cessariis sufficere erit impossibile, cum circumcirca quæ adjacent, vestræ ditioni constet subesse. Tuum [883], inquit rex, *pater beatissime, tuum est nobis in hoc consulere, nostrum autem erit tuo quantocius consulto aures nostræ* [884] *serenitatis ad assensum præbere, et mature facto opus esse. Tua, inquam, interest, illud disponere et ei operi insistere, nostra intererit loca quæ his accommoda elegeris delegare cujusque solatii indigueris* [885] *sumptibus suppeditare.* [Convocatis itaque rex fidelibus viris, scilicet sancto Cuniberto archiepiscopo (342), Atellano (343), Teodefrido (344), Gislochardo (345) æque episcopis, optimatibus quoque suis, Grimoaldo majore domus, Fulchoaldo, Bobone, et domesticis suis, Chlodulfo [886], Ansigisilo et Betselino (346) : *Ex voluntate*, inquit, *Dei et vestro et cæterorum nostrorum* [887] *fidelium consensu deliberamus, duo fieri monasteria infra forestem* [888] *nostram* [887], *in saltu Arduennæ sitam,*] *in quibus aggregentur viri religiosi ordini monastico inservituri, qui pro nostra et successorum nostrorum incolomitate, et pro tocius regni nostri stabilitate et quiete, et pro curis regni invigilantium observatione* [889] *omnipotentem Deum debeant profusius obsecrare. Cujus rei monitorem et incitatorem habentes præ manibus beatum Remaclum, eundem præfecimus ei operi provisorem atque magistrum* [890].

47. *De Malmundarii constructione.*

Accepta igitur sanctus sacerdos regia auctoritate et comitum necessariorum sublevatione, Arduennæ vastum paludibus et confragosis [891] montibus saltum aggreditur, Fanias (347) transit, Warchinne(348) rivulum peraccedit [892]. Repperit ibi inditia, loca illa idololatriæ quondam mancipata, lapides Dianæ et portentuosis nominibus [893] effigiatos, fontes hominum quidem usibus aptos, sed gentilium errore pollutos, ac per hoc demonum adhuc infestatione obnoxios. Facta itaque Christi nominis adjuratione et signi sanctæ crucis protensione, locum illum a demonum incursatione piavit, et statim aqua ab ipso suo meatu guttatim dilapsa disparuit. Videns ergo locum illum tum aquis piscosis, tum pascuis uberrimis habitandi commodis habilem, copiosam super fontes orationis auxit benedictionem, lapidi signum crucis insculpsit, plumbumque [894] superinfudit. Protinus refluxerunt aquæ largissimæ, quæ dictis fidem faciunt cernentibus hodie. Et quia eundem locum a malorum spirituum mundaverat infestatione, Malmundarium (349) quasi a malo mundatum placuit vocitare. Oratorium illic ædificavit, habitacula ad usus [895] servorum Dei construxit, et quæque ad cultum Dei pertinent aucmentavit.

48. *De Stabulaus constructione.*

Quia autem illud in Agrippinensi parrochia situm erat, studuit [896] et illud inceptare, quod tamen suæ dioceseos clauderetur limite. Procedens [897] inde quasi duobus milibus [898] ad occidentem, Calla rivulum, qui [897] parrochiarum conterminus est, transiit, et ad [899] Amblava (350) fluvium [900] in confinio montis cujusdam substitit. Illic etiam aliquantisper commoratus, multa studio conversationis idonea est operatus, sicut quilibet ab incolis audire valebit referentibus. Sed quia idem locus [901] angustiis [902] locorum erat constrictus, et ideo officinarum necessariarum minus sufficiens usibus, denuo reversus ad orientem processit, locum spatiosiorem et operi futuro [903] aptiorem prospexit [904]. Proposito labori instare cœpit attentius, et ut assolet in talibus divina cooperabatur virtus, prosperoque successu voluntatem est subsecutus effectus. Et quia ob confluentiam ferarum undique illuc, vel ad potum [905], vel ad pastum, velut ad stabulum concurrentium, inditum eidem loco Stabulaus antiquitus erat vocabulum, non dignum duxit illut immutare, sed stabulum fidelium animarum illuc velut ad pascua vitæ perhennis deinceps properaturarum semper dici et esse. Nam fratribus, quos ibidem sanctus vir ad præsens aggregaverat, non parvum sepe diversarum caterva ferarum illic perstrepens [906] incussit terrorem, ita ut ad beatum Remaclum ei operi insistentem cum horrore recurrerent, et quid muniminis, quidve defensionis caperent contra has diaboli insidias efflagitarent. Quos benigne consolatus, et in commune confortans : *Credite*, inquit, *in Domino filioli fideliter, ejus mandata amplectimini inviolabiliter. Mentem a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, servate innoxiam, animas vestras castificantes, servitutem Domino impendite puram. Sine intermissione orate, vespere et mane et meridie psallite, lectioni quam sepissime vacate. Frontes vestras munite crucis signaculo, ejus virtutem recondite in imo cordium antro, et confestim insidiæ hostis invisibilis et molimina redigentur in nichilum ; istarumque se-*

VARIÆ LECTIONES.

[883] Tunc 3. [884] uestræ 1. 2. 3. [885] indigneris 1. 2. 3. [886] choldulfo 1. 2. clodulpho 3. Flodulfo *tab. Sigeb.* Chlodulfo *tab. Childerici.* [887] vestr. 1. 2. 3. nostr. *vit. Rem.* [888] forensem 3. [889] obseruantium 3. [890] ministrum 2. 3. [891] confrogasis 1. 2. 3. [892] peraccessit 3. [893] dæmoniosis portentis C. D. 1. 1*. 2. [894] cum foraminibus *addit vit. Rem.* [895] adversus 1. [896] statuit 1. *alio atramento corr.* studuit. [897] Procedens — prospexit *desunt Ch.* [898] militibus 1. [899] *deest* 3. [900] *verba* qui — fluvium *inserta sunt eadem manu in* 1. [901] licet affluueret fontibus *addit vit. Rem.* [902] angustus 1. [903] *corr. alio atramento* 1. [904] *vide supra not. var.* [897]. [905] portum 1. 3. *corr.* potum 2. [906] strepitus *vit. Rem.*

NOTÆ.

(342) Coloniensi.
(343) Laudunensi.
(344) Tullensi.
(345) Virdunensi.
(346) Ordinem quo in Sigeberti regis tabula occurrunt nomina paucis o is is servavit auctor. Vide Act. SS. l. l.
(347) Les hautes Fagnes, die hohe Veen.
(348) Warchienne rivulus, qui in Warcham exundat. Vide descriptionem illius regionis, quam dedit Roderique pag. 93 in libro in præfatione laudato.
(349) Malmedy.
(350) Amblev-.

rarum, per quas nos impugnandi sperat se invenisse aditum, horror erit incassum. Taliter [607] *enim impugnabit* [608] *vastam Ægyptiorum, Thebaidæ et Nitriæ heremum incolentes, quorum nos donet Deus vel tenuiter fieri imitatores. Sunt illi mille nocendi artes, sunt innumeræ insidiarum fraudes. Sed non ignoramus versutiam ejus, qui etiam per muscas suos aliquando init congressus. At nos famuli Christi quo plus incurrendo premimur, eo magis assurgimus cum reluctamur. Expertus satanas* [609] *pertimescit principia recte vivere iniciantium, vigilias, orationes, jejunia, mansuetu linem, patientiam, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam et præcipue purum erga Chris um amorem; et ideo sicut leo in spelunca insidiatur ex oculto, ut nos* [610] *deterreat a proposito* [607]. Hæc et his similia eos exhortans [611], eorum animos in Dei obsequio promtiores effecit et contra cuncta temptamina animequiores reddidit. Post hæc præpositis operum dispositis, quæque essent agenda delegavit, et Tungros vel Trajectum rediens, officio pastorali invigilandum se reimplicavit. Non multum deinde tempus erat elapsum, et rex in foreste sua monasteria sua constructa audivit, inmensas omnipotenti Domino gratias retulit. Et quia ecclesiæ nova materia ornatæ episcopali indigebant benedictione, misit, beatum Remaclum accersivit, et tam eam quæ Coloniensi subjacebat parrochiæ, cum consensu venerabilis Cuniberti ejusdem urbis metropolitæ, quam eam quæ nostræ adjacet diocesi, a beato Remaclo mandavit sollempniter consecrari, ut cujus expositione [612] et maximo studio fuerant ædificatæ, ejus etiam diligentia pontificali donarentur benedictione. Quod vir sanctus ilico adimplevit, utpote qui regi et proceribus adeo erat carus, ut nichil præcipuum fieret absque consulto ipsius. Unde contigit ut, quia tanti honoris et dignitatis apud eos erat habitus, missarum peractis solempniis, traderet utraque cœnobia Grimoaldus major domus eidem beato viro sua deinceps sollertia gubernanda, et quæque monastico ordini necessaria ejus suggestione et sollicitudine a regia sublimitate administranda.

49. *Quod designato successore heremiticam vitam expecierit.*

Igitur sanctus sacerdos, quod semper habuit in voto, remotioris scilicet vitæ solitudinem, sic Deo annuente nactus est occasionem. [(*Vita Rem*, c. 12.) Tandem licet difficillime impetravit tamen a rege, ut alius sibi succederet, et sibi diu desideratam heremum adire liceret, ubi remotus [613] a curis secularibus liberius inhiaret cælestibus.] Sancti Theodardi vitam satis probabilem regi et optimatibus ostentavit, eumque vicem suam supplere et post se cathedræ suæ subrogandum ex nomine designavit (351) (*an.* 661). [O quantus de ejus abscessu exortus est luctus! o quam mestos reliquit quibus semina contulerat vitæ, cum viderent se tali patre, tanto doctore orbatos remanere!] Omnis ætas utriusque sexus dolorem cordis lacrimis testari, atque eum prosequendo hæc validis clamoribus profiteri [614]. [*Heu miseri quid acturi sumus, qui tantum pastorem amittimus? Unde recipiemus consolationem, cum ipse esset præcipuum nostrarum erumpnarum levamen? Quis medebitur ultra, cum ipse fuerit solus nostrorum dolorum medicina? Qui* [615] *nobis jam denique restat locus salutis, qui tanti destituimur præsentia patris* [615]?] Quorum ejulatu sanctus vir permotus, sic eos est consolatus: *Nolite* [616], *queso, filioli, propositum intentionis animi mei tantis persecutionibus insectari. Habetis Deum super omnia pastorem et patrem, in æternum vestris incommodis benignum consolatorem. Providimus namque exterioribus vestris commodis* [617] *filium nostrum* [618] *in omnibus probatum Theodardum, sagacissimum invigilatorem, et pro captu erogandi conservis in tempore tritici fidelissimum dispensatorem. Et quia ejus provisionem vobis sufficere non diffido, locum dilectæ solitudinis adire delibero, et solus in superni spectatoris oculis mecum habitare contendo.*

50 [619]. *Responsio filiorum ne hoc fieret refragantium.*

Tunc forte qui aderant prudentiores intendunt talia prosequentes: *Vide, pater beatissime, vide quid agas, adtende cui nos ignominiæ prodas. Gregem, ut patrum statuta decernunt, quem semel regendum susceperis, nisi infirmitate cogente, et ultroneus renuntiare non permitteris. Quamdiu enim vivit episcopus, quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus nisi ipso recusante et scripto peticionem probante, ordinatio nulla sinit. Etiam mente capto, si intervalla egritudinis habere est solitus, nihilominus nisi peticione data annuat, non debet succedere alius. Enimvero si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, qui vices ejus eo vivente tantum suppleat, et defuncto ordinari digne successor valeat. Hac via promulgata patrum, si secus quis egerit, et uxorem dimissam mœchari facit, et ei qui dimissam duxerit, nomen mœchi procul dubio importabit. Hac ratione, pater sanctissime, vide, quantum gravetur judicium tuum, adtende quantum fama nostra subeat dispendium. Crimen tibi non intendiur, quo convictus* [620] *deponaris; infirmitatis conditio non*

VARIÆ LECTIONES.

[607] *desunt Ch.* [608] ante nos *addit. vit. Rem.* [609] *ita vit. R.* sanitas 1. 2. 3. [610] vos *vit. R.* [611] exhortatur *vit. R.* [612] expositioni 1. dispositione *vit. R.* [613] remotis *corr.* 1. *alio atramento* remotus. [614] *desunt Ch.* [615] quid 1. 2. 3. [616] Nolite — tollerare *in. cap.* 51. *desunt fere omnia Ch.* [617] commodis 1. 3. in commodis *corr.* commodis 2. [618] vestrum 1. 2. 3. [619] *numerus deest.* 2. • [620] convictis 1. 2. 3.

NOTÆ.

(351) De abdicationis tempore vide Veldii supra laudatam commentationem.

aggravat, quo repudium ostentans ab officio suspendaris. Ideo peticionem abrenunciationis tuæ, etiamsi scripto probetur, abdicamus ; qui vices tuas suppleat, nedum qui successor te vivo existat, omni modo improbamus. Patrem te justa successione admisimus, filii et non adulteri dici et esse percupimus. Advertisti jam ubi pergravetur juditium tuum, audias, quæsumus [621], ubi ignominia subsequente nostra capiat fama dispendium. Quo obtentu nos deseras, causas non habes, primo quia non sumus fornicarii, ut jure debeamus a te relinqui. In catholicæ matris gremio a te sumus excepti, faciles aures numquam præbuimus perverso docmati, et si esset fortassis taliter erratum, debuerat certe a te esse subventum. Deinde ut te conferas alio, non hinc nostra te perturbat persecutio, quod etsi concedatur a Domino, infirmorum non satis perfectorum est consultatio ista. Multi sanctorum patienter usi sunt pravitate malorum, et eorum sufferentia illis extitit disciplina. Denique exinde fugiendi, non equanimiter portandi sunt mali, ubi nulli supersunt qui aliquo modo lucrentur boni. Sed ve nobis, qui cum tua, quem esse [622] constat perfectissimum, præsentia destituimur, tantæ infamiæ objicimur, ut non modo te super studia nostra tedere, verum nostris pravis actionibus te dicamur fugare, ubi bonum neminem superesse tanti viri recessus approbetur clamare. Nil jam, nil amplius restat, calumpnientur maliloqui [623], augurentur maledici, successores fortassis tuos non modo fugandos, sed morti objitiendos, dum et tu nostrum regimen subterfugis, et beatus Amandus qui te præcessit pulverem pedum recedens in nobis excussit. Verum Deus omnipotens ad propitiandum [624] facilis et clemens, prophetam super edera (Jonas, IV, 10) repente marcida [625] increpans contristatum, approbat se super opus creationis suæ si pereat multo magis constristandum, et malle pœnitentiam quam mortem peccatorum.

51 [626]. *Item excusatio ejusdem sancti viri.*

Tandem insectatione reclamantium sanctus Remaclus concussus, mentem interim moderato silentio librabat, et sic in hæc verba prorupit : *Nolite, mi fratres, nolite sic incusare me, patres. Utilitatem vestram aput me deplorare, non est ut deterream, injuriam vero hanc sic expostulare, non est ut sufferam. Non* [627] *esse vos devoto* (352) *fornicarios, ut sic cordi insederit relinquendos, non in commune sic censeo inprobandos, ut omnes esse necesse sit infructuosos, ut et cum* [628] *considerem hic meum laborem sine fructu esse, alias velim cum fructu migrare. Non, inquam, perfectum me esse constat, perfectissimum a vero multum abhorret. Sed ut vestra* [629] *utar sententia, non meo judicio, perfectorum est et ab inceptis non aeclinare, et in ulteriora perfectionis sese extendere, activæ vitæ cum Martha insistere, ad contemplativam vero cum Maria anhelanter suspirare, et si detur conditio, ab activa potius refragari, quam contemplativæ speculationi non inhiantissime exæquari. Gregem mihi in vobis commissum rexi, Domino cooperante, ut potui, laborem meum fructificasse vota votis accumulavi. Non me tenet sacietas* [630] *studiorum vestrorum, nec me offendit pravitas quæ nulla est actionum vestrarum. Superest ut talentum quod votis meis in vobis gaudeo accumulatum, alias conferam accumulandum, ut vestra habundantia inopiam suppleat aliorum. Fecerunt itidem ante tempora vestra sancti, quorum nos suppares esse meriti utinam contingeret ! vel extremi, quorum nonnulli majoris gratia utilitatis ad alias passi sunt æclesias se conferri, nonnulli potioris confidentia meriti commigravere ultronei. Exinde ubi se advertebant, aut parum prodesse, aut non multum necessarios, sese subtrahebant et majoribus laboribus offerebant, et ut fortissimi prœliatores Dei teneri intra claustra requietionis nolebant, sed in apertum certaminis campum sponte prosiliebant, non desertores pugnæ* [631] *spiritualis effecti, nec mercenariis ab aspectu luporum subterfugientibus comparandi, sed ubi aut minus prœliantes aspiciebant, aut hostes in comminus insistentes incumbebant, illic se fortiter congressuros ingerobant. Et ego, filioli, non horum me ostentatione sustollo, non meritis illorum vanus conjectator æquipero. Si successoris prætensum nomen abhorret, cooperatoris et comprovisoris commendatio roboret. Nec præsentia mea vos putetis constitui, quem licet ad alios instruendos, nostra* [632] *non continget excedere diocesi. Aderit in proximo aditus, consulere, si quis vos excipit eventus, ubi et pro vestris* [633] *excessibus intercessorem omniumque* [634] *vestrarum necessitatum me tanto sollicitius habebitis memorem, quanto constiterit curis me popularibus remotiorem, ad divinitatis contemplationem suspensius anhelantem. Et Moyses in monte stabat, nec armis sed precibus pugnabat, et Israel cum Amalech confligebat (Exod. XVII, 9), tanto inter prœliandum superior, quanto Moyses Deo in oratione propinquior, et a strepitu conflictantium hostium erat remotior. Et aput me, karissimi, fixum est, ibi divinis obtutibus præsentius herere, ubi tumultus secularium non debeam tollerare* [635]. *Ad hanc spem beatus me Johannes Babtista animavit (Matth. III, 1), qui in ipsa teneritudine annorum ele it. etiam in convescendo bestiarum potius accola esse, quam inter cives leni* [636] *saltem sermone vitam contaminare,*

VARIÆ LECTIONES.

[621] qs 1. 2. 3. [622] *corr.* 1. [623] malivoli 3. [624] propitiendum 1. [625] *corr.* 1. *alioatramento.* [626] *recentiori manu appositus* 1. *deest* 2. [627] nos 1. [628] eccum 1. 2. [629] nostra 1. [630] satias 2. [631] pungnæ 2. [632] vestra 1. [633] nostris 1. [634] que *deest* 1. [635] *hucusque omnia pœnedesunt op. Ch.* [636] itu 2. letu saltu saltem 1. levi saltem 3. *Ch., num legendum* Jerusalem ?

NOTÆ.

(352) i. q. devoveo, affirmo.

Et Moyses vitam hanc approbavit, qui in vastæ solitudinis deserto Dei colloquio maluit perfrui, quam Egyptiorum divinis enervari [637] (*Exod.* III). *Helias et Heliseus* (*IV Reg.* II) *cæterique prophetæ dedicaverunt, qui hujus theoriæ contemplatione insignes ipsos subjugaverunt, Habraham omnium credentium pater fide effectus* (*Gen.* XII ; *Rom.* IV, 16), *ad hos me incitavit effectus, cujus et exemplum* [638] *imitatus, natali solo egressus, omnium renuntiavi cupiditatum proventibus. Ipsius salvatoris Domini factum me ad hoc adduxit, qui diabolum debellaturus solitarius heremum adeundum decrevit* (*Matth.* IV), *cujus misericordia concedat, pietas annuat, ut et ego versutias illic antiqui hostis proculcare et de illic instruendis lucra cumulare et vestris hic commodis mea oratione valeam inservire.* Sic a beato Remaclo peroratum, sic insectantium doloribus consultum, sic querimoniis est satisfactum, deinde quo intenderat acceleratum pariter et perventum.

52 [639]. *Quod multi ejus exemplis seculum reliquerunt* [640].

Audientes hæc vel e vicinia vel ex semotis partibus viri devoti, [(*Vit. Remacli* c. 13.) quorum Deus dignatus est corda tangere,] cœperunt undique ad eum velut apes ad alvearia confluere, nonnulli se [641] Omnipotentis servituti addere, et leni jugo Christi colla subnectere, aliqui vero liberos suos liberalibus in monasticis instruendos disciplinis et illic perpetuo inservituros contradere, multi etiam de facultatibus et reditibus suis sanctorum necessitatibus communicare, inter quos domnus et pater Papolenus visendi eum gratia venit, sed ejus magisterio adherere quam redire contendit. Susceptus itaque a beato Remaclo officiosissime, et conversatus illic absque offensione, et qui instruendus venerat, plures ad imitationem sui ædificabat. Sanctus vir apud se retractans, ne forte pro hoc ipso eum Dominus direxit, non modo ne ab eo discederet rogavit, verum propter disciplinam fratribus Malmundarii positis [642] salva in omnibus auctoritate præfecit. Ipse Stabulaus reversus ad majora se deinde virtutum opera accinxit, suique exemplo plures ad consectatum suorum operum animavit. Quis [643] apud illum tristiciam non mutavit in gaudium? Quis iram non convertit in pacem? Quis orbitatis [644] luctum A non ad ejus temperavit aspectum? Quis non merore paupertatis quo premebatur [645] oblito, et divitum despexit opulentiam, et in sua lætatus est paupertate? Quis laborum onere pressus, ejus non est hortamentis relevatus? Quis adolescens incentivis vitiorum succensus [646] et carnis titillatione, ejus saluberrima ammonitione non statim cultor extitit pudicitiæ? A diabolo vexatos curabat, nichilominus cogitationibus illicitis distractos ad petram Christum allisos ab operibus cohibebat. Sciebat quo quis laboraret incommodo, et ex vitæ meritis faciens discretionem, pro morborum qualitate adhibebat [647] correptionem. Crescebat [648] ibidem divini fervoris ardor, et monasticæ disciplinæ inflexibilis rigor. Et qualiter quoque in reliquis officinis septorum inhibita sit B facultas peccandi, testis est cella dormitoria ejusdem loci, testis est sanctus martyr Lambertus, qui pulsus ab episcopio hunc specialiter expetendum decrevit, quia ibidem sanctæ religionis tramitem rigidius observari agnovit (353), testis et crux apud quam [(Stephani *Vit. Lamb.*, c. 6.) cum ad orationem medio noctis tempore surrexit, quia lapsu [649] calcei quietem [650] fratrum sonitu [651] incussit, adjudicatus usque crepusculum stetit, psalmodiæ et orationi vacavit, frigus reppulit, nivem restrinxit, sanctus esse omnibus innotuit.] Verum hæc alias.

54. *Quod crescente religione creverunt* [652] *res ecclesiæ.*

[(*Vit. Remacli*, c. 14.) Crescente religione, crescebat et census ecclesiæ. Nam audiens inclitus rex C Sigebertus hujusmodi erga Christi cultum fervorem, misit, beatum Remaclum accersivit,] et supra id quod prius dederat, quodque vir illustrissimus Grimoaldus adquisierat (354), unde et eatenus victitaverant, cum consensu fidelium suorum tam episcoporum quam et procerum supradictorum ad honorem et cultum sanctorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Martini, quibus ipsa loca erant dicata, concessit beato Remaclo et ad usus servorum Dei, quatinus quietius deinceps viverent, [et absque inpressione vicinorum liberius soli Deo vacarent, mensurarentur in girum utriusque monasterii duodecim leugæ (355),] inter [653] quarum limites quicquid contineretur, ab solis utriusque cœnobii colonis excoD leretur. Dicitur autem leuga Gallorum tantummodo

VARIÆ LECTIONES

[637] *corr.* 1. [638] est i. 1. 3. *erasum* 2. [639] *numerus* LIII. *recentiori manu appositus* 1. *deest* 2. [640] reliquer 2. [641] *deest* 3. [642] juxta institutionem S. Benedicti *addit vit. Rem.* [643] *reliqua desunt Ch.* [644] orbatus 3. [645] q. pr. *desunt vit. Rem.* [646] sucessus 1. [647] abhibebat 1. [648] interea *addit vit. Notg.* [649] lalsu 1. [650] quietum 1. 2. 3. [651] sonitum 1. 2. 3. [652] crever 2. [653] *reliqua paucis exceptis desunt Ch.*

NOTÆ.

(353) Cfr. Stephani Vit. S. Lamberti c. 5, 6.

(354) Germiniacum villam in diœcesi Remensi; vid. Grimoaldi tabulam ap. Miræum I, 281.

(355) Et hæc ex tabula Sigeberti regis, vid. Act. SS. Febr. I, 235. petita sunt, ex qua hæc verba afferre liceat: *Concessimus — ad evitanda consortia mulierum, ut gyrum gyrando et in utrorumque partibus monasteriorum mensurarentur spatia dextrorsum saltibus, non plus duodecim milliaribus, ut absque impressione populi vel tumultuationi seculari, Deo soli vacaretur.*

lingua haberi duo milia [654] passuum vel 16 [655] stadia. [Quod testamento confirmatum et anuli regii inpressione signatum sanctus vir suscepit libenter, tenuit reverenter. Procedente quoque tempore, anno scilicet quarto decimo regni sui, addidit idem rex et testamento confirmavit (356) beato Remaclo quasdam res in Aquitania (357), thelonium videlicet, quod est ad portum Vetraria super fluvios Taunaco [656] et Itta, portum quoque qui dicitur Sellis, immoque et Vogatio super fluvium Ligeris cum omnibus illic appendentibus [657], decimas etiam dedit ex fiscis circa monasteria adjacentibus.] Post hæc idem rex gloriose gubernans Austrasiæ regnum, diem clausit extremum (*an.* 653). (Cfr. *Gest. Franc.*, 43.) Grimoaldus major domus sub optentu munerandi a Clodoveo fratre ejus Parisius evocatus, regredi non est permissus; filium namque domini sui Sigeberti, quem in fide susceperat, ut eum substitueret [658] in regno patris, clericum fecerat, filiumque suum regnare instituerat. Clodoveo [659] quoque [660] defuncto, Lotharius [661] filius ejus in occidente, frater ejus Hildricus [662] [(*Gest. Franc.* 44, 45) imperabat regno Austrasiæ (*an.* 656). Quem sanctus vir adiit, quod patruus contulerat, confirmari rogavit. Rex libens annuit, et juxta peticionem viri Dei a successore illius sancto Theobardo et Odone domestico ejusdem mensuræ procinctum regirari mandavit. Cujus medietatem suo dominio reservavit, aliud medium usibus servorum Dei testamento reconfirmavit (358).] Quod virum Dei sagaciter provideque constat fecisse, ut si successores suos minus contingeret aliquando posse, cum minori difficultate quod minus esset sine invidia et inquietate [663] vicinorum [664] valerent liberius retinere. (Cfr. *Gest. Franc.* 45.) Et Lotharius [665] rex mortem obiit (*an.* 670), Hildricus [666] frater ejus monarchiam singularis obtinuit. Post hæc et ipse propter insolentiam morum interfectus mortem occubuit (*an.* 673), fraterque illorum Theodericus cum Ebruino [667] occidentalibus regnaturus successit. Quorum tyrannidem abdicantes Austrasii, (*c.* 47) Pippino [668] satis agebant principi [669].

55. *Exortacio sancti sacerdotis ad fratres instante die vocationis.*

Eo tempore et [670] beatus Remaclus jam senior, sed moribus quam annis maturior, diem sibi [671] vocationis intelligens imminere, quo reconpensaret honor in cælis quod triverat labor in terris, morem gerere decrevit subjectis. Quos accersitos [672] et de abcessu patris suaque desolatione mestos, his ultimis solatus est verbis: *Ecce, patres sanctissimi, ecce fratres karissimi, præcordiorum meorum conviscerati compage, pars animæ dimidia meæ* (359), *viam universæ terræ sum ingressurus, et ad vos deinceps non reversurus. Vestra me, vestra quos desero solitudo sollicitat, non mea abicio, qui Deo solatore confortor, contristat. Non me terret proventus conditionis omni mortali communis, cum tota etiam sapientium* [673] *vita commendatio* [674] *esse debeat mortis. Non turpis mors potest accidere* [675] *viro forti, non immatura consulari, non misera prospicienti* (360), *vestrarum me magis vestrarum mentium, quas* [676] *asperioribus adhuc esset necesse studiis informari, teneritudo retentat; vobis,* [677] *inquam, timeo, ut si luporum adigerit rabies, ne nemo sit* [678] *qui abigat. Hæc monasteria Dei et sanctorum dicavi, vestris quoque ancillari* [679] *usibus delegavi. Vestra ad hoc usus sum opera forti et fideli; vereor cum sepe pendere debeat animi. Quo loco nostræ sitæ sunt res, in commune* [680] *videtis, et quia hic mundus in maligno positus sit* (*I Joan.* v, 19), *juxta mecum omnes attenditis. Si ergo quicquam pensi est, videte ne ab integritate, quam in vos locari, ullo unquam* [681] *errore seducamini, sed unanimi glutino pacis in Christo, juxta quod et patrum habet traditio, et scripturarum sanctarum lectione, sed et meæ invigilantiæ didicistis ammonitione. Et vestris itaque manibus* [682] *sacra nunquam recedat lectio, et in ea vobis jugis sit meditatio. Ut enim ager, quamvis fertilis sine cultura, non potest esse fructuosus, sic sine doctrina animus* (361), *doctoque homini et erudito vivere est cogitare* (362), *orationi frequenter incumbendum, pro excessibus humana fragilitate contractis exorandum, et de cætero contrahendis non modo supplicandum, verum cauta sollertia invigilandum. Ubi namque socordiæ se* [683] *quis ignaviæque tradiderit, nequicquam* [683] *Deum inploret* (363). *Vobisque*

Virtus sit vitium fugere, et sapientia prima
Stulticia caruisse (364);

VARIÆ LECTIONES.

[654] mille quingentos *vit. R.* [655] XVII 2. 3. *corr.* XVI. 2. duodecim stadia *vit. R.* [656] *ita vit. R.* Tannaco 1. 2. 3. [657] *Sequuntur in Notgeri vita Remacli ipsa diplomatis verba.* [658] sustitueret 1. 2. *corr.* substitueret 2. [659] Chodoveo 1. [660] 2. *postea add.* post VIII (et) X annos regni. [661] lotharius *corr.* clotharius 2. [662] hildricus *corr.* childericus 2. [663] inquietudine 2. 3. *vit. R.* [664] *ita vit. R.* viciorum 1. 2. 3. [665] lotharius *corr.* clotharius 2. *qui post add.* Regnavit annis quatuor. [666] hildricus *corr.* hildericus 2. *et ita* 3. [667] hebruino *corr.* hebroino 2 *et ita* 3. [668] 2. *superscr.* filio Ansgisi. [669] 2. *post add.* Regnavit Theodericus annis XVII. [670] *deest* 3. [671] *reliqua desunt Ch.* [672] *corr.* 1. [673] commentatio 2. 3. *vit. Rem.* [674] accelere 1. [675] *ita vit. R.* quam 1. 2. 3. [676] nobis 1. [677] *ita vit. Rem.* nemo qui 1. 2. 3. [678] ancillarum 1. [679] in c. *deest vit. Rem.* [680] *ita vit. R.* inquam 1. 2. 3. [681] et auribus itaque et manibus *vit. R.* [682] *vit. R.* si 1. 2. 3. [683] neqeqm — nequiquam 2. 3. neouaquam 1.

NOTÆ.

(356) Act. SS. l. l.
(357) Loca quorum nomina sequuntur, in Aquitania sita esse in Sigeberti litteris non legimus.
(358) Vide ipsum diploma in Act. SS. l. l.
(359) Horat. Od. I, 3, 8.
(360) Cic. 4. Catil. 2.
(361) Cicero Tusc. II, 5.
(362) Cicero Tusc. V, 38.
(363) Sunt verba Catonis apud Sallustium in Catilina c. 52.
(364) Horat. Epp. I, 1, 41.

Pudor justiciæque soror
Incorrupta fides nudaque veritas (363)
in vestris cordibus [684] *obtineant locum, ut vestra opera spectantes, provocentur ad exemplum. Confessionem veram delictorum Deo et prælatis offerte, temptationum* [685] *pulsationes in ipso aditu detegite, quia*
Stultorum incurata pudor malus ulcera [686] *celat* (366),
et tegendo [687] *vires ministrat* (367). *Obedientiæ bonum majoribus exhibete, eorum documentis animos inbuite, quia quisque*
Tum recte vivit, si curat id [688] *esse quod audit* (368).
Ab omnibus quæ ira fieri amat temperate, quia verum est' solum esse triumphum innocentiæ, non peccare, ubi liceat posse. In optimis quoque et adjudicantes [689] *temperantes estote, quia*
Est modus in rebus; sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit consistere [690] *verum* [691] (369)

Metiri [692] *se* [693] *quemque suo modulo ac pede* [694] *verum est* (370).
Nemo injuriosus sit alteri, quia accipere quam facere præstat injuriam (371). *Pacientiam, quæ miseriarum portus est, amplectimini; quoniam*
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ pacientem commodet aurem (372).
A nullo labore a prælatis proposito deterreamini, quia omnes clari et nobilitati labores, contentu [695] *etiam fiunt tollerabiles* (373), *et consuetudo laborum perpessionem facit faciliorem dolorum* (374). *Segnitiem devitate, quia tardis mentibus non facile comitatur virtus. Superbiam supra omnia calcate, ut vera donemini libertate, liber enim non est, quem superbus inflammat animus. Castitatem diligite, quia omnis sacra scriptura*
Nil ait esse prius, melius nil celibe [696] *vita* (375).
Prospera, quæ sapientium animos fatigant (376), *non vos delectent, quia*

A *Quem res plus nimio delectavere secundæ,*
Mutatæ quacient (377).
Pacem præ omnibus et unanimitatis concordiam monco tenendam, ut, sicut in duobus monasteriis estis aggregati, ita gemina ferventis dilectione Dei et proximi, et quia ab uno pastore regimini, nunquam aliquo scandalo vel scismate possitis disjungi. Non vos quæ ossa consumit rumpat invidia, quia
Invidus alterius maccrescit rebus opimis,
Invidia Siculi [697] *non invenere tyranni*
Majus tormentum (378).
Et de minori forte substantia non queramini,
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus (379),
ipsaque vos cottidie natura ammonet, quam paucis, quam vilibus, quam pravis egeat rebus (380). *Esto,*
B *Non opibus mentes hominum curæque levantur* (381)
Hæc igitur meæ sunt exhortationis monita, quæ jamjamque recessurum et ultimum valefacturum [698], *me vobis communicatum oportuit, ut vestris tanto arcius inprimantur cordibus, quanto constiterit meo vos discessu gravari molestius. Quæ si aliquem attulerint fructum, id mihi erit palmarium* (382), *id fieri* [699] *triumphabo, inde animus gaudebit inpendio. Vos quoque, karissimi, morituros scitote, ideo pœnitentiæ tempus indultum non paciamini, queso, transire incassum. Veniet, veniet dies certissime, cum frustra desideretis unius usuram horæ* (383). *Dum tempus est operamini bonum ad omnes, quia labuntur anni fugaces dieque truditur dies* (384).
Immortalia [700] *non speranda monet annus et album* [701]
C *Quæ rapit hora diem* (385).
Mors ultima linea est (386).
Perpetuus nulli datur usus, et heres
Heredem alterius velut unda supervenit undam (387).
Pulvis et umbra sumus (388),
Omnes una manet mors
Et calcanda semel via lœti (389).
In bono autem opere finientes, beati erimus, cum relictis corporibus cupiditatum omnium et emulationum expertes fuerimus (390).

VARIÆ LECTIONES.

[684] vestri cordibus vestris 2. vestris c. vestris 3. [685] temptatio 1. [686] ulc. inc. p. m. 2. 3. [687] celando 3. [688] *deest* 3. [689] *ita videtur legendum*; adjudicantis 1. 2. adjudicandis 3. adjudicatis *vit. R.* [690] *corr.* 1. [691] *edd. Hor.* rectum. [692] *e corr.* 2. meriti 1. [693]sese 1. [694] pete 1. [695] *ita.* 1. 2. 3. contendendo *edd. Cicer.* [696] celibet 1. [697] *e corr.* 2. [698] malefacturum 1. [699] serio *vit. R.* [700] Jam mortalia 1. 2. 3. [701] almum *edd. Hor.*

NOTÆ.

(365) Horat. Od. I, 24, c. 7.
(366) Horat. Epp. I, 16, 24.
(367) Virg. Æn. XI, 71.
(368) Horat. Epp. I, 16, 17.
(369) Horat. Serm. I, 1, 105. 106.
(370) Horat. Epp. I, 7, 98.
(371) Ciceron. Tusc. V, 19.
(372) Horat. Epp. I, 1, 39. 40.
(373) Ciceron. Tuscul. II, 25.
(374) Ibid. II, 15.
(375) Horat. Epp. I, 1, 88.
(376) Sallust. Catil. 11.
(377) Horat. Epp. I, 10, 30.

D (378) Hor. Epp., I, 2, 58-60
(379) Hor. Epp. I, 12, 4.
(380) Ciceron. Tuscul. V, 35.
(381) Tibull. Eleg. III, 3, 21.
(382) Terent. Eunuch. V, 4, 8.
(383) Ciceron. Catil. I, 12.
(384) Horat. Od. II, 14, 2. II, 18, 13.
(385) Horat. Od. IV, 7, 7, 8
(386) Epp. I, 16, 79.
(387) Epp. II, 2, 175.
(388) Od. IV, 7, 16.
(389) Od. I, 28, 15, 16.
(390) Ciceron. Tuscul. I, 19.

56. [702] *Obitus ipsius.*

Post has dulces paternæ pietatis ammonitiones et extrema caritatis verba eorum super [703] suo discessu merorem sedavit, et a contionando quievit. Deinde modica febre pulsatus, et sacrosancti corporis et sanguinis viatico confirmatus, inter karissimorum filiorum manus unde animam suo reddidit [704] creatori (*circa an.* 667), ubi Dei plurimum insudaverat servituti; verus Israhelita egressus de Ægypto spoliavit (*Exod.* III, 22) vicinum conditori suo fœneratum reportans talentum. [(*Vita. S. Remacli*, c. 16.) Corpus ejus honorifice curatum, cum multa melodia psalmorum et hymnorum] in oratorio beati Martini, A quod ipse condiderat, est sepultum. Ubi et aliquandiu jacuit, et se cum Domino vivere miraculis attestantibus indicavit. Successit illi domnus apostolicus vir Papolenus, cujus [705] superius mentionem fecimus. Deinde Sigilinus [706] beati patris æque judicio approbatur. Subinde Godinus annis et morum maturitate grandevus (391), qui etiam sancti viri corpus transtulit, et in æcclesia beati Petri locavit, lectum illius auro argentoque decoravit. Ubi per ejus merita multa Dominus usque in præsens operatur miraculorum beneficia, quorum ibidem congesta et descripta conservatur copia ad laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in secula. Amen [707].

CAPITULA LIBRI SECUNDI GESTORUM PONTIFICUM TUNGRENSIS, TRAJECTENSIS SIVE LEODIENSIS ÆCCLESIÆ [708].

1. Procœmium opusculi sequentis.
2. De sancto Theodardo.
3. De sancto Lamberto.
4. Quod pulsus ab episcopatu monasterium adierit.
5. Qualiter ibi probatus fuerit.
6. Qualiter denuo ad episcopatum raptus in eo [709] vixerit, et Texandriæ prædicaverit.
7. Qualiter a perfidis sit interemptus.
8. Item alia de eodem opinio.
9. Quod in Bawarri et [710] pago Wirzeburgensi ad memoriam ejus frequenter fiunt miracula.
10. Quid apud Lovinion ad memoriam ejus contigerit.
11. De equo in rabiem verso et mortuo.
12. De quodam qui pedem foribus æcclesiæ ejus C illisit et putrefactum amisit.
13. De eo qui vomitu furtum prodidit.
14. De contracto manifeste erecto.
15. Oratio ad sanctum Lambertum.
16. De sancto Huberto.
17. De sancto Floreberto.
18. De aliis septem episcopis.
19. De Francone episcopo, et quid ejus tempore acciderit.
20. De Stephano et Richario episcopis.
21. Exemplar testamenti in quo testatur Richarius Stephanum condidisse responsoria de sancta trinitate.
22. [711] Item de Richario.
23. De aliis quatuor episcopis.
24. De Everhardo episcopo, et quid sub eo in Calabria contigerit.
B 25. De Nokero episcopo, et quantum omnia apud nos melioraverit.
26. Quam sapienter cujusdam potentis cupiditatem æluserit.
27. De æcclesiis sancti Dionisii et sancti Johannis ævangelistæ.
28. Quanta illi cura erga educandos pueros fuerit.
29. Qui et quales sub eo coaluerint.
30. Quod mitis humilibus, terribilis fuerit superbis.
31. De Baldrico episcopo.
32. De Walbodone episcopo.
33. Qualiter episcopus factus fuerit.
34. Quid placaturus imperatorem Henricum fecerit.
35. De vocatione ejus.
36. De Durando episcopo.
37. De Reginardo episcopo.
38. De Nithardo episcopo.
39. De domno Wazone episcopo.
40. Qualiter in scolarum magisterio se habuerit.
41. Controversia ipsius in Johannem præpositum.
42. Quid a rusticis sit perpessus.
43. Quod capellanus imperatoris Cuonradi sit effectus.
44. Quod Judeum sententia veteris Testamenti revicit.
45. Quod, defunctis præpositis Johanne et Lam- D berto, præpositus efficitur.
46. Præpositus factus ut se habuerit, et quod præbendam fratrum melioraverit.

VARIÆ LECTIONES.

[702] *deest numerus* 1. 2. [703] *deest* 1. [704] redidit 2. [705] cui 1. 2. 3. [706] Sigolinus *vit. R.* [707] *deest* 1. *Addit* 2. *hunc versum* : Libri fit primi finis mors sacra Remacli. 3. Explicit liber primus. [708] ecclesiæ *deest* 1. Incipiunt capitula sequentis libri 2. 3. [709] *ita* 4. invixerit 1. *deest* 2. 3. [710] *deest* 1. [711] XXIII. 5. *et ita deinceps usque cap.* 45.

NOTÆ.

(391) Qui litteras dedit de monasterio Dagobertus II rex a. 677.

47. Qualiter exteriora amministraverit.
48. Qualis interius fuerit.
49. Quod defuncto Reginardo imperator Cuonradus illum episcopatu [712] donare voluerit.
50. [713] Qualiter in episcopatum electus fuerit.
51. [714] Quod episcopus factus vigilanter sanctam religionem exequebatur.
52. Quam largus cujusque generis hominibus fuerit tempore sterilitatis.
53. [715] De bello et karitate Wirdunensibus inpensa.
54. Quod belli tempestatem maxima ex parte sedavit [716].
55. Quod castella prædonum everterit.
56. De divisione gratiarum huic homini collata.
57. Ut imperatori injuste suspectus fuerit.
58. Quid in causa Ravennatis episcopi senserit.
59. Qualiter a comitissa Montis castrorum temptatus fuerit.
60. Quod sollicitatus sit per litteras ut imperatori resisteret.
61. Quod regem Francorum, ne Aquasgrani invaderet per litteras absterruerit.
62. [717] Episcopus Catalaunensis eum per litteras consulit, quid de hereticis censeat agendum.
63. [718] Responsio ejus, quæ sibi super hoc sedeat sententia.
64. De hereticis nequaquam interficiendis.
65. De apostolico eligendo quid sibi videatur per nuntium imperatori respondet.
66. Insimilatus ab inperatore quid fecerit, quidve responderit.
67. [719] Quos vel quales præbendarios constituerit.
68. De inpendiis ab eo ad ædificia datis et vitæ ejus perfectione.
69. De imminente corporis ejus dissolutione.
70. De confessione ejus et unctione.
71. Quod abbas Olbertus, ne 7 dies super eum faceret, exoravit.
72. Quod Lethgia tanto pastore orbatur.
73. Apostropha ad Lethgiam, ut religionem teneat sanctamque Coloniam imitetur.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER SECUNDUS
GESTORUM
PONTIFICUM TUNGRENSIS, TRAJECTENSIS SIVE LEODICENSIS ÆCCLESIÆ.

I. [720] PROŒMIUM OPUSCULI SEQUENTIS.

Superiori volumine gesta Tungrensium pontificum sunt digesta, quæ fideliter servant ordinem eorum quæ relatu digna erant gestorum sive [721] dictu, a 27 memoratæ sedis episcopis, quorum primus beatus Maternus [722] in cathedra Tungrensi fere 20 habuit successores. Sed beatus Munulfus, qui 21. extitit, ex auctoritate canonum a Tungri sedem episcopii [723] amovit, et eandem Trajecti, ubi tunc temporis aptior locus erat, constituit; qui locus tandem episcopii sedem usque ad sanctum Hubertum servavit. Isque propter patrocinia sancti martiris Lamberti, aput Leodium vicum publicum, ubi [724] usque hodie perseverat, voluit esse caput episcopii. Deinceps quæ sequuntur jussu priorum loci istius anno Dominicæ incarnationis 1056 ex alterius opusculi libello, quem quidam ex canonicis sancti Lamberti [725] nomine composuit [726] monitu Idæ venerabilis abbatissæ, quæ regebat monasterium sanctæ Ceciliæ virginis in Colonia, huic operi sunt annexa; cujus [727], ut ipse [728] testatur, suscepti laboris causa talis fuit. Requiescit in eodem sanctæ virginis monasterio corpus beati [729] Ebergisi, qui Tungrensi æcclesiæ præfuit 24; quod a Brunone archiepiscopo, qui dux fuisse fertur, a Trutmonia Leodicensis episcopii villa, ubi sepulchrum ejus adhuc cernitur, illuc translatum esse affirmant (392). De cujus vita quia nichil ibidem habebatur, eadem venerabilis abbatissa Ida memoratum Leodicensis æcclesiæ canonicum pudicum admodum familiaritate, quippe quæ eum ex sacro fonte spiritualis mater susceperat, est aggressa, ut si quid in Leodicensi æcclesia de eodem sancto haberetur, conscriberet et ei mittere [730] non tardaret. Quæ etiam sepe et multum de vita et mori-

VARIÆ LECTIONES.

[713] 1. 4. episcopum 2. 3. [713] Ll. 3. [714] Lll. 3. [715] LV. 3. *et ita usque* LXIII (*pro* LXI). [716] sudavit 1. 2. [717] LXV. 3. [718] LXVII. 3. *et ita usque ad* LXX (*pro* LXVI). [719] *ita etiam* 3. [720] *deest* 2. 4. [721] sine 1. [722] martinus 1. 2. *corr.* mà : t : nus 2. [723] epũ 1. *et sic deinceps* [724] ibi 1. 2. *corr.* ubi 2. [725] *ita* 1. 2. Alexandri 3. 4. Anselmus *Ch.* [726] *deest* 1. 2. 3. [727] cujus — studuimus *desunt Ch.* [728] ipsa 1. 2. 3. [729] *alio atramento in margine oppositum* 1. [730] emittere 4.

NOTÆ.

(392) Vid. Anselmi litteras ad Annonem et I, 28.

bus domni Wazonis, nostra [731] memoria episcopi, A percunctabatur, et nonnunquam inter audiendum aliqua vel extrema de eodem beato viro religiosos gemitus et piæ recordationis lacrimas edere solebat. Hac nimirum splendida ancillæ Christi inportunitate sollicitatum se dicit, ut quod ultra vires fuisset, hoc opus nimis audacter arripere temptaverit. Et priorem quidem ejusdem opusculi sui partem ex præsentibus 27 episcoporum gestis se compilasse non est confusus confiteri, ita dicendo : *Ex pontificum Tungrensium gestis, quæ a sancto Materno usque ad beatum Remaclum sunt porrecta, placuit quasi ex florigera prati amenitate decerptum de diversis floribus texere sertum. Cui deinceps annectere studuimus* [732] *quæ de posterioribus sparsim aut legimus aut certa antiquorum relatione didicimus, et breviario quodam nomina singulorum cum paucis quorum tam ipsorum gestis usque ad domnum Wazonem perstrinximus. De cujus vita et moribus extrema quælibet dicendo, paulo diutius immorati sumus, tam ut posteris, si quis hæc dignetur legere, tanti viri non negetur notitia, tum potissime quia hoc lacrimis vestræ pietatis negare non potui ; quibus* [733] *cum ejusdem venerabilis viri, nunquam fatiæ, sed fama tantum cogniti, dulcissimam mentionem solet is amplexari. Quibus vere quod temptare ultra vires fuit, nisi cum auxilio divino voluntas optemperandi foret, a nobis extorquere potuistis. Unde contigit ut ad pingendum pulcherrimum hominem a vobis* [734] *coactus sim pictor ignarus, qui si in aliquo tanti viri* C *laudes exilis ingenii seu tenuis stili vitio detrivi, ex obœdientia favorabiliter Christi sponsæ inpensa obsecundantis ignoretur ignorantia.* Quæ cum ita sint, nos quoque non inconvenienter ejusdem opusculi capite sublato [735], ut inoffenso pede servare possimus ordinem gestorum pontificalium, a successore sancti Remacli, beato videlicet Theodardo, novum ingrediamur exordium.

[735] *De sancto Theodardo.*

(*Circa an.* 661.) Beatus igitur Theodardus sub beato Remaclo æcclesiasticis ad unguem disciplinis informatus, magistro ultro pontificatus honorem desiderio artioris vitæ declinanti, in cathedra Tungrensi sive Trajectensi successit 28 (*Acta S. Theodardi*, c. 8). Hic pro rebus æcclesiæ sibi creditis D dum regias aures pergit compellare, et contra pervasores prædiorum æcclesiæ auxilium postulare, in saltu quodam qui dicitur Biwalt haut longe ab urbe Nemetensi, quæ usitato nomine Spira [736] nunc dicitur, ab ipsis suæ æcclesiæ prædonibus ex improviso undique vallatur, et diffugientibus a se circumquaque comitibus, ipse innocens ibidem trucidatur (*circa an.* 668). Nec mora, quanti meriti apud se vir iste fuerit, omnipotentis Dei clementia declaravit (*Act. S. Theodardi.* c. 12, 13). Nam puella quædam dum pia temeritate fila subtegminis, unde in frusta comminutum caput martiris colligaretur, dominæ subtraxisset, rediens cum pecore [737] ipsam dominam suam, eo quod pensum non redderet, vehementer offendit, adeo ut, furore exagitata, pugnis et verberibus in ipsam insurgeret. Sed repente dum percutit, ipsa graviori [738] ictu, cecitate videlicet, divinitus percutitur. Perstrepit illico lugens familia, adsunt [739] acciti [740] domesticorum plangore vicini. Exquisita diligenter tam subitæ cecitatis causa, ad cadaver sacerdotis ocius cucurB rit, rea illuc cum fide et precibus confluentium perducitur, in confessione criminis venia postulatur et impetratur ; discitque ab eo [741] misericordiam querere, cujus funeri paulo ante noluerat pietatem ab ancilla fuisse exhibitam. Unde indigenarum sollicitudo certata [742] de virtutibus sacerdotis tam evidenti indicio, ejus ossa ibidem terræ [743] mandare student [744] cum summa reverentia. Procedente [745] vero tempore, successor ejus venerabilis patronus noster Lambertus, eadem magistri ossa inde ad nos transferre sepissime temptavit. Cumque multum reclamante rusticorum manu, et [746] sui, ut aiebant, martiris ossa cum armis vindicante, hoc diu frustra esset, tandem divina misericordia famulo suo in conspectu ibidem commanentium tantam [747] concessit gratiam, ut inde transferendi tanti thesauri darent copiam sacerdoti. Quorum [748] singulos uberrimis pecuniæ muneribus cumulatos relinquens [748], sacri funeris pignus æcclesiæ suæ sanctus advexit Lambertus. Cujus adhuc passionis diem ejusdem provintiæ compatriotæ singulis annis cum summa celebritate solent frequentare, et, licet ossibus absentem, meritis et signis, quæ ibidem frequenter fiunt, se gaudent habere præsentem.

3. *De sancto Lamberto* [749].

Huic successit semper memorandus venerabilis noster patronus Lambertus in ordine 29 (Godescalci *Vit. Lamberti* 1). Is, ut perpaucis multa de vita ejus perstringamus, beatus [750] Lambertus ex nobilissima tunc temporis [751] Trajectensium stirpe natus, a primæva ætate nobilius in sancta religione conversatus, et ob meritum excellentis vitæ ad supplendas jam dicti [752] antecessoris ejusdemque [753] pii præceptoris vices raptus est potius quam electus (Stephani *Vit. Lamb.* c. 3). In quo videlicet episco-

VARIÆ LECTIONES.

[731] vestra 1. 2. 3. [732] *vide not.* 392. [733] quibus — sublato *desunt Ch.* [734] a vobis *desunt* 4. [735] 1. 4. *et sic deinceps.* [736] *deest* 1. 2. 3 [737] peccore *corr.* pecore 2. [738] graviora *corr.* gravior 1. gravior 2. 3. gravioro *Ch.* [739] lugens familia adsunt 1. 2. 3. [740] occidi 1. [741] *deest* 1. *post add.* 2. [742] certificata 4 *Ch.* [743] terib. 2. 3. 4. - [744] studet 4. [745] procedenti 2. 3. [746] ut 1. [747] tandem 1. 2. divina — tantam *desunt* 3. lamulo — tantam *desunt* 4. [748] Quorum — relinquens *desunt Ch.* [749] Passio sancti Lamberti episcopi et martyris. *in margine* 2. [750] b. L. *superscr.* [751] tunc temporis *erasa* 2. *desunt* 3. 4. *leguntur* 1. *Ch.* [752] *ita* 1. *et Cn.* . . . . . sti *corr.* beati Theodardi 2. b. Theod. 3. 4. [753] que *deest* 1.

patus culmine, cum inreprehensibilis vitæ gratia in ipso bonis hominibus eluceret imitanda, adeo pravis quorumdam moribus erat invidiosa, qui ad tantam quandoque devoluti sunt insaniam, ut regem suum Hildricum [755] nomine innocentem obtruncarent (*an.* 673), et hunc sanctum virum a sede pontificali dejicere non perhorrescerent (Godesc. *Vit. Lamb.* c. 2).

4. *Quod pulsus ab episcopatu monasterium adjecit.*

Hac ille gratantissime contumelia accepta, quippe qui jam dudum ultro transitorios honores evasisse exobtabat, ubi potissimum sanctos viros monasticæ conversationis studio fervere constabat, Stabulaus monasterium a sancto Remaclo [756] institutum adiit [757]. Quique strenue noverat præsse, ut abbatis (393) imperio subesse sibi liceret expetiit et optinuit, atque ibidem per septem annos sanctam et angelicam [758] conversationem in [759] laboribus, in jejuniis, in vigiliis et orationibus, in caritate, in pacientia, immo [760] in omni virtutum exegit observantia (Godesc. *Vit. Lamb* c. 3).

5. *Qualiter ibi probatus fuerit.*

(*Ibid.*) Cumque nocte quadam, qua tempestas hiemalis solito asperior frigoris et nivium horrore incanduit, vir Dei ex carissimo suo illo usu fratrum vigilias in Dei laudibus pergeret anticipare, a manu pie festinantis subito calceus est elapsus, atque aliquantus perinde sonus a patre monasterii est auditus. Isque statim eum qui taliter fratrum fregisset silentium, adjudicatus [761] est cruci sub divo positæ — nam hæc erat ibidem hujusmodi corrigendis excessibus [762] disciplina — nesciens tamen cui hoc imperaret, inflexibili addicit sententia. Ille, velocius quam si prospera juberentur, abbatis edicta facessit, et ut erat solo indutus cilicio, pedibus nudis coram cruce mundo crucifixus carnisque desideriis, orans et psallens perseveravit. Stat instar crucis ante positæ, stat plane vivens Christi hostia, offerens cælo [763] suavissimos odores obœdientiæ, dum et obrigescenti præ algore corpusculo incumbentes fortiter comtempnit nives, et psalmodiæ [764] nichilominus persolvit munus, procul dubio sic creatori suo multo acceptius. Vere eodem spiritu hunc nostrum et ex hoc jam supplicio martirem inflammatum esse crediderim, quo craticulatus ille Laurencius æstuans interius exteriores flammas calcavit victor. Quorum par fides illo igne quem dominus Jesus in terras misit, vehementer ignita ad dispares pœnas quasi insensibilia reddidit corpora (Stephan. *Vit. S. Lamb.* c. 6.); sicque alterum contemptus ignis cælo transmisit, alterius vitam ad majores certaminum labores frigoris inmanitas interim parcendo servavit. Qui licet propter salutem multorum a gloria cælesti paululum sit ditatus non tamen communi sanctis martiribus præciosa morte nec multiplici certaminis fructu tandem est fraudatus. Tegitur nive magis quam veste, ut dictum est [765], sacratissimum venerabilis viri corpus, eo usque ante crucem manens fixum et immobile, dum fratres expletis vigiliis ut frigentia caloribus curarent corpora, nunc [766] in conclave [767] his aptatum usibus sese conferunt, consideratisque omnibus, solum abbas deprehendit abesse beatum Lambertum (Godesc. *Vit. Lamb.* c. 3); cujus absentiæ causas requirens, agnovit a referentibus eum esse qui ipsius jussu crucem intempesta [768] nocte adierit, eum pene [769] nudum et discalciatum nive et frigore intollerabili [770] etiam vestitis, jamdudum excruciari. Curritur ocius; sacerdos Dei vixdum agnosci valens extrahitur media illa nivium densitate, artusque [771] sacri acsi in mortem rigentes præ frigore copiosis ignibus admoventur, non sine multa fratrum et abbatis maxime penitentia, se reum, se sacrilegum ingeminantis [772], qui talia in sanctum virum judicare præsumpsisset. Nec prius abstitit sedulitas fraternæ pietatis, donec cum Dei auxilio multa adhibendo fomenta afflictum corpus pristina incolomitate redintegrat.

6. *Qualiter denno ad episcopatum raptus in eo vixerit et Texandriæ prædicaverit.*

Non multo post (Godesc. *Vit. Lamb.* c. 4) devotio filiorum Trajectensis æclesiæ amissi pastoris sed vivi dampnum sero [773] reminiscitur [774]. Tandem detrectans jugum impiissimi supplantatoris [775], qui indignissime oves Dominicas per septem annos vexaverat, domnum Lambertum unanimiter sibi reposcunt [776] episcopum. Quem diu multumque reclamantem, majori violentia quam antea expulsus fuerit, de monasterio extractum ad sedem episcopii reducunt, exceptumque egregio hinc Deo servientium, hinc pauperum Christi triumpho, iterum [777] in cathedra pontificali sublimant. Tum vero quantam utriusque vitæ, contemplativæ scilicet et activæ, perfectionem assecutus fuerit, a majoribus nostris conscripta evidenter ipsius declarat Vita; quam his qui non legere, hæc compendio scribimus, simul ne gloriosissimum patronum nostrum, cui multo ampliora debemus, silentio præterisse

VARIÆ LECTIONES.

[755] *in* 2 *postea corr.* Kildericum nomine filium Clodovei filiam Dagoberti obtr. [756] *vocabulum erasum* 2. [757] adit 4. [758] evangelicam 4. [759] in laboribus - immo *desunt Ch.* [760] adjudicatus est 1. adjudicatus *superscr. et post corr.* adjudicauit 2. adjudicatus est 3. 4. *deest Ch.* [761] *sic* 4. *et Ch. deest* 1. 2. 3. [762] *deest* 3. 4. [763] psalmodiæ 1. [764] *superscr.* 2. [765] *erasum* 2. *deest* 4. [766] clave 1. 3. *corr.* conclaue 2. conclave 4. *Ch.* [767] inpesta *corr.* intempesta 2. [768] pede 1. 2. 3. [769] intollerabili *corr.* intolerabili 2. [770] artus 3. 4. *Ch. corr.* 2. arius 1. [771] *corr.* ingeminantis 2. *idem* 4. *Ch.* ingeminans 1. 3. [772] vero 1. 2. 3. [773] damuum vero *erasum* 2. *ubi post corr.* reminiscens; reminitur 3. [774] supplantoris 1. [775] *post cor.* reposcit 2. [776] uerum 1. 3. *post corr.* iterum 2.

NOTÆ.

(393) Goduini, si quid in rebus tam incertis statuere licet.

videamur. Texandriam eatenus idolatriæ deditam constantior quam tunc cum sub nivibus staret (Godesc. *Vit. Lamb.* c. 6), fortis bellator aggreditur confodere eo verbo quod est penetrabilius omni gladio (*Hebr.* IV. 12); nec mora, annuente Dei gratia, silvestris illa humanorum cordium feritas mansuescit, et vasta solitudo quæ [776] nichil aliud retro quam miricas noverat. ex Domini benedictione cædrum [777], abietem, pinum [778] et buxum (*Isai.* LX, 13) se suscipere lætatur; mediisque interjacens paludibus ager [779] diu sterilis et infecundus, alius centenos, alius sexagenos, alius trigenos, Domino fertiliter reddit fructus (*Matth.* XIII, 8).

7. *Qualiter a perfidis sit interemptus.*

Talibus virtutum exerciciis [779] ad gloriosum venitur martirium, quo vitæ ingressum, mortis exitum victor invenit (Godesc. *Vit. Lamb.* c. 7). Violatores et pervasores [780] rerum æcclesiasticarum duos fratres aliqui ex propinquis sancti Lamberti, ipso nesciente, interfecere; quod Dodo. proximus eorum, eodem tempore præpotens in domo regia, non alias quam in ipsum episcopum censuit esse vindicandum [781]. Collectisque non paucis ad hoc facinus militum copiis, in pontificem cum rara domesticorum manu tunc forte Leodii commorantem, ut lupus in oves insilit. Et primo diluculo domum præsulis, quam videre nonnulli tota illa nocte cælesti lumine instar Dominicæ crucis insigniri, audacissimus præsumptor armatorum cinxit obsidione. At vir Dei intrinsecus somno, cui post vigilias defessa membra reclinaverat, improviso tumultuantium fragore expergiscitur; statimque nichil reniti vel contramoliri querens, cum et posset, — sciebat enim quia [782] b llatores Christi exemplo magistri moriendo quam pugnando norunt vincere — totum corpus in oratione prosternens, præciosam constantissime mortem operitur. Nec mora, adversari's ex omni parte parietes domus inrumpentibus, multi ante [783] pastorem trucidantium ferro ad cælum præmittuntur martyres [784], tandemque ipse pater venerandus, ut erat solo fixus, lætali vulnere est confectus; sicque cum oratione spiritum afflavit vitæ (*circa an.* 709). Nec est dubitandum (Godesc. *Vit. Lamb.* c. 11) quin sanctam martiris animam exceperint [785] laudes angelicæ, cujus cadaveri non defuerunt [786] cælestes exequiæ, quæ eo [787] loci ubi primum sepulturam habuit, videlicet Trajecti, ab idoneis testibus sunt compertæ (*c.* 13). Dodo [788] autem, inmanissimi perpetrator sceleris turpiter egestis [789] intestinis, ante expletum annum vita privatus, æterna morte est damnatus; cæteri nihilominus omnes, qui neci antistitis interfuere, alii inter se dimicantes se ipsos interemere, alii a demonibus vexati miserabile spectaculum divinæ ultionis in se hominibus præbuere (*c.* 14.). Post aliquot autem annos sacerdotibus multisque aliis Deum timentibus revelatum est a Domino corpus sacratissimum in locum passionis, scilicet Leodium, transferri debere. Quod fidelissime a beato Huberto successore ejus est adimpletum. Nam [790] effossum humo sacratissimum corpus, non corruptum et miris odoribus respersum repertum est; levatumque inde in feretro, in locum quo nunc colitur, cum omni honore est deportatum [791]. Ubi inter eundum per illuminationem ceci et claudi curationem, martiris sui virtutem Dominus confluentibus undique turbis dignatus est amplius declarare. Ex quo innumera ad tumulum ejus, tum ante nos, tum nostra memoria ostensa sunt miracula, quæ pro sui numerositate minime sunt conscripta. Quo [791] modo vivit illic ubi vivit, qui tot miraculis vivit, ubi corpus mortuum requiescit? Non ergo pigeat sanctam Coloniam, multis martirum milibus insignitam, etiam hunc filiæ suæ venerari patronum, ut censeat se ei debitorem apud Deum in prece [792], qui tanti fuerit apud eam quæ suæ [793] urbi præsidet æcclesiam.

8. *Item alia de eodem opinio* [794].

Huic beatissimo viro testimonium perhibet Regino abbas Prumiensis, ita scribens inter cætera in chronicis suis, quæ a primo incarnationis Dominicæ anno usque in nongentesimum octavum ejusdem Domini annum extendit: «*Tempore*, inquit [795], *Vigilii papæ habita est synodus* [796] *Aquileiæ contra hereticos, qui beatam Mariam solum* [797] *hominem, non deum hominem genuisse affirmabant. In qua sinodo catholice institutum est ut Maria semper virgo Theodocos diceretur, quia non solum hominem, sed verum Deum et hominem genuit* [798]. *Ea tempestate* [799] *claruit Lambertus Tungrensis æcclesiæ episcopus* (394). *Qui dum regiam domum zelo religionis accensus increpasset* — sic habet alterius adhuc scripturæ relatio nobis a prioribus relicta (395) — *rex Pippinus* [800] *tunc temporis monarchiam regni tenens, sororem memorati Dodonis, legitimæ conjugi pelicem induxerat, et suadente diabolo licitos amores illicitis postposuerat. Pro qua re hic solus auctoritate sacerdotali principem*

VARIÆ LECTIONES.

[776] quæ — ager *desunt Ch.* [777] credrum 1. [778] *ita legendum ex vulgat.* spinam 1. 2. 3. 4. [779] exercitus 1. ciciis *e corr.* 2. [780] persuasores 1. [781] judicandum 1, 2. 3. [782] quod 4. [783] antea 1. 2. 3. ante 4. *Ch.* [784] martires *corr.* martyres 2. [785] exceperunt 1. [786] défuerint 4. [787] eum 1. 2. 3. [788] Dolo 1. [789] egistis 1. [790] Nam — deportatum *desunt Ch.* [791] *reliqua desunt Ch.* [792] præsens esse 4. [793] sui. 4. [794] *desideratur Ch. hoc caput.* [795] quondam *post add.* 2. [796] sub Justiniano imperatore *post add* 2. [797] non solum 1. [798] Et sequitur *post add.* 2. [799] sub Justiniano minore Leone et Tyberio *post add.* 2. [800] pipinus *corr.* pippinus 2.

NOTÆ.

(394) Minus accurate Reginonis verba reddidisse auctorem, qui Aquileiensem synodum a. 698, Vigilii papæ temporibus habitam esse scripserit, jam monuit Suyskens in commentario de S. Lamberto Act SS. Sept. V, 541.

(395) Cfr. quæ de his docuit Hirsch in commentatione de Sigeberto Gembl. p. 298.

publice adulterii arguere non reformidabat, et nunc minitando terrore divini judicii, nunc honestatem legalis thalami commendando, et contra turpitudinem adulterii detestando, hoc apud ferocem ejus animum vir apostolicus effecerat, ut jam jamque minus in fornicaria insaniret. Quod ubi illa primum persentiscere potuit, furore simul et libidine estuans, qualis Hiezabel in Heliam, vel Herodias in Johannem, fratrem gemebunda edit, fratri contumeliam a sacerdote sibi illatam memorat, ipsius instinctu aversum a se regis animum, mori sacius e se quam tam honestis ignibus privari cum dedecore; fecit ut sacerdos interiret; nullus posthac regalis thalami fore discidium. Bibit ille transfusum a viperea sororis lingua alto pectore venenum, armat statim ex domesticis regiæ domus ad necem episcopi milites auxiliarios, et miser dum in sacerdotis necem crudeliter grassatur, nescit quia sibi æternam mortem, illi finem laborum et perpetuam pariat vitam. Hanc passionis ejus causam scriptorem vitæ ipsius ideo tacuisse arbitror, ne, ut fit, eorum incurreret offensam [801], quorum majores tali notati essent infamia. Cujus vitæ sanctitatem et gloriosæ passionis dignitatem cum et rerum experimento, et auctoritate tot testamentorum approbemus, tum [802] confidenter Christianæ religioni persuadere audemus hunc vere esse angelorum concivem et martyrum coheredem, quem gloriosa Dei genitrix apud nos in majori æcclesia, inque omnibus quæ ad illam videntur appenditia, suo dignatur consortio.

9. [803] *Quod in Bawari et pago Wirzeburgensi ad memoriam ejus frequenter fiunt miracula.*

In [804] diversis profecto terrarum partibus, ubi in honore et memoria venerandi martiris oratoria habentur constructa, pro ejus meritis frequenter fiunt Dei [805] miracula, ut liquido constet fidelibus nichilominus ejus preces vigere ubi cineres ejus cernuntur abesse, quam nobiscum ubi præsens est corpore. Est in Bavaria lacus, qui quandam infra se insulam blando stagnantis aquæ allambit circuitu. In hac in honore sancti Lamberti situm est monasterium, quod ab antecessoribus domni Piligrini Coloniensis archiepiscopi ibidem cum claustro et officinis monasterio necessariis constructum, et opulentissimis prædiorum reditibus ab eisdem est ditatum; ubi quod sepissime ad memoriam sancti martiris et episcopi nostri miracula Christi fiant, frequenter audivimus. Haud longe ab urbe Wirzeburg vicus cognomento Duckelinhusen (396) æcclesiam habet in honore ejusdem sancti martiris, ad quam in anniversario passionis ejus undique confluere consuetudinem habent provincialium frequentia, atque huc copiosa frumenti, vini et pecorum convenere sancto martiri xenia. Dumque devote student [806] offerre carnalia, præter invisibilia animarum amminicula sepissime Lesorum quacumque parte corporum etia[illegible] sese gaudent inde [807] referre medicamenta. Testis est domnus Thietwinus [808] episcopus (397) et quotquot ex illis partibus ad nos venire solent clerici sive laici.

10. [809] *Quod* [810] *apud Lovinion* [811] *ad* [812] *memoriam ejus contigerit* [813].

Nec inter hæc prætereunda esse arbitror quædam de miraculis ejusdem sancti martiris, quæ me ante biennium a presbitero quodam nomine [814] Wirino [815] contigit audisse. Possessiuncula quædam est [816] hujus æcclesiæ nimis contigua oppido, quod Lovanium nomine diminutivum ex suo nomine eidem villulæ indicit vocabulum; cognominatur enim Loviniol. Continetur in eadem possessione æcclesia, quæ ut ea lignea antiqua patrum religione diu est servata, sed [817] ejus parietes nunc minores meliorare student cementi et lapidum structura. Referebat memoratus presbiter se multa audisse et vidisse in eodem loco gesta Christi domini miracula. Quæ cum majori ex parte memoria exciderint, pauca quæ in mente veniunt, strictim [818] statui [819] memorare.

11. [820] *De equo in rabiem* [821] *converso* [822].

Pullus equi indomitus aliquando ad parietem ipsius æcclesiæ latera [823] confricabat, statimque [824] in rabiem versus, non multo post cecidit mortuus.

12. *De quodam qui pedem foribus æcclesiæ ejus* [825] *illisit et putrefactum amisit.*

Adolescens temerarius puellam quandam opprimere volens, rapido cursu post illam fugientem ferebatur. Illa pernicibus plantis insequentem [826] diu fatigans juvenem [827], alium evadendi locum minime inveniens, in [828] memoratam æcclesiam confugit, fores diligenter exclusit. Quam ille celeriter insecutus, ut erat amore simul et furore exestuans, cum maximo impetu pedem ejusdem sacris foribus impegit. Ignotum est [829] an fores præfregerit, sed pes pro tanta temeritate tam graviter collisus est, ut deinceps per annum integrum cottidie excrescente [830] affectus dolore, tandem putrefactus et miserabiliter a junctura tibiæ sejunctus ceciderit. Sicque miser

VARIÆ LECTIONES.

[801] incurrerit offensa 1. 2. 3. [802] cum 4. [803] *deest* 1. 2. 3. [804] *longe aliter Ch.* [805] *deest* 3. 4. [806] stustent 1. [807] inde se 4. [808] Thiewinus 4. [809] *deest* 4. [810] quid 1. [811] Loviniol 4. *Ch.* [812] in 2, 3. 4. ad *Ch.* [813] *caput longe brevius ap. Ch.* [814] sine nomine 2. [815] Warino 3. Waritio 4. [816] ejus 1. [817] sed ejus *desunt* 3. 4. [818] structim 1. 3. *corr.* strictim 2. [819] stat. 1. 2. 3. statui 4. *Ch.* [820] IX 4. *et deinceps duobus minor capitis numerus.* [821] rabie 2. [822] nerso 3. 4. [823] latam 2. 3. [824] que *deest* 1. [825] *deest* 3. 4. [826] insequente 1. 2. 3. 4. inseqentem *Ch.* [827] fatigatis juvene 4. [828] *deest.* 4. [829] Ignotumque 3. 4. [830] excrescent 1. 2. 3.

NOTÆ.

(396) Dünkelhausen.

(397) Leodiensis, successor Wazonis, natione Noricus de Bavaria, ut scribit Albericus. MARTENE.

ille evidens omnibus spectaculum dedit, sacra loca non revereri quantum sit periculi.

13. *De eo qui vomitu furtum prodidit.*

Pleps ejusdem parrochiæ, sicut et vicinarum circa regionum, solent quæcumque possunt alter alteri subripere, annonam, vestem seu quamlibet aliam subpellectilem; ubi aperte nequeunt, latenter involare, pecudes sibi abigere; de cætero nec bannum sacerdotis, nec terrorem alicujus potestatis, qui ejusmodi sceleribus prohibendis, ne dicam [831] rarus, immo nullus est, reformidare [832]. Factiosus quidam unus de talibus porcum vicino sublatum cum aliis similia secum actitare solitis coxerat et comederat. Postera die, quæ Dominica habebatur, populo ad æcclesiam concurrente, iste, licet facti conscius, propius altari cancellos inpudenter, unde omnium oculis contiguus esset, astitit. Proclamatio ad presbiterum de sublati porci dampno perfertur; statimque ab eo, si quis ejus rei in facto seu conscientia reus sit, bannitur. Dissimulante illo videlicet prædone et aliis facti consciis, conclamat pleps omnis cum sacerdote, orans ut omnipotentis Dei misericordia propter præsentem sanctorum memoriam talem prædonum diu non sineret homines latere nequitiam. Vix dum hæc verba compleverant, cum ecce prædo ille temerarius abjuratam cum obsceno vomitu cepit prædam reicere. Namque ferunt qui [833] videre, multa suillæ carnis frusta cum parte pedis quæ, pridie consumpta, jam ligesta esse poterant, ore ejus effluere. Turpius factum turpi prodentem nausea expellunt ab æcclesia, nec absistunt donec evidentius fatetur ubi, quando, quicum eundem porcum abegerit [834]. Pro hujusmodi miraculis Domini non parva eidem loco servatur reverentia, nichilque indecens, quod inultum sit, circa eandem æcclesiam sive atrium ejus credunt posse contingere [835]. Idem presbiter ovibus cæterisque pecudibus suis idem atrium, propter timorem vicinorum prædis inhiantium, ad pascua pervium fecerat, sed eorum animalium aliquod diu vivere posse, propter quod callem illicitum sepius per atrium trivissent, negabat.

14. *De contracto manifeste erecto.*

Liceat [836] adhuc ad laudem et gloriam Domini martirisque ejus preciosi unum enarrare, cujus nostra memoria gesti in præsenti æcclesia, ubi venerandum ejus requiescit corpus, tot esse possunt testes, quot qui hoc idem videre sunt superstites. Adolescentulus quidam a primis puericiæ annis claudus [837] æcclesiam et quocumque procederemus cum scabellis perreptare [838], et continuis septem annis erga signa pulsanda, hostia seranda et reseranda, sedulus esse sole- A bat; cottidie ex fraternarum stipe elemosinarum alebatur, nec aliunde vivere noverat. Unde contigit, cum inter fratres sermo incideret de gyrovagis quibusdam, signa in sese [839] facta mentientibus, ut si iste erectus foret, sine dubio hoc credi debere asseveraretur, quippe qui præ nimia simplicitate, nedum aliquid fingeret, longe prius falli quam fallere posset. Taliter apud nos septem paulo plus minusve conversatus annis, quadam vice, sicut erat hilaris et ad exhibenda talia agilis, sed cætera omnino claudus et debilis, ad mensam fratribus occurrere festinans, criptam in qua sancti martiris est mausoleum pergit claudere. Venitur ad sinistri lateris hostium cui dum summis innixus articulis, pessulum obdere tenderet, sensit paulatim nervos [840] B laxari, tybias a coxis disjungi, adeo ut non jam articulorum amminiculo subrigi, sed si [841] se ita posse crederet, totus in directum ad hoc valeret assurgere. Miratur ac stupet simplicitas adolescentuli novam in se recte incedendi potentiam, nec unde sibi hoc contigerit [842] intelligere valens, nescio timore an pudore, rem nulli puplicat; it [843] itaque incassum scabellis aliquamdiu, multo nunc quam ante vere debilis inpotentior. At [844] tandem ex matricularii quemdam ad se secreto advocans, eidem quid donante Deo posset ostendit. Ille primum præ pavore rei inusitatæ fugiens, sed subinde resumptis viribus rediens, tempus et ordinem curationis inquisivit, illo simpliciter narrante cognovit, nobis narravit, et ex illo scabellis in virtutis testimonio ante martiris tumulum derelictis, novellos baculo sustentante didicit regere gressus. Contractum prius et post erectum vidimus, aliquantis eum postea annis vixisse vidimus, scabella in testimonium virtutis retinemus. Hæc ideo non dicimus, ut cottidiana Dei in nos ob sancti martiris meritum beneficia extenuare velimus, quæ tot ac tanta sunt ut humanus ea vix comprehendere valeat animus, sed ut his qui nova et inusitata mirari consuevere satis faceremus, et ut nova memorando ad disquerenda cottidiana studiosorum sollicitudo excitaretur. C

15. *Oratio ad sanctum Lambertum.*

Jam ad te noster vertatur [845] sermo, martir Christi inclite, servulorum preces ne adverseris [846] D obsecro. Tu fonte evangelico majorum rigans pectora, terram simul precioso irrigasti sanguine [847]. Spiritus cælum possidet, terra servat cineres, nos eosdem veneramur, qui terra et cinis sumus, ut peccata servulorum quæ [848] exsuperant harenas numero et pondere [849], tuo precatu delcas. Per tuum [850] quo hanc æcclesiam fundasti, pastor, san-

VARIÆ LECTIONES.

[831] ne dicam *desunt* 4. [832] *hucusque desunt omnia ap. Ch.* [833] quod 4. [834] abierit 1. [835] *sequentia desiderantur ap. Ch.* [836] *initium deest ap. Ch. reliqua omnino differunt.* [837] *deest* 3. 4. [838] *sie* 4. *Ch.* pertemptare 1. 2. 3. [839] se 4. [840] *deest.* 3. 4, [841] sic 4. [842] contigeret 1. 2. [843] *sic* 4. ut 1. 2. 3. [844] ac 4. [845] *sic* 4. B 1. 2. veneratur 1. 2. 3. *capita* 15—18 *deficiente cod.* C. *ex* B 1. 2. *se restituisse effirmat Ch.* [846] adversaris 1. [847] s. i. 4. [848] quæ — pondere *desunt* B. 1. 2. [849] *sic* 4. te 1. 2. 3. eum L 1. 2.

guinem, quippe ipsam [850] ex minima ferme exequasti majoribus, oramus, quod enutristi, plus tuere precibus. Non [851] petimus augeri fundorum ex [852] reditibus; fuerit hoc [853] majorum moribus præditorum, scientia pollentium, rem auxisse publicam. Nos minores sufficiat talium vel longe sequi vestigia sub te patre, te tutore teque dulci præsule. Nullam tuarum ovium peccati contagio [854] sinas esse morbidam, sed et si qua mortali labe est confecta, per lamenta pœnitentiæ tuo ovili rursus dignam esse facito. Depelle [855] primum turgidam cum livida filia superbiam. Absit ira, absint odia, nullum locum in fraternis cordibus habeat discordia. Foris pugnæ, intus rixæ [856], tuo interventu omnia sint pacata. Fugiat cum sodali gula turpis ebrietas, cedant et invicem pugnantia, luxus et avaritia, cedat et libido, animarum mille ferens naufragia. Obtine, quæsumus, prece tua tibi servientibus a Deo veram cum pacientiæ benignitate humilitatem. Karitas non ficta in nobis cum fraterna regnet concordia, pax interior exteriora bella derideat [856], cum sincera sobrietate adsit cibi temperantia caro Dei adjutorio castitatis edometur legibus. Pro ambitu terrenorum appetitus veniat cælestium pro amore præsentis seculi numquam dormitet horror judicii, prædonis ferrum retunde [857] visibilis, multoque magis hostes preme [858] invisibiles. Isti enim necant animas [859], illi nisi exteriora tollant, nil agunt amplius. Neminem de grege tuo Vehemoht (*Job.* XL, 10) illius crudelissimi, obnixe deprecamur, sinas gutture absorberi [860]; sed si quem tuorum dentibus arripuerit, eum pro tuis meritis circumplectentis armillæ gratia per maxillæ foramen liberet. Ora [861] pro spiritibus eorum, quos tibi hac in eadem æcclesia Dominus aggregavit [862] retroactis temporibus. Ora postremo pro omnibus et viam universæ carnis ingressis, et modernis qui eodem tendimus, et sequentis ævi posteris, ut omnes simul ab auditione mala liberemur in adventu judicis. Ut hoc possis, aput primogenitum suum adjuvet te Theodoche optima, namque debet tibi suisque tecum servulis. Concedat nos idem vestris meritis nos ita sibi vivere, ut placatus nobis appareat in novissimo districti die examinis; cui sit cum æterno Patre et Spiritu sancto laus et gloria per infinita secula seculorum. Amen [863]. Jam dudum longius a suscepti operis intentione evagati sumus, petita venia ad propositum redeamus.

A

B

C

D

16. *De sancto Huperto.*

Igitur successit sancto Lamberto venerabilis pater Hupertus (*an.* 708) in ordine episcopali tricesimus; cujus vitam qui plenius nosse volent, ad Vitam ejus, quæ virtutibus plena aput nos habetur descripta (398), recurrant. Sed ne nos eum silentio præterisse videamur, tantum de eo dicamus, quantum scientibus non sit onerosum, nec omnino ignorantibus obscurum. Hic cum ossibus beati Lamberti (399) Leodium transtulit sedem episcopii, quæ eatenus habebatur Trajecti. Ipse primum in humili Leodio, Deo opitulante, religionis posuit fundamentum, unam tantum æcclesiam ordinando, eandemque pro temporis oportunitate fabricis cæterisque insignibus adornando. Jus civile oppidanis tribuit, vitam et mores ipsorum disciplinæ freno composuit. Libram panis, libram vini, modiumque, quæ nobiscum perseverant usque hodie, sapienter constituit [864]. Tandem multis virtutibus plenus, in senectute bona migrans ad Dominum (*an.* 727), a semet dictatam in ecclesia, quæ nunc est apostolorum principis, apud nos accepit sepulturam. In qua cum post septuaginta annos corpore iam futuræ resurrectionis gloria demutato invenirentur, obtentu Ludowici, filii Karoli Magni, in pagum Arduennam est translatus (400) (*an.* 825), ibique ex [865] satis amplis reditibus fidelium devotione oblatis proprium illi conditum est monasterium (401) (*an.* 817).

17. *De sancto Florebeto.*

Post hunc 31 episcopatum suscepit Florebertus, dictus quidem, ut vulgatum est, sancti antecessoris filius (402). Quem si carnalis idem pater ante sanctæ religionis generavit habitum, nichil de dignitate derogari potest alterutri; sin vero spiritualis alter alteri patri erat filius, nichil obest, immo multum prodest, spirituales filios si bonis patribus contigerit succedere. Hujus corpus cum Petro et Audoleco [866], qui occisi sunt cum beato Lamberto, uno compositum est sepulchro (403) (*an.* 746).

18. *De aliis 7 episcopis.*

Tricesimus secundus sedit Fulgaricus [867] (404) (*an.* 769), 33[us] Agillridus, ad quem Karolus Magnus

VARIÆ LECTIONES.

[850] *sic* 4. ipsa 1. 2. 3. [851] *sic* 4. nos 1. 2. 3. non — præsule *desunt* B 1. 2. [852] *e rasura* 2. [853] prurigine B 1. 2. [854] repelle 4. B 1. 2. [855] sopiantur *addunt* B 1. 2. [856] bellare rideat 1. bella rideat B 1. 2. [857] reconde B 1. 2. [858] *deest* 3. 4. [859] animam 4. [860] obsorberi 1. [861] *in sequentibus longe differunt* B. 1. 2. *finis desideratur.* [862] congregavit 3. 4. [863] Passio Lamberti finitur præsulis alm : *in margine* 2. [864] instituit B. 1. 2. [865] *deest* 4. [866] Andoleto B 1. 2. [867] Fulcarius B. 1.

NOTÆ.

(398) Vid. S. Huberti Vitam ab auctore coævo scriptam apud Surium, VI, 45.

(399) anno 13 præsulatus. Vit. S. Hubert.

(400) Cfr. Sur. VI, 56.

(401) Cfr. Historiam monasterii S. Huberti Andalgisensis ap. Martene et Durand in coll. ampl. IV, 918.

(402) Hoc testatur auctor Vitæ S. Huberti, Floreberti æqualis. Sur. l. l. p. 52.

(403) Vid. Act. SS. April. III, 377.

(404) Ad Fulcarium episcopum Tungrensem dedit epistolam Zacharias papa circa a. 751.

Desiderium Italiæ regem Leodium misit in exilium (405) (*an.* 787). Cui successit 34[us] Gerbaldus (406), postque illum 35[us] suscepit episcopatum Walcaudus [868] (*an.* 810); cujus anno quarto, qui est ab Dominica incarnatione 814, Karolus diem clausit extremum. Walcaudo (407) successit Eirardus [869] in sede 36[us] (*an.* 831), 37[us] Harcarius [870] (*an.* 842).

19. [871] *De Francone episcopo* [872].

Tricesimus octavus possedit Franco Leodium (*an.* 854), a Trajecto transvectus episcopalem cathedram, quam ibidem circiter 48 annos prudenter regere studuit, inter asperrimas fluctuantis seculi procellas. Hujus enim tempore legimus (408) (Regino *an.* 884) diram Nortmannorum gentem cum duce suo crudelissimo Godefrido a transmarinis partibus nostros fines irrupisse, et ex Oceano quidem in Rheni partim in Mosæ alveos subito tantum evolasse exercitum, ut, relicto in fluviis navigio, incredibili pedum velocitate utrobique terras percurrerent, et vastantes omnia cede et incendio illesi quæque vellent, iterum ad naves verterent. Adeo nescio quis terror divinæ ultionis animos [873] eorum quibus est cordi armis libertatem tueri, invaserat, ut, nullam in armis spem ponentes, servire quam rebellari [874] maluerint (Regino *an.* 882). Sed et si qui tale aliquit temptassent, numerosam nostratum copiam paucis eorum sepius turpiter terga dedisse compertum est. Huic tantæ miseriæ invictissimam retro Lutharingiam principis Lotharii crimen involvit, qui dum honestos legitimæ uxoris amores illicitis concubinæ posthabuit, ipsos, quod dictum [875] est nefas, sacerdotes in perniciosissimum erroris sui miserabiliter præcipitavit consensum (409) (Regino *an.* 863). Namque adulterinam convocantes synodum, falsis dant locum accusatoribus, ut reginam Tietbirgam arcessant adulterii. Illa dum contra querit excusare, acsi scortum repulsa, regali indigna A judicatur thalamo, mecho dissimulante et scelus jam duplicatum occultante, quod quasi tristaretur judicio episcoporum dulci sese privari conjuge. Nec multo post a legalibus thalamis injusto facto divortio, non cælat mechus quid [876] maligno corde machinatus fuerit; cum Waldrada enim turpi voluptatur adulterio. Auditur hoc Romæ; nuncius (410) huc statim a beato papa Nicolao mittitur, qui diligenter omnem rei veritatem investiget. Venit ergo responsalis domni apostolici. Ut auditum Romæ fuerat, ita verum esse reperit: archiepiscopos Guntharium Coloniensem, Tietgaudum vero Treverensem, tanti mali fautores deprehendunt simul et auctores, qui Metensem synodum (*an.* 862) turpiter regalium nuptiarum injusto fedaverint discidio. Convocantur B Romam (*an.* 863) cogente apostolica auctoritate cum Lothario rege archiepiscopus uterque. Rex de injusto legalis matrimonii divortio [877] canonicis legibus insimulatur. Rex se esse laicum, canones ignorare confitetur; sed super hoc in omnibus se episcopali paruisse juditio. Conjuge amissa, non negat se duxisse aliam, eo quod ita juvenilis calor ætatis poposcisset (411). Quid ultra memorem? Thietbirga legitime debere esse regina, altera Waldrada scilicet adjudicatur adultera, archiepiscopi qui hujusmodi flagitio assensum dederant sacerdotali dignitate privantur (*an.* 863). Sed contempnunt infelices, rex et alter archiepiscopus, Guntarius videlicet, apostolicam auctoritatem. Rex enim contempnit jusjurandum quo fidem legitimæ reginæ se servaturum sponderat, et volutabro potius delectatur adulterii: C ille præsumtuoso fastu divinum audet celebrare officium. Ob quam rem illi ambo eisque consentientes anathemate dampnati sunt ab apostolico. Hujus causa reatus adeo miseros fecit Galliæ populos, ut, sicut supra memoravimus, Dei omnipotentis ira barbaram Nortmannorum gentem omnino sineret prævalere nostratibus. (*An.* 867-869.) Tandem divina

VARIÆ LECTIONES.

[868] Walcandus 4. *in* 2 *in margine adscriptum est:* (Ist)e Walcaudus re(st)auravit a funda(men)tis monasterium in (A) rduenna in loco qui (dici)tur Andainus, quod monasterium fundaverat... beregisus... sinchro(n)os sancti Huberti, quod etiam (u)sque ad tempus ejusdem Walcaudi incoluerant canonici. Sed Walcaudus monachos ibi locavit, corpusque sancti Huberti transtulit illuc a Leodio consensu Ludowici imperatoris, filii Caroli Magni, locumque ipsum possessionibus amplians ossa sancti Beregisi in vicino ipsius monasterii tumulata ad idem monasterium transtulit ac loculo imposuit (407) [869] Pirardus B 1. 2. [870] Hircarius B 1. 2. [871] *deest.* [872] 2. *caput plane diversum dedit Ch.* [873] animus 1, 3. *corr.* animos 2. [874] rebellare 4. [875] dictu 4. [876] quod 4. [877] dissidio 4.

NOTÆ.

(405) Cfr. Annal. Laubiens. et Leodiens. 774; sed major fides habenda videtur Ann. Sang. qui regem Corbeiæ obiisse tradunt.

(406) A quo conscriptas quasdam epistolas ediderunt Martene et Durand, Collect. VII, 16.

(407) Cfr. Historia monast. S. Huberti Andagin. c. 5. Anno 831 die 19. mens. Aprilis Walcaudum adhuc inter vivos fuisse confirmant Ludovici Pii litteræ eodem die scriptæ ap. Chapeav. I, 154.

(408) Auctorem in sequentibus paulo liberius Reginonem ducem secutum esse, non ex ipsis quidem verbis, at ex rebus apparet. Anno 881. Leodium civitatem, Trajectum castrum et Tungrensem urbem Godefrido duce a Nordmannis esse combustas testatur idem Regino. Cfr. quoque Folcuin. gest. abbat. Lob. c. 16.

(409) Inter quos Franconem fuisse aut fugit auctorem, aut consulto ab eo tectum est silentio. Conciliis Aquensibus et Metensi a. 860 et 862 interfuit Franco, ut testantur acta conciliorum et epistola 45 Nicolai I. papæ; Mansi XV, 511. 547. 611. Cfr. quoque Hincmari ann. 869, ubi Franco episcopus S. Landberti vocatur. In curia Caroli Calvi postea versatus est; Hincm. et Regin. ann. 869. 876.

(410) Romualdus Portuensis et Johannes Ficodensis episcopus; dein Arsenius, Ortensis episcopus, apocrisiarius papæ i. e. responsalis.

(411) Hæc non leguntur apud Reginonem. Ex defensione quam Romam misit Lotharius (cfr. Hincm. 864) videntur desumpta.

ultio regem ferit cum archiepiscopis [878] (412). Nam dum ficte veniam ab apostolico querunt, atque inde humanitatem summi sacerdotis experti redeunt, intra Italiam peregrini interierunt. (FOLCUIN *Gest. abb. Lobiens.* 17) Ea tempestate aiunt nostrum episcopum Franconem, non ferentem diutius indigenas vastari ab externis prædonibus, tandem pro defensandis ecclesiæ rebus, pro viduarum et orphanorum causis in libertatem vindicandis arma sumpsisse, in barbaros h stes sepissime fortiter dimicasse, donec a tanta pervasorum peste cum Dei adjutorio patriam li eraverit [879]. Et quia pro hac necessitate crebro humani sanguinis effusioni interfuerit, memorant quod ipse spontaneus se officio altaris abdicaverit. Ipse amenum [880] huic nostræ ecclesiæ contulit Iustinum [881], abbaciam Lobiensem (413) et præpositu- B ram Fossensem adquisivit (414). Quem omnipotens Dominus ut pius pater flagello suo corripere voluit, et quicquit sibi in eo displicebat ad purum [882] excoquere. (*Isai.* I, 25). Nam ante finem vitæ diutino corporis fatigatur languore, animæ, ut credimus, integratur sanitate, quam multis tribulationibus attritam cælestibus apothecis credimus reconditam. Domus sanctæ Mariæ et [883] sancti Lamberti teriæ credilos ejus [884] servat cineres (415) (*an.* 901, *Jan.* 9). Circa idem tempus cathedra Coloniensis per septem annos pastoris expers (416), vastata a Nortmannorum rabie urbe et ecclesiis sanctorum cede et incendio, propiciante demum divinitate, Willebertum suscepit archiepiscopum (417) (*an.* 870). Cujus tempore domus sancti Petri, quæ adhuc ibidem præsto C est, ab ipso et ab aliis compluribus episcopis est dedicata, ubi pridie quam dedicaretur, ingentes demonum strepitus sunt auditi conquerentium se a no o propelli habitaculo.

20. *De Stephano episcopo et Richario.*

Tricesimum nonum habuimus Stephanum (*an.* 901), qui, eo quod Metensis ecclesiæ fuerit canonicus et protomartiris alumnus, de inventione ipsius quæ cantantur responsoria edidisse dicitur. (FOLCUIN., c. 18.) Verum, ut de incertis taceamus, idem Vitam sancti Lamberti simpliciter antiquitus dictatam (418) A urbani sermonis expolivit facetiis [885], et responsoria quæ in sollempnitate ejus cantamus, composuit; scribens ad domnum Herimannum archiepiscopum, memorati Willeberti successorem. Idem ipse responsoriorum quæ de sancta Trinitate cantantur auctor fuit [886], quod nos quidem ignorabamus, credentes, quod fama habebat, nescio quem Hubaldum ipsorum fuisse compositorem. Sed infra hoc fere decennium, dum aliquæ in armario revelverentur cartulæ, insperato una ex his inventa est a successore prædicti venerabilis Stephani nomine Richario edita, cujus exemplar, ut fidem astruamus omnibus quicumque hujus rei veritatem scire volunt, non ab [887] re credimus huic inserere opusculo; quod in hunc modum continetur :

21. [888] *Exemplar testamenti in quo testatur Richarius Stephanum condidisse responsoria de sancta Trinitate.*

Omnibus [889] *sanctam Trinitatem confitentibus, Patrem et filium et Spiritum sanctum, Patrem plenum Deum in se, Filium plenum Deum a Patre genitum, Spiritum sanctum plenum Deum a Patre et Filio procedentem, non tamen tres Deos sed unum Deum, Richarius Tungrensis ecclesiæ episcopus, gratia vobis et pax a Deo Patre et Filio ejus domino nostro Jesu Christo et Spiritu sancto. Si aliquid utilitatis vel fructificationis in ecclesiasticis rebus nobis commissis ordinare valemus, quantotius accelerare debemus. Idcireo noverit industria fidelium, tam præsentium quamque* [890] *futurorum, quia venerabilis vir, præcessor videlicet noster Stephanus, in honore sanctæ Trinitatis quædam responsoria cum antiphonis nocturnalibus sive matutinalibus necnon vespertinalibus totumque ad plene officium dulcissime modulationis stabilire curavit, credens sibi suæque ecclesiæ liquido profuturum, si illi debitas laudes speciatim deferret, cui nichil addi vel minui potest, quia semper est quod est, cui proprium est quod* [891] *sempiternum est, cui idem est* [892] *vivere et intelligere* (419). *Hanc quoque semitam vestigii suprascripti firmiter incedentes, curavimus quoddam oratorium in ecclesia sancti Lamberti, ubi ipse quiescit, struere, atque in eo altare*

VARIÆ LECTIONES.

[878] archiepiscopo 1. [879] liberavit 4. [880] Amanium 4. [881] justinum 1. Lustinium 4. [882] *ita.* 4. apurum 1. *sed* a *expunctum*, apurum 2. 3. [883] *deest* 1. 2. 3. [884] esse 1. 2. 3. [885] facetus 1. [886] *reliqua desunt Ch.* [887] ab. 4. [888] *deest* 2. 3. [889] *præcisum textum dedit Ch.* [890] *deest* 1. [891] cui 1. 2. 3. [892] *deest* 4.

NOTÆ.

(412) Obiit Theutgaudus Trevirensis a. 867. Guntharius Coloniensis a. 869. mense Jul. munere episcopali se abdicavit testibus Bert. annal. Eodem anno mortuus est Lotharius.

(413) a. 889. Annal. Lobiens., Folcuin. gest. abbat. Lobiens. Privilegium donationis Arnulfi regis 15. Nov. 889. Francofurti datum vid. ap. Miræum I, 650. Ad Notgeri tempora usque Leodienses episcopi Lobiensem abbatiam administrarunt, quod quam male tulerint monachi, vide in gestis abb. Gemblac. Duchery II, 762. Cfr. quoque continuat. Gest. abb. Lobiens ib. p. 743.

(414) Quæ alii donarint reges, Carolus Crassus, Carolus Simplex, Zuentebaldus, vide in tabulis eorum ann. 884, 894, 898 datis apud Chapeav. I, 160 seqq.

(415) Ex libro Leodiensi commemorationum hæc affert Chapeaville : *Quinto Idus Januarii commemoratio fratrum nostrorum presbyterorum domini Franconis episcopi, qui dedit nobis duos mansos in Merhein.*

(416) Anno 863. Guntharius Romam ierat.

(417) Ann. Colonienses. Mon. I, 97.

(418) A Godescalco; vid. Act. Sanct. Septembr. t. V. Hist. litt. Franc. tom. VI. 168.

(419) Cfr. Ciceron. Tuscul. V, 38.

statuentes [893], *quamvis a cunctis fidelibus Deus et Dominus, vera et sempiterna unitas, in substantia ubique fideliter adoretur, quia* [894] *una substantia est Pater et Filius et Spiritus sanctus, tamen in honore ipsius sanctæ Trinitatis dedicare maturavimus.* Sequitur deinceps cujusdam fundi ad idem altare traditio; unde, ut [895] ibidem continentur, luminaria et reliqua divinæ servitutis jugiter adimpleantur sollempnia, quæ hic interponere supervacuum extimavi (420). *Actum est hoc Leodii sub die* 16. *Kalendas Decembris anno Domini* 932 [896], *indictione* 5, *regnante Heinrico rege gloriosissimo anno* 15 [897] (421) (*an.* 932, Nov. 16). Sed ad propositum redeamus. Idem venerabilis vir (Folcuin. c. 18) Stephanus nonnulla sanctæ ecclesiæ contulit utilia (422), ex quibus est libellus ille in quo unicuique tempori congruas per totum anni circulum compegit lectiones cum responsoriis, versiculis, et orationibus quas collectas vocant, horis rite canonicis recitandas, scribens memoratum codicem Roperto Mettensium episcopo.

22. *Item de Richario episcopo.*

Migrante autem illo feliciter ad Dominum (423) (*an.* 920, *Mai.* 19), paulo ante dictus Richarius ex abbate Prumiensi nobis episcopus est ordinatus (424). Hic ecclesiam, in qua sanctus Hupertus primum requievit, ampliavit, et in honore apostolorum principis consecravit (425) (*an.* 922), deputans illic tantum prædiorum, unde usque nunc 30 fratres canonici victus et vestitus habent sufficientiam.

23. [898] *De aliis episcopis quatuor* [899].

(Folcuin. c. 21.) Hic (426) quadragesimus quadragesimum primum Hugonem [900] habuit successorem (*an.* 945, *Jul.* 23). Hugoni (427) subrogatus est 42. Farabertus ex abbate Prumiensi (428) (*an.* 947, *Jan.* 24). Post hunc (429) Ratherius, genere nostras, a Veronensi episcopatu primum dejectus (430), in sedem Leodicensis [901] adsciscitur pontificii 43 (*an.* 953, *Aug.* 28). Nec tamen usque in finem vitæ suæ ejus honoris est potitus; nam dum in mores hominum tam scriptis quam dictis inveheretur æquo mordatius, hoc non ferente potentum insolentia, a nostra sede nichilominus dejicitur (431), indultisque sibi aliquantis episcopii ad usum vitæ agellis (432), quadragesimo quarto locum dedit Baldrico (433) (*an.* 954, *Dec.* 25.). Cujus Ratherii nonnulla aput [902] nos multo sale condita habentur opuscula; hodieque auditorum conscientias acerbe solet confricare (434).

24. *De Everacro* [903] *episcopo.*

(Folcuin. *c.* 27.) Baldrico post paucos amministrati [904] episcopatus annos defuncto (435), Everacrus [905] (436) Cisalpinæ Veronæ [906] præpositus, quæ vulgo Bunna dicitur, 45. nobis constitutus est episcopus (*an.* 959, *Apr.* 30.), annuente Brunone archiepiscopo, eodemque ut aiunt duce, cujus providentiæ tunc temporis intererat (437) universa hujus regni negotia dispensare, Otone imperatore primo circa alias regni partes occupato. Hic cum eleganti morum probitate, liberali adprimæ honestatis scientia, cum jam pridem aput illius temporis nostrates funditus liberale studium cum memoria absolvisset (438), ille scolas per claustra stabilire curavit; quas ipse vicissim non indignum duxit frequentare, lectiones majusculis tradere, si quid minus in lectione intelligerent, benignissime identidem inculcare, spondens, quæ non tam facile paterent intellectu, se eis vel cencies enodare. Si quando autem eum contingeret, aut ad palatium, aut

VARIÆ LECTIONES.

[893] *struentes* 3. 4. [894] *quod* 4. [895] *deest* 1. 2. 3. [896] nongentesimo *superscriptum in* 1. *alio atramento.* [897] XV 1. undecimo 2. 3. 4. [898] *deest* 2. *differt. Ch.* [899] *deest* 3. 4. [900] *deest* 3. 4. [901] Leodiensis 4. [902] apud 1. aput *corr.* apud 2. [903] Everhardo 2. Everardus 3. Everaclo 4. Everaco C. [904] amministranti 1. 2. 3. [905] Everardus 3. Everaclus 4. [906] nerone 1. 2. 3.

NOTÆ.

(420) I. e. *existimavi.*

(421) Imo 14 annus Heinrici regis currebat.

(422) Abbas erat monasterii S. Michaelis in pago Virdunensi. Chron. S. Michael. Vird. Mon. IV, 81. Quæ donatione regum Ludovici Inf. et Caroli Simpl. ecclesiæ compararit a. 908, 915, vide ap. Chapeav. I, 167. *Nostræ consanguinitatis affinis* vocatur in dipl. Carol. Simpl.

(423) XIV Kal. Jun., ut tradit Ægidius et confirmant Necrologia Lambertiani collegii; Foullon Hist. Leod. I, 162.

(424) De contentione inter Richarium et Hilduinum episcopos a nostros omissa vid. Flodoardi Annales 929 sqq., Folcuini Gesta abb. Lobb. c. 19, Joannis X papæ et Caroli regis ep. Bouq. IX, 215, 297.

(425) Mense Maio die S. Maximini, testatur Ægidius.

(426) Obiit X Kal. Aug. Cfr. Ægid. et libr. mort. Foullon I, 167.

(427) S. Maximini abbati, testibus Flodoardo, cont. Reginon. et Folcuino, dies supremus IX Kal. Febr. in libro Mort. Leod. Chapeav. I, 174 Foullon I, 169; III Id. April. ab Ægidio traditur.

(428) Interfuit concilio Ingelheimensi 948.

(429) Obiit V Kal. Sept. Ægid.

(430) Liudprandi antap. III, 42, 52.

(431) In Nativitate Domini Folc. c. 23; cfr. Ruotgeri Vit. Brunonis c. 38.

(432) De quibus vid. Folcuin. c. 28.

(433) Nepoti Ragineri comitis Hainoniæ. *Leodicensium episcopium subripit*, legitur in Annalibus Lobiens. Mon., II, 210.

(434) Qui in Leodiensium notitiam pervenerint Ratherii libri vid. ap. Folcuinum, c. 20, 24 et ap. Ægidium Chapeav., I, 177. Ibid., p. 179 de Ratherii codice Lobiensi.

(435) XII Kal. Mai. habet Necrol. Leod.; Chapeav., I, 187; XV Kal. Novemb. Ægidius.

(436) Claro Saxonum sanguine oriundus, ut tradit Reinerus in Vita Everacli, c. 1; Pez. Thesaur. anecd. nov., IV, 3, p. 157.

(437) Ruotgerum in Vita Brun. c. 38 secutus est.

(438) Præclaram illam Leodiensium eruditionem jam in Everacro eluxisse, probant ejus ad Rathe-

in expeditionem longius ab hac urbe discedere, quos reliquisset scolarum magistros, litteris animare, ipsis crebro duci carmine alludere solebat, a leo quibus præsens congaudere non poterat, utî erat imperialibus edictis obnoxius, sepe ab Italia, sepe [907] a Calabria, ut caros filios, ad [908] studia incendebat. Nec ante a tam præclaro labore destitit, donec multos ex rudibus tam spiritualibus quam sæcularibus disciplinis brevi perfectos reddidit. Et, quia paulo ante mentio incidit Calabriæ, quiddam [909] quod ibidem contigit illo præsente, non pigeat memorare. Imperator cum exercitu longe per agros diffuso Calabriæ fines tenebat (439), cum ecce repentinum omnes ingenti pavore solis perculit [910] deliquium (440) (*an.* 968, *Dec.* 22.). Namque, ut audivi referentem domnum Wazonem episcopum, cum multum diei superesset, vident, deficiente pulchro sole, cum adhuc maturus foret, diem quasi jam vesperascentem nigrescere, et ceu sub noctem greges pecorum a pascuis stabula avesque aviaria petere. Unde nostrates qui [911] ibidem forte tunc aderant, incredibili pavore exterriti [912], nichil aliud quam diem judicii putant imminere, et valida armatorum manus, quæ multas urbes egregiis viribus excidisset, multosque rebellantium populos ferro perdomuisset, hanc alienam rutilantibus stellis noctem in tantum expavit, ut incredibili anxietate diversas quasi tutandæ vitæ exquireret latebras. Sic alii vasis vinariis, alii cistis, alii sub carris turpiter sese recondunt; quisque pro lucro vitæ [913] computat [914], si quod pro hac insolita nocte sibi reperire queat latibulum. Stupet super his prudens antistes, non de eclipsi solis, cujus naturaliter factæ optime noverat rationem, sed de irrationabili tot virorum fortium formidine, quos minimo terrori fore suspicabatur hostibus, in quorum medio consederant, si rem naturalem ita timuisse ab illis fuissent auditi. Sicque ut in suis quisque castris parvo, ceu putabant, læti discrimine latitabant, singulos ipse circuiens, ignaviæ accusare, innatæ virtutis ammonere studebat, arguens probrose satis, cur [915], qui his orti fuerint majoribus quorum nemo ullis aliquando rerum asperitatibus succubuerit, quique ipsi durioribus sepe superandis assuefacti fuerint, ex hoc naturali solis defectu animis tam facile labefactari potuerint. *Fortissimi*, inquit, *bellatores, qui per mille periculorum facies toties egregio vestro nomini insignes rapuistis victorias, surgite, queso, nil timentes surgite, virile robur, quod turpiter dormitantes amisistis, resumite. Pudeat naturales elementorum vices horrere. Nil de vitæ periculo agitur, nullus de inflicto cum hostili dextra cruor stillat vulnere; innoxiæ tantum hunc aerem involvere tenebræ, quas paululum post cernetis* [916] *illucescere redintegrato lumine; ceterum in tuto sunt omnia.* Tandem his verbis expergefacta vano terrore sopita tot heroum pectora agnoscunt, post paululum, lucidum orbem Phebeæ lampadis (441) sensim in proprium reformari [917] statum; vident diem terris redditum, quem paulo ante nimis trepidantibus animis spectaverant ablatum; suusque illis horor postmodum jocundo fit ludibrio. Multa idem episcopus a suis sepe perpessus, cum retribuere posset, cum pacientia superavit, nullam pro injuria sua volens reddere vindictam. Unde contigit ut, dum cives Leodicenses domum ejus vi irrupissent, et rubeos Wormacensis vini rivos a monte quo nunc æcclesia sancti Martini (442) sita est, usque in Mosam deduxissent, ille hoc æquanimiter ferens, nullam adversariis pro hac temeritate vicem rependere quesivit. Et quamvis innumeris premeretur molestiis, et multa familiaris rei angustia, quippe qui a [918] viris militaribus episcopio [919] appendiciis privatus esset villis, duas tamen nobiscum [920] condidit æcclesias (*an.* 965), quarum unam in beati Pauli (443), alteram in beati Martini honore consecravit (444), singulis triginta fratres canonicos deputavit, terciam in honore beati Laurentii cœpit, sed non perfecit. Cujus corpus post 12 episcopatus annos terræ est redditum in æcclesia beati Martini (*an.* 971, *Oct.* 27) (445).

25. *De Nokero* [921] *episcopo.*

Substitutus est Everacro [922] 46 Nokerus (446), genere quidem Alamannus (447), sed, admodum omni morum elegantia insignitus, paterna dile-

VARIÆ LECTIONES.

[907] *deest* 4. [908] ab 1. 2. [909] quoddam 4. [910] percutit 3. 4. [911] *deest* 1. 2. 3. [912] perterriti 4. [913] *deest* 4. [914] reputat 4. [915] hi *addit* 4. [916] cernitis 1. 2. 3. [917] reformare 1. 2. 3. [918] *deest* 1. [919] episcopo 1. 2. 3. [920] cum *deest* 4. [921] nochero 3. *semper; copiosior hoc loco textus Ch.* [922] euerardo 3.

NOTÆ

rium litteræ; Chapeav., I, 190, ex cod. Lobiensi; Opp. Ratherii ed. Ballerini, p. 459. Cfr. Vita Balderici II, ep. Leod., c. 18, Mon. SS. IV, 731.

(439) Boehmer, Regest. imperat., p. 19.

(440) 968, XI Kal. Januar., luna 28, hora diei 3, habent Annales Sangallens. major. Cfr. Liudprandi legatio 64.

(441) Virgil., Georg. I, 459; Æn., IV, 6.

(442) Publicus Mons, Publemont, Bouille, histoire de Liége I, 65.

(443) Cfr. Vita Balderici II, ep. Leod., c. 18, Mon. SS. IV, 731.

(444) Ob sanitatem S. Martini ope Turonis recuperatam, ut vult Ægidius, qui libellum ab ipso Everacro de miraculo illo conscriptum Chronico inseruit. Chapeav., I, 194. Quem librum supposititicium esse docuit Foullon, I, 188. Cfr. Leodiensium canonicorum diploma a. 963 (ita ex reliquis notis chronologicis corrigendum), Martene, coll. I, 320.

(445) VI K. I. Nov. notatur dies supremus in Necrologio.

(446) A Gerone archiepiscopo Coloniensi mense aprili octavis paschæ et IX Kal. Maii apud Bonnam. Annal. Lobiens., I, 1. Rotgeri nomen in nummis ejus qui extant legitur, vid. Renesse-Breidbach, Histoire numismatique de Liége, p. 2.

(447) Præpositus fuerat apud S. Gallum Ann Hildesh. 1098.

ctione erga ecclesiæ filios nostras fieri studuit. Ut enim paucis plurima perstringam, omnia apud nos tam exterius quam interius melioravit et ampliavit, domum sanctæ Mariæ et sancti Lamberti, sicut in præsentiarum est, cum ornamentis, claustro et ædificiis episcopii renovavit, urbem muris dilatavit et reparavit (448). Multa auferens incommoda, plura huic nostræ ecclesiæ contulit commoda, inter quæ miseros Leodicenses liberare studuit a munitissimo et factiosis hominibus semper fecundo Montis Caprarum (449) castello. Quod quam damnose fuerit ipsi Leodio, haut longe hinc distantes fidelibus oculis subjectæ attestari possunt ejusdem oppidi [923] ruinæ. Erat enim, præter naturalem ex situ [924] loci munitionem, ædificiis editioribus exstructum, tribus ecclesiis (450) ornatum. In quarum una 12 presbyteri ad serviendium Deo erant deputati, ad quorum usus respiciebant de adjacentibus villis nonnullæ decimarum partes, et præterea quorundam ex integro agrorum usufructus. Quæ omnia quum post ipsius oppidi excidium (451) in suas [925] suæque [926] ecclesiæ utilitates posset retorsisse [927], quippe qui et antistes ejus dioceseos foret, et in palatio Ottonis tercii adhuc pueri inter primos consiliarius esset (452), simul ut a loco suo invidiam facti transferret, maluit sedem regiam (453) honorare his quæprius ad memoratum oppidum erant appenditia. Unde et in oratorio sanctæ Mariæ, quod est Aquisgrani, quantus illic antea inerat numerus clericorum, tantumdem adauxit ibidem [928] Deo servientium, sibi suæque credens sufficere ecclesiæ, si fideles ejus tantum liberos esse liceret a molestissima improborum hominum, qua eatenus vexabantur, oppressione, cujus tota erat causa ejusdem oppidi refugium.

26. *Quam sapienter cujusdam potentis capiditatem eluserit* [929].

Studuit vir idem præclarus, in providendo filiorum saluti linceos habens oculos (454), ab his cautum esse, quæ aliquo modo posteris noxia esse poterant. Unde in uno quod refero (455), et insidiæ humanæ malitiæ prudenter obviavit, et magnificentiam Creatoris devote honoravit. Erat in hujus urbis editissimo loco (456) spacium quod talis videretur capax esse ædificii, unde reliqua urbs ab ejusdem arcis habitatoribus violenter posset inpugnari [930]. Hujus ædificandi copiam cum quilibet in armis præpotens expetisset, quasi indo totam urbem et universas episcopii facultates contra hostiles insidias defensaturus, intellexit prudens antistes versutam hominis nequitiam, et si quod petebatur annueret, rem omnem in contrarium esse vertendam, ita plane ut qui defensionem promisisset ecclesiæ, ipsi episcopo vim inferret, clerum et populum opprimeret, postremo cuncta illuc appenditia [931] sibi pro libito diriperet, hac perniciosa freus municione. Assumpta ergo evangelici serpentis astucia, vultu quidem quasi benignissimas ejus precibus aures accommodaret, pro tempore simulavit, corde autem quomodo domestici hostis obviaret insidiis altiori consilio deliberabat, cum interim, differendo rem usque in quemlibet certum diem, hominem jam in spem potiundæ voluntatis adductum suspendit. Nec multo post, accersito archidiacono eidemque [932] majoris ecclesiæ præposito, nomine Rotperto, secreto dolos occulti pervasoris aperit. Suadet, monet, immo jubet, ut faxit ibidem potius fundari ecclesiam in honore victoriosissimæ crucis, cujus virtute magis quam omnibus [933] mortalium armis seque suaque omnia tuta esse posse certum teneret; atque ut ejusdem ecclesiæ ante præscriptum diem maturet fundamenta locari, propensius indicit; præbet [934] insuper ad hoc maturandum larga satis impendia, spondens profecto quæ ille ad hæc aut nollet aut non posset inpendere, se in nullo necessario illi defuturum auxilio. Ille autem boni præsulis artibus instructus, ante condictum

VARIÆ LECTIONES.

[923] opidi *corr.* oppidi 2. [924] exitu 1. 2. 3. [925] suis. 1. 2. 3. [926] *deest* 1. [927] retrorsisse. [928] *deest* 3. 4. [929] *totum pæne caput recisum apud Ch.* [930] impugnari. [931] appendentia. [932] que *in* 1. *alio atramento additum*; eodemque 4. [933] omnium 4. [934] jubet 3. 4.

NOTÆ.

(448) Laudes Notgeri vide ap. Fulcuinum, c. 29, quas posteri his versibus qui apud Ægidium leguntur, incluserunt :

Legia, lege ligans cum prælatis sibi leges,
Notgerum Christo, Notgero cetera debes.

Cfr. quoque Gozechini epist.; Mabill. Anal. vet. 444; Histoire litt. de France, VII, 208. Qualis fuerit Ecclesiæ Leodicensis status paulo ante Notgeri obitum patet ex Heinrici II privilegio anno 1006 conscripto; Chapeav., 1, 212. Vide ibidem alia privilegia Notgero data et Fisen. Hist. Leod., 1, 168, seqq.

(449) Chèvremont.

(450) S. Mariæ, S. Joann. apost. et SS. Cosmæ et Damiano erant consecratæ, ut habet Ægidius.

(451) Non ante annum 987 factum, quo ab exercitu Theophanu imperatricis obsidebatur castellum. Cfr. Wilmans, Otto III, 46. Quomodo castellum expugnatum sit, vid. in Hist. Sanct. Laurentii Leod., Vit. Notgeri, c. 6.

(452) Donationes quædam Notgero ab Ottone a. 997 factæ sunt *in recompensatione videlicet servitii avo patrique meo et mihi exhibiti, et devotionis quam in eo præ omnibus promptam ad exequendam voluntatem meam et justitiam semper reperi*; sunt verba Ottonis in tabula, a. 997. Chapeav, 1, 210. *Fidelitatis nostræ promptissimus exequutor* in alio Ottonis III diplomate vocatur ibid. Vide quoque Gerberti ad Notgerum epistolas 30, 59, 42, 49, 66, 67.

(453) scil. Aquisgrani.

(454) Horat., Serm. 1, 2, 90.

(455) Cfr. Hist. S. Laurentii Leod., Vit Notgeri, c. 7.

(456) in Publico monte, medius inter SS. Petri et Martini collegia; Fisen. Histor. Leod., I, 150.

diem æcclesiæ in honore sanctæ crucis fundamenta ibidem locare studuit, beneficium quod ex dono episcopi tenebat, illuc destinavit, voto insuper addens quicquit de suo vel haberet vel habiturus esset. Verum ubi impio jam dicto pervasori compertum est eo loci fundari æcclesiam, ubi arcem sibi vana spe futuram [926] spoponderat, non sine multis querelis atque conviciis recurrit ad episcopum; illum perfidiæ accusat et fraudis Alemannicæ, qui sententiam mutasset, atque ubi ipse domum postulasset, ibi fallax promissor æcclesiam fundari mandasset. Episcopus autem contra magis ut morem gereret armipotentis [926] personæ, quam deservire volens falatiæ, diu manet in dissimulando ejus rei conscientiam; atque ad satisfaciendum ei, cujus moribus habebat deservire, in tali temporis necessitate, ipso præsente, memoratum accersiri jussit præpositum, quid struat, qua spe, qua fidutia, cujusve jussu hoc cœperit [927], non sine multa quasi indignatione rogitat. Ille autem cum summa humilitate, nullo temeritatis studio, pro nullius odio [928], immo hoc ob Redemptoris ejusque reverendæ crucis impensius optinenda suffragia, ad [929] hoc sese esse adductum respondet. *Terram*, inquit, *ibidem inveni vacuam per multos annos alicujus utilitatis immunem; visum est mihi illam æcclesiæ sanctæ crucis, cujus et fundamenta struere cœpi, maxime esse idoneam. Quod si* [930] *aliter vestræ, domne præsul, sedet sententiæ, sive placet domus Dei fundamenta in prædonum commutari refugium, nil mea interierit* [931] *bonæ voluntatis; si qua est ex me, merces mihi a Deo non deerit. Si quis autem ne hæc æcclesiæ in honore Dei consummetur* [932] *obstiterit, super hoc peccati immunis* [esse] *non poterit.* Audiens hoc episcopus, jam sedato vultu, quasi iram reprimens: *Si quid aliud*, inquit, *ibi cœpisses, pro certo id frustra esset, fidesque amico promissis inconvulsa maneret. At nunc quandoquidem salvator crucis suæ vexillo hunc locum per te destinare voluit, quod cœpisti inconcussum conservabimus, immo quæ poterimus supplementa suppeditabimus. Injuriam namque Creatori inferimus, si posthabito* [933] *eo* [934] *spem vanæ salutis in armis hominum posuerimus.* Ita profecto dolus ejus qui jam rapina animi pervaserat æcclesiastica, laudabiliter satis splendida, admodum non fraude, sed industria pontificis compescitur. Ædificium æcclesiæ cum claustro et congruis pro loco officinis consummatur [935] eademque in honore sanctæ crucis dedicata, agris et decimis donatur; unde 15 fratribus victus et vestitus solatia penderentur.

A

B

C

D

27. *De ecclesiis sancti Dyonisii et sancti Johannis.*

Alia nichilominus ipsius amminiculo condita est ecclesia a Nithardo custode majoris ecclesiæ in honore beati martyris Dyonisii. In qua primum quidem 20 aggregati [936] sunt canonici, procedente vero tempore additis decem in tricenarium ipsorum numerus excrevit. Ipse vero prætercea suo nomine ecclesiam in honore beati Johannis evangelistæ construxit (457) et dedicavit, 30 fratres canonicos ad serviendum Deo ordinavit, fundos a se adquisitos, unde sufficiens illis victus et vestitus esset, deputavit, corpusque suum, quod et factum cernimus, ibidem sepeliri mandavit.

28 [937]. *Quanta illi cura erga educandos pueros fuerit.*

Maxima illi circa educandos pueros erat sollicitudo, eosdemque cum æcclesiasticis disciplinis instruendos, adeo ut quocumque vel ad proxima vel ad longinqua loca (458) pergeret, scolares adolescentes, qui uni ex capellanis sub artissima non aliter quam in scolis parerent disciplina, secum duceret, cumque his librorum copiam ceteraque arma scolaria circumferri faceret. Sicque fiebat ut quos plerumque rudes et illiteratos a claustro abduxisset, et ipsos quos prius magistros habuerant, in litterarum perfectione redeuntes superarent. Sed vereor ne hujuscemodi se tueantur exemplo, qui e scolaribus alis in curias regum et episcoporum querunt érumpere, et, disciplinæ jugum detrectantes, levitati animum dare contendunt, quos ego [938] felices judicaverim, si in nullo ab istius exempli disciplina exorbitaverint. Nam si nunc temporis inter strepitus curiarum studia bonarum arcium haut secus quam in claustri [939] quiete constiterit valere, de remissiori ad arciorem discendi viam non negamus convolari debere. Sin autem longe est res e contrario, immo quia [940] est, cesset ultra lasciva ætas falsas instabilitati suæ causas prætendere, quia quod in tranquillitate claustri neglexit, verum est quod nequaquam in tumultuantis seculi turbine possit assequi, quamque [941] o si nostris temporibus tam aurea possent revocari secula, ut in capellis tam imperatoris quam episcoporum nil magis appeteretur quam cum litterarum studio morum disciplina! At nunc quia [942] longe res est contra, nos quoque ad nostrum Notkerum revertamur.

VARIÆ LECTIONES.

[926] *deest* 3. 4. [927] armipotis 1. 2. 3. [927] cœperit 1. 2. [928] studio *corr.* odio 1. [929] ab 1. 2. 3. [930] *deest* 1. 2. 3. [931] interit 1. 2. 3. [932] consummaretur 4. [933 934] ejus 1. 2. 3. *post vocem* dolus *falso omissum.* [935] confirmatur 4. [936] duodecim congregati 3. 4. [937] *deest* 2. *Omnino differi Ch.* [938] *sic* 4. 5 1. ergo 2, 3. [939] claustris 1, 2, 3. [940] quod 4. [941] quamquam 4. [942] quod 4.

NOTÆ.

(457) Monasterium S. Joannis in Insula noviter ante civitatem constructum in privilegio Ottonis III, die 9 April. 997, dato legitur; Chapeav., 1, 210.

(458) Anno 989 e. g. Romam iter fecit. Ann. Laubicus. Mon., IV. Cfr. Vita S. Adalberti, c. 22, ibid.

29. *Qui et quales sub eo coaluerint*[953].

Cum ad honorem æcclesiæ suæ tam diligenter et ingenuos et eos qui essent ex fideli familia æcclesiæ, quorum nonnullos sepe a prægnantibus etiam expostulasset matribus, tam diligenter alendos esse censeret, tunc aliarum nichilominus filios æcclesiarum, qui sibi a studiosis committerentur coepiscopis sive parentibus, gratanter suscipiebat. Multique tantam apud eum Deo donante assecuti sunt perfectionem, ut idonei rectores fierent animarum. Ex illis enim multæ æcclesiæ se gavisæ sunt pastores habere, quarum Salzburgensis æcclesia archiepiscopum habebat Gunterum, Cameracensis duos alterum alteri succedentem, Ruothardum (459) et Eclewinum[954] (460) Wirdunensis Heimonem, Tullensis Hezelonem, Trajectensis Adeboldum, licet a multis præterea non episcopis, qui similiter sub eo coaluissent, quamplurimæ correctæ sunt æcclesiæ. Ex quibus Durandus postea noster episcopus Bavenbergensem[955] æcclesiam religionis et arcium liberalium disciplina illustravit, Otbertus cum aliquibus aliis secum hinc abductis vitam Aquensium clericorum, perneciosæ contagio licentiæ retro depravatam, ad sanctam religionis, in quantum potuit, normam reducere studuit[956]. Quid dicam de Hupaldo, qui, dum adolescentulus a scolari disciplina hinc aufugisset, Parisius venit, canonicis sanctæ Genovefæ virginis adhesit, in brevi multo scolarium instruxit? Ubi cum aliquamdiu moraretur, interim videlicet cum a domno Notkero episcopo nesciretur, tandem canonica episcopalis sententiæ executione compulsus est redire; digressusque inde, prosequentibus eum cum multo fletu amicis in brevi sibi conciliatis, studii[957] et moralitatis nonnulla ibidem reliquit vestigia. Contigit autem non multo post Notkerum episcopum, ut conciliaret amicicias inter Ruopertum Francorum regem et imperatorem nostrum Heinricum Parisius devenire (461), cum[958] memorate beatæ Genovefæ virginis canonici ad eum devotissime concurrerunt, humillime petentes ut in anno per unum mensem Hubaldo aput eos manendi copia daretur. Episcopus autem bonum testimonium de conversatione canonici gratanti animo accipiens, illis quidem, ut si cum eis tres menses morari vellet, ultro concessit, illum autem huc rediens gratia et donis muneratum, ad virtutem amplius accendit. Qui postea sub Baldrico Pragam Boemiæ civitatem transmissus, cum nonnulla ibidem Christianæ religionis documenta dedisset, ad nos cum maximo honore remeavit. Multi præterea sub tanto patre enutriti, religione et studiis liberalibus diversa illustravere loca, cum in suo[959] quidem loco quicquit ubivis studii vel religionis esset, vigere adlaboraverit. Idem prudenti consilio prædia æcclesiæ in tres[960] æquas porciones divisit, quarum unam suis et successorum usibus, alteram Deo servientibus per æcclesias et per monasteria, terciam his qui militiam exercerent concessit. Multosque consilii et bonarum arcium studiis informatos vitæ et moralitatis suæ imitatores reliquit, qui quas[961] videre noticia discipulorum de magistri elegantia nequaquam sinit dubitare.

30. *Quod mitis fuerit humilibus, terribilis superbis.*

Erat enim pauperibus mitis, superbis, divitibus terribilis, bonis quibusque mansuetus, iniquis et factiosis hominibus metuendus, potentibus venerabilis, mediocribus amabilis, admirabilis sapientibus, indoctis eruditor clementissimus, senum atque debilium baculus, juvenum et adolescentium corrector studiosus, providus in consilio, circumspectus in facto, clarus in eloquio, discretus in silentio; quem summi proceres, antistes, dico, Romanæ urbis, pariterque imperator, tanto honore duxerunt[962] ut alter eorum, papa videlicet, in dicceptationibus præsulum Cisalpinorum vicesua sequestrum (462), sepe esse jusserit, imperator vero in disponendis regni negotiis primum habuerit. Hic tanti habitus extrinsecus, talis erat interius, qui numquam nec in se[963] nec in aliis familiarius sibi adherentibus torpori locum esse voluerit, dum ipse cum clericis evolvendis atque iterandis divinæ Scripturæ paginis jocundissime intentus, laicos nichilominus adolescentes, quibus alendis sua scorsum erat disciplina, ætati et ordini suo congruis artibus inplicaverit. His et talibus insistens laboribus pater venerandus, 36 inreprehensibiter in episcopatu exegit annos (463), (*an.* 1008, *apr.* 10) multosque nequaquam a nobilitate sua degeneres reliquit filios. Quorum nonnullos nos vidisse meminimus, inter quos piæ memoriæ domnus Wazo velut Lucifer inter minores stellas enituit. Qui cum in ipsius capella primo quidem minimus et fere abjectus librorum abbaci[964] que gerulus coaluerit, succedente paulatim valentis ingenii progressu, tandem ad regendas majoris[965] æcclesiæ scolas, ipso domno Rothero

VARIÆ LECTIONES.

[953] *haud pauca desunt Ch.* [954] Herluinum 4. [955] banimbergensem 2 baumberg. 3 Bamvebeig. 4. [956] *deest* 1. [957] studui 1. [958] tum 4. [959] solo 2, 3. [960] *sic* 4. ut ves. 1, 2, 3. [961] quos qui 4. [962] duxerint 1, 2, 3. [963] uise 1. 2. [964] abacis 4. [965] majores 2. 3.

NOTÆ

(459) Chron. Camerac. I, 101.

(460) Leodiensem antea archidiaconum. Ibid., I, 110.

(461) Sine dubio paulo ante colloquium ab imperatore et Rotberto rege ad Mosam institutum anno 1006; de quo vide diploma Mabillon. Annal. ord. S. Benedicti, IV, 185; cfr. Thangmari Vita S. Bernwardi, c. 41 et Hist. S. Laurentii Leod., Vit. Norg., c. 10.

(462) Item quod Papiæ *equester* vel *æquester qui certaminibus medius intervenit, per quem utraque pars rectam fidem sectatur.*

(463) In die mortis IV Id. April. consonant Necrolog. Leod. et Ægidius. Cfr. Annal. Quedlimb.

episcopo jubente, evolavit. Cujus exemplis imbutus et doctrinis instructus, adjectis insuper propriis ex divino munere virtutibus, nostris quoque magistrum repræsentare studuit temporibus. De quo suo in loco, quantum Deus donaverit, lacius dicere habemus.

31. *De Balderico episcopo.*

Quadragesimus septimus episcopatum suscepit Baldericus, generis et morum nobilitate insignitus. (464) Qui cum in pluribus sepe rebus boni antecessoris inniti contenderet [966] vestigiis, tum in æcclesiis honorandis Dei earumque rebus agendis magnificus fuisse habetur, adeo ut nullam æcclesiam vel monasterium in episcopatu præterierit (*Vita Balderici*, c. 3), quod non aliquo vel agrorum vel decimarum usufructu donaverit (465). Et, licet excrescente fratrum aliorumque propinquorum numero, in multas particulas dividendæ hereditatis angustia, carnaliter timeri posset consanguineæ posteritati, maluit tamen ex prædiis suis magna ex parte æcclesiam et pauperes Christi facere heredes. Unde contigit ut Pannardum oppidum, alodium suum, majori æccclesiæ ad usus fratrum, et æcclesiam ad sustentandos victu 24 [967] egenos condonaverit, cum præterea comitem Arnolfum (466) cum uxore nobilissima Liutgarde ad hoc exortando adduxerit, ut liberis orbati æcclesiam sibi pro animarum remedio heredem facerent. Ejus tempore Gerbardus Cameracensis æcclesiæ episcopus (467) cum fratre suo Godefrido monasterium Florinense (468), in honore sancti Johannis Baptistæ constructum, et commoda satis pro modulo suo prædiorum parte honestatum, matri Domini sanctoque Lamberto martiri contradidit (469). Cui monasterio, ne quit Deo ibidem servientibus minus suppeteret, idem domnus Baldricus episcopus duas ex sese gratantissime addidit æcclesias (470). Ipse præsente sancto Heriberto Coloniensi archiepiscopo, a beato antecessore Notkero constructam domum sanctæ Mariæ sanctique Lamberti dedicavit, cum dehinc tertia die æcclesia (471), quam vir gloriosus Godescalcus majoris æcclesiæ præpositus ex alodiis suis, unde 12 canonicis fratribus victus et vestitus sufficiens foret, dotavit (*an.* 1015, *Oct.* 28.) Videns autem quia, pro mediocritate loci ab antecessoribus constructæ sufficerent 8 æcclesiæ canonicæ religionis, dignum duxit etiam monasterium struere, ubi arctior vita sub beati Benedicti regula duceretur, ut eorum mens qui ibidem inessent, eo magis studio orationis esset intenta, quanto a secularium curarum turbine esset libera. (*c.* 19, 20, 29, 27.) Cœpit ergo fideli devotione in honore beati Jacobi apostoli locare fundamenta monasterii (*an.* 1016), cujus criptam, in qua nunc ipse corpore requiescit, cum perfecisset, et in honore beati apostoli Andreæ dedicasset, pauca ad opus Deo inibi famulantium prædia constituit, reliquum opus semipienum et non altius quam usque ad fenestras, die occupante extrema, dimisit; et ipso die eademque hora qua prælium apud Flardenges (472) committebatur, in quo maxima nostratium cedes facta est, vitale [968] flatum exhalavit (*an.* 1018. *Jul.* 29.)

32. *De Wolpodone* [969] *episcopo.*

Huic 48. vir Domini Walpodo successit. Qui apud Ulterius Trajectum (473) sub religiosis admodum patribus in æcclesiasticis claustralis vitæ adolevit disciplinis, quibus postea, de bono discipulo optimus magister effectus, subditorum vitam exercere studuit. Et, licet præpositus factus exteriorum curam suscepisset [970], adprime tamen regendis interioribus constanter invigilavit, et se ipsum quidem ante omnia suavissimo Christi jugo subjiciens, alios secum intra angustæ illius viæ [971] oras, quæ ad vitam ducit (*Matth.* VII, 14.), tam exemplis quam documentis cohibebat. Senioribus filium, juvenibus fratrem, adolescentibus se patrem exibebat, quorum lascivam [972] ætatem hinc arciori disciplina reprimebat, hinc ipse per se sacræ Scripturæ lectionibus erudiebat; nullusque alicui locus evagandi, aut quoquam a sanctæ religionis tramite exorbitandi sub eo locus erat.

33. *Qualiter episcopus factus vixerit.*

Hunc ob eximiæ vitæ meritum imperator Heinricus miro karitatis affectu amplectebatur; qui et eundem invitum ab claustrali quiete abduxit, et secum in capella aliquandiu commorari voluit. Hujus ergo episcopatus [973] sede pastore viduata, ins-

VARIÆ LECTIONES.

[966] contendere studuerit 4. [967] sic 1. 4. *Ch.* XXXIV. 3. 4. [968] vitalem 4. [969] wolbone 2. 3. wolbodone 4. [970] suscipisset 1. [971] *ita elog. Wolbod.* vitæ 1. 2. 3. 4. [972] lasciviam 2. 3. [973] episcopatu 1. 2. 3.

NOTÆ.

(464) Radisponæ antea vicedominus. Annal. Hildesh. 1008, frater Gisleberti comitis de Los, ut ipse testatur in litteris De ecclesia S. Jacobi a. 1016 conscriptis. Mart. et Durand, coll. II, 377.

(465) Heinrici II imp. donationes quasdam a. 1008 factas vide Chapeav., I, 224, 225.

(466) Lassensem.

(467) Hujus nominis primus.

(468) Florennes. Cfr. Chron. Camerac. et Atreb. III, 13, et litteras Arnulfi Remensis archiepiscopi a. 1012 datas, ap. Fisen, I, 171.

(469) Auct. Gembl. ad Sigeb. Mon., VI.

(470) *Ecclesiam de Liers juxta Leodium et S. Mariæ in Rovera*, adnotavit Ægidius.

(471) S. Bartholomæi. Hist. S. Laurent. Leod., Vit. Balderici, c. 2.

(472) Vlaerdingen.; Cfr. Alpert. de divers. temp., II, 21; Thietmar, VIII, 13, IV. Kal. Aug. notatur dies supremus in Necrolog. Stabulensi misc. et apud Ægidium.

(473) Ecclesiæ S. Martini præpositus. Hist. S. Laurentii Leod., Vit. Wolbod., 1. Si Reinerum sequeris in Vita Wolbodonis, Act. SS. April., II, 857, sqq., claræ nobilitatis gente Flandriæ ortus erat episcopus.

rante [975] ut credimus Deo, huic beato viro nec opinanti, immo amarissime flenti, ejusdem regendi securus curam committit (*an.* 1018.). In cujus nimirum gradus culmine nil de prioris [976] vitæ statu remittere, immo rigore intentiori corpus instituit edomare, ne, ut ait apostolus, aliis prædicans ipse reprobus efficeretur (*I Cor.* IX, 27.) Nam præter certissimam qua sub oculis superni inspectoris [976] afflicto corpori inperitabat disciplinam, jejuniorum et vigiliarum impiger executor extitit. Nil illi dulcius erat, quam si cui [977] itidem [978] cordi esset explorare; quorum aliquos si quando [979] aut in angulis aut circum altaria invenisset, hos magni pendere et donis honorare consueverat, nullum a quo Deum timeri sciebat negligere [980], a quo autem Dei servitus negligeretur, nullius momenti ducere. Eidem, statura procero, non ex carne sed ex ossium mole venerabilis inerat corpulentia, cui dupla quam cuilibet exili corpore refectio esset necessaria, ut videmus in hominibus ejusmodi. Quod [981] tamen corpus suum tali magnitudine vastum cybario pane atque aliis cibis communioribus longe citra saturitatem [982] reficiebat, et lauciora quidem et exquisita quæ sibi apponerentur manibus, ac si ea in momento esset voraturus, contrectans, nichil de his sibi indulgere volebat, sed omnia pauperibus distribuebat, se gulosum, se edacem esse accusans, qui necdum multorum vel secularium parcitatem assequi posset, licet, ut dictum est, longe minus quam immenso [983] corpori sufficeret victus acciperet. Enimvero cum in mensa sibi parcissimus, pauperibus esset humanissimus, tum alias [984] nichilominus cujuscumque modi egenis largitor erat tam profluus, ut quæcumque sibi ipsi posset fideli furto subtrahere, nihil pene sibi retinens, per manus pauperum omnia Christo reddere non cessaret. Unde plerumque pallia, tapetia, vel quæcumque episcopii ornamenta contra pauperes, qui ea nocturnis horis a domno præsule accepissent, precio quo possent a camerariis redimi opus erat. Quid de vigiliis et orationibus, quibus exequendis adeo studiosus erat, ut multas hibernas noctes insomnes continuaret, sanctorum limina circueundo et pauperum manus, qui sese per nota viarum diverticula divisissent, largiter replendo? Attestari solet quidam de his qui familiarius sibi adherebant, quod inter lavandum pedes ejus frigore et glaciali viarum asperitate adustos viderit, ut ex usu ejusmodi deambulationis sanguinem ab interioribus elicitum in utroque pede constaret occaluisse.

34. *Quid placaturus imperatorem Heinricum fecerit* [985].

Iratum contra se imperatoris Heinrici animum placaturus, consilio suorum aliquantum pecuniæ contraxerat, quam ut eidem [986] pro gratia ejus [987] offerret, Coloniæ occurrere deliberaverat (474) (*an.* 1020.) Set subinde retractans animo cur non potius daretur largitori omnium, in cujus manu corda sunt regum : offenso cœlorum dominatore, frustra terrenum principem placari; itemque Creatore placato, quantumlibet sublimati hominis minas contemni debere; cœpit ipsa qua in crastinum profecturus erat nocte quæ collegerat fideliter dispergere, et inter eundum adeo expendere omnia, ut ne unam quidem ex memoratæ pecuniæ summa ad placandum principem sibi reineret siliquam. Itaque fama, quibusdam deferentibus, ad aures imperatoris præcurrerat [988], episcopum Walpodonem ad conciliandam sibi gratiam ipsius non parvam auri argentique copiam coegisse [989]; cum ecce, expectans quando hæc ad cameram suam afferretur, iterum audit deputatam sibi ut, crediderat [990], pecuniam pauperibus esse distributam. Et licet in aliis sane perfectum aliqui [991] contendant hunc orthodoxum virum contra avariciam minus consuluisse, in hoc tamen facto venerabilis episcopi æquitatis contra se ipsum censuram tenuit. Et qui, si carnales sequeretur affectus, succensere [992] habebat, ex splendido [993] illo suo contemptu unde eum amplius amaret invenit, suamque vanam potentiam in hac parte a bono sacerdote derisam esse oppido gavisus est. Sicque magis celebre hujus nomen episcopi nichil largiendo in aula regia est effectum, quam aliorum quorumque præsulum, qui, creditas sibi spoliantes ecclesias, mimos cæterosque palatinos canes ditare contendunt, ipsique scurrilibus stultiloquio et turpissimis circa reges adulationibus inservire non erubescunt. Hujus veteris novique morbi antistes hic noster omnino immunis, male blandientis seculi lenocinia fortiter calcabat, ad cœlestia toto corde suspirabat, et per duos semis annos quibus in episcopatu vixit (475), præter spontaneam qua cor-

VARIÆ LECTIONES.

[975] insperante 1. 2. *corr.* inspirante 3. 4. [976] *ita* 4. *et elog. Wolbod.* pejoris 1. 2 3. [976] in pectoris 1. 2. [977] sicut 4. [978] aliis *addit* 4. [979] aliquando 4. [980] neglegere 2. 3. [981] qui 4. [982] saturnitatem 1. 2. 3. [983] *ita* 4. *et elog. Wolbod.* inmensum 1. 2. 3. [984] aliis 4. [985] f. iratum 3. 4. [986] eidem *post* Coloniæ 4. [987] ei 3. 4. [988] percurrerat 3. 4. [989] collegisse 3. 4. [990] crederet 1. 2. [991] aliquid 3. [992] succendere 3. [993] spendido 1.

NOTÆ.

(474) Wolbodonis tempore unam Heinrici II. imp. habemus tabulam, Coloniæ die 18 Febr. 1020 scriptam; Böhmer Regest., p. 61; Reinerus, Vit. Wolbod., c. 8 hoc natalitiis Christi Coloniæ factum esse scripsit, sed repugnant Annales Hildesh., quibus locis imperator Nativitatem Domini illis temporibus celebrarit docentes.

(475) *Sedit episcopio ter denis mensibus* legitur in Vita Wolbodonis brevissima, Latinis, Gallicis et Teutonicis versibus conscripta; Latinos edit ex codice S. Laurentii Chapeav., I, 256.

pus servituti subicere non cessabat afflictionem, continua stomachi infirmitate laboravit, eoque [995] magis animæ vires roborans, erga subditos tam monitis quam exemplis ecclesiasticis rigorem auxit disciplinis. Multique a levitate, quam retro fuerant sectati, ad gravitatem morum conversi, inniti vestigiis sanctitatis ejus sunt conati.

35. *De vocatione ejus.*

Celebratis, ut solebat, in spirituali jocunditate paschæ diebus (*an.* 1021, *Apr.* 2), sentit se vocante Deo ad perhennis paschæ gaudia invitari, cum ingravescente quidem morbo præmortua ulterius non valens sustentare membra, spiritum cœlo intentum psalmodia [996] et divinæ legis meditatione roborabat, vilibus stramento et superjecto nudus incumbens cilicio, fratresque, qui sibi assistebant, saluberrima exhortatione contestans ut eam, quam sibi instare cernerent, horam præsenti exemplo reformidare discerent. Cumque idem sepius iterasset, conversus ad Johannem archidiaconum, postea præpositum, ipsi identidem inculcabat [996], neminemque a foribus domus in qua jacebat arceri volens, omnibus admissis sui morientis præbebat spectaculum, ut tanto cuique sua caro in pulverem redigenda vilesceret, quanto abjectius hanc in episcopo emori viderent. Nec defuere interim antiqui illius draconis insidiæ, qui, more suo explorare volens si quid suum in egrediente [997] sancta anima inveniret, propter vestigia jacentis astitit. Quem ille visum agnovit, mox orando cum aspersione aquæ benedictæ repulit: *Nequaquam*, inquiens, *o sceleratissime tenebrarum accola, donante Deo tibi præda ero; nullam partem habiturus cum sinistris, lucis* [998] *mansione fruiturum me confido cum dextris.* Orat deinde circumstantes, sine intermissione psallere pro sui exitus expectatione, ipse incipiendis psalmis antiphonas, itemque finiendis collectas inponens; et ut hoc efficatius vel pocius posset, os et linguam vicina jam morte siccatam aqua infusa madefieri jubebat. Tandem oblata Salvatoris crucifixi imagine, caput suum ejusdem petit admoveri vestigiis, et inter salutandum et inexplebili dulcedine adosculandum [999] crucifixo Domino, cujus imaginem foris amplectebatur, reddidit spiritum (476) (*an.* 1021, *Apr.* 21). Ad cujus corpus in beati Laurentii martiris monasterio tumulatum (477) quicumque ex fide petunt, diversi generis languorum medicinam inveniunt, ejusque meritorum apud Deum efficatiam tum ex me ipso, tum ex aliis sum expertus, quorum nota fides et auctoritas de rei gestæ veritate non sinit dubitare. Quæ nos huic opusculo inserere devitavimus [1000], partim quia [1001] ad alia festinamus, partim quia [1001] de relatu miraculorum nondum pervulgato dijudicari devitamus, sed posteris fideliter scribenda relinquimus (478).

36. *De Durando episcopo.*

Quadragesimus nonus subrogatus est Durandus (479) (*an.* 1021), natus quidem ex humili genere, servorum memorati Godescalci præpositi, sed admodum pollens nobilitate ingenii. De quo fertur quod, cum idem dominus suus manus sibi dare vellet, ut mos est, et sacramentum facere, cum magna reverentia de sede episcopali eidem [1002] assurrexerit et hoc fieri humiliter recusaverit, asserens se pocius servum domino suo debitam servitutem exhibiturum.

37. *De Reginhardo episcopo.*

Huic defuncto (480) et apud Sanctum Laurentium tumulato (481) successit Reginhardus (482) (*an.* 1025,

VARIÆ LECTIONES.

[995] que *deest* 3. 4. [996] psalmorum 4. [996] inculcare cepit 3. 4. [997] suum ingrediente 1. 2. s. egrediente 3. 4. in egrediente *Ch.* [998] *ita* 4. *Ch. elog. Wolb.* licet 2. 3. 4. [999] deosculandum 4. *Ch.* [1000] deputavimus *corr.* devitavimus 1. deputavimus 3. 4. [1001] quod 4. [1002] *sic.* 4. ipsi *Ch.* ejusdem 1. 2. 3.

NOTÆ.

(476) XI Kal. Mai., Necrol. Stabulense, Necrol. Leod. et Ægidius.

(477) Auratis litteris hoc habetur exaratum epitaphium:

Ingens carnis honor, sed morum gratia major
Præsulis officio te locat et solio.
Sensit dives, egens, ut eras ad singula præsens,
Istis unde salus, his fluit unde cibus;
Hic eadem cunctis adsunt nunc viscera nobis
Hicque salutiferum excolimus tumulum.

Hæc apud Reinerum in libello De scriptoribus ecclesiasticis, I, 3; Pez. Thes. anecd., IV, 3; et apud Ægidium. Clarissimi episcopi depositionem in plus quam triginta Martyrologiis se reperisse adnotatam observat Molanus in Natal. sanctor. Belgii.

(478) Miracula Wolbodonis, præter Reinerum et Ægidium, anonymus quidam post a. 1454 scripsit. Act. SS. April., II, 862. De sepulcro Wolbodonis a. 1656 aperto vid. eod. loco. Orationem metricam ad Wolbodonem ex codice S. Laurentii edidit Chapeav. I, 257.

(479) De Durando vid. Histor. S. Laurent. Leod., et Reineri Vitam Wolbodonis, c. 17-19. Act. SS. April., II, 861, ubi malam apud posteros famam eum non effugisse legimus. Cfr. quoque Anselm., c. 29.

(480) XIX Kal. Febr. obiit ex Necrolog. Stabulensi; X Kal. Febr. habet Ægidius ex Necrologio Leodiensi, quem diem cum anno 1025, ut legitur in Annalibus Leodiens., non cum a. 1024 in Ann. Laub. notato conjungendum esse docet privilegium Conradi II de bonis Ecclesiæ VI Non. Oct. 1024, in civitate Legia Durando episcopo datum. Chapeav., I, 264. Epistola in Berengarium Turonensem quæ ibidem sub Durandi nomine legitur, a Theotwino Wazonis successore esse conscriptam satis constat. Cfr. Mabillon., vet. analect., p. 446.

(481) Hos versus a Stephano, abbate S. Laurentii, sepulcro inscriptos servavit Ægidius:

Durandus jacet hic, qui paulo plus tribus annis
Tungrensem rexit nobiliter cathedram.
Pauperis in nido patrimonii natus et altus
Ingenio summos evolat ad proceres.
Quos tulerat dominos hisdem famulantibus usus
In theatro mundi fabula quanta fuit?
Septima lux urnam fundentis in orbe fluebat,
Cum faceret rebus triste vale senior.

Alium nescio quem diem mortis satis obscure innuere videtur Stephanus.

(482) Simonia episcopatum adeptus, si Hist. S. Laur. Leod. sequeris.

Jan. 14), qui conlitteralis (483) archiepiscopo Heriberto, eximiæ sanctitatis viro, perfectionem in ecclesiasticis assecutus fuerat disciplinis; a quo et prælatus canonicæ apud Veronam, quæ usitatius Bunna vocitatur, institutæ, eandem strenue pluribus annis rexerat. Hic bonis bonus, perversis studio erat molestus, mitem sese pauperibus, asperrimum quoque iniquis exibebat divitibus. Ejus tempore non parva exulum copia ex occidentali [1003] regione in hanc urbem confluxit, qui patriam et dulcia arva linquentes (484), ut ipsi ferebant, prædis et incendio in solitudinem redacta, parvulos suos miserabiliter circumferentes, ab ignotis gentibus stipem mendicare cogebantur. Horum cotidie concurrentium turba cum aliquantum gravis esset indigenis cibos manu et arte querentibus, propter coemendi panis angustiam, qui tantæ plebi minus posset sufficere, hic domnus episcopus ad concives nostros paterna usus est ammonitione, ut unusquisque hujusmodi egenis studeat [1004] pro posse misericordiam impendere, qui [1005] autem aliquid largiri nequeat, vel nullam eis molestiam inferat; humanam mentem horum exemplo tangi debere, quod similis casus quandoque ingrueret [1006] vicissitudo, non aliter sibi ab eisdem forsitan panem expetitum iri. Ut [1007] ejus misericordiæ, quam populo suggesserat, prior exemplum præberet, trecentos (485) ex eis stipe sua alendos suscepit, et ad similia pietatis opera pro posse explenda alios accendit. Hic in æcclesia beati Bartholomei apostoli ad duodecim canonicos, qui ibidem prius inerant, ex bonis a se adquisitis 8 addidit; et inter alia quæ fecit insignia, pontem super Mosam magno sumptu extruxit (486) (*an.* 1026), monasterium sancti Laurentii renovavit (487), prædiis auxit, et triginta monachos sub abbate, qui adhuc superest (488), vivere regulariter constituit, ipsumque monasterium Piligrinum archiepiscopum consecrare fecit (489); ubi etiam post obitum suum (*an.* 1037, *Dec.* 5) (490) locum sepulturæ accepit (491).

38. *De Nithardo episcopo.*

Hujus in loco successit Nithardus (492), custos majoris æcclesiæ, a clero et populo unanimiter electus. Is juvenis ætate, moribus senior, quatuor semis in episcopatu degens annos, in tam brevi tempore magnum ornatum, quem aput nos fas est cernere, nostræ addidit basilicæ (493), in qua defunctus (*an.* 1041, *Aug.* 16) postea adeptus est sepulchrum (494).

39. *De domno Wazone episcopo* [1008].

Hujus episcopi Vitam quæ librum Anselmi claudit, dedimus ad annum 1048, Patrologiæ tom. CXLII, col. 725.

VARIÆ LECTIONES.

[1003] orientali *Ch.* [1004] studeant 1. 2. [1005] ut 4. [1006] *ita* 4. ingruere 1. 2. 3. [1007] *ita* 4. *Ch.* et 1. 2. 3. [1008] *deest hoc caput ap. Ch.*

NOTÆ.

(483) Canonicus Coloniensis. Reineri Vit. Regin., c. 1, ap. Pez IV, 3.

(484) Virgil., Ecl. 1, 3.

(485) Mille ducentos fuisse Hist. S. Laurentii Leod. auctor affirmat.

(486) Cfr. Dewez, Histoire de Liége. Brux., 1822, I, 38. Librum quem nuper edidit Polain, Histoire de Liége, non vidi.

(487) Ann. Leodienses.

(488) Stephanus. Obiit 1061; cfr., Hist. S. Laurentii.

(489) Anno D. 1034, ind. II, anno episcopatus Reginardi X, Piligrino archiepiscopo Coloniensi et Joanne Portuensi episcopo præsentibus, monasterium consecratum esse testatur Rupertus in Hist. S. Laurentii Leod.

(490) Episcopum anno 1037 obiisse docet, præter Annales Laubienses et Leodienses, lamina plumbea in tumulo Reginardi a. 1569 aperto inventa, in qua teste Fisen., Hist. Leod., I, 180 hæc verba legebantur: *Ego Reginardus, Leodiensis episcopus, excessi de vita anno ab incarnatione Domini millesimo trigesimo octavo, indict. quinta, Nonis Decembr. et sepultus sum in basilica S. Laurentii, quam adjuvante Deo construxi.* De indictione V tenenda, i. e. 1037, vid. infra c. 49.

(491) Duplex exstat sepulcralis inscriptio; unam his versibus inclusam servavit auctor Hist. S. Laurentii:

Hunc domus hæc index, hæc ejus tota supellex,
Nec minor indicio cultus episcopio.
Tollitur hic Nonis perfunctus forte Decembris,
Par et ei introitus par erat et reditus.

Anno Domini 1036 *obiit dominus Reginardus venerabilis Leodiensis episcopus.* Alteram Everlini abbatis præter eumdem auctorem habent Reinerus et Ægidius:

Flos, decus Ecclesiæ, præsul, speculumque sophiæ
Hic, Reginarde, jaces, corpore jam cinis es.
Nos quia frumenti satias pinguedine dulci,
Pascua sint cœli centuplicata tibi!
Te rapit a tenebris mundi lux quinta Decembris,
Splendeat in requie Sol tibi justitiæ. Amen.

(492) Nizo aliis vel Nitho, Reginardi nepos, in cujus diplomate fundationis hæc leguntur: *Nizo majoris ecclesiæ thesaurarius ex prosapia mea.* Mabill., Annal., IV, 442.

(493) *Pro assiduo et fideli servitio quo patri nostro nobisque multum fideliter servivit* ab Henrico III comitatum Haspinga Ecclesiæ Leodiensi acquisivit a. 1040. Cfr. quoque supra II, 28. Chapeav., I, 279.

(494) *Anno Incarnationis dominicæ* 1042, *indictione* X, XVII *Kal. Septemb. obiit Nithardus Leodicensis episcop.* Accuratius hanc inscriptionem laminæ plumbeæ ex sepulcro erutæ a. 1568 reddidit Foullon., I, 225. quam Chapeaville l. l. Consentiunt Ann. Laubienses et Leodienses; XIX Kal. Sept. legitur in Necrolog. Stabulensi. Quatuor semis anni 1041, minime 1042 indicant, quod confirmatum vide ab ipso Anselmo, c. 50.

VITA SANCTÆ BERLENDIS

VIRGINIS MERBECCÆ IN BELGIO,

Auctore (ut videtur) HERIGERO *abbate Lobiensi.*

(Apud MABILL. *Acta SS. ordinis S. Bened.*, Sæc. III, part. 1, pag. 16, *ex ms. cod. et Februario Bollandiano.*)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Hanc sanctæ Berlendis seu Bellendis Vitam edidit sine prologo, et commentariis illustravit Joannes Bollandus, eamdemque tribuit auctori anonymo, qui sæculo XI *vixerit. Prologum nacti sumus ex quodam codice manu descripto, in quo auctoris nomen prima duntaxat littera H. decurtatum reperitur. Herigerum abbatem Lobiensem interpretor : cui conjecturæ favet tum Herigeri ætas, tum titulus in prologo expressus, quo Auctor se* monachorum Lobiensium ultimum *fatetur. Auctoris ætas petitur ex nomine* ducis Lotharingorum, *quod usurpat num.* 3 (Lotharingensium *nomen vertente sæculo* IX *ob Lotharium regem audiri cœptum, serius* Lotharingorum *vocabulum auditum*). *Herigerus vero, testante continuatore Chronici Lob., Fulcuino abbati successit anno* 990, *mortuus anno* 1007, *clarus ingenii sui monimentis ibidem recensitis.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Domino et amico suo GERARDO, H., Lobiensium monachorum ultimus, cum Bellendo in cœlesti curia laureatum incedere. Scio me fecisse tardius et desidiosius quod vobis dudum promiseram, sed tamen parcendum est amico. Ego enim semper habui voluntatem faciendi, sed ad voluntatem meam non habui exemplar. Vos igitur legere et relegere curate, ut ipsius Virginis bonæ conversationis exemplo instructi, cum ipsa in cœlesti regno gaudere possitis.

INCIPIT VITA.

2. Cum ubique fideles Christicolæ nationum omnium, confisi atque protecti patrociniis sanctorum omnium, eos venerantes intercessionibus eorum de cœlo postulent auxilium, et eorum sanctorum quorum in suis locis pignora habentur reverentiam majoris dilectionis venerentur affectu, non incongruum arbitror hujus virginis, cujus patrociniis possumus apud Deum protegi, memoriam pro modulo styli humilis, verbisque licet impolitis retexere, ad exemplar vitæ utriusque audientium animis commendare. Hæc igitur virgo, Bellendis nomine, licet secundum sæculi dignitatem non infimis, sed totius regni nobilioribus orta parentibus memoria exstiterit, excellentiori tamen reverentia a nobis colenda est, quæ apud Christum veneranda refulget meritis, et gloriosa castimonia sanctitatis. Nam et cœlesti sponso jucundum in sua virginitate ædificavit habitaculum, et domus æternæ sibi, sacris insudans actibus, in cœlo locavit fundamentum. Non enim immerito hæc virgo ab illis debet honorari quibus et ipsa in hac vita consanguinitate vel familiaritate conjuncta fuit, vel qui, ex ejus parentela genealogiam ducunt, vel qui, ejus atque majorum illius famulatui obnoxii, obsequiis ejus deservierunt. Indigena namque istius (495) loci atque domina fuit, et ideo ejus orationibus divini adjutorii rore irrigatus semper floruit et florebit.

3. Tempore itaque Dagoberti regis Francorum, pater ejusdem virginis, Odelardus nomine, sub Wigero duce Lotharingorum (496) militans, totius ducatus exercitui præerat, atque præ cæteris ipsi duci adhærens, familiarique amicitia perfruens, cuncta provido utilique consilio quæ in domo et in exercitu illius gerenda erant disponebat. Fuit autem possessio illius *Huniberth* [al. *Grimbergh*] et Ascum [*al.* Ascia *inter Bruxellam et Alostum*], castella duo; quorum alterum, scilicet Ascum, ab Hunnis destructum; alterum vero natura munitum, militumque copia defensum, inexpugnabile perstitit. Quia igitur vir iste tam generosa propagine quam divitiis atque prædiis honorumque dignitate ampliatus pollebat (nam a portu Antwerpensium usque Conflacum (*Condeck, inter Antuerpiam et Mechliniam*) comitatum regebat), puellam nobilissimam, sororem beati pontificis Amandi, nomine Nonam, in matrimonium sumpsit. Erat etenim virgo specie nimis decora, moribus honestis composita, castitate pudica, fide catholica omnique doctrina ad unguem erudita. Ex hac igitur genuit filium nomine Eligardum, qui in supradicti castri destructione ab Hunnis interfectus fuit. Genuit etiam ex eadem conjuge virginem facie quidem formosissimam, forma conspicuam, persona elegantem, omnique probitate et industria luculentam, nomine Bellendem.

(495) Nempe Merbeccensis, quod in textum irrepsit apud Bollandum. De hoc infra.

(496) Inauditum erat tum Lotharingorum eorumve ducis nomen. Auctor sui temporis usum secutus est. Wigerus dux Amalbergæ maritus et sanctæ Gudilæ virginis pater fuisse dicitur.

4. Tribus denique annis quater revolutis post primæ noctis copulam, prænotata Nona uxor illius in Domino Jesu Christo obiit, qua juxta humanæ consuetudinis debitum primæ matris gremio ad reservandum beatæ resurrectioni commendata, vir idem sæculo ulterius implicari noluit, implere cupiens quod beatus ait Apostolus : *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem* (*I Cor.* VII, 17). Sed cum per proximum tempus cum sua filia prædicta virgine piis actibus instaret, eleemosynis et operibus bonis erga omnes, sed maxime erga domesticos fidei viscera pietatis haberet, remunerator omnium bonorum Deus, qui lucis filios nondum rubigine peccatorum examinatos flagellis sanctæ castigationis verberat, ut excussa palea triticum purum in area munda recipiat, volens probare aurum mundum in fornace purgatum, eumdem virum, sicut filium, multiplicis languoris paterno verbere corripuit. Nam et languor eum diutinus invasit, et in ipso languore lepra eum graviter percussit.

5. Cum igitur multo langueret annorum curriculo, defluentibus famulis tædio affectis, contigit quadam die solum cum filia in domo remanere. Qui cum ab ea potum peteret, continuo illa surrexit, scyphum concite lavit, potum infudit, patri portavit : qui bibit, eique scyphum reddidit. Sed serpens antiquus, humano generi semper invidus, humanitatis nescius, radicis omnium malorum superbiæ fuco virginem aliquantulum infecit. Nam sitiens, post patrem bibere dedignans, poculum effudit, scyphum iterum lavit, potum imposuit, ac sic bibit. Quod pater aspiciens, nullum ei verbum fecit, sed tacitus mirabili indignatione tulit, iraque vehementi turbatus vocavit servos, currum sibi parari statim jussit, super quem ascendens Nivellam petiit, ibique sanctæ Gertrudi quidquid habebat in prædiis cum omni familia servorum ancillarumque, cum cespite et ramo cultelloque (497) cum manubrio albo tradidit, ac filiam paternæ omni maternæque hæreditatis jure privavit.

6. In eadem vero traditione res stupenda, et ultra humanum modum admiranda, ad laudem ipsius qui omnia condidit, advenit. Nam cum idem vir ad feretrum accederet, omni obstinatione affirmavit se nunquam ei prædium daturum, nisi beata virgo propria manu reciperet. Qui cum ter quaterque clamaret : « Sancta Gertrudis, hoc munusculum de manu mea suscipe, et noli me peccatorem ante te flentem et ejulantem spernere, nisi potius me alias daturum vis abire, » confestim, nutu summi Tonantis, scrinium in quo beata virgo jacebat sese aperuit, corpusque exanime manum porrexit, cunctisque cernentibus populis qui aderant, ramum cum cespite cultelloque de manu viri porrigentis intra scrinium recepit, et sicut fuerat prius clausum ac sigillatum permansit. Tunc clamor ad cœlum tollitur, Creator omnium qui gemitui suorum aures suæ pietatis nunquam avertit adoratur, ejusque famula cujus meritis tam inopinatum miraculum tamque jucundum peccatorum præsentiæ exhibere dignatus est, summa devotione veneratur. Sed cum vir prædictus aliquanti temporis spatio tribulationum igne ad exemplum B. Job purgaretur, placuit ei qui nihil irremuneratum dimittit, illius patientiam remunerare, atque ejus animam post laborum dolorumque desudationem in æterna requie collocare.

7. Beata igitur virgo Bellendis, omni paternæ maternæque hæreditatis jure privata, animadvertens sese spoliatam bonis patriis ob reatum criminis, parvi pendens honores hujus sæculi, timensque iram superni Judicis, quia patrem dedignari præsumpsit (audiverat enim sæpe quod scriptum est (*Deut.* XXVII, 16) : *Qui patri vel matri injuriam intulerit, mortis æternæ sententiæ subjacebit*), tanta mentis intentione mundana postposuit, ut non solum ciborum vestiumque delicias respueret, sed etiam vilia et contemptibilia habere recusaret. Mox subtus ad carnem cilicio induitur, inedia et algoris uredine martyrium desiderans afficitur, corpusque jejuniis et orationibus vigiliisque crebris perurgens, lacrymarumque imbres crebro fundens, non solum peccatis purgari meruit, sed et superni sponsi gratiam invenit. Manus enim illius quidquid boni invenire poterat, pauperibus erogabat, adeo ut vix aut nullatenus ab eleemosynis vacua foret, et sæpe cum pauper non inveniretur, in ejusdem manu desudaret.

8. Contigit autem eamdem virginem in loco qui dicitur Morsella (498), cœnobio beatæ Dei genitricis Mariæ sacri velaminis habitum suscipere, et annorum multorum spatio cælibem vitam ducere. Cum ergo esset eadem virgo in cœnobio, sanctis operibus summo certamine invigilans, cujusdam noctis medio pulsante matutinali signo, audivit voces sanctorum angelorum in cœlum animam patris ipsius cum canoro jubilo deferentium. Miræ ergo sanctitatis gratiæque supernæ hæc virgo plena exstitit, quæ instar gloriosissimi Severini Agrippinæ urbis archiepiscopi, sicut ille in obsequio animæ B. Martini angelorum choros audire meruit. Quæ tantæ suavitatis dulcedine modulationisque lenitate supra se velut in excessum mentis erecta, intentis in cœlum auribus, lætitia tam beatæ refectionis refecta, interrogat assistentem sibi famulam si quæ audiebat audiret, et quæ intelligebat intelligeret. Quæ cum illa minime se audire vel intelligere responderet, intimavit ei beata virgo animam patris sui, corporeis

(497) Nota insignem ritum traditionis. Idem refertur in miraculis sanctæ Gertrudis abbatissæ Nivialensis, de qua Sæculo II, ad ann. 658.

(498) Morsella, *Morselle*, vicus est prope Teneramundam oppidum ad Scaldim. Ex hoc loco patet Morsellense cœnobium a Carolo Magno non primum conditum, sed amplificatum aut restitutum fuisse. Nimirum sancta Gudila, isthuc secedens, cœnobio occasionem aut originem dedit.

nexibus solutam, pro tribulationis patientia coronari, et a psallentibus angelis in altum deferri. Accepta itaque cœnobita Domini licentia a matre monasterii, ad sepeliendum patrem suum Merbeccam (499) adiit, et in ecclesiola quam in honore B. Petri ipse ædificaverat, juxta uxorem suam, matrem ejusdem virginis, juxta morem nobilium, sicut decebat, eum sepelivit.

9. Post mortem vero patris sui, quia cœnobium in quo ordinata fuerat, quod prius ab Hunnis (500) funditus dirutum atque combustum fuerat, pauperique modo reædificatum fuerat, carebat appendiciis substantiaque qua famulæ Christi sustentari possent (nam in pane et aqua vix puellas sex detinere poterat), cogentibus famulis atque necessitate domi remansit, et in præfata ecclesiola die noctuque degens, se Domini servitio mancipavit. Nunquam enim pes ejus a visitatione infirmorum quiescebat, nunquam manus ejus a procuratione pauperum cessabat. Semper laus Dei in corde ipsius assidua erat, psalmorum hymnorumque cantus ex ore ejus nunquam recedebat, psallens sibimet, juxta Apostolum, in canticis et psalmis et hymnis spiritualibus in Domino. Nihil unquam, neque hiemis neque æstatis tempore, præter cilicium, quo super nudum corpus utebatur, mattulamque atque lapidem capiti suppositum sibi substerni patiebatur. Vigiliis et orationibus assiduis jejuniisque continuis corpus macerabat. Bis tantum in hebdomada, præter diem Dominicum apostolicasque solemnitates, reficiebat. Carnem a die consecrationis suæ non comedebat, piscem aut cibum alium, præter panem et aquam, nisi in præclaris solemnitatibus non attingebat.

10. Tantam ei Dominus ob beatæ vitæ meritum gratiam concesserat, ut quibuscunque infirmis sive febricitantibus manus imponebat, saluti pristinæ restitueret. Ea igitur de die in diem proficiente, et de virtute in virtutem ascendente, tribus lustris in asperitate vitæ jam peractis, diei paschalis solemnitatibus contigit perticulam piscis illi ad mensam sedenti apponi. Quæ (quod admirabile dictu est et quasi incredibile) inter manus ipsius in carnem conversa, valde eam perterruit, et cum vehementi stupore ministro indignans ait : « Ignoscat tibi Deus : quare me sic illudere voluisti? sciebas me carnem non comesturam, et eam mihi apposuisti. » Quo negante et obnixe jurante, intellexit hoc Dei nutu factum fuisse. Parumque gustavit, et a se submovit, protinusque a mensa surgens, Ecclesiæ et orationi ad laudem sui Creatoris se reddidit.

11. Hoc etiam silentio supprimi indignum arbitror, quod ille qui servos suos glorificare ac magnificare nunquam distulit, poculum aquæ quam die solemni sibi appositum in vini saporem convertit.

12. Terquinis igitur annis cum duobus post patris mortem expletis, cum divina revelatione extrema hujus lucis tempora imminere sibi sentiret, convocatis sacerdotibus oleum sanctum petiit : quo accepto, corpore et sanguine sui Redemptoris exitum suum consecravit, et sic ultimum spiritum cœlo reddidit.

13. Congregati igitur cognati et amici ejus, servi et ancillæ, et etiam majores regionis illius, ad sepeliendum eam convenerunt, illamque modo congruo juxta tumulum parentum recondiderunt. Sed cum in quo eam reconderent sarcophagum non haberent lapideum, quorum in hac regione penuria est, quercum magnam juxta templum stantem succiderunt, illique ex eadem quercu vas in quo posita est, aptaverunt. Quantas autem per illam virtutes Dominus in eodem loco operari dignatus est, nec mens nostra valet edere, nec lingua sufficit explicare. Multi enim cæci, luminibus redditi, sine duce domum redierunt; multi claudi solidatis basibus erecti sunt; surdis auditus redditus; linguæ mutorum solutæ; dæmonesque ad ejus sepulturam ex obsessis corporibus expulsi sunt.

14. Cum ergo tot ac tantis miraculis ejus sanctitas pollens longe lateque claresceret, placuit post septennium amicis et vicinis ejus sarcophagum videre, et, si possent, in melius ad ejus honorem mutare. In quo loco mira res et inusitatum miraculum humanisque auribus inauditum evenit. Nam cum sarcophagum idem in quo sancta virgo jacebat ejicerent de terra, cum prius ligneum fuisset, lapideum est inventum. Hujus rei notitia cum per hanc regionem divulgaretur, omniumque audientium animos ad laudem Dei et sanctæ Bellendis extolleret, quædam mulier ex vicino incredula permanens, atque mendacium esse affirmans, ad videndum male credula venit. Sed mox ut vidit sarcophagum, a dæmone arrepta ad terram cecidit; quæ per triduum exanimis, non audiens neque videns, ibi jacuit, donec virgo sacratissima, astantium precibus pulsata, pristinæ saluti eam restituit.

15. Quibus miraculis tam jucundis tamque mirificis omnis regio permota occurrit, et in honore beatæ Dei genitricis Mariæ sanctæque Bellendis virginis ecclesiam in qua nunc requiescit, fabricavit. Tricesimo itaque depositionis suæ anno, omnis multitudo finitimarum regionum, divina inspiratione afflata, convenit cum duobus episcopis, Cameracensi videlicet, nomine Ausberto (501), Torna censique, nomine Norberto, qui eam de sepulcro

(499) Merbecca, *Merbeke*, vicus Brabantiæ in diœcesi Mechliniensi, haud procul a Nivonia Flandriæ oppido, inquit Miræus in Fastis Belgicis. In divisione regni Lotharii anno 870 facta, inter Belgii monasteria nominatur *Merrebeechi*, nunc parochialis et collegiata septem sacellanorum ecclesia.

(500) Fortean a Fresonibus, qui vicinas sibi regiones sæpius infestarunt. Nam Hunnorum nomine veniunt nonnunquam aliæ barbaræ nationes.

(501) Mendum, ut recte adnotavit Bollandus. Autbertus enim, qui hoc loco designari videtur, ante Bellendem vivere desierat; nec ullus Tornacensium episcopus nomine Norbertus Florbertusve reperitur.

levaverunt, atque in scrinium in quo nunc pausat locaverunt.

16. Cum autem vellet Deus gloriam et honorem atque nomen suæ famulæ amplificare, contigit Tulli civitate monachum quemdam cœnobii B. protomartyris Stephani (502), per visum juvenem pulcherrimum videre assistentem sibi, atque dicentem : « Surge, et vade ad provinciam Bracbantiæ, ad locum qui dicitur Merbecca, et de reliquiis sanctæ virginis nomine Bellendis tenta habere, ut in ejus honore, in loco quem tibi Deus ostenderit, ecclesiam possis ædificare. Qui ad præfatum locum veniens cum magno honore suscipitur, ibique manens in magna veneratione habetur, et ad ultimum templi custos efficitur. Nocte igitur quadam cunctis sopore depressis, scrinium aperuit, et de virgine quantum sibi placuit, abstulit, ac tempore sibi congruo recessit. Veniens autem Dei ductu in solitudinem ad locum nomine (503) *Tin* sibi cœlitus ostensum, ibidem mansit, beatæque virgini basilicam ædificavit, in qua signis ac virtutibus atque miraculis coruscans, usque ad hodiernum diem fulget admirabilis. Nam et congregatio monachorum religiosorum ibidem constituta Domino famulatur, et ipsius virginis patrociniis illa patria a Domino sustentatur. Dominum igitur qui tam magna et pene innumerabilia gloriose et laudabiliter operatur miracula in sanctis suis, condecet colentes eum, amantes eum, credentes in eum, servientes ei, laudare, et glorificare, et benedicere; et, ut ipsi mereamur ab eo conservari atque benedici, hujus virginis precibus cujus, Domino juvante, Vitam verbis licet incompositis descripsimus, tota piæ devotionis intentione poscamus ut pervenire mereamur ad patriam supernæ hæreditatis.

17. Migravit autem sancta Bellendis ex hac vita feliciter in Domino (504), tertio Nonas Februarii; et exsultat cum sanctis perenniter regnans cum Christo, qui regnat ubique sine termino.

VITA S. LANDOALDI

Jussu Notgeri episcopi Leodiensis ab Herigero scripta.

(Apud Bolland., Martii t. III, die 19, pag. 35, *ex variis mss. et Surio.*)

PROLOGUS.

Notgerus, quem, etsi indignum S. Mariæ sanctique Lamberti mancipium, prædicant tamen episcopum (505), Womaro venerabili in Christo Patri et Fratribus Gandensibus, omnibusque fidelibus quocunque locorum positis, hæc oculo non obliquo lecturis, perpetuitatem vitæ cœlestis. Postulare, imo exhortari facultatulam nostræ modicitatis, Patres reverendissimi, non dubitastis (506) ut ex mirabilibus, sæculis omnibus et gentibus prædicandis, nostrisque diebus, licet simus indigni, nobis quidem manifestatis, vobis insuper prærogatis, in translatione scilicet S. Landoaldi archipresbyteri et sociorum ejus revelatis, quia, ex nostra elati diœcesi, vestro, præordinante Deo, cesserunt juri; debeamus, quantum ad nos usque, fama vulgante, potuit perferri, omnium imo vestræ satisfacere petitioni. Justa quidem petitio et digna exhortatio, quæ, juxta quemdam sapientem, et de præsentis honestate propositi, et de futuræ ætatis utilitate conjuncta est. Nisi enim gesta eorum incuria prædecessorum nostrorum deperissent, nobis hodieque sufficerent. Sed quanta audivimus et cognovimus ea, et Patres nostri narraverunt nobis, ea videlicet quæ adhuc nostra tenet memoria, rogatis scripto mandanda, ne iidem et nos damnemur a posteritate subsecutura. Positis ad hæc in ancipiti, quia præsulatum apud vos omnium artium arcem constat esse et credi, suspensam mentem silentium librabat, illudque poeticum animum offendens : In silvam ne ligna feras (Hor. *Sat.* I, 10, 34), parum quid diffidentiæ importabat. Sed quia In culpa est animus, qui se non effugit unquam (Hor. *Epist.* I, 14, 13), diffidentiæ torpor cessit, expostulatio vestra invaluit : nisi quod celeritas, quæ juxta Socratem beneficium gratius facit, mus. Superfuit patri annis septemdecim; pater vero S. Gertrudi Nivialensi, cui jam ad superos receptæ res suas tradidit. Porro Gertrudis anno 658, ut statuimus, aut certe, ut alii volunt, anno 664 in cœlum dimigravit. S. Bellendis corpus Morsellæ in sacra ipsius æde asservatur. Legesis alia S. Bellendis miracula apud Bollandum.

(502) Ergo tum erant monachi in cathedrali ecclesia Tullensi, S. Stephano sacra.

(503) Est hujusce nominis locus in pago Regitestensi, *le Rethelois*, dictus *Tin le Monstier*, haud ita procul a Carolopoli, ad Tinum amnem cognominem situs. Monasterium quondam a Stephano comite et Freduide conjuge ibi ædificatum est in honorem B. Mariæ, postea abbatiæ Mozomensi unitum ab Adalberone Remorum antistite, ut legitur in Chronico Mozomensi tomo VII Spicilegii Acheriani; modo prioratus eidem abbatiæ subjectus, in cujus ecclesia S. Bellendis patrona colitur.

(504) Nimirum circiter annum 702, ut conjiciunt.

(505) Womarus creatus Abbas Gandensis anno 965, mortuus 982. Consule Gandavum Sanderi.

(506) Hæret diutius suspensus sensus, hoc modo cum fine periodi tandem jungendus : *ut ex mirabilibus.... debeamus vestræ petitioni facere satis, quia ex nostra diœcesi*, etc.

plus festinare, quam res expostclaret, nos compulit. Erat namque ante nos dictum : Vires, quas imperitia denegat, charitas subministrat; et quia Incœpto tantum opus est, cætera res expediet (Sallust. *Catil.* 21). Igitur adorsi sumus, ne vestram auctoritatem defugere videremur. Præsumenti enim auctoritas datur, cum credit, quem postulat, præstare posse quod petitur : et scienti econtra parere æqualis est gloria cum imperante. Si quis autem forte futurus obtrectator, *obliquo* hæc *oculo* non timuerit *limare* (Hor. *Ep.* I, 14, 37) et *odio obscuro morsuque* præsumpserit *venenare* (*Ibid.*) : in ejus satisfactionem Jesum et sanctos angelos ejus, judicium- A que futurum testamur, nos parum hic aliud posuisse, quam quæ aut a presbytero Saraberto (id sancte jurante, a vobisque, ut ipse retulit, fortiter et horum merita Sanctorum obtestato) audivimus, aut in scripto vestro nobis delato, fideliter mandata reperimus : exceptis duntaxat iis quæ, ex episcopatu nostro decerpta, huic schedulæ pro temporis ratione videbantur congruenter præponenda. Valete. Datum tertio decimo Kalend. Julii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo, indictione octava, imperante Domino Ottone post mortem (507) patris anno octavo, episcopatus nostri anno nono.

LIBER PRIMUS.

S. Landoaldi et sociorum gesta, translationes miracula Wintershovii facta

CAPUT PRIMUM.

Viri apostolici sub Francis in Belgio adventus S. Landoaldi et sociorum.

1. Francorum (508) regnum a sui principio semper infatigabile, tunc præ cæteris sibi collimitaneis visum est florere, cum imago (509) Dominicæ fidei colla passum est inclinare; et quod prius adorarat, incendere; quod incenderat, voluit demceps adorare. Maximum autem accepit incrementum et firmum sub eo sancta Dei Ecclesia statum, cum Clotharius rex, justa successione hinc (510) quartus, monarchiam singulariter trium regebat regnorum, et cum quadragesimum agebat annum, quem (511) Heraclius Augustus, sanctæ crucis relator, quartum decimum. Hic sceptro suo nullius circumpositi sceptrum passus est occursare : sed quidquid pene Gallia et Germania C regum et gentium continebat, suis habenis studuit coercere. Hic filium suum inclytum Dagobertum (512) Austrasiis præfecerat, ejusque dominio Germaniæ regnum conjunxerat. Quorum felicissimo tempore in tantum exuberavit Christianitatis titulus ubique, ut pene rara aut nulla citra finitimos inveniatur hodieque ecclesia, quæ non alicujus sancti ejus temporis nobis prætendat patrocinia. Sed ut sileamus interim de innumeris, sancti viri (513) Eligius et Audoenus palatinis inceptabant insudare curis, B. (514) Arnulphus cum Romarico jam tunc intererant B regalibus consiliis : sanctus autem Amandus Aquitaniam nativitatis suæ illustrabat auspiciis. Qui dum puer adhuc esset, patriam parentesque reliquit, Ogiamque insulam, ad occidentem maris Oceani positam, expetivit. Illic a fratribus spiritualibus cum magno suscipitur gaudio : et quia sacras litteras didicerat, in Dei quotidie servitio majori fervebat desiderio. Post hæc ætate quidem adultior, sed animi intentione ferventior, apud Turones S. Martini expetiit sepulcrum : ibique ejus interventionis oravit auxilium, ut id sibi gratiæ apponi expostularet Dominum, quatenus peregrinationi totius vitæ suæ sibi concedat apprehendere cursum. Ab oratione surrexit, capitis comam sibi abscindi fecit, clericatus adeptus honorem, omnem in clero gratiam, peregrinando tamen, transcendit per ordinem (515). Bituricos deinceps adiit, cum B. Austrigisilo ejusque archidiacono S. Sulpitio sanctissime conversatus, in cella a se ædificata per quindecim annos arctissimæ vitæ se addixit.

2. Deinde Romam quoque regressus, et a B. Petro per visum monitus ut Gallias prædicationis causa repedaret, tandem coactus a rege ac sacerdotibus, episcopus ad prædicandum, ut tunc moris erat, est ordinatus. Circumquaque etenim paganorum errore adhuc impendente, necesse erat tam religiosis principibus quam Domini sacerdotibus, alios ad verbum

(507) Otto I Imperator mortuus est 7 Maii feria 4 ante festum Pentecostes, ex quo tempore hic annus Ottonis II appellatur octavus ; qui tamen vivo patre fuerat a Pontifice Romano coronatus sub finem 967, et sic numeratur sæpe dictus annus Christi 980, imperii ejus 13.

(508) Regni Francorum principium et progressum cum accurato calculo regum deduximus 1 Februarii ad Vitam S. Sigeberti regis.

(509) Chlodoveo I baptizato anno 494.

(510) Intermediis Chlothario I et Childerico, successit hujus filius, Chlotharius II monarcha factus anno 613.

(511) Heraclius, Phoca 27 Martii anni 610 occiso, factus est imperator, adeoque 14 annus regni ejus et 40 Chlotharii cadunt in annum 623.

(512) Anno regni ejus 38, Christi 621, aut, ut alii, sequente.

(513) Sunt hi duo simul episcopi ordinati 4 Maii anno 646. Colantur, Eligius Noviomensis 1 Decemb., et Audoenus Rotomagensis 24 Augusti. D

(514) Est hic S. Arnulfus ex episcopo Metensi eremi Vosagi incola, et colitur 18 Julii. At Romanicus abb. Luxoviensis 8 Decemb.; sed hic in aula Theodeberti regis diu ante vixerat.

(515) Ad Vitam S. Amandi late omnia deduximus 6 Febr., et correximus errores Notgeri et aliorum. Colantur, S. Austregisilus 20 Maii, et S. Sulpitius 17 Januar.

Domini annuntiandum baptizandumque populum et confirmandum ordinare. Quod ut nemini forte vocatur ambiguum, testis est (516) Taxandria, post multos hinc annos a B. (517) Lamberto idolorum cultoris stirpitus liberata. Brachbantum quoque, multis erroribus gentilium irretitum, ab ejus successore (518) S. Huberto ex parte correctum. Germania etiam pene tota, noviter non solum conversa, sed etiam novis episcopiis et ecclesiis illustrata pariter et ditata. Ex iis alios novimus prædicationi usque ad obitum institisse, alios vacantibus episcopiis aut abbatiis postea subrogatos esse, alios novis Ecclesiis episcopia nova instituisse (519). Beatus vero Amandus officium susceptum strenue implevit, et circumcirca positis (Vaccejam, id est Vasconiam, et Danubium ultra pertentans) verbum Domini annuntiavit, donec vires suas ad opus tam arduum videns non sufficere, Romam deliberavit iterato adire.

3. Romanum universalem pontificatum Martinus papa tum administrabat. Cui beatus Amandus votum suum, cujus obtentu venerat, aperuit : et ut sibi ad id opus peragendum suppetiæ mitterentur (520) poposcit. Destinati sunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adjutores : inter quos S. Landoaldus archipresbyter, Amantius diaconus : quos etiam comitatæ sunt sanctæ feminæ Vinciana et Adeltrudis, cum aliis viris et mulieribus septem. Per idem fere tempus B. (521) Joannes, Tungrensium et Trajectensium feliciter regens pontificatum, mortem occubuit. (522) Dagobertus vero rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, B. Amandum evocavit, eumque Trajectensium cathedræ præsidere fecit. Qui per triennium vicos et castra, verbum vitæ annuntiando, circuivit : sed nil se proficere cernens, sacerdotes insuper et levitas insultare sibi dolens, ad alia deinceps loca demigravit. Incompertum est deinde quanta temporis intercapedine plebs Trajectensium fuerit usque (523) ad B. Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quod fama ad nos usque perferente accepimus B. Landoaldum illic remansisse, et per novem annos vices pontificis administrasse.

4. Cui opinioni illud nos facile fecit accedere, quia refertur idem B. Landoaldus, specialem patronum nostrum (524), sanctum scilicet Lambertum, prima pueritia nutrivisse. Propter quod et illustris vir Aper, ejusdem pueri pater, prædium vocabulo Wintershovum (525), super Archa fluvium positum, eidem ad inhabitandum et ecclesiam construendam perpetuo jure concessit, et eumdem puerum, divinis dogmatibus imbuendam, cum eo manere constituit. Ubi dum artifices operi insistunt, et aquam, utpote de paludibus turbidam, fastidiunt, B. Landoaldus cum puero Lamberto, invocato Christi nomine, cum crucis protensione fontem limpidissimum baculi impressione omnium usibus fecit ebullire, qui fidem dictis præbet usque hodie.

5. Alio itidem tempore cum usui necessario ignis deesse videretur, accitus a viro sancto puer, ignem inferre jubetur. Cœpit idem imperio reniti, et cur statim jubenti non satisfecerit, palam fateri : « Vas, inquit, Domine, quo ignis opportune importetur, deesse vides, et quo hunc modo inferri jubes? Promptus quidem tibi obtemperare mihi est animus : sed ut votis tuis contraire videar, ipse vasis cogit defectus. » At pius Pater, ubi hæsitantis pueri animum persensit : « Placetne, inquit, fili, paternæ jussioni moram fieri, cum ea qua tegeris veste ignis satis commode queat inferri? » Qua puer motus increpatione, cum præterea obedientiæ exemplo cogeretur, imperio Patris sane optemperat, pauloque progressus, ignem requirere properat. Quo tandem invento, nil adesse videns quo eum opportunius ferret, gremium prunis ardentibus laxat, easque nihil cunctatus infra collocat, et ita, veste illæsa, ad Patrem usque deportat. Tunc vir sanctus novitatem miraculi secum altius considerare, felicisque pueri meritum perfectorum etiam non dubitat virtutibus comparare : quo quidem ardens elementum naturam suam vel ostendere timuit vel omnino coactum est occultare. At ubi ad populares aures recens adhuc miraculum

(516) De situ et amplitudine Taxandriæ late egimus libro I diatribæ nostræ De episcopis Trajectensibus, cap 2.

(517) Colitur S. Lambertus 17 septemb.

(518) S. Hubertus sedem Trajecto Leodium transtulit, et resumptum est nomen episcopatus Tungrensis, ut alibi ostendimus. De S. Huberto agemus 3 novemb.

(519) Hæc ex Actis S. Amandi contracta. Consule cap. 4 et 5, et ad ea nostras notas, uti et commentarium prævium.

(520) Σχῆμα hic ingens chronologicum est, et ad Vitam S. Amandi explicatum. Est tertium iter Romanum post relictum episcopatum Trajectensem anno 650 assumptum, quando S. Martinus erat pontifex Romanus.

(521) S. Joannes Agnus jam annis aliquot ante mortuus, scilicet anno 646, die 25 Junii.

(522) Dagobertus jam ante anno 644, 19 Januarii, e vivis decesserat, tribus scilicet annis antequam S. Martinus crearetur papa. Fuit S. Amandus episcopus Trajectensis, regnante apud Austrasios S. Sigeberto.

(523) Uno errore posito plures sequuntur. S. Amando immediate successit S. Remaclus, ut clare demonstratur ad illius Vitam.

(524) Non meminerunt hujus institutionis antiquiores Vitæ S. Lamberti scriptores, Godescalcus et Stephanus episcopus Leodiensis : at quæ dicuntur *referri*, pro certo postmodum affirmarunt Nicolaus canonicus et Reinerus monachus in hujus Vita. Diximus ad Vitam S. Amandi, non videri S. Lambertum natum esse ante annum 650, et episcopum esse consecratum anno 677, ac potuisse S. Landoaldum numerari inter *viros sapientes* a quibus tradunt Godescalcus et Stephanus, *S. Lambertum sacris litteris edoctum*.

(525) *Wintershovum*, in lege Salica ibi lata legitur etiam *Windohaim* seu *Widohaim*; etiamnum pagus inter civitates Tungros et Hasletum, aliquantum ab amne dissitus. Describunt sequentia Nicolaus, Reinerus, Ægidius, absque mentione fluvii.

accessit, tum omnium ore puer extollitur, tum etiam res divinitus gesta cum obedientis merito, jubentis imperio ascribitur. Itaque ex utriusque sanctitate virtus eadem acta creditur. Operabatur et alia multa per eorum meritum illic Christus miracula.

CAPUT II.

Variæ translationes Wintershovii factæ.

Quorum rumore (526) Childericus rex, tunc (527) sedem habens apud (528) Trajectum, tactus compunctione, sumptus necessarios mittebat ei quotidie. Sed quadam vice Adrianus quidam, ejusdem beati viri ad regem internuntius, nimia auri et argenti pondera deportare creditus, a latronibus est interceptus, et in medio viæ loco Villari martyrium adeptus. Beatus vero Landoaldus, cursum vitæ præsentis explens, in senectute bona repausationem indeptus, hominem exuit, bravium coronæ perennis accepit, sepultus in ecclesia quam ipse ædificaverat et in honore B. Petri per Kalendas Decembris dedicaverat. Decessit autem quartodecimo Kalendas Aprilis. Sed et comites peregrinationis ejus supra denominati, suis, prout Christo libuit, temporibus ab hac luce evocati, circa eum sunt in eadem ecclesia tumulati. Solus beatus nomine et merito Amantius diaconus in eadem cum ipso theca, quia ejus, ut fama fert, in baptismate filius extiterat, sepeliri est contentus.

7. Plurimis deinde elapsis annorum curriculis, S. Florebertus, tertio loco post S. Lambertum regens Trajectense vel Leodiense episcopium, audita illic multitudine signorum, monitus pariter responsis visionum, eos illinc cum digna reverentia transtulit, et eorum tumbas pro possibilitate sua decorari mandavit. Facta est autem hæc translatio Kalend. Decembris, quo et dedicationem ejusdem ecclesiæ supra diximus memoratam. Mansit vero honor, cultus et reverentia circa sanctorum corpora quoadusque effera gens Normannorum, sedibus suis non contenta, totam pene Galliam perturbavit : et timore (529) eruptionis eorum, ne sanctorum violarentur busta, terræ sunt a fidelibus remandata. Illuc repositioni interfuit quidam Frangerus, homo nostra ætate senissimus, qui et ante infestationem (530) paganorum novem annis villæ ejusdem exstiterat procurator et villicus. Hildebrandus quoque presbyter, quem propria manu ante paucos annos tumulavit Sarabertus æque presbyter, hujus notitiæ relator fidelissimus, qui et hæc, quæ præmisimus, A ab eodem Frangero commemorabat multis attestantibus se audisse, et libellum de vita eorum pariter vidisse (quem quia antiquaria manu commemorat scriptum et a stillicidio ceræ pene infusum, lectorem ejus non ignoramus fuisse perrarum), at vero quæ hactenus paucis perstrinximus verbis, illinc se delibasse, nuperrime vero incursione (531) Hungrorum, propter incuriam custodum, cum aliis rebus eumdem libellum deflagrasse : Sed hæc hactenus.

8. Post Nortmannicam autem repulsionem, primus quidam nomine Tietboldus locum prælibatum, ubi corpora sanctorum erant reposita, a comite Flandrensi, abbatiam (532) sancti confessoris Christi Bavonis tenente, accepit jure beneficii; post eum Adelgandus. Qui potius cogitantes quæ sunt mundi B quam quæ sunt Domini, aliquem reverentiæ cultum sanctorum parvipenderunt reliquum esse honori : quocirca paulatim haberi cœpit contemptui. Ut vero Aper, nostræ ætati finitimus, cum filiis locum ipsum precario sortitus est, jam, ipsius Dei timore postposito, ecclesia ipsa non tantum sancti honore condebito, verum suo omnino vacuata est ornamento. Wandoldus deinceps in dominio ejusdem successit villæ, ubi et accepit locum sepulturæ : pro cujus tumulatione filius deinde ejus (533) Lambertus cordis tactus est devotione, ut locum hunc deberet excolere, pariterque miraculorum, quæ illic fiebant, suspensus admonitione. Namque, Domino prædium ipsum sibi tunc vindicante, a vicinis, præeuntibus inimicitiis quibusdam, dissidente familia ipsius, villæ C telas et alias vestes, ad ecclesiam confugium faciens, super sanctorum tumbas abjecit, presbyter econtra Sarabertus exinde ea deturbavit. Sed iis iterum a familia reportatis ibidem, et presbytero deterrito ne ulterius resisteret eis, nox supervenit, et familia ipsa dormitum se circum locavit. Mane expergefacti, vident, insperato et sine sua læsione, telas et quæ deposuerant, ambusta esse.

9. Est præterea phylacterium, quod vere dicitur S. Landoaldi fuisse proprium, in quo qui perjurare præsumit, non impunitus abscedit. Familia plus duodecim virorum ac mulierem, Witgeri et Lamberti fratrum sacramento, ne aufugerent, in eo phylacterio est obstricta : quod irritum ducens, insuper et the- D saurum in eadem ecclesia dominorum suorum reconditum violando auferens, aufugit : sed mane circumcirca a persequentibus frustra requisita, et a revertentibus sub arbore prope ecclesiam dormiens salvo

(526) Childericus incepit puer regnare cum Imnechilde vidua Sigeberti patrui ab anno 664, factus monarcha anno 676, occisus anno 679.

(527) Exstant diplomata Childerici signata Trajecti, ubi videtur sæpe fuisse. Sedes ejus et aliorum regum Austrasiorum potissimum fuit urbs Metensis.

(528) Distat Trajecto Winteshovium 30 circiter millibus passuum.

(529) Intelligi videtur irruptio facta anno 881, quando devastata et incensa leguntur in Annalibus Fuldensibus, *Trajectum*, *Leodium*, *Tungri*, *pagus Hasbanicus* et vicina loca.

(530) Ms. Rubeæ Vallis, *Hungarorum*.

(531) Hungari anno 884 Hasbaniam flamma et rapinis vastarunt, evocati a Conrado duce Lotharingiæ, ut Frodoardus, Sigebertus et alii testantur.

(532) Dispersis per Normannicam irruptionem monachis, quando Elias abbas Lauduni anno 895 obiit, ibidem in ecclesia S. Vincentii sepultus. Monachos postmodum congregavit S. Gerardus abbas Broniensis, et monasterium reædificavit circa an. 940.

(533) Infra et in superiore relatione *Lantso* dicitur.

thesauro est reinventa. Alius quidam, quodam flagitio vere impeditus, in eodem perjuravit; eademque nocte cum domo et unico filio miser deflagravit. Alia quoque miracula illic fieri contigit, quæ nunc dicere supersedeo.

10. Quapropter idem Lantso venerabilem virum antecessorem nostrum, dominum scilicet Euraclum (534), supplex adiit, rogans ut aut per se aut per vicarios suos sanctorum corpora transferrentur, et unde ante Nortmannicam depositi erant infestationem relevarentur. Sæpius postulando hæc iterans, tandem impetravit : et Bono archidiaconus cum duobus archipresbyteris, fidelibus utique viris, Thietboldo et Ubodone, sed et cum aliis ex monasteriis, Sancti scilicet Trudonis, (535) Belisiæ, et Tungris, illuc advenerunt, et cum litania solemni ex tumulis, quibus negligenter nimis squalebant, extulerunt. Invenerunt autem plures thecas : sed una erat in qua S. Landoaldus archipresbyter et diaconus suus pariter tegebantur Amantius. Aderat et lapis ad capita eorum, nominibus ipsorum insculptus. Aliæ continebant SS. Adeltrudem et Vincianam, quod indicabat crucicula quædam argentea, pectori S. Vincianæ superinventa. His rejectis pariter et relatis, dum sanctorum corpora vino simul et aqua diluerentur, avicula quædam per fenestram feretro sanctorum illapsa, simul et importune aliquoties eis, qui huic officio intererant immersa, aliquoties in defossum devolans quo corpora sanctorum erant elata, omnibus astantibus et hæc videntibus, miraculum incussit pariter et horrorem. Nam et colore pulchritudinis erat diversæ, sed antehac inviso; et stridore vocis quidem dulcifluæ, sed inaudito. Quæ licet ab astantibus posset comprehendi, a nemine præsumpta est temerari. Quæ quasi quibusdam plausibus lætitiæ et vocis sibilatione hac illac circumvolans, et iterum feretro sanctorum insidens, non destitit ab incœpto, donec omnia competenti consummarentur officio.

11. Eadem die cæca quædam de villa Hasbina, quæ erat in vicinia, vulgante fama quod sanctorum efferrentur corpora, accurrit celeriter cum candela. Biduum deinde sustinens, et sanctorum patrocinia indesinenter exposcens, tertia die recessit clare videns.

12. Sequenti igitur anno uxor jam dicti Lantsonis, nomine Sigeburgis, morbo sic intercutis laborabat, cruraque ejus cum pedibus ita intumuerant, ut pene per totum annum nec saltem ecclesiam, nisi sella gestatoria veheretur, intraverit, nec toro viri nec convivio participata sit, edulium omne fastidierit, potum excepta aqua universum execrata sit. Hæc intempestæ cujusdam noctis visione subita semivigilans corripitur, atque in hæc verba monetur : « Cum dominos dominasque nostras extuleris, cur et nos fideles eorum in luto delitescere sinis? Ego quippe sum Landrada; Adrianus martyr et Julianus ipsi quoque sunt de societate nostra. » Hanc visionem illa viro intimavit, et, ut aut episcopus aut auctoritas episcopi ad sublevationem eorum invitaretur rogavit. Ille præterito anno ita in elevatione cæterorum questus est obsonatum, ut ei per manus hæc inceptare nimis videatur arduum. Post dies aliquot, apparente iterum eadem visione, ab eadem qua prius sanctimoniali secundum effigiem de negligentia corripitur, de contemptu confunditur, « Et quæ, inquit, tot et tanta in medicos expendisti, nec curari meruisti, si nos ex luto efferres, jam sanari meruisses. » Et ubi, inquit illa, vos inveniemus? Sella tua, qua ad ecclesiam gestaris, inquit, nostra irreverenter deprimit busta; arca autem retro posita, nimium est nobis onerosa. Et si causaris quod episcopum aut ejus vicarios non meritis, e vicino Sarabertum saltem presbyterum habes, et alios ad id perficiendum viros fideles. Mane itaque quid super his facto opus esset deliberanti adest quædam ex gynæceo ejus puella, cum eadem visione referens se monitam per hæc eadem signa : ea nunc in villa Guodenghove habitabat. Sigeburgis autem domina ejus, cui hæc demonstrabantur, a cujusque ore jurantis hæc et obtestantis nos ista decerpsimus, adhuc vivit; vivit inquam, et præsenti duce sana et incolumis vescitur : nobilis persona, domus ampla, rem fideliter quærentes scire non sinit latere. Quæ cum omni festinatione mittens presbyteros, qui hæc explerent, accersire; interim ipsa pro obtentu recuperandæ salutis non passa quiescere, fecit se ferri ad ecclesiam, et interim a loco denominato paulatim egerere terram. Et vix semipedem terræ eruerunt, et ecce sanctorum cisternæ in ipsa pene superficie apparebant. Adveniunt et presbyteri quicunque fuerant evocati, et, retectis sanctorum sepulcris, repererunt nomina eorum exprompta in breviculis. Et dum quæque digna translatione adimplent pro posse, ipsa jam dicta matrona, quæ operi insistebat attentius, subito conversa, rivos veneni et putredinis saniem ad sextarii mensuram videt excurrisse sibi ex cruribus. Quæ admirata et de recepta sospitate hilarior reddita, domum pedes rediit, convivium hospitibus et domesticis opulenter apparavit, ipsa interedit, nec edulium aliquod fastidiens, nec vini potionem vel alterius sorbitionis jam abhorrens. Fert autem fama multorum et ante nos et inpræsentiarum, hanc beatam, dum sanctimonialibus Belisiæ positis præfecta suavissimos supernæ contemplationis carperet fructus, sacratissimam virginem præcla-

(534) *Euraclus*, in ms. Gandensi, apud Surium *Eurapus*, in ms. Rub. Val. *Everardus*, Anselmus in Gestis pontificum Leodiensium apud Chapeavillum cap. 47 de eo agit et *Eraclium* vocat, sive ut alia mss. habent, *Everacum et Euraclum*. Sedit ab anno 959 ad an. 970. Dicitur in Officio ecclesiastico Gandensium *Landoaldi Vitam et translationem justo libro descripsisse*, quod alibi non legimus.

(535) *Belisia*, aliis *Bilsena*, oppidum a Wintershovio 5 millibus passuum dissitum, habet amplissimum virginum canonicarum monasterium.

ræque nobilitatis (536) Amelbergam sanctis instituisse moribus studiisque. Facta est vero hæc translatio tertio Nonas Martii (537).

CAPUT III.

Miracula Wintershovii patrata.

13. (538) Illud quoque in memorabili sanctorum clarificatione miraculum minime reinur silendum, quod perinde stupenda sui novitate constat magnificum. Præfato quippe Lantsoni cum basilica vel fundus sacratissimæ quietis prædictorum sanctorum post nonnullos sorte successisset, bene sibi conscius, determinato rationis tenore (nam in eum constitutio chirographi finem statuerat possidendi) successuram sibi stirpis suæ progeniem prælibato fore privandam prædio, consulte sibi prospicere deliberavit, eo animo ut, rurali privatus fundo, sanctorum saltem pignorum non fraudaretur solatio. Expetens enim ejusdem diœceseos magnificentiam pontificis, tantæ illi suæ devotionis intimavit arcanum. Cujus illico benedictione insignitus et auctoritate roboratus, pretiosarum gazarum adiit repositorium, deligens ex sacris corporibus quas æstimavit portiunculas. Ecce autem in ipso præcipuo paschalis festo gaudii, submissis bajulorum cervicibus, impendiosum invadunt laborem itineris, et ad fores usque ædis sacratæ properantes perveniunt. Verum, mirabile dictu! neutiquam vel ipsas transgredi prævalentes, repentinis inopinate defixi passibus hæsere : omni tamen annisu multa diu frustra moliti, tandem divina potentia se intelligunt arceri, sicque inviti, pudoris sui cessere difficultati. Porro illustris Lantso a proposito nequaquam destituitur. Verum diem ipsam noctemque contiguam eleemosynarum largitionibus crebrisque precum continuans obsecrationibus, sequenti rursus die frustratur, ut prius : imo perendinatis totius hebdomadæ diebus quotidie eosdem conatus consimilis sequitur liminaris obstaculi repulsus. Hac ergo, quia minus successerat, octava itidem lucis aurora, alia non cunctatus aggreditur via. Licet enim tot antea fusis nequaquam profecisset orationibus, tunc omni virtutis conamine præcordialia accumulans vota, plurimaque spondens obsequia, delegavit ad ipsam quietis eorum basilicam, nonam frugum suarum portionem, quia decimam alterius constaret esse Ecclesiæ. Ei vero loco, cui devotionis suæ inferre satagebat fructum, non modicam, cum aliis xeniorum impensis, hæreditatis suæ largitus est possessionem. Sicque tandem, sanctorum obtentu, benignum misericordis Dei meruit respectum, votique compos ac spe potitus optabili, vilipendit pristinæ difficultatis dispendia, magnifica Domini miseratione adeptus desiderii sui lucra.

14. Subenmenha nomen est fundi, unde quidam, A Manimius nomine, contractus omni nervorum virtute, nec manuum gratia cibi sumendi poterat ad os ducere, nec nisi alio subvehente ad necessaria saltem naturæ procedere. Is carpento quidem ad sanctorum patrocinia est provectus : sed eis salutem plenissimam impartientibus, domum rediit pedes et sanus. In villa Lewa (539), Huberto cuidam primario ab Leodiensi episcopo beneficiato, erat mulier, Geyla vocabulo, sed legionario plena dæmonio, quod deinde patuit : nam ducta a cognatis per diversa virorum Dei cœnobia, scilicet SS. Gervasii, Lamberti, Trudonis, Gertrudis, cum nusquam posset curari, præsentatur jam desperata eo loci; quia sanctos noviter mirificandos spectabat de hoste plenior laus triumphi. Quæ in cupa fonte benedicto B redundante deposita, mox nomen B. Landoaldi terribiliter cœpit inclamare, et magnum ab ore muscarum examen emittere : quæ mediante hebdomada paschali, meruit emundari.

15. Mulier alia, S. Bavonis ancilla, Andresburgi eatenus commorata, pro neglecto per annos censu, oculorum visu est mulctata. Quarto jam anno cæcitati succumbens, de cætero emendationem pollicens, candelam sanctorum luminaribus attulit, censum neglectum retuiit, illuminata illico sana recessit. Zubleva dicitur et alia villa : illic quædam mulier sex annorum curriculo patiebatur hydropis morbum. Videt in visu nocturno se illuc adduci cum oblatione, et recepta regredi sospitate. Quod evigilans C continuo explevit, in plaustro illo se deduci mandavit : et postquam sanitatem recuperavit, a domino suo Hildrado tradita sanctorum juri, deinde recessit.

16. Quidam, Hildico nomine, omni dissipatus actione, silvam ecclesiasticam sæpius exstirpans, increpatus tandem quadam die per nomen sanctorum ut saltem desisteret, cum monitores insuper suos cum sanctis, verbis vilibus annullaret; progressus sequenti die, ut itidem faceret, fagum cum securi illico superbus conscendit, et continuo, inverso cadens collo, guttur liquidum, quod blasphemiam spiraverat, elisit, sicque pessimam vitam digna morte finivit. Presbyter Sarabertus equum, furtim nocte quadam latronibus subripientibus, perdiderat; D mane comperto ad notum præsidium cucurrit, candelam facere maturat : quam ut sanctis attulit, et precum suarum vota deprompsit, reversum equum foribus astantem reperit.

17. Sic ergo copiosa, quæ per eorum merita Dominus dignatus est operari, miracula nos segnis tenacitate silentii perhorrescentes succingere, res quidem memorabiles, tamen paulo diffusa prolixitate signavimus. Præsenti vero tempore nihilominus apud nos gesta suppetunt adhuc perplura, quæ nos

(536) Colitur S. Amelberga 10 Julii.

(537) Inserebatur hic Vita S. Landradæ, in ms. Gandensi.

(538) Totum hoc caput deest in ms. Rubeæ Vallis, ut et sequentes libri II.

(539) *Lewa* seu *Lewwa* oppidum Brabantiæ in confiniis agri Leodiensis, 4 millibus passuum a Trudonopoli distat. Apud Surium legitur *Leua*.

stra itidem mandantes roboranda auctoritate, petistis huic quam breviter inseri schedæ. Nos autem respirationi legentium vel auditorum consulentes affectui, neve magni Domini magnifica in angustum cogantur beneficia, dilatis sequentibus, sermonem A istum isto claudendum fine judicavimus, ut, viribus interim per silentium recreatis, quæ restant, quoniam proprio indigere volumine pernoscuntur, alio rursus initio commodius et insignius prætitulentur.

LIBER SECUNDUS.

Translatio reliquiarum Gandavum

1. Relaturi mira Domini cunctipotentis opera, B quibus dilectum sui nominis confessorem B. Landoaldum sociosque ejus nostris in temporibus mirifice dignatus est propalare, dignum remur nec superfluum memorabilem translationis eorumdem sanctorum præmittere jucunditatem, per quam et ipsorum signorum enituerunt nonnulla, et locus vester vel regio dignationis eorum meruit feliciter insigniri præsentia. Igitur emenso dierum curriculo, cum inexplicabilis ævi mortalis ita exigeret determinatio, præfatus illustris Lantso, determinatus videlicet præmemorati possessor fundi, cunctis viventibus commune debitum solvit, prolisque suæ successionem ejusdem possessionis hæreditate destituit. Imperialis autem serenitatis moderante clementia (quæ, laudabili devotionis voto, suapte natura benevolum C induxit animum, servorum Dei vilitatibus impendio prospicere), eadem possessio, absque refragationis obstaculo, vestræ potestatis relegata cessit ditioni, prælatorum scilicet sanctorum præelecti Christi militis egregii confessoris Bavonis.

2. Igitur quia sapiens semper agit sapienter, vestro restitutam juri sagaci perlustrantes industria, altiori intellexistis consilio, honorabile depositum ejus ipsam præponderare omnimodo, nec tam pretiosi thesauri thecam eo loci tantillo occulendam modio. Super qua re trutinata inter vos diu mutuæ collationis deliberatione, astipulante præterea archipræsulum et antistitum prudentiumque virorum convenientia, ad vestri, præpollentioris videlicet, eminentiam loci sanctorum cinerum transferri decrevistis pignora. Sed inter iter agendum, dum videlicet sanctæ devotionis tandem celebraretur exsecutio, sanctorumque pretiosissimæ per non modicam itineris intercapedinem transferrentur reliquiæ, contigit, ut par erat, plurimos finitimorum tam felicis opinionis occupari rumore.

3. Inter nonnullos itaque auditorum comperit hæc languida quædam, quæ ægritudinis depressa pondere, lectuli detinebatur strato, ut non diebus jam numerosis ab eo, nisi bajulata, exsurgeret. Sed cum hac optabili auditi rumoris jucunditate in spem bonam pariter erigitur, de destitutæ salutis recuperatione per sanctorum opitulationem fiducialiter certioratur. Unde non cunctata, per unanimem sibi collateralem, apparatum candelæ munusculum sanctorum meritis et præsentiæ precatur celeriter exhiberi. Assensit ille fideliter, sanctumque fidei aggrediens officium implere maturavit. Ecce autem, dictu mirabile! repentinum sanctorum suffragium derelicta conjux experitur infirma. E vestigio namque dirigit, qui præmissum a sanctorum accessu removerent maritum, utpote ipsa mox secutura, sanctorumque præsentiam expetitura, et per semet quæ mittebat oblatura. Sed inhibente loci vel temporis angustia, ne sanctorum moraretur profectio, lator munusculi sanctorum se misericordiæ præsentialiter submissus intulit, coramque ipsis omnium qui aderant notitiæ in uxore exhibita pietatis eorum opera, ad laudem et gloriam cunctipotentis Domini, protestatus et professus est.

4. Præterea quoniam profectionis conducebat competentia, locata navis cum mercenariis jucundæ sanctorum devectioni instituitur famulari. Ecce autem unus remis applicitorum, cui quoddam acciderat haud longe infortunium, rei familiaris dispendio stimulatus, susceptoque labore obsaturatus, ante destinatum itineris expensum, tam sanctorum infelix sese subripere præsumpsit officio. Sed quia non contemnenda, nec utilitati privatæ substituenda sanctorum feretra fuerint, absque moroso persensit interstitio. Ultroneus namque et inexorabilis electorum Dei avulsus ministerio, non modo deliberatæ non profuit utilitati, imo dignam non sponte passus est redargutionem. Discedens itaque non spatiosa peragrat itinera, neque desiderata expetit spatia: verum mentis alienatus integritate, pristino quoque membrorum frustratus vigore, vix proximæ sibique citius oblatæ viciniæ sepem cum gressibus offendens commigrat, ibique stupidus dejicitur. Quin etiam superantem nihilominus instantis diei particulam, totumque sequentis noctis excursum debitæ impendens ultioni, hærebat attonitus. Attritus ergo aliquandiu tanto correptionis verbere, tandemque pio sanctorum quos vilipenderat obtentu, benigno miserentis Dei visitatus respectu, ipse reatus sui medullitus intelligit offensam. Mox igitur ut fenestratum mentis penetrale sera licet transegit pœnitentia, consopito pariter corpori desides reviguere vires: posthabitisque pristinæ intentionis mordacibus curis, solo vero sanctorum, pridem neglecto, nunc inhianter flagrans obsequio, emensa retrorsum festinis passibus remetitur itinera, ut tandem lætabundus eorum sese inferret præsentiæ. Cnius nimi-

rum recentis castigatio verberis, veræque conversio pœnitudinis, velocia [vestigia] reddiderant : nec requievit donec, voti compos optabilis, gloriosa sanctorum præsentialiter consequeretur merita, coramque ipsis et multorum frequentia expertam in se protestatus est castigationem et clementiam.

5. Ipso autem die, id est octavo Kalendas Aprilis, quo in monasterium præfatum cum reliquiis eisdem est intratum, mulier quædam, (540) Lenekin nomine, prævenit, lumen diu amissum recepit Idibus Aprilis, (541) feria tertia scilicet hebdomadæ paschalis. Puella quædam cæca de villa (542) Ostholta advenit, nomine Teudsmudis, vespertinam synaxim fratribus celebrantibus sustinens, rediit clare videns, nec viæ ducem ulterius quærens.

6. In ipsa villa fuit et altera, intra annos infantiæ ita debilitata ut ante annum nec pedibus incedere nec saltem a lecto quiverit surgere. Hanc mater, supradictis virtutibus excita, primo mane inter brachia sub divo sustulit, pro ejus recuperatione votum sanctis fecit, scilicet illo se cum sobole venturam, oblationem pariter devotam secum delaturam. Quod ut explevit, puella paulatim subrigens sese in pedes, stetit, convaluit, ambulare cœpit, et abiit. Ibidem exstitit et alia, Lewich vocitata, itidem omni corporis virtute invalida, ea cum jam pene desperasset de vita, audita signorum, quæ illic fiebant, fama, cereum sanctorum luminariis devovit. Mox ut illuc destinavit, valentia totius corporis statim reintegrari meruit. (543) Wechtre nomen villæ est ; Riberta erat illic mulier nuncupata, variis passionibus detenta et pene omni membrorum officio destituta : ad horum memoriam devota accessit, aliquantis diebus demorari instituit, sanitatem consecuta recessit.

7. Mulier præterea quædam XIII Kalend. Maii pro filio rogatura venit. Huic filius domi relictus erat, nomine Adelgerus, non solum lumine oculorum destitutus, sed et capitis et corporis rheumatis motu gibbosus totus. Mater pro ejus recuperatione oravit, votum fecit ; timore filii, quem desperatum reliquit, citius rediit : ut domum remeavit, filium videntem reperit, et certa incolumitate gaudentem læta recepit. Post hæc, sub die septimo decimo Kalend. Junii, advenit ancilla, Egerin vocata, albedinem vel lippitudinem in oculis per annos multos perpessa : quæ, sanctorum meritis sospitatem indepta, sine ductore gaudens et exsultans remeavit ad propria.

8. Deinceps quinto Kalend. Junii mulier de villa Rothen, paupercula, Adalmudis vocitata, dum ex infirmitate nimia facta fuisset cæca, audita sanctorum fama, ad eorum desiderabat pervenire patrocinia : sed dum inflatis cruribus vix reperet, et a suis præ paupertate illo deduci (544) neglecta esset, et hac desperatione nimis tabesceret, nocte superveniente se sopori indulsit, SS. Landoaldum et Vincianam habitu splendidissimo incensis cereis astantes sibi cognovit ; evigilans, reintegrationem totius corporis adesse sibi persensit, dolorem totius infirmitatis recessisse didicit : in crastinum de illuminatione jam certa, de reliqua sanitate non dubia, per se cum aliis admiratoribus multis sanctorum limina tentavit invisere, gratiarum actiones pro posse non cessavit impendere. In crastinum, id est, quarto Kalend. Junii, quædam femina Frethunara, et ipsa cæca, sanctorum limina orationis gratia, causa salutis expetendæ, adibat : sed in ipsa via necdum illuc pervenerat, et ecce pristina sanitate recepta, incedens gaudebat.

9. Sequenti demum die sancto Pentecostes, quod est (545) secundo Kalend. Junii, quidam Theodoricus, nervis totius corporis per annos multos contractus, multis veridicis testibus coram astantibus, omnino sospitatem est adeptus. Deinde tertio Nonas Julii, feria quinta ejusdem hebdomadæ, mulier cæca ex pago (546) Brachbantensi, sanctos cum auxiliatum invocasset, et luminare deferendum eis pro posse parasset, non mora exstitit, et lumen oculorum recepit. De eodem pago exstitit et altera mulier, quæ nimio renum affecta dolore, per unius ferme anni spatium ad nullius, ut ipsa fatebatur, officii commoditatem valuit exsurgere. Hæc ubi sanctorum pignora delata didicit, et per ea illic mira operari cognovit, candelam pro readipiscenda salute devovit ; ut sui in tanto dolore misererentur, oravit : continuo sospitati pristinæ reddita, candelam sanctis devote offerens, cinctorium simul protulit, pro indepta incolumitate gratias Deo per sanctorum merita immensas retulit.

(540) Ms. Gandense *Levekin*.

(541) Dicto anno 980, quo cyclo lunæ 12, solis 4 litteris Dominicalibus D C, Pascha fuit celebratum 11 Aprilis.

(542) Surius *Schult*.

(543) Idem *Wentiæ*.

(544) Hic finit ms. Gandense, sequentibus tribus foliis chartæ puræ, substitutis, ut par est credere, in locum foliorum elaceratorum.

(545) Mendum irrepserat, et III Kalend. pro II erat positum, cum tunc littera Dominicalis esset C, et patet ex sequentibus, ubi feria V cum III Nonas Junii conjungitur, et novo mendo *Julii* erat excusum ; cum scriptura esset finita XIII Kal. Julii.

(546) Indicatur vicimus ager Alostanus, ubi tunc erat regio Brachbantensis.

MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS

(Apud MABILL. *Acta SS. ordinis S. Bened.*, tom. IV, pag. 557.)

Fragmenta quædam referam ex Herigero, abbate Lobiensi, qui libros duos De vita S. Ursmari abbatis metro edidit sub initium sæculi XI, idemque res gestas S. Landelini Lobiensis monasterii conditoris, etiam versibus reddidit. Utramque hanc Herigeri lucubrationem ex bibliotheca percelebris monasterii S. Vitoni apud Verodunum accepi beneficio religiosi ac eruditi viri Bartholomæi Senoci, theologiæ lectoris, amici mei, qui, seriis licet studiis occupatus, operi nostro suppetias ferre non cessat. In ms. codice ad me transmisso legitur hæc inscriptio : IN CHRISTI NOMINE INCIPIT VITA S. URSMARI CONFESSORIS ATQUE PONTIFICIS, VENERABILIS HERIERI (legendum HERIGERI) ABBATIS INDUSTRIA METRO HEXAMETRO HONORIFICE COMPOSITA, nimirum duobus libris, uno de virtutibus, alio de miraculis S. Ursmari. Primi libri hoc exordium est :

Primo supremum mira vertigine cœlum
Afflans cuncta Dei fecit sapientia summi.

Post secundum librum in eodem exemplari continenter subjicitur eodem metri genere VITA S. LANDELINI cum hoc initio :

Ingenitus Genitor per Verbum cuncticreator,
Et Genitus regnans nutu fabricata gubernans.

Quæ Vita, tametsi auctoris nomen non præfert, Herigeri tamen esse persuasum habeo tum ex simili metri specie, tum ex eadem quam utrobique affert auctor etymologiam *Crispiniensis* monasterii a *crispantibus* (ut putat) *aquis* fontis, a sancto in eo loco eliciti. Certe Herigerum Vitam S. Ursmari metro edidisse, aliaque multa scripsisse constat ex continuatione Chronici Lobiensis, quod exstat in tomo VI Spicilegii. Cur vero utramque hanc Herigeri lucubrationem non retulerim integram, illud in causa fuit quod præter excursus quosdam morales ingratos nihil habet diversum ab Actis sive S. Landelini, quæ in secundo ; sive S. Ursmari, quæ in hoc tertio Sæculo exhibuimus, exceptis quibusdam versibus quos hic damus.

VITA SANCTI URSMARI ABBATIS

(Fragm. ex libro I.)

(Apud MABILL. *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. III, part. 1, pag. 608.)

Sed nunc ex reliquis Christi taceatur alumnis,
Lumina qui vitæ mundo præclara fuere,
Doctrinaque sua replerunt undique cuncta.
Celsa, tibi geminæ mittuntur, Roma, columnæ,
Petrus cum Paulo, quorum fundata triumpho
Primatus arcem quadrum prætendis in orbem.
A quibus insignes illorum nempe sequaces
Sumpsimus auctores, illinc nobis venientes.
Clara Dionysio tunc Gallia Parisiensi
Credula divini suscepit femina verbi.
Et Clemens Mediomatricum missus ad urbem,
Elocet in solum vicinos credere Christum.
Treveribus terni mittuntur corde fideli
Trinum personis Dominum, deitate sed unum
Credere qui doceant populum lavacro renovandum :
Scilicet Eucharius, Martinus, Valeriusque.
Credit Agrippinus, fidei fit Tunger alumnus.
Propugnant fortes Christi virtute duelles
Nitentem toto laqueos prætendere mundo,
Decipiturque sua perfossus guttura præda,
Occumbente fide pro sacra martyre teste,
Confessore pio mortis gaudente triumpho,
Nec trepidante necem si provenisset atrocem.
Silvester, Martinus, Hilarius, Ambrosiusque,
Bricius atque Lupus, Sulpicius ac Anianus,
A Germanus Parisiacus, Germanus et alter,
Istam per normam quoniam meruere coronam,
Fert Gothus, Ausonius, Gallus, Scytha, Noricus, [Indus,
Hebræus, Græcus, Romanus, Barbarus omnis.
Talibus Ecclesiæ fautoribus undique firme
Obstant imbriferis vento quatiente procellis,
Desuper et petram nequeunt trepidare ruinam.
Tempore promeritæ sedarunt cœlitus iræ
Quidam terrores, plebis mala gesta plantes.
Servatius servando fidem servat pereuntem
Orando populum, Trajectum forte reservans.
Remica Remigium celebrat plebs sacra sacratum,
Francia baptismo per quem recreatur in almo.
Digna conspicuum veneraris laude Vedastum,
B Attrabata, tuas dignum relevare ruinas.
Audomare salum Morinum frenare suetus,
Nec tibi Neptuni mandans concessa tridenti,
His cum Bertino quos turbat pontus adesto.
Insignem meritis Autbertum Cameracensis
Infula commendat, qui perlustrare solebat,
Si sua condignum ferret parrochia fructum.
Morosum cleptem converterat ille ferocem :
Cujus ut hic vitam memorem quantisper et ortum
Præclue Francorum celsaque propagine natum

Haginoense solum fert hunc et rumor adultum :
Exceptumque sacro baptismo præsule ab ipso,
Instructumque piis cura mandante parentum
Litterulis et lege sacra. Proinde furente
Ætate ut libuit juvenili, fertur in antro
Præcipiti totus, cunctum cordis cogitatum
Adnisus sub perditionis ferre barathrum,
Grassari solitus spoliis prædaque viantum.
Laubacus grandem quo derivatur in amnem
Sambram permodicus nomen tibi, Lobia, rivus,
Figens, perpetuum Morosi moribus aptum
Infundis, vel forte suo de nomine dictis
Maurifalisia, Morinciis, Landcleasque.
Fertur enim quia post baptisma binomius esset
Et post hæc Landelini cognomen haberet.
Dum spirante Dei tandem bonitate superni,
Respectuque pio cordis compunctus in imo,
Festinat Cameracensem devotus ad urbem,
Pontifici patrique pio commissa fatendo
Procidit, et genua amplectens genibusque volutans.
Quem mox Romuleam contendere jussit ad urbem,
Gaudens excelsa mutatum sic fore dextra,
Indicens agapem simul et jejunia crebra.
Arci Martinus Romanæ papa beatus
Præsse videbatur sancte, pariterque prodesse.
Huic sua Morosus deplorans crimina prorsus,
Licet a noxa meruit laxarier omni,
Accipit et veniam simplex confessio gratam.
Indeptus votum, natale reversus ad arvum,
A dicto jam præsule eo donatur honore,
Quem valeat quis græcizans a sorte vocare.
Romana posthæc repedabat ab urbe secundo
Sumit et inde gradum sub eodem presbyteratus.
Tunc et Laubaci repetit deserta locelli,
Serviat ut Christo, fuerat quo pessime prædo.
Lobia prædonis tunc cellula fit famulantis.
Christo tuncque loci consurgunt culmina nostri
Pulchro structore, fuerant quæ fœda latrone :
Prædandique locus flendi transfertur in usus.
Crimine prolapsum sed reddit justificatum
Gratia summa Dei, donans peccata fatenti :
Convertuntur ibi famulantia Cunctiereanti
Agmina multorum, ditantia forte locellum.
Præfuit his igitur Pater ipse et profuit, augens
Tum fundos, numerum tum multiplicavit eorum.
Cui successores adjutoresque fuere,
Quorum nominibus fortuna fuit caruisse.
Ipse sub hæc alias commigrans, Crispiniensem
Forte, sui de fontis aqua crispante vocatam,
Condidit ecclesiam, divina oracula honorans,
Et cedens Laubaca tuis o plantula ramis.
Sic etiam Paulus fuerat jam cedere jussus,
Postposuitque Phryges : spectatur quippe Johannes.
Tunc fratres gemini, Dagoberto rege creati,

A Francorum gentem simili nec sorte duellem
Secernunt sceptris ; Chlodoveus Belgica segnis
Regni sceptra tenens, sed nil laudabile linquens,
Tres itidem segnes proprio de semine fratres
Liquit Hlotharium, Hildricum, et Teodericum.
Alter at in sceptris Austrum Sigibertus agebat,
Suffretius nomen dederat, cui Mettius urbe.
Qui quia privatum doluit se germine prolum,
Ad stirpem sobolum non unquam deficientum
Hinc illinc duodena viris cœnobia sanctis
Struxit, apostolica valeant ubi vivere norma,
Munificaque manu ditavit divite censu.
Tunc et Pippinum nobis ea tempora primum
Mittunt illustrem, rebus vel honore potentem :
Cui generat binas conjunx Itaberga sorores ;
B Beggam, Gertrudem, Grimoaldum : quem aula prio-
[rem
Regia dignata est, quique auctor erat Stabulensis,
Sancte Remacle, monasterii tecum ædificandi.
Cujus adoptando majestas regia prolem
Fecerat esse suam : sed post hæc natus et ipsi
Qui succedat ei, donatur munere Christi.
Quem pater ut regnet, fidei mandat Grimoaldi.
Ille suum potius voluit succedere natum.
Accipit hoc gravius condemnans rex Chlodoveus,
Hildricumque suum regem facit Austrasiorum.
Verum Gertrudis sacrata virginitate
Floruit et signis : sed Beggam sorte jugalem
Ansigisus habet, Arnulfi filius almi,
Regius ex atavis quem compsit germine sanguis.
C Alter Pippinus horum est de sanguine natus,
Cui proprium dat nomen avus : sed et omnia prorsus
Quæ sibi sunt, sed et esse queunt, huic prædia ce-
[dunt.
Qui patris mortem dirum mutatus in hostem,
Atque Theoderico minitandi bella subacto,
Ipse potestatem nanciscens sceptrigeralem
Nectit sceptra suis etiam confinia sceptris.
Cujus largifluis permaxima Lobia donis
Augmentata, statum sumpsit per sæcula summum ;
Ursmarumque sacrum meritis super omnia dignum
Mandat evangelicæ spargentem semina vitæ,
Laubacumque gregem pascendum tradit eidem.
De cujus vita meritorum laude beata
D Pauca locuturis adsit pia Cunctipotentis
Gratia, pontificem faciat quæ laude celebrem,
Plurima perspicuum quem reddunt gesta bonorum.
Ursmarus sanctus meritis et honore coruscus,
Nobilitate cluens, morum probitate nitescens,
Commendant almæ gestis præconia vitæ
Quod natale tuo proprium, o Teoracia, pago
Sumpserit, et villa, quam fama *Flcon* vocitavit,
Cujus vicinas perlambit Samber arenas.

HERIGERI
ABBATIS LOBIENSIS
EPISTOLA
AD QUEMDAM HUGONEM MONACHUM (547)

Respondet quæstionibus sibi ab eo propositis de diversitate quæ Dionysium inter et Bedam occurrit, aliasque ipse illi vicissim proponit enodandas difficultates.

(Apud D. MARTENE, *Thesaurus Anecdot.* I, 112, ex ms. cod. Lobiensi tempore auctoris scripto.)

Frater Hugo, si interrogeris cui potius credere debeas, quandoquidem dissentiunt, Evangelio an Dionysio, responsurum te non diffido quia potius Evangelio. Sed Evangelio in veritate constante, Dionysius invenitur multum dissentire. Habet enim veritas Evangelii quia anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris baptizatus sit Christus, incipiens quasi annorum triginta. Secundum vero chronica Eusebii, vel etiam Hieronymi, qui nisi probasset, non ita transtulisset, anno XVIII Tiberii venit ad passionem, qui potuit esse annus XXXIII incarnationis ejus. Iterum habet veritas Evangelii XIV luna, id est feria V, celebrasse eum pascha legale, nec illud vel anticipasse, vel distulisse; feria autem VI, id est luna XV, crucem ascendisse; Sabbato, id est luna XVI, in sepulcro quievisse; Dominica vero, id est luna XVII, resurrexisse. Ergo aperto circulo Dionysii, si ita inveneris, anno XXXII incarnationis ejus, vel XXXIII, vel XXXIIII, qui sunt post circulum magnæ reversionis DLXIIII, vel DLXV, vel DLXVI, age Deo gratias, sicut Beda præcipit, quod tamen ironice dixit. Ideo autem tres numeros annorum posui, quia alii putaverunt eum anno XXXII, alii XXXIII, fuisse passum, alii autem XXXIIII: quibus Beda magis assentire videtur. Secundum autem veritatem Evangelii, vel revelationem Joannis, vel prophetiam Danielis, tribus semis annis prædicavit, et alii prædicationis ejus annorum primum putaverunt, nativitatis ejus esse XXX, ut statim post baptismum et jejunium cœperit prædicandi exordium. Scimus autem Joannem evangelistam, post reditum de exsilio, non solum propter hæreses quæ se absente emerserant confutandas, verum etiam quia cæteros evangelistas legeret multa de miraculis Christi, pauca vero de divinitate dixisse, quædam vero insigniora prætermisisse, utpote de nuptiis in Cana Galileæ, de Nicodemo, de cæco nato, de languido ad piscinam, de muliere ad puteum, de Lazaro suscitato, de pedum lavatione, et alia multa. Ipsa vero quæ dixerant confuse et inordinate, id est priora posterius, posteriora prius posuisse. Igitur aggressus est numerum annorum prædicationis Christi per dies festos paschæ distinguere, et quampulchre ab ipsis diebus voluit exordium sumere, *Miserunt Judæi ab Jerosolymis* (*Joan.* I, 19); altera die, *Vidit Joannes Jesum venientem ad se* (*ibid.* 29); altera die, *Stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo* (*ibid.* 35); die tertio, *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ* (*Joan.* II). Igitur primo anno prædicationis suæ, cum esset Jerosolymis in Pascha, ejecit vendentes et ementes de templo; secundo anno in die festo Paschæ sanavit languidum ad piscinam; tertio anno, post miraculum de quinque panibus factum, erat proximum Pascha, dies festus Judæorum; quarto anno venit ante sex dies Paschæ Bethaniam, ubi Lazarum suscitavit, quando et passus est. Nam si anno XVIII Tiberii passus est, qui forte fuit dimidius super tres prædicationis suæ annos, ergo primus prædicationis ille fuit, qui decimus quintus Tiberii exstitit, quo et baptizatus est. Sed forte, secundum supputationem Bedæ, initium decimi noni Tiberii Cæsaris anni potuit esse quartus prædicationis, qui fuit et passionis, id est XXXIIII incarnationis, præcedentibus III annis, id est XXXI, XXXII, XXXIII. Sive ergo XXXIII, sive XXXIIII secundum cyclum Dionysii, ab incarnatione sua passus sit anno, nullo modo consentit evangelicæ veritatis relatio; nam anno XXXIIII luna in Pascha, non XVII, ut dictum est, sed provenit XXI, nec XIIII luna in feria V, sed provenit in die Dominica. Passio vero non VI feria, nec in X Kalendarum Aprilium, secundum Græcos; nec in VIII Kalendas, secundum Latinos; sed nec resurrectio in VIII Kalendarum Aprilium, secundum Græcos, nec in VI Kalendas, secundum Latinos, ullo modo proventura est. Jam vero quam inconsentaneum sit in XXXIII ab incarnatione sua passum esse, vel resurrexisse, palam liquebit, cum hæc omnia potius occurrant in Aprili quam in Martio. Evangelio autem præscribente, scimus quia in æquinoctio autumnali prænuntiatus sit Joannes Baptista;

(547) Hujus epistolæ meminit Sigebertus in libro De scriptoribus ecclesiasticis, ubi Herigeri scripta recensens, ita habet: *Scripsit ad Hugonem epistolam de quibusdam quæstionibus.*

in mense autem sexto, id est Martio, post dimidium annum, eisdem Kalendis, annuntiatus est Christus, quo conceptus est et passus, secundum illud : *Non coques agnum in lacte matris suæ* (*Exod.* XXIII, 19); id est, non eo die Christum interficias, quo conceptus est, quod, licet vetuerit, præsciebat tamen Judæos non obaudituros; sicut et Adæ lignum scientiæ boni et mali vetuit, quod tamen eum non observaturum præscivit, propter quod dicit Psalmista : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI, 2). O quam periculosum est vel a Deo, vel ab aliquo sancto viro talia prænonendo audire, cui quia Spiritus inest prophetiæ, raro contingit quæ prohibet non evenire ! Languido enim ad piscinam sanato tristis prænonuit : *Vade jam, et noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* V, 14). Deterius quippe ei contigit, quando in passione Christo alapam dedit. Igitur his in veritate constantibus, liquet Christum uno eodemque die et conceptum et passum. De Kalendario autem, vel annis Dominicæ incarnationis, propter inscitiam temporum, magna est consultatio chronographorum. Qui enim scire potuit abbas Dionysius a suo tempore retro computans annos imperatorum usque ad quadragesimum secundum Augusti Cæsaris annum, qui fuit annus primus nativitatis Christi, secundum chronica Eusebii? Quomodo, inquam, indubitate scire potuit qui integris annis regnaverint, qui aliquot menses vel dies superhabuerint, quanta interregna fuerint, id est, uno defuncto et altero substituto, quantum temporis intercesserit? Sed Græcis, auctore Nicæno concilio et beato Cyrillo Alexandrino episcopo, magis assentiendum, qui et finitimi Orientalibus et vicini apostolicorum virorum fuere temporibus. Omnis enim antiquitas, ut ait orator maximus, quo propius aberat abortu et divina progenie, eo melius quæ erant vera cernebat. Hi itaque VIII annos ab Incarnatione Domini minus quam circulus Dionysii supputant; ergo, secundum illos, primus ab Incarnatione Domini annus is est qui est in circulo Dionysii nonus. Is autem est XXXIIII, qui est in circulo Dionysii XLII, habens VII concurrentes, XIIII epactam, terminum in XI Kalend. Aprilis, feria scilicet V, quando et Cœna facta est, et vespere Pascha celebrari cœpta est, sicut dicit Dominus; die XIIII ad vesperum Pascha Domini est, et in XV sub luna solemnitatem celebrabitis, quando et passus est, id est X Kalendas Aprilis, et Sabbatum quando requievit in sepulcro, luna XVI, IX Kalendas Aprilis, et Dominicum diem Resurrectionis VIII Kalendas Aprilis, luna XVII. Præclare : nam in quæstionibus Ptolomæi regis cum LXX Interpretibus de libro Exodi agitatis, deprehensum est æquinoctia et solstitia in XII Kalendarum, potius quam in octavis, etiam ratione horologica esse adnotandum. Constantino quippe Augusto XVIII imperii sui anno baptizato, scandalum ortum est per Ecclesias Orientales noviter ædificatas, aut renovatas, non solum de simultatibus inter Alexandrum Alexandrinum episcopum, et Arium presbyterum suum, sed etiam de Pascha celebrando, quod prius ab Orientalibus agebatur quam ab ipsis Judæis. Judæi enim, annos lunares sequentes, in quibusdam embolismis uno mense antequam nos, et hoc ante æquinoctium celebrant; sed hic error ex libro Bedæ De temporibus facile decutitur. Orientales vero, qui successores apostolorum jactabant se consectari, sed concordiam solarium et lunarium annorum non usquequaque perscrutati, utroque claudicabant pede. Quapropter rogatu Sylvestri papæ missus est ab imperatore Osius Cordubensis episcopus, qui utrumque corrigeret, et pacem inter Alexandrinos componeret, sed reversus est sine effectu. Igitur rogatu Sylvestri, et jussu Constantini congregata synodus apud Nicæam, per duos menses celebrata est, ubi error Arii facile deprehensus, cito fuit damnatus. Sed de paschali observatione quæstiones difficiles et pene inextricabiles diu sunt agitatæ. Ad ultimum quæstionibus Ptolomæi regis cum LXX Interpretibus recitatis, XIIII quoque lunis paschalibus secundum Pachomium confirmatis, sancitum est ut quicunque deinceps Pascha cum Judæis, id est ante æquinoctium, celebrasset, anathema esset. Sed in XIIII lunis Pachomii invenitur ante æquinoctium, quod in VIII Kalendas Aprilis putabatur XIIII luna paschalis, V die, id est in XII Kalendas Aprilis; aut III die, id est in XI Kalendas Aprilis, ubi et terminus et aliquoties ipsa solemnitas reperitur; aut III die, id est in X Kalendas Aprilis, ubi solemnitas tantum; aut pridie, id est IX Kalendas Aprilis, ubi utrumque; aut in ipsa VIII Kalendarum die, ubi identidem adnotatur. Itaque, aut anathemati subjacendum, aut sicut in Nicæno concilio sancitum est, Pascha est celebrandum. Conclusum est igitur et Ægyptiaca disciplina, qui peritiores in arte calculandi sunt, utpote apud quos nunquam pluviæ, nunquam nubila fuere, et horologica ratione æquinoctium vernale in XII Kalendarum potius esse. Et quam congruenter, quam apte; feria quippe III dum crearentur sidera, ipso momento, dividentibus sphæram cœlestem sole et luna, et sole quidem Arietem, luna autem obtinente Libram, patuit in XII Kalendarum æquinoctium vernale fuisse. Ergo in XIII Kalendarum, feria III, apparuit arida; in XIIII Kalendarum feria II, factum est firmamentum; in XV Kalendarum, id est feria I, affigitur primus dies sæculi, et ingressio solis in Arietem. His ita in veritate constantibus, feria V, id est XI Kalend. Aprilis creati sunt pisces et aves; feria autem VI, id est X Kalend. Aprilis, factus est homo, et producta est de latere ejus Eva. Et ubi auctoratius, ubi sanctius per crucem Christi redimeretur homo, et de sanguine profluenti e latere Christi baptizaretur Ecclesia, quam in ipso die et eodem Kalendario? Et sicut Deus ab operibus suis requievit in die Sabbato, id est VIII Kal. April., ita et Christus in sepulcro. Successsit Resurrectionis ejus dies Dominica, id est VIII Kalend. April., quæ non solum prima, sed etiam

inscribitur pro octava. Ut autem transcenso æquinoctio, utque in tertia hebdomada, utque Dominica die, sicut angelus per pastorem mandavit Victori papæ Romano, facile est inveniri apud Bedam in libro De temporibus de ipsorum sacramento. Nam Judæi quocunque die post Sabbatum, id est una vel prima Sabbati, quæ modo dicitur dies Dominica, aut secunda Sabbati, aut tertia Sabbati, aut quarta Sabbati, aut quinta Sabbati, luna XIIII occurrisset, eodem die, facto vespere, et XV luna incipiente, habebant Pascha, et quot dies superessent usque ad Sabbatum, protrahebant illud usque ad Sabbatum, et ipsum Pascha aliquoties V diebus, aliquoties III et deinceps, aliquoties uno tantum die vel duobus ante Sabbatum, sicut contigit in passione Domini, quando feria V adveperascente, et luna XV incipiente, ipsam noctem et sequentem diem habebant pro Pascha, sicut dicit evangelista : *Erat pascha, et azyma post biduum* (*Marc.* XIIII, 1). Sabbatum autem subsequens, non solum propter semetipsum, sed et propter solemnitatem paschalem, quasi duplex festum dicebatur Sabbatum Sabbatorum. Quid autem distet inter Pascha et azyma, vel si indifferenter dicatur, sicut apud alium evangelistam ; *Prima autem die azymorum, quando pascha immolari solet* (*Math.* XXVI, 17), vel quot diebus Judæi antequam nos, vel quot nobiscum celebrent Pascha, apud Bedam inventu facile est. Liquet igitur quia prius Orientales quam ipsi Judæi celebrabant. Judæi enim, licet de æquinoctio aliquoties errarent, tamen XIIII lunam sequebantur. Orientales vero, lunaris circuli penitus ignari, æquinoctium autem in VIII Kalendas Aprilis tenentes, sicut et multi nostrorum, utpote Augustinus, Fulgentius, Joannes Chrysostomus, et ipse Plinius, quo etiam die conceptionem Christi et passionem adnotabant, Pascha in VI Kalendas Aprilis celebrandum præfixerant, quocunque die hebdomadis evenisset, sicut et Natale Domini in VIII Kalendas Januarii. Victor vero papa Romanus, ab angelo per pastorem monitus quocunque die hebdomadis ipsa VI Kalendarum Aprilium dies provenisset, in Dominicum diem Pascha differendum statuit. Et de Dominica bene, ut ipse utique quo Dominus resurrexit dies nunquam permutaretur, et ut post æquinoctium semper Pascha celebraretur. Ut vero post XIIII, id est in III hebdomada hujus sæculi omnino adhuc aut ignorabatur, aut ne legebatur, donec in Nicæna synodo et æquinoctium XII Kalend. April. præfixum, et dies paschales, juxta XIIII lunas Pachomii, deinceps sunt observati. Hoc vero certissime sciendum quod si eo tempore æquinoctia et solstitia in XII Kalendarum, sicut modo essent præfixa, nunquam conceptiones et natales beati Joannis et ipsius Christi in VIII Kalendarum, sed potius in XII essent assignatæ. Nam qui ipsa æquinoctia in VIII Kal putaverunt, ipsi easdem festivitates ibidem assignaverunt, propter illud quod dixit Joannes : *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III, 30).

A Sed veritas cum Græcis scienda. Consuetudo autem Ecclesiarum, si non est contra fidem, nullo modo permutanda, nec eis qui in VIII Kalend. putaverunt, omnino abrogandum, cum Græcis vero et Ægyptiis de XII sentiendum. Quod dictum adversus hæresim quæ nuper exorta est valet plurimum, domno Gerberto illam ex Toletano concilio prærogante. Nam cum sint V dies a XII Kalendis usque ad VIII, si dies Dominicus paschæ, aut Sabbatum sanctum, aut Parasceven, aut cœna Domini præpedierint quominus annuntiatio beatæ Mariæ matris celebrari possit in quolibet ex ipsis V diebus, anticipari valebit, et rescriptum nostrum adversus hæc, si petieris, impetrare valebis. Hæc, frater dilectissime, summatim breviterque quia per memetipsum infirmitate interB pellante, et oculorum acie jam caligante, scribere non potui. Minus de leporis urbanitate curavi, sciens eos qui ante nos de artibus scripsere, ut tantum intelligerentur elaborasse, eloquentiam vero omnino neglexisse. Volo autem pro talionis recompensatione vicem reposcere, ut quia multa sunt in Scripturis divinis quæ nostrum videntur intellectum offendere, vobis orantibus, et Scripturarum campos percurrentibus, possint lucidiora esse.

Primo qualiter tantam diversitatem quæ est in homilia Bedæ de Palmarum die valeam discernere. « Agnus, inquit, paschalis, cujus immolatione populus Israel est ab Ægyptia servitute liberatus, ante V dies Paschæ, id est XIIII luna ad vesperum C jussus est immolari. Significans eum qui nos sanguine suo redempturus ante V dies Paschæ, idem hodierna die, magno præcedentium sequentiumque populorum gaudio ac laudatione deductus, venit in templum Domini.

Secundo de epistolis decretalibus Jacobi et Clementis ad alterutrum missis, in quibus ita Clemens ait de beato Petro, sicut jam passo. Igitur Petro vivente manifestum est eum non scripsisse. Et Jacobum VIII annis manifestum est ante passionem Petri decessisse. Post passionem vero beati Petri Linus XII annis et Anacletus totidem, cooperatores Clementis, qui Petro vere successerat, exstitere. Multo minus igitur istorum tempore potuit Jacob rescribere. Post decessum vero ipsorum, cum ClemD mens solus VIII annis Romanæ præsideret Ecclesiæ, multo adhuc minus credendum est potuisse rescribere completo a passione Jacobi XXXII annorum tempore.

Tertio de nostris Treverensibus Euchario, Valerio, Materno, qui dicuntur missi fuisse ab apostolo Petro, et locus quidem in Elisatio pago nomen habens Eligia concordat cum eorum historia; sed a passione beati Petri qui est XIII annus Neronis, qui si forte Eucharium, Valerium et Maternum Treveribus misit, ante aliquot annos passionis suæ hoc fecit, computantur anni CCLXIII usque ad annum XXV Constantini, quando obiit sanctus Sylvester, cujus jussu Arelato facta est synodus, ubi legi ne interfuisse sanctus Maternus Agrippinensis epi co-

pus, cum Maurino archidiacono suo, ubi et adfuit sanctus Agricius Treverensis episcopus.

Quarto, quomodo Decius, qui uno tantum anno vel paulo plus præfuit, et Cornelium papam martyrizavit, Xistum papam cum Laurentio archidiacono suo interficere debuerit, cum Stephanus et Lucius, antecessores Xisti, a successoribus Decii Gallo et Volusiano vel Valeriano et Gallieno martyrizati sint.

Quinto, de Constantino Augusto, quod ab Eusebio Nicomediense baptizatus sit, Ariano dogmate. Dicunt autem hæretici baptismum eum, ut in Jordane baptizaretur, differre voluisse, sed in Nicomedia præventum morte noviter ab Eusebio Ariano baptizatum esse. Verior autem est historiæ Græcorum assertio, ubi habetur ab hæreticis, propter invidiam Christianorum, quod de concubina sit natus, et rebaptizatus, conflictum esse, cum et baptisterium ejus quo a Sylvestro baptizatus est adhuc Romæ appareat, et pragmatica ipsius omnem veritatem contineat.

Sexto, de sancta cruce, quam quidam putant nisi post conversionem Constantini et tempore S. Sylvestri non esse inventam; sed Sylvestro antecessit Melchiades, Melchiadi Eusebius, qui inventionis ejus celebritatem præcipit in decretalibus suis observandam, utpote suo tempore inventam v Nonas Maii.

Septimo, de probroso Arii interitu, quasi tempore Constantii filii Constantini secundum historiam ecclesiasticam exstitit, sub Alexandro episcopo suo esse non potuit. Obitus enim Alexandri obitum præcessit Constantini annis VIII. Athanasius namque, qui Alexandro successit, primum exsilium apud Treverim, jussu Constantini, non Constantii, pertulit, quanno cum Maximino episcopo Treverorum et Servatio Tungrorum et aliis multis Coloniensi synodo interfuit, ubi Ephrata ejusdem civitatis episcopus damnatus fuit (548).

(548) Hac epistola, quam non existimo esse integram, respondet Herigerus quæstionibus sibi ab Hagone factis in epistola cujus fragmentum sequens tantum habeo: *Domno abbati H. frater Hugo. Quod Beda et Dionysius in opusculis suis videntur diverse sentire, quod aliquando quoque plerosque confundit, vestro petimus corrigi examine. Num Beda, qui in capitulo 47, quod inscribitur De annis Dominicæ Incarnationis authentice, imo et evangelice* VIII *Kal. Aprilis,* XV *luna diem.....*

ANNO DOMINI MVIII.

NOTGERUS

LEODIENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia Christiana nova*, tom. III, pag. 845.)

Notgerus, seu *Notkerus*, ut in diplomatis passim legitur, Alemannus ortu, in Suevia nobilibus parentibus natus, primum monasterii S. Galli præpositus, ut in Chronico Saxonico legitur, ubi tantum in litris ac pietate progressum fecit, ut fratribus præponi meruerit, et inde ab Odilone Stabulensi abbate ad suos erudiendos evocatus fuerit, teste Bartholomæo Fiseno; demum Eraclio e vivis sublato suffectus est, et a S. Gereone Coloniensi episcopo consecratus 974. Vir fuit eximiæ pietatis, singularis pro illis temporibus eruditionis, summæ in agendo apientiæ, miræ in pertractandis negotiis sagacitatis, et vix non immensæ erga omnes benevolentiæ simul et munificentiæ.

Primum ejus studium fuit ut plebem ad officium revocaret, ratus illam, nisi coerceretur, rempublicam universam suo veneno brevi infecturam. Statim atque possessionem iniit, iis qui omnem Eraclii domum impudenter perruperant, diem dixit, et, cognita causa, damnatos pœnas luere jussit. Caprimontanam arcem infra secundum ab urbe lapidem sitam, accessu arduam, murorum ac turrium firmitate munitam, hactenus inexpugnatam, imo et inexpugnabilem visam, Leodico immanissimum, latrunculorum et pagityrannorum speluncam, improbanda nec temeraria fraude cepit, ac totam everit tanto suorum ardore ut prisinæ munitionis nullum omnino vestigium permanserit. Crevere ista ruina Leodicum et Aquisgranum, eversa quippe Dei Genitricis basilica, presbyteros duodecim qui in illa Domino servirent, cum omnibus suis redditibus Aquensi collegio conjunxit, et additis de suo vectigalibus, alios insuper denos instituit. S. Caprasii in eodem monte positum collegium canonicorum ad sancti Pauli Leodium transtulit. Tertiam S. Joannis evangelistæ ecclesiam vi nulla destruere potuit, donec similem in urbe construendam vovisset, cujus se voti religione liberavit anno 981. Unde hi versus compositi:

Legia ditatur per me, Capri mons spoliatur.
Hic ruit, hæc surgit ; manet hæc, nunquam ille re-
[surgit.

Urbem deinde muro circumcinxit, et ædificiis honestavit ; majorem ecclesiam, vetustate et operis infirmitate ad lapsum declinantem, a fundamentis renovavit, et ampliavit, ditissimisque ornamentis decoravit ; claustrum, domos, officinas et episcopale palatium de novo construxit ; plurima alia templa quaquaversum in urbe erexit ; et quot templa tot arces munitissimas condidit, sicque tutissimam ab hostibus reddidit civitatem ; hinc illa carmina :

Legia, lege ligans cum prælatis sibi leges,
Notgerum Christo, Notgero cætera debes.

Nec urbe se tenuit antistitis munificentia, sese foras exeruit, et late diœcesim non exornavit tantum, sed et communivit. Fossensem ecclesiam condidit, inquit Ægidius, et in defensionem, muro turribusque validissimis circumcinxit. Thudinium seu Tuinum urbem condidit, firmisque munivit operibus in loco natura prævalido, et ex omni fere parte arduo. Mechliniam a Nortmannis vastatam restauravit, collegium duodecim canonicorum condidit, addita præpositi dignitate. Comitatum denique Hoiensem acquisivit, illum Ansfrido S. Lamberto largiente.

Nec ecclesiæ suæ temporalia duntaxat, sed spiritualia quoque, et quidem præcipue, curavit Notgerus. Exemplo prædicabat et verbo. De eo Ægidius cap. 57 : « Erat pauperibus mitis, superbis divitibus terribilis ; bonis quibusque lenis ac mansuetus, iniquis et malitiosis metuendus ; potentibus venerabilis, mediocribus amabilis, admirabilis sapientibus ; indoctis eruditer clementissimus, senum ac debilium sustentationis baculus, juvenum et adolescentium correptor studiosus. Providus in consilio, circonspectus in facto, clarus in eloquio, discretus in silentio. » Incredibilis erat ejus eloquentia, qua quidquid rectum ac honestum est persuadebat, quidquid vitii et turpitudinis insectabatur, hæreses fortiter profligabat, quamquam quæ fuerint nemo prodiderit ; verbo divino rebelles anathemate percellebat, idque nusquam incassum, ut notant auctores.

Sed quia spes Ecclesiæ præcipua in juventute consistit, mirum qua cura, quo ardore pro illius educatione laboravit, illi moderatores undique conquisivit, litterarum cognitione, diligentia et morum integritate conspicuos. Factis et cohortationibus magistrorum et discipulorum animos accendebat, difficiliores theologiæ quæstiones cum illis non raro discussas definiebat : hos propositis pro cujusque captu materiis, vel enodatis paulo obscurioribus, instruebat ; ab illis vix poterat evelli, adeo ut dum in via pergeret, inquit Anselmus, secum scholas scholaresque circumduceret, cum omni libraria supellectili et præposito doctissimo. Dignam episcopo curam, et miris cumulatam fructibus ! Ex ejusmodi quippe disciplina omnes tantæ diœcesis clerici doctiores evaserunt, et non pauci religione scientiaque adeo illustres prodierunt, ut longe lateque pietatem et scientiam disseminarint : inter hos recens Anselmus Otbertum, Hubaldum, Durandum, Wasonem, Rothardum, Erluinum, etc., qui varias Ecclesias vel docendo illustrarunt, vel ut episcopi gubernarunt.

Monachis quoque ubique favit. Gemblacenses adeo fovit, ut eum in patrem et dominum elegerint. (Anselmus, pag. 206), sicque superveniente imperiali auctoritate, Gemblacensis abbatia Ecclesiæ Leodiensi cessit. Laubio restituit Fulcuinum non parvo rei monasticæ incremento, eique mortuo suffecit Herigerum, virum et pietate et scientia percelebrem.

Ejus sapientia reipublicæ et imperiali dignitati perutilis exstitit. Othoni II fuit charissimus, et fere semper a consiliis. Eo mortuo suffectus est Otho III, anno vitæ undecimo, et dum regno maturesceret, pueritiæ præceptor a Germaniæ principibus delectus est. Henricum successorem sua in conjugio continentia celebratissimum juvit in pluribus ac præcipue in bello adversus Balduinum Flandriæ comitem ; cum enim Valentianas ab hoc occupatas irrito conatu obsideret imperator, in consilium et auxilium advocatus Notgerus, ut longo rerum usu valebat, in Flandri ditionem bellum inferendum asseruit. Secutus consilium Henricus in Flandriam signa movit, omnia depopulatus. Gandavum obsidione cinxit, tam felici eventu, ut pacem petierit, Valentianas restituerit, et in fidem ac officium redierit Balduinus. Hinc minime mirum si plurima ab his imperatoribus acceperit beneficia. Otho secundus imperator dato ei diplomate quidquid Pipinus, Carolus M., Ludovicus, aliique ad ipsum usque principes, Ecclesiæ Leodiensi donarunt, ac nominatim Hoium, Fossas, Lobium, Tungros, Mechliniam, ratum esse jussit. Datum refertur VIII Idus Januar. anno Dom. Incarnat. 981 (*juxta hodiernum computandi modum*), regni Othonis II, XIX ; imperii vero XIII, indict. VI. Sed errarunt in notis chronologicis librarii, legendumque anno 990, ind. VIII. Simile ab Othone III obtinuit, quo præter jam enumerata, Brunengerusium comitatum, Trajectum et Gemblacensem abbatiam in ditionem Leodiensem transcripsit. Datum porro dicitur anno 994. Denique anno 1006 ab Henrico Othonis successore obtinuit, ut quæcunque Leodicensis Ecclesia superiorum regum beneficentia possidebat, auctoritate sua confirmaret.

Charitatem et beneficentiam ad mortuos extendit. Cum enim S. Odilo in universa Cluniacensium congregatione defunctorum commemorationem instituisset, avide suscepit institutum et in sua diœcesi, ut fert ejus traditio, observandum præcepit.

Quid de Landoaldi et Amantii sanctitate et miraculis resciret rogatus ut litteris mandari curaret, jussit Herigerum Laubiensem monachum rem exsequi, ejusque operi præmisit epistolam suo nomine Womaro venerabili in Christo patri et fratribus Gandavensibus datam. Hincque effectum est ut Adalbero Remens. archiepiscopus sanctorum illorum reliquias exponi permiserit, et cultum publicum sanc-

xerit. Anno 995 sedit in concilio Mosomensi IV Nonas Junii, ubi agitata est causa Arnulphi e sede Remensi dejecti, et Gerberti in ejus locum subrogati. Vide t. IX conc. Labbei. Eodem anno in locum demortui Rotardi Camerac. episcopi Erluinum Leodic. Ecclesiæ archidiaconum promoveri curavit, idque opera Mathildis filiæ Othonis Quindeliburgensis abbatissæ. Adfuit et synodo Francofort. an. 1006, ubi S. Henricus imperator pro erigenda Bambergensi Ecclesia in episcopalem supplicavit. Anno 1007 ejus rogatu Henricus Germaniæ rex benefacit Thornensi nobilium canonicarum collegio (*Mir. not. c.* 78).

Denique annis, meritis et gloria plenus, exactis in regimine 36 annis, ad Christum evolavit, IV Idus Aprilis anno 1007; 1008, inquit Mabillon, Annal. tom. IV, pag. 201, idque auctoritate scriptoris Vitæ S. Theodorici Andagin., seu S. Huberti abbatis, qui ipsius æqualis fuit, quique ortum ejus sic notat: « Natus est anno Incarnat. Dom. 1007 imperatore apud Romanos et Germanos Henrico, anno postquam Juniori Othoni successerat sexto, præsidente in Leodiensi sede Notgero, magnæ sanctitatis et prudentiæ viro, postquam ordinatus fuerat episcopus anno septimo trigesimo, etc. » Et ut alter codex addit: *Priusquam vita decederet anno uno.* Quod et inde confirmatur, quod totum annum 1007 decurrisse videatur. S. enim Henricus imperator ejus petitione benefacit Thornensi collegio præcepto dato II Nonas Junii. Deinde erectióni Bambergensis episcopatus subscripsit hoc ipso anno Kalendis Novembris, ut videre est apud Labbeum tom. IX, col. 785. Adeoque non ante insequentem annum mense Aprili demortuus dici potest. Confirmatur denique auctoritate Lamberti Scafnaburgensis, qui ad hunc annum Notgeri obitum refert, ut et Chronicon Leodiense, Labb. Bibl. ms. tom. I, pag. 337.

Porro quia sine dolore non amittitur quod cum amore possidetur, orbitatem suam deplorarunt omnes totius diœcesis ordines. In urbe dies singulos sibi sumpserunt singula canonicorum collegia ut patri patriæ parentarent, ac demum in Ecclesia S. Joannis, ut suo testamento sanxerat, sepultus est ad Aram S. Hilarii. De illo, præter jam relatos Anselmum et Ægidium, agit Albericus in Chronico. Ejusdem meminit Chronicon Centulense l. III, c. 30. Vitam S. Remacli rogatu Warinfredi abbatis Stabulensis composuit, ut nonnulli volunt. In Marca Hispanica, p. 994, refertur Notgerum subscripsisse litteris Benedicti papæ VIII pro Urgellensi Ecclesia, quod stare nequit.

NOTITIA LITTERARIA.

(Fabric., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. V, pag. 143.)

Notgerus, *Nothegerus*, *Notkerus*, natus in Suevia, episcopus quadragesimus sextus ab ann. 972 ad 1008 Leodiensis, apud Othonem III imperatorem, quem cognatione attingebat, gratiosus, in epistola ad Werinfridum abbatem Stabulensem, *Vitæ S. Remacli*, apud Surium 3 septembr., et Gestis pontificum Tungrensium, Trajectensium, Leodiensium a Chapeavillo præmissa, profitetur se *non hujus Remacli modo sed et cæterorum suæ sedis pontificum tempora et gesta, quæ undecunque potuere corradi, ad sua usque tempora collegisse.* Gesta autem illa primorum episcoporum XXVII, non sub Notgeri sed sub *Harigeri* abbatis Lobiensis nomine edita sunt a Joanne Chapeavillo, t. I Sylloges suæ de episcopis Leodiensibus, 1612, 4, et Harigero auctori tribuuntur a Sigeberto, cap. 138. Verisimile tamen videtur non diversum opus fuisse quod a Notgero susceptum, et ab Harigero Notgeri amico aliisque conjuncta opera perfectum est, ut non absurde suspicatur Oudinus t. II, pag. 484. Atque in *Vita S. Remacli* apud Surium et apud Chapeavillum t. I, pag. 82 seq., multa ad verbum eadem. Exhibet autem Surius ad 3 Septembris sub Notgeri nomine et *Vitam S. Remacli*, vicesimi septimi ab ann. 650 ad 653 episcopi Leodiensis, et *libros duos de ejus miraculis*, in quorum secundo monasterium Stabulense a Danis ann. 883 exustum ita refertur, ut auctor illo se nuntio consternatum testetur: *Et ecce perfertur ad nos tristissimus*, etc. Itaque antiquioris scriptoris verba hæc sunt, neque tamen ideo de Notgero aliquo seniore horum librorum auctore cogitandum. *Vita S. Landoaldi* archipresbyteri sæc. VII, Rotgani sociorumque Amantii diaconi, Adriani martyris, Juliani, Vincianæ et Adeltrudis libris II, scripta jussu Notgeri ab eodem Harigero, atque Notgero auctori inde tributa, cujus etiam epistola an. 980 ad Womarum abbatem Gandensem data præmittitur, exstat apud Surium 19 Martii, et cum Henschenii notis in Actis Sanctor. tom. III Martii, pag. 35, 41. *Vitam S. Hadelini* presbyteri circa ann. 690 in Belgio, eadem Acta sub Notgeri nomine offerunt tom. I Febr. 3, p. 372, 376. Et Mabillonius Sæc. II Benedictin., p. 1013.

GESTA EPISCOPORUM LEODIENSIUM

(*Vide supra in* HERIGERO.)

VITA SANCTI HADALINI

CONFESSORIS

CONDITORIS MONASTERII CELLENSIS PROPE MONANTUM AD MOSAM.

Auctore NOTGERO *Leodiensi episcopo, uti ex num.* 6 *intelligitur*

(Apud MABILL. *Acta SS. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 1013. *Ex ms. cod. Andaginensis monast. et Bollando.*)

1. Fuit B. Hadalinus Aquitaniæ territorio cretus, nobili propagine ortus, in tenera ætate morum probitate grandævus, pueritiæ annos excedens, consortio senum Salomonis semper inesse cupiens, et dum sese quotidie ad majora niteretur extendere, etiam illius famosi patriarchæ exempla conatus est pertentare, cui ait Dominus : *Exi de terra tua* (*Gen.* XII, 1), etc. Quod etiam jamdudum plures hoc ipsum audierat actitare, et pro viribus suis illorum impar nolebat apparere, sanctus scilicet Agricius, Maximinus, Paulinus, ejusdem patriæ exsules, ad nostram, id est Francorum devenerant terram. Qui etiam postea Trevericæ sedis archiepiscopali infula sublimati, ibique mortem oblentes, cum Domino miraculis attestantibus se vivere manifestant. Sic quoque B. Remaclus Tungrensium præsul almifluus et Deo dignus, Goar Rhenum fluvium circa monasterium suum transeuntium consolator, cæterique ex eadem regione felicl fines noscuntur nostros adiisse perplures (1).

2. Cernens B. Hadalinus quem nimio diligebat amore a Deo et hominibus exaltatum et pontificali cathedra sublimatum, non est nostræ facultatis evolvere quanta cor ejus et lingua repletum fuerit exsultatione (2). Porro cujus meriti religionisque integræ in eodem exstiterit regimine, qualiterve Stabulaus et Malmundarium monasteria construxerit pio labore, in ejus Vitæ libro quicunque velit poterit reperire. At vero postquam cultum servorum Dei in eisdem cœnobiis aggregaverat, habitacula quoque religionis usui apta magna ex parte disposuerat; quod semper habuit in voto, remotioris scilicet vitæ solitudinem, sic, Deo annuente, nactus est occasionem. Tandem, licet difficillime, impetravit tamen a rege ut alius sibi succederet, et sibi diu desideratum eremum adire liceret, ubi remotus a curis sæcularibus, liberius inhiaret cœlestibus. S. Theodardi vitam satis probabilem regi et optimatibus ostentavit, eumque vicem suam supplere post se cathedræ suæ subrogandum ex nomine designavit. Plebe itaque suis sacris benedictionibus insignita, B. Hadalino secum comitante, diu destinatum accipiunt callem (3).

3. Sed cum Dominus ipsius benedicti Hadalini sanctitatis jubar super candelabrum ponere (*Matth.* v, 15) popularis disponeret notionis, contigit, dum iter agerent, ut accumberent quietis gratia ambo, dormientique de quo agitur sancto, alter vigilans, benignus scilicet Remaclus, solis radium qui oberat vultui imminens soporantis, angelico velari cerneret obumbramine. Evigilans autem ait ad eum beatus pontifex : Frater dulcissime, si quam nunc visionem in somnis agnoscis tibi ostensam fore, mihi indicare ne differas, charissime. At ille vultu submisso primo renitens, sed post jubentis voci obtemperans, ait : « Decreveram tibi, Pater beatissime, quæ videram in præsenti occulere, verum evolutis aliquot diebus humili pronus devotione patefacere. Sed cum tuæ jussioni quidquam negare fas non sit : Vidi, inquam, columbam, cum blando sopore quiescerem, de cœlo super me indignum alis expansis descendere (*Joan.* I, 32), oculosque meos aliquantulum circumvolitare; sicque caput meum supersedere, meque hoc omen quid boni portenderit fateor ignorare. » At B. pontifex Remaclus hilari etiam intuens vultu : « Excellit, inquit, o Hadaline, dignitas tua modicitatem meam, indignumque me tali fateor socio, quem famulatu obumbrari conspexi angelico. Te per diem sol non uret, neque luna per noctem, ait Psalmista (*Psal.* CXX, 6), quia nec in Christo, nec in illustrata per eum excedes Ecclesia. Columba quippe Spiritum sanctum qui super Dominum in Jordanis fluminis baptismate requievit, et eum oleo exsultationis præ participibus suis unxit (*Psal.* XLIV, 8), ostendit; ipse gratia mitissimæ pietatis tuum cor illustravit, teque in sui servitio pe-

(1) Multa hic omisimus inserta de Vita S. Remacli ex ipsius Actis an. 664 repetenda.

(2) Hinc colligit Bollandus, Hadalinum prius Remaclo adhæsisse quam Stabuletum conderetur : siquidem Romaclus jam episcopus istius monasterii fundamenta jecit.

(3) Hinc S. Remacli cum Hadalino secessum anno fere 660 contigisse, in Actis S. Remacli diximus.

renniter delegavit. » Hæc et his similia sa ræ eruditionis verba Hadalinus a Deo electus cordis aure audiebat, et ad majora se virtutum opera deinceps accingere cogitabat.

4. Rursus benignus pontifex Remaclus futurorum præscius ait ad illum : Accelera ergo, fili mi, alio quamto ius profectionem Christum consectans præducem. Vallem contiguam saltui qui adjacet fluvio quem Letiam (4) dicunt vicini, adiens locum qui Inter-quatuor-montes vocatur inquire, et illic, Deo cohospite, tibi habitaculum atque oratorium construe, angelis ubi præsulibus Domino Christo digne valeas militare. Ille hæc præsagia hilari mente suscipiens, vestigiis pontificis provolvere nisus est. At ille benigno hortatu illum elevans, ut locum cum aliquantis comitibus adiret, et procelente tempore ad se sæpe visitationis gratia rediret, suadebat. Exorata itaque et impetrata benedictione progressus indagandi cupidine, viri cujusdam qui vocabatur Beo devenit domum, ægreque, uxoris scilicet juvamine, hospitio impetrato, inter versandum inquirere. Sanctus jamdictum cœpit locum, obtentoque sub dulci ducamine locum invenit, Deo gratias egit, Adjutorium nostrum in nomine Domini (*Psal.* CXXIII, 8) cecinit. Deinceps habitaculum construit, oratoriolum, ut tunc temporis posse fuit, perfecit, seseque Christi famulatui angelorumque præsidio totum illic devotus contradit. In fame igitur et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et diversis angoribus, ærumnis atque pressuris, Dei athleta sobrie et quiete et pie Domino, non sæculo, vivens, exspectabat illic beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi (*Tit.* II, 12), castigansque et servituti animi subjiciens proprium quotidie corpus, ipsam animam cœlestibus deputabat indesinenter excubiis, regem in accubitu suo sedentem nardum mirifici odoris (*Cant.* I, 11) priorum actuum quotidie in ara cordis sacrificium delectabile mactando munificans.

5. Audiens autem famam sanctitatis sanctæque conversationis monitoris sui, beati scilicet Remacli in cœnobio prædicto Stabulaus, quod studebant undique ad eum velut apes ad alvearia confluere, nonnulli se omnipotentis servituti addere et leni jugo Christi colla subnectere ; alii vero liberos suos liberalibus, imo monasticis instruendos disciplinis, et illic perpetuo inservituros contradere ; multi etiam de facultatibus suis et reditibus suis sanctorum necessitatibus communicare ; studebat et ipse ad eum visitationis et nimio charitatis ardore sæpe venire, et de pomis paradisi Dei conversando illic convivari, sicuti in catalogo vivorum illustrium qui ibidem super altare apparet assidue habetur insertum. Hæc sunt, inquit, nomina eorum qui cum B. Remaclo monasterium Stabulaus prius inhabitare cœperunt : S. Remaclus, S. Hadalinus, S. Theodardus, S. Lambertus, ejus spiritualis procul dubio in baptismate filius, S. Hubertus, Christianus quoque sapientissimus, et cæteri multi.

6. Sed ut ad ea unde paulo momento divertimus redeamus, cœpit beatus locum habitationis suæ Hadalinus excolere, sanctæ conversationis opere adornare, de die in diem Christi bonus odor Deo in omni loco esse (*II Cor.* II, 15). Sane quod cœlestis lucerna diu latere sub modii nequiverat umbra (*Matth.* V, 15), nec civitas abscondi supra montem posita (*Matth.* V, 14), pervenit fama sanctitatis ejus ad aures Pippini gloriosissimi tunc temporis regis : qui ut regina Saba ad veteris temporis Salomonem, ita ad istius pacifici ac sapientissimi Dei ministri accurrit humilis mansionem, consiliisque saluberrimis ab eo de subjiciendo sese Regi regum Christo et gubernando secundum ejus imperium regno ab ipsius mellifluo susceptis eloquio, suffragioque quarumdam quæ adhuc a provisoribus loci tenentur villarum concesso, gaudens de beati viri colloquio sese reddidit palatio. Et quia nil deest timentibus Deum, multi de facultatibus et redditibus suis ejus voluntariam pauperiatem suppeditare volebant, ut conversionis ejus in eodem loco augmentaretur affectus. Nam fuere in ejus vicinio tres germani, Beo scilicet jam dictus, Triclinus alter, tertius Balduinus, quorum quisque quod illic possederat concessit devotus.

7. Nomen itaque ejus per vicina loca cunctis innotuit, factumque est ut ex illo tempore a multis frequentari cœpisset : ipse enim cælibem dignamque Deo inibi vitam ducebat. Omnes supervenientes non modo dulcedine verborum animæquiores reddebat, verum et charitatis officia eis pro modulo suo libentissime impendebat. Et quia eumdem locum sua sacra consecraverat conversione, voluit pius Dominus verba quæ ante dixerat : *Qui me*, inquit, *honorificaverit honorificabo eum* (*I Reg.* II, 30), in hoc famulo suo ostendere. Cumque locelli jam dilatari cœpisset angustia, duo equites cum duobus assuetis venatibus Umbris forte fortuna ignari cujus dignitatis esset vallicula venientes, experti sunt in semetipsis quid advenientibus agere competeret cæteris. Nam mane surgentes, exanimes quibus advecti fuerant invenerunt sonipedes, superque mortua cadavera

(4) Letia seu Lætia, vulgo *Lesch*, *Les*, oritur in Arduenna, haud procul a Bullonio, ibique terra per duas leucas absorptus, erumpit inde e rupe in Hanum pagum, ac Mosæ miscetur media leuca supra Dionantum oppidum, a quo sesquihoræ itinere distat vicus *Cellæ* appellatus a S. Hadalini monasterio illic constructo. Lapsu temporis monachi locum cesserunt canonicis, qui et ipsi baronum Cellensium vexationibus fatigati, Visetum translati sunt, uti infra dicemus. Nunc apud Cellas stat Ecclesia, ac titulus præposituræ : at in acclivis collis latere haud longe a primaria Ecclesia, alia est ædicula, ubi cellulam primum exstruxit atque eremeticam vitam egit Hadalinus, in qua ejus tumulus cernitur. Hæc fere ex Bollando, qui recte arguit errorem Philippi Ferrarii, Lætias cœnobium, Lutosas, et Cellam S. Gisleni in Hannonia, nec non Lessiniam Flandriæ oppidum cum Cellis Hadalini ad Letiam fluvium confundentis in catalogo gener. ad 5 Febr.

cines. Hoc comperto qui tunc temporis aderat præsul, cujus nunc, Deo annuente, nomine, non proh nefas! merito famulamur (5) sedi, auctoritate interminavit episcopali, ne quis posthæc eques oratorii illius attingeret fines : delegavit illic quoque ex reditibus, ut rem Ecclesiæ nostræ, villam quæ Mons Francheri (6) vocatur, ubi miraculum quod accidit et memoriæ nunc intervenit, nefas silere putamus.

8. Cum casu messores sibi laborarent heriles, dirgunt sancto conquerentes ex suis legatum, humiliter exorantes remedium adhibere opportunum. Ille vero se misisse illis jam retulit potum, verum segnitie delatoris dilatum. Ne vero siti laborantes pericitarentur diutina, sanctus ad locum adveniens, messores bacillum quo iverat figit, et affectu intimo cordis oravit. Cujus orationis verba cordis scrutator audivit, et fons largiflue scaturiens continuo erupit, stibundos exsatiat, meritum viri declarat.

9 Emporium per idem tempus quod dicitur *Dionant* dum præteriret, ecce quædam mulier accurrens, mugitumque vocis emittens, vestigia ejus osculabatur; sed quæ anhelabat corde, voce implere nequibat. Substitit ergo, et populum circa se astantem quænam esset, qualiterve id ei accidisset interrogavit. At illi ut multum temporis jam fluxerat quod muta effecta sit intimavit, et ut ei infortunii et infelicitatis misereri dignetur supplices omnes offerunt preces. Et ille : « Non hæc, inquit, nostra sunt, sed sanctorum Patrum, quorum nos suppares esse meriti utinam contingeret vel extremi. » Populus autem magnis clamoribus suggerebat, ut qui pietatem et clementiam semper docuerat, ipse quoque in miseria illius mulierculæ dignaretur ostendere. Qui stat pietate motus, et de verbis Domini quæ discipulis suis promiserat : *Quæcunque orantes petitis, credentes accipietis* (*Marc.* xi. 24), confisus, totum se ad Dominum contulit devotus, prostratusque humo lacrymis orabat. Oratione expleta, signum sanctæ crucis ori ejus impressit : mox illa Deo gratias cunctis audientibus egit, vocem laudationis attollit, et posthæc Deo devota permansit.

10. Cujus rei admiratione permota quædam, ut fertur, potens matrona, nomine Aquila, cujus tunc erat Anthegia (7) villa notissima, dedit Deo ad sancti sustentaculum Russina, quod dicitur *Mansum*. Hinc exemplo et altera quædam Guiza vocata, cum tradere Deo per manum ejusdem beatissimi videlicet Hadalini prædium quod *Veltz* dicebatur vellet, cognomen a vocabulo deducens sancti, Montem S. Hadalini in posterum vocari disposuit : didicerat namque quod redemptio animæ viri divitiæ ejus.

Quibus ita gestis, infirmitate ultima præventa est. Cumque lectulum illius plurimorum circumstiparet fidelium turma, de absentia viri sancti flebili cum eis est voce conquesta : et cum interrogaretur a nostris cui illud delegare vellet, iterata sæpius voce respondit : Hadalino, Hadalino, Hadalino, inquam, beato. Cumque wantum (8) in manu (ut moris est) legaliter tradenda teneret, et viri differretur adventus, exspiravit. Currens autem nuntius ad beatum qui tunc forte aberat Hadalinum, indicavit ei et dolorem morientis et causam tradendæ sibi possessionis. Veniente itaque sancto, et cordis ejus pulsum manu rimante, si jam exstincta funditus esset, rigentes occiduo casu articulos (mirum dictu) ac si vivens aperuit, et cunctis videntibus qui aderant locum beato contradidit. Hujus rei tot ac tanti existunt testes, quot regionis illius constant inhabitatores. Patet etiam clarius luce, dum incolæ eumdem locum videntur possidere, qui dictis fidem faciunt usque hodie.

11. Procedente rursus tempore taurus casu petulcus ostium cujusdam effregerat. Cumque ejus inhabitatrix muliercula ejulatu flebilissimo cuncta compleret, heros benignus adfuit, eamque quid sibi acciderit ut his eos clamoribus congregaret inquisivit : cognitaque rei notione, eam solatus est dicens : « Ne perturberis misera in tugurioli tui ruina, sed magis bonis operibus elabora, ut in illa qua mansiones multæ sunt mereariis fieri incola. » Et hæc dicens ostium signavit, integritati pristinæ verbo reddidit, admiratione cuncta replevit, seque jactantiam fugitans concitus abdidit.

12. Pauper igitur spiritu, quia casu nequibat, affectu regnum cœlorum emere contendebat, mitissimaque mente terram viventium possidere sedulus affectabat, cumque esuriret et sitiret justitiam, satiari cum Christi manifestaretur gloria ambiens, famam sæculi pro nihilo ducebat. Et, ut Deum mente conciperet, limpidissimum cordis oculum a malivolentia et sæcularium curarum pulvere conservare studebat. Et licet caro adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem (*Gal.* v, 17), dum terrena inhabitatio sensum deprimit, multa cogitantem semper concupiscere soleat, pacem iste mirificam faciens, spiritum carni, Deum spiritui dominari vigori compellebat herili, ut Deum cœlorum in Sion videre ejusque excubiis mereretur indefecue adhærere, et filius Dei non quidem natura, verum gratia vocari et esse. Sane internorum bonorum suorum formas et species sicut nemo ad plenum potuit inspicere, ita nemo sufficit explicare : quas sicut illa

(5) Hinc non immerito colligit Bollandus istius Vitæ auctorem esse Notgerum Leodicensem episcopum, qui plura id genus scripta lucubravit, istique Ecclesiæ ab anno 971 ad 1007 præfuit.

(6) Vicus est inter Carolomontium et Mariæburgum oppida, ad canonicos Cellenses hodieque pertinens.

(7) Anthegia, vulgo *Anthée*, est in medio itinere, quo ex oppido Dionanto Florinas itur, inquit Bollandus.

(8) Wantos seu chirothecas, Galli *gants* vernacule vocant. Varios ritus tradendæ possessionis, *per festucam sive juncum aut scirpum, per cespitem sive glebam, per virgam seu baculum, per wantum seu chirothecam, per cultellum cum cespite et festuca*, aliosque ab antiquis usurpatos refert Iheronymus Bignonius in Notis ad lib. I, cap. 13 Formul. Marculfi.

studuit excolere ita et laboravit occulere, et, cum hæc vellet augeri, nolebat agnosci neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris; patiens abjectionis, impatiens honoris; pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia : nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur.

13. Per plura ergo (9) annorum curricula illic commorans, sanctissima conversatione post hujus vitæ multimodos laborum excursus, per plura beneficiorum et miraculorum commoda, hominibus Deoque charus ostensus, diem sibi vocationis intelligens imminere, quo recompensaret bonor in cœlis quod labor triverat in terris; morem gerere decrevit subjectis. Quos accersitos fideles quosque non parvi numeri ante se positos et de abscessu suo mœstos his ultimis solatus est verbis : « Ecce, charissimi Patres atque amantissimi fratres, tempus resolutionis meæ instat, quo hæc torpentia membra spiritus relinquat, judicique suo præsentandus occurrat. Non me terret proventus conditionis omni mortali communis, cum tota sapientium vita commentatio debeat esse mortis; vobis magis timeo, quos salvandos omnimodis volo. Ego viam universæ carnis sum ingressurus, et ad vos deinceps non reversurus; vos quoque morituros, charissimi, scitote, ideoque pœnitentiæ tempus indultum non patiamini, quæso, transire incassum. Quisquis ergo vestrum cujuscunque criminis se sentit perpetratione maculatum, atque fovea majoris peccati absorptum, cito salubre suo supponat vulneri medicamentum. Dum judex porrigit pœnitenti misericordiæ manum, ea patet dum advivitis janua misericordiæ, quæ post mortem obstruitur, sola patente quæ contemptores præceptorum Dominicorum desertoresque puniendos suscipiat porta gehennæ. Obsecro itaque vos per Christum, ut in quo vos nostis hactenus deviasse a vero, reconciliari satagite Deo. Orate, ut vos evangelica admonet lectio, ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato (*Matth.* XXIV, 20). Quo loco nostræ res sitæ sint, in commune videtis; et quia hic mundus in maligno positus sit (*I Joan.* V, 19), juxta mecum omnes attenditis. » Post has dulces paternæ pietatis admonitiones et extrema charitatis verba modica febre pulsatus, et sacrosancti corporis et sanguinis Domini viatico confirmatus, illis dolentibus et flentibus, ipse autem exsultans tertio Nonas Februarii pervenit ad eum quem semper desideraverat, Christum. Corpus ejus honorifice curatum cum melodia psalmorum et hymnorum in loco quo ipse decreverat est sepultum : ubi per ejus merita Dominus usque in præsens operatur miraculorum beneficia ad laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in sæcula

NOTGERI

PRÆFATIO AD VITAM SANCTI LANDOALDI.

(*Vide supra in* HERIGERO, col. 222.)

VITA SANCTI REMACLI

TRAJECTENSIS EPISCOPI

Auctore NOTGERO

(SURIUS, *Acta sanctorum, Sept.* 3.)

NOTGERI EPISCOPI LEODIENSIS

AD VERINFRIDUM ABBATEM EPISTOLA NUNCUPATORIA.

NOTGERUS, quem, etsi indignum, Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti mancipium prædicant tamen episcopum, WERINFRIDO venerabili in Christo patri et consacerdoti salutis æternæ subsidium.

(9) In apographo Andainensi legitur : *Per plura tredecim annorum curricula.* Verum diutius in monasterio a se condito conversatus est Hadalinus, siquidem notus fuit Pippino Majoridomus, qui Pippinus hic ab a c ore rex dictus, non ante annum 687 palatii præfectura quiete potitus est. Unde S. Hadalini obitum anno circa 690 consignamus. Sacrum ejus corpus illic quievit ad annum usque 1338, quo in oppidum Visetum Leodicensis diœcesis ad dextram Mosæ ripam invectum est, Cellensibus canonicis isthuc translatis ob baronum Cellensium infestationes. Hæc translatio v Idus Octob. celebratur.

Omnis antiquitas, ut ait oratorum maximus, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernebat. Verum, angelo Danieli narrante, novimus quia pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia : in antiquis utique vigente ratione, veritatis indagatrice, et perspicacia futurorum : in modernis vero fide credulitatis quamprimum pollente, cum plurima scientia præteritorum. Illis diuturnitas vitæ vetustatis obduxit callum, cognitionem præstitit omnium rerum : nobis contra, quos calidus sanguis, quos rerum inscitia versat, utinam non avolet ob brevem vitam et curam sollicitudinum, antiquorum memorare inventa virorum! Vixere fortes ante Agamemnona multi : sed omnes illacrymabiles ignotique urgentur longa nocte, carent quia vate sacro. Hæc, ut credo, perpendens, abbatum reverendissime, et quia necesse est quanto juniores tanto esse perspicaciores : obtulisti libellum de vita tam nostri quam vestri specialis patroni, domini scilicet Remacli, conquestus, propter incuriam tamen prædecessorum vestrorum, brevius quam ut res postularet, pro magnitudine gestorum ejus, esse eruditam [*fort.* editam]. Simulque visus es, ut ne dicam precari, sed potius exhortari, ut eam non modo exemplari, verum aliquanto lepidius mandarem poliri : tum quod gestorum illius aliunde sumptorum suppetat copia; tum quod temporum, quorum diversitas nunc maxime scitu opus est, ex chartulario vestro non desit notitia. Sed ad hæc dum te cum tuis omnium artium præsulem esse constaret, illudque Pierium animo occurreret : « In silvam ne ligna feras! » et in mare, : « Quid aquas in flumina mittis? » suspensam inter ea librare silentia mentem cœperant, cum ecce memoriam offendebat, quia vires, quas imperitia denegat, charitas ministrat, et quia incœpto tantum opus est, cætera res expediet. Igitur adorsus sum, et ut verbis cujusdam sapientis utar, et ex illo, quantum res poscit, acervo tollam, exhortatione tua, quæ et præsentis honestate propositi, et futuræ ætatis utilitate conjuncta est, nihil antiquius existimavi, et ne auctoritatem diffugere viderer, ei muneri libenter acquievi. Præsumenti enim auctoritatis datur, cum credit præstari posse quod petitur; et parere scire, est æqualis gloria cum imperante.

Fecerant hoc idem jamdudum ætate venerabiles viri, Hilduinus abbas in Passione S. Dionysii, Hincmarus archiepiscopus in Vita S. Remigii : et alii quamplurimi in non paucorum compilandis gestis sanctorum, quibus auctoribus obtinere possumus optimis, quod in omnibus causis, et solet, et debet valere plurimum. Nam nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, A ætas, usus, semper aliquid apportet novi. Et ne hic labor, qui te adhortante susceptus est, inferaciter fiat, non ejus modo cujus meminimus, sancti scilicet Remacli, verum cæterorum nostræ sedis pontificum tempora et gesta, quæ undecunque potuere corradi, ad nostra usque tempora collegi, et cujus potissimum anhelabas desiderio, Vitam inde excerptam votis tuis porrexi. Longe quidem mea sententia ab oratoris primi excellentia me ratus differre, qui plurima paucis absolvere, pauca plurimis protelare, vel magna extenuare, maxima e minimis efficere, lata anguste, angusta late, vulgata decenter, decentia intellectualiter, nova usitate, usitata nove, et id genus plurima valeat deliberare. Cui et a poeta præcipitur : « Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge. » Nec ut scholares posito themate, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est : vel ille, qui intulit, aliquid finximus frivolum, imo nec *creperum*. Quod etsi eloquentissimum quemdam dicentem : Quod si hæc, inquit, uterque non dixit, tamen in voto habuit, et in actu ostendit, sectari contenderem, nullius utique judicium extimescerem, verum hæc alias. Misi, inquam, charitati tuæ munus, quod minus quidem efficentiæ securitate, maxime autem susceptum est amicitiæ præsumptione. Magnas etenim in difficillimi operis cursu vires, amicitiæ contemplatio supplet, et placere cupientibus multa sæpe rerum copia suppeditat. Unde licet verear ne, dum imperato muneri par esse nequeam, deficientis culpa in adhortantis cedat injuriam, tamen cum tuam specto benevolentiam, fit omne pronum et facile, et (ut ita dicam) voluntarium, quod in tuæ jucunditatis impenditur præscriptum. Hoc autem munere impenso, sollicitum te reddere cupio : quia si quid operum tuorum quandoque expostulavero, injurius mihi fueris, si negabis. Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti. Sed non arroganter magna, quippe tuis meritis et nostris votis imparia. Quapropter oblatrantis morsus timeo invidiæ, quia difficili re solet livor præjudicium importare. Denique non omnes eadem mirantur amantque. Ergo non istic obliquo oculo mea famina quisquam limet, non odio obscuro morsuque venenet. Sed tu, pater beatissime, mei laboris tuæque adhortationis assertor, caveas securum me peractum reddat officium, cum tibi pudor amici dignius possit convenire, si displicet. Vale.

Quod nec vota pati, nec fingere somnia possunt,
Gaudens semper habe : gaudent pro nomine molles
Auriculæ : tibi me virtus tua fecit amicum.

Iterum vale.

PRÆFATIO AUCTORIS

Omnipotens Dominus, qui dives est in misericordia, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, sustinuit vasa iræ, apta in interitum, in multa patientia; tandem vero, sicut a reatu primæ prævaricationis nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit, divitias bonitatis et longanimitatis omnibus prærogavit, voluntatis omnipotentiam in ingratos, et ejus gratiæ respectu indignos, efficacissime exercuit, quando opus salvatricis misericordiæ, ut reparari posset, clementissime ante procuravit. Forti illi armato arma, in quibus confidebat, abstulit: vasa quæ possidebat, distribuit: ut sicut prius propter peccata iræ vasa, ita per ejus gratiam fierent vasa misericordiæ. Ut enim non est credendum, ad salutem aliquem pertingere, nisi Deo invitante; sic nec invitatum quidem operari salutem suam, nisi Deo auxiliante: nullum voluntate Dei perire, sed permissu, pro arbitrii electione: ne facultatis libertas, et ingenuitas semel homini attributa, ad servilem quamdam necessitatem redigatur. Ita ergo initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus. Ut autem salutiferæ inspirationi acquiescamus, nostri est arbitrii. Porro ut adipiscamur id quod monitioni divinæ acquiescentes appetimus, divini est muneris; ut labamur, nostræ est potestatis et ignaviæ. Ut non labamur, salutis munere adepto, nostræ quidem quodammodo est sollicitudinis, sed omni modo adjutorii cœlestis. Atque ei spei fortiter innitentes, beatos esse reipsa comperimus, qui cum Christum in carne tanta efficientem non viderint, audita constanter credere non dubitarunt, e quibus etiam multos fecisse opera quæ ille fecit, et juxta ejus promissionem (*Joan.* XIV) majora quoque fecisse, non solum vicini confitentur, sed illi etiam prædicant, qui sunt ultra Sauromatas, et Glaciale attingunt mare, et insulas habitant Fortunatas. Libenter igitur tanto bono subditi sumus, delectatque tanto servire Domino, qui non modo fautor et adjutor est eorum qui proficiunt, sed etiam remedia providet lapsis: dum et angelica nobis præstat suffragia non deesse, et sanctorum confert patrocinia, quos pro nostris culpis intercessores implorare non dubitemus. Quos, licet passim diversis largitus sit provinciis, generatim et communiter honorandos; attamen singulis quibusque locis quosdam attribuit, etiam specialiter amplectendos et propensius exorandos: e quibus nobis beatum Remaclum adhibuit: cujus ut suffragiis plurimum innitimur, ita ejus vitam et gesta pro captu virium narrare aggredimur.

INCIPIT VITA.

I. Francorum regnum ab ipso suo exordio semper invictum, tum vel maxime præ cæteris ei vicinis regnis florere visum est, cum jugo Dominicæ fidei colla supposuit, et quod prius adorabat exussit, quod exusserat adoravit. Ingens autem accepit incrementum, et sub eo firmum Ecclesiæ Dei statum, cum Clotarius rex, legitima successione quartus, trium regnorum factus est monarcha, et eum principatus sui annum agebat quadragesimum, quem Heraclius sanctæ Crucis recuperator imperii decimum quartum. Is Clotarius nullum ex vicinis regibus passus est suæ ditioni arma inferre, sed omnes Hispaniæ, Galliæ et Germaniæ reges et populos, suis habenis sub duit coercere. Porro inclytum filium suum Dagobertum Austrasianis præfecit, eique etiam Germaniæ ditiones voluit esse subjectas. Eorum temporibus felicissimis usque adeo Christianismus excrevit, ut pene nulla hodie aut rara intra limites regni ipsorum ecclesia inveniatur, quæ non alicujus ejus tempestatis sancti patrociniis illustretur. Atque ut innumeros prætermittamus, Eligius et Audoenus viri sancti palatii ministeriis fungebantur; beatus Arnulphus et Romaricus regiis consiliis adhibebantur, sanctus Amandus et beatissimus Remaclus, sanctusque Goar Aquitaniam ortu suo illustrabant. Eam Aquitaniam quidam volunt fere tertiam esse Galliarum partem, et ab obliquis Ligeris aquis, qui maxima ex parte eum alluit, ac pene in orbem circumdat, ita nuncupatam. A Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur: ab occasu Hispanias: a Septentrione et Oriente Lugdunensem Provinciam: ab Euro et meridie Narbonensem. Rivulis et fluminibus piscosis, solo fœcundissimo, pascuis pecorum uberrimis, vinetis nectareis, nemoribus copiosis, magna fructuum abundantia celebris, auri, argenti, aliorumque metallorum ferax, vectigalium proventu opulenta, sed præ aliis provinciis voluptatum omnium luxuriæ dedita, denique viris fortibus, bellicosis, et ferocibus instructa. Habet ea, præter castra et loca munita, urbes quatuordecim prægrandes, easque populosas et celeberrimas: e quibus duæ sunt metropoles, una Burdegalensis, magnis semper viris conspicua: altera Bituricensis, cujus tum archiepiscopus fuit sanctus Austregisilus, et beatus Sulpitius archidiaconus, Austregisili in episcopatu successor. In quorum parœcia per id tempus Remaclus in hanc lucem editus est, patre Albutio, Matrinea [Matrinia] matre: qui ambo pro sæculi dignitate, et opibus et generis nobilitate pollebant. Testantur id magnæ possessiones ejus, tam nostræ Ecclesiæ, quam vestro monasterio, sive ab ipso, sive a majoribus ejus, vel etiam a regia sublimitate datæ: quemadmodum doceri potest ex litteris, quæ etiamnum in utriusque Ecclesiæ archivis asservantur.

II. Educatus vero est bonæ indolis puer Remaclus

sub beato Sulpitio, in cujus honorem constat ab eodem sancto viro permultas in nostra diœcesi ecclesias dicatas. Ubi autem adolevit, et prout ea ferebat ætas, totius integritatis et probitatis fructus protulit, beato Eligio commendatus est, viro inter ejus ætatis homines meritorum gratia facile primo. Is vero in Sollemniacensi (*Solemniapcensi*) monasterio, quod ipse in suo fundo construebat, eum sacris monasticæ disciplinæ institutionibus exacte imbuit. In tantum autem pius adolescens ejus monitis obtemperavit, ut, divina in eo gratia exuberante, omnibus in eo monasterio Christo militantibus, religiosæ conversationis de se exempla præberet. Erat in Vigiliis assiduus, in precibus pernox, in abstinentia præcipuus, in universa morum integritate præclarus. Cernens beatus Eligius, cui traditus erat a parentibus, ejus profectui animi quadam alacritate congratulans, curam gregis sibi commissi in eum transtulit, suas ei vices demandans, eumque sibi substituens. Compellebatur enim redire ad palatium regis, et suam ei operam navare. Postea vero longe lateque sparsa est fama sanctitatis vitæ ejus, et ad ipsos etiam aulæ proceres pervenit. Itaque, divina id agente providentia, non potuit lucerna, divinæ gratiæ accensa ignibus, sub propriæ considerationis modio latere: sed ut desides in fidei proposito ab ea lumen acciperent, candelabro imposita est. In aula regis promulgatur, tantum virum regis præsentiæ deesse non debere, ut ejus prudentia regni negotia disponantur, cujus tam illustria meritorum insignia cernerentur. Evocatur ergo, ut par erat, honorifice, atque in regis palatium introducitur, magno deinceps, ut rei post eventus docuit, omnibus solatio futurus.

III. Per idem ferme tempus beatus Joannes, Tungrensium vel Trajectensium Ecclesiam feliciter gubernans, hominem exuit. Porro inclytus rex Dagobertus, qui patri Clotario in monarchia successit, beatum Amandum qui ad prædicandum, ut tum moris erat, factus fuerat episcopus, ad se accersierat, et quia cum injuria eum expulerat, ab illo ob quædam facinora reprehensus, nitebatur arctius illum devincere sibi per Sigeberti filii sui baptismum, atque in Trajectensi eum cathedra collocare. Et ille vir quidem sanctus per triennium vicos et castella perlustrans, verbum vitæ disseminavit: sed nihil se proficere cernens, imo vero etiam ipsos sacerdotes et levitas sibi insultare animadvertens, pulverem pedum, quemadmodum Dominus jubet, in illos excussit, atque ad loca alia, ut prius fecerat, sese prædicandi causa contulit. Incompertum vero est quanto tempore plebs Trajectensis tum sine pastore permanserit, donec Sigebertum pater regem Austrasianis dedit, et in Mediomatricum urbe sedem habere voluit. Ei vero Trajectenses ex communi sacerdotum electione, magnatum multa frequentia, et omnium ordinum postulatione, ejusmodi preces offerunt, neminem ipsis nisi beatum Remaclum episcopum præfeci debere: qui sit et Deo et hominibus charus, nulli ejus ætatis sanctitate secundus, angelicis spiritibus gratus, cunctis mortalibus suscipiendus et reverendus. Ejus se multa expertos beneficia, crebro et apud regem et proceres multum ipsis ejus profuisse suffragia commemorant. Nec ejus obscuram esse prudentiam, qui non raro regiis consiliis adhibitus sit. Suppetere ei scientiam Scripturarum, unde possit et vetera et nova proferre. Denique nihil ei earum rerum deesse quibus Apostolus episcopum instructum esse velit. His sermonibus rex comiter et propenso animi favore assentiens, eorumque studiis obsecundans, statuit præstare quod rogabatur. Accersit igitur ad se beatum Remaclum, et ea de re cum eo confert sermonem, et certe dici vix queat quanta orationis suavitate ad ei persuadendum usus sit, quamque illi modis omnibus vir sanctus obluctatus sit. At rex, sacerdotum et procerum fretus consilio, ab intentione sua non destitit.

Tandem vir Dei, veritus ne divinæ resisteret voluntati, invitus quidem septimus et vicesimus Tungrensi vel Trajectensi Ecclesiæ antistes datur: ut verbi divini semina, quæ hactenus apud se celaverat, pluribus impertiret.

IV. Qua vero religione, qua integritate, illud munus exsecutus sit, nos explicare nequimus, cum mox in ipso ordinationis ejus initio tantam ei verbi gratiam Christus largitus sit, ut omnes promptissimos sese ad obtemperandum exhiberent, nemo esset qui non ex animo eum diligeret: unusquisque ad ejus se doctrinam conformare pro viribus niteretur. Nulla in ejus moribus arrogantia, sed totum illum sibi sancta humilitas vindicabat. Superbi eum reverebantur ut superiorem: humiles amplectebantur ut fratrem. Erga omnes communierat animi benevolentia et amore. In terris degens corpore, habitu et moribus cœlestem se declarabat. Aspectu angelicus, incessu compositus, actione sanctus, integerrimus corpore, solertissimus animo, in opere circumspectus, ingenio excellens, magnus consilio, fide catholicus, spe patientissimus, charitate diffusus. Cujus apud Deum meriti esset facta ejus testabantur. Mira in eo cernebatur morum suavitas et facilitas, atque inter divites et pauperes ea noverat moderatione se gerere, ut pauperes eum suæ sortis, locupletes vero sui ordinis arbitrarentur. Non ille personas potentum, sed morum elegantiam pensitabat, tanto quemque propensius honorans quanto eum didicisset sanctius vivere. Quod ore dicebat, et astruebat, nunquam actione vel opere destruxit; sed factis ostendit quid voce doceri oporteret. Quod ei divina gratia contulit, id in posteros derivavit. Unde illud consecutum est, ut non ejus modo gesta nobis hodieque proficiant; sed etiam discipulorum ejus, et qui ab eo fideliter educati sunt; quorum actus et opera nobis exemplo sunt, et ad imitandum nos invitant.

V. Multorum ille cœnobiorum et fundator et rector

PRÆFATIO AUCTORIS

Omnipotens Dominus, qui dives est in misericordia, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, sustinuit vasa iræ, apta in interitum, in multa patientia; tandem vero, sicut a reatu primæ prævaricationis nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit, divitias bonitatis et longanimitatis omnibus prærogavit, voluntatis omnipotentiam in ingratos, et ejus gratiæ respectu indignos, efficacissime exercuit, quando opus salvatricis misericordiæ, ut reparari posset, clementissime ante procuravit. Forti illi armato arma, in quibus confidebat, abstulit: vasa quæ possidebat, distribuit: ut sicut prius propter peccata iræ vasa, ita per ejus gratiam fierent vasa misericordiæ. Ut enim non est credendum, ad salutem aliquem pertingere, nisi Deo invitante; sic nec invitatum quidem operari salutem suam, nisi Deo auxiliante: nullum voluntate Dei perire, sed permissu, pro arbitrii electione: ne facultatis libertas, et ingenuitas semel homini attributa, ad servilem quamdam necessitatem redigatur. Ita ergo initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus. Ut autem salutiferæ inspirationi acquiescamus, nostri est arbitrii. Porro ut adipiscamur id quod monitioni divinæ acquiescentes appetimus, divini est muneris; ut labamur, nostræ est potestatis et ignaviæ. Ut non labamur, salutis munere adepto, nostræ quidem quodammodo est sollicitudinis, sed omni modo adjutorii cœlestis. Atque ei spei fortiter innitentes, beatos esse reipsa comperimus, qui cum Christum in carne tanta efficientem non viderint, audita constanter credere non dubitarunt, e quibus etiam multos fecisse opera quæ ille fecit, et juxta ejus promissionem (*Joan.* XIV) majora quoque fecisse, non solum vicini confitentur, sed illi etiam prædicant, qui sunt ultra Sauromatas, et Glaciale attingunt mare, et insulas habitant Fortunatas. Libenter igitur tanto bono subditi sumus, delectatque tanto servire Domino, qui non modo fautor et adjutor est eorum qui proficiunt, sed etiam remedia providet lapsis: dum et angelica nobis præstat suffragia non deesse, et sanctorum confert patrocinia, quos pro nostris culpis intercessores implorare non dubitemus. Quos, licet passim diversis largitus sit provinciis, generatim et communiter honorandos; attamen singulis quibusque locis quosdam attribuit, etiam specialiter amplectendos et propensius exorandos: e quibus nobis beatum Remaclum adhibuit: cujus ut suffragiis plurimum innitimur, ita ejus vitam et gesta pro captu virium narrare aggredimur.

INCIPIT VITA.

I. Francorum regnum ab ipso suo exordio semper invictum, tum vel maxime præ cæteris ei vicinis regnis florere visum est, cum jugo Dominicæ fidei colla supposuit, et quod prius adorabat exussit, quod exusserat adoravit. Ingens autem accepit incrementum, et sub eo firmum Ecclesiæ Dei statum, cum Clotarius rex, legitima successione quartus, trium regnorum factus est monarcha, et eum principatus sui annum agebat quadragesimum, quem Heraclius sanctæ Crucis recuperator imperii decimum quartum. Is Clotarius nullum ex vicinis regibus passus est suæ ditioni arma inferre, sed omnes Hispaniæ, Galliæ et Germaniæ reges et populos, suis habenis subduxit coercere. Porro inclytum filium suum Dagobertum Austrasianis præfecit, eique etiam Germaniæ ditiones voluit esse subjectas. Eorum temporibus felicissimis usque adeo Christianismus excrevit, ut pene nulla hodie aut rara intra limites regni ipsorum ecclesia inveniatur, quæ non alicujus ejus tempestatis sancti patrociniis illustretur. Atque ut innumeros prætermittamus, Eligius et Audoenus viri sancti palatii ministeriis fungebantur; beatus Arnulphus et Romaricus regiis consiliis adhibebantur, sanctus Amandus et beatissimus Remaclus, sanctusque Goar Aquitaniam ortu suo illustrabant. Eam Aquitaniam quidam volunt fere tertiam esse Galliarum partem, et ab obliquis Ligeris aquis, qui maxima ex parte eum alluit, ac pene in orbem circumdat, ita nuncupatam. A Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur: ab occasu Hispanias: a Septentrione et Oriente Lugdunensem Provinciam: ab Euro et meridie Narbonensem. Rivulis et fluminibus piscosis, solo fœcundissimo, pascuis pecorum uberrimis, vinetis nectareis, nemoribus copiosis, magna fructuum abundantia celebris, auri, argenti, aliorumque metallorum ferax, vectigalium proventu opulenta, sed præ aliis provinciis voluptatum omnium luxuriæ dedita, denique viris fortibus, bellicosis, et ferocibus instructa. Habet ea, præter castra et loca munita, urbes quatuordecim prægrandes, easque populosas et celeberrimas: e quibus duæ sunt metropoles, una Burdegalensis, magnis semper viris conspicua: altera Bituricensis, cujus tum archiepiscopus fuit sanctus Austregisilus, et beatus Sulpitius archidiaconus, Austregisili in episcopatu successor. In quorum parœcia per id tempus Remaclus in hanc lucem editus est, patre Albutio, Matrinea [Matrinia] matre: qui ambo pro sæculi dignitate, et opibus et generis nobilitate pollebant. Testantur id magnæ possessiones ejus, tam nostræ Ecclesiæ, quam vestro monasterio, sive ab ipso, sive a majoribus ejus, vel etiam a regia sublimitate datæ: quemadmodum doceri potest ex litteris, quæ etiamnum in utriusque Ecclesiæ archivis asservantur.

II. Educatus vero est bonæ indolis puer Remaclus

sub beato Sulpitio, in cujus honorem constat ab eodem sancto viro permultas in nostra diœcesi ecclesias dicatas. Ubi autem adolevit, et prout ea ferebat ætas, totius integritatis et probitatis fructus protulit, beato Eligio commendatus est, viro inter ejus ætatis homines meritorum gratia facile primo. Is vero in Sollemniacensi (*Solemniapcensi*) monasterio, quod ipse in suo fundo construebat, eum sacris monasticæ disciplinæ institutionibus exacte imbuit. In tantum autem pius adolescens ejus monitis obtemperavit, ut, divina in eo gratia exuberante, omnibus in eo monasterio Christo militantibus, religiosæ conversationis de se exempla præberet. Erat in Vigiliis assiduus, in precibus pernox, in abstinentia præcipuus, in universa morum integritate præclarus. Cernens beatus Eligius, cui traditus erat a parentibus, ejus profectui animi quadam alacritate congratulans, curam gregis sibi commissi in eum transtulit, suas ei vices demandans, eumque sibi substituens. Compellebatur enim redire ad palatium regis, et suam ei operam navare. Postea vero longe lateque sparsa est fama sanctitatis vitæ ejus, et ad ipsos etiam aulæ proceres pervenit. Itaque, divina id agente providentia, non potuit lucerna, divinæ gratiæ accensa ignibus, sub propriæ considerationis modio latere : sed ut desides in fidei proposito ab ea lumen acciperent, candelabro imposita est. In aula regis promulgatur, tantum virum regis præsentiæ deesse non debere, ut ejus prudentia regni negotia disponantur, cujus tam illustria meritorum insignia cernerentur. Evocatur ergo, ut par erat, honorifice, atque in regis palatium introducitur, magno deinceps, ut rei post eventus docuit, omnibus solatio futurus.

III. Per idem ferme tempus beatus Joannes, Tungrensium vel Trajectensium Ecclesiam feliciter gubernans, hominem exuit. Porro inclytus rex Dagobertus, qui patri Clotario in monarchia successit, beatum Amandum qui ad prædicandum, ut tum moris erat, factus fuerat episcopus, ad se accersierat, et quia cum injuria eum expulerat, ab illo ob quædam facinora reprehensus, nitebatur arctius illum devincere sibi per Sigeberti filii sui baptismum, atque in Trajectensi eum cathedra collocare. Et ille vir quidem sanctus per triennium vicos et castella perlustrans, verbum vitæ disseminavit : sed nihil se proficere cernens, imo vero etiam ipsos sacerdotes et levitas sibi insultare animadvertens, pulverem pedum, quemadmodum Dominus jubet, in illos excussit, atque ad loca alia, ut prius fecerat, sese prædicandi causa contulit. Incompertum vero est quanto tempore plebs Trajectensis tum sine pastore permanserit, donec Sigebertum pater regem Austrasianis dedit, et in Mediomatricum urbe sedem habere voluit. Ei vero Trajectenses ex communi sacerdotum electione, magnatum multa frequentia, et omnium ordinum postulatione, ejusmodi preces offerunt, neminem ipsis nisi beatum Remaclum episcopum præfeci debere : qui sit et Deo et hominibus charus, nulli ejus ætatis sanctitate secundus, angelicis spiritibus gratus, cunctis mortalibus suscipiendus et reverendus. Ejus se multa expertos beneficia, crebro et apud regem et proceres multum ipsis ejus profuisse suffragia commemorant. Nec ejus obscuram esse prudentiam, qui non raro regiis consiliis adhibitus sit. Suppetere ei scientiam Scripturarum, unde possit et vetera et nova proferre. Denique nihil ei earum rerum deesse quibus Apostolus episcopum instructum esse velit. His sermonibus rex comiter et propenso animi favore assentiens, eorumque studiis obsecundans, statuit præstare quod rogabatur. Accersit igitur ad se beatum Remaclum, et ea de re cum eo confert sermonem, et certe dici vix queat quanta orationis suavitate ad ei persuadendum usus sit, quamque illi modis omnibus vir sanctus obluctatus sit. At rex, sacerdotum et procerum fretus consilio, ab intentione sua non destitit.

Tandem vir Dei, veritus ne divinæ resisteret voluntati, invitus quidem septimus et vicesimus Tungrensi vel Trajectensi Ecclesiæ antistes datur : ut verbi divini semina, quæ hactenus apud se celaverat, pluribus impertiret.

IV. Qua vero religione, qua integritate, illud munus exsecutus sit, nos explicare nequimus, cum mox in ipso ordinationis ejus initio tantam ei verbi gratiam Christus largitus sit, ut omnes promptissimos sese ad obtemperandum exhiberent, nemo esset qui non ex animo eum diligeret : unusquisque ad ejus se doctrinam conformare pro viribus niteretur. Nulla in ejus moribus arrogantia, sed totum illum sibi sancta humilitas vindicabat. Superbi eum reverebantur ut superiorem : humiles amplectebantur ut fratrem. Erga omnes communierat animi benevolentia et amore. In terris degens corpore, habitu et moribus cœlestem se declarabat. Aspectu angelicus, incessu compositus, actione sanctus, integerrimus corpore, solertissimus animo, in opere circumspectus, ingenio excellens, magnus consilio, fide catholicus, spe patientissimus, charitate diffusus. Cujus apud Deum meriti esset facta ejus testabantur. Mira in eo cernebatur morum suavitas et facilitas, atque inter divites et pauperes ea noverat moderatione se gerere, ut pauperes eum suæ sortis, locupletes vero sui ordinis arbitrarentur. Non ille personas potentum, sed morum elegantiam pensitabat, tanto quemque propensius honorans quanto eum didicisset sanctius vivere. Quod ore dicebat, et astruebat, nunquam actione vel opere destruxit; sed factis ostendit quid voce doceri oporteret. Quod ei divina gratia contulit, id in posteros derivavit. Unde illud consecutum est, ut non ejus modo gesta nobis hodieque proficiant; sed etiam discipulorum ejus, et qui ab eo fideliter educati sunt; quorum actus et opera nobis exemplo sunt, et ad imitandum nos invitant.

V. Multorum ille cœnobiorum et fundator et rector

fuit, in quibus usque in hunc diem Christo servientium agmina increscunt. Discipulorum plurimum pater fuit et institutor, quorum ut ille Christo lucratus est animas, sic et ipsi, et eorum successores, multorum animas ad Christum adduxere; quorum sane merita in illum redundant. In iis fuit beatus Theodardus, ab eo procul dubio disciplinis ecclesiasticis informatus, quippe quem sibi successorem designavit : qui ad extremum martyr abcessit e vita. Itemque sanctus Lambertus, qui itidem sua tempestate martyrem egregium se exhibuit. Beatus quoque Adelinus, in Aquitania natus, et peregrinationis ejus, ut fertur, comes : qui ei quandoque in loco secreto digna Deo studia et opera exercenti per visum apparuit, vultu venustus, capillis reverendus, statura reliqua præstantissimus, futuræque conversationis et perpetuæ quietis locum, fontemque humanis usibus opportunum indicavit. Quæ res hodieque omnibus minime obscura est quando in eodem loco corpore quiescit, et spiritu præsens, innumera illic quotidie credentibus beneficia præstare non cessat.

VI. Porro autem in sancti Trudonis electione non difficulter potest animadverti qua intentione sanctus vir causis et custodiæ Dominici gregis invigilaverit, quam ei non defuerit prophetiæ spiritus, quam denique in illo, magno Christi amore flagrante, cupiditates omnes exstinctæ fuerint. Pastorali ille sollicitudine parochiam suam pro more visitabat, et quos poterat, e luporum faucibus extrahebat, summoque pastori lucri facere conabatur. Bonis adminiculo erat, ut fierent meliores : desides atque torpentes, ut ad meliorem se frugem reciperent, hortabatur. Interea sanctus Trudo, etiamnum puer, primos jam virtutis fructus proferebat. Cumque is superbi sanguinis multa generositate polleret, major tamen ei divini amoris et virtutum ardor atque studium inerat adeo ut quandoque voto se obligaret, si Christo opitulante sacras didicisset litteras, se in fundo suo ecclesiam ædificaturum, illic perpetuo Domino serviturum, et quos posset, ad Dei cultum et ministerium sibi socios aggregaturum. Atque eo flagrans desiderio, nocturna visione afficitur, et angelica consolatione hunc in modum confirmatur : « Noveris, frater, inquit angelus, ea vota quæ Christo puer nuncupastis illi esse grata, precesque illum admisisse tuas : nec dubites quia quod præveniens tibi aspiravit, etiam adjuvando sit pro secuturus, et ad effectum perducturus in effectum. Ille inquam, sapientia sua imbuet cor tuum; et eruditet te præceptis suis, et legem hanc inscribet pectori tuo. Porro autem etiam ad ecclesiasticæ dignitatis munia eveheris, multosque Christo et Ecclesiæ ejus filios tuis verbis et exemplo generabis. Atque ut de his certior efficiaris, beatum Remachum adito, qui non procul hinc abest. Illi Deus revelavit quid tibi faciendum sit. Ille diriget gressus tuos, quo tu tantopere aspiras. »

VII. Surgit ocius beatus Trudo, nil de angelica visione hæsitans eoque quo jussus fuerat ire contendit. Sanctus Remaclus tum occupatus erat pascendis et curandis ovibus suis; et cum propius beatus Trudo accederet, ille divina revelatione edoctus : « Surgite, inquit, propere, et viro Dei, qui nos invisere venit, obviam itote : reverenter illum excipite, et cum honore ad me introducite. En prope est, occurrite illi celeriter. » Faciunt illi ut erant jussi, et sanctum Trudonem ad beatum Remaclum, domi cum suis manentem, adducunt. Cernens illum pius pater surgit, et præ gaudio flens, in ejus oscula ruit; volentem ad ipsius pedes se abjicere retinet, moxque erigit, et ab intimo pectore gratias agens Deo : « Sit tibi, inquit, Jesu bone per Spiritum sanctum cum æterno Patre visitator animarum, gloria, laus, et jubilatio, qui voluisse nos hac die consolari adventu hujus famuli tui, in quo tu habitas. » Addiditque : « Et tu, fili mi, sis benedictus a Domino, qui te dignatus est mittere ad nos, et desiderium animi tui occulta inspiratione nobis significare. Scito igitur deinceps te mihi charitatis jure filium fore, meque semper tibi patris spiritalis officia præstaturum. Mihi enim servo suo revelavit Dominus quid pro animæ tuæ salute faciendum tibi sit : et ex me disces quemadmodum possis compos effici voti tui. Cognovi, Domino me docente, in puericia te vovisse, si tibi sacrarum litterarum cognitio quandoque obtingeret, ecclesiam in fundo tuo te constructurum, atque illic Domino, dum vixeris, famulaturum. Isthuc autem hoc ordine te noveris completurum. Sancto protomartyri Stephano apud urbem Metensem tuas possessiones offeres, et ab ejus loci habitatoribus scripta divina doceberis. Id ubi consecutus fueris, ad me redibis, et ecclesiam quo voles loco, ut es pollicitus, ædificabis. »

VIII. Deinde cum ei bene precatus esset, dedit ei litteras suas ad Metensis urbis episcopum, qui eum, ut divinitus ipsi revelatum erat, institueret ac erudiret. Præerat tunc Metensi Ecclesiæ Clodulphus, beati Arnulphi, ut carne filius, ita virtutum meritis in pontificatu successor dignissimus. Is humanissime beatum Trudonem excipiens, non solum ejus ipsius causa, sed etiam propter sancti Remacli egregiam commendationem, causis adventus ejus cognitis, sacris eum litteris et divina lege erudiendum curavit, et quas obtulit sancto Stephano possessiones suscepit. Multis vero annis illic moras trahentem bene habuit, diligenterque instructum et sacerdotio initiatum, sancto patri Remaclo remisit. Is percontans ex eo quid Dominus ipsi præstitisset, et num prospero itinere ultro citroque usus esset, ubi comperit eum in sacris litteris bene eruditum, immensas Deo gratias agit, ita dicens : « Laus tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod complere dignatus es ea quæ mihi de tuo famulo revelaveras, eumque ad me, tuis præceptis tuæque legis eruditione instructum et ornatum, incolumem revocasti. Per-

misit autem beato Trudoni in sua diœcesi prædicare verbum Dei, missas in quibus vellet ecclesiis celebrare, denique oratorium, ut promiserat, in proprio fundo exstruere. Permansit igitur aliquandiu apud eum, vivens sanctissime, ac tandem, episcopali percepta benedictione, natale revisit solum, et quod jam pridem animo conceperat, re ipsa effecit, oratorium exstruens in prædio suo, ubi multos Deo servituros collegit, atque ad extremum a beato Remaclo ejus oratorii consecrationem et petiit et impetravit; in quo etiam post multifarios hujus vitæ labores tumulatus est, et permulta illic perpetrans miracula, usque in hodiernum diem commoda illic efficit habitacula monachorum.

IX. Libet hic paucis considerare quam in beato Remaclo, ut diximus, cupiditatum omnium ignis consopitus fuerit, quam ille omnium nostræ ætatis sacerdotum merita excesserit, omnes nostri temporis episcopos sui comparatione damnarit; quibus si forte is casus offeretur, qui beatissimo viro oblatus fuit, secus procul dubio facturi videntur : non solum non hortaturi homines pios, ut facultates suas non suæ, sed alteri ecclesiæ donent; sed etiam, si qui ultro id facere velint eos dehortaturi potius, atque ut sibi eas largiantur persuasuri, non sine fraude aliorum, quod pace eorum dixerim. Quod sane quanto in nobis est culpandum magis, tanto meritum beati Remacli, id plane recusantis, majori est laude et prædicatione efferendum. Et hæc quidem de sancto Trudone aliquanto fusius commemorare voluimus, ut etiam prophetiæ donum beato Remaclo non defuisse ostenderemus. Cum enim Trudo ab ipso primum recederet, Metim petiturus, propter viliorem habitum ejus domestici beati Remacli illum contemnentes, moleste ferebant, quod hominem tam male vestitum apud se collegisset episcopus. Id vero ille, ex divina revelatione cognoscens, severissime eos objurgavit : sed cum eos pœniteret id fecisse, in gratiam illos recepit, admonens ut deinceps cautiores essent. Sed de his alias.

X. Quam vero post hæc sancte et religiose Remaclus vixerit, quis satis commemorare queat? Quis ejus erga commissum sibi gregem sollicitudinem explicet? Monebat omnes, ut a blandientis mundi lenociniis sibi carerent, a curis mundi hujus se subducerent, fraternæ paci et concordiæ studerent, viam mandatorum Dei inoffenso pede tererent, mundum et ejus cupiditates fastidirent, et ceu fœni florem brevi exarescentem promptis animis calcarent, cœlestia mente et actione consectarentur et appeterent. Cumque in his versaretur, majori cœpit ardere desiderio liberius vacandi Deo, ut posset quam suavis sit Dominus gustare. Optabat vero aliquam sibi rationem ostendi, quo facilius id obtineret. Per id tempus Sigebertus rex loca divino cultui mancipanda in quibus non erant locis, cum ingenti animi devotione condebat; condita vel a se vel superiorum temporum regibus, benignissima largitate et opibus sustentabat, atque ne debitus Deo cultus illic negligeretur, tam beati Remacli quam cæterorum sacerdotum vigilantia curabat.

XI. In eo loco quem Cœsecongidunum vocant, ad Sesmarum fluvium, idem rex, procerum consilio, in honorem apostolorum Petri et Pauli atque Joannis cœnobium condidit, quod aptus videretur is locus monachorum habitationi et instituto : idque sua liberalitate ditavit, egregios Dei servos in illud adduxit quorum beatum Remaclum voluit esse provisorem, atque etiam magistrum et institutorem, ut ex eo discerent convenienter sanctorum Patrum traditioni vivere. Exstat hodieque locus orationis, ejus opera in rupe excisus, in quo etiamnum male habentibus præstantur beneficia curationum. Illic enim vir sanctissimus Deo sese hostiam, jejuniis et vigiliis maceratam, aliquandiu obtulerat, et Christo familiarius conjunctus, divinæ contemplationi se dederat, atque salutaris doctrinæ pluviis subditorum pectora irrigarat. Ad ejus tandem loci pertæsum, incertum quam ob causam, nisi quod fama sparsit, locum illum multas persensisse molestias a potentioribus, qui circum circa morabantur : cumque non haberet rex in propinquo, unde posset is locus dilatari, beatum virum accessisse regem eique dixisse : « Celsitudinem tuam, inclyte princeps, admonendam censui, quod cum multa passim tua munificentia, Dei et sanctorum ejus cultui dicata sint monasteria, sola Arduenna, in arduis sita montibus, nulla adhuc cœnobia obtinet. Jubeat igitur serenitas tua etiam illic nonnulla ædificari : aderit volenti ex Dei benignitate facultas, et nostræ sedis vicinitas non deerit. Nec vero difficile erit ea augere, et instruere rebus necessariis, cum loca omnia illic adjacentia tuæ ditioni subesse dubium non sit. » Ad hæc ita rex respondit : « Tuum est, Pater beatissime, nobis in hac re consilium dare : nostrum erit, tuo consilio accommodare consensum, et mature illud exsequi. Tu igitur hujus rei curam suscipe, et in opus incumbe : nos loca opportuna, quæ tu elegeris, et impensas tibi non negabimus. » Deinde convocavit rex fideles viros sanctum Cunibertum episcopum, Atelanum, Theodefridum, et Gislochardum episcopos : optimates quoque suos Grimoaldum Majoremdomus, Folcoaldum, Bobonem : itemque domesticos suos Clodulphum, Ansigisilum et Berselonem : iisque dixit : « Ex voluntate Dei, et vestro cæterorumque nobis fidelium consensu, duo statuimus condere monasteria intra fines Arduennæ, in quibus degant viri religiosi, monasticæ vitæ cultores, qui pro nostra et successorum nostrorum incolumitate, et totius regni stabilitate et tranquilitate, atque eorum, qui curis regni destinentur, conservatione, Deum omnipotentem deprecentur. Ejus vero ei procuratorem et hortatorem Remaclum episcopum ipsi operi præesse volumus. »

XII. Itaque regia auctoritate et necessariis comitibus munitus sanctus episcopus, Arduennam silvam, paludibus et montibus impeditam, petit : Vuarchinnam rivulum accedit : invenit illic certa indicia loca illa quondam idololatriæ fuisse mancipata, erant

illic lapides Dianæ, et id genus portentosis nominibus inscripti, vel effigies eorum habentes : fontes etiam, hominum quidem usibus apti, sed gentilismi erroribus polluti, atque ob id etiamnum dæmonum infestationi obnoxii. Igitur adhibita adjuratione per Christi nomen, et S. Crucis signo expresso, locum illum a dæmonum incursatione vindicavit et expiavit, moxque aqua ab ipso suo meatu guttatim dilapsa evanuit. Videns autem vir sanctus locum illum tum piscosis aquis, tum pascuis uberrimis commodam præbere habitationem, prolixe super fontem precatus, eum benedixit, lapidi signum Crucis insculpsit, plumbum in foramina infundens. Et ecce subito erumpunt aquæ largissimæ, quæ usque in præsens dictis nostris fidem faciunt eas cernentibus. Et quia locum illum a malorum spirituum infestatione mundaverat, Malmundarium, quasi a malo mundatum, placuit eum appellare. Exstruxit autem illic oratorium, itemque habitacula in usus servorum Dei, auxitque ea, quæ ad Dei cultum spectarent.

XIII. Sed cum is locus in Agrippinensi parochia situs esset, cœnobium suscepit constituendum, quod suæ diœcesis limitibus contineretur. Procedens igitur inde quasi ad duo millia versus Occidentem, Callam rivulum, qui parochiis conterminus est, transiit, et ad Amblavam fluvium in cujusdam montis confinio substitit. Atque ibi aliquandiu commoratus, multa de se sanctæ conversationis exempla dedit, quemadmodum possunt qui volunt nosse ab incolis id referentibus. Etsi autem locus ille multos haberet fontes, tamen quod angustus esset, nec officinis necessariis sufficeret, ad Orientem reflectit gressus; parumperque procedens, videt locum spatiosiorem, futuroque operi accommodatiorem. Ibi ergo labori cœpit instare attentius, aderatque illi, ut in talibus solet, divina virtus, qua factum est ut voluntatem effectus sequeretur. Porro quod feræ eo undique seu ad stabulum, vel potus vel pastus causa, confluerent, antiquitus ille locus Stabulaus dictus fuit. Quod nomen vir sanctus minime censuit immutandum, sed et dici et esse voluit stabulum fidelium animarum, eo tanquam ad æternæ vita pascua deinceps propraturarum. Porro fratribus quos illic vir Dei Dei ad præsens congregaverat, non parvum sæpe terrorem attulit strepitus ferarum eo catervatim accurentium; ita ut cum horrore quodam ad beatum Remaclum illi operi insistentem confugerent, quidque sibi adversum eas diaboli machinas præsidii capiendum esset inquirerent. Quos ille benigne consolerans et confirmans : « Credite inquit, in Domino, filioli, fideliter : ejus mandata sectamini inviolabiliter : mentem a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, servate liberam; animas vestras castificantes, Domino puram impendite servitutem : sine intermissione orate; vespere, mane, et meridie psallite : lectioni sæpissime vacate, frontes vestras crucis communite signo, ejus virtutem vestris imprimite animis; et confestim insidiæ et machinamenta teteri hostis in nihilum redigentur, et ferarum per quas putat se ad vos oppugnandos invenisse aditum, horror omnis facesset. His enim modis etiam ante nos infestabat Ægypti, Thebaidis et Nitriæ eremos incolentes, quorum utinam nos vel qualescunque possimus inveniri sectatores. Habet ille mille nocendi artes, nec desunt ei innumeræ fallendi viæ. Sed nos non ignoramus dolos et fraudes ejus, qui etiam per muscas quandoque nos impugnat. Nos vero Christi servi, quo illius incursatione crebrius premimur, eo magis assurgimus, fortiter illi resistentes. Expertus Satanas pertimescit initia recte vivere instituentium, vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, patientiam, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, et, præcipue, purum erga Christum amorem. Quamobrem ut leo in spelunca, insidiatur ab occulto vos ut a proposito deterreat. » His et ejus generis aliis verbis eorum animos ad Dei cultum promptiores effecit et adversus tentationes omnes confirmavit.

XIV. Postea, institutis operum perfectis, quid agerent exposuit, atque ita Tungros vel Trajectum se recipiens, ad pastoralis officii curas animum intendit. Non multo post rex ea didicit constructa monasteria et immensas omnipotenti Deo gratias egit; et quia ecclesiæ recens ædificatæ, episcopali benedictione indigebant, beatum Remaclum accersiens, tam eam quæ erat Coloniensis parœchiæ, annuente venerabili Cuniberto episcopo, quam illam quæ nostræ diœcesis est, ab eo voluit solemniter consecrari, ut cujus dispositione et ingenti studio conditæ erant, ejus etiam opera pontificali benedictione afficerentur. Nec vero ad has res vir sanctus ullas moras attulit; qui sane et regi et proceribus adeo charus erat, tantæque apud eos existimationis, ut nihil quod magni esset momenti, absque ejus consilio fieret. Atque ea causa, missarum peractis solemniis, utrumque monasterium Grimoaldus majordomus, illius tradidit solertiæ et industriæ gubernandum : simul indicans ei, si qua essent monachis necessaria, ea regem suppeditaturum, ubper ipsum de iis certior esset factus. Ita nimirum sanctus sacerdos remotioris vitæ sectandæ et captandæ sollicitudinis, uti semper optarat, Deo annuente occasionem adeptus est : et licet summa cum difficultate, impetravit tamen tandem a rege, ut alius ipsi successor daretur, ipse vero din expetitam posset eremum adire, ubi remotus a curis sæcularibus, liberius rebus divinis et cœlestibus inhiaret. Proposuit regi et optimatibus S. Theodardum, cujus erat vita probata, oravitque ut is suas expleret vices, et sibi subrogaretur antistes. Tum vero dici vix queat quantus ob ejus recessum luctus exstiterit, quam mœstos et afflictos reliquerit, quibus vitæ semina præbuerat : cum viderent illi se tali patre, tantoque doctore orbari. Omnis ætas, uterque sexus dolorem animæ testabatur lacrymis, et eum abeuntem deducentes, magnis vocibus dicebant; Heu! miseros nos, quidnam acturi sumus,

qui tanto pastore destituimur? Unde nobis suppetet consolatio illo amisso, qui miseriarum nostrarum fuit præcipuum levamentum? Quis porro nobis medebitur, quando ille nos deserit, qui nostris doloribus præcipue novit facere medicinam? quæ nobis salutis spes reliqua est, tanti patris præsentia carituris?

XV. Eorum vero lacrymis et querimoniis permotus vir Dei, his fere verbis eos consolabatur : Nolite, quæso, filioli, animi mei propositum vestris lamentis retardare. Habetis Deum pastorem et patrem intra vos, qui benignissime consolabitur vos in rebus duris et adversis. Ne quid autem etiam extrinsecus desideretis, providimus vobis filium nostrum Theodardum, in omnibus probatum, qui diligentissime saluti vestræ invigilabit, et tritici mensuram vobis summa fide dispensabit. Cujus prudentiam cum vobis non dubitem sufficere, cupio optatæ me dare solitudini et in præsentia illius Majestatis omnia contemplantis habitare mecum. Ad hæc responderunt, qui inter eos erant prudentiores : Vide etiam atque etiam, beatissime Pater, quid agas; attende qua nos ignominia afficias? Gregem quem semel pascendum susceperas, ut habent sanctorum Patrum statuta, nisi infirmitate cogente, et nisi sponte tua id facias, relinquere tibi non licet. Nam dum episcopus vivit, quem ab officio suo valetudinis imbecillitas, non crimen, revocat, alium illi subrogari, nisi ipse prius recuset, et petitionem scripto probet, nulla ratio permittit. Etiam mente capto, si ægritudo suam habeat per intervallum remissionem, non debet alius substitui, nisi ipse annuat. Quod si nunquam fit mentis compos, persona fidelis ac probatæ vitæ eligenda est, quæ dumille vix erit vices ejus impleat, et defuncto tandem succedat. Hanc Patrum viam si quis tenere nolit, is et uxorem dimissam mœchari facit, et ei qui sic dimissam duxerit, adulterii notam inuret. Hac igitur ratione vide, Pater sanctissime, quantum gravetur judicium tuum, quidve nostra fama accipiat detrimenti. Crimen tibi nullum intenditur, ob quod si convictus sis deponaris. Morbus te non premit, cujus causa tanquam repudium exhibens a tuo ministerio suspendaris. Itaque petitionem tuam, qua cupis tibi fonctionem hanc abrogari, licet scripto confirmes, rejicimus : alium, qui tuas gerat vices, prorsus non admittimus; tantum abest ut alium tibi viventi succedere patiamur : Pater, tu nobis datus es legitima successione; nos non adulterini sed legitimi filii et dici et esse percupimus.

XVI. Advertisti jam ubi prægravetur judicium tuum : accipe, quæsumus, unde existimatione nostræ ignominiæ nota inuratur. Ut nos recte atque ordine deseras, nullæ tibi causæ suppetunt. Primum quod minime sumus adulterini, ut jure nos relinquas. In catholicæ Matris gremio a te sumus excepti : nunquam credulas aures perverso dogmati adhibuimus. Et si fortassis etiam ea in parte peccassemus, tu nobis mederi debueras. Deinde ut alio te conferas, nulla te nostra persecutio compellit. Quod si vero Dominus permittit fugere, dum sævit persecutor certe infirmorum, nec satis perfectorum est ea consolatio, multi sancti patienter tolerarunt malorum improbitatem, et sua patientia illos curarunt. Postremo tum fugiendi, non æquo animo ferendi sunt mali, cum nulli adsunt boni, quibus prodesse queas. Sed heu! miseros nos qui dum tua hominis perfectissimi præsentia destituimur, in eam infamiæ suspicionem vocamur, te non modo studiorum nostrorum pertæsum esse, sed etiam pravis actionibus nostris expelli ; tuo tanti viri recessu haud obscure significante nullum apud nos bonum superesse. Nihil jam reliquum est, nisi ut calumnientur obtrectatores, augurentur maledici, successores tuos non modo ejiciendos, sed etiam morte afficiendos, quando et tu te a nobis subducis, et beatus Amandus, decessor tuus, pulverem pedum in nos excutiens, a nobis recessit. Verum Deus omnipotens, facilis ad ignoscendum, cum objurgavit prophetam, ob hederam subito arescentem male contentum (*Jonæ* IV), satis declaravit se longe ægrius laturum si pereat creatura ipsius, seque malle pœnitentiam malorum quam mortem (*Ezech.* XVIII).

XVII. His verbis commotus vir Dei, tacitus apud se cogitans aliquandiu, tandem in hæc verba prorupit : Nolite, fratres mei, id genus verbis me perstringere. Equidem non moleste fero deplorare vos apud me dispendia vestra; sed ferre non possum quod, tanquam injuria affecti, mecum expostulare vultis. Non ego vos adulterinos haberi volo, et quod ea causa discesserim a vobis : nec tam male sentio de vobis ut existimem me nullum fructum posse apud vos proferre atque idcirco alio me transferam, ubi fructus major spes affulgeat. Sed neque mihi id tribuo; perfectum me esse tantum abest, ut perfectissimus videri velim. Nec meo judicio perfectorum est, a cœptis non discedere, et se extendere in anteriora; actuosæ vitæ cum Martha insistere, ad contemplativam vero cum Maria ferventer non aspirare ; et si se offerat occasio, actuosæ vitæ potius renuntiare, quam contemplationi non cupidissime incumbere. Domino me adjuvante vos mihi commissos, ut potui gubernavi, ut labor meus vobis fructuosus esset, magna instantia rogavi. Nec me tædio afficiunt studia vestra, nec offendit pravitas, quæ nulla est, actionum vestrarum. Hoc unum superest, ut talentum quod in vobis gaudeo cumulatum, alio conferam magis magisque cumulandum, ut vestra abundantia illorum inopiam suppleat. Fecerunt hoc ante nos etiam sancti homines, quorum utinam nos vel extrema merita æquare possimus : e quibus plerique majoris utilitatis causa ad alias Ecclesias se transferri passi sunt; nonnulli spe uberioris meriti ultro commigrarunt. Postea vero, si se sentirent vel parum proficere, vel suam operam non admodum necessariam, sese subduxere et ad majores labores suscipiendos obtulere; quippe qui, ut fortissimi pugiles Christi, intra quietis clau-

stra teneri nollent, sed in apertum certaminis campum ultro prosilirent; non desertores pugnæ spiritalis effecti, nec instar mercenariorum ad luporum conspectum fugientes, sed fortiter congressuri; eo sponte se ingerentes, ubi aut rarior esset adversus hostes certantium numerus, aut ipsi hostes acrius et propius imminerent. Nec tamen ego, filioli, horum mihi virtutem arrogo, non me illorum meritis parem temere assero. Quod si vero successoris nomen ferre non potestis, sit sane cooperator meus. Neque me putetis [a] vobis absentem fore, qui, tametsi ad alios instituendos proficiscor, non tamen extra hanc diœcesim excessurus sum. Non longe a vobis abero : si quis casus evenerit, licebit consilii causa ad me accedere; ubi et pro peccatis vestris intercessorem, et omnium quæ vobis necessaria sint, quæque vos angant, tanto sollicitius memorem habebitis, quanto ero a curis popularibus remotior, et propterea ad divina contemplanda expeditior et studiosior. Olim Moyses in monte stabat, et, Israel cum Amalechitis pugnante, non armis sed precibus certabat, efficiebatque ut tanto esset in conflictu Israeliticus populus superior, quanto ipse Deo in oratione propinquior, et a strepitu præliantium remotior. Et mihi, charissimi, deliberatum est illic divinæ contemplationi attentius inhærere, ubi me sæculares tumultus minime interturbent. Ad hanc rem me incitat beatus Joannes Baptista, qui etiam in tenera ætate maluit inter feras degere, et earum cibo vesci, quam apud suos manere cives, ne vel otioso sermone se contaminaret. Habeo etiam ad hanc vitam egregium ducem Moysen, cui optatus fuit in vasta eremo divinis frui colloquiis, quam Ægyptiorum opibus et deliciis enervari. Elias quoque et Eliseus cæterique prophetæ, studio contemplationis insignes, etiam rege domuerunt. Abraham, omnium pater credentium fide effectus, huc me invitat, cujus jam antea secutus exemplum, contempto natali solo, res facultatesque omnes abjeci. Denique ipsius Domini Salvatoris exemplo provocor, qui, cum teterrimo hoste conflicturus, solitarius ad eremum abscessit. Cujus misericordia et benignitate utinam fiat ut et ego illic improbi hostis fraudes proterere, de illic instituendis lucra cumulare, et vestræ saluti meis precibus aliquid utilitatis adferre queam! Ita beatus Remaclus dolores suorum lenivit, et querimonias sedavit, ac deinde suo perrexit itinere.

XVIII. Postquam autem ea res innotuit tum prope tum procul degentibus religiosis viris, quorum Deus animos permovit, cœperunt undique ad eum seu apes ad alvearia confluere, nonnulli se omnipotentis Dei servituti addicere, et levi Salvatoris jugo colla supponere, quidam liberos suos liberalibus, imo vero monasticis imbuendos disciplinis atque illic Christo perpetim servituros offerre; multi de suis facultatibus et reditibus sanctis necessaria ministrare. Inter quos etiam Dominus et Pater Papolenus [*al.*, Babolenus] ad eum, invisendi quidem causa, venit, sed ejus inhærere magisterio, quam domum redire, maluit. Susceptus est a beato Remaclo officiocissime, et vixit apud eum sine offensione, quique instruendus eo venerat, complures suis exemplis ad virtutis studium incitavit. Cernens id beatus Remaclus, secumque cogitans ea causa missum eum fortassis a Domino, rogavit eum ne ab ipso discederet : tum propterea ob fratres in disciplina continendos, Malmundariensi cœnobio, cujus monachi S. Benedicti instituto vivebant, salva in omnibus auctoritate sua, eum præfecit. Atque inde Stabulaus reversus, ad majora virtutum opera se accinxit, suisque exemplis permultos ad sui imitationem pertraxit.

XIX. Quis apud illum tristitiam non mutavit in gaudium? Quis iram animi tranquillitate et pace non depulit? Quis orbitatis luctum ad ejus conspectum non cohibuit? Quis non, paupertate pressus, ejus sermonibus ita sublevatus est, ut et divum opes despiceret, et sua inopia lætaretur? Quis, laborum onere prægravatus, ejus non est adhortatione erectus? Quis adolescens, sævientis libidinis igne succensus, non confestim, ad ejus admonitionem saluberrimam, pudicitiæ cultor exstitit? Curabat vexatos a dæmonio : illicitis cogitationibus æstuantes ab opere malo retrahebat, docens eos ad petram Christum allidere. Noverat quo quisque laboraret morbo, et, ex vitæ meritis singulos existimans, pro ratione morborum adhibebat reprehensiones. Interea crescebat illi divini amoris studium et ardor, monasticæque disciplinæ rigor inflexibilis. Quam vero in cæteris ejus monasterii officinis omnis fuerit peccandi interdicta facultas, testis est vel solus dormitorii locus; testis est et sanctus Lambertus, qui, e sua pulsus sede, eo potissimum confugit, quod non esset nescius illic vel maxime sanctæ religionis vigere cultum; testis quoque est crux lapidea, ad quam ob strepitum labentis calcei, quo fratrum quies fuit interrupta, ire jussus nocte media, usque in crepusculum sub illa stetit, psalmodiæque et precibus vacans, atque frigus contemnens, et nives calcans, sanctitatis suæ certa indicia dedit. Sed de his alias.

XX. Porro autem crescente religione crevere etiam Ecclesiæ illius proventus. Ubi enim rex Sigebertus eum audivit fratrum fervorem erga Christi cultum, beatum Remaclum evocans, præter ea quæ prius dederat, et vir illustrissimus Grimoaldus obtinuerat, unde etiam hactenus fratres vixerant, ex consensu fidelium suorum, tam episcoporum quam procerum supra dictorum, in honorem Dei et cultum sanctorum Petri et Pauli apostolorum et beati Martini : quibus ea loca dicata erant, permisit beato Remaclo ut in usus servorum Dei, quo deinceps quietius viverent et absque vicinorum impressione soli Deo liberius vacarent, per utriusque monasterii circuitum duodecim leucæ designarentur, intra quorum limites quidquid haberetur, ab solis utriusque cœnobii colonis excoleretur. Dicitur autem leuca apud Gallos spatium mille quingento-

rum passuum, id est, duodecim stadiorum. Eam donationem testamento confirmatam, et annuli regii impressione consignatam, sanctus vir libenter accepit, et reverenter conservavit. Deinde anno decimo quarto regni sui idem rex legavit testamento beato Remaclo quædam in Aquitania, puta telonium in portu Vetraria ad fluvios Taunacum et Ittam; itemque portum Sellis et Vogatium ad flumen Ligerim, cum omnibus ad eum attinentibus. Quod quidem testatur scriptum, ejus manu subsignatum: « Sancta, inquit, ac venerabilia monasteria, Stabulaus sive Malmundarium cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus episcopus et abba, Christo auspice, præesse videtur; quæ vir illustris Grimoaldus majordomus in honore sancti Petri ac sancti Pauli, vel sancti Martini, seu cæterorum sanctorum, suo opere in vasta eremi Ardennensis construxit; quemadmodum nos loca ipsa ad ipsa monasteria ædificanda pro nostra præceptione ex foreste nostra concessimus; quæ, licet gratia Christi sint ditata, mundanam substantiam cernuntur parumper habere: ideo, divina inspiratione commoniti, decrevimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa monasteria respicere et consolari; » et cætera quæ in eodem scripto (auctor vocat præceptum) sequuntur. Denique in fiscis, quæ monasteriis illis adjacent, decimas illis dedit, quas etiamnum ea monasteria obtinent.

XXI. Post hæc rex ille, cum Austrasiæ regnum præclare rexisset, diem clausit extremum. Porro Grimoaldus majordomus, sive præfectus palatii, vel ut alii volunt magister equitum, sub prætextu munerum accipiendorum, a Clodoveo fratre Sigeberti Parisios evocatus illic retentus est quod filium domini sui Sigeberti, quem in suam fidem susceperat, ut eum patri regno substitueret, clericum effecisset sive totondisset, suum filium regem volens constituere. Clodoveo quoque defuncto, Clotarius filius ejus in Occidente, frater Clotarii Childericus in Austrasia regnarunt. Hunc ergo beatus Remaclus adiit, et, quod patruus ipsi donasset, ut confirmaret petiit. Rex libens annuit, et, ut vir Dei petierat, ejus successorem Theodardum et Odonem domesticum jussit ejusdem mensuræ solum remetiri: cujus partem dimidiam sibi rex servavit, reliquam usibus servorum Dei testamento addixit et confirmavit. Quod quidem virum Dei prudenter admodum fecisse constat, ut, si fortassis successores ejus aliquando minus possent, minori negotio, quod minus esset, sine invidia et infestatione vicinorum liberius sibi vindicarent. Obiit vero etiam Clotarius rex, et ad Childericum monarchia devoluta erat. At ille postea, propter morum insolentiam interfectus, fratrem Theodoricum habuit in Occiduis regni partibus successorem, cui magister equitum fuit Ebroinus. Horum tyrannidem aversati, Austrasiani Pipino principi studebant et parebant. Is ubi didicit in supradictis monasteriis cultum religionis augeri, duas ex fiscis suis villas in usus mensæ servorum Dei, unam in Harbanio, alteram in Arduenna, pro Dei et S. Remacli, [reverentia. ED. PATROL.] attribuit. Sul horum tempore ferunt eum Romam profectum, sancti Petri aliorumque sanctorum suffragia imploraturum, atque illi tandiu in preces et jejunia incubuisse donec, divina et angelica consolatione fretus, quamdam reliquiarum ejusdem beatissimi apostoli partem meruit obtinere; quæ quidem apud nos auro gemmisque ornatæ præcipuo cum honore asservantur. Quod licet quibusdam fortasse incredibile videatur, nos, qui incomparabilem illum veneramur thesaurum, multa in earum præsentia divinitus vidimus beneficia præstari: quæ poterit qui volet in libro virtutum sive miraculorum ejus lectitare.

Jam vero senior beatus Remaclus, sed moribus tamen quam annis maturior, diem vocationis suæ sentiens imminere, tempusque adventare quo compensaret honor in cœlis quod labor trivisset in terris, subditos suos ad se accersit, et tum ipsius obitu tum sua desolatione mœrentes ita consolatus est: Ecce Patres sanctissimi, ecce fratres charissimi, quos habeo affixos intimis visceribus meis, pars dimidia animæ meæ: ego viam universæ carnis ingredior, nec ad vos deinceps rediturus sum. Vestra itaque, quos desero, solitudo me habet sollicitum, non mea abitio, qui Deo me consolante confirmor. Non me terret conditio communis mortalium omnium, quando etiam tota sapientis vita, quædam [mortis] debet esse commentatio (10). Non potest fœda mors accidere viro forti, non immatura sapienti, non misera eam providenti. Vestra me teneritudo, quos adhuc expediret solidioribus informari disciplinis, non parum movet: vobis prorsus timeo, ne, si lupi rapaces incurrant, nemo sit qui eos repellat. Equidem hæc monasteria Deo et sanctis ejus dicavi, vestrisque usibus accommodavi, vestra in hoc usus opera forti et fideli. Quid autem in posterum eventurum sit, incompertum est mihi. Videtis sane quo loco res nostræ sint, et quam sit hic mundus in maligno positus. Si quid igitur potest apud vos oratio mea, curate, obsecro, ne ab ea integritate, quam in vobis efficere volui, ullo unquam errore abducamini: sed sitis semper in Christo conjuncti et unanimes, quemadmodum et Patrum traditione, et Scripturarum sanctarum lectione, et mea sollicita adhortatione accepistis. Ex vestris manibus nunquam deponatur sacra lectio, sed in ea sit vobis jugis meditatio. Ut enim ager, quamvis fertilis, sine cultura non potest esse fructuosus: ita nec sine doctrina animus (11). Nostis illud, docto et erudito homini vivere, esse cogitare. Orationi frequenter incumbite: pro culpis humana fragilitate admissis Deum deprecamini; ne alias deinceps admittatis, sed etiam

(10) CIC. *Tusc.* I, 30.

(11) CIC. *Tusc.* II, 3.

accurate, ne id fiat invigilate. Si quis enim socordiæ et ignaviæ se dederit, frustra ille Deum imploraverit. Vobis virtus sit, vitium fugere, et sapientia prima, stultitia caruisse (12). Pudor, justitiæque soror incorrupta fides, nudaque veritas (13), vestris in cordibus sibi domicilium vindicent, ut qui facta vestra conspiciunt, ad imitationem provocentur. Veram peccatorum confessionem faciatis Deo et prælatis vestris : tentationum impressiones in ipso primo aditu delegatis. Stultorum enim præposterus pudor dum celat ulcera, illis majores subministrat vires. Obedientiam majoribus exhibete, coram institutionibus animos accommodate. Tunc enim quique recte vivit, si curat id esse quod audit. (14) Ab omnibus, quæ ira suggerit, vobis temperate; solus enim est triumphus innocentiæ, non peccare cum possis. In optimis quoque temperantiam quamdam adhibete. Est enim modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum (15); et metiri se quisque suo pede, suoque modulo debet (16). Nemo alteri injurius sit : accipere enim, quam facere, præstat injuriam. Patientiam, quæ miseriarum portus est, amplectimini, nemo enim adeo barbarus est ut non possit mitescere, modo culturæ patientem commodet aurem (17). A nullo labore, qui sit a præfectis vestris vobis impositus, absterreamini : quia omnes etiam duri labores, contentione fiunt tolerabiles, et usus sive consuetudo laborum, etiam dolores facit magis patibiles. Segnitiem prorsus fugite : non enim ignavas mentes facile comitatur virtus. Superbiam vel maxime respuite, ut vera possitis libertate potiri. Non enim ille liber censendus est, cujus animum superbia occupat. Castitatem sectamini, omnis namque ponderatio, ut ait Scriptura divina, non est digna continentis animæ. Prosperi successus, qui etiam sapientium animos fatigant, non vos delectent; nam qui plus nimio delectatur, rebus secundis in diversa mutatis quatietur (18). Ante omnia pacem et concordiam servandam admoneo, ut sicut in duobus estis monasteriis congregati, ita gemina vobis ferveat dilectio, Dei et proximi; cumque sit unus vobis pastor præfectus, nullo unquam scandalo aut schismate vos dividi patiamini (*Eccli.* xxvi). Non vos ossa consumens vastet invidia, namque invidus alterius rebus macrescit opimis, et invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum (19). Si minores fortasse adsint facultates, nolite conqueri. Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus (20) : et ipsa nos natura quotidie admonet, quam paucis, quam vilibus, quam parvis egeat. Non opibus mentes hominum curæque levantur (21).

Hæc sunt charissimi, quorum vos admonitos volui, tanquam ultimum vale vobis dicens, jam jamque e vita abiturus. Vos curate, et tanto arctius vestris inhæreant pectoribus, quanto majorem ex meo recessu molestiam capitis. Quæ si apud vos fructum aliquem effecerint, maximo me gaudio officietis. Simul autem cogitetis, vos quoque morituros, et ita tempus pœnitentiæ agendæ collatum, ne, quæso, inaniter labi patiamini. Veniet, veniet ille dies, cum frustra desiderabitis horæ usuram. Dum ergo tempus est, operamini bonum ad omnes (*Gal.* vi). Mors ultima linea rerum est (22). Perpetuus nulli datur usus, et hæres hæredem alterius velut unda supervenit undam (23). Pulvis et umbra sumus (24) : omnes una manet mors, et calcanda semel via lethi (25). In bonis autem operibus et recte factis si hinc decesserimus, beati erimus, una cum corporibus etiam omni cupiditate et æmulatione absoluti.

Ilis suavissimis iisque extremis sermonibus mœrorem illorum lenivit. Deinde medica correptus febre, cum se sacrosancti corporis et sanguinis Domini viatico confirmasset, inter charissimorum filiorum manus animam reddidit Creatori, post diuturnam Christo exhibitam servitutem. Vetus Israelita, egressus ex Ægypto, spoliato vicino, aucta talenta reportavit. Corpus ejus, honorifice curatum, cum multa psalmorum et hymnorum melodia in beati Martini oratorio quod ipse extruxerat humatum est; ubi etiam aliquandiu jacuit, miraculis interim testatum efficiens se apud Dominum vivere. Successit illi dominus Papolenus, vir apostolicus, cujus supra fecimus mentionem : Papoleno Sigolinus, beati patris judicio æque approbatus : Sigolino Goduinus annis et morum maturitate grandævus, qui sancti viri corpus transtulit, et in Ecclesia B. Petri reposuit, lectumque illius auro et argento ornandum curavit. Ubi, per ejus merita, multa usque in præsens Dominus miraculorum signa efficit, quæ illic conscripta habentur in laudem et gloriam præpotentis Dei, qui est benedictus in sæcula. Amen.

(12) Hor. *Epist.* I. 1, 41.
(13) Hor. *Carm.* I, 24, 7 et 8.
(14) Hor. *Epist.* I, 16, 17.
(15) Hor. *Sat.* I, 1, 107.
(16) Hor. *Epist.* I, 7, 98.
(17) Hor. *Epist.* I, 1, 39 et 40.
(18) Hor. *Epist.* I, 10, 30.
(19) Hor. *Epist.* I, 2, 57.
(20) Hor. *Epist.* I, 12, 4.
(21) Lucret.
(22) Hor. *Epist* I, 16, 79.
(23) Hor. *Epist.* II, 2, 175 et 176.
(24) Hor *Carm.* IV, 7, 16.
(25) Hor. *Carm.* I, 28, 15 et 16.

ANNO DCCCCLXXVI-MXVIII.

THIETMARUS

MERSEBURGENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA IN THIETMARUM.

ÆTAS, PATRIA, NATALES, RES GESTÆ, SCRIPTA.

(Lappenberg, Proœm. ad Chronic. Thietmari, apud Pertz, *Monum. Germ. hist.* Script. tom. III, pag. 723.)

Thietmarus, patria Saxo, Sigifridi comitis atque Cunigundæ fuit filius; claris natalibus oriundus, qui a patre comites Walbeccenses, a matre Stadenses generis habuit auctores. Ambo ejus proavi (1), Liutheri (2) uterque nomine, Heinrici regis castra secuti, prope Lunkini a Slavis uno die interfecti sunt. Horum alter filium habuit Liutharium, Thietmari nostri avum paternum, Walbeccensis monasterii fundatorem. Qui cum ob conjurationis contra Ottonem regem a. 941 factæ societatem Bertholdo comiti Bavariæ in custodiam traditus esset, ipse postea filiam suam Eilam, Thietmari amitam, in matrimonium dedit, unde natus est Heinricus marchio (3). E filiis Liutharii maximus natu patris et nomen et comitatum accepit, cui postea marca etiam Brandenburgensis accessit. Secundus, Thietmarus, abbas fuit Corbeiensis, a quo multa ad opus suum utilia hausisse nostrum, putare possumus. Tertius, Sigifridus, a. 972 cum Udone Brandenburgensi marchione contra Miseconem in Poloniam profectus (4), a. 979 cum fratre Liuthario Geronem comitem captum accepit custodiendum (5). A. 983 contra Obotritos pugnavit (6), cladique adfuit Tangermundensi; sed equi lapsu ita debilitatus est, ut arma ferre non jam valeret (7). Postea legationi interfuit quam circa a. 988 imperatrix, ad pacem inter Miseconem et Bolizlaum conciliandam, in Poloniam misit (8). Mortuus est Walbeccæ, Id Martiis a. 990 (9), filios relinquens e Cunigunda Heinricum comitem; Fridericum præfectum Magdeburgensem, ferociter agentibus sæpius socium se præbentem (10); Sigifridum, a. 1009 abbatem Bergensem, 1020 Monasteriensi sedi prælatum, cui Thietmarus opus suum dedicavit; Brunonem, qui Corbeiæ educatus, A a. 1023 apoas Bergensis, 1034 episcopus Verdensis est consecratus; et Thietmarum nostrum 976 Jul. 25 (11) natum, Halberstadii, ut videtur, cujus episcopus Hilliwardus eum baptizavit atque confirmavit (12). Puerum primis litterarum elementis Quidelingeburgi apud Emmildam patris materteram instructum, duodecimo ætatis anno pater Ricdago, abbati Sancti Joannis in Magdeburg, commendavit, cujus schola tunc temporis inter præclarissimas florebat. Ibi Thietmarus triennium studiis impendit, Græcas quidem litteras, ut videtur, non attingens, quippe quarum per totum opus vestigium appareat nullum; Latii autem fere poetas tantum legisse videtur, cum reliquos neque nominet, neque locos inde attulerit imitandove expresserit. Decimo quarto ætatis anno, cum inter canonicos Sancti Mauritii locum pater ei parare non posset, inter vicarios ibi sacris officiis functos (13) magno cum convivio receptus est, patre præsente, 989 Nov. 2. — Sequenti anno et patre et B avia Mathilda orbatus, a patruo Liuthario multa ob hæreditatem mala perpessus videtur cum matre Cunigunda, donec imperator a. 996 ipsis auxilium præberet (14). Anno 994, cum matris cognati a Nortmannis Stadæ capti essent, horum pro redemptione Thietmarum obsidem dare voluerunt. Sed eodem quo hic, ad piratas profecturus, jam laicali habitu scholam reliquit die, Sigifridus avunculus e custodia aufugit, reliqui captivi obtruncatis membris a Nortmannis foras projiciuntur. Unde factum ut Thietmarus, visitatis avunculis in Stade et Hersefeld, incolumis mox Magdeburgum reverteretur (15). Anno 998 matre Cunigunda defuncta (16), cum fratres hæreditatem dividerent, Thietmarus dimidiam partem bonorum accepit; quæ ejus majores ab eccle-

(1) Ipse dicit abavos I, 6. Stemma Thietmari pagina sequenti descriptum invenies.

(2) Seu *Liutharius*, *Liuthardus*, quod idem est.

(3) Ann. Saxo a. 977, qui tamen magno errore C Heinricum filium Bertholdi marchionem et Heinricum ducem minorem dictum eumdem putat; id quod probarunt Mascov et Schollmer.

(4) II, 19.

(5) III, 7.

(6) III, 11.

(7) IV, 9.

(8) Hanc legationem ante 990 factam esse oportet, cum Sigefridus jam initio ejus anni obierit.

(9) Ita annalista Saxo mortis annum designat, confirmatus eo quod Thietmarus ipse, IV, 11, de obitu patris, et VI, 30, de tempore narrat quo Thiedricus abbas fuerit Walbeccensis. Annum 996 indicare posse videtur, quod Thietmarus ipse codicis margini inscripsit ad IV, 11; sed illam anni designationem ad sequentem potius periodum pertinere, loci ratio aperte docet.

(10) IV, 26; VI, 29.

(11) III, 4.

(12) IV, 12.


(13) Ita intelligo verba IV, 11: *Ibi tres annos ego conversatus, in omnium festivitate sanctorum ad sanctum Mauricium, quia ad altare hoc me dare non potuit, fraternitatis consortio ab eo junctus sum.* Plerique Thietmarum canonicum Magdeburgensem dicunt; sed Gesta quoque epp. Merseburg. dicunt: *Sancto Mauritio in Magdeburg servus et spiritualis frater.*

(14) IV, 11.

(15) IV, 16.

(16) IV, 25.

STEMMA THIEMMARI



sia Walbeccensi jure feudali tenebant, ab ipsis maximam partem illi monasterio collata, quo ex nexu ipse sese « ecclesiæ Walbeccensis tunc paterna traditione servum fuisse » dicit (17). Hanc hæreditatis partem quod accepit, ea fuisse causa videtur ut ita præpositi dignitatem in Walbeck valeret adipisci. Sed hanc patruus Liutharius, acceptis decem mansis, jam diu Thiedrico cuidam nobili atque diviti clerico contulerat : quamobrem Thietmarus nonnisi multis precibus prædioque patruo dato efficere potuit ut, antecessore cedente ipse in dignitatem diu optatam succederet 1002 Mai 6 (18). Quod autem pretio dato eam percepit, ipsum postmodum satis pœnituit, Simoniæ se inde accusantem. Cumque paulo post in morbum incidisset, sanatus statim Coloniam petiit, ut et culpam illam ablueret, et pro sepulcro violato pœnitentiam ageret (19). Inde reversus, in civitate Arstadi a Taginone archiepiscopo Magdeburgensi presbyter ordinatus est, anno ut videtur 1003, Dec. 21, rege Henrico præsente casulamque ipsi largiente (20). Anno 1004 una cum Taginone regem in Italiam proficiscentem Tingam prope Kempten prosecutus est (21), ubi dedicationi ecclesiæ Beatæ Mariæ d. 19. Mart. adfuisse videtur (22). Inde reversus, festum Palmarum Gerarodæ et ipsum Pascha Magdeburgi celebravit (23). A. 1008 regem cum Taginone contra Bolezlaum proficiscentem comitatus est; sed cum usque Jüterbock venissent, salutarius ipsis visum est domum redire (24).

Taginonis familiaritas Thietmaro nostro quam maxime fuit utilis. Wigberto enim Merseburgensi episcopo in vivis adhuc versante, illic jam Thietmarum regi commendavit futurum episcopum; et quanquam rex, primo annuens, postea Ethelgerum illi sedi destinavit, Tagino tamen, Thietmaro Augustam accersito, effecit ut ibi cum electione præsentium episcopalem dignitatem cum baculo a rege commissam acciperet d. 21 April. 1009. Post diem tertium Neuburgi a Taginone chrismate perunctus est, ipso rege præsente (25); quem Ratisponam usque prosequitur. At mox ad sedem suam properans, clericos sibi subditos, e quibus multi aufugerant, Eytram convocavit, ut eos firmaret, et absentes ad officium reduceret. Deinde Merseburgi honorifice susceptus, et ab Erico Havelbergensi episcopo inthronizatus, Ascensionem Magdeburgi celebravit; unde ad Walbeccense monasterium profectus, communi monachorum consilio illud Willigiso fratri suo, ex alia matre, fortasse concubina, nato regendum tradidit. Pentecosten Merseburgi cum rege celebravit, eumque inde Magdeburgum comitatus est (26). A. 1010 nomen ejus occurrit in diplomate regis, 28 Jul. Merseburgi dato (27). A. 1011 exeunte Januario cum rege Liubusuam profectus est ad urbem de novo ædificandam, qua occasione ibi magnum opus Romanorum agnovit (28). A. 1012 Maii 6 adfuit consecrationi ecclesiæ Bambergensis (29); et Juni 1 Pentecosten cum rege celebravit Merseburgi, ubi Taginonis ægrotantis loco missam ipse cecinit. Quo mox defuncto, Thietmarus statim Magdeburgum properavit, ut Ecclesiæ suæ jura in novo archiepiscopo eligendo exerceret; inde cum Walterdo electo Gronam adiit 14 Jun. a rege vocatus, cui pro Ecclesiæ suæ necessitatibus multa locutus est. Magdeburgum redux d. 22 Jun. in Walterdi unctione adfuit (30). Paulo post d. 25 Julii ad exercitum se contulit prope Schrenz collectum (31); sed jam 3 Aug. Merseburgum rediit, maturo satis tempore ut et Waltherdo archiepiscopo morienti assistere, et cum reliquis præsulibus nepotem suum Theodoricum illi successurum eligere posset. Die 22 Augusti, cum duo Magdeburgi altaria consecraret, nuntio magnæ cladis a Polonis illatæ territus, statim ad reginam Merseburgum properavit; a qua cum provincialibus ad Muldam directus, 21 Sept. Seehusæ regem convenit, quem iterum de sedis suæ per Magdeburgenses archiepiscopos interpellatæ necessitatibus admonere non oblitus est. Sequenti die cum rege Magdeburgum venit, ubi Theodorici loco, rege persuadente, Gero archiepiscopus est constitutus; et inde Merseburgum adiit ad curiam ibi celebrandam (32). Qua peracta, ad dilectam consobrinam Liudgerdam in Wolmirstedt ægrotantem vocatus, ultima ejus suspiria excepit (Nov. 13) corpusque Walbeccam comitatus est (33). Natale Domini in curte regia Palithi celebravit.

Anno 1013 rege tribus vicibus Merseburgi commorante, Thietmarus 22 Sept. donationem quamdam suæ ecclesiæ ab eo impetravit (34). A. 1014 Nov. 1 imperator iterum Merseburgi fuit, et a. 1015 Pascha ibi celebravit (35). Hoc anno Thietmarus novam ecclesiam episcopalem ædificare cœpit, cujus fundamentum in modum crucis ipse jecit d. 18 Maii, præsente Gerone archiepiscopo (36). Mense Septembri imperator iterum Merseburgi commoratus (37), nostrum cum Gerone die 8 Oct. Misniam misit, qui arcem illam reficerent atque custodirent. Inde cum post 14 dies redirent, in itinere Thietmarus Geroni persuasit ut e novem oppidis quæ sedi Merseburgensi vindicabat, quatuor ipsi conferret; quæ et accepit. Tum Walbeccam adiens, omnium sanctorum festum ibi celebravit (38).

A. 1016 Mart. 1 Misnensis episcopus recens electus Merseburgi a Gerone est consecratus (39), Thietmaro favente, quem ante Pascha et circa festum Johannis Baptistæ iterum Magdeburgi videmus (40). Ibidem 22 Febr. 1017 ab imperatore, qui Merseburgo eo venerat, his quædam inter Merseburgensem atque Misnensem Ecclesiam composita est, non tamen ita ut Thietmarus speraverat (41). Exeunte mense Martio ipse Misniam adiit, imperatore, ut videtur, jubente (42), qui die 1 Oct. Merseburgi præsens Thietmarum ejusque Ecclesiam muneribus prædiisque largiter ditavit (43). A. 1018

(17) VI, 30. Curtes suas laudat : Retnerslevo I, 7, VI, 27, 31 ; Egisvillam VI, 29 ; Heslinge VIII, 8.
(18) VI, 30. Non recte Wedekind (*Not.* III, 255) annum 1000 statuit, eo nisus quod tunc temporis in ecclesia Walbeccensi jam exstiterit custos, et quod Thietmarus ipse episcopalis unctionis die præpositi dignitatem deposuerit. Sed Thietmarus disertis verbis narrat hanc se tum demum deposuisse, cum inter Ascensionem et Pentecosten (26 Mai 5 Jun.) 009 Walbeccæ commoraretur, postquam septem annis et 24 diebus ibi præpositus fuerit. Quod accurate in a. 1002 incidit.
(19) VI, 30.
(20) VI, 31.
(21) VI, 3.
(22) Uti conjicere licet e Kalendario Merseburgensi ad h. d.
(23) VI, 3.
(24) VI, 24.
(25) IV, 27. Kalend. Merseb. VIII Kal. Ma[illegible]
(26) VI, 31.
(27) Höfer Zeitschrift I, 160.
(28) VI, 39.
(29) VI, 40 sqq.
(30) VI, 44.
(31) VI, 45.
(32) VI, 50. Hoefer I, 161.
(33) VI, 51.
(34) Hoefer I, 165.
(35) VII, 6. Böhmer Reg. n. 1129, 1140.
(36) VII, 9.
(37) VII, 15 Böhmer n. 1141.
(38) VII, 16.
(39) VII, 20.
(40) VII, 25.
(41) VII, 37.
(42) VII, 39.
(43) VII, 48.

m. Maio Thietmarus diœcesis suæ partem circa Rochlitz sitam visitavit ob controversias cum Ekkehardo comite ortas, a quo tantis molestiis est petitus, ut imperatoris inde auxilium imolorare cogeretur (44). A

Hæc sunt quæ de se ipse in Chronicis narrat. Obiit die 1 Decembr. 1018 (45), quadragesimo tertio ætatis anno nondum peracto. Corpus in ecclesia Merseburgensi sepultum est (46). Statura parvum, maxilla læva et latere eodem deformem, naso in pueritia fracto ridiculum se fuisse ipse dicit (47).

Libros *Chronicorum* (48) Thietmarus scribere cœpit, cum jam episcopalem sedem teneret (49); neque tamen omnes continuo stylo absolvit *), et etiam ultimo vitæ anno in libro scribendo occupatus fuit.

*) *Primum enim composuit exeunte a.* 1012 (50); *sequentes usque ad sexti caput fere* 52 *eodem anno condidisse videtur* (51): *finem sexti addidit* 1014 (52); *septimum exeunte demum a.* 1017 *aut ineunte* 1018 *absolvit* (53); *ultimo, mortem jam quasi præsentiens* (54), *extremis vitæ temporibus manum adhibuit, cujus priora septem capita circa d. Aprilis* 1018 (55), *ultimum non ante Septembrem* (56) *scripsit. Priori igitur Chronicorum parti reliqua diversis postea temporibus adjecit, quoties* fama velox aliquid novi ad scribendum deferret (57). *Unde totum opus neque imperfectum neque absolutum dici posse apparet, quippe cujus certum finem auctor ipse sibi non constituerat* (58) *nisi forte in obitu Heinrici imperatoris i lud concluxurus fuisset* (59), *si vitam eo usque habuisset comitem. Sed moris fortasse quodam præsagio* B

hoc ostendit liber octavus, tum tota compositionis ratione, tum codicis autographi statu, ubi inter illum ipsum locum in quo auctorem circa 16 April. constitisse supra diximus, (c. 7. fin.) et sequens caput pagina vacua relicta est. Id.

(44) VII, 10.

(45) Ann. Quedlinb, a. 1018 supra pag. 84 Kalend. Merseburg.. quod Annal. Saxo et Chronogr. Saxo ejus mortem a. 1019 ascribunt, hoc ad Brunonis successoris consecrationem pertinere credendum est. Duo diplomata annorum 1021 et 1022, in quibus ejus mentio fit tanquam viventis, spuria esse jam viderunt Hoefer Zeitschrift I, 167 et Köhler Fragmente zur Gesch. Leipzigzs 1787, p. 51. C

(46) Ad caput inscriptum habebat:

Reverendus dns. S. Ditmarus eps.

ad sinistram dextramque:

Quid sapiant, faciant, doceant, qui recta sequuntur,
Corde, manu, lingua, Ditmari gesta loquuntur.

ad pedes:

Gratia Dei sum quod sum.

Sed a. 1760 alio sarcophago imposito hæc sunt deleta. Cf. Wagneri editionem, pag. 276.

(47) IV, 51.

(48) Ita ipse eos vocat in prologo v. 39. *Gesta Saxonum* dicit codex 2. Præterea nihil unquam scripsit.

(49) I, 1.

(50) Apparet ex verbis I, 7: *hoc anno in. c. videbam in obitu dominæ Liudgardis* (quæ defuncta est 1012. d. 13 Novbr..) Bethmann. D

(51) Verba enim VI, 39: *quod in hoc anno, proh dolor! agnoscunt non esse falsum*, ad cladem VI, 48, narratam spectantia, non bene possunt scripta esse nisi a. 1012, quo illa clades accidit. Id.

(52) Neque antea, neque post scripsisse, arguunt versus VI, 61:

Nunc sunt bisseni, quod regno præfuit anni,

et verba *postea persensit* VI, 57, coll. VII, 3 quæ pertinent post Pascha 1014. Id.

(53) VII, 48: *Mense Decembri*; et paulo post: *Antequam hujus conclusionem anni faciam.* Id.

(54) Continet enim auctoris quasi quamdam confessionem atque testamentum, c. 7, 8.

(55) VIII, 4 fin. coll. 8 in. Id.

(56) VIII, 17: *In Suevia colloquium de rep. habuit.* Id.

(57) Ut ipse dicit VIII, 4. Cf. etiam IV, 33. Maxime *ductus, proximo ante obitum tempore librum suum ab aliis exaratum, ipse integrum emendans, supplens, adaugens, quasi absolvere voluisse videtur* (60); *quo tempore etiam prologum ad fratrem additum crediderim* (61). Bethmann.

Scripsit Thietmarus sermone rudi satis atque inculto, vocibus multis cum barbaris immixtis, tum alia significatione indita adhibitis; quem veteres scriptores nunquam tractasse crederes, nisi Horatii (62) maxime atque Lucani (63), sed et Juvenalis (64), Persii (65), Virgilii (66), Ovidii (67), Martialis (68), Terentii (69), Ausonii (70), Statii (71), Catonis (72). Macrobii (73), et e patribus Augustini (74) atque Gregorii (75), tum singula verba, tum locos majores in opere suo alios attulisset integros, alios imitatione expressisset. Ex recentioris ævi poematibus Ecbasin captivi eum legisse, in dubium vocari non potest (76). Præter hos quorum fontes novimus, alios quoque orationi suæ hic illic inseruit centones poeticos, quos utrum ex aliis sumpserit, an ipse consarcinaverit, non liquido apparet (77)

Sed quamquam neque sermonis elegantia, neque copia eruditionis, neque arte scribendi excelleret, non tamen ad historiam sui temporis narrandum impar accessisse dicendus est. Nam tum generis nobilitate, tum dignitate episcopali summis viris conjunctus, rebusque publicis tractandis sæpenumero ipse particeps interpositus, si quisquam, noster is fuit qui et multifariam hominum rerumque notitiam posset acquirere, et judicium ab omni auctoritate atque timore liberum servare valeret. Et cum negare non possimus, hic illic eum partium quodam studio abripi se passum in judicando (78), nunquam

(58) I, 1, *ignotæ ejusdem clementiæ qualiter vel scripturæ hæc — concludatur supplex committo.* Id.

(59) *Saxoniæ regum Vitam* prol. v. 7. Id.

(60) Vid. infra descriptionem cod. Dresd. Id.

(61) Prol. v. 25 sqq. coll. VIII, 14. Id.

(62) I, 1, 7; II, prol. 2; III, 7, 16; IV 10, 11, 26; V, 16; VI, 12, 23, 46.

(63) II, 21; V, 15. 24; VI, prol. 39; VIII, 4.

(64) IV, 51.

(65) II, 2, 18; IV, 41, 51; VI, 1, 27.

(66) IV, 5, 11; V, 20; VI, 9; VII, 5, 6; VIII, 4.

(67) VI, 61; VII, 12.

(68) VI, 10, 61 fin. Sed hæc fortasse habuit e commentatore Persii.

(69) II, 4; V, 6; VII, 51.

(70) II, 2 nisi et hoc e Persii commentatore sumpsit.

(71) I, 13.

(72) I, 5; VI, 26.

(73) V, 1, 10; VIII, 3.

(74) VI, 14.

(75) I, 1, ; II, 28; VII, 41; VIII, 14.

(76) VII, 21.

(77) V. C. I, 1, *ut potis est vel solers fiducia sinit.* 6, *decus et solamen patriæ*, 7. *ut dies (est) vivis, sic nox concessa defunctis.* II, 15 *divinas pulsavit supplici ter aures.* III, 16 *commissis gregibus inexpugnabilis murus.* IV, 15 *invidus, subsannans alios, ipse derideudus.* ib. *Nulli pro debito parcens, glutto et simulator.* V, 1. *Deo nolente voluit Heinricus regnare.* VI, 6 *instabilis cursus in pronum semper volvatur.* ib. *Sic alternando quietem cunctis amicam.* 39. *fluctivagos animos sapientiæ freno edomans.* VII, 13. *monachus habitu, sed dolosa vulpes in actu.* 27. *Scythæ, qui domos suas secum vehentes, feris et equino lacte pascuntur.*

(78) v. c. de Slavis, Bavaris (V, 11.), Lotharingiis (IV, 10; VI, 32, 39.)

tamen hoc ita factum est, ut sciens veritatem dissimularet vel perverse narrando depravaret; sed semper tenendum erit, loqui ibi episcopum de gentilibus patriæ suæ invasoribus, Saxonem de Bavaris inde ab Heinrico I jam Saxoniæ infestis atque de Lotharingis turbulentis multarum imperio molestiarum auctoribus. Omnino per totum opus illud apparet auctorem ubivis vera dicere voluisse, ita ut ne sibi quidem cognatisque suis parceret accusando quæ minus recte egisse viderentur (79); et cum aliquoties tacere alia, alia magis efferre videtur, hoc, ipso nesciente, ex manca fontium unde illa hauserat conditione oriri potuit. Quos raro tantum hic illic deprehendimus errores (80), eorum major pars ex eadem causa manavit; alii inde nati, quod Slavicæ linguæ non satis fuit peritus. Fontes autem chronicorum, præter ea quæ ipse vidit, tum aliorum habuit narrationes (81), tum in priori parte libros quoque scriptos adhibuit, Widukindi res gestas Saxonicas, cujus persæpe ipsa verba exscripsit (82); annales Quedlinburgenses (83); Ruotgeri Vitam Brunonis (84); Vitam sancti Othalrici (85); Kalendarium Merseburgense (86); decretum synodi Dortmundensis (87); diplomata ecclesiæ Merseburgensis, Magdeburgensis, Walbeccensis; Annales quoque Magdeburgenses atque Halberstadenses (88) adhibuisse videtur; epistolas denique aliasque notitias literis mandatas, quas ibi potissimum agnoscere posse nobis videmur, ubi narratio consueto elegantior est, in iis maxime quæ narrat de rebus Italicis.

Opus tam utile ad cognoscendam temporis ejus historiam sequentibus etiam scriptoribus et notum fuit et acceptum. Usi eo sunt Adelboldus in Vita Henrici II (89); annalista Saxo (90); chronographus Saxo (91); Chronicon Magdeburgense (92); Chronicon Halberstadense; Gobelinus Persona in Cosmodromio (93); Vita Meinwerci (94); Chronicon Merseburgense; Paulus Lange in Chron. Citi-

A zense 1515 et Chron. Numburgensi 1536; fortasse etiam Honorius Solitarius in Imagine mundi (95).

Codices Thietmari duo tantum exstant:

1. Cod. bibl. reg. Dresdensis membr. in 4to, a Wernhero episcopo Merseburgensi (1073-1101) monasterio Sancti Petri Merseburgi donatus, inde Siegmundo de Lindenau postea episcopo Merseburgensi (1535-1544) commodatus (96), a. 1574 Wittembergam, a. 1579 Dresdam translatus, nostrum in usum a V. Cl. Maur. Haupt accurate collatus est, ad quam collationem nos editionem nostram instituimus. Codex est autographus (97), in 207 foliis (98) (e quibus jam 15 desunt) 21 in quavis pagina lineis, a pluribus scribis diverso tempore ex auctoris aut dictatis (99) aut schedis autographis exaratus; quem Thietmarus ipse brevi ante mortem continua manu correxit, lacunas a scribis relictas supplevit, librumque secundis curis auxit, addens tum nomina, tum temporum accuratiorem descriptionem, tum res pluribus etiam verbis comprehensas, quas, cum primum opus componeret, tum omisit, tum nondum novit (100). Præter hæc autem plures etiam codicis partes, maxime in fine foliorum, sed et integras paginas, ipse manu sua conscripsit, cum primum liber litteris consignaretur (101). Vocum distinctio sæpissime negligitur; orthographiam scribarum in eadem voce sæpe variantem (*avinculus* et *arunculus*; *incolumis* et *incolomis*; *ecclessia*, *eclesia*, *ecclesia*; *letus* et *lætus*; *egregius*, *egreius* et *egrius*; *imperator* et *inperator*; *succipere* et *suscipere*; *comilissa* et *cometissa*, *Libusua* et *Liubusua*; *Bozlavus* et *Bolizlavus*; *Lusizi*; *Luzici*; *Liutici*, *Liuticii*, *Liuzici*; *Gisillerus* et *Gisilerus*; *Herimannus* et *Hirimannus*) auctor immutatam ita plerumque reliquit, ipse in ea non ubivis sibi constans, immo hic illic corrigens quæ ipse scripserat. Post annum 1073 alia manus, eadem quæ pluribus foliis subscripsit: *Sancto Petro in*

B

C a. 955, 965 (ex II, 10); 968 (ex II, 14; VI, 30); 971 (ex II, 16, III, 2); 982 (e III, 10, 11). Complures alios utrum ex Thietmaro an ex ann. Quedlinb. et Chron. quodam Magdeburg. sumpserit, non liquido apparet.

(92) Ubi vocatur *quidam venerabilis episcopus*, nomine non addito.

(93) Ætas VI, c. 49 e nostri III, 4-15; et cap. 52 ex III, 3, 4, 7, 10, 12, 13; V, 16; VI, 5, 6, 13, 22, 40, 49; VII, 26, 28, 31; VIII, 4.

(94) C. 24 in codice post additum ex VIII, 12

(95) Codex hujus operis Stendalii in bibl. Alvenslebiana servatus ad a. 919 exhibet locum Thietmari I, 7, a Vignolio collatum; in editione Spirensi a. 1583 locus iste non legitur. Quæ Jordanus in Chron. (Muratori *Ant. It.* IV) de Poppone narrat, non e Thietmaro neque ex Widukindo, sed e Sigeberto Gemblacensi sumpsit.

(96) Brotuf Merseb. Chronik. II, 7, 385.

(97) « Credo esse autographum Diethmari » jam

D Albinus codici inscripsit, (Albini enim manum esse et conjecturam docet Maderius in præf. ad. Chron. Walbeccense) sed ad liquidum primus produxit Haupt.

(98) Non 211, ut censet Haupt. Archiv. VII, 421 sqq. codicem nostrum describens.

(99) *In sequenti dictatu* I, 14.

(100) Ut II, 2; III, 3, 5, 11; VI, 23, 31, 40, 46, 55; VII, 1, 2, 4, 5, 6, 13, 16, 17, 30, 35, 37, 39, 45, 48; VIII, 1, 4, 8.

(101) Loci in quibus hoc certissimum est, hi sunt: III, 14 (cod. fol. 46), VI, init. in carmine (fol. 96' fin.), 40 fin. (f. 123' fin.), 45-46 med. (fol. 128' 129, 129' init.), 61 fin. (fol. 141), VII, 25 (fol. 157' fin.), 44 med. (168' fin.). Non ita certe affirmare licet de I, 17 fin. et de carmine sequenti (fol. 14 fin.), III, 7, 8 (fol. 58' fin.), IV, 43 (fol. 74' fin.), 47 (fol. 76' fin.) Ad hoc restringenda erunt quæ Arch. VII, 424 leguntur. Bethmann.

(79) Cf. quæ ipse dicit V, 20 med.

(80) v. c. I, 5, 9, 13; II, 1, 3, 15; VII, 28, 29; VIII, 4.

(81) Uti Huswardi III, 7; Waltherdi III, 9; Aviconis III, 11; Meinsvithæ IV, 12; majoris cujusdam IV, 23; Merquardi IV, 45; Taginonis V, 23; Sewaldi VII, 28, 29; Gezonis VII, 51. Heinrici imperatoris VII, 23, et procul dubio aliorumque quibuscum versatus est virorum summorum. cf. etiam *testimonia veracia* VIII, 12; I, 7, *fama velox* VIII, 4. *de priorum relatu suorum mihi indicavit* IV, 47. *veraciter comperi* I, 7, *audivi* VII 50. *a credibilibus viris audivi* VII, 53. *antiquorum sagax memoria* I, 2. *ab antiquissimis percepi* I, 7.

(82) Non est, quod cum Wedekindo (*Not.* I, 302) hæc non e Widukindo, ipso sed ex eodem quo ille hauserit fonte desumpta putemus. Cf. maxime locum Sallustianum II, 3

(83) Cf. Archiv. d. Gesellsch. VI, 647, 689.

(84) II, 15.

(85) I, 5.

(86) Cui ipse quædam inscripsit VIII, 7. Cf. Archiv. d. Ges. IV, 280.

(87) VI, 13.

(88) Talibus usum fuisse Thietmarum nullus dubito; sed quæ inde sumpserit difficile dictu est, cum ea de re judicare possimus nonnisi ex iis scriptoribus, qui præter illos fontes Thietmari quoque Chronicon jam habebant.

(89) Qui nostri inde a IV, 31, usque ad VI, 8, et narrandi seriem et ipsa sæpe verba expressit.

(90) Excerpsit hic omnia inde ab anno 908-1018, codice usus non genuino Thietmari, sed eo qui fuit fons Bruxellensis; quod varia lectio aperte docet.

(91) Hunc ex ipso Thietmaro (et codice genuino) non ex annalista Saxone hausisse, maxime probant loci a. 1014 in. 1016, 1021, magis etiam ad Thietmari verba accedentes quam annalista; præter eos

Merseburg. Wernerus episcopus, multa in codice A correxit atque erasit, ita tamen ut hæ mutationes, plane ex arbitrio factæ, semper fere distingui possint a genuinis Thietmari emendationibus. Inde a libro VI autem hujus manus vestigia raro tantum apparent. Eadem margini persæpe addidit signum vocis NOTA; in aliis tamen locis id a primo scriba profectum videtur. Præter hæc sæc. XVI et XVII multa margini ascripta sunt, nullius prorsus momenti (102). — Hic codex si integer nobis esset servatus; alio prorsus non egeremus; sed cum undecim ejus folia (103) prorsus exciderint, duo alia (104) mutilata tantum exstent, hisce in locis in auxilium nobis vocandus fuit:

(102) Cum in exprimendo Thietmaro autographum ipsum maximæ utilitatis esse posset, a V. Cl. Carolo Falkenstein, bibliothecæ regiæ Dresdensis præfecto doctissimo, ut codex mihi ad tempus transmitteretur, flagitavi, et liberalitate viri humanissimi B statim voti compos factus, jam quæ de eo sentio proponere haud dubitavi. Constat liber initio sæculi XI exaratus quaternionibus 25, duodecimo tamen amisso et inter quartum et quintum duernione inserto. Singuli libri, excepto tantum secundo et septimo, quaternionibus suis absolvuntur, ita ut nonnisi tertius et octavus haud integris quaternionibus incipiant, quos igitur uno calamo anterioribus subjectos esse oportet. Quisque liber, præcipue vero primus, secundus, tertius et quartus, qui de singulis regibus agunt, fere pro opere singulari habendus est; cuique fere, postquam absolutus esset, narratio alia addita aut inserta est, ita ut Thietmarum diverso tempore curas operi impendisse pateat. Ita liber primus una manu usque *scriptis confirmavit* capite 11 exaratus, tum reliqua capitis usque *consulit*, alio tempore caput 12, alia manu capita 13 et 14, alia rursus caput 15, tum duabus paginis vacuis interjectis caput 16 et 17 usque *exaltata*, deinde reliqua scripta sunt. Quod ad librum secundum, C textus, una manu ab initio usque ad finem exactus est, sed insertis absoluto operi foliis 31ª, 31ᵇ, 31ᶜ, 31ᵈ, capitibus scilicet 22-26, quibus tela narrationis ex Widukindo petitæ interrumpitur; versus etiam libro finito præfixi sunt. Libro tertio eadem qua priores manu scripto, folio 38' et 46' Thietmari manu verba « *Pro cujus* usque *amplius invisit. Post hæc* cap. 8, atque cap. 13 verba *solus* usque *incensa est* et *anno* usque *eligitur* locis antea vacuis inscripta sunt. Quartus liber manu ab anterioribus diversa scriptus, alia iterum capita 35-39, tertia inde a quaternione X incipiente capita 40-48 usque *deferre*, reliqua inde a *Videsis* quarta manu habet. Liber quintus quaternionibus constat XI et XIII, XII amisso, et uni manui debetur; versus præfationis inde a decimo, et versus epilogi 27-34 et iterum 35-39 ab aliis manibus alio tempore additos constat. Primus libri sexti quaternio a libri quinti scriptore additus, folia 105-125 alia manu addita, quam D pro Thietmari habere licet, qui ultimas paginæ 123' lineas cap. 40 « *Post hæc sinodus hic fit* usque *est mihi*, et fortasse reliqua libri usque ad fol. 128. 128'-129', 129'-133, 133-138, 138'-141, 141-141' diversis tamen temporibus adjecisse videri potest. In libro septimo folium 153' inde a *Fit eorundem conventio*, et reliqua quaternionis folia 154-157, tum fol. 167' inde a *ad se in loco qui pathrebrunnun dicitur*, et quæ quaternionem absolvunt foll. 168 et 169 manu alia scribuntur; fol. 173 *Quia vero omne rarum* usque fol. 175 *ad socerum fugit*, tum 175 *Rex prædictus* usque *vindicaturum me spero* fol. 176, deinde Thietmari manu *Anno d. i. DCCC.* usque *loquelam perdidit*, et *In bawariorum* usque *sepelivit* alio rursus tempore ascripta sunt. Liber octavus primo usque ad fol. 183' *periura timeo* exaratus,

(a) Cf. fol. 39, 40, 59, 60.

2. Cod. bibl. Bruxellensis olim n. 5815, jam n. 7513, membr., in fol., qui collegio societatis Jesu Paderbornensis donatus a 1612, postea societatis Jesu Antverpiensis, præter alia (cf. Archiv. VII, 426) continet Thietmarum sæc. XV incunte exaratum. Codex unde hic fluxit, non fuit Dresdensis, sed ejus apographum quoddam, ante a. 1157 (105) confectum a monacho Corbeiensi, ut plura probant additamenta ad illud monasterium spectantia (106). Sed præter hæc quæ a confratribus Corbeiensibus accepit, alia quoque de suo addidit scriba (107), quæ tamen omnia ejusmodi sunt, ut ex suo tantum ingenio, non aliunde aut e secunda quadam Thietmari recensione, hausisse ea putandus sit. Omnino textum manu Thietmari reliquas capitis 7. lineas, tum pagina 184 vacua, fol. 184' usque 185' *pacificati sunt*, tum *Bertoldus* usque fol. 190' *exopto*, et iterum *Baldericus* usque *eodem die*, deinde fol. 191. *In diebus illis* usque *non attenditur*, manu Thietmari subjecta sunt. — Opus igitur, fere per quaterniones scriptum, Thietmarus univit, vocibus in fine initiove quaternionum additis, mutatis, vel deletis (a), et innumeris ipsius textus locis correctis atque de novo insertis, ita ut jam exemplum ejus manu absolutum haud dubie appareat. Manum Thietmari, eamdem plane quam Cl. Hesse in ectypo Kalendarii Merseburgensis primus proposuit, plurimis in locis recognoscere licet; sed multo majorem codicis partem ei deberi, manu tantum diverso tempore et scribentis animo diverse efficta, persuasum habeo. Est igitur prima operis species in Ecclesia Merseburgensi servata, sed postea tempore Wernheri episcopi plurimis locis correcta, atque a chronographis Saxone et Halberstadensi exscripta.

Alterum exemplum pro eodem quis facile haberet, quod ultimis fortasse Thietmari mensibus ex priore descriptum et Sigefrido abbati Magdeburgensi transmissum fuisset. Cum enim loci nonnulli codicis authentici tempore vel manu Wernheri episcopi erasi et mutati in codice Bruxellensi et annalista Saxone sinceri exstent, codicem, unde ii descripti sunt, ante Wernheri certe tempora ex authentico derivatum esse oportet; at hoc Thietmaro curante factum esse, ob textus rationem statui nequit. Codicem tamen istum aut exemplar ejus Corbeiæ interpolatum et per episcopatum Paderbornensem bene notum fuisse, Vita Meinwerci, Gobelinus Persona Bielefeldensis, et codex circa annum 1400 exaratus et sæculo XVII Paderborna in Belgicam translatus, qui omnes una cum annalista Saxone a lectione codicis Merseburgensis eodem modo recedunt, haud dubie probant.

Cum igitur, absoluta jam Lappenbergii nostri editione, codex autographus in manus meas devenisset, ut in auctore historiæ patriæ gravissimo nihil desideraretur, codicem multis in locis ipse iterum consului, et cum sic nonnulla quæ dubia fuerant ad liquidum perduci conspicerem, integrum librum a Cll. Bethmanno et Waitzio secundis et tertiis curis diligentissime conferri et loca codici Bruxellensi propria a Bethmanno, eam ob rem in Belgicam legato, iterum exscribi visum est. Quibus curis Cl. Hauptii operæ additis quantum lectioni genuinæ restituendæ factum sit, anteriores editiones cum nostra collatæ monstrabunt. PERTZ.

(103) Continentia prolog. I, 1, 2 in. IV, 18 med. — 25 in. V. 9 med. — 19 fin. VI, 26 med. — 27 med.

(104) In quibus legitur I, 15. VI, 13-15.

(105) Hoc anno enim desinit annalista Saxo, qui hoc exemplari jam usus est.

(106) I, 10. II, 26. IV, 48. VII, 10, 25, 53.

(107) VI, 13, 15, 23, 41, 43, 53 versus immiscet VI, 31; VII, 5.

Thietmarianum nimis arbitrario modo immutavit et recensuit potius quam descripsit; quæ auctoris nostri forma adulterina inde et in Annalistam Saxonem et alios transiit. Nos inde ea tantum desumpsimus quæ Dresdensi codici desunt; in reliquis sufficit collatio ab ill. Leibnitio confecta, quæ in bibliotheca regia Hannoverana servatur (108).

Fragmenta quædam Thietmari in bibl. Cæsarea Vindobonensi, alia in monasterio Raygern prope Brünn asservari dicuntur (109); sed falso. Alius codex, in monasterio Neuwerk prope Halam a. 1516 adhuc servatus; quo jam abierit, ignoratur (110).

Editiones hæ prodierunt. Reinerus Reineccius primus Thietmarum mendis admodum depravatum edidit Francofurti apud Andr. Wechel a. 1580 fol. recusum a. 1600, e codice Dresdensi, multum conquestus de autographo frustra quæsito, quod manu se tenere nesciebat.

J. J. Mader Helmstadii a. 1667, 4, exhibet tantum Reineccii textum, negligentia etiam depravatum, cum notulis aliquot marginalibus tabulisque genealogicis.

G. W. de Leibniz in SS. RR. Brunsv. I a. 1707 primus integrum dedit Thietmarum, lacunis autographi e. cod. Bruxellensi suppletis. Sed errore inductus est, cum hunc magis genuinum putans, Dresdensem negligeret. Exhibet præterea notas aliquot Alphonsi de Vigneles, ad chronologiam maxime spectantes.

P. F. Laitenberger Merseburgi 1753 primum librum edidit notarum nube involutum.

Dithmari Chronicon, ad fid. cod. Dresdensis denuo recensuit, Ursini, Kinderlingii et Wedekindi, pass m et suas adjecit notas J. A. Wagner Norimb. a. 1807, 4. Codice Dresdensi negligenter tantum usus est editor, imo nonnunquam lectiones ejus falso refert; sed adnotationes quas exhibet, bonæ frugis sunt plenæ. Cf. de hac editione Ebert in Archiv. II, 55 71.

Versiones Germanicæ hæc exstant: Georgii Hahn Lips. a. 1606 fol. ex editione Reinecciana facta. J. F. Ursinus Dresd. a. 1790, 8°, e codice Dresdensi nostrum vertit, addito commentario de vita atque opere Thietmari, adnotationibusque plane egregiis. Editionem quoque paravit Ursinus, nec tamen perfecit, eam quam postea Wagnerus absolvit.

Nostra in Thietmari opere edendo ratio hæc fuit, ut ad litteram exprimeremus codicis autographi textum eum quem Thietmarus ipse curis secundis constituit. Orthographiam quoque exhibuimus, qua-

A lem invenimus, nequaquam constantem; sed cum Thietmarus illam non mutaverit, neque nos id faciendum putavimus. Ut autem appareat quomodo auctor in scribendo versatus fuerit, quæ primum dederit, quæ deinde censuerit adjicienda vel demenda, quæ falsa agnoscens emendaverit: cunctas ejus emendationes atque additiones, in textum ubivis receptas, in notis indicavimus, signo 1ª primam codicis scribam, 1ᵇ vero Thietmari ipsius manum significantes; et nonnisi levissima quædam, et ubi prima lectio jam certo perspici nequit, omittentes (111); ita ut jam operis integram historiam, ortum, progressum atque absolutionem cognoscere cuivis liceat. Unam tantum difficultatem movere potuit, quod in rasuris non certo ubivis apparet utrum a Thietmaro ipso, an a manu tertia illa quæ post a. 1063 accessit, profectæ sint. Plerumque tamen quid quovis in loco legendum sit, non dubium relinquit vel aliorum locorum comparatio, vel eorum quæ

B Thietmarus ipse scripsit auctoritas, vel codicis 2 et Annalistæ Saxonis lectiones, cum omnes illi loci quibus 2 seu A. S. non mutatam, sed pristinam codicis lectionem exhibeant, non a Thietmaro, sed postea demum correcti esse possint. Ilis tamen in locis ubi aperto calami lapsu scriba erravit et ipse Thietmarus mendum sustollere neglexit (e. g. *blanciis* pro *blandiciis*, *propietatem* pro *proprietatem*, *tributarium* pro *tributarium*, et quæ sunt ejusmodi) ab eo recederemus fuit necesse, sive tertia illa manus rectum jam exhibuerit, sive editores correxerint, sive nobis restituendum fuerit. Semper tamen primam lectionem in notis indicavimus; manum illam tertiam vero 1ᶜ vocavimus, non singulas quasque ejus correctiones exhibentes, sed omnes tamen quæ alicujus momenti esse possunt, ut præsens codicis forma facilius perspici possit. Quæ in codice 1 interciderunt, e 2 supplevimus, ita ut in hisce orthographiam sequeremur non sæculi xv, sed Thietmarianam (112). Ubi 1 servatus est, codicis 2 lectiones a

C Leibnitio exscriptas aliquoties tantum exhibuimus, iis potissimum locis ubi Thietmari narrationem auget et amplificat. Editionum quoque nullam prorsus rationem habuimus in adnotandis variis lectionibus. Librorum distinctionem retinuimus eam quam primus Reineccius instituit; quamvis enim in codice Dresdensi nulla prorsus neque librorum neque capitum distinctio reperiatur, tamen eam Thietmaro ipsi deberi satis patet (113). Capitum numeros nos addidimus, cum neque hæc in codicibus reperiantur.

108) Quomodo in cod. Brux. Thietmari verba sint mutata, melius quam lectiones paucæ tantum a Leibnitio enotatæ, loci docent in Actis SS. ex ipso publici juris facti (Feb. II, p. 798, Junii I, p. 923, etc.) Unum hic exemplum attulisse sufficiat:

Cod. Dr.

V. 25. Consummato tunc hujus exilii cursu in sanctitate admirabili, venerabilis antistes, cum jam D usque ad mortem egrotare cepisset, accersito ad se dilecto Taginone: Pone, inquit, fili, os tuum super os meum, accipiens a Deo insufflationem spiritus mei.

Cod. Br. (Acta SS. Juni I, p. 923.)

igitur venerabilis pontifex, consummato cursu hujus exilii in admirabili sanctitate, cum jam ad mortem usque ægrotare cœpisset, accersitum sibi dilectum Taginonem ita alloquitur: Pone, inquit, fili carissime, os tuum super os meum, et accipe a Deo inspirationem spiritus mei.

Conferatur quæ attulimus IV, 48; VI, 15 et præsertim VI, 46, ubi Thietmari verba versibus transcripta sunt.

(109) Wagner, præf. p. VIII.

(110) Archiv. V, 679.

(111) Ita etiam errores, quos primus scriba ipse correxisse videri potest, afferre noluimus.

(112) Ita *proch et michi* quod 2 exhibet haud recipiendum fuit. Bethm.

(113) I, 17 *parvum librum habeo inscriptum*, ibid. *primus iste codicellus clausus sit primi morte Heinrici*. III, 1. *Otto secundus sit codicelli materies mei* III, 15. *obseram modo tercii seriem voluminis* IV, 34. *et hic* (Heinricus II) *notet quinti titulum libri*. ibid. *et in superioribus libris*. Cum autem sexti, septimi, octavi libri nullam usquam mentionem factam, ultimo autem inscriptum videamus, *Incipit libellus II. Heinrici imperatoris secundi* (cf. cap. 8 *hunc attitulavi librum*) Thietmari sententia ea potius fuisse videtur, ut *Liber quintus*, sive *Heinrici primus* complecteretur nostros V, VI, VII; deinde sequeretur *sextus* sive *Heinrici secundus*. Bethm. Quintus est Heinrici *regis* primus, sextus II. *regis* secundus, septimus II. *imperatoris* primus, octavus II. *imperatoris* secundus. P.

THIETMARI CHRONICON

EDENTE V. Cl. Joan. M. Lappenberg, J. U. D., Reipublicæ Hamburgensis tabulario.

(PERTZ, *Monum. Germ. hist.*)

INCIPIT PROLOGUS VENERABILIS DOMNI THIETMARI EPISCOPI MERSEBURGENSIS IN GESTA SAXONUM [1].

Conjunctum dulci fraterni juris amore
Et mihi dilectum supplex rogo te Sigefridum (114)
Nunc ego Thietmarus [2], videas mea scripta benigne,
Quæ placeant addens, et quæque superflua tollens.
Hæc non ornatu splendent dictaminis ullo,
Sed tantum plano percurrunt ordine campo
Saxoniæ regum vitam moresque piorum,
Quorum temporibus regnum velut ardua cedrus
Enituit nostrum (115) longe lateque timendum.
Dicunt ecclesiæ structuram dampnaque nostræ,
Ejus lætificos, in quis reparatur, et annos,
At provisores ejusdem tum simul omnes.
Non asscribatur mihi, si quid in hoc variatur
Libro vel desit, testis cum parvulus (116) assit.
Nevas inscitia natas [3], carissime, muta,
Credens, quod numquam cepissem scribere quic- B [quam,
Ni quod prefatus tibi sum foret (117). Ergo benignus
Tales funde preces mecum de corde gementi :
Christe, decus regum, moderator et imperiorum,
Propiciare tuo cum commissis sibi regno,
Ut tibi, non nobis, solvatur gloria laudis,
A *Et non externis tuus umquam subsiet* (118) *ovilis* (119).
O vos christicolæ, cordis nunc voce rogate,
Majestas Domini quo dignetur misereri,
Ne mala nos stringant, quæ multa meremur, et an- [gant,
Certa futurorum quæ vox ventura bonorum
Predixit nostris in temporibus, manifestis
Pro [4] dolor! in multis manifestandisque profecto.
Et quicumque meam debes curare cathedram,
Hanc lege scripturam, studiosus amato pusillam,
Quæ strictim pandit quæ plurima mens tua poscit.
Vincit mortales florens dictatus et omnes.
Quod nunc est passim dispersum, collige sensim.
Non servi famæ, sed vitæ dona supernæ
Ut capias, vigila, mereris ut hancque labora.
Sis memor, oro, mei, qui crimina multa peregi,
Predecessorum deterrimus ecce meorum.
Me tibi committo, veniam petito mihi, queso.
Cronica Thietmari se poscunt, lector, amari,
Usibus assiduis excludunt tristia mentis.
Ludis et variis eadem preponito vanis :
Sis justos laudans, pro peccatoribus orans.

EXPLICIT PROLOGUS.

LIBER PRIMUS [5].

1. Mens est omnibus aliqua proficuitate cluenti- C cia producere et ut imus faber infelici summa operis
ous, in presenti et in futuro sibi proficere, commis- deficere (HORAT., *Serm.* II, 3, 143 *et* 32, 34). Sed
sasque sibi res, ut potis est vel sollers fiducia sinit, suppetente cuiquam bona voluntate (120), et ut
propagare viventique semper memoriæ commend re. Quocirca ego Thietmarus, non solum honoris, beatus fatetur Gregorius, Christo ad hoc aspirante,
verum etiam nominis indignus episcopalis, Merse- incipio, ac ignotæ ejusdem (121) clementiæ, qualiter
burgensis seriem civitatis olim longe lateque cluen- vel scriptura hæc vel etiam omnis præfatæ urbis
tem, nunc autem oblivionis senio caligantem fervens summa concludatur, supplex committo.
retegere, admodum vereor fumum ex fulgore insci- 2. Hujus a primo fundamentum et cum terra su-
peredificationem Romulea ex gente, quæ Julium

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Prologus et initium libri primi, in* 1 *deperdita, suppleta sunt e* 2. [2] thitmarus 2. *semel hoc loco.* [3] Nævos inscitia nato: *correxit Leibnitius. At Thietmarus noster semper utitur verbo* næva, *numquam* nævus. [4] proch 2. *semper.* [5] Incipit liber primus de hinrico primo imperatore 2.

NOTÆ.

(114) Abbas Bergensis, electus a. 1109.
(115) Regnum nostrum i. e. patria nostra.
(116) I. e. testis rarus, testes pauci. Cf. II, 25.
(117) Sc. inopia testium s. Annalium.
(118) I. e. parere, subjectum esse.
(119) Sc. grex
(120) I. e. cum bona cuivis sufficiat voluntas.
(121) Christus clementissimus, cujus consilium super hoc libro et hac urbe nobis ignotum.

Cesarem Pompeii generum (122) est huc olim secuta, in omnibus potentem et utrisque viribus precluum, incepisse, lector diligens, accipe (123). Et quia tunc fuit hæc apta bellis et in omnibus semper triumphalis, antiquo more Martis signata est (fol. 1, cod. 1) nomine. Posteri autem Mese, id est mediam regionis (124), nuncupabant eam, vel a quadam virgine sic dicta. Qui vero ejusdem principes, vel quæ eorumdem fuerint virtutes, ante Christi incarnationem vel post, quia antiquorum sagaci [6] memoria certum indagare [7] nequeo, nec per scripta invenio, ne mendax inveniar, prorsus omitto. Ab Heinrico sumatur exordium, qui predictæ civitatis adpertinencia multorom jus tunc respicientia univit, majoraque his multum sua virtute et industria subegit. Hic nobilissimo [8] Ottonis et Hatthui (125) stemmate editus (cf. Hor. *Od.* I, 12, 45), ut arbor occulta excrevit a puero (126), et ut bonæ indolis gradatim enituit tiro, sicut flos in vere novo. Isque a patre suo in provintiam quam nos teutonice Deleminci vocamus, Sclavi autem Glomaci (127) appellant, cum magno exercitu missus (128), devastata eadem multum atque incensa, victor rediit. Sed qualiter pagus iste nomine hoc signaretur, edicam.

3. Glomuzi (129) est fons non plus ab Albi quam duo miliaria positus, qui, unam de se paludem generans, mira, ut incolæ pro vero asserunt oculisque approbatum est a multis, sepe operatur. Cum bona pax est indigenis profutura, suumque (fol. 1') hæc terra non [9] mentitur fructum, idem tritico et avena ac glandine refertus, lætos vicinorum ad se crebro confluentium efficit animos. Quando autem seva belli tempestas ingruerit, sanguine et cinere certum futuri exitus indicium premonstrat. Hunc omnis incola plus quam æcclesias, spe quamvis dubia, veneratur et timet. Et hæc provincia ab Albi usque in Caminizi fluvium (130) porrecta, vocabulum ab eo trahit derivatum. Sed non longe a predicto amne in pago Chutizi dicto (131), Aro, episcopus sanctæ Wirciburgensis [10] æcclesiæ [11], ab expeditione Boemiorum reversus, et juxta plateam in parte septentrionali, fixo super unum collem suimet tentorio, cum missam caneret, hostili circumvallatus agmine, premissisque omnibus per martirium suimet consociis, semet ipsum optulit Deo patri, 892° dominicæ incarnationis anno et [12] temporibus Arnulfi inperatoris [13] (132), cum oblacionibus consecratis in sacrificium laudis, ubi hodie sepe accensa videntur luminaria; et sanctos Dei martires hos esse nec Sclavi dubitant. Predictus antistes in diebus offitii suimet in urbe Wirciburgensi [14] unum Domino templum, et in episcopatu suo ad instar ejusdem æcclesias 9 in 10 annis fecit. Et cum maximam harum his benediceret, (fol. 2) et cum reliquiæ Christi martyris Kiliani, — qui, de Scottis huc veniens, Christum Gozberto duci et Geilan uxori ejus, cæterisque comprovincialibus primo predicavit, et instinctu secundæ Herodiadis cum sociis suimet Colomanno et Totmanno ibi martirizatus est. — circumferrentur [15]: Dominus per eum 70 operatus est miracula, et magister coquorum [16] (133) hoc videns, suos sic hortatur discipulos: *Nolite*, inquiens, *tardare, sed quæ vobis sunt credita, diligenter et sine mora operamini. Dominus enim noster Kilianus inclita ex se nunc agit signa absque omni mora.* Quantæ autem virtutis supra memoratus presul fuisset, stilo comprehendere nequaquam sufficio, sed hunc apud Deum magni esse meriti ex corde credo.

4. Interim cujusdam matronæ famam, quæ Hatheburg dicebatur, Heinricus [17] comperiens, qualiter eam sibi sociaret, juvenili exarsit amore. Hæc erat filia Ervini senioris qui in urbe predicta, quam antiquam civitatem (134) nominamus, maximam tenuit partem; et quia is filium non habuit, geminis filiabus suis e medio decedens [18] reliquit. Ob hujus pulchritudinem et hereditatis divitiarumque utilitatem, internuntios Heinricus quam propere misit, et quamvis hanc esse [19] viduam et sciret (135) velatam, suæ tamen ut satisfaceret (fol. 2') voluntati, eam fide promissa petivit. Tunc illa multorum precibus

VARIÆ LECTIONES.

[6] sagati 1a *et ita sæpius* t. *pro* c. [7] indare 1a *corr.* 1c. [8] nobilissima 1a. [9] terræna 1a. [10] virciburgiensis 1a. [11] VIIII. *add.* 1c. [12] et *erasum* 1. [13] DCCCXCII° — imp. *addit* 1b. [14] wirciburgensis 1a; i *vero in his nominibus semper ab* 1b. *erasum esse videtur.* [15] circumfrererentur 1a. [16] *dele.um aut in* eorum *mutatum* 1c? totorum 2. [17] *add.* 1b. [18] hereditatem magnam *addit* 2. [19] h. e. *addit* 1b.

NOTÆ.

(122) Constat I. Cæsarem fuisse socerum Pompeii.

(123) I. e. accipe, lector, fundamentum et superædificationem (*cf. eandem locutionem infra c.* 17) hujus (urbis Merseburgensis) incepisse a Romanis qui hunc secuti sunt Cæsarem i. o. p. et utrisque (*i. e. corporis animique* cf. I, 15; VI, 45; VII, 33) viribus præcluum.

(124) Mesaburiorum nomen invenit noster apud Widukindum II, 3. Mese derivat ille a voce Italorum *mezzo*, medius.

(125) *Hathuwi, mater Heinrici regis.* Kalend. Merseb. 9. Kal. Januar.

(126) Cf. Ann. Quedlinb. a. 913.

(127) Die Lommatscher Pflege.

(128) Widukindus I, 17.

(129) Locus parvulus, der Poltzscher See, distans dimidia hora ab urbe Lommatsch. Uns.

(130) Die Chemnitz.

(131) Chutizi orientalis pagus, ubi nunc civitates Chemnitz, Freiburg, Pirna, Annaberg.

(132) Ita et Ann. Hildesheim. et Reginonis Chronic., Ann. Wirziburg. a. 891. Diem emortualem habet Kalend. Merseburg. 3. Kal. Jul.

(133) De magistro coquorum conf. I. Grimm. et A. Schmeller Latein. Gedichte des X et XI Jh., p. 386.

(134) Die Altstadt Merseburg.

(135) Eam prius nuptam fuisse Osdagho comiti, asserit Falke Tradit. Corbeiens., p. 521.

et consilio devicta, comitatur, et honorifice suscepta, ac karitative a suis, ut decuit, est habita. Nuptiis ex more peractis, sponsus cum contectali ad Merseburch venit; omnesque convocans vicinos, quia vir fuit inlustris [20], tanta familiaritate sibi adjunxit, ut quasi amicum diligerent et ut dominum honorarent [21]. Ea tempestate Conradus, Francorum quondam dux egregius et tunc Luthuwici successor pueri, arcem tenebat regni (136); quem ob meritum sui Otto predictus, ab omnibus regni principibus in regem electus, sibi quasi ad hoc indigno preposuit, seque cum filiis fidei suæ ac potestati subdiderat. Spiritualis autem pater et pastor Orientalium tunc fuit Sigimundus, sanctæ Halverstidensis ecclesie presul egregius, vir ingeniosus, omnigenarumque, quæ spiritualia vel etiam carnalia respicit, arcium scientia omnes suimet contemporales tunc [22] precellens. Hic pietate maxima, et, quod summum est perfectionis culmen, Christi zelo fervens, ut perpetrati facinus conubii primo audivit, ovium culpam suarum ingemuit, et aliquam inter se fieri amplius commixionem per internuncium et per epistolam (fol. 3) banno apostolicæ auctoritatis interdicens, ad condictum ambos [23] synodum vocavit. Heinricus, tali rumore turbatus, ad imperatorem properavit, omnemque indicens ei rem ordine, auxilium ejus petiit, et, quia familiaris ei fuit, et patris commisso ac fideli servitio impetravit. Nam, legato ad antistitem concite (137) directo, ut vinctos solveret et ad suimet presentiam differre voluisset postulavit. Post hæc Ottone 2 Kal. Decembris [24] (138) carnis universæ viam intrante (*an.* 912), sepe memoratus juvenis in vacuum succedens, hereditatem jure, et maximam beneficii partem gratuito regis suscepit ex munere; et quod ei defuit cum suis omnibus egre tulit, ac postea, sicut cum tritico lolium, sic ex eo latentis odii filex excrevit (139). Quod rex caute considerans, ut ignotum dissimulat; et quem vi aliqua superare non presumpsit, nota Hathonis versutia archipresulis, qua et antecessor suus Æthelbertum [25] comitem Teresi [26] capitis abcisione devicit, et hunc decipere temptavit (140). Hoc consilium Deus sapiens infatuavit. Nam faber ille, qui jussu presulis torquem aureum, in quo Heinricus occidi deberet, mira arte preparabat, cum ingemiscenti senioris relatu, quo (fol. 3) pacto hec fieri deberent, perquireret, opere ad unguem perducto et presentato, clam postea evadens, obviam ducem predictum habuit, et cuncta ei ordine pandit. Qui rediens nuntium remisit ad antistitem, qui occulta patesceret (141), seque in sui detrimentum celeriter invigilare pronuntiaret. Quicquid enim ad episcopum in Saxonia vel Thuringia pertinuit, totum sibi precepit occupari, amicos regis partibus ex his omnino [27] depredatos expellens. Moxque morte repentina archipresul exspirat hominem, et fortuna, quæ hactenus regem [28] feliciter aspiravit, Heinrico quam propere cessit. Sed mihi ad alia properanti longum est enarrare quocies congressi mutuo [29] cederent vel vincerent, et quod postreno bonorum instinctu in amiciciam convenirent.

5. Interea Conradus longa infirmitate detentus, et quia

Post inimicicias iram meminisse malorum est,

(Caton., *dist.* 2, 15.)

totius contrarietatis quæ sibi ex parte Heinrici provenerat oblitus, fratri suo Everhardo [30] populoque primario in unum collecto consilium hoc dedit, si quando naturæ communi se concederet (142), ut eum [31] regni gubernaculo undiquessecus aptum eligerent, animamque suam (fol. 4) cum residua consanguineorum ac familiarium caterva firmæ suimet fidei committerent, et ad hoc sine aliqua dilatione consentirent. Hanc peticionem extremam cum magno luctu ac gemitu suscipientes, et impleturos se vita comite promittentes, festino ejus obitu in 8ª ordinacionis suæ anno et 14 Kalendas Novembris, pro dolor! completo (143), ac exequiis in Vilimburch (144) peractis intererant, et concione in Fridisleri [32] celeriter posita, Heinricum coronaverunt, et sibi credita, sub Christi et tocius æcclesiæ testimonio fideli, non sine lacrimis regi tunc et domino commendaverunt. Qui primo, ut decuit, divinæ pietatis munus, postque universalem tantæ caritatis affectum, humili suscipiens devotione, Deo gratias egit, seque ad hæc et ad omnia quæ communi consilio expetissent, se assensurum promisit. Episcopalis unctionem benedicciouis, a Herigero archiepiscopo exhibitam, antecessorum more priorum non desideravit, nec suscipere voluit, sed

VARIÆ LECTIONES.

[20] industris 1*a*. illustris 1*c*. [21] *ita* 1*c*. honerarent 1*a*. [22] *add.* 1*b*. [23] *ita* 1*c*. ambo 1*a*. [24] II. kl. decembr. *add.* 1*b*. [25] ath. 1*c*. [26] tereti 1*c*? [27] omniũm *corr.* omnĩo 1. ex his omnibus partibus 2. [28] regi 1*c*. exspirat. Omem et fortuna, q. h. regem f. aspiraverunt, H. q. p. cesserunt 2. [29] mutua 1*a*. [30] ewrhardo 1*a*. [31] *delevit et add.* Heinricum *in marg.* 1*c*. [32] frideslari 1*c*.

NOTÆ.

(136) i. e. regnum tenebat. Similiter Beda Histor. Anglor. III, 3: *Monasterium Hii in cunctis monasteriis . . . arcem tenebat.*

(137) I. e. citissime.

(138) Kalend. Merseb., 2. Kal. Decbr. *Oddo comes pater Heinrici regis Saxon.* Obiit anno 912, V. Ann. Corbeiens. h. a.; secundum Ann. Hildesh. vero obiit anno 914.

(139) Widukind. I, 21.

(140) De Æthelberti capite cæso v. Widukind. I, 22. Regin. et Ann. Corbeiens. a. 906. Ann. Hildesheim. a. 907.

(141) I. e. patefaceret.

(142) I. e. moreretur.

(143) Confundit hic noster diem emortualem Conradi, regis Burgundiæ, cum illa Conradi, regis Teutonici, quæ fuit Decembr. 23. V. Kalend. Merseburg. in utraque die.

(144) Eumdem locum habet Widukindus I, 25. Aliter Contin. Reginon. a. 919.

prorsus ad hoc indignum se affirmavit (145). Attamen in hoc eum equidem peccasse vereor, quia in Vita sancti patris Othelrici, quem idem rex post ad sacerdotalem promovit ordinem, legi (146) sanctam Christi martyrem (fol. 4') Afram [33] dilecto suimet presuli multa in visu ostendisse, inter quæ duos enses, unum cum capula, aliumque sine ea [34], ac per eum Heinricum regem consecrationis expertem demonstrasse. Sed, occulto hoc Dei judicio relinquens, amplius progrediar.

6. Fama novi regis undiquessecus dispersa amicorum corda lætificat, rebelliumque econtra mestificat, quia vir talis fuit ut suos sciret sapienter tractare, inimicos autem callide viriliterque superare. Interea Tammo [35] natus est; et mens regis ab amore uxoris decrescens, ob pulcritudinem ei rem [36] cujusdam virginis, nomine Mathildis, secreto flagravit. Jam jamque latentis animi fervor erupit; et, injusto se hactenus multum pecasse conubio tandem professus, per affines legatosque suos filiam [37] Theodrici et Reinildæ, ex Widukinni [38] regis tribu exortam (147), interpellat [39] ut sibi voluisset satisfacere. Et, quia flexibilis est mulieris animus, et quia sciebat eum in cunctis eligantem, consensit, conjunctaque ei (148) tam in divinis quam in humanis profuit. Que tres filios congruo pariens in tempore, Ottonem [40], Heinricum et Brunonem [41], prospere educavit, doloremque partus tantæ stirpis dulcedine superavit. (fol. 5) Et quoniam mihi sermo est de Ottone, non autumo opus esse omnia patris sui gesta singulatim discutere, cum et in filio appareat quanta ejus sit dignitas, et scriptis multorum vite ejusdem satis fulgeat claritas. Sed quædam intersero, quæ dictu maxime necessaria [42] puto. Has regiones sibi fecit tributarias, Boemiam, Deleminci [43], Apodritas, Wilti, Hevellum et Redarios; qui statim rebelles, aliosque ad hec concitantes, urbem Wallislevo oppugnant, destruunt et incendunt (149) (*an.* 929). Ad hoc vindicandum noster convenit exercitus, et Lunzini [44] civitatem obsidens, socios eorumdem, eos defendere cupientes invadit, et paucis effugientibus prostravit; urbem quoque prefatam acquisivit. Ex nostris autem duo atavi mei, uno nomine, quod Lutheri [45] sonat, signati, milites optimi et genere clarissimi, decus et solamen patriæ, Nonas Septembris cum multis aliis oppeciere (150).

7. Ut nullus Christo fidelium de futura mortuorum resurreccione diffidat, sed ad beatæ immortalitatis gaudia anhelanter per sancta proficiscatur desideris, quædam, quæ in urbe Wallislevo post excidium (fol. 5) ejusdem [46] reedificata accidisse veraciter comperi, intimabo. In ipso orientis dici crepusculo solitus erat presbiter ejusdem ecclesiæ matutinam canere. Sed cum ad atrium defunctorum veniret videns in eo magnam multitudinem oblationes offerentem sacerdoti coram templi foribus stanti, primo substitit, posteaque signo sanctæ crucis se muniens, per omnes hos, nec uno saltem agnito, oratorium trepidus adiit. Quem una noviter de hoc seculo egressa et sibi bene nota, quid hic vellet, interrogat; edoctaque ab eo, quare venerit, hæc omnia ab his esse completa [47], parvumque temporis eundem victurum predixit. Quod vicinis post retulit, veraque hæc [48] esse [49] comprobavit. Meis temporibus in Magadaburg — sicut a veracibus accepi testibus, in ipsa tunc continue manens — in æcclesia mercatorum custodes, eadem nocte vigilantes, his quæ predixi convenientia visu et auditu percipientes, optimos civitatis adducunt. Qui cum longe ab atrio cadaverum adstarent, lucernas candelabris superpositas videre, duosque invitatorium (151) canere matutinasque laudes ordinatim omnes persolvere pariter audiere; accedentes autem nihil omnino intellexere. Hoc ego cum subsequenti die nepti meæ, quæ Brigida (fol. 6) dicebatur, cura regens pastorali monasterium sancti Laurentii (152), referrem, in infirmitate sui corporis laboranti [50], protinus ab ea, nequaquam hoc miranti, tale percepi responsum: « Tempore Baldrici presulis, qui octoginta annos (153) vel plus Trajectensem [51] regebat sedem, in loco,

VARIÆ LECTIONES.

[33] affram 1. [34] capulo — eo 1? [35] Tammo, qui et Tanckmarus 2. [36] p. in amorem 2. [37] *ita in loco raso* 1. [38] widuinni 1. widikindi 1. [39] pellare 1. *corr. ab ipso ut vid.* interpellare cepit 2. [40] imperatorem *addit* 1. [41] archiepiscopum *addit* 1. [42] necessario 1*a*. [43] delemencici 1*a*. [44] *alterum* i *erasum* 1. [45] *duo* i *erasa* 1. [46] dem *erasum* 1. [47] narravit *addit Honorii Imago mundi* a. 919. [48] *add.* 1*b*. [49] morte sua *addit Honorius* l. l. [50] laborante 1*a*. [51] *ita* 1. *e corr.*

NOTÆ.

(145) Conf. Widukindum I, 26.

(146) Conf. Gerardi Vitam S. Udalrici episcopi Augustani, c. 3. ed. Welseri., et Bernonis Vitam ejusdem c. 9. Ab hac visione Heinricus noster dictus est *Enzis sive capulo* in Necrologio Prumiensi a. 919. Archiv. für aelt. D. Gesch. III. 24.

(147) *Regina filia Thiadrici... stirpis magni ducis Widukindi.* Widukind I, 31. Reinhild, mater reginæ Mahtild, quæ obiit d. Maii II, in Kalendario Merseburgensi laudatur.

(148) Nuptiæ istæ secundæ celebratæ sunt anno 909. Conf. Waitz Jahrbücher des Deutschen Reichs. t. I, p. 11.

(149) Ex Widukindo I, 36.

(150) Widukind. l. l. Ann. Quedlinb. a. 930, Kalend. Merseb. *Nonas Septembr. Liuthardus comes cum multis Lunzini obiit.* Annales Corbeienses autem pugnam II Non. Septemb. a. 929 factam esse tradunt.

(151) Sc. psalmum 99.

(152) Videtur monasterium monialium in nova urbe Magdeburg. bello tricennali penitus destructum, intelligere. Cæterum Calbe in suburbio quoque exstitit monasterium monialium, S. Laurentio dicatum, et jam sæculo x a Bohemis destructum, cujus infra mentio occurrit. Kind. — Patrem ea habuit comitem Lotharium Walbeccensem. vide Jo. Lud. Levin. Gebhardi aquilon. marchion. p. 29. Wed. — Brigida abbatissa obiit Dec. 30. v. Necrol. Merseb.

(153) Sic cod. et Annal. Saxo a. 929. Rectius dixisset noster quadraginta octo. Baldericus enim episcopatui Trajectensi præfuit ab a. 928-977. Male igitur conjecit Waguerus *ante* 80 *annos*. Fortasse

qui [55] Deventeri dicitur, ecclesiam senio dirutam renovans benedixit ac presbitero suimet commendavit. Qui in una dierum valde diluculo ad eam pergens, vidit mortuos in ecclesia et atrio offerentes, atque audivit [56] cantantes. Quod mox episcopo ut primum is retulit, jussus ab eo in ecclesia dormire, cum lecto, quo requievit, sequenti nocte a defunctis ejectus est. Ob hoc idem trepidus apud antistitem talia queritur. Is autem precipit ei ut cum sanctorum reliquiis signatus, aqua sancta aspersus, suam custodire non desisteret ecclesiam. Qui jussa secutus domini iterum dormire in ecclesia voluit; sed stimulati timoris casu [58] sic jacendo evigilavit [59]. Et ecce solita venientes hora, elevaverunt eum, coram altari eum ponentes, et in favillas tenus corpus igne resolventes. Hoc ubi presul audivit, penitentia ductus triduanum indixit jejunium, ut et sibi animæque defuncti [60] succurreret. Multa, fili, de his omnibus, (fol. 6) ni infirmitas obstaret, dicere potuissem. Ut dies vivis, sic nox est concessa defunctis [61]. » Non oportet plus sapere mortalem, quam, ut sanctus ammonet Paulus, ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). Sed quia duo vel tres ad unum sufficiunt testimonium, hæc quæ novellis nostris evenere temporibus scripsi, ut discat incredulus vera esse prophetarum oracula, e quibus testatur unus: *Vivent*, inquiens, *mortui tui* [62], *Domine!* (*Isa* XXVI, 19) et alius [63]: Surgent mortui, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et lætentur (*Joan.* V, 28). Quandocumque a viventibus hæc audiuntur vel videntur, novum aliquid [64] signat, ut idoneum in multis approbat testimonium, cujus magnam partem scio, majorem autem ignoro, sed veracibus testimoniis credo. Fui ego in mea curte Retmerslevo [65] (154) dicta, ubi 15. Kal. Januarii, 6. feria, in primo galli cantu magna lux ab æcclesia emicans, totum replevit atrium, sonitusque grunnientium more [66] auditur immensus. Quod meus frater Frithericus cum satellitibus [67] meis cæterisque huc convenientibus aspexit [68], et ille, qui coram me dormivit, capellanus audivit. Hoc crastino cum comperirem, si umquam prius ibi aliquid tale contigerit, interrogans, semel hiis similia accidisse ab antiquissimis percepi, et in hoc anno (155) miserabiliter (fol. 7) compleri videbam in obitu domnæ Liudgardis [69] inclitæ, ex una parte neptis meæ ac ex alia nurus [70], et quod inter amicos precipuum est, familiarissimæ mihi, de qua in sequentibus edisseram [71] enucleacius. Sepe mihi accidit ut in nocte ligna incidi audirem, et semel defunctos pariter colloquentes ego et socius meus cæteris dormientibus manifeste percepi, et in his duobus signis crastino [72] subsecuturum funus intellexi. Etsi ego fungar vice cotis, ferrum et non se exacuentis (HORAT. *Ep.* II, 3, 304), tamen ne muti canis obprobrio noter, inlitteratis et maxime Sclavis, qui cum morte temporali omnia putant finiri, hæc loquor, certitudinem [73] resurreccionis et pro qualitate meriti futuræ remunerationis firmiter indicens cunctis fidelibus. Tres namque sunt animæ, non equaliter incipientes nec simul finientes (156). Prima angelorum incorporeorum, quæ cum eis est sine inicio et termino. Secunda hominum, quæ cum eis sumit exordium, sed in fine non habens participium. Namque inmortalis est, et, ut quidam gentiles opinantur, in futuro non habens hoc offitium quod in hoc seculo. Tercia species est animæ pecudum [74] ac volatilium, quæ cum corpore parem inicii finisque sortitur equalitatem. Unde, sicut in lege Moysi a Domino data [75] precipitur, ita verus christicola ab eorum sanguine nequaquam (fol. 7) pollui canonica auctoritate [76] proibetur. Multi enim sunt pauperes, qui hunc in usu commestionis habent, et se in hoc aliquid peccare ignorantes, sibi in hoc contradicentibus cunctis resistunt. Ergo tu homo, gloria et magno honore a Deo coronate, et super omnia ejusdem opera constitute, da pre omnibus gratias altissimo, retribuens ei pro possibilitate tua, quæ tibi fecit miseratione sua. Et ego repetam longius aberrata.

8. Rex autem Avares [77] sepenumero insurgentes expulit (157). Et cum in uno dierum hos inpari congressu ledere temptaret, victus in urbem quæ Bichni vocatur (158), fugit; ibique mortis periculum evadens, urbanos majori gloria quam hactenus haberent vel comprovinciales hodie teneant, et ad hæc muneribus dignis honorat. Quociescumque contra Deum et seniorem suimet dum vixit se umquam superbiendo erexit, toties humiliata potestate sua, se ad emendationem condignam [78] inclinavit.

VARIÆ LECTIONES.

[55] que 1*a*. [56] vigilavit 1*a*. [58] defunti 1*a*. [59] ut dies — defunctis *in* 1. *erasa sunt*. [60] *Optime Thietmarus emendavit Honorius l. l.* et alius: (*sc. Daniel.* XII, 2.) Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; et ipse Dominus: Mortui qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei et procedent. [61] aliqd 1. *sæpius*. [62] ratmaerslevo 1. [63] g. m. *add.* 1*b*. [64] *ita corr.* 1*a*. satellibus 1*b*. [65] c. *add.* 1*b*. *postea erasum.* [66] *ita legisse videtur* 1; *sed erasis quatuor litteris* 1*c*. *corr.* lukardis. [68] ac e. a. n. *add.* 1*b*. [69] e. issero 1*a*. 2. [70] *add.* 1 *b*. [71] pro certitudine *corr. manus recentior. Constructio hæc est:* certitudinem resurrectionis et *futuræ* remunerationis pro q. m. BETHM. [74] pæcudum 1 *a*. [75] date 1. [76] actoritate 1. [77] i. ungaros *supra versum addidit* 1 *b sive* 1 *c*.

NOTÆ.

Brigida dixit: *qui jam* 80 *annos natus*.

(154) Rotmersleben. — Hæc temporis descriptio quadrat tantum in a. 1002, quo sexta feria incidit in a. d. 15. Kal. Jan., nisi Thietmarus ipse erravit. BETHM.

(155) Sc. 1012, Novb. 13, Liukiard, filia Eccardi marchionis Misniensis, et uxor Wernharii comitis, cui Thietmarus noster patruelis fuit.

(156) Hunc locum illustravit I. E. Wüstemann Error de æternitate angelorum ac ocum Dithmari, lib. I Chron. Ejusd. progr. de primis in Saxonia philosophiæ originibus et de episcopo Merseb. Ditmaro philosopho. Witeberg. 1760.

(157) De Ungaris victis v. Ann. Corbei. et Quedlinb., a. 933.

(158) Pichen s. Püchen, juxta Muldam fluvium, inter oppida Wurzen et Eilenburg.

Audivi quod hic Romam causa orationis petens, plus pedibus quam equo laboraret, et a multis interrogatus cur sic ageret, culpam profiteretur.

9. Anno dominicæ incarnacionis 931[a] imperator effectus est [71] (159). Hic montem unum juxta Albim positum et [72] arborum densitate [73] tunc occupatum excoluit; ibi et [74] urbem faciens, de rivo quodam, qui in septentrionali parte ejusdem fluit, nomen eidem Misni imposuit; quam, ut hodie in usu habetur, presidiis et (fol. 8) imposicionibus cæteris munit. Ex ea Milzenos (160) suæ subactos dicioni censum persolvere coegit (*an.* 932). Urbem quoque Liubusuam [75] (161), de qua in posterum lacius disputaturus sum, diu possidens, urbanos in municiunculam infra eandem positam fugere, et se dedicios fieri compulit. Ex eo die, qua hæc tunc incendio juste periit, usque ad nostra tempora habitatore [76] caruit. Si quid in regno suimet, ut multi dicunt, is predatus sit, huic Deus clemens ignoscat. Insuper Northmannos et Danos armis sibi obtemperantes [77] fecit (162), et ab errore pristino revocatos, cum rege eorum Cnutone [77] (163) hos Christi jugum portare edocuit. Sed quia ego de hostiis eorundem antiquis mira audivi, hæc indiscussa preterire nolo [78]. Est unus in his partibus locus, caput istius regni, Lederun nomine, in pago qui Selon dicitur [79] (164), ubi post 9 [80] annos mense Januario, post hoc tempus quo nos theophaniam Domini celebramus, omnes convenerunt, et ibi diis suimet 99 [81] homines et totidem equos, cum canibus et gallis pro accipitribus oblatis, immolant (165), pro certo, ut predixi, putantes hos eisdem erga inferos [82] servituros et commissa crimina apud eosdem [83] placaturos. Quam bene rex noster fecit, qui eos a tam execrando ritu prohibuit! Acceptabilem enim Deo patri hostiam fert, qui humano sanguini [84] parcit. Precipit enim Dominus : *Innocentem et pium* [85] *non interficias* (*Exod.* xxiii, 7).

10. Antiquum opus Romanorum muro rex predictus in Mersburg [86] decoravit lapideo, et infra (fol. 8) eandem æcclesiam, quæ nunc mater est aliarum, de lapidibus construi, et 14 Kalendas Junii precepit dedicari (166). Cæteras quoque urbes ad salutem regni, et templa Domino ob remedium animæ devota mente fabricavit [87] (167). Post innumera virtutum insignia (168) idem, decurso vitæ suimet stadio, sextodecimo regni, ætatis autem suæ sexagesimo anno, sexta Non. Julii, Miminlevo moritur, et in Quidilingaburch, quam ipse a fundamento construxit, sepultus, a cunctis optimatibus merito defletur. Accidit [88] hoc anno dominicæ incarnationis 936. Indolis (169) autem [89] relictæ posteritatis tristia principum [90] corda lætificat, et certos voluntariæ electionis hos fecit. Ve populis, quibus regnandi spes in subsecutura dominorum sobole non relinquitur, et inter se facta dissensione et longa contentione aliquod consilium vel solamen cito non providetur [91]! Si in consanguinitatis linea aliquis tali offitio dignus non inveniatur, saltem in alia bene morigeratus, omni odio procul remoto assumatur; quia maxima perdicio est, alienigenos [92] regnare : hinc depressio et libertatis venit magna periclitatio. Ab hoc, de quo dixi, Heinrico et successoribus suis usque huc (fol. 9) Saxones elevati et in omnibus sunt honorati (170). Quicquid [93] in hiis laudatur, ab equivoco ejus, de quo scripturus sum vita comite, diligenter servatur, et post, ut vereor, finitur. Ergo quæcumque de hiis ullatenus [94] nunc preteream, vel vita deficiente indiscussa relinquam, successor karissime, compleas, et temporum qualitates scripturæ memoria concludas. Ego peccator et in omnibus negligens vacavi hactenus a bonis et studui in ma-

VARIÆ LECTIONES.

[71] anno—est *add.* 1*b*. [72] ex 1*a corr.* et 1*b* et ex 2. [73] denscitate 1*a*. [74] *litteræ* 1 *et* ua *erasæ* 1. Lubuzuam 2. [75] *ita* 1*c*. habitore 1*a*. [76] optērantes 1. [77] Cnittone 2. [78] *ita corr.* 1*b*. non placet 1*a*. [79] lederun — dicitur *add.* 1*b*. *in loco vacuo*. [80] VIIII. *in rasura ab incerta manu*. [81] LXXXX 1*a* et VIIII *add.* 1*b*. [82] e. i. *add.* 1*b*. [83] a. e. *add.* 1*b*. [84] sanguine 1*a*. [85] impium 1*a*. [86] in mesburg. *corr.* mersburg. *add.* 1*b*. [87] *Cod.* 2. *et Ann. Saxo addunt* : Hic in nova Corbeia aram sancti Viti martyris auro et gemmis variis mirifice ornavit hortatu Mahtildis conjugis sue. [88] *Sequentia usque* ad imitationem bonam (*cap. sequ. init.*) *in rasura, quæ complet folii* 8' *partem dimidiam et folium* 9 *rectum, scripta sunt, sed eadem, quæ antecedentia manu.* [89] *add.* 1*b*. [90] principium 1*a*. *sæpius*. [91] providebitur 1*a sed erasum* bi *incertum a quo*. [92] aligeninos 1*a*. aligenienas 1*c*. [93] quicqđ 1. [94] *ita* 1*c*. ultenus 1*a*.

NOTÆ.

(159) Nemo est qui ignoret Heinricum corona imperiali decoratum non fuisse. Noster ante oculos habuit Widukind. I, 39.

(160) Milzeni in Lusatia superiori ejusque confinibus. Civitates eorum fuerunt Bautzen et Gorlitz. V. Ann. Hildesh. et Weissenb., a. 932, ubi Lonsicin (Lousicin?) et Losicin intelligenda videntur de Lusatia.

(161) Lebusa villa sita inter oppida Dahme et Schlieben, in districto Schweidnitz, provincia Saxoniæ.

(162) Conf. Widukind. I, 40. De Danis subactis v. Ann. Augiens. a. 931; Corbeiens. a. 934; Adam. Brem. I, 48 sq.

(163) Harde Cnuth Wrm, teste Adamo Bremensi. I, 47.

(164) Leire apud Roeskild in Selandia.

(165) Cf. Adam. Bremen. de situ Daniæ cap. 27 et 1 Grimm Deutsche mythologiæ, p. 28, sq.

(166) Kalend. Merseburg. Maii 22 : *In Mersburg dedicacio ecclesie infra monasterium constitute.*

(167) Cf. Widuk. I, 35.

(168) *Insignia virtutum* chronogr. Sax. a. 974; Ann. Quedlinb., a. 999.

(169) Pro *indoles*; talia sæpe occurrunt.

(170) Cf. Widuk. I, 39.

lis, sero ad ista et ad meliora [98] respiciens, animæque memoriam salutarem nullo modo exercens. Postquam pastor effectus sum, docui subjectos verbis tantum, et non exemplis. Extrinsecus apparui bonus, interiora violans pessimis cogitationibus; de immundo semine conceptus, volutabar in luto, ut immunda sus. Dicat aliquis : Malo laudasti te! cui respondeo verum hoc esse, quod deteriorem me nescio [98]. Idcirco me sic arguo, ut agnitis vulneribus meis, succurras mihi [99] medicationibus necessariis, et ex magna parte consors mei sic adjuves in omnibus me, sicut velis exhiberi pro te.

11. Et inclita venerabilis gesta Mahtildis [97], quæ post excessum senioris sui sumopere fecit, equidem paucis comprehendam ad imitationem bonam (fol. 9) fidelibus cunctis; quia sancta est, ut scriptura docet (*Mach.* XII, 46), et salubris cogitatio, pro defunctis orare et elemosinis absolutionem his [99] impetrare. Legimus quod [98] unius captivi vincula, quem [99] uxor sua putans mortuum assiduis procuravit exequiis, tocies solverentur, quocies pro eo acceptabiles Deo patri hostiæ [100] ab [101] ea offerrentur [102], ut ipse ei post retulit, cum domum suam liber revisit. Hoc exemplo domna Mahtildis [103], viro suimet vinculo momentaneæ mortis depresso, succurrit, non solum pauperibus, verum eciam avibus victum subministrans (171). Congregationem quoque sanctimonialium in die tricesima in supra memorata urbe statuit, et huic quantum ad victus et sui vestitus necessaria suppetebat, ex sua proprietate, laudantibus hoc suimet filiis, concessit et scriptis confirmavit (172). Asserunt nonnulli eandem hoc sumopere diu enisam [104] fuisse, quod junior filius suimet Heinricus patris sedem possideret. Sed hoc Deus, electos sibi ad unaquæque semper præordinans, noluit, nec summatum optima pars consensit [105], sed racione prudenti et ideo facile suadenti, hæc merentis reginæ animum paulo minus a proposito declinavit, et huic [106] Bawarios ad tuendum opcius assignari, prehabito sibi nato majori, consuluit.

12. (fol. 10) Anno dominicæ incarnationis 723. indiccione II. regni autem primi regis Heinrici 5. venerabilis Sigimundus [107], sanctæ Halverstidensis ecclesiæ antistes sextus, ab Arnulfo rege ibi positus, anno regni suimet 7. [108] 19. Kalendas Februarii obiit [109], cui Bernhardus, ejusdem capellanus, successit, sicut ei prius vir sanctus predixit. Namque is diu infirmus videt in somnis, quod baculum pastoralem e manibus suis elapsum Bernhardus pone sequens elevaret et in aperto portaret. Et expergiscens vocavit eum ad se, dicens : *Vade ad curtem reginæ, sumens ex mea parte quæ tibi sint ad hæc necessaria, et acquire gratiam et auxilium ibi optime valentium, ut tibi liceat sine omni offensione mihi succedere. Providebit enim hæc omnia tibi* [109] *Deus, dilecte fili!* Edictum amati senioris obeditione humili Bernhardus mox complens, dum a rege Heinrico reverteretur, comperit dominum suimet et patrem de hac luce tricesimo ordinationis suæ anno ad Christum migrasse; et mox repedans, predicti regis munere, quod postulat, consequitur. Positum est autem corpus prefati presulis in dextera parte altaris Christi protomartiris in gradu prejacenti [110], ut ipse antea premonstravit, non jacendo, sed supra cathedram sedendo, sperans se patroni suimet intercessione sancta et benedictione sacerdotali perpetualiter muniri.

13. (fol. 10.) Qualiter misericors Deus predictum regem in diebus suis respexerit, quamvis de Pierio fonte (173) nil umquam biberim, cunctis tamen [109] fidelibus innotescam. Fuit in occiduis partibus quidam rex, ab incolis Karl Sot, id est stolidus, ironice dictus [111], qui ab uno suimet ducum (174) captus, tenebris includitur carceralibus. Hic Heinrici regis nostri, nepotis autem sui, inplorans auxilium [112], dexteram Christi martiris Dionisii, et cum ea omne regnum Luthariorum, si ab eo liberaretur, sibi traditurum sacramentis promisit (175). Nec mora, inclitus miles invictricibus se armis circumcingens, proximum laborantem visitat, et in erepcione ejus ac restitucione dignus operator mercedem suam premeruit, et honorem pristinum sibi suisque successoribus in tantum adauxit.

14. Sed quia homo unusquisque proclivior est ad labendum, quam natura suimet muniatur ad standum, quam miserabiliter iste semel deliquerit, ad terrorem et ad devitandum piis non taceam. In cena Domini nimis inebriatus, in sequenti nocte uxori suæ multum repugnanti diabolico instinctu inlicite

VARIÆ LECTIONES.

[98] et ad m. *add.* 1*b*. [99] aliquem *add.* 1*c*. [97] machtildis 1*a*. mechtildis 1*c*. [98] ut 1*a*. [99] *ita* 1*b* *deleto* et. [100] ostias 1*a*. hostias 1*b*. hostie 1*c*. [101] hab eo 1*a*. [102] offererentur 1*a*. offerrentur 1*b*. 2. offerri procurarentur 1*c*. [103] machtildis 1*a*. mechtildis 1*c*. [104] e. *erasum* 1. [105] summa optimatum pars concessit 2. [106] hunc 1*a*. 2. [107] us 1*b*. *in loco raso* [108] ab Arn. — VII°. *in ima marg. add.* 1*b*. *erasis quæ antea lineæ superscripta fuerant.* [109] *add.* 1*b*. [110] in g. p. *add.* 1*b*. [111] *ita* 2. *in codice* 1. *inter* rex *et* qui *totus pæne versiculus erasus est, quem eadem quæ cod.* 2. *verba continuisse, ex spatio verisimile fit. Vocabulum* ab *et ultima sententiæ littera* s *patent.* [112] *ita* 1*c*. aulium 1*a*.

NOTÆ.

(171) V. Vitam Mathildis, cap. 4.

(172) Monasterium S. Servatii Quedlinburgi. V. fundationem ejusdem a. 937, Sept. 13. Ipsa civitas Quedlinburg fuit in dotalitio Mathildis reginæ. V. chartas regis Heinrici a. 929, Sept. 16, et Ottonis imperatoris a. 961, Jul. 13.

(173) *Fontes Pierii.* Statii silvar. I, Epithalam. v. 6 I, 30. G. Waitz Jahrbücher ad a. 921 et 923.

(174) Heriberto Viromandiensi comite. cf. Widuk.

(175) Widuk. I, 33.

conjunctus est. Hoc factum auctor tanti sceleris et humanæ salutis irretitor, Satanas, cuidam venerandæ sic prodidit matronæ : *Mahtild* [113] *regina nuper hortatu meo maritali consentiens* [114] *voluptati, concepit filium*, (fol. 11) *sine omni dubio meum ; et tu vide, ut tantum optime celes commissum.* Hæc multum ob hoc clam tristis effecta [115], predictæ hoc celeriter adnunciavit reginæ, ammonens, ut semper episcopos atque presbiteros secum haberet, et in ipsa pueri nativitate sacri baptismatis unda ablueret, quicquid [116] in eo sibi dilectum [117] accidisse [118] demon infaustus jactaret. Et sic Deo [119] gratias egit. Videns autem daimon, id est omnia sciens, se prorsus esse delusum, dominam increpavit supra memoratam, talia subnectens : *Et si mea nunc sit voluntas tuis frustrata* [120] *blasfemiis, tamen in hoc proficiet, quod ex eo et ex omnibus de lumbis ejusdem umquam progredientibus numquam deerit mea comes discordia, nec proveniet eis pax firma.* Mendax ille et veritatis inimicus hæc pro voluntate sua dixit, et, ut spero, non pro adimplecione. Multi autem affirmant, ut in sequenti dictatu apparet, quod sub ejus et filii suimet temporibus crebra fieret commotio, et quietis parva certitudo. In diebus vero hiis, quibus regnare cepit tercius in numero ducum Heinricus, et in ordine sceptriferorum secundus, tunc illa silex iniquitatis exaruit, et pacis bonæ flos virens enituit ; et si quid [121] prioribus huic [122] simile in aliquo nunc accidit, hoc non culpa sui, sed instigatoris fuit impii. Legimus, quod omnia tempora (fol. 11) tempus habent (*Eccle.* III, 1), sed non omnia, id est a Deo nullum esse vicium locum ab inicio constitutum ; et quia fragilitas carnis sine aliqua contagione non valet esse, a capitalibus se criminibus abstineat, et in sollempnitatibus [123] universis mundiciam servet. In legitimis conjuncionibus non esse delictum aliquod, scriptura testatur (*I Cor.* VII, 28) ; et hoc cum observatione festivitatum honoratur, et nulla periculi inminentis procella turbatur. Ad hæc amplius approbanda unum profero exemplum. Quidam vir, Uffo nomine, civis [124] Magadaburgensis, nimia ebrietate compulsus, in sancta sollempnitate [125] Innocentum, conjugem suam Gelsusam consentire sibi coegit, quæ eadem nocte a viro alligata suo, cum in congruo tempore pareret infantem, in pedibus digitos habentem retortos, obstupuit [126], et accersito protinus ad se marito, miraculum ostendit. Culpaque amborum hoc evenisse ingemiscens : *Nonne*, infit, *predixi, ne sic faceres? Ecce, ira Dei se nobis manifestat, et ne sic ulterius agamus, atrociter rogat. Peccatum tibi magnum est* [127], *injusta mihi precipere, et mihi, obedienciam tibi exibere* [127]. Postquam autem infans baptizatur, inter innocentium agmen de hoc exilio deducitur. Bene est in perpetuum illo [128], qui tali utitur contectali, quæ pro absente infatigabiliter orat marito, et presentem, oblita sexus, ut se (fol. 12) custodiat, ortatur.

15. Eo [129] tempore, quo supra memoratus [130] rex [131] maxime vigebat, fuit in Bawaria quidam [132] dux [133], Arnulfus [134] nomine, precluus in mente pariter et corpore [135], qui [136] omnes episcopatus in hiis partibus constitutos sua distribuere [137] manu [138] singularem habuit potestatem ; sed cum hic [139] post [140] varios [141] virtutum suimet ornatus vitam hanc finisset [142], non [143] successoribus [144] suis tantum reliquit honorem. Quin [145] potius [146] reges nostri et imperatores, summi Rectoris [147] vice in hac [148] peregrinacione prepositi, hoc soli ordinant [149], meritoque pre cæteris pastoribus suis presunt, quia [150] incongruum [151] nimis est, ut hii, quos Christus sui memores hujus [152] terræ [153] principes constituit sub aliquo sint dominio [154] absque [155] (176) eorum, qui exemplo Domini benedictionis et [156] coronæ [157] gloria mortales cunctos precellunt. Audivi [158] tamen [159] nonnullos [160] sub ducum, et quod plus doleo, sub comitum [161] potestate [162] magnam sustinere calumniam, quibus nil [163] licitum [164] est, nisi quod seculi amatoribus prodest. Impia namque potestas cum Deo id consenciente recte dominantes premit, dilatata crudelitate mox furit.

16. (fol. 13) In palacio predicti regis accidit res una mirabilis. In conspectu tocius populi presentis quidam canis, dum eminus hostem suum consedentem agnosceret, propius accedens, dexteram ejusdem rapido morsu ex inproviso abstraxit ; et quasi optime fecisset, cauda reverberante mox rediit. Mirantibus hoc cunctis et admodum stupentibus, ab hiis miser is, quid fecerit, interrogatur. Quibus illico respondit, divina ultione id sibi merito evenisse, et prosequitur : *Inveni*, inquiens, *virum, hujus can's dominum, fesso corpore dormientem, et infelix occidi eum, multas tunc ab isto, qui me modo lesit, persecutore impugnaciones perpessus ; et quem tum vix evasi, nunc ista sperans prorsus oblita, culpabilis occurri.*

VARIÆ LECTIONES.

[113] mechtild 1*c*. [114] manitali sentiens 1*a*. [115] effectum 1*a*. *sed* m *erasum* et *litteræ* u *superscriptum* a. [116] *ita* 1. 2. ne quid *corr.* 1*c*. *falso*. [117] delictum 2. [118] accidisset 1*c*. 2. [119] populo 1*a*. [120] frustata 1. [121] q 1. *sæpius*. [122] add. 1*b*. [123] sollepn. 1. [124] cives 1*a*. [125] in s. s. 1*b*. *in loco raso*. [126] obstipuit 1. obstupuit 1 *c*. [127] non e 1*a*. [128] illi 1*c*.? [129] *In codice* 1. *folii* 12, *quod verba :* custodiat *usque ad* mox furit *novemdecim versibus continet, versus sedecim priores truncata margine mutili sunt. Quæ abscissa sunt, ex codice* 2. *supplevimus. Post hoc caput in cod.* 1. *folii* 12 *versa et sequentis recta pagina vacua relicta est ; sed neque deest quicquam, neque manus mutatur.* [130] oratus rex, dam dux ar, corpore qui, stribuere ma, ic post vari, ss non suc, uin potius, ris vice in hac, dinant meri, quia incongru, hujus terræ, ominio absque, et coronæ, ivi tamen non, itum po, il li *ex* 2. [131] *ita supplendum esse locus* 3 *litteris sufficiens indicat*, successorum suorum nulli 2.

NOTÆ.

(176) *I. e.* præterquam. Urs.

Scio deinceps, quod aut hic aut in futuro examine unusquisque reus sine subsequenti pœna [125] *non latet ullatenus.*

17. Multa sunt, lector carissime, regis nostri ac imperatoris predicti facta memoriæ semper viventi admodum digna; sed [126] quia hæc, sicuti fuere, conc ludere (177) nequeo, tristis omitto, quia hic, sicut predixi, de nostris regibus nomen et in omni virtute sua principatum juste optinuit. Parvum de magis ejusdem operacionibus librum habeo inscriptum (178), sed spero memoriale ejus in libro vitæ asscriptum (fol. 14) fore, qui precursoris Christi, inter natos mulierum, ut Christus dominus ac Deus noster affirmavit, maximi, fidelis famulus erat, et in nostra urbe fundamentum subsequentis culturæ primus posuit; et quicquid umquam huic ullatenus superedificetur, laudi ejusdem merito signatur. Eligans [127] namque ortus ac finis bonus, ubicumque id fieri potest, optime concordant; ac si hoc in omnibus compleri nequid, laudemus Dominum in hoc quod fecit, et majestatem suam ut assummum (179) perducere digneiur, benignitatem suam suppliciter orent quique fideles, et maxime tu, Merseburg inclita, cum spirituali prole tua, in tempore dilecti senioris tui, more cipressus (180) pre cæteris comprovincialibus tuis exaltata [128]. Age grates continuas Deo, et ut in te bona quæque divino moderamine perficiantur, studiosa in timore dominico semper adoptato (181). Mos est enim malorum, inmemores esse bonorum, et hoc vertere in pejus, quod creare dignatus est Omnipotens in melius. Si aliquid predicto operi ego umquam addere queo, nullatenus cessabo. Sin autem, si quis tanti rectoris nostri sit aliquantulum in bono memor, sit ei propicius omnium qui sunt Exauditor! Primus iste codicellus clausus sit primi morte Heinrici.

LIBER SECUNDUS.

(f. 14) Otto, decus regni, de stemmate cretus herili
Heinrici patris, fulgebat ubique coruscis
Actibus, et solium concenderat inde paternum (182).
Huic primo multi contradixere maligni
Invidia, cunctos quos vicerat iste superbos
Famine divino, quod semper poscit ab alto.
Non fuerat tantus Caroli de morte patronus,
Nec puto simili regnum pastore potiri.
Episcopatus construxit denique senos.
Hic Beringerum superans virtute superbum,
Longobardorum sibi subdit colla furentum.
Imperatorem fecit sibi Roma potentem
Hunc, et maritimi solvunt tributa remoti (183).
Pacis amicus erat, bellum lateque premebat.
Occidentales sedat Danosque feroces.
Partibus Eois tunc non apparuit hostis (cf. Hon. I, 35, 31).
Maximus in sceptro ter denos sedit et octo
Annos (184) in regno. Tunc discesserat [129] Otto,
Flebilis heu patriæ, simul invincibilis, atque
Linquens hic post se tunc contectalis amicæ
Pignus et gnati, quo lætabantur amici.

1. (f. 15) Omnes reipublicæ principes magnum reginæ Mathildis [130] memorem lenire cupientes, Ottonem, filium ejus, patris sui decreto ac peticione uno ore in regem sibi et dominum elegerunt, elevatis dextris conclamantes (185): *Vivat et valeat rex victor in eternum!* pariterque cum eo ad Aquasgrani proficiscuntur (*an.* 936). Quo cum appropiarent, omnis senatus obviam perrexit, fidem cum subjeccione promisit, et ad sedem eum ducens usque inperialem, statuit eundem in loco priorum, in regem sibi conlaudans, ac Deo tunc gratias agens. Hunc Hillibertus, Mogantinæ cura [131] cathedræ, cum licentia Wigfridi, sanctæ [132] Coloniensis archipresulis, in cujus diocesi hoc fuit, et [133] auxilio Treverensis benedixit, anno dominicæ incarnationis 936 [134] in æcclesia sanctæ Mariæ semper Virginis, quam cum omni diligentia magnus construxit Karolus. Confortatus in Deo tunc et in regno sceptriferorum maximus (186) Otto, conjugem suam Editham, Ethmundi regis Anglorum filiam (187), bene timoratam, quam patre suo adhuc vivente duxerat, consecrari precepit. Hujus prospera multa turbabant adversa. Nam Boemiorum ducem Ventizlavum [135] Bolizlavus nefandus fratrem (f. 15) Deo ac regi perimens fidelem, restitit multo tempore audacter, et postea devictus est a rege viriliter; fratri suimet Heinrico, Bawariorum duci, ad serviendum traditus [136] est. Avares quoque patri suimet quondam contrarii, sed diu

VARIÆ LECTIONES

[125] o *erasum* 1. [126] elegans 1c. [127] *Sequentia usque ad finem carminis a Tietmari ipsius manu prolecta videntur; sed non extra dubium hoc est.* [128] discerat 1b. (*videtur enim hoc carmen in codice Thietmari ipsius manu scriptum*) *sed ipse corr.* discesserat. [129] mechtildis 1c *sæpius.* [130] curator 2. [131] sedis *add.* 1c. [132] *add* 1b. [133] a. d. i. DCCCCXXXVI° *addidit* 1b. [134] uuenzlaum 1c [135] *ante* traditus *duæ literæ* (et?) *erasæ* 1.

NOTÆ.

(177) Sc. Scripturæ memoria, ut supra cap. 10.
(178) I. e. scripsi.
(179) I. e. ad summum.
(180) Lapsus pennæ ut videtur pro cedro.
(181) I. e. exoptato.
(182) Cf. Ann. Quedlinb. a. 937.
(183) Populi in ripa maris habitantes, veluti Frisones; seu ultra maria siti, veluti Græci. V. Ann. Quedlinb. a. 944.
(184) Rectius 37 annos, sc. ab a. 936 Aug. 8, usque ad a. 973 Maii 7.
(185) Ex Widukind. II, 1.
(186) *Regum maximus* de Ottone Wid. II, 1; similiter de Heinrico I, 41.
(187) Rectius Eadwardi filia, Ethmundi soror; quem errorem debet noster Widukindo I, 37.

pacificati, iterum insurgunt, celeriterque fugati redeunt (*an.* 938). Discordia etiam inter concives consociosque oritur non minima, quæ Tammonem [143], regis et Liudgerdæ [144] concitavit filium, eo quod legatio Sifridi comitis Merseburgensis, quam sibi Idem vendecaverat, Geroni sit tradita marchioni [145], hereditasque materna sit ei prorsus ablata. Hunc Rex in Eresburch obsedit, filiumque [146] ab iniqua presumptione terroribus et blandiciis [147] amovere curavit. Sed exercitus capta urbe ingressus, juvenem prefatum usque in ecclesiam sancti Petri (188), ubi prius ab antiquis Irminsul colebatur, bello defatigatum depulit. Ad ultimum autem Maginzonis [148] hasta de fenestra tyro perfossus a tergo (Jul. 28), secus aram oppeciit (189); quem rex postea crudeli morte vindicaverat, secundo regni suimet anno [149].

2. Quæcumque ei publice vel occulte provenere nocentia, divinæ miserationis gratia ac intercessione suimet sanctissimæ contectalis Ædithæ [150] assidua securus evasit. Cujus instinctu [151] Magadaburgensem (f. 16) ædificare [152] cepit civitatem, ad quam reliquias Christi martyris Innocentii cum magno adduxit honore (190). Nam urbem hanc ob eternæ remunerationis gratiam patriæque communis salutem (191) et acquisivit atque construxit. Juvit eum ad hoc beatæ Edith memoriæ, quibuscumque potuit; quæ innumera virtute predita, ut signis post obitum claruit, inducias vitæ istius sibi concessas Deo hominibusque accepte perduxit. Fuit hæc cum viro suo 19 [153] annos, ordinationis suæque obiit 11 anno, 7 Kalendas Februarii (946), unicum relinquens filium nomine Liudulfum, cunctis viribus fulgentem; sepultaque est in civitate prefata in majori æcclesia, in oratorio aquilonari (192). Rex autem in venatione, qua sperabat se paululum refocilari, turbabatur vulnere lœtali, inauditumque sustinuit merorem, quo ab adventu dilecti compescuit [154] filii. Qui ramosam Samii Pitagoræ litteram, humanæ motus vitæ signantem, laudabili puer simplicitate [155] percurrit ad bivium (cf. Pers. *Sat.* III, 56, et Auson. *Idyl.* XII, 9), et dextrum iter agressus (193), virgulam breviorem, tamen potiorem, de die in diem ut virens bellera exurgit, et in omnibus patrissans, nobilitatem moribus in tantum ornavit, ut cunctis primatibus, (f. 16) quod laus est non ultima, placeret. Unde patris gratia sibi in tantum arrisit, ut hunc communi tocius senatus electione honoris consortem atque laboris decerneret successoremque firmaret (194). Desponsavit etiam illi Idam, Hirimanni ducis filiam, pulchritudinem et sexum omni probitate vincentem. Quam cum sibi pater vinculo maritali conjungeret, modicum post intervallum soceri ducatum et hereditatem defuncti sibi dedit (195). Tanti patris ac filii temporibus quantum vigeret regnum, difficile est ulli ad enucleandum (196). Venerabilis autem regina Mathildis, constructo, ut predixi [156], in Quidilingeburg monasterio, congregationeque sanctimonialium ibi collecta, fideli erga Deum servitio promeruit, quod virtus filii in omnibus floruit.

3. Interea (*an.* 951) Beringerus, Luthuvici [157] invasor regni, Ethelheidam [158] ejusdem viduam (197) 12. Kal. Mai. captam Cumis [159] depredavit (198), et cum custodia ac inedia lacrimabiliter afflixit (199). Hujus laudabilem formam et famam rex noster animadvertens, Romam pergere simulavit, in ipsoque itinere Longobardiam usque perveniens, præfatam per legatos [160] alloquitur dominam, fuga tunc ælapsam a custodia [161], et donis precedentibus placatam suæ voluntati consentire coegit, pariterque cum ea (f. 17) Papiam vendicavit civitatem. Qua

VARIÆ LECTIONES.

[143] tommonem 1*a*. [144] Hateburgæ 2. *recte*. [145] *add*. 1*b*. [146] fratremque 2. *recte*. [147] blandicis 1. [148] a. m. *in loco vacuo add*. 1*b*. [149] s. r. s. a. *add*. 1*b*. [150] a *erasum* 1. [151] instintu 1. [152] a *erasum* 1. *et ita sæpius*. [153] X et VIIII. 1. [154] compescitur 1*c*. [155] simplitate 1. [156] ut p. *add*. 1*b*. [157] ludhunici 1*c*? [158] adhelheidam 1*c*. [159] XII. — cumis *add*. 1*b*. [160] legatas 1*a*. [161] fuga — custodia *add*. 1 *b*.

NOTÆ.

(188) V. Widukind. II, 11.

(189) *Maincia... per fenestram... lancea a tergo perfossum secus aram extinxit Thancmarum.* Widukind. I. 1.

(190) Constat urbem Magadaburch jam in capitulari Caroli Magni a. 805 laudari. Civitas ergo nostro hic audit pro ecclesia seu monasterio. Conf. chartas ipsius Ottonis regis super fundatione et dotatione ecclesiæ S. Petri, S. Mauritii et S. Innocentii Magdeburg. de a. 937 Septb. 21 et 27. Urbem hanc ab Ottone conjugi suæ Edithæ pro dote oblatam esse, testatur chronogr. Saxo a. 929.

(191) Cf. supra I, 10 *ob regni salutem*; conf. II, 14.

(192) Ex Widukind. II, 41.

(193) Eadem imago occurrit in Ann. Quedlinb. a. 999. Samia littera est Y. Vide Forcellini Lexicon sub voce *Pythagoras*. Nostro versus Persii (sat. III, 54) noti fuisse videntur:

Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos

D *Surgentem dextro monstravit limite callem;*

et ejusdem (sat. v, 34 sq.)

Cumque iter ambiguum est et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,

sive Ausonii Idyllion de litteris monosyll.

Pythagoræ bivium : mihi pateo ambiguis.

(194) *Facto testamento creavit regem post se.* Widukind. III, 1.

(195) Widuk. I. I, c. 6.

(196) *Imperium cum filio quam magnifice dilataverit, nostræ tenuitatis non est edicere.* Widuk. I. I, c. 65.

(197) Widukindum (I. I. c. 7.) et in hoc secutus Thietmarus Æthelheidis mariturn priorem *Lotharium* erronee appellat *Ludericum*.

(198) Kalendarium Merseburg. XII Kal. Mai. *Eodem die capta est Ædelheid. imp. Cumi a Berengario rege*, XIII Kal. Sept. *Eodem die liberavit Dominus Æthelheida (m) regina (m) de vinculis.*

(199) Ex Widukind. I. I.

de re Dudo [165] (200), filius ejus, admodum tristis effectus, ad nostrates properavit, locisque quæ ad Saleveldun pertinent abditis doloque idoneis occultavit (201). Post hæc rex Papia præsidio munita, dispositisque ibi rebus necessariis, revertitur (*an.* 952); quem Beringerus cum duce Conrado subsequitur (202), regisque gratiam urbe Augustana sua filiique deditione promeruit, simulque reginæ iram supplici venia placavit, bonaque cum pace patriam revisit (203). Rex autem Franciam regendo perlustrans, latentes insidias, quæ a filio generoque Hugone (204) parabantur, comperit (205), moxque eis per internuntios hæc [166] ira dictante mandavit, ut vel tanti facinoris auctores sibi mitterent, vel se potestatis regiæ inimicos pro certo scirent (206). Quos hujuscemodi legationi conivere [167] nolentes, collecto exercitu usque in Magonciam persequitur (*an.* 953), universis urbibus, quas natus [168] possedit, aut captis aut dediciis (207), hacque manu valida circumsepta [168], rebelles assiduo multum fatigavit bello. Datis tunc electis ex utraque parte obsidibus (208), pater cum filio loquitur, ac sui gratiam, si consocios talia machinantes aperiret et (*f.* 17') sibi traderet puniendos (209) datorum spopondit [169]. Hoc cum juvenis facere nec posset neque voluisset, eo quod apud suos fidem cum juramento pollucre noluisset (210), a patruo convitiatus Heinrico (211), urbem rebellaturus ingreditur (212), Ekbertumque comitem cum multis patrui militibus sibi associavit (213), et clam noctis silentio cum suis omnibus exiens, Ratisbonam, quæ Reinesburg dicitur, Bavarii caput regni, cum urbibus munitissimis cepit, ductricem Ivuithitam solum cum filiis ab his expellens finibus (214). Thiedricum insuper ducem ac Wigmannum comitem, in presidium ad Magontiam denuo possidendam arma commoventes, patre A se subsequente (215), pecunia per legatos amovere temptans, Thiedrico nequaquam asspirante, Wigmannum blandiciis delinitum celeriter corrupit (216). Interim rex, parata in expeditionem militia Bawariam petens, clausis sibi omnibus murorum portis, eadem regione depopulata atque combusta, rediit (217). Tunc Dudo [167] patri suimet ac regi resistere desperans, Avares pharetratos conduxit in socios (*an.* 954); quod regem protinus non latuit. Namque cum signis militaribus obviam pergit inimicis insurgentibus (218), sed aliter ei, quam quisquam ratus sit, dolor! evenit. Hii siquidem ducibus iniquis per aliam directi viam, Franciam invaserunt, * miserabiliterque vastaverunt (219). Sed si quis secreto mentis seu viva voce requirit, unde B talis oriatur extraneis audacia, ut tam habitatas longeque semotas præsumant infringere regiones: quantum scriptis umquam didicimus vel per nos scimus, audiat respondentes, quia consensu divino hii facinoribus nostris accenduntur in vindictam Dei, nosque admodum territi fugimus ignavi injusticia nostri, fitque tunc, ut qui in prosperis sprevimus timorem Dei, merito sustineamus flagellum Domini, ac invocantes Deum non exaudimur, qui offensam placare superiam nullo modo conabamur. Inde accidit ut Germania, cæteris comprovincialibus suis impar, viribus his succumberet; quis murus dicitur esse, quodcumque [168] valet sagittis obstare (220). Commotus tandem Deus meritis justorum gemituque miserorum, fugavit turbam perfidorum; et rex eos C iterum alio quam putaret divertentes insecutus, Bawariam rursus invadit. Qui mox de pace tractantes, induciasque petentes, impetraverunt (221). Et semper dubii suisque infideles dominis, cum se apud regem excusare non possent, cum Liudulfo seniore suo nota Reinesburg presidia palantes [169]

VARIÆ LECTIONES.

[165] Ludolfus *hic et paulo post* 1 *c.* [166] *add.* 1 *b.* [167] connivere 1 *c.* [168] circumseptam 1. [169] spospondit *al.* [167] Ludolfus 1*c.* [168] *ita* 1. 2. Is m. d. e. quicumque *radendo correxit procul dubio* 1*c. cum* 2 *nostram lectionem exhibeat.* [169] *ita* 1*b.* fugientes 1*a.*

NOTÆ.

(200) Dudo nihil esse videtur quam contracta nominis Liudolfi (primitus fortasse, Lappenbergio monente, Thioduli, quod idem significat quod Liudolfus) forma; ita enim Liutolfus aut Liutoldus episcopus Augustanus (cf. Ann. Aug. a. 989) in Ann. Einsiedl. a. 988 Tuto et Toto appellatur (supra p. 143); Liudgardis vero, Liudolfi soror, in tabula gen. (p. 215) Dudicha audit. Waitz.

(201) Ex Widuck. c. 9.

(202) Indidem c. 10.

(203) Indidem c. 10 f. et c. 11.

(204) Gener Thietmaro nostro est affinis, maritus sororis. Hic vero Hugonem, ducem Francorum occidentalium, qui Hathuvin, regis Heinrici filiam duxerat, confundit cum Conrado, duce Francorum orientalium, cui Otto filiam suam Liudgardam in manus dederat.

(205) Widuk. l. l. c. 13.

(206) Ind. c. 15.

(207) L. l. c. 18.

(208) L. l. c. 19.

(209) Idem l. l. c. 18: *Fautores insidiarum expostulat.*

(210) L. l. *Illi autem juramentis vicariis obligati... hoc omnino negabant.*

(211) Ibid., l. l. *motus Heinricus adversus adolescentem.*

(212) Ibid., l. l. *adolescens... urbem ingressus est.*

(213) Ibid., c. 19.

(214) Ibid., c. 20.

(215) Ibid., c. 21, *rege filium in Bavariam subsequente.*

(216) Ibid. c. 24.

(217) Ibid., c. 26.

(218) Ibid., c. 30.

(219) Ibid.

(220) Similiter Widukind. III, 46, qui secutus est Sallustium in Catil. c. 54. *Audacia pro muro habetur.*

(221) Widukind l. l. c. 51.

petunt. Quos rex exercitu valido subsecutus, præ- A dicta possedit in (f. 18) urbe (222); factaque mutuo longa concertatione, tandem grandi [170] famæ (223) filium suosque pacem petere coegit (224). Post hæc Dudo [171] cum Hugone [172] penitentia ductus, patris pedibus advolvitur, de preteritis veniam et de presentibus supplex poscit emendationem, de futuris quoque cautelam spopondit [173] (225). Hunc rex suorum devictus consilio principum suscepit, commissaque remittens, suimet gratiam firmiter dedit (226). Restituit tum fratri suo regnum diu amissum, pacificatisque, ut speravit, adversis omnibus, Saxoniam victor repetit (227).

4. Et [174] ecce iterum Avares [175], quasi jam perpetrati sceleris obliti, adversum nos arma commoverant (*an.* 955); quos adventare dux Heinricus B regi nuncians, inceptis eum itineribus revocavit (228). Rex autem ad Augustanam universos suimet familiares ad se convocat civitatem, affirmans se mori malle quam tanta plus perpeti mala [176] (229), ortaturque [178] suos, premia promittens cum gratia cunctis se [176] faventibus pœnamque [177] fugientibus. Collegit undiquessecus octo tantum legiones (230), quas adversum hostes dispositas consolatur, morientes ibi remuneracionibus demulcens æternis, vincentes autem presentibus delectamentis. Quarum extremitates hostis acer juxta Lech fluvium celerem [179] latenter circumeundo (f. 19) incautas opprimit, cesis tunc pluribus ac despoliatis. Hoc rex ut comperit, Conradum ducem cum C suis pone misit, qui captivos cum omni preda ex lupi raptoris faucibus eripuit, victoriaque [178] potitus castra revisit (231). Postera die, id est in festivitate Christi martyris Laurentii (*Aug.* 10), rex solum se pre cæteris culpabilem Deo professus atque prostratus, hoc fecit lacrimis votum profusis: si Christus dignaretur sibi eo die tanti intercessione preconis dare victoriam et vitam, ut in civitate Merseburgensi episcopatum in honore victoris ignium construere domumque suimet [180] magnam noviter inceptam sibi ad æcclesiam vellet edificare. Nec mora, erectus a terra, post missæ celebrationem sacramque communionem ab egregio porrectam Othelrico confessore suo, sumpsit rex [170] clipeum lancea cum sacra, milites in hostem precedendo. resistentemque primus inrupit, ac [170] mox terga vertentem usque ad vesperam prostravit ac effugavit (232). Peracta tandem [170] cede, virentibus pratis victrice cum turba rex considens, diligenter inquirit, si ab exercitu suo [170] aliquis remaneret. Comperit tum, ducem Conradum, generum sui [170] et egregium militem, oppeciisse; cujus corpus merito defletum atque diligenter procuratum Wormatiam misit tumulandum (233). Insuper nuntios sanctæ premiserat matri, qui cuncta (f. 19) ordine pandentes, eam cura solverent, mentesque fidelium in laudem Christi pariter accenderent. Tantum divinæ pietatis donum omnis christianitas, maximeque regi commissa, ineffabili suscepit tripudio (234), gloriam et gratiam spallens unanimiter in altissimis Deo.

5. In hoc anno Heinricus dux et frater regis obiit [180] (235). Interim rex Saxoniam revisens lætus patriam, a cunctis principibus a longe sibi [181] obviantibus summis excipitur studiis (cf. Virg. *Æn.* I, 415); diuque expectatus a venerabili suimet genitrice, profusis pre gaudio lacrimis amplectitur. Quibus suum ilico aperiens promissum, qualiter hoc ad unguem produceret, eorumdem ad hoc consilium obnixe peciit et suffragium. His tunc id collaudantibus, pieque peticioni aspirantibus, statuit (236) rex abbaciam in Magadaburgensi civitate, incipiens æcclesiam mirum in modum in loco, ubi sancta requiescit Ædith [182], et juxta quam post obitum suimet [181] pausare desideraverat ipse. Ibi etiam episcopatum facere conatus, apud Bernardum, sanctæ Halverstidensis æcclesiæ antistitem septimum [181], in cujus diocesi urbs prefata jacet [183], quamdiu vixit, impetrare non potuit. Quicquid in prediis vel rebus in aliis permisso [184] contraxit (237) in tempore (238), totum hoc Deo militique ejus Mauricio concessit heredi.

6. Dum hæc aguntur, ex parte Sclavorum * bellum ingruit horridum, hortatu Wigmanni comitis et Ekberhti, ducatu autem Nacconis et Stoinnegui fratris ejus. Quos Herimannus dux superare diffidens, regis petivit auxilium (239). Hic ut erat inpiger, milicia forti aquilonares invadit

VARIÆ LECTIONES.

[170] *add.* 1 *b.* [171] Ludolfus 1 *c.* [172] *Lege* Cunone [173] spospondit 1 *a.* [174] id est ungari *add.* 1 *c.* [176] hortaturque 1 *c.* [176] sibi 1 *c.* [177] o *erasum.* [178] que *add.* 1 *b.* [179] generum sui *add.* 1 *b.* [180] In — obiit *add.* 1 *b.* [181] *add.* 1 *b.* [182] a *erasum* 1. [183] jacuit 1 *c.* [184] concesso 2. sibi concessi A. S. promisso *Chron. Saxo.* a. 955.

NOTÆ.

(222) Ibid., c. 34 et 36.
(223) Ibid., c. 36 fin.
(224) Ibid., c. 37.
(225) Ibid., c. 40.
(226) Ibid., c. 41.
(227) Ibid., c. 43.
(228) Ibid., c. 44 init.
(229) Terent. Eunuch. I, 1, 3. *Non perpeti. . contumelias.* 7. *ubi pati non poteris,* 21. *mori me malim.*
(230) Ibid., c. 44 med.
(231) Ibid., c. 44.
(232) Ibid., collata Vita S. Udalrici c. 12.
(233) Widukind. l. I, c. 47.
(234) Ibid., c. 49.
(235) Ann. Quedlinb. a. 955.
(236) I. e. ædificavit. Hæc abbatia fundata est anno 937. V. supra cap. 2.
(237) I. e. acquisivit.
(238) Permisso scilicet sibi a providentia. Conf. II, 16. VIII, 7.
(239) Widukind. l. I, c. 50, 52.

regiones (240) malum sepissime, ut scriptura docet, pandentes (*Jer.* 1, 14); ibique Stoingneum, luco absconditum, fugientibusque sociis captum, decollari præcepit (241), confratres autem tanti sceleris auctores, Wigmannum, materteræ regis filium [189] (242), et Ekbertum fugavit (243). Liudulfus vero, regis filius, malorum depravatus consilio, rursum resistit, patriaque cedens, Italiam perrexit (*an.* 956), ibique cum unum ferme annum esset, 8. Idus Septembris, pro dolor! obiit (244). Hujus corpus a sociis ejusdem Magontiam delatum (*an.* 957), lugubriter est in ecclesia Christi martyris Albani sepultum (245). De tam miserabili fama rex in expeditione, qua fuit adversus Redarios, supra modum turbatus, planxit filium (246) ut Davit Absalon. Thietherdo Hilineshiemmensi antistite mortuo, Advinus Magadaburgensis æcclesiæ abbas successit [190] (247).

7. Post hæc sedatis bellorum assperitatibus (*an.* 961), Romam iterum pergere simulans, Langobardiam manu valida intravit, Berengariumque predictum in monte sancti Leonis [191] duos possidens annos, cum uxore Willan et filiis ac filiabus ad ultimum cepit callide, exilioque eum in Bavanberge, ubi post moritur, relegavit (248). Dehinc (249) Romam armato petens milite, ejusdem cives sibi (f. 20) resistens [192] bis vicit (250), urbemque gloriosus intravit 961 dominicæ incarnationis anno [193]. Insuper benedictionem a domno apostolico Johanne, cujus rogatione huc venit, cum sua conjuge anno regni ejus 29 (251) promeruit inperialem, ac patronus Romanæ effectus æcclesiæ, Beneventum, Calabriam atque Apuliam ducibus eorum devictis, sibi vendicavit (252).

8. Temporibus suis aureum illuxit seculum; apud nos inventa est primum vena argenti (253); devictus est quoque Wigmannus (254). Apud Danos regnante tunc Haroldo, contempta christianitas sic per Popponem renovata est presbiterum. Arguebat enim idem et regem et populum, anteecessorum cultura suorum deviantem [196], diis ac demonibus vacantem, unum affirmans in tribus personis Deum. Interrogatus autem a rege, si ignito voluisset dicta ferro comprobare, paratum se ad hoc esse hilari respondit animo, crastinaque die ferrum ingentis [197] ponderis benedictum ad locum a rege determinatum portavit, manumque securam inperterritus elevavit. Quo rex miraculo lætus admodum effectus cum suis omnibus Christi jugo protinus humiliter se subdidit, in finemque fidelium more preceptis obtemperavit divinis (255). Imperator autem hoc ut audivit, vocatum ad se venerabilem virum Popponem, si pugil Christi esset, interrogat, et saecrdotali honore sublimat.

9. (f. 21) Gero, Orientalium marchio, Lusizi (256) et Selpuli (257), Miseconem quoque cum sibi subjectis imperiali subdidit dicioni (*an.* 963). Herimannus dux Seliburem et Mistui cum suis imperatori tributarios fecit (258). Æquivocus imperatoris, junior, inquam, Otto, quem peperit inclita mater Ethelheidis [198], in nativitate Domini (*an.* 967) Romæ imperator effectus est, patre jubente ac tunc in Campania [199] juxta Capuam commorante (259). Qui filio suimet uxorem ab [200] imperatore Constantinopolitano desponsare desiderans, nuntiis ejusdem ob aliam ad se missis causam, suos fideliter commisit principes hanc legacionem ferentes. Quos in ipso itinere Greci solita calliditate ex improviso irruentes, alios occidunt, quosdam vero captos domino suimet augusto presentabant. Pauci autem ex his effugientes, imperatori suo rei eventum aperiunt (260). Hic detrimentum suorum graviter ferens, milites optimos Gunterium ac [201] Sigifridum tale facinus ad ulciscendum in Calabriam propere misit. Qui Danaos victoria priori elatos et sibi [202] occurrentes occiderunt, alios autem in fuga comprehensos ob-

VARIÆ LECTIONES.

[189] m. r. f. *add.* 1 *b*. [190] Thietherdo — successit *add.* 1*b*. [191] in m s. L. *et postea* Willan, ac filiabus, callide, cum in Bauanb. *add.* 1*b*. [192] resistens 1. [193] DCCCCXLI°. d. i. a. *et paulo post* cujus r. h. v. *add.* 1*b*. [194] *ita* 1*c*. deinuantem 1*a*. [195] ingenti 1. [196] adhelheidis 1*c*. [197] capania 1. [198] ad 1*a*. *sæpius*. [199] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(240) Ibid., c. 53 init.
(241) Ibid., c. 35 init.
(242) Cf. Ann. Quedl. a. 955, qui ita de Ekberto. De hac affinitate conf. Wedekind Noten t. II, p. 67.
(243) Ibid., c. 55, fin.
(244) Widukind. l. I, c. 57. Ann. Quedlinb. a. 956 et 957. Kalend. Merseb. Septb. 6.
(245) Widuk. l. l.
(246) Ibid., c. 58.
(247) Annal. Hildesh. a. 954; Ann. Quedlinb. a. 955.
(248) Widukind. l. I, c. 63; Annal. Hildesh. a. 964. Conf. contin. Reginonis a. 962 et 964, ibique vide de morte Berengarii a. 966.
(249) Minime dehinc sed antea Otto Romam ad coronam imperialem recipiendam est profectus.
(250) Widuk. l. I, c. 63.
(251) Coronatus est, Romæ a. 962, Febr. 2, anno regni vero 26.
(252) Widukind. l. I, c. 63.
(253) Ibid.
(254) Ibid., c. 64.
(255) Ex Widukind. III, 65. Conf. Vitam Brunonis, fratris imp. Ottonis c. 35. Caveat autem lector ne hunc Popponem clericum et postea episcopum (Arhusiensem?) confundat cum Poppone juniore, episcopo Sleswicensi circa annum 1011 usque 1016.
(256) Widukind. l. I, c. 67.
(257) Selpuli pagus in tractu Lubben et Storcow urbes interjacente juxta fluvium Spree.
(258) Widukind. l. I, c. 68.
(259) Ibid., c. 70. ex cujus verbis hic error manavit.
(260) Ibid., c. 71. Confer omnino Legationem Liudprandi.

truncant naribus, tributum a Grecis in Calabria et Apulia extorquentes, spoliisque ditati cum gaudio remeabant (261). Constantinopolitani autem funere suorum et (f. 21) captivitate tristes effecti, adversus dominum suum conspiravere, dolosæque imperatricis consilio per quendam militem perimerunt [196] eundem, loco ejus hunc designantes ad imperii tocius provisorem (262). Qui mox magnificis muneribus comitatuque egreio non virginem desideratam, sed neptem suam, Theophanu vocatam, imperatori nostro trans mare mittens, suos absolvit (263), amicicianque optatam cesaris augusti promeruit. Fuere nonnulli, qui hanc fieri conjuncionem apud imperatorem inpedire studerent, eandemque remitti consulerent. Quos idem non audivit, sed eandem dedit tunc filio suimet in uxorem (*an.* 972), arridentibus cunctis Italiæ Germaniæque primatibus (264).

10. Multa sanctorum corpora imperator ab Italia Magadaburg [197] per Dodonem capellanum suimet transmisit (265). Hoc autem [198], quod de ejus clerico [199] audivi nomine Poppone, Willehelmi comitis (266) germano [200], memoriæ dignum, non est pretereundum. Is cum imperatori diu fideliter serviret, nimis infirmatur, et in extasi effectus, in montem excelsum ducitur, ubi civitatem magnam et pulchra ejus [201] conspicatur ædificia. Inde perveniens ad turrim arduam, laboriosos ejus lem scandit aggressus. In cujus sumitate magna [202] Christum cum sanctis omnibus sedentem videre promeruit. Ibi Brun archiepiscopus [203] Coloniensis (267), ob inanem philosophiæ executionem, a summo judice accusatur et a beato Paulo defensus iterum [204] inthronizatur. (f. 22) Tunc iste vocatus simili de causa redarguitur, et supplici sanctorum intercessione suffultus, talem audivit vocem : *Post tres dies ad me veniens, hanc, quam ego nunc tibi demonstro, cathedram possidebis.* Hæc omnia, sacerdos cum evigilaret, cesari ad se accersito explicuit, et non esse somnium, sed veram affirmans visionem, gratias ei retulit pro bonis omnibus, quæ ei umquam fecit; et sicut ei indictum est, facta confessione et indulta a presentibus remissione, dereliquit aliena, repetens sua, cum pace bona, flentem tam felici obitu consolatus seniorem.

11. Preciosum quoque marmor cum auro gemmisque cesar precepit ad Magadaburg [205] adduci. In omnibusque [206] columnarum capitibus sanctorum reliquias diligenter includi jussit. Corpus egregii [207] comitis Christini (268) aliorumque juxta supra memoratam posuit ecclesiam, in qua sibi sepulturam, quamdiu vixit, preparari concupivit. Anno dominicæ incarnationis 961, regni autem ejus vicesimo quinto, presentibus cunctis optimatibus, in vigilia nativitatis Domini (269) corpus sancti Mauricii et quorundam sociorum ejus cum aliis sanctorum porcionibus Ratisbone sibi [208] allatum est. Quod maximo, ut decuit, honore Parthenopolim transmissum, unanimi indigenarum et comprovincialium conventu [209] ibidem susceptum est, et ad salutem patriæ tocius hactenus veneratum est.

12. Interea Bernhardus, antistes venerandus plenusque dierum, 48 [210] ordinationis suæ anno (968), et in ipso die, id est 3 Nonas Februarii (f. 22'), obdormivit in Domino. Insuper Willehelmus, sanctæ archipresul [211] Magonciæ, cui cura ab imperatore, domino suimet et parente, commissa fuit Parthenopolim disponendi cæteraque regni necessaria regendi (270), cum egrotantis reginæ finem Mahtildis expectaret (271), in Redulwerothe 6. Nonas marci moritur. Hujus obitum nimia corporis infirmitate oppressa venerabilis regina, nullo adhuc certa nuntio, presentibus cunctis intimavit : *Filius*, inquiens, *meus Willehelmus* [212], *pro dolor jam expirans* [213] *memoriæ indiget salutari* [214]. Et Liudulfus, abbas Corbensis [215] egreius (272), corporaliter [216] sibi occurrentem illum nocte eadem, qua transiit, videns, obstupuit [217], et mortuum hunc [218] esse confratribus [219] nuntiavit. Post hæc sancta Mahtildis 2. Idus marcii migravit ab hoc exilio, spiritum committens ac creatori suimet reddens Deo, sepultaque est coram altari Christi presulis Servacii juxta seniorem suum, quia quem viventem dilexerat, huic [220] se mortuam conjungi, quamdiu deguit, semper inploravit.

13. Gero quoque, defensor patriæ, dum unici

VARIÆ LECTIONES.

[196] peremerunt 1 *c.* [197] magaburg 1. (*ut infra c.* 23.) [198] *ita* 1 *b.* de eo 1 *a.* [199] nomine — germano *add.* 1 *b.* [200] *ita* 1 *b.* (magdurc 1 *c.*) eo precepit adduci 1 *a.* [201] que *add.* 1 *b.* [202] egrei *corr.* egregii 1. [203] *add.* 1 *b.* [204] *corr. ex.* XLVIIII. [205] archipre presul *in duabus lineis* 1. [206] uuillehellmus 1. [207] *ita* 1 *b.* expiravit 1 *a.* [208] m. i. s. *add.* 1 *b.* [209] corbeiensis 1 *c.* [210] carporaliter 1 *a.* [211] *ita* 1 *c.* obstipuit 1 *a.*

NOTÆ.

(261) Ibid., c. 72.
(262) Ibid., c. 73.
(263) Ibid.
(264) Widukind. l. I, Pacta dotalia Ottonis II, imperatoris d. d. Romæ anno 972, April. 14, adhuc exstant.
(265) De his reliquiis cf. Wedukind. Noten. t. I, p. 115.
(266) *Wimariensis* addit ann. Sax. 965.
(267) 953-965. Frater Ottonis I.
(268) In Necrologio Lunebarg. adnotatur Jun. 15. *Cristin comes et Eppo et Verlef occ.* Alius vero ejusdem nominis comes Novembr. 5. Videtur idem esse, qui in chartis quibusdam a. 937-945 Christianus comes in pago Serimunti (in quo Grimsleben et Rosenburg juxta Salam fluvium) audit et apud annalistam Saxon. a. 945, Christianus marchio.
(269) Imperatorem hoc tempore Ratisbonæ fuisse, constat tum per continuatorem Reginonis, tum per chartam ab illo ibi datam.
(270) Widukind. l. I, c. 73.
(271) Ibidem, c. 74 Conf. Ann. Hildesh., a. 968.
(272) Liudolfus abbas 965-983.

morte turbaretur filii suimet [221] illustris Sigifridi, Romam pergens, emeritus jam senex, coram altari principis apostolorum Petri arma deposuit victricia [221], et apud domnum apostolicum sancti impetrans brachium Ciriaci, ad Deum cum omni suimet hereditate confugit. Patriamque revisens, nati suimet viduam, prius velatam, monasterio in (f. 23) saltu, quod suo signatur nomine [212], constructo, Hathui vocatam, statuit abbatissam, a Bernhardo consecratam episcopo. Firmatisque his omnibus, felici hos obitu precessit 13. Kal. Junii.

14. (*An.* 965) Imperator autem comperta lugubri matris et filii cæterorumque nece principum (273), gravi queritur merore invincibile tocius rei publicæ damnum. Urguebat eum ad hoc timor mortis propinquæ, et quod Deo rebus promisit in anxiis [213], oportuno tunc complere studuit [214] in tempore. Electum namque a cuncto sanctæ Halverstidensis æclesiæ clero et populo Hilliwardum, tunc prepositum et a domno suimet Bernhardo ad hoc presignatum, Romam venire precepit. Cumque eodem, quod diu latebat, secretum mentis revolvit, scilicet facturam se in urbe Parthenopolita archiepiscopatum semper studuisse (274), ob spem remuneracionis æternæ defensionemque communis patriæ (275), seque ad omnia, quæcumque umquam ab eo expetisset [215], promisit paratum, si consentiret sibi hoc perficere votum. Hic autem, ut erat sapiens, piæ conivebat [216] peticioni; partemque parrochiæ, quæ sita est inter aram [217] et Albim et Badam [218] fluvios, et insuper [221] viam, quæ Fritherici dicitur, Deo concessit sanctoque Mauricio ac [219] imperatori. Insuper idem caritative rogatus a cesare augusto, dedit Deo sanctoque Laurentio parrochiam jacentem inter fluvios Willerbizi et salsum mare et Salam ac Unstred et Helmana et foveam, quæ est juxta Valeshusun [220] (276). Tali munere imperator arridens, per manus suscepit eundem, curamque ei baculo committens pastoralem: *Accipe*, infit, *precium* (277) *patris tui!* [221] Hunc enim, Ericum nomine, eum Baccone, Herimanno, Reinwardo, Wirino, Eserico [222] cæterisque, qui in Quidilingeburg cundem [223] tunc in pascha sollemni occidere conabantur, decollari precepit (278). Avum autem meum nomine Liutharium (279) ejusdem consilii participem, libenter perdere voluit; sed sibi familiarium devictus consilio principum, captum hunc misit tunc Bawariam ad comitem Bertoldum, comprehensis sibi [221] omnibus suimet rebus ac late [221] distributis, usque in annum integrum; tuncque gratiam regis et sua omnia cum magna pecunia et predio in Sonterslevo et in Vodenesvege (280) jacenti acquisivit. Sed ceptum iter peragam. Imperator vocavit ad se Richarium, Magadaburgensis ecclesie abbatem tercium, — nam Anno et Otwinus, tunc episcopi (281), prefuerunt ei — volens hunc dignitate sacerdotali decorare. Sed visa quadam epistola, quæ clanculum sibi [221] deferebatur, omisit, (f. 24.) Æthelbertumque [224], Treverensem, professione monachum, sed Rusciæ prius [221] ordinatum presulem (282) et hinc a gentilibus expulsum [225], ad archiepiscopatus apicem, inclitum patrem et per omnia probatum, anno dominicæ incarnacionis 970, [968], 15 Kal. Novembr. apostolica auctoritate promovit. Tunc misit eum ad sedem suam cum magno honore, precipiens universis Saxoniæ principibus, ut proximum natale Domini cum eo essent (283). Archiepiscopus autem a clero et omni populo magnifice susceptus, in his festivis diebus consecravit Bosonem, Merseburgensis [226] æcclesæ pastorem primum [227], Burchardum, Misnensis [228] æcclesie provisorem primum [227], Hugonem, episcopum [221] Citicensem [229] primum [227], Havelbergensis æcclesiæ custodem primum [227] hiis Tudonem coaptavit, prius consecratum: omnes hos [230], subjeccionem sibi suisque promittentes successoribus, disposita singulis quibusque parrochia speciali [231]. Additus est his confratribus Brandeburgensis æcclesiæ primus [227] pastor Thietmarus [221] (284) ante hoc unctus [223], et Jordan, episcopus Posnaniensis primus [227].

15. Opere precium est, quamvis jure preposterus mihi imputetur ordo, hoc adnectere, qualiter impe-

VARIÆ LECTIONES.

[213] Gerinrod *add.* 1*c*. [213] c *erasum* 1. [214] studit 1. [215] expitisset 1. [216] conniuebat 1. *c*. [217] *corr.* oram 1 *c*. [218] bodam 1*c*. [219] et 1 *a*. [220] unalenhusun 1*c*? [221] *add.* 1 *b*. [222] Herim. R. W. E. *et statim post* in p. sollemni *add.* 1*b*. [223] *ita* 1 *e corr.*; regem *fuisse videtur*. [224] adh 1 *c*. [225] et h. a. g. e. *add.* 1*b*. [226] l. l. [227] l. *ubique addit* 1*b*. [228] misnesis 1. [229] ti *erasa sunt ab* 1*c*? *et ita in hoc vocabulo semper*. [230] p. c. o. h. *add.* 1*b*. [231] Dudelinus *A. S. a.* 969. [232] a. h. u. *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(273) Widukind., c. 75 init.

(274) Conf. statuta synodi Ravennæ celebratæ a. 967. Chronogr. Sax. et Chron. Magdab.

(275) Eadem fere verba v. II, 2.

(276) Wildbach, qui non procul ab oppido Kelbra Helmam influit; Salzsee prope Seburg in comitatu Mansfeldensi, et exinde profluens fl. Salza; Sala et Unstrut notissimi; Helma modico intervallo vicum Wallhausen præterfluit. Urs. De via Friderici v. quoque chartam Ottonis imp. a. 965, Jul. 9.

(277) l. e. compositionem, Wergeld.

(278) Ann. Quedlinb., a. 941.

(279) De eo cf. VI, 30.

(280) Sandersleben et Gutenswegen in districtu Magdeburgico. Urs.

(281) Anno, episcopus Wormatiæ 950-978. Adwinus Hildesheimensis 954-984.

(282) Non Rusciæ, sed Rugis Adalbertum ordinatum fuisse præsulem, testantur mandatum imperatoris mox laudandum, Ann. Sax. a. 968, chronogr. Sax. a. 969, Contin. Reginonis a. 991.

(283) Mandatum imperatoris de inthronizatione archiepiscopi Magdeburgensis vide Legum t. II, p. 561.

(284) Dondelinus ille vocatur in mandato imperatoris supra laudato, sicut apud Ann. Sax. a. 969, et chronogr. Sax. a. 970. Dodilonem noster infra vocat episcopum Brandenburgensem secundum. Thietmarus primus fuit episcopus Brandenburgensis anno 949 ab imperatore constitutus.

rator fratri suimet, domno Brunoni, nominato a suimet patruo duce Brunone — qui a Luthuwigo [333] rege in expeditionem ad Danos missus, cum episcopis duobus [334] Thiædrico et Marcquardo cæterisque militibus 4. Non. Febr. [335] fluminis inundatione interiit (285) — mortuo Agripinæ sedis provisore Wigfrido, episcopatum ejusdem ducatumque regni insuper daret Liuthārii. Hic post iniquorum, quamvis sapientissimus esset, consilio depravatus, pro bono malum regi suimet germanoque restituere meditatur. (*an.* 953). Vocavit namque ad se Hugonem generum, regi, ut supra memoravimus (286), nimis infidelem, ad convivium, et cum corona artificiose gemmata regnum ipso [336] committere, consanguinitatis et juramenti immemor, studuit. Qui cum in sancto die sollempnis paschæ paratis omnibus instrumentis regalibus, generum promissa femineo expetentem desiderio coronare voluisset, odio, divinæ miserationis gratia sapiencieque cuncta volventis freno, paululum relaxato, puduit incœpti et penituit. Accersitoque clam suimet secretario, quem prediximus (287), Wolcmero [337], quod in mente latebat vulnus aperuit, qualiterque curaretur, diligenti consilio quesivit. Sed conversis quibusque paratus ad omnia Deus, huic in mentem cœlitus misit, quo curam sui senioris respondendo talibus mitigavit. *Sanctus*, inquit, *Spiritus tibi, senior karissime*, (f. 25) *suggessit, ut non amplius adversum nos prevaleret tanti auctor sceleris inimicus; quem sic confundi teque autumo posse honorari. Coronam, quam genero tuo cras te daturum promisisti, vobis consedentibus presentabo, ut fides tua in conspectu omnium clarescat; et invitus corruens disrumpo eandem, ut fraternus amor modo frigidus in posterum recalescat.* Placuit hoc archiepiscopo, et sic expleri votis exultantibus divinas pulsavit suppliciter aures. Mane autem facto, dicta hæc ut factis sunt impleta, archiepiscopus magnum simulabat merorem; Hugo autem suique tanta spe frustrati [338] inconsolabilem sustinuere dolorem; consummatisque diebus festivis, aliis quam ratus sit donis honoratus, rediit. Post hæc confratres, rex inquam et episcopus reconciliati, invicemque pietatis studio perseverantes, omnem inimiciciæ scrupulum deinceps amovere curabant. Sed archipresul, divinitus in cunctis humanitusque pollens proficnitatibus, 13. ordinationis suæ anno, somno pacis soporatus, 5. Idus Octobris [339] (288) fratrem reliquit [340] tristem. Tales insidiancium [341] laqueos compluresque alios, in regni ac in cura imperii 49 ferme annos conversatus Otto prefatus, Christo se in omnibus [342] (*an.* 965) protegente, securus evasit (f. 25'). Pauca locutus sum de innumerabilibus et isto [343] (289) melioribus tanti viri ingenuis actibus, quia liber unus de ejusdem nobili conversatione pleniter inscriptus (290), me aliquid proibet addere.

16. Imperator autem fraterna clade turbatus, Wolmero, ejusdem familiari capellano [344], ob amorem ejus episcopatum et anime curam fideliter commendavit. Quo sedente tempus a Deo sibi permissum [345], et in omnibus egreie conversanti, et de medio 15. Kal. Augusti (967) discedenti (291) Gero, frater Thietmari [346] marchionis, a clero et ab omni populo electus est; et hoc imperatori mox adnuntiatur. Hic quia prefato fratri suo ob multas causarum species iratus fuit, dare huic episcopatum noluit. Interea is, quia capellanus tunc erat, in uno dierum missam celebrans in Papia civitate, vidit solus sanctum Petrum et Ambrosium sancto se benedicentes oleo; et nullo [347] tunc prodidit, sed tantum divinæ pietatis munus equa mente portavit. Imperatori [348] autem in sancto dominice resurrectionis die evaginato apparuit angelus gladio, cum jam preparatus excepta corona ad ecclesiam pergere voluisset: *Nisi*, inquiens, *in Gerone hodie compleveris electionem*, (f. 26) *securus non evadis hanc sedem.* Expavescens ob hoc cesar: *Domnum*, infit, *vocate Geronem.* Eique [349] protinus venienti curam baculo pastoralem commisit, et indulgentiam humiliter efflagitavit. Hic a suffraganeis postea benedictus, ut signis hodie declaratur, nomen et offitium Deo hominibusque accepte, dum vixit (292), tota mentis devotione portavit. Hujus sancta mater, Hidda [350] nomine (293), Jerusalem orationis gratia petens illicque infirmata, hanc suis legationem pedissequis commendavit: *Egredienti animæ meimet prolongato hujus exilii incolatu, corpus meum matri terre celeriter tradite, et mox euntes, hæc filio nunciate Geroni, quo peregrinæ genitrici suæ talem in terris non deneget honorem, qualem pius in cœlis dare*

VARIÆ LECTIONES.

[333] ludunico 1*c*. [334] tribus 1*a*. [335] IIII. n. f. *add.* 1*b*. [336] ipsi 1*c*. [337] *primum* u *erasum* 1. *sæpius*. [338] frustrati 1. [339] V. id. octobr. *add.* 1*b*. [340] reliqit 1. *sæpius*. [341] insiandicium 1. [342] omibus 1. [343] histo 1*a*. [344] capellana 1. [345] permissam 1*a*. [346] thiætmari 1*a*. [347] nulli 1*c*. [348] Imperatore 1. [349] Cumque 1*a*. [350] Ida *corr. manu incerta.*

NOTÆ.

(285) V. Ann. Fuldens., Corbeiens., a. 880. Widukind I, 15.

(286) V. supra cap. 3, not. 227. Cuno sive Conradus, gener Ottonis.

(287) Errat auctor. Volcmeri mentionem in his libris antea non fecit.

(288) V. Kalend. Merseburg. h. d. Obiit a. 965, v. cont. Regin.

(289) l. e. conjuratione modo narrata.

(290) Sc. Ruotgeri Vita Brunonis.

(291) V. Kalend. Merseburg. h. d. Obiit a. 967. Conf. Regin. cont. Lamberti Annales a. 965. In. Ann. Colon. Popponis nomen ei tribuitur.

(292) Gero sedit usque 975.

(293) De hac Ida s. Hidda v. Chronic. Montis Sereni a. 1171. Inde discimus eam fuisse sororem Geronis marchionis et Sifridi comitis, atque nuptam Christiano comiti.

dignatus est Deus, et altare mihi in æcclesia sanctæ consituat Ceciliæ. Talibus preceptis devotæ obtemperantes famule, dominam suam post hæc feliciter exspirantem sepelierunt, et statim recedentes, miseriam [281] insciæ effugierunt subsecuturam. Nam Saraceni Jerusolimam tunc invadentes (294) nil reliquere victis, quod sancta [282] eis clam tunc predixit (f. 26') matrona, cum se mortuam jussit propere tumulari et suas abire. Venientes autem hec Coloniam, cuncta archiepiscopo pandunt ordine. Quas idem benigne suscipiens, Deo gratias egit et justæ ejusdem peticioni satisfecit. Et quia pauca locutus sum de laude ignota tanti præsulis, libet in sequentibus cetera disserere, ut in his virtus ejusdem valeat enucleacius apparere.

17. Imperator, audita Ratisbonensis ecclesiæ presulis (295) morte, eo perrexit (*an.* 942), et ut episcopatum non alio [283] daret, nisi eo [284], qui primus sibi occurrerit, in somnis ammonitus est. Crastina autem die primitus inlucescente, cesar ad monasterium Christi martiris Emmerammi, monachis hoc nescientibus, cum paucis venit, et paulatim ostium pulsans, a quodam Guntherio [285], æcclesiæ pervigili custode et per omnia venerabili patre, intromissus est. Quem intuens, ad adorandum primo supplex processit, deindeque talibus aggreditur: *Quid mihi, frater, pro adipiscendo episcopatus honore vis dare?* Senior ad hæc subridens: *Calceos*, inſit, *meos.* Hunc autem cum cæteris confratribus ad electionem antistitis ad sanctum Petrum venientem, (f. 27) cesar explicato cunctis [286] omnio ceteroque rei eventu, cum [287] consilio cleri tociusque populi ad sacerdotem constituit. Is vero accepta benedictione sedebat tantum 6 menses (296), egritudineque compressus valida, ad modicum evaluit [288], sumptoque in manus [289] cinere, locum, quo de hoc seculo migrare voluit, signo sanctæ crucis ipse consurgendo signavit, solotenusque positus, illud beati Job carmen beatus et ipse cecinit: *Auditu auris audivi te, Domine, nunc autem oculus meus videt te; idcirco ipse me reprehendo, et ago penitentiam in favilla et cinere* (*Job.* XLII, 5). Et continuo confessione cum lacrimis peracta emisit spiritum; inpletumque in eodem est, quod antecessor illius similis habitus huic predixit: *Tu debes, frater, secundus post me hunc æcclesiam regere; sed parvo tempore vives, Deo tantum* [290] *te misericorditer coronante.* Quod quamdiu hic peregrinatus est, juxta Dei voluntatem fieri idem semper optavit. Has de duobus episcopis sententias ideo protuli, ut scias, lector, quod celestis gratia imperatori sepe aperiret, quid sibi in humanis fieri placeret. Hic audito obitu tanti patris, Michaelem huic [291] succedere fecit. (f. 27'.) Qui cum commissa sibi optime diu [292] regeret, commoventibus iterum orientales Ungris, cum cæteris Bawariorum principibus his ad succurrendum venit. Sed exorto [293] mox inter eos duello [294], pro dolor! nostri victi ab hostibus atque prostrati sunt. Episcopus autem, abscisa suimet auricula et cæteris sauciatus membris, cum interfectis quasi mortuus latuit. Juxta quem inimicus homo jacens et hunc vivere solum ab insidiantium laqueis tunc securus cernens, hastam sumpsit et necare eundem conatus est. Tunc iste confortatus in Domino, post longum mutui agonis luctamen victor hostem prostravit, et inter multas itineris asperitates incolomis, notos pervenit ad fines. Inde gaudium gregi suo exoritur, et omni Christum cognoscenti. Excipitur ab omnibus miles bonus in clero, et servatur optimus pastor in populo, et fuit ejusdem mutilatio non ad dedecus, sed ad honorem magis. Et nunc revertar ad explanandam narracionis seriem.

18. Romanorum prepotens imperator augustus valentiorem sibi [295] in Christo domnum apostolicum, nomine Benedictum, quem [296] nullus absque Deo judicare potuit, injuste, ut spero, accusatum, deponi consensit (*an.* 964), et, quod utinam non fecisset, exilio ad Hammaburg religari [297] precepit (297), ut post lucidius (f. 28) indicabo. Interim Hirimannus dux Saxoniam regebat; positaque ad Magathaburg [298] concione, susceptus est ab archiepiscopo, manuque deductus ad ecclesiam, accensis luminaribus cunctisque sonantibus campanis. Ibi avum meimet Heinricum (298), tantæ resistentem superbiæ, dolo capere dux nisus non potuit, quia hunc [299] militum magna caterva vallavit. Precepit tamen ei, ut Romam post inperatorem pergeret. Quod libentissime complens, transcensis Alpibus ut primum ad imperatorem venit, videns eum a longe, solotenus se prostravit; interrogatusque, quid causæ hoc esset, quod accusatus apud eum, gratiam suam pietatemque solitam perdidisse timeret, lacrimabiliter respondit. Quem protinus elevatum inperator osculatur, singulaque sagaciter perquirens, et de sus-

VARIÆ LECTIONES.

[281] non *add.* 1c 2. [282] Hidda *add.* 2. [283] alii 1c. [284] ei 1c. [285] i *erasum est.* [286] cuntis 1. [287] cuni 1. (communi?) *At Ann. Saxo. a.* 952. *habet* cum. [288] convaluit 1c. *Ann. Sax.* [289] manis 1. [290] *ita c.* [291] *add.* 1a. [292] *Cod* 1. *primo habuit:* Qui cūmissa sibi optimere, *quod scriba ut videtur ipse jam mutavit in* Qui cūmissa sibi optime diu. *Hoc* 1c. *ita correxit:* Qui cum commissa sibi optime diu; *quod etiam Ann. Saxo. habet.* [293] exorta — duella 1a. [294] religiri 1a. [295] magadaburg 1c.

NOTÆ.

(294) Quod fiebat sub Al Moaz, chalifa ex gente Fatimidarum s. Alidarum primo, circa annum 970.

(295) Sc. Isangrimi, qui obiit a. 942, V. Annales S. Emmerammi Ratispon. h. a.

(296) Guntharius 30 heddomadas post ordinationem obiit. V. Ann. S. Emmerammi a. 942.

(297) Thietmarus secundam Ottonis I expeditionem in Italiam (961-965) cum tertia (966-972) hic confudisse videtur. In illa Benedictum imperator deposuit; hac durante Æthelbertus archiepiscopatum obtinuit Magdeburgensem.

(298) Sc. ex matre Cunigunde filius Heinrici comitis Stadensis.

ceptione ducis quomodoque is [366] in medio episcoporum ad mensam loco imperatoris sederet lectoque dormiret, perdidicit. Ob hæc cesar augustus masculabile succensus, Æthilberto [367] per epistolam mandavit episcopo, ut tot sibi equos mitteret, quot duci campanas sonare vel quot coronas accendi preciperet [368]. Inperatoria archipresul peragens edicta, quibuscumque valuit modis se per legatos suimet excusare (f. 28') contendit. Comes prefatus tam ingeniosus erat, ut cesarem iratum pre cæteris principibus placare potuisset facilius, et quia ejus fuit consanguineus, gratiam inperialem usque in exitum suimet [369] vitæ fideliter obtinuit. Quem torque aureo donatum cesar dimisit remeare, suosque familiares contristatis hostibus lætificare.

19. Interea Hodo [370], venerabilis marchio, Miseconem, inperatori fidelem tributumque usque in Vurta fluvium solventem, exercitu petivit collecto. Ad cujus auxilium pater meus comes Sigifridus, tunc juvenis necdumque conjugali sociatus amori, venit solum cum suis, et in die sancti Johannis Baptistæ adversus eum pugnantes, primoque vincentes, a fratre ejusdem Cideburo, exceptis tantum comitibus prefatis, omnes optimi milites interfecti oppecierunt in loco, qui vocatur Cidini (299). Hac de fama miserabili inperator turbatus, de Italia nuncios misit, precipientes Hodoni atque Miseconi, si gratiam suimet habere voluissent, usque dum ipse veniens causam discuteret, in pace permanerent.

20. Post hæc subditis sibi cunctis hostium cuneis, arduam Alpium transcendit viam, Bawariam invisens regionem, ibique cunctis sapienter (f. 29) dispositis, recto itinere ad Magadaburgiensem pergens civitatem, palmas ibidem festivo duxit honore (*an.* 973, *Mart.* 16). Namque solebat in sollempnitatibus universis ad vesperam et ad matutinam atque ad missam cum processione episcoporum venerabili, deindeque cæterorum ordine clericorum, cum crucibus sanctorumque reliquiis ac turribulis [370] ad ecclesiam usque deduci. Hicque cum magno Dei timore, qui est principium sapientiæ (*Prov.* 1, 7), staret atque sederet, usque dum finita sunt universa, nil loquens nisi divinum, sed ad caminatam suimet cum luminaribus multis, comitatuque magno sacerdotum, ducum ac comitum remeabat. Pro remedio autem animæ suæ tradidit postera luce ineffabilia Deo munera, invictissimoque ejus duci Mauricio, in prediis, in libris, cæteroque apparatu regio, confirmans omnia legitima advocatorum traditione neque scripturarum, presentia et laude inperatricis et filii, atque sub omnium testimonio Christo fidelium. Dehinc ivit ad Quidilingeburg, proximum pascha divinis laudibus humanisque peragens gaudiis (300). Huc confluebant inperatoris ad ctu Miseco atque Bolizlavo, (f. 29') duces et legati Grecorum, Beneventorum, Ungariorum, Bulgariorum, Danorum et Sclavorum [371] (301), cum omnibus regni totius primariis; consummatisque pacifice cunctis, ditati muneribus magnis [368], reversi sunt ad sua lætantes. Kalend. Aprilis [372] Herimannus autem dux ibi tunc moriens, inperatoris gaudia turbavit (302). Hujus corpus dum ad Liuniburg [373] a filio suimet Bernhardo deferretur [374], contigit ibi Brunonem, Ferdensis ecclesiæ antistitem, in proximo esse. Hic quia Herimannum, dum vixit, banno constrictum habuit, suppliciter rogatur a filio, ut et solutionem saltem defuncto inpenderet, et in æcclesia eundem sepeliri liceret. Sed is quod postulat, nequaquam inpetrat.

21. Sed quia presulis istius memoria feci, volupe [375] est mihi, de eodem amplius effari. Fuit hic consanguineus (303) predicti [376] ducis, nova monachus Corbeia; et ob venerationem suam inperator eundem Amolongo successorum statuit episcopo. Qui æcclesiam in Werdun, cui racionabiliter prefuit, de ligno, quia lapis defuit ei [377], fecit egregiam, et magnitudine et qualitate cæteras precellentem benedixit. Et in senectute bona proficiens obiit 3 Nonas Mai. frater [378] prefati ducis (*an.* 962). Hic autem dum senio et infirmitate assidua gravatus admodum tardaret, rogatur a cesare, ut Hirimannum [379] suimet capellanum, Volcmeri fratrem antistitis (304), pro filio nutrire et ad juvamen et ad heredem voluisset sibi eligere [380]. Hanc legationem gementi animo suscipiens, talia reddit : *Curam, quam mihi dominus meus indigno committere dignatus est, studiose hactenus rexi; et quamdiu hic conversari debeo, sine tali famine* (305) *si licet degere concupisco. Humilitatis ac superbiæ non est æqua societas* (cf. Lucan. 1, 92), *nec umquam consortem patitur potestas. Quodcumque in alio placet seniori meo, devotus inplebo. Non sit spes juveni in morte senis decrepiti, quia peccatum est; reminiscatur, quod pellis vituli crebro suspenditur parieti* (306). Talia exorsus, se ad æcclesiam Christi virginis Ceciliæ jubet portari, humoque prostratus, se indigne hactenus ei servisse, sic lacri-

VARIÆ LECTIONES.

[366] adhelberto 1*c*. [367] præceperat A. S. a. 969. [368] *add.* 1*b*. [369] hodo *corr.* odo. 1*c*? *et ita infra*. [370] *primum* r *erasum* 1. [371] et legati—Sclavorum *add.* 1*b*. *ex Ann. Quedl?* [372] Kl. apr. *add.* 1*b*. [373] *primum* i *erasum* 1. [374] defereretur 1*a*. [375] voluntas 1*c*. [376] *ita* 1*b*. prefati 1*a*. 2. A. S. 973. [377] q. l. d. ei *add.* 1*b*. [378] f. p. d. *erasa sunt* 1. f. ipsius Herimanni ducis 2. *Conf. Ann. S.* [379] hirrimannum 1*a*. herimannum 1*c*. [380] v. nutrire 1*a*.

NOTÆ.

(299) Fortasse Zehden juxta Oderam.
(300) Widukind. l. l, c. 75.
(301) Cf. Ann. Hildesh. a. 973.
(302) Widukind. l. l.
(303) Se. frater.
(304) Coloniensis.
(305) Famine h. e. jussu sc. imperatoris.
(306) Il. e. juvenes sæpissime mori.

mis queritur effusis : *A Deo et a te repudiatum me infelix cognosco, cum alienus mihi preponitur, et servituti tuæ ut dignior assumitur. Unde* [281] *hinc tristis nunc* [281] *abcedere volo, et Christi gratiam et tuimet intercessionem sanctam in hoc exspectare desidero. Vellem, ut, sicut ego aliena injuste non appetii, ita nullus unquam de meo gaudere presumeret detrimento. Nunc a Deo, quid* [282] *sibi placeat et æcclesiæ* (f. 30) *prosit meæ, supplex exoro.* Finita hac oratione surrexit, et discedens tamdiu in sua morabatur parrochia, quoadusque de nece supramemorati juvenis certus efficitur [283], et tunc convocatis in unum sociis : *Dominum*, dixit, *non habetis novum; me autem ad monasterium deferte meum, diem judicii ibidem absque omni vagatione cum magna sollicitatione exspectaturum* [284]. *Et discite vos mortales, omnia quæ vobis sunt salubriter profutura, non currentis neque volantis* [285], *sed pocius miserantis* [285] *Dei esse* (*Rom.* IX, 16). *Simus exemplum vobis, quod nemo confidens in Deum desolatur, nec in se sperans utiliter* [281] *exaltatur. Ponite, filii, in Deo patre spem vestram, et cum auxilio Unigeniti ejus et paracliti consubstantialis vincite timorem noxium. Propicium orate Deum, ut, quod ego in vobis seu umquam vos in me humana fragilitate deliquimus, emendetur deinceps in melius, et ut post me Deo carum et vobis utilem habere possitis seniorem et* [283] *tempora prospere arridencia.* Post hæc verba ad prædestinatum perveniens locum, quamvis multa senectutem suam circumvenirent incommoda, tamen affabilis et laudandæ fuit [281] conversationis.

22. (f. 31a) Expeditis breviter supradicti imperatoris inclitis actibus, fert animus, priusquam obitum ejus scriptis comprehendam, de his aliquid dicere, qui ejusdem temporibus utiles æcclesiæ et sibi exspiravere, et quod interim accidit renovare. Hillibertus, qui eum unxit archiepiscopus, in secundo regni suimet anno obdormivit in Christo 2. Kal. Junii; et huic Frithericus succedens, Deo placuit et seculo (307). Hic in fine suo gratias egit Deo, quod æcclesiæ suimet nil umquam injuste acquisierit seu perdiderit [286]. In hoc anno Ungarii [287] Thuringiam atque Saxoniam vastantes (*an.* 937), in locis perierunt firmissimis [281], nonnulli autem ex illis, timore sibi alas subministrante, patriam revisernnt (308). Everhardus, Francorum [288] dux, regi diu [281] infidelis, degradatus est, et comes Wigmannus humili supplicatione reconciliatus est (309). Insequenti anno (*an.* 938) frater regis Heinricus ab Everhardo [289] comite captus (*an.* 939), in vinculis tentus est (310). In 3. anno supramemorati regis Heinricus frater ejus et Everhardus [290] dux ac Gisilbertus [291], comes Lutharingorum [292], cum cæteris nequiciæ suimet fautoribus eis Renum plurima depopulati sunt. Hoc Udo amicus regis ilico comperiens, Everhardum occidit, Gisilbertum autem cum (f. 31a') consociis in Reno dimergit [293]; Heinricum [294] autem regis gratiam petere coegit (311). Post hæc legati Grecorum regi nostro bis ab imperatore suo munera detulerunt (*an.* 944) utrisque convenientia (312). Frithericus [295] archipresul 17 ordinationis suæ anno, vir abstemius [296] obiit (*an.* 954), et Willehelmus, de matre quamvis captiva et Sclavonica [297] tamen nobili et ex rege predicto genitus, vice ejus ordinatur, anno dominicæ incarnationis 954 (313). Dehinc in quarto ejusdem numeri anno (958) signum salutiferæ crucis in vestimentis [298] hominum mirabiliter et magis miserabiliter elucens, digne accipientibus profuit et [281] irridentibus nocuit (314). Anno dominicæ incarnationis 963 ob depositionem supra memoratam Benedicti papæ et exilium, quo mortalitas, seva mortalitas inperatoris exercitum subsequitur, quæ Heinricum Treverensem archiepiscopum et ducem Godefridum [299] cum cæteris innumerabilibus consumpsit (315). In tertio anno 2. Kal. Aprilis æcclesia Halverstidensis cecidit; et inperator de Italia pergens, Francanavord [300] venit; et in his partibus diu manens, inter suos pacem atque concordiam firmavit (316). Subsequente autem anno inperator iterum Romanorum partes invisit (317). (f. 31b) In quarto anno equivocus inperatoris, comitante Willehelmo, Magociacensi archiepiscopo, Romam veniens (*an.* 967), a domno Johanne venerabili papa in benedictione patri similis efficitur (318). In 7. autem anno templum Domini in Thornburg combustum est (319).

VARIÆ LECTIONES.

[281] *add.* 1*b*. [282] quod 1. [283] effitur 1. [284] volentis—miserentis 1*c*. [285] et t. p. a. *in loco raso* 1. [286] Hic — perdiderit *add.* 1*b*. *in ima margine.* [287] *secundum* i *erasum.* [288] *ita* 2. *In cod.* 1. *pro hac voce rasura.* [289] *ita* 1*c*. *primum* euuarhardo *scriptum fuisse videtur.* [290] euurhardus *corr.* euerhardus 1. *et ita infra.* [291] isilbertus *corr.* gisilbertus 1. *et ita infra.* [292] luthuringorum 1*a*. [293] dimergi 1*a*. *corr.* 1*c*. [294] Hericum 1*a*. Heuricum 1*c*. [295] Fridericus 1*c*. [296] abstinentissimus 2. [297] et sclavonica *add.* 1*b*. [298] festimentis 1*a*. [299] Godefridum 1*c*. [300] francanuord *e corr. manus incertæ.*

NOTÆ.

(307) Ex Ann. Quedl., a. 937. Kalend. Merseburg., II Kal. Jun.
(308) Ex Ann. Quedlinb., a. 937.
(309) Indidem.
(310) Indid., a. 938.
(311) Indid., a. 939.
(312) Indid., a. 941.
(313) Indid., a. 954, coll. Widukind. III, 74.
(314) Indid., a. 958.
(315) Cf. Ann. Hildesheim. a. 963.
(316) Cf. ibid. 963 et chronogr. Sax. h. a. ex Ann. Quedlinb., ut videtur.
(317) Ibid., a. 966.
(318) Ibid., a. 967.
(319) Ibid., a. 971.—Thornburg, castellum olim et palatium Ottonis I et sequentium imperatorum ad sinistram fl. Albis ripam situm, nunc mutato alveo ad dextram fluvii proxime ad urbem Barby fluctibus Albis plane ferme absorptum est, ut vix rudera cerni queant. V. Chron. Gottvic. t. I, p. 512. Leuckfeld Antt. Halberstad., p. 247. URS.

23. Placet eciam mihi hoc adnectere, quod Boso, antecessor meus a prefato imperatore constitutus, curam sibi commissam annum 1 et menses 10 ac 3 dies regens, in patria obiit Bawaria Kalendas Novembris (*an.* 970), sepultusque est in Merseburg, æcclesia sancti Johannis Baptistæ coram summo [301] altari. Qui in monasterio Christi martiris Emmerammi [302], quod extra urbem Ratisbonam in australi parte situm est, monachus conversacione nutritus est, et inde ad servicium cesaris assumptus, beneficium Citicensis æcclesiæ pro magni laboris sui debita remuneracione percepit, et juxta predictam civitatem in quodam saltu, quod [303] ipse construxit [304] ac suo nomine vocavit, templum Domino de lapidibus edificat consecrarique fecit. Beneficium autem omne, quod ad æcclesias in Merseburg et in Imenlevo [305] positas, ac ad Thornburg et Kirberge pertinens [306] fuit, antequam [307] ordinaretur optinuit; et quia is in oriente innumeram Christo plebem predicacione assidua et baptismate vendicavit, inperatori placuit, eleccionemque de tribus constituendis episcopatibus ei dedit, Misnensis [308], Citicensis atque Merseburgensis. (f. 31b') Pre hiis omnibus, eo quod pacifica erat, Merseburgensem ab augusto exposcens æcclesiam, quamdiu vixit, studiose eandem rexit. Hic ut sibi commissos eo facilius instrueret, Sclavonica scripserat verba, et eos kirieleison cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui vecordes hoc in malum irrisorie mutabant Ukrivolsa [309] (320), quod nostra lingua dicitur : Æleri stat [310] in frutectum; dicentes : *Sic locutus est Boso,* cum ille aliter dixerit. Inperator huic paucas villas ad predictam urbem pertinentes et in pago Chutici positum quoddam castellum, quod Medeburu [311] (321) vocatur—interpretatur autem hoc : *mel prohibe* —; concessit quoque ei filius suimet et equivocus [312] æcclesiam in Helpithi (322) positam, quam pater ejus in honore sanctæ Radegundis constructam, Bernhardum ipse presens dedicare precepit antistitem. Sed cum primus ecclesiæ pater nostræ, sicut predixi, expiraret, intercessione Annonis, episcopi Wormacensis, inperator Gisilero, moribus et natura (323) nobili, episcopatum dedit. Hic consecratur in Magadaburg [313] ab Athelberto [314] archiantistite [315], Junio mense.

24. Equidem [316], quia de Conrado duce, qui gener cesaris juxta Lech fluvium occisus est, pauca dixi, non incongruum esse reor, quedam tunc a me indiscussa aperire. Post longum tempus imperator ad Merseburg veniens, a quodam proditore comperit (f. 31c) exuvias ejusdem a Sclavis in Zuencua (324) sub Cuchavico [317] seniore sibi multum dilecto haberi; et cum auxilio illius hos in singulari prelio devictos suspendi precepit, predæque maximam partem restituit (325). Sed hoc ignoro, utrum hanc ejusdem interemptores sumpserint, an sic casu accidente, necis ejus inculpabiles, invenerint; et quia hoc ullatenus celare presumpserunt, digna morte pœnas [318] persolverunt. Filiam vero suimet, uxorem ejus (326), a quodam Conone [319], eo quod sibi satisfacere noluisset, late diffamatam et conjugem suam clam fore ab eodem dictam, cesar hoc graviter ferens, sic eam expurgavit. Convocatis [320] omnibus regni suimet principibus, primo secretis allocutionibus eandem, si hujus rei culpabilis esset, diligenter inquirit; posteaque cum illam adhibito Christi testimonio et sacramentis se nimis excusare vidisset, presentibus cunctis indixit, si aliquis ex numero sibi familiarium eam armis defendere voluisset, ut se firmum in die hac et in perpetuum acquirere potuisset amicum. Burchardus comes hæc audiens, in medium prosiliit, et Cononem [321] per omnia (f. 31c') mentitum fore, coram omnibus dixit. Ille autem cum id verum esse sacramentis affirmaret, cum eodem congressus, in primo aditu dexteram mendacem perdidit, et injusticiam suimet devictus innotuit (327); et misericors Dominus a falso crimine hanc eripuit, quam innocencia [322] vitæ sibi placere fecit. Hæc marito vivente suo, quamvis sepe despiceretur et laboribus crebris fatigaretur, tamen virili pacientia hæc sufferens, honorem innatum servare conatur. Cum autem vitam hanc finiret, in æcclesia Christi martiris Albani [323] in Mogoncia flebiliter est sepulta; cujus fusum argenteum in ejus memoria ibidem est suspensum.

25. De prefato autem duce Heinrico [324] quædam dico, quæ impie fecit in suimet regno, et in quibus valet considerari [325] quod supradictis omnibus non valet contradici. Patriarcham de Aquileia (328) castrari, et archiepiscopum Salzburgensem [326] (329)

VARIÆ LECTIONES.

[301] *add.* 1*b*. [302] quod construxit Arnulfus imperator *add.* 1*c*. [303] qd. *corr.* qc. 1. [304] c *erasum* 1. [305] *ita* 1. [306] *ita* 2. *A. S.* pertinentes 1. [307] anquam 1. [308] *ita* 1*c*. misnessis 1*a*. [309] *ita* 1*b*. kriolosso 1*a*. [310] i. (id est) *add.* 1*c*. alnus quæ stat in fruttectis *A. S. l. l.* [311] *Infra IV*, 5. *idem nomen rectius scriptum est :* Medeburun. [312] Otto secundus *add.* 1*c*. [313] magaburg 1. *ut jam supra c.* 10. [314] Adelberto 1*c*. [315] *ita* 1*c*. archiantiste 1. [316] suchauico *primum scripsit* 1, *sed ipse scriba correxit*. Euchauico 2. *A. S.* [317] o *erasum*. [318] conone 1*c*. [319] conculcatis 1*a*. [320] cononem 1*c*. [321] *ita* 1*c*. innocia 1. [322] *add.* 1*b*. [323] heinricho 1*a*. [324] considerare 1*a*. [325] *ita* 1*c*. salb. 1*a*.

NOTÆ.

(320) Alnus Polonis Olsa, Bohemis Volsa. Quid priores syllabæ sibi velint, incertum est. Slavi dixisse videntur : *Die Eller steht im Busche;* quod quomodo in vocabulo Slavico lateat, non liquet.

(321) Magdeborn prope Roetham, haud procul a Lipsia. Urs.

(322) Monasterium Helfelde s. Helfte in comitatu Mansfeldensi.

(323) I. e. prosapia. Kind.

(324) Zwenkau prope Leipzig.

(325) I. e. recuperavit. Kind.

(326) Liutgarda, quæ anno jam 953 obierat. V. Cont. Regin. h. a.

(327) H. e. notum fecit, professus est. Urs.

(328) Leonem?

(329) Nomine Heroldum a. 954. V. Cont. Regin. h. a.

precepit excecari. Causas ponere [326] nolo, quia ad hæc promerenda non esse idoneas, in veritate scio. Is cum in fine suo a Michaele, Ratisbonensi episcopo, de tali commisso amoneretur [327], se in priori peccasse [328] solum fatetur, et in archipresule nichil; ignorans, quam parva (330) res est, in qua flagitium [329] deest. Unde Davit supplex loquitur : *Ab occultis meis munda me, Domine!* (*Psal.* XVIII, 13.) Hujus (f. 31d) conjunx, Juthitta nomine, cum presens adesset, hanc confessionem audivit, et mox viro suimet moriente, corpus ejusdem in æcclesia, quam ipse in honorem sanctæ Mariæ semper Virginis construcxit, cum magno merore deposuit, et in quocumque animam ejus umquam deliquisse ipsa scivit vel ab aliis comperit, lacrimis ac ineffabilibus emendavit elemosinis. Hæc in viduitate sua continenter vivens, cum Habraham [330], Frisingensem episcopum, pre cæteris diligeret, invido vulgari dente admodum inculpabilis dilaniebatur. Quæ cum de hac luce migraret, in die depositionis suæ ab eodem antistite missam cantante sic expurgatur. Ante communionem is versus ad populum, quæ merita ejus fuerint, circumstantibus indixit : *Hoc*, inquiens, *delictum* [331], *quo diffamata fuit, si hec umquam commisit, faciat omnipotens Pater Filii suimet corporis et sanguinis salutare remedium mihi provenire ad judicium et ad debitam dampnationem* [332], *animæque ejus ad perpetuam salvationem*. Et tunc cum mentis ac corporis innocentia sumpsit unicum cunctis fidelibus remedium. Credidit populus, quamvis sero, et cum detraccione injusta plus ei profuit, cum nocere studuerit.

26. (f. 31d') Fuit in diebus predicti cesaris quidam comes, Hed nomine, qui æcclesiam in honore Christi adletæ Viti [333], in Heslinge (331) construcxam, quia heredem non habuit, maxima totius proprietatis suæ parte dotavit, et congregatione sanctimonialium ibidem facta, eandem abbaciam mundiburdio Etheldagi, Bremensis archiepiscopi, subdit [334]. Sed prepositæ huic sedi geminæ venerabiles matronæ, quibus unum erat vocabulum Windilgerd [335] dictum, cito, pro [336] dolor! obiere. Avus (332) autem meus cum filiam suimet, Hathui nomine, ibi educatam prius ac traditam eis succedere rogasset, ab archiepiscopo antistite prefato impetrare non potuit. Postea vero archipresul a cesare, patrino suimet, rogatus, eandem, cum jam duodecim esset annorum, 2. Kal. Maii, die dominica (333) velavit et in proxima die ad abbatissam in patris presentia ordinavit; quod postea eum nimis penituit. Namque, ut dicturus sum, interpositis diebus quinque, Italiæ decus et Saxoniæ salus, Otto primus obiit (*an.* 973). Pausat autem avia [337] meimet, Juthitta [338] nomine (334), in æcclesia, quam post de lapidibus, qui in hac terra pauci habentur, filia ejus sumopere construcxit [339], excedens ex hoc seculo 7. Kalendas Novembris. Æcclesia Fuldensis, pro dolor! incensa (335), sub eodem imperatore renovata est.

27. (f. 32.) Ascensionem autem Domini imperator in Merseburg fuit, et quicquid de promissione remansit, devota mente ibidem complere studuit. Exin 3. feria ante pentecosten ad Miminlevo [340] veniens, postera die ad mensam lætus sedebat. Qua finita, cum jam vespera cantaretur, infirmari cepit et inclinare. Quem qui astabant proxime suscipientes deposuerunt; refocilatusque divino celeriter viatico, orantibus pro ejus exitu cunctis, debitum persolvit naturæ (336) 38. ordinationis suæ anno [341] (337) Nonis Mai. (*Mai* 7), 4. feria (338). Sequenti vero nocte viscera ejus soluta in ecclesia sancte Mariæ sunt tumulata ; corpus autem ejusdem aromatibus conditum ad Parthenopolim translatum est (339), ibique honorabiliter atque lacrimabiliter succeptum, marmoreoque inpositum sarcophago, sepultum est ab archiepiscopis Gerone atque Æthelberto [342] ceterorumque auxilio episcoporum clerique tocius.

28. Æquivocus autem ejus, junior scilicet Otto, patre adhuc vivente electus et unctus, iterum conlaudatur a cunctis [343] in dominum et regem (340). Quantum vero pro liberatione animæ senioris suimet Æthelheidis [344] inperatrix invigilaverit usque in finem, dictis non valet conprehendi nec factis. (f. 42) Quicquid enim honoris sibi vel provectus secularis umquam provenit, non ullo suimet merito, sed Daviticis Christo asscripsit laudibus : *Non nobis*, inquiens, *Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXV, 1). Si in me facundia, scientia

VARIÆ LECTIONES.

[326] preponere 1*a*. [327] amm. 1*c*. [328] pecasse 1. [329] *ita* 1*c*? *A. S.* a. 955. flacium 1*a*. [330] h *erasum*. [331] debitum 1*a*. [332] dapn. 1. [333] Viti, septennis pueri, qui in nova Corbeia requiescit 2. [334] subdidit 1*c*. [335] uuinnilgerd *ipse scriba* uuindilgerd *correxisse videtur*. Windilgard 2. *A. S.* [336] proch 1*c*. *sæpius*. [337] ana 1. [338] *alterum* t *erasum*. [339] c *erasum*. [340] mimnlevo 1*a*. mimniene 1*c*. [341] XXXVIII. o. s. a. *add*. 1*b*. [342] athelberto 1*c*. ? [343] accunctis 1*a*. [344] atelheidis 1*c*.

NOTÆ.

(330) I. e. rara, res paucæ. Conf. procem., v. 14.

(331) Heslingen in præfectura Zeven, ducatu Bremensi. V. Adam. Brem. II, 6. Albert. Stadens. a. 1136.

(332) Avus sc. maternus, Heinricus comes Stadensis.

(333) Dies dominica hic videtur dici Ascensio Domini, quæ anno 973, incidebat in Kalendas Maii.

(334) Juthita, mater Hathui jam dictæ.

(335) De monasterio S. Bonifacii incenso v. cont. Regin., a. 937. Ann. Hildesheim., a. 936.

(336) Ex Widukindo III. 75.

(337) Fuit vero annus 37mus.

(338) Widek. I. I, c. 76.

(339) Ibid.

(340) Indidem.

et memoria convenirent, in explicanda cesaris laude deficerent. Sicut dominus, sic et [345] principes ejus fuerunt. Non eos ciborum seu aliarum rerum superflua varietas, sed in cunctis delectabat aurea mediocritas. Omnes quæ leguntur virtutes, his degentibus florentes, hiis obeuntibus marcescerunt. Illi etsi corporaliter non vivunt, supersunt animæ immortales, bonorum provectu operum beata æternitate gaudentes. Sed ut concludam [346] sermonem, post Carolum Magnum regalem cathedram numquam tantus patriæ atque defensor possedit. Precedentibus mortem ejus, ut predixi, plurimis optimatibus, omnes qui superfuerunt, tantæ jucunditatis haud [347] inmemores, novam hanc [348] normam, quæ sequebatur, nec voluerunt, neque sequebantur, sed ad exitum vitæ suimet ab recta antiquæ veritatis et justiciæ semita sua sponte non deviabant. Impleri tunc namque videbant, quod a quodam sapiente presago futurorum scriptum est : *Primum* (f. 33) *est aureum seculum, deinc* (341) *æreum, postque ferreum sequitur.* Audiat unusquisque fidelium veredica [349] beati Gregorii monita : *Cum augentur dona, raciones crescunt donorum*, et in commissis [350] se nimis peccasse perhorrescat, et pro anima inperatoris Deum supplici mente deposcat, ut flagicia servi peccatoris innumera [351], quæ in tot sibi subditis rebus precaveri nequiverant, clementer ignoscat, regnorumque dominator omnium populis presentibus atque futuris pervigil piusque custos assistat ! Et tu, quicumque mihi succedas, tanti memor beneficii, animæ ejus recordationem fideli mentis custodia serves, maximeque in festivitate Christi adlectæ Laurentii, cujus intercessionem obnixe postules, ut sicut eo die meritis ipsius hostium huic concessa est divinitus victoria visibilium, ita sibi a Deo donata, quam semper optavit, remissione, laqueos inimicorum mereatur invisibilium evadere a sinistrisque segregatus, in die judicii collocetur a [352] dextris Dei Patris.

LIBER TERTIUS [353].

Tertius in numero regum, sed proximus Otto
Nomine, scribatur, et digna laude locetur
Sede patris magni, vivens per secla secundo [354]
(f. 33') Successu, miseris qui profuit omnibus horis.
Hujus prima bonis lætantur, triste supremis
Advenit, nostris criminibus undique magnis.
Tunc luit hic mundus, quod sprevit recta malignus.
Ultrici gladio perierunt plurima regno.
Nulla patet nobis certissima causa, peritis
Cunctis est visum, Mersburgi flebile damnum
Ex quo sustinuit, quod pax pia longe recessit
Finibus e nostris, late regnabat et hostis.
Quis valet effari seviret ut iste crudeli
Funere, cum Christi templis nec parceret almi?
Congressi mutuo ceciderunt atque duello.
Ex nostris multi, Saracenis exuperati.
Vere felices, qui Christum semper amantes
Tranquillæ pacis retinent optata, timoris
Fundibus ignari pulsantis corda maligni,
Plus quam tricenos qui nunc turbaverat annos
Antecessores nostros, et, pro dolor ! hostes
Armavit, nostras quoque nunc infringere terras.
Qui cœlos terris conjunexit [355], ponat ut istis
Finem suppliciis, optet modo quisque fidelis.

1. (f. 34) Tercius regni procurator nostri, Otto secundus, sit codicelli materies mei ; qui juvenis viribus corporis cluens eximiis, primo quæ sunt proterva sectatur, largitusque plurima pietatis opere (342), absque temperamento, matura fugi consilia ; deindeque castigatus a multis, inposito sibi laudandæ virtutis freno, nobiliter in diebus suis conversatus est ; sicut in sequentibus explanabo. Piæ genitricis suæ instinctu, cujus gubernacula vigebat, Miminlevo [356], ubi pater suus obiit, justo acquisivit concanbio, decimasque quæ ad Herevesfeld [357] pertinebant ; et congregatis ibi monachis, liberam fecit abbaciam, datisque sibi rebus necessariis, apostolico confirmavit privilegio [358] (343). Insuper licentiam archiepiscopum eligendi confratribus Deo famulantibus Magadaburg [359] precepto inperiali presente archiepiscopo dedit Æthelberto [360], et (344) cum uno libro, qui [361] hodie ibidem est, in quo sua inperatricisque Theuphanu imago auro splendet formata, munus affirmavit. Quod gratia cesaris et in presentia ejus archiepiscopus, preparatus ad missam, cum perlecto evangelio more solito optime predicasset, recitato coram precepto inperiali, (f. 34') quo eleccio continebatur, ostendit, eumdemque, quicumque temerarius hoc umquam auderet infringere, terribili excommunicatione damnavit, cunctis prosequentibus *Amen ! fiat ! fiat !* consolidavit. Pauperem

VARIÆ LECTIONES.

[345] et. et 1*a*. [346] conclaudam 1*a*. [347] *Vox* haud *erasa in cod.* 1. *exstat apud A. S.* [348] hac 1. [349] veridica 1*c*. [350] commissis 1. [351] innuma 1. *linea super* u *erasa.* [352] ad 1. (*voces* Dei Patris *erasæ sunt*). [353] Incipit prologus libri tertii de Ottone secundo 2. *et in fine carminis* : Expl. prologus. Inc. lib. tere. [354] felici 1. *sed ipse correxit.* [355] c *erasum.* [356] miminlene 1*c*. [357] Hereues fel. *scripsit* 1 ; *sed corr.* 1*c*. heresfeld. [358] præcepto 1*a*. [359] *add.* 1*b*. [360] adhelberto 1*c*. [361] quod 1*a*.

NOTÆ.

(341) I. e. dehinc.

(342) cf. V, 25. *Largitus* sensu passivo. Sensus videtur esse : plurima ei donata sunt a parentibus.

(343) De hac charta a. 979, V. Bohmeri Regesta sub n. 544.

(344) Charta data Walbecki a. 979, Decb. 19

adhuc episcopatum Merseburgensem largiflua pietate respexit, et ejus provisori Gisilero, quia hunc multum dilexerat, primo abbaciam in Palithi (345), dein [365] Suencuam (346) civitatem cum appertinentibus cunctis ad servitutem sancti Johannis baptistæ tradidit, et quicquid Merseburgensis murus continet urbis, cum Judeis et mercatoribus, ac [365] moneta et foresto inter Salam ac Mildam fluvios et Siusuli atque Plisni pagos jacenti (347), Chorin (348) et Niriechua, Bucithi et Cothug ac Borintizi et Gunthorp [365] permisit, ei hæc [365] omnia [365] scriptis manu propria conroboratis affirmans.

2. Interim Gero, Agripinæ sedis egregius [366] provisor, obiit (349) [*an.* 975]; de quo quia pauca crelibavi, quæ tunc reservavi, paucis edicam. Hic prucifixum, quod nunc stat [365] in media, ubi ipse pausat, [365] æcclesia, ex ligno studiose fabricari precepit. Hujus caput dum fissum videret, hoc summi artificis et ideo salubriori remedio nil de se [367] presumens sic curavit. Dominici corporis porcionem, unicum in cunctis [368] necessitatibus solacium, et partem unam salutifere crucis conjungens posuit in rimam, et prostratus nomen Domini flebiliter (f. 35) invocavit, et surgens humili benedictione integritatem promeruit. Is dum capellam clara jam luce intraret suam, Victorem sanctum, ut suis post intimavit fidelibus, cum zabulo (350) dimicantem atque vincentem vidit. Hujus obitum cuidam abbatissæ Gerbergæ, [369] quam propter castitatem mentis et corporis idem multum dilexerat, secumque sepe detinuit, diabolus bonorum invidus omnium sicut prius [370] solebat in ceteris, prodidit : *Vellem tibi meum aperire secretum, ni te scirem cuncta hactenus numquam servavisse commissa. Sed si fideliter hoc continere mihi promittis, ea dico ratione* [371], *quandocumque alicui vis aperire, vitam tibi me non dubites tollere. Gero, tuus familiaris, in hoc anno tantam incidet infirmitatem tres dies, ut mortuus credatur; et si ab aliquo hoc spacium custoditur, tale potest securus evadere periculum.* Sed ancilla Christi, verbis obstupefacta talibus, fideli se silentio hæc promisit omnibus occultare. Hæc cum eum [1]em videret evanescere, directo mox itinere, archiepiscopo universa narravit. Quod diabolus intelligens, in tantum eam cecidit, ut post (f. 35') innumeros [372] dies vitam hanc fragilem vita mutaret æterna. Archiepiscopus autem in die dispositionis ejus missam celebrans meritum ejus cunctis astantibus indixit, indulgentiamque ei ab his postulavit, et ipse fecit. Post hæc infirmitate predicta gravatus, se Evurgero [373] custodiendum commisit. Qui eundem acri dolore defatigatum quasi mortuum lavari, feretroque impositum ad æcclesiam portari, posteraque die sepeliri jussit. Hic, ut aiunt populi, tercia nocte quasi de gravi somno expergiscens, audivit sonantem campanam, et ut aperirent ei velociter, terna exclamacione rogavit. Obstupefactus is qui audivit, Evurgerum prefatum custodem æcclesiæ, ut episcopo laboranti succurreret, interpellavit. Qui eundem per omnia fuisse mentitum affirmans, magno percussit baculo; sicque quievit divæ presul memoriæ 3 Kalendas Julii. Apparuit autem is [365] mox Liudulfo abbati (351) dicens : *Requiem eternam nobis cantate!* et evanuit ab oculis ejus. Hujus vice Warinus electione et inperatorio munere protinus ungitur.

3. Anno medii Ottonis 2 (974). Heinricus (352), Bawaricorum dux, captus est, et ad Gilhiem (353) deductus caute custoditur. In hoc anno hiemis asperitas longa fuit et sicca, et magna nix effunditur cœlitus [374]. (f. 36) 975° Mortuo quoque Roberto, Magontinæ sedis archipresule, inperator cancellarium suimet nomine Willigisum (354), multis hoc ob vilitatem sui generis renuentibus, eidem prefecit æcclesiæ. Sciebat enim, Petro attestante, quod non est personarum acceptor Deus (*Act.* x, 34), sed omnes se ex corde diligentes pre cæteris amat, inconprehensibili honore remunerans. Qualiter autem hunc pastorem futurum divina pietas presignaverit, non est silendum. Hujus mater, quamvis paupercula, tamen, ut in sequentibus apparet, bona, dum eun-

VARIÆ LECTIONES.

[365] primo — dein *add.* 1*b*. [365] *ita* 1*b*. *A. S.* cum 1*a*. [365] et Gunthrop *era- sum in* 1, *ex A. S. supplevit jam Ursinus.* [365] *add.* 1*b*. [366] egrius 1. [367] *dees!* 1; *suppletum ex* 2. *A. S.* [368] cuntis *corr.* cunctis 1. [369] gerbergæ 1. [370] *ita* 1*c*. pius 1*a*. [371] ut *addit* 1 *c*. [372] paucos A. S. a 971. *Chron. Saxo a.* 971. [373] euergero 1*c*. *et ita infra.* [374] Anno — cœlitus *add.* 1*b*. *in ima pagina, cujus margini primo addidit* DCCCCLXXV°; *quem numerum postquam scripsit ipse statim extinxit et in sequentis paginæ summa margine posuit, ante vocem* Mortuo. *Sed* 2. *illum numerum post Anno posuit ita :* Anno dominice incarnationis DCCCLXXV et medii etc.

NOTÆ.

(345) Pœlde, anno 981, Septemb. 24. Otto II, imperator hanc abbatiam dedit archiepiscopo Magdeburgensi.

(346) Chartam imperatoris Ottonis d. d. Frosa 974, Aug. 30, super donatione civitatis Zuenkouua in regione Chutizi et in comitatu Gundherii comitis ecclesiæ S. Laurentii facta, edidit L. F. Hœfer in Zeitschrift fur Archivkunde I, p. 153.

(347) Chartam super donatione hujus foresti datam Alstede a. 979, Aug. 30, V. apud Wideburg Res Misnenses, p. 85. Pagus Siusuli circa fluvium Mulde et civitatem Eilenburg. Pagus Plisni inter fluvios Pleisse et Elster.

(348) Hodie Kohren vicus prope Borram, Nercha oppidulum prope Grimam, Poetsche haud procul a Magdeborn, Gautsch Lipsiam et Zvencoviam interjacens, et tandem oppidulum Brandeis. Urs. Cothug vel Cotowe vicetur esse villa Katow, vulgo Kadau prope Lœbejuenum. Kind.

(349) anno 975; V. Ann. Colonienses, t. I, p. 98.

(350) I. e. diabolo.

(351) Abbati novæ Corbeiæ, teste A. S., a 975.

(352) Filius Heinrici, filii Heinrici regis et fratris Ottonis I imperatoris.

(353) Cf. chronogr. Sax., a. 974; Ann. Hildesh., a. 974, ubi Gilhiem appellatur Engilenheim.

(354) Ibid., a. 975.

dem .n utero portaret, vidit per somnium, quod A sol e sinu [375] suimet fulgens totam radiis flammantibus repleret terram. Et in ea nocte, qua hæc [376] talem peperit infantem, simili procreacione totum hoc jumentum, quod ipsa in domo sua habuit, quasi gratulabundum dominæ respondit. Ille, qui tunc natus est, sol erat, quia sanctæ predicationis suæ radiis corda multorum a Christi caritate torpentium illuxit. Et idcirco in ejus nativitate masculini sexus mirabilis multitudo gignitur, quia vir Dei ad salutem patriæ totius summa predestinatione regnaturus exoritur. Felix mater, quam Dominus pre ceteris contemporalibus suis in tantum (f. 36') visitavit, ut prolem nobilioribus coequalem vel etiam nonnullis meliorem pareret, et ostensæ sibi visionis spem oculis et re ipsa veram esse probaret. Sed hæc alias B dico.

4. (*An.* 974) Imperator [377] prima expedicione Buschuth civitatem cepit (355). Secunda Danos sibi rebelles petens, ad Sleswic properavit [378] (356). Ibi etiam hostes suos foveam, quæ ad defensionem patriæ parata [379] est (357), et portam, quæ Wieglesdor [380] vocatur (358), armis preoccupare videns, consilio Bernhardi ducis et avi meimet Heinrici comitis omnes has munitiones viriliter exuperat [381].

In hoc itinere prima malæ irrisionis in clericos exclamatio attollitur, et a malis hominibus hodie servatur. Admodum miserabile est, cum aliquid boni a justis inventum, in usu ad modicum habetur, statim ut nimis detestabile a maxima multitudine C repudiatur. Quod Deo autem displicet et hominem ad promerendam reatus sui penam protrahit, hoc discit et ut [382] ruminando firmat. Quamvis vero [382] multi irrisiones non serio faciant, tamen sine peccati macula has nullatenus (f. 37) peragunt.

Urbem unam in hiis finibus cesar edificans presidio firmat. Brun presul supra memoratus (359) 7. Idus Marcii obiit, et Erp. prepositus Bremensis intercessione Ætheldagi [383] archipresulis ordinatur. Temporibus hiis ego natus sum 8 Kalendas Augusti, mense Julio.

5. Anno [383] vero Dominicæ Incarnationis 976. Heinricus, dux Bawariorum, honore et communione privatus, Boemiam fugit (360). Quem imperator ibidem valido petens exercitu cum duce Bolizlavo [384] manentem, nil ibi prorsus in neutro horum profecit, sed magnam Bawariorum catervam, sibi ad auxilium huc venientem, et juxta Pilisini (361) urbem castra metatam, dolo cujusdam militis Bolizlavi sic perdidit. Vespere facto, Bawarii se lavantes nulla custodum securitate fruuntur; et ecce hostis loricatus adveniens, nudos eosdem in tentoriis et in virentibus pratis occurrentes prostravit, et cum omni preda lætus et incolomis revertitur. Imperator autem audita tantorum strage virorum, et quod nulla sibi via redeundi patuit, recto itinere ad civitatem suam, quæ Camma (362) dicitur, venit, et in proximo anno (977) prefatum ducem ad Pataviam confugientem subegit (363). In consequenti anno (978) Heinricus [385] dux et Ekbertus comes et Heinricus presul apud inperatorem accusati, Magadaburg capti sunt et exilio deputati longo [386] (364).

6. (f. 37') Post hæc autem [387] inperator omni studio ordinavit expeditionem suam (*an.* 978) adversus Lutharium [387], regem Karelinguorum (365), qui in Aquisgrani palacium et sedem regiam, nostrum semper respicientem dominium, valido exercitu presumsit invadere, sibique verso aquila designare. Hæc stat in orientali parte domus, morisque fuit omnium hunc locum possidentium, ad sua eam vertere regna. Quem celeriter abeuntem cesar insequitur, depopulatis omnibus et incendio consumptis usque ad Parisiam sedem. In illo itinere, multis infirmitate nimia compressis, Brun, comes Harneburggensis, miles per cuncta laudabilis, obiit 2 Ka-

VARIÆ LECTIONES.

[375] essinu 1*a*. [376] *add.* 1*b*. [377] inperator — cepit *in loco raso*, secunda *in margine suppletum*. [378] uenit 1*a*. [379] munita 1*a*. [380] Heggedor 2. 4. *S.* a. 975. [381] *In cod.* 1. *hic apparet spatium vacuum dimidii et duorum versuum, quorum ultimus erasus.* [382] atheldagi 1*c*. [383] *Ita codex distinguit.* [384] boislauo 1*a*, *post* v *super* u *posito, tandem utraque littera erasa; et ita postea semper* u *deletum est.* [385] H. 1. [386] In cons. — longo *add.* 1*b*. [387] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(355) Bossut super fluvium Hoine in terra Hennegau. V. Balderici Camerac. Chron. l. 1. c. 94. Sigebert. Gemblac., a. 973. Annal Weissenburg., a. 974.

(356) V. Lamberti Ann. a. 975, et Theodorici monachi Trondhemiensis Historiam apud Langebek SS. rer. Danic. t. V, p. 516, quem locum optime illustravit l. Asmussen in Archiv. für Staats- und Kirchen-Geschichte der Herzogthümer Schleswig, Holstein und Lavenburg, t. I, pag. 252 sq.

(357) Vulgo dicitur Danevirke.

(358) Apud scriptores Islandicos, veluti in Jomsvikinga Saga dicitur Ægisdor. De hac porta conf. Einhardi Annal., a 808. I. Grimm Deutsche Mythologiæ p. 147 et 197.

(359) Supra II, 20 sq.

(360) Cf. Chron. S. Ann. Hildesh., a. 976, De excommunicatione Heinrici ducis. v. Legum t. II, B. 171.

(361) Pilsen.

(362) Chamb.

(363) Cf. Chron. S. Ann. Hildesh. et Lamberti, a. 977.

(364) Ann. Hild. Chron. Sax., a. 978. Noster hic vero confudisse videtur Heinricum marchionem (de quo v. infra cap. 13) et Heinricum, episcopum Augustanum. Hic tres tantum menses in custodia Werdinensi degnit. V. Vitam S. Udalrici c. 28. Hermann. Contr., a. 978, et quæ de Heinrico marchione affert Cl. a Hormayr in libro De duce Liutpoldo, p. 27.

(365) Hæc expeditio facta est a. 978. V. Ann. Hildesh., Lamberti et Colonienses et quæ de ea fusius narrantur in Balderici Chron. Camerac. l. I c. 96, sq.

lendas Decembris (366). Reversus inde inperator thriumphali [388] gloria, tantum hostibus incussit terrorem, ut numquam post talia incipere auderent; recompensatumque est hiis quicquid dedecoris [389] prius intulere nostris. Interim Augustanæ pastor ecclesiæ Othelricus, gemma sacerdotum, 50 ordinationis suæ anno excedens a seculo (*an.* 973), fructum laboris devoti Christo remunerante percepit, 4 Nonas Julii [390] (367). Heimricus autem huic succedens, parvo tempore sedebat, ut post enucleabo (368).

7. (f. 38) Accusatus apud inperatorem Gero comes a Waldone, et in loco qui Sumeringe (369) dicitur, ortatu Æthelberti [391] archipresulis et Thiedrici marchionis captus, patri meo patruoque (370) firmiter est commissus. Deindeque convocatis ad Magathaburg cunctis regni principibus (*an.* 979), congressi sunt hii [392] judicio in insula quadam singulari certamine, vulneratusque in cervicem bis Waldo, ardencius insequitur hostem, percuciensque ictu valido capud, prostravit eundem. Interrogatus autem Gero comes ab eodem, si plus potuisset pugnare, coactus est, quod jam defecisset, profiteri. Waldo tum egressus, aqua refocilatur depositis armis, et post tergum mortuus cecidit. Tunc Gero jussus est decreto judicum et voce inperatoris a carnifice quodam decollari 3. Idus Augusti (371). Hæc pugna nullo [393] nisi tantum archiepiscopo Æthelberto et Thiedrico placuit marchioni; correptusque est inperator ab Ottone, Bavariorum [394] duce, Liudulfi filio, eodem die venienti [395], et a comite Bertoldo, quod ob tam vilem causam tantus vir umquam damnari debuisset. Libet paucis exponere Liudulfi Corbensis [396] meritum (f. 38') patris, cui multum vigiliis jejuniisque laboranti plurima Deus dignatus est revelare. Hic in die prefati certaminis cum diluculo missam humiliter et timorate, ut semper solebat, celebraret, vidit super altare comitis capud Geronis, finitaque hac aliam pro defunctis cantavit; exutisque sacerdotalibus vestimentis, cum silentio exivit, congregatisque fratribus obitum ejus indicavit, orationemque pro eo fieri communem suppliciter postulavit. Decollatio autem ejus in ipso solis occasu fiebat. Pro cujus memoria soror ejus [397] Tetta et conjunx ejus Æthela [398] monasterium in loco qui Eleslevo (372) dicitur, ubi ipse requiescit, construentes, .. partem [399] tocius suimet hereditatis tradidere Deo ejusque precursori dilecto, hoc privilegio et imperiali precepto ea racione firmantes, ut abbacia ibidem liberaliter facta, inperatoris suorumque potestatem ac tutelam respiceret successorum. Comitis prefati corpus post tres annos, cum juxta illud contectalis sua poneretur, integrum una cum vestimentis inventum est. Inperante tunc predicto Ottone 6 annos (373), Lotharius rex eum filio suimet [400] ac muneribus magnificis ad eum venit (*an.* 980), et sibi satisfaciens, amiciciam ejus firmiter acquisivit (373 *). Et in hoc anno cesar noster Italiam pergens, numquam has regiones, pro dolor! amplius invisit (374).

8. Post hæc (f. 39) prefatus antistes [401] Æthelbertus [402], inperatore jam Romæ commorante, terciodecimo suæ ordinationis [403] anno (981), suos docendo et confirmando, ac Gisileri [404] presulis, quia tunc cum cesare fuit, diocesim perlustrans, 13 Kal. Julii [405] in Merseburg missam celebravit, [406] proximamque noctem cum Hemuzone, venerabili laico, in Chruvati [407] latus duxit; crastinoque die exurgens tristis, capitis nimium queritur dolorem, et tamen bibat; cumque Cirmini villam, ad Frukenlevo [408] (375) pergere cupiens, preterisset, ni cito a suis sustentaretur, ex equo paulatim declinans, in terram cecidisset. Is vero tapeto superpositus, completisque [409] omnibus, quæ a clericis dicenda erant, fide-

VARIÆ LECTIONES.

[388] *ita* 1*c*. triumphali 1*a*. [389] *ita* 1*c*. decoris 1*a*. [390] IIII. n. i. *in loco vacuo add.* 1*b*. [391] adhelberti 1*c*. *sæpius*. [392] hi duo 2. *A. S. a.* 979. [393] nulli 1*c*. [394] bauvariorum 1*c*. [395] e. d. v. *add.* 1*b*. [396] corbeiensis 1*c*. [397] *Sequentia usque ad sequentis cap. verba* præfatus antistes *Thietmari ipsius manu scripta videntur, exeunte folio.* [398] athela 1*c*? [399] *In* 1. *ante* partem *spatium quatuor literarum vacuum relictum est*, decimam partem *A. S. l. l.* omnem suam hereditatem *Chron. Sax. h. a.* [400] sui i met *duabus (in.is* 1. [401] Gresatus autem 1*a*. [402] æthilbertus 1. [403] consecracionis 1*a*, [404] gisillerus 1*a*. *semper fere sed ab* 1*b*. *correctum videtur.* [405] *ita codd. necnon A. S. a.* 981. *Chron. Magdeburg. Legendum tamen cum Chronographo Saxone*: Junii, *cum* 12. *Kal. Jun. Æthelbertus ille vita defunctus sit.* [406] celebravit 1*a*. [407] chruueti 1*c*. Cruwati *Chron. Sax. a.* 981. Crowate *Ann. Sax. h. a.* Erderwate 2. [408] frankenleue 1*c*. [409] que *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(366) In Kalendario Merseburgensi comitis Brun nomen inscriptum est iii Kal. Decemb.; in Necrologio vero S. Michælis Luneburg. v Kal. Decemb.

(367) Diem emortualem hanc Odelrici habet Kalendarium Merseburg. Annus fuit 973.

(368) Quod tamen omisit noster. Conf. supra cap. 5, not. et infra cap. 11, not.

(369) Gros-Soemmeringen, oppidulum Thuringiæ haud longe ab urbe Weissensee, prope ripam Unstrutæ. Urs.

(370) Sifrido comiti et Lothario, fratri ejus, filiis Lotharii de Waldebike. Urs.

(371) Conf. Ann. Hildesh. et Lamberti, a. 979.

(372) Congregationem sanctimonialium in propria urbe Alsleben ad Salam fluvium sitæ, in honore S. Joannis Baptistæ, a comite Geronе ipso jam fundatam esse, recte tradit chronographus Saxo, testante quoque charta imperatoris Ottonis data a. 979, Maii 20, qua fundationem hanc confirmavit.

(373) Scilicet ex morte patris sui.

(373 *) Chron. Sax., Ann. Hildesh., a. 980. Conf. Sigibert. Gemblac. h. a.

(374) Ibid.

(375) Freckleven.

liter migravit ad Christum 12 Kalendas Junii [610]. Hujus corpus ad Ivikanstem [611] (376) delatum atque sacerdotali apparatu vestitum, navigio ad Magadaburg usque deductum est, flebiliterque a confratribus et maxime a monachis susceptum, commendatum est ab egregio sanctæ Halverstidensis æcclesiæ episcopo Hilliwardo, favente sibi Hardingo abbate venerando, in medio æcclesiæ coram altari apostolorum Philippi et Jacobi. Quanta sollicitudine idem sibi subditis (f. 39') invigilaret gregibus, lector attende! Sepenumero ad ovile sancti Johannis baptistæ sanctique Mauricii noctis silentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque confratres ad matutinam convenirent, vel qui in dormitorio remanerent, ex improviso perspexit; et si bene fuit, Deo gratias egit, sin autem, culpabiles digna castigatione redarguit. Sed clerus et populus tanti patris funere turbatus, Othtricum [612] confratrem et tunc imperatori fideliter servientem communiter eligerunt in dominum et archipresulem; quamvis hoc nullo modo posse fieri predictus archimandrita, dum adhuc viveret beneque valeret, multis ex eorum numero publice predicteret. Cum enim episcopus et Ohtricus numquam convenirent moribus, magna confratrum et hospitum, quia magister fuit scolæ, caterva bene elaborata, maluit idem exire, quam in monasterio permanere. Huic cesar cum apud archiepiscopum licentiam sibi famulandi vix [613] impetraret, contigit in die resurreccionis sanctæ, episcopum ad missam paratum, subdiacono, ut mos est, sanctam crucem coram tenente, ambabus eandem complectens manibus, ut Ohtricus et Ico [614] numquam sedem possiderent suam., (f. 40) lacrimis postulat profusis. Peracto autem divino pleniter ministerio, cum idem ad mensam sederet, prefatos numquam sibi successuros palam cunctis presentibus innotuit. Qualiter autem hoc sibi fuerit revelatum non apecuit, nec umquam mihi aliquis intimare potuit. Post mortem quoque ejus Walterdo sibi dilecto, qui et Dodico vocabatur, ut ipse mihi pro vero narravit, in somnis idem cuncta, quæ in hac re vivus prenuntiaverat compleri, talibus affirmavit. Hic in lecto positus excessu mentis vidit archiepiscopum in australi ecclesiæ janua, quæ cimiterium respicit, stantem, eumdemque quasi Romam cum baculo suimet pergere cupientem hiis [615] exasperavit verbis : *Mi Dodico, ut quid* [616] *meum alio* [617] *prebebis honorem!* Cui respondens is : *Nonne*, inquit, *in tristi meo habitu non voluntatem, sed obœdientiam* [618] *solum, senior carissime, vales considerare?* Ad hæc archiepiscopus tunc prosequitur : *Pro certo*, dicens, *scias, Ohtricum sedem numquam possessurum meam.* Universis autem clerus et populus, ut supra memoravi, completa electione, miserunt Ekkihardum, (f. 40') qui dicebatur Rufus, cum consortio aliorum fratrum et militum, qui hanc imperatori nunciarent et de promissis ammonerent. Qui cum Italiæ partes, ubi cesar tunc commorabatur, itinere adtingerent [619], Gisileri suffragium, qui apud inperatorem tunc plurimum valebat, implorantes, legationis suæ secretum ei [620] aperiunt. Promissa ab eo est hiis fidelis intercessio, completurque sibi cunctis proxima in omnibus benevolentia [620]. Namque ut audita cesaris auribus instillavit, pedibus supplex advolvitur, promissa et diu expectata longi laboris premia postulans, Deo hoc consentiente, protinus impetrat (*an.* 981). Egressus autem interrogatur a nuntiis, et maxime ab Ohterico, qui se fidei suimet firmiter commendavit, si quid in sibi creditis proficeret, quod vix suis necessitatibus in hoc subveniret, respondit. Corruptis tum pecunia cunctis [621] primatibus, maximeque Romanis, quibus cuncta sunt semper venalia, judicibus, qualiter ad archiepiscopatum aliqua racione veniret, primum secreto (f. 41) revolvit deindeque palam domni papæ Benedicti septimi, qui [622] sic vocabatur ex numero precedentium equivocorum, obnixe petit auxilium, quod, cum totius consilio senatus si posset impendi, ex sua parte sibi paratum fore et hic promisit. Positum est Romæ concilium generale; sapientissimi conveniunt, impleturque illa Jeremiæ prophetia : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* (*Jer.* IV, 1), et cætera. Nam cum judices ab apostolico interrogarentur si liceret Gisilerum promoveri ad archiepiscopatum, quia certam non haberet tunc sedem, sed ab episcopo injuste, ut semper sit questus, ablatam Hildiwardo, caruisset hactenus quam possiderat : tunc hoc auctoritate canonica percipere jure meritoque verbis affirmabant et exemplis, Davitica transgredientes monita : *Recte judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII, 2); et illud :

Corruptus judex nequid discernere verum. (Hor. II,2,8.)

Lector, crede mihi, quod piget atque pudet me his longe inferiorem hoc verbis exponere, quod hii ob presentem ac futurum pudorem noluerunt omittere. Merseburg, quæ usque (f. 41') huc liberaliter [623] dominabatur, æcclesiæ Halverstidensi, sede episcopali destructa, subditur (377), et Gisilerus,

VARIÆ LECTIONES.

[610] Julii *Ann. Sax. Emortualem Æthelberti testatur etiam Necrolog. Luneburg.* [611] gevikensten 1c. [612] h *erasum* 1. *semper.* [613] *add.* 1b. [614] Leo 2. Hico *Chronogr. Sax. a.* 982. [615] *ita* 1c. *ut videtur; alibi vero* 1b. *secundum* i *abjecit.* [616] q! 1. [617] alii 1c. [618] o *erasum.* [619] *ita* 1c antingerent 1a. [620] benin. 1c? [621] *add* 1b. [622] quia 1a. [623] liberal2. *A. S. l. l.*

NOTÆ.

(376) Giebichenstein.

(377) Bulla papæ Benedicti VII super cassatione episcopii Merseburgensis data est anno 981, Sept. 11. vid. Schöttgen Direct. diplomat. t. I, p. 109, n. 117.

ejusdem non pastor sed mercenarius, ad majora semper tendens, desiderata 4 Idus Septembris percepit, proverbii non memor illius : *Quanto alcior gradus, tanto gravior fit casus* (cf. *Prov.* XVI, 8). Certe si voluisset is in cura sibi credita persistere, omnem scrupulum in aliquo sibi umquam obsistentem imperatoris auxilio potuisset expellere, magnamque securitatem ac rerum affluentiam cunctarum sibi suisque successoribus efficere. Sed quia Dei judicia sunt hominibus occulta, numquam autem injusta, non illo [a] solum, sed communibus nostrimet inputo peccatis, quibus domesticis quicquid adversi accidit juste asscribitur. Ohtricus vero Beneventum postea veniens infirmatur. Confrater [b] meus, nomine Huswardus, ut mihi retulit [c], vidit is assistere sibi Æthelleken [d], prepositum quondam nostrum (378) sed tunc defunctum, annonam sancti Mauricii eminus sibi porrigentem. Expavescens tali visione, idem : *Cernis*, inquid, *frater aliquid?* Et exponens ei ordine cuncta : *Ve mihi*, dixit, *misero et peccatori, quod umquam monasterium meimet et obedientiam ad ambitionem* (f. 42) *dereliqui, et si divina largitas aliquam mihi concedere dignatur sanitatem supplex huc venio, numquamque recedo.* Talia prosequutus, infirmitate validiori opprimitur, et post paucos dies in prefata civitate Nonas Octobris (379) moritur ac sepelitur, non ullum sapientia atque facundia sibi relinquens similem.

9. Gisilerus autem, accepta ab imperatore licencia, Magadaburg 2 Kalendas Decembris, Thiedrico Metensis æcclesiæ episcopo (380) comitante venit. Fuit hic amicus cesaris et valde ei carus, unusque ex numero corruptorum qui mille [e] talenta auri atque argenti pro veritatis obumbracione ab archiepiscopo percepit. Cui quidam, cum ab eodem jussu imperatoris ad matutinam joculariter benediceretur : *Saciet te*, inquid, *Deus in futuro, quem hic omnes non possumus auro.* Tunc omnia nostram prius æcclesiam respicientia divisa sunt miserabiliter, Sclavonicæ ritu familiæ, quæ accusata (381) venundando dispergitur (382). Pars episcopatus nostri, quæ jacebat inter Salam et Elstram ac Mildam fluvios, et plisni, Vedu (383) et Tuchurini (384) pagos, cum villis Passini (385) et Piscini (386), Fritherico (f. 42') Citicensi datur episcopo. Wolcoldo [f] autem, Misnensis æcclesiæ antistiti, pars illa conceditur cum adpertinentibus villis Wissepuig et Lostatawa (387), quæ ad Gutizi [g] orientalem pertinet, ac fluviis Caminici Albique distinguitur; sibi autem retinuit [h] 9 urbes quarum sunt hæc nomina : Scudici, Cotug, Vurcin, Bigni, Hilburg [i], Dibni, Paug [k], Liubanici et Gezerisca (388). Precepta, quæ munera regalia seu imperalia detinebant, aut igni comburebat, aut æclesiæ suæ mutato nomine designari fecit (389). Mancipia et totum, quod Merseburg respicere debuit, ne umquam colligeretur, sponte dispergit; abbaciam ibi statuit (390), eidemque Ohtradum [l] (391), venerabilem de sancto Johanne monachum, prefecit. Postque Heimonem de eodem monasterio constituit. Sed quæ res destruccionem hanc subsequerentur, lector attende!

10. Gentes quæ suscepta Christianitate regibus et imperatoribus tributarie serviebant, superbia Thiedrici ducis aggravatæ, presumpcione unanimi arma commoverant (*an.* 983?). Quod patri meo comiti Sigifrido, priusquam fieret, sic revelatum est. Vidit in somnis aerem nube densa contractum, et pre admiracione, (f. 43) quid hoc esset percontatus, audivit vocem talia proferentem : *Nunc illud compleri debet vaticinium : Pluit Deus super justos et injustos* (*Matth.* v, 45). Quod eciam 3 Kalendas Julii scelus, percusso in Hawelberg [m] presidio destructaque ibidem episcopali cathedra, primum exoritur. Transactis autem trium spaciis dierum, Sclavorum conspirata manus Brandeburgensem episcopatum, 30 annos (392) ante Magadaburgensem constitutum [n],

VARIÆ LECTIONES.

[a] illi 1*c*. [b] ut m. r. *add.* 1*b*. [c] athelleken 1*c* ? [d] milia 1*a*. [e] volcoldo 1*c*? [f] guntizi 1*a*. *sed ipse corr.* [g] 1*c add.* Gisilherus. [h] h. *erasum in* 1. [i] a *erasum* 1. [k] h *erasum* 1. [l] hauuelberg *primo* u *eraso* 1. *ubi etiam ante* presidio *tres litteræ erasæ sunt.* [m] XXX. a. a. magadaburgiensem (i *post eraso*) c. *add.* 1*b*. *Loco* XXX. *legendum est XIX.*

NOTÆ

(378) Magdeburgensis.

(379) Ita etiam Kalend. Merseburg.

(380) De eo vide Vitam ejus, quam scripsit Sigibertus.

(381) *Accusata* hic idem est ac damnata. Kind.

(382) Lambertus Schafnab. destructioni episcopatus Merseburg. annum 982 assignat, et auctor Vitæ Godehardi, episcopi Hildesiensis, hanc destructionem vocat inconsideratam. Plura de illa vide in Sagittarii Antt. Magdeb., p. 192, sqq., qui bullas binas pontificis affert Romani, quæ satis clare demonstrant Giselarium hanc destructionem auctoritate pontificia : ubuixum perfecisse. Conf. Dreyhaupt Saalkreis t. I, p. 21 sq. Urs.

(383) Pagus ut videtur inter fluvios Saale et Elster, dictus a fluviolo Wietav prope Naumburgum Salam influente.

(384) Teucheren.

(385) Possenhain, non procul a Naumburg.

(386) Pissen ad Lützen.

(387) Wiesenburg et Lostau prope fluvium Muldam. Conf. chartam imp. Heinrici II, a. 1004 Mart. 5.

(388) Skeudiz, Gautzsch, Wurzen, Püchen, Eilenburg, Dueben, Pouch, Lœbniz, Gerichshayn. Urs.

(389) Cujus exemplum vidimus in abbatia Pœlde v. supra cap. 1.

(390) De fundatione abbatiæ a Gisilario Merseburgi institutæ bullam Benedicti VII, P. R. mense Aprili, V Kal. Maii, indict. II, anno ejus pontificatus 16, qui erat annus 983, scriptam profert Sagittarius in Antt. Magdeb., p. 202. Urs.

(391) Diem obitualem Ohtradi monachi, v. in Necrol. Merseb. VII Kal. Junii.

(392) Cum episcopatus Brandenbergensis fundatus sit anno 949, archiepiscopatus Magdeburgensis vero anno 967, patet Thietmarum in illo annorum numero errasse.

cum jam primo sonaretur, invasit, fugiente prius tercio [636] antistite ejusdem Wolcmero [637], et defensore ejus [638] Thiedrico ac militibus ipsa die vix evadentibus. Clerus ibidem capitur, et Dodilo, ejusdem sedis antistes secundus [639], qui a suis strangulatus tres annos jacuit tunc sepultus, e tumulo eruitur, et integro adhuc ejus corpore ac sacerdotali apparatu, ab avaris canibus predatur et iterum temere reponitur; omnis æcclesie thesaurus distrahitur, et sanguis multorum miserabiliter effunditur. Vice Christi et piscatoris ejusdem venerabilis Petri varia demoniacæ heresis cultura deinceps veneratur, et flebilis hæc mutacio non solum a gentilibus, verum etiam a Christianis extollitur (393).

11. Temporibus hiis ecclesia Citicensis a Boemiorum [640] exercitu, Dedi [641] (394) duce, capta est et depredata, Hugone primo tunc episcopo hinc effugato (395). (f. 43') Posteaque monasterium sancti Laurencii martiris in urbe quæ Calvo [642] dicitur, situm desolantes, nostros sicuti fugaces cervos [643] insequebantur; nostra etenim facinora nobis formidinem et his suggerebant validam mentem. Mistui, Abdritorum dux, Hômanburg [644] ubi sedes episcopalis quondam fuit, incendit atque vastavit. Quid [645] vero ibi mirabilium Christus operaretur e cœlis, attendat religio tocius Christianitatis. Venit de supernis sedibus aurea dextera, in medium collapsa incendium exoansis digitis, et plena cunctis videntibus rediit. Hoc admiratur exercitus, hoc stupet Mistuwoi [646] timoratus; et id mihi indicavit Avico, capellanus tunc ejus, et spiritualis frater meus postea effectus (396), Sed ego cum eodem sic tractavi, reliquias sanctorum itinere in cœlum divinitus collatas abiisse, hostesque terruisse atque fugasse. Post hæc Mystuwoi in amentiam versus in vinculis tenetur, et aqua benedicta inmersus : *Sanctus*, inquid, *me Laurentius incendit!* et antequam liberaretur, miserabiliter obiit [647]. Desolatis tunc omnibus preda et incendio urbibus ac villis usque ad aquam, quæ Tongera vocatur, convenerunt e Sclavis peditum ac equitum plus quam 30 legiones, quæ sine aliqua lesione residua quæque suorum auxilio deorum tunc [648] devastare non dubitarent, tubicinis precedentibus [649] Non latuit hoc nostros. Conveniunt episcopi Gisilerus et Hilliwardus cum marchione (f. 44) Thiedrico cæterisque comitibus, Ricdago, Hodone [650] et Binizone, Fritherico, Dudone ac patre meo Sigifrido, aliisque [651] compluribus; qui ut dies sabbati primo illuxit, missam omnes audiunt, corpus animamque cœlesti sacramento muniunt, hostesque obvios fiducialiter inrumpentes, paucis in unum collem effugientibus, prosternunt (397). Laudatur a victoribus in cunctis Deus mirabilis operibus, approbaturque veredicus [652] Pauli (398) doctoris sermo : *Non est prudentia neque fortitudo nec consilium adversus Dominum.* Derelicti sunt qui prius Deum spernere presumpserunt, idolaque manufacta et prorsus inania creatori suo stulti preposuerunt. Appropiante tunc nocte, nostrisque a longe castrametantibus, hii, quos supra memoravi, furtim, pro dolor! evasere. Omnes autem nostri, exceptis tribus, crastino gaudentes remeabant, applaudentibus [653] cunctis, quos obviam habuere vel domi invenere.

12. Interim cesar Romanum sic regebat inperium, ut quod patrem suum prius respiciebat, omne detineret, et Saracenis sua inpugnantibus viriliter resisteret et a finibus suis longe hos effugaret. (f. 44') Calabriam a crebra Grecorum incursione et Saracenorum depredatione magnam vim [654] perpeti cesar comperiens (*an.* 982), ad supplementum exercitus sui Bawarios ac fortes in armis Alemannos vocavit (399). Ipse autem cum Ottone duce, fratris filio Liudulfi [655], ad urbem Tarentum, quam Danai jam presidio munitam optinuerant, festinavit, eamque viriliter in parvo tempore obpugnatam devicit (400). Saracenos quoque valido exercitu sua populantes superare contendens [656], cautos illo speculatores misit, qui certa de hostibus referrent. Quos primo infra urbem quandam [657] (401) ciausos effugavit devictos, postque eosdem in campo ordinatos fortiter adiens [658], innumeram ex his multitudinem stravit, prorsusque hos speravit esse superatos. Sed hii ex inproviso collecti ad nostros unanimiter pergunt, et paulum resistentes prosternunt, pro dolor! 3 Idus Julii Richarium [659] lanciferum et Udonem ducem, matris meæ avunculum; comitesque Thietmarum,

VARIÆ LECTIONES.

[636] *add.* 1*b*. [637] uolcmero 1*c*? [638] bemiorum 1*a*. *littera o superposita sed iterum deleta*. [639] Dedone 2. *A. S. a.* 983. [640] calue 1*c*. [641] ceruuos 1*a*. [642] Hammanburh. *A. S. l. l.* Hamanburch *Chronogr. Sax. a.* 982. [643] Qd *corr.* Qd 1. [644] mistuiuoi 1*a* mistuvuoi 1*b*. [645] Post —obiit *add.* 1*b. in ima paginæ margine*. [646] *add.* 1*b*. [647] t. p. *add.* 1*b*. [648] hŏdone 1*c*. [649] ceterisque *corr.* aliisque 1. [650] veridicus 1*c*? [651] applaudaentibus 1*c*. [652] III 1. [653] ludulfi *e corr.* 1*c*? [654] *ita* 1*c*. contendas 1*a*. [655] urbe quadam 1*a*. [656] ad ejus 1. ad ejus interitum 2. adiens *conjecit Wagnerus*. [657] *Inter* Julii et Richarium *sex vel septem literarum spatium absque rasura* 1.

NOTÆ.

(393) Ann. Hildeshem; chronogr. et ann. Saxo hæc ad annum 983 referunt.

(394) De quo v. infra.

(395) Hugoni in fine anni 981 jam successerat Frithericus, ut conjicere licet ex cap. 8. Hæc omnia igitur ante annum 983, quo annalista ea collocavit, referenda videntur. Conf. omnino l. IV, c. 36.

(396) Dies ejus emortualis Octob. 7 in Necrolog. Merseb. notatur.

(397) *In loco, qui Belxem dicitur* A. S., a. 983.

(398) Ita non Paulus, sed Salomon Proverb. 21, v. 30.

(399) Conf. Ann. Hildesh., Lambert., a. 982. Balderici Chron. Camerac., l. I, c. 103. Alpert. de variet. tempor., c. 24.

(400) Mensibus Martii et Aprilis, a. 982.

(401) Scillacium; v. Ann. Cav. ap. Prat. IV, p. 420. W.

Becellinum, Gevehardum, Gunterium [458], Ecelinum, ejusque fratrem Becelinum, cum Burchardo et Dedi ac Conrado ceterisque (f. 45) ineffabilibus, quorum nomina Deus sciat (402). Inperator autem cum Ottone prefato cæterisque effugiens, ad mare venit, vidensque a longe navim, salandriam nomine, Calonimi equo Judei ad eam properavit. Sed ea preteriens, suscipere hunc recusavit. Ille autem littoris presidia petens, invenit adhuc Judeum stantem, seniorisque dilecti eventum [459] sollicite exspectantem. Cumque hostes adventare conspiceret, quid [460] umquam fieret de se [461], tristis hunc interrogans, et habere se amicum apud eos, cujus auxilium speraret, animadvertens, iterum equo comite in mare prosiliens, ad alteram, que sequebatur [462], tendit salandriam, et ab Heinrico solum milite ejus, qui B szlavonice Zolunta vocatur, agnitus intromittitur, et in lecto senioris ejusdem navis positus, tandem ab ipso etiam cognitus, si inperator esset interrogatur. Qui cum hoc diu dissimulare studuisset [463], tandem professus : *Ego sum*, inquit, *qui peccatis meis id promerentibus ad hanc veni miseriam. Sed quid nobis sit modo communiter faciendum diligenter accipite. Optimos ex meo nunc perdidi miser imperio, et propter hunc doloris stimulum neque terras has intrare, nec horum amicos* (f. 45') *umquam possum vel cupio videre. Eamus tantum ad urbem Rossan* (403), *ubi mea conjunx meum prestolatur adventum, omnemque pecuniam, quam teneo ineffabilem, cum eadem sumentes, visitemus inperatorem vestrum, fratrem scilicet meum, certum, ut spero, meis necessitatibus* C *amicum*. His dulcibus colloquiis provisor navis delectatus consensit, et perdius ac pernox ad condictum pertingere locum properavit. Quo cum propiarent, binomius ille jussu inperatoris premissus, inperatricem et qui cum ea erat Thiedricum [464] presulem supramemoratum cum somariis plurimis quasi pecunia sarcinatis vocavit. Greci autem primo ut inperatricem cum tantis de urbe prefata muneribus exire viderunt, anchoram ponentes [465], Thiedricum antistitem cum paucis intromittunt. Sed imperator, rogatu presulis, vilia deponens vestimenta et induens meliora, viribus suis et arte natandi confisus, ut stetit in prora, mare velociter insiluit. Quem cum D quidam ex circumstantibus Grecis apprehensa veste detinere presumeret, perfossus gladio Liupponis, egregii militis, retrorsum cecidit. Fugierunt [466] hii in alteram partem navis, nostri autem quibus huc veniebant puppibus incolumes cesarem sequebantur, (f. 46) eos littoris securitate prestolantem, premiaque promissa magnis muneribus Danais implere cupientem (404). Hii vero multum perterriti promissionibusque diffidentes, abierunt, patrios repetentes fines; quique dolo omnes semper vicerant naciones, simili se tunc delusos artu sentiebant. Quanta autem lætitia a presentibus posteaque venientibus inperator susceptus sit, explicare non valeo.

13. Sed ut in omnibus, lector carissime, certus efficiaris, salandria (405) quid sit [467], vel cur ad has pervenerit horas, breviter intimabo. Hæc est, ut prefatus sum, navis miræ longitudinis et alacritatis [468], et utroque latere duos tenens remorum ordines, ac centum quinquaginta nautas. Duabus hoc unum erat nomen navibus, quæ jussu basilei Nicaphoris Calabriam petierunt colligendi gratia tributi; quæ licet Romano specialiter serviat inperio, tamen ne aliquam a Grecis paciatur [469] molestiam, auri debitum quotannis voluntarie persolvit Constantinopolitanis. Inperator autem has venientes, inextinguibilemque ab omni re preter acetum ferentes ignem, sibi conjunxit, et in mare ad comburendas Saracenorum (f. 46') naves conductas direxit. Quarum una, sicut predixi, suscipere devictum eundem recusavit, seu ob ignorantiam sui, seu ob metum subsequentis inimici; altera autem, quæ hunc instinctu Heinrici suscepit [470], velut prefatus sum, invita reddidit.

14. Paululum mihi nunc devianti mens est incepta perficere. Omnes nostri principes, comperta tam miserabili fama, conveniunt dolentes, et ut eum sibi liceret videre, per epistolæ portitorem unanimi supplicatione poscebant. Quorum legationem cesar ut audivit, desideranti animo consensit. Ponitur [471] in Berna civitate conventus (406), et omnis huc convocatur principatus [472], necessaria ut hic tractarentur [473] multa (*an.* 985). Solus [474] dux Bernhardus in media revertitur via; namque una ex urbibus suis . . . . . [475], quam imperator con-

VARIÆ LECTIONES.

[458] i *erasum*. [459] euuentum 1*a*. [460] qd 1. [461] *ita* 1*c*? dente 1*a*. [462] *ita* 1*c*. sequabatur 1*a*. [463] studuissaent 1. [464] thredricum 1. [465] *ita* 1*c*. ponens 1*a*. [466] i *erasum* 1. [467] *ita* 1*c*. quissit 1*a*. [468] aclaritatis *corr.* claritatis 1. [469] paciantur 1*a*. [470] *ita* 1*b*. susceperat 1*a*. *scripsisse videtur*. [471] fit 1*a*. [472] et o. h. c. p. 1*b*. *in loco raso*. [473] ut h. t. 1*b*. *e corr.* [474] Solus — incensa est *Thietmari manu. P.* [475] *Inter* suis *et* quam *spatium aliquot syllabarum relictum* 1.

NOTÆ.

(402) Necrol. Luneb., ad II Id. Jul., *O. Gunther et Udo et alii multi occisi*. Idus Jul. habent Lamberti Annales, qui Ottonem ducem, Bertoldum, Wernher abbatem Fuldensem et Heinricum episcopum Augustensem inter occisos numerat. De Ottone hoc anno mortuo v. Ann. Hildesh. et Ann. Einsield., a. 982. Necrolog. Merseburg., ad III Id. Jul., nomen habet Heinrici episcopi (Conf. Vitam S. Udalrici c. 28); ad XVII Kal. Aug. ibi legitur : *Heinricus episcopus a Sarracenis cum aliis multis occisus*. Comites Irmfrid et Arnold præter alios memorantur in Necrol. Fuldensi Conf. Ann. Augustan. Hanc diem prælii fuisse refert Chronic. episc. Metensium.

(403) Rossano, oppidum in Calabria citeriore.

(404) Imperator Julii d. 31. adhuc in civitate Rossano degit.

(405) Chelandria audit apud Liudprand. V, 9 sqq.

(406) Veronæ imperatorem invenimus mense Junii a. 983.

ra Danos opere ac presidio firmavit, dolo ab hiis denuo capta, cesis defensoribus ejusdem incensa est [476] (407). Anno Dominicæ Incarnationis 983, imperator Verone placitum habuit, et Heinricus minor exilio solutus, dux Bawariorum effectus est (408). Et in hoc anno Sclavi unanimiter restiterunt cesari et [477] Thiedrico marchioni (409). Et filius imperatoris ab omnibus in dominum eligitur (*an.* 983).

15. (f. 47) Post paucos dies discedebant, ultimum vale dicentes; namque imperator cum Romam veniret [478], relicta matre sua venerabili in Papia civitate, graviter infirmatus, ut extrema persensit adesse, omnem suimet pecuniam partes divisit in quatuor (410), unam æcclesiis, secundam pauperibus, tertiam dilectæ suimet sorori Mahtildæ, quæ abbaciam in Quidilingeburg devota Christo famula B oltinuit, quartam suis tristibus donavit ministris ac militibus. Factaque latialiter (411) confessione coram apostolico cæterisque [479] coepiscopis atque presbiteris, acceptaque ab eis optata remissione, 7 Idus Decembris ex ac luce subtractus est; terreque commendatur ubi introitus orientalis paradisi domus sancti Petri cunctis patet fidelibus (412) et imago Dominica honorabiliter formata venientes quosque stans benedicit. Equidem sortis memor humanæ multumque indigens indulgentiæ, cœli terræque Deum et Dominum suplex efflagito, ut quicquid [480] hic in mea umquam peccaverit æcclesia, clemens A remittat, pro beneficiis autem centuplum largiatur, potestateque immerito mihi concessa indulgeo, te obnixe successorem (f. 47'), postulans ut huic veniam nemini in ultimis denegandam semper ex cordé tribuas.

16. Hujus inclita proles, nata (413) sibi in silva, quæ Ketil vocatur (414) in die proximi [481] natalis Domini ab Johanne archiepiscopo Rawennate [482] et a Willigiso Magociacense in regem consecratur Aquisgrani, et completo hoc officio, mox legatus tristi nuncio tanta perturbans gaudia advenit. Movit multorum corda ineffabilis dolor, virtus sublata queritur, quam sepissime incolumen homo fragilis et dubius persequitur [483] (cf. Hor. III, 24, 31). Sedit hic bis quinos solares annos post obitum patris sui, regni tutor et inperii, hostibus cunctis horendus, commissisque [484] gregibus inexpugnabilis murus (415). Nutat ancxia [485] in tantis rebus populi sentencia, quam cito firmavit divinæ majestatis miseracio. Solvitur a Traiectensi custodia dux Heinricus, et ab eo rex tenellus ad nutriendum sive ad degradandum a Warino, Coloniensi archiepiscopo, cujus firmæ fidei ab inperatore predicto is [486] commissus fuit, assumitur. Obseram modo tercii seriem voluminis, duro vecte necis deflendæ tercii inperatoris [486] nostri, et certitudinem pietatis almæ, qua omnem exclusit ambiguitatem, stilo lætus aperire conabor.

LIBER QUARTUS.

1. (f. 51') Anno Dominicæ Incarnationis 984° C eomma inperatrix Theuphano, tercii mater Ottonis et, pro dolor! in hoc ordine ultimi, novitate diri [487] vulneris et unici absencia filii perculsa, ad Ethelheidam [488] inperatricem Papiam civitatem veniens, magno succipitur luctu, caritativoque lenitur solatio. Prefatus vero dux cum Poppone venerabili episcopo (416), sub cujus potestate diu tenetur, et cum Ekberto comite unioculo [489], Agripinam veniens, regem patronus legalis de Warino, ut predixi (417), archipresule suscepit, ejusdemque auxilium cum omnibus quos ad sui gratiam convertere poterat, firmiter est adeptus (418). Dispositis autem, prout sibi placuit, cunctis, dux ad Corbeiam cum eis venit, ibique Thiedricum (419) et Sicconem (420) comites ac confratres nudis pedibus veniam postulantes dedi-

VARIÆ LECTIONES.

[476] *Hic versu et dimidio vacuis relictis sequentia usque ad cap. finem qui et folii est finis ipse Thietmarus scripsit.* [477] et et 1. *in duabus lineis.* [478] venirent 1*a*. [479] ceterisque 1. [480] quid quid *corr.* quicquid 1. [481] *add.* 1*b*. [482] rauuennate *altero* u *eraso* 1. [483] que *addit* 1*b*. [484] c *erasum* 1. [485] peratoris—qua *in loco raso.* 1. [486] Explicit liber tercius. Incipit libēr quartus de Ottone tercio imp. 2. [487] *Ita* 2. A. *S. a.* 984. di 1. [488] Adhelheidam 1*c semper.* [489] monoculo 2. *A. S. l. l....ita in cod. recentiori manu signatum; nihil vero deest.*

NOTÆ.

(407) Conf. Adam Bremens. II, 18.

(408) Ex Ann. Quedl. Cf. Ann. Hildesheim., a. 983. Conf. ibid., a. 977 et 978 et supra c. 5. In pace imperatoris cum Venetis hoc anno Jun. 7 concluſa inter testes jam apparet Ezelo (s. Hecil, Heinricus minor).

(409) V. Ibid.

(410) Conf. chronogr. Sax., a. 983.

(411) *Pleno ore* chron. Sax., a 983.

(412) *Apud S. Petrum in paradiso juxta oratorium S. Mariæ.. sepelitur.* Alpertus l. l.

(413) Sc. 980. V. chronogr. et A. S. h. a.

(414) Silva Ketil, ubi hodie villa parochialis Kessel juxta fluvium Neers ad arcem Gennep in districtu Cleviensi. V. Scheid. in Orig. Guelfic. t. IV, præf., p. 96.

(415) Nota hexametrum : *Commissis gregibus inexpugnabilis murus.*

(416) *Trajectensis* addit ann. Saxo. De episcopo Ultrajectino sermo hic esse non potest, ille enim fuit Ansfridus ab a. 976-1008, nec fuit Poppo ille episcopus Wirceburgensis, quippe qui diem supremum obiisset paulo ante Ottonem II imperatorem. Fortasse fuit Cracowensis, de quo v. infra cap. 28.

(417) V. supra l. II, cap. 15.

(418) *Simulans se primo ob jus propinquitatis partibus regis infantis fidelissime patrocinaturum*, Ann. Quedlinb., a. 984.

(419) Comes palatinus.

(420) In cap. 2 et c. 13 dictus Sibertus; Sigibertus vero in documento apud H. A. Luntzel die ältere Diocese Hildesheim., pag. 345. In Ann. Quedl., a. 995, hic et frater ejusdem Saxones dicuntur

gnatur suscipere. Quod hii egre ferentes abierunt, cognatos suimet et amicos a ducis ministerio toto mentis nisu amovere studentes. Qui cum palmarum sollemnia in Magadaburg celebrare voluisset, omnes regionis illius principes huc convenire rogavit atque precepit, tractans quomodo se suæ potestati subderent regnique eum fastigio sublevarent. Huic consilio maxima pars[499] procerum hoc dolo consensit, quod licenciam a domino suimet rege, cui juraverat, prius peteret, postque secura novo regi serviret. Quidam autem ob ejus indignationem digressi, occultis meditantur astutiis qualiter hoc numquam fieret (421).

2. Inde egressus Heinricus, proximum (f. 51') pascha Quidilingeburg[501] festivis peregit gaudiis. Quo magnus regni primatus colligitur, a quibusdam autem venire illo nolentibus ad omnia diligenter inquirenda nuntius mittitur. Hac in festivitate idem a suis publice rex appellatur laudibusque divinis atto litur. Huc Miseco et Mistui et Bolizlovo duces cum cæteris ineffabilibus confluebant, auxilium sibi deinceps ut regi et domino cum juramentis affirmantes. Multi ex his fidem violare ob timorem Dei non presumentes, paululum evaserunt, et ad civitatem Hesleburg (422), quo consocii eorum adversus ducem jam palam conspirantes conveniebant, festinavere[502]. Quorum hæc sunt nomina. Ex oriente hii comites cum Bernhardo duce et Thiedrico marchione, Ekkihardus (423), Bijo (424), Esic (425), Bernwardus, comes, et clericus (426), Sifrith ejusque filius (427), Frithericus (428), et Ciazo (429) confratres. Conprovincialium autem Thiedricus et Siber confratres (430), Hoico (431), Ekkihardus, et Bezeco germani, Brunig, et sui, militesque sancti Martini jussu archipræsulis (432) Willigisi, quibus adherebat occidentalium maxima multitudo. Quod dux comperiens, suos magnis muneribus ditatos cum gratia dimisit; ipse autem cum valida manu ad perturbandam hanc conjurationem seu pacificandam ad Werlu (433 properans, Popponem misit episcopum, A ut adversantes sibi disjungere vel reconciliari temptaret. Qui cum cepto itinere persisteret, hostes congregatos jamque ducem petere paratos inveniens, vix pacem mutuam in loco, qui Seusun (434) dicitur, ad condictum pepigit diem. (f. 52) Ad quam dux, Bawariam continuo proficiscens, cum venire aut noluisset[503], aut propter Heinricum ducem qui tunc Bawariis atque Carentis prefuit (435) munere prefati inperatoris, non potuisset, hostilis immanitas urbem comitis Ekberti, quæ Ala (436) dicitur, possedit; destructisque protinus muris intrantes, Ethelheidam inperatoris filiam, quæ hic nutricatur, cum pecunia ibi plurimum collecta rapiunt, gaudentesque redeunt.

3. Dux autem, conversis ad se omnibus Bawario- B rum episcopis comitibusque nonnullis, Francorum terminos his fretus sociis adiit, et in pascuis ad Bisinstidi (437) pertinentibus ad alloquendos regionis illius principes consedit. Magontinæ tunc provisor æclesiæ Willigisus cum duce Conrado (438) cæterisque optimatibus huc venit. Hos dux quibuscumque valuit modis sibi conjungere temptans, eosque a promissa regi suo cum sacramentis fide numquam vita comite recessuros ananimi eorum responso percipiens, coactus est futuri timore duelli cum juramentis affirmare, ut 3 Kalendas Julii ad locum qui Rara vocatur (439), veniret, puerumque matri suæ illisque redderet. Tunc unusquisque remeavit ad sua, mente diversa pre gaudio atque tristicia.

4. Post hæc Heinricus Bolizlavum[504], ducem C Boemiorum, in cunctis suimet necessitatibus semper paratum, cum suis adiit (*an.* 984), honorificeque ab eo susceptus, cum exercitu ejusdem a finibus suis per Niseni (440) et Deleminci pagos usque ad Mogelini (441) ducitur. Deindeque cum nostris obviam (f. 52') sibi pergentibus ad Medeburun proficiscitur. Wagio vero, miles Bolizlavi ducis Boemiorum, qui Heinricum cum exercitu comitatur, cum ad Misni redeundo perveniret, cum habitatoribus ejusdem pauca locutus, Frithericum, Rigdagi marchio-

VARIÆ LECTIONES.

[499] ita 1c. pras 1a. [501] quidelingæburg 1a. [502] *add.* 1b. [503] *ita corr.* noluisset 1. [504] bozlauum 1

NOTÆ.

(421) Conf. Ann. Hildesheim. h. a.

(422) Asselburg, castrum nunc dirutum prope Burgdorf in judicio Saldern.

(423) Thuringiæ comes, Gunterii filius.

(424 425) Comites Merseburgienses.

(426) Postea, ut videtur, magister regis et episcopus Hildeshemiensis.

(427) Sifrith, comes Northemensis, ejusque filius equivocus. De quibus confer Schrader die älteren Dynastenstämme zwichen Leine, Weser und Diemel; quem hic tamen locus fugit.

(428) Comes de Eilenburg.

(429) Etiam Ziazo, Zazzo dictus V. infra cap. 28.

(430) V. not. 419 ad cap. præcedens.

(431) V. infra cap. 6.

(432) Moguntini.

(433) Palatium regale Werla juxta Burgdorf in territorio Hildesiensi, ibique præfectura Schaladea, propre Goslariam. Vidensis C. U. Grupen obss. re- D rum et antiq. Germ. et Roman. pag. 1-30 et F. D. Hæberlin diss. de situ Werlæ Helmst 1786.

(434) Seesen inter Goslariam et Gandersheim; dictum Sehuson in Ambergo in charta Ottonis II. imp. data Grubonaha 974 Jun. 11; a. 1007 vero vocatur Seusi. Conf. Wedekind Noten, t. I, p. 40.

(435) V. supra l. III, c. 12.

(436) Videtur fuisse urbs Ala Oelsburch, juxta Fusam fluvium in præfectura Brunsvicensi Lichtenberg sive judicio Saldern. Conf. Wedekind l. l.

(437) Bisenstatt prope Wermatiam, haud procul a Rheno, olim fuit villa regalis. Conf. Ann. Fuldens t. I. p. 382.

(438) Conradus, dux Franconiæ et Sueviæ.

(439) Gross-Rohrheim in præfectura Hasso-Darmstadensi Zwingenberg.

(440) Pagus inter fluvios Elbam et Muldam prope Dresden et Freiberg.

(441) Mugelu juxta fluvium Delnitz prope Oschatz.

nis tunc in Merseburg commorantis amicum et satellitem, ad æcclesiam extra urbem positam (442) venire ac cum eo loqui per internuntium postulat. Hic ut egreditur, porta post eum clauditur, et Ricdagus, ejusdem civitatis custos (443) et inclitus miles, juxta fluvium, qui Tribisa dicitur, ab hiis dolose occiditur. Urbs autem predicta, Bolizlavi mox presidio monita, eundem cito dominum et habitatorem succepit.

5. A quo Wolcoldus [495] antistes vulgi instinctu varii expellitur, et ad [496] Willigisum archiantistitem veniens, benigne ab eodem succipitur [497]. Hunc enim pro filio episcopus nutrit, et cum ad eoas ordinaretur regiones, secundo Ottoni [498], cui magisterio prefuit, diligenter vice sui habendum commendavit. Hoc semper iste in animo tenuit, ac maximo honore cognovit, et tunc adprime, cum sibi fuit necesse; et in Erpesfordi [499], quo ipse desideravit, procurari [500] eundem sumopere jubet. Ibi diu conversatus, post mortem Ricdagi marchionis inclíti (444) Ekkihardo succedente et Bolizlavo ad propria remeante, se 'em propriam revisit (*an.* 985). Posteaque Bolizlavi amiciciam firmiter acquirens, cum in Pragu [501] cenam Domini celebraret, posteraque die, quæ est parasceve, (f. 53) cum memoriam divinæ [502] passionis [503] rite peragereret, paralisi perculsus asportatur, et in hac infirmitate usque ad finem hujus vitæ, quamvis ad tempus evalesceret, permansit. Sedebat [504] 23 annos, 10 Kal. Septembris (445) ex hujus carnis ergastulo eductus [505]. In hujus vice Eid [506] nostræ congregationis frater, vir justus et magne simplicitatis, ordinatur ortatu Gisileri archipresulis, de cujus inclita [507] conversacione multa ad edificationem nostram utilia, cum tempus fuerit, narrabo, nunc inceptis persistens.

6. Interim fautores regis Willehelmum comitem [508], duci nimis familiarem, in Wimeri [509] possidentes, comperto ejusdem adventu, illo festinant, ac juxta villam quæ Iteri dicitur (446) convenientes, castra metati sunt, crastino contra eum bellaturi (*an.* 984). Quod cum ducem protinus non lateret, Gisilerum huc misit archiepiscopum, qui voluntatem eorum perquireret, pacemque, si potuisset ulla fieri racione, firmaret. Hic cum senioribus congregatis suæ legationis aperiret secretum, dictum est ab his: si regem suum et dominum reddere, nilque de rebus suis preter Merseburg, Walbizi (447) et Prasn (448) ad supramemoratum diem sibi detinere volnisset, idque sacramentis credibilibus approbaret, quod tunc cum securitate eorum ex parte consolidata huic abire liceret; sin autem, quod eundi redeundique [510] nullus vivo patesceret locus. Quid plura? quicquid exposcunt, crastino impetrant, eumque ad Merseburg, ubi ductrix Gisla (449) (f. 53') longo tristis sedebat abcessu, hii discedentes ire permittunt. Is vero cum fidelibus suis singula quæque discutiens, seque ob Dei timorem patriæque salutem a proposito [511] recessurum suo veraciter indicans, grates auxilii suimet ac bonæ voluntatis condignas refert, et ut cum illo ad conditum pergerent diem, omnes caritative postulat. Ventum est ad Rara ab imperatricibus, in Papia humiliter divinam consolationem huc usque prestolantibus, et ab universis imperii ac regni principibus; fidelisque promissio ducis completur, data cunctis, qui ad regnum pertinebant, gratia sui abeundique licentia. Stella a Deo predestinati rectoris media die cernentibus universis clara refulsit (450). Fit unus laicorum atque clericorum in Christi laude concentus, ac prius repugnantium supplex affectus, convenitque in unum dissona turba dominium. Rex [512] a suimet matre aviaque diligenter succeptus, Hoiconis magisterio comitis conmissus est. Inter regem et ducem pax firmatur, usque ad supramemorata Bisinstidi prata, utrisque sua petentibus. Convenientibus autem his, malorum instinctu in malo discesserunt, sicque multum temporis stetit intervallum [513]. Oritur autem inter hunc et prefatum Heinricum, qui minor dicebatur, magna sedicio quæ Herimanni [514] comitis consilio postmodum finita, regis gratiam in Francanafordi [515] et ducatum dedicius promeruit (451).

7. Celebrata est proxima paschalis sollemnitas (f. 54) in Quidelingeburg a rege, ubi quattuor [516] ministrabant duces, Heinricus ad mensam, Conrad ad cameram, Hecil ad cellarium, Bernhardus equis prefuit. Huc etiam Bolizlavus et Miseco cum suis conveniunt, omnibusque rite peractis, muneribus locupletati discesserunt. In diebus illis Miseco semet ipsum regi dedit, et cum muneribus aliis camelum ei presentavit, et duas expediciones cum eo

VARIÆ LECTIONES.

[495] uolcoldus 1*c*? [496] et ad *add.* 1*b*. [497] susc. 1*c*. [498] ottone 1*a*. [499] erfordia 1*c*. [500] procurrari 1*a*. [501] praga 1*b*. *sive* 1*c*. [502] dominicæ 2. *A. S.* [503] *add.* 1*b*. [504] *ita* 1*c* Sebat 1*a*. [505] id 1*a*. [506] *erasum est* 1. [507] de Thuringia *add. A. S.* [508] uuimari 1*c*. *A. S.* [509] reundique 1. [510] *ita* 1*c*. proposito 1*a*. [511] ab::::suimet ex matre 1*a*. [512] interuuallum 1*a*. [513] i *erasum* 1. [514] francinfordi 1*c*? [515] *primum* t *erasum*.

NOTÆ.

(442) Ecclesia S. Nicolai in foro novo suburbii Misniensi juxta fluvium Trubische.

(443) Sc. Burggravius Misniensis. Fortasse is quem occisum esse Octob. 11 Necrologium Luneburgense commemorat.

(444) Ricdargus, marchio Misniensis, obiit anno 985. V. Ann. Quedl. et Necrolog. Fuldense.

(445) Hunc diem emortualem etiam habent Necrol. Merseburg. et Luneburg.

(446) Castrum Ittern in finibus Saxoniæ et Franconiæ.

(447) Walbeck in comitatu Mansfeldensi.

(448) Frosa, urbs ad ripam Albis sita ultra Magdeburgum.

(449) Heinrici ducis Bavariæ uxor, filia Conradi regis Burgundiæ, qui erat frater Adelheidæ imperatricis. URS.

(450) *Stella — refulsit* ex Ann. Quedlinb., a. 984.

(451) Ducatum scilicet Bavariæ recepit.

fecit (452) In primo anno regni ejus antistes Hilli- A nis fuit, regnumque filii ejus custodia servabat virili, nessemensis Adwinus Kalendis Decembris obiit (453), et Osdagus, ejusdem monasterii prepositus, successit. Quo sedente quinque annos et tunc expirante (454), Gerdagus tunc cellerarius [816] ordinatur. Et cum ille in 3 ordinationis suæ anno Romam causa orationis petens reverteretur, 7 Idus Decembris obiit (455), et corpus ejusdem per singula divisum membra in scriniis duobus ad monasterium suimet a consociis lugubriter delatum est. Hos antistites duos Gisilerus archipresul, casu ibidem adveniens, terre commendavit. Tunc [817] Bernwardus [818], magister regis, facta electione consecratur (456).

8. Multis bellorum asperitatibus Sclavos lacessere rex non desistit (457). Orientales quoque adversum se presumentes insurgere devicit. De occidentali B parte quam plures arma sepius commoventes multosque depredantes, vi et arte is superare contendit. Puerilia non est opus numerare, longumque videtur, quæ pro prudentibus is effecerit consiliatoribus, enarrare. Cometa parens (*an.* 989) damna in pestilenciis subsequuntura (f. 54') indixit (458). Imperator, jam factus vir, ut ait Apostolus, evacuavit quæ [819] erant parvuli (*I Cor.* XIII. 11); semperque Merseburgensis destruccionem æcclesiæ deflens, quomodo hæc renovaretur, sedula mentis intentione volvebat [820], et quamdiu in corpore vixit, hoc votum perficere studuit monitis [821] piæ matris. Quæ talia, ut mihi Meinsvith [822] post retulit, sicut ab ipsa percepit, in somnis vidit. Apparuit ei intempestæ noctis silentio, sanctus Christi adleta Laurencius, C dextero mutilatus brachio: *Cur*, inquiens, *quis* [823] *sim, non interrogas?* Et illa: *Non audeo*, inflt, *domine mi!* Ille autem prosequitur: *Ego sum*, dicens, et nomen innotuit. *Quod in me modo ipsa consideras, tuus effecit senior* (459) *ejus persuasu seductus, cujus* (460) *culpa electorum Christi magna multitudo discordat.* Post hæc nati suimet commisit fidei, seu vivente Gisilero seu moriente fieri potuisset, redintegrato episcopatu patris sui animam in novissimo die ad eternam requiem renovaret. Hæc, quamvis [824] sexu fragilis, modestæ tamen fiduciæ, et quod in Grecia rarum est, egregiæ conversatio-

9. Eo tempore (990) Miseco et Bolizlavus inter se dissonantes, multum sibi invicem nocuerunt (462). Bolizlavus Liuticios suis parentibus et sibi semper fideles in auxilium sui invitat; Miseco autem predictæ inperatricis adjutorium postulat. Quæ cum tunc in Magadaburg fuisset, Gisilerum ejusdem archiepiscopum, comitesque hos, Ekkihardum, Esiconem, Binizonem, cum patre meo et ejus equivoco (463), Brunone ac Udone cæterisque compluribus eo misit. Qui vix cum 4 [827] proficiscentes legionibus [828], ad pagum Selpuli dictum venerunt, ac juxta unam paludem, supra quam pons longus porrigitur, consederunt [829]. Et ecce, in noctis silentio unus ex sociis Willonis, qui pridie ad perspiciendum suimet predium precedens a Boemiis captus est, evadens periculum imminens Binizoni primo indixit comiti. Tunc nostri ejus ammonitione celeriter surgentes, se preparant, et in ipso jam venientis auroræ crepusculo missam audiunt, quidam standо, et alii super equos sedendo; et in ortu solis exeunt e castris, solliciti de eventu futuri certaminis. Tunc Bolizlavus cum suis venit turmatim [829] 3 Idus Julii, et utrimque nuncii mittuntur. Et ex parte Bolizlavi quidam miles, Slopan [830] nomine, ad perspiciendum agmen nostrorum accessit, et reversus inde interrogatur a domino qualis esset exercitus hic, si cum eodem potuisset pugnare, an non. Ortabantur enim hunc satellites sui, ut nullum de nostris vivum sineret [831] abire. A quo sic ei redictum (f. 55') est: *Exercitus hic* [832] *quantitate parvus, qualitate sua optimus et omnis est ferreus. Pugnare cum eo tibi potis est; sed* [833] *si tibi hodie victoria evenit, sic prosterneris, ut fugiendo Miseconem inimicum te continuo persequentem vix aut nequaquam evadas* [834], *et Saxones tibi hostem* [835] *in perpetuum acquiras. Si autem victus fueris, finis est de temet ipso et de omni regno ad te pertinenti. Non enim remanet spes ulla resistendi* [836]

VARIÆ LECTIONES.

[816] *ita* 1*c.* cellenarius 1*a.* [817] Tunc—consecratur *add.* 1*b.* [818] n *erasum* 1. [819] qæ 1. [820] nuoluebat 1*a.* [821] *ita* 1*c.* monotis 1*a.* [822] meinsuth 1*a.* [823] *ita* 1*c.* quid 1*a.* [824] quavis 1. [825] l. l. [826] gandesheim 1*c.* [827] v. c. IIII. *add.* 1*b.* [828] *add.* 1*b.* [829] t. III. i. i. *in loco raso* 1. [830] Zlopan *A. S.* a. 990. Flopan 1*c.* [831] *corr.* cuadis 1*c?* [832] hostes 1*c.* [833] resitendi *superposito* ss 1.

NOTÆ.

(452) Indid., a. 985 et 986.
(453) Ita et Necrol. Merseburg. De Otwino episcopo.
(454) Ann. Quedlinb., a. 989. Ann. Hildesh., a. 990. Obiit ille VI Idus Novembr. teste Kalend. Merseburg.
(455) Ann. Quedlinb., a 992. Ann. Hildesh., eod. a Kalend. Merseb., VII Id. Decembris.
(456) V. Ann. Hildesh., a. 995. Conf. Vitam ejus a Tangmaro presbytero scriptam, cap. 2.
(457) V. Ann. Quedlinb., a. 986, 987, 990.
(458) Ann. Quedlinb., a. 989.
(459) Sc. Otto II imperator.
(460) Sc. Gisileri.
(461) Ann. Quedlinb., a. 999. Sophiam harum sororum natu majorem fuisse dicunt.
(462) V. Ann. Hildesh., a. 990.
(463) Sigefrido, comite Stadensi.

inimico te undiquesecus vallanti [834]. Talibus alloquiis furor illius sedatur, et pace facta [835] principes nostros alloquitur, ut qui contra eum huc venirent, cum eo ad Miseconem pergere, et in restituendis suimet rebus se apud Miseconem adjuvare [836] voluissent. Hoc laudabant (464) nostri, et Gisilerus archipresul cum Ekkihardo, Esicone ac Binizone comitibus proficiscebatur cum eo. cæteris omnibus domum cum pace revertentibus. Advesperascente jam die, hiis omnibus arma [837] sumuntur, et mox cum juramento firmatis redduntur. Venit Bolizlavus cum nostris ad Oderam; ad Miseconem nuncius mittitur, qui diceret se [838] in potestate sua auxiliatores suos habere. Si regnum sibi ablatum redderet, hos incolomes abire permitteret; sin autem omnes perderet. Sed Miseco huic talibus respondit: Si voluisset rex suos acquirere [838] salvos aut ulcisci [839] perditos, faceret; et si hoc non fieret, quod propter eos nil omnino perdere voluisset. Hoc Bolizlavus ut accepit, salvis omnibus nostris, quæcumque potuit ex locis circumjacentibus predatur ac incendit. (f. 56) Inde reversus urbem unam... [840] (465) nomine possedit, et hanc cum domino ejus, urbanis nil repugnantibus, acquisivit, eandemque Liuticis ad decollandum dedit. Nec mora, diis fautoribus [841] hæc ostia ante urbem offertur, et de reversione ab omnibus tractatur [842]. Tunc Bolizlavus, sciens nostros ex parte Liuticiorum incolumes non posse domum sine eo pervenire, crastino dimisit eos crepusculo, ut ammoniti fuerant, multum properantes. Quod ut predicti hostes compericrunt [843], pone sequi maxima electorum multitudine mox nitebantur. Quos Bolizlavus vix [838] compescuit talibus: *Vos, qui in meum huc venistis auxilium, videte ut hoc perficiatis bonum, quod incepistis, pro certo scientes quod hos, quos in fidem succepi meam et in bona pace dimisi, vita superstite mea nullum hodie pacior perpeti malum. Non est nobis honor nec consilium, hactenus amicos familiares nos nunc effici manifestos* [838] *hostes. Scio magnum inter vos esse inimiciciam: et hanc ulcisci eveniunt vobis tempora hiis multo apciora.* Hiis sedati eloquiis Liutici, duos ab eo detenti [844] ibidem dies, et tunc invicem salutantes antiquumque fœdus renovantes, discesserunt. Et tunc illi infideles, qui nostros insequerentur, quia pauci erant, ducentos milites eligerunt. Quod nostris mox a quodam Hodonis [845] satellite comitis inimatum est. Unde in ipsa accelerantes hora, Deo gratias! ad Magadaburg incolumes pervenerunt, hostibus se in vanum sic laborantibus.

10. Id ut primitus (f. 56') audivit, prosperitati eorum arrisit imperatrix. Sed quia de optima ejus conversacione parum mihi ad noticiam [846] venit, idco superius strictim de immensa ejus nobilitate explicui. Hæc occidentales tunc inhabitat regiones, quæ Loc nomine merito dicuntur, quia ibidem sol et o nis equitas cum obedientia et [847] caritate mutua in occasum se vergit. Nox nil aliud est, nisi umbra terræ [848], et hoc totum, quod indigenæ isti operantur, nil nisi peccatum. Hic predicatores sancti in vanum laborant, hic reges et cæteri principes modicum valent; predones et justi persecutores commantur. Multa sanctorum corpora in hiis partibus requiescunt; sed habitatores hos, ut video, spernunt prevaricantes. Sed ne quis me Crispini discipulum lippe esse arbitretur (Hor. *serm.* I, 1, 120), de hus sileo, quia ob inlicitas conjunciones aliasque ineffabiles versucias hos prope interitum esse non dubito. Innumeras antistitum excommunicaciones spre erunt, et propter hoc stare diu non poterunt. Hoc tantum una mecum, queso, Christi fideles orate, ut hii mutentur in melius, et ad nos numqu m veniat [849] talis usus. Nunc autem de fine imperatricis predictæ loquturus, quæ hunc precesserint signa narrabo. Anno Dominicæ Incarnationis 989 (466) sol defecit 12. Kalend. Novembris et 5. diei hora [850]. Sed cunctis persuadeo Christicolis, ut veraciter credant, hoc non aliqua malarum incantatione mulierum vel su (467) fieri, vel huic aliquo modo seculariter adjuvari posse; sed sicut Macrobius (468) testatur cæterique sapientes fieri asserunt, et id de luna (469). (f. 57) Et sequenti anno [851], consummato in bonis vitæ sumet cursu, in Niumagun [852] infirmatur imperat ix [853] atque ab hac vita 17 Kal. Julii discedens, sepulta est ab Ewergero [854] sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo, in monasterio sancti Pantaleonis (470), quod datis inpensis Brun archipresul ibi requiescens construi precepit, presente filio ac multa pro remedio matris his confratribus largiente. Quod cum [855] inclita imperatrix Ethelheidis comperiret, tristis protinus effecta, regem tunc septem annos regentem [856]

VARIÆ LECTIONES.

[834] unallanti 1 *a*. [835] patefacta 1. *A. S. l. l. omisit hanc vocem.* [836] auuuare 1. [837] armis 1 *a*. [838] acquireret 1 *c*. [839] uleissi 1 *a*. [840] *Spatium hic sex fere litterarum reliquit* 1. [841] d. f. *erasa in* 1. *Sed A. S. ea adhuc legit.* [842] tractur 1 *a*. [843] i *erasum* 1. [844] *add.* 1 *c*. [845] hodonis 1 *c*. [846] *ita* 1 *c*. noticiam 1. [847] o. et *add.* 1 b. [848] terræ, per quam perfidorum peccata intelliguntur 2. [849] ueniant 1 *a*. [850] et V. d. h. *add.* 1 *b*. [851] et s. a: *in loco raso* 1. In s. a. 1 *c*. [852] teophanv *add.* 1 *c*. [853] *add.* 1 *b*. [854] enegero 1 *c*? [855] t. VII. a. r. *add.* 1 *b*.

NOTÆ.

(464) I. e. geloben.

(465) Nomen hic supplendum videtur esse Nimptsch, urbs Silesiæ in principatu Briegensi, ut ex Cosma Pragensi apparet. Urs.

(466) Ann. Quedlinb., anno tamen 990, quod rectius.

(467) Conf. J. Grimm Deutsche Mythologiæ pag. 401.

(468) De Somnio Scipionis.

(469) Sc. fieri sibi persuadeant.

(470) Ann. Quedlinb., a. 991.

visitando consolatur, ac vice matris secum tamdiu habuit, quoad ipse protervorum consilio juvenum depravatus tristem illam dimisit.

11. Huic bene nata (cf. Hor. IV, 4, 36) virtutibus ornanti pater meus comes Sigifridus domi militiæque fideliter servivit, et in expedicione ad Brandanburg, qua ultime militavit, ab equo cadens, valido corporis dolore fatigari cepit. Sensit insuper octavum sibi adesse annum, sic ei in somnis presignatum. Dormiens namque in Colonia his suscitatur denuo verbis: *Sigifride, vigila, et ab isto die post octo annorum curricula vitam te hanc finire presentem pro certo scias.* Hunc prefinitum diem vigilanti semper animo previdit, ac quibuscunque virtutum fructibus valuit, preoccupare non desistit. Me autem (471), in Quidilingeburg apud suam materteram nomine Emnildam, quæ paralisi longo tempore laboravit, primo litteris bene adhuc instructum, sumpsit et Ricdago abbati secundo [853] de sancto Johanne in Magadaburg commendavit. Ibi tres annos ego conversatus, in omnium festivitate sanctorum ad sanctum Mauricium, quia ad altare (f. 57') hoc me dare non potuit, fraternitatis consortio ab eo junctus sum, proximaque sancti Andreæ natali magnum et valde cunctis acceptabile convivium duos dies peractum est. Inde egressus et imminente quadragesima in civitate Wallibizi dicta infirmatus, Id. Marcii defensor patriæ ac homo verus, utriusque debitum persolvit naturæ. Quem mater sua, venerabilis omni probitate Mahtildis, celeriter hunc prosecutura, cum conjuge Cunigunda deflet. Namque tanto orbata solatio, cum immenso merore diem expectavit extremum, ac in eodem anno tercia Nonas Decembris fideliter migravit ad Christum. 996 Dominicæ Incarnacionis anno [856] patruus autem meus, nomine Liutharius, cui equaliter nobiscum hæc hereditas contigit, matri meæ antiquum renovans dolorem (cf. Virg. Æn. II, 3) multa intulit mala, et quamvis hæc firme [857] suimet fidei [857] a matre sua sibi fuerit commissa, tamen omnibus ejusdem bonis eam privare contendit. Quid multis moror? Inperatoris auxilio cuncta [858] ei restituuntur [859].

12. Interea [860] Atheldagus, archiepiscopus Bremensis, obiit (472) [*an.* 988], et Liævizo successit, qui papam Benedictum exulem a patria suimet, quæ sita est in confinio Alpium et Suevorum, huc secutus, erga Deum et regem ad hunc honorem promeruit venire. Sclavi iterum appetiti subduntur regi, renovatis juxta Albim castellis, et in hieme aqua inundans et ventus ingens multum nocuit (473). Æstas nimia frugibus, et seva mortalitas hominibus nimis nocuit (474). Anno Dominicæ (f. 58') Incarnationis 991 [861]. Hilliwardus, sanctæ Halverstidensis æcclesiæ venerabilis antistes, qui me baptizavit [862] atque confirmavit (*an.* 992), templum Domini, quod ipse a fundamento edificans tunc ad unguem usque perduxit, 12 Kalendas Novembris dedicavit (475). Adfuit ibi tunc rex cum inperatrice Ethelgida et avia ejus, abbatissa Mahtildis, et archiantistites hii: Willigisus, Gisilerus et Liewizo, cum suis confratribus 16 (476). Festivitas autem erat eadem Christi confessoris Galli, in cujus monasterio predictus presul edoctus est, et ideo semper studuit in hac celebritate suum perficere desiderium, et tunc inerat 24tus ordinationis suæ annus. Hunc adjuvit in omnibus fidelis suimet capellanus Hildo, et prudentissime cuncta disposuit. Omnes Saxoniæ primates hic tunc convenientes caritative succipiuntur. Numquam fuit [863] ante nec post, ut veraces affirmant, in divinis laudibus et in negociis secularibus omnia plenius cunctisque acceptius peracta. In sequenti anno (993) in galli cantu primo lux ut dies ex aquilone effulsit, et unam sic manens horam, undique celo interim rubente, evanuit (477). Fuere nonnulli qui dicerent eodem anno vidisse [864] tres soles et lunas tres ac stellas invicem pugnasse. Et post hæc (*an.* 994) Ekbertus Treverensis archiepiscopus, cujus successor Liutdulfus fuit (478), et Dodo Mirmigendensis, post quem Suitgerus ordinatus est (479), Erp quoque Ferdensis, cui Bernharius (f. 58') tunc ibi prepositus subponitur (480), obiere. Fames quoque valida nostras oppressit [865] regiones (481). In tercio [866] predictæ dedicationis anno avunculi mei a piratis capti sunt (482) [*an.* 995], ut in sequentibus patet. In quarto pestilencia [867] cum fame et bello orientalibus ingruit, et rex Apodritos petit et Wiltios vastavit (483).

13. Post hæc rex in Magadaburg cum suis prin-

VARIÆ LECTIONES.

[856] 996 — anno *add.* 1*b*. [857] *ita* 1*c*. *e corr.* [858] cuncta 1. [859] *ita* 1*c*. resistuntur 1*a*. [860] Interea — Alpium *in loco raso* 1. [861] *Post I. fortasse aliquid literæ erasum. Puto I, ut annus sit* 992, *qui numerus in Ann. Quedlinburgens. legitur.* [862] bapzavit 1. [863] fuerunt 1*c*. [864] se 1*a*. vidis *addi.* 1*b*; *fortasse* vidisse se *voluit*. [865] oppressit 1. [866] tertia 1. [867] pestilecia 1.

NOTÆ.

(471) Cf. præfatio, p. 724.
(472) Ille obiit anno 988.
(473) Ex Ann Quedlinb., a. 987.
(474) Indid., a. 988.
(475) Ita male pro XVII. Kal. Novembr. scripsit Thietmarus, fortasse quia non animadvertit in Ann. Quedlinb. ad a. 992, ex quibus hæc de ecclesiæ Halberstadensis dedicatione sumpsit, plane alia quædam de phænomeno XII Kal. Novemb. viso narrari.
(476) Quorum nomina vide in Ann. Quedlinb. et Chron. Halb., a. 992.
(477) Ex Ann. Quedlinb., a. 993.
(478) Indid., a. 993 et 994.
(479) Indid., a. 990.
(480) Indid., a. 994.
(481) Ibid.
(482) Ibid.
(483) Ibid., a. 995. Regem in mense Septembris et Octobris in hac expeditione fuisse chartæ ejus docent.

cipibus colloquium habuit, ad quod Heinricus, Bawariorum dux inclitus, venit. Et cum inter hunc et [869] Ratisbonensem [869] Gebehardum longa haberetur contentio, cum bono ibidem finitur consilio. Et pius ille dux, qui omne suimet delictum continuis mundavit elemosinis, inde pergens ad Gondesem [870] (484), ubi domna Gerberg soror suimet erat [871] abbatissa, egritudine premitur subitanea; et tunc vocans ad se equivocum ejus, talibus instruit : *Vade celeriter ad patriam, ac dispone regnum, ac numquam regi ac domino resistas tuo. Multum enim* [868] *me penitet hoc umquam fecisse. Patris memor sis tui, quia numquam hunc in hoc seculo videbis.* Filioque mox abeunte, dux preclarus in infirmitate sua semper kirieleison ex corde clamans, migravit ad Christum 5 Kalendas Septembris, sepultus ibidem in medio ecclesiæ coram sanctæ crucis altari [872]. Quod cum filius ejusdem comperiret, electione et auxilio Bawariorum patris bona (485) apud regem optinuit. Eodem anno Thiedricus comes palatinus, et Sibertus frater ejus, de hoc seculo transierunt (486).

14. Ea tempestate nepos meus, marchio Heinricus (487), Ewerkerum [873], (f. 59) Bernwardi [874], Wirciburgensis ecclesiæ episcopi militem egregium, set nimis, superbum cepit, et ob inlatas sibi injurias in loco qui Lindinlog (488) dicitur excecavit. Rex autem de internuntiis ab episcopo id multum querentibus comperiens, hocque graviter ferens, predictum comitem exilio relegavit, et post hæc gratiam suimet huic dedit et apud antistitem digna emendatione reconciliavit. Predictus presul post hæc Liupoldum marchionem Orientalium et nepotem ejus Heinricum ad missam sancti Kiliani, quæ est 8 Idus Julii, ad se vocans (*an.* 994), cum magna caritate eosdem habuit, et comes [888] in sacra nocte post matutinam cum suis militibus ludens, ex uno [878] foramine ab excecati amico sagitta volante [876] vulneratus est, et facta confessione 6 Idus Julii exspiravit (489), innocens in facto prædictæ accionis et in consilio. Hic postera die ibi [877] sepultus merito defletur, quia sibi prudentiorem et in cunctis actibus meliorem nullum reliquit [878]. Hiemps, quæ precesserat, asperitate et pestilentia nimioque [879] frigore et vento ac insolita siccitate plena erat (490). In hac devicti sunt Sclavi (491).

15. Sed quia superius destruccionem Brandab rgensis æcclesiæ dixi, nunc qualiter ad tempus prefato subderetur regi [876], breviter explicabo. Fuit in nostra vicinitate quidam miles inclitus, Kiza n mine (492), qui a marchione Thiedrico aliter quam sibi placeret habitus est. Ob hoc, et quia faculas suæ nequaquam impietati [878] suppeteret [880], ad hostes perrexit nostros; (f. 59') qui eundem in omni us sibi nimis fidelem cognoscentes, supramemoratam urbem no is sacius ad nocendum eidem commiserunt (493). Hic postea nostris delinitus blandiciis, eam regiæ potestati cum semet ipso tradidit (494). Unde Liutici [881] nimio furore succensi, eum [876] cum omnibus, quas habebant, catervis ilico petebant (994-995). Interea rex in Magathaburg fuit; et cum hoc co pperiret, quos ibi tunc habebat, celeriter eo misit, Ekkihardum marchionem (495) et tres [876] avunculos meos (496) cum Fritherico comite palatino et patruo meo [882] (497). Et hii omnes eo cum suis venientes, interrupti sunt ab hostibus se acriter irrumpentibus [883]; et una pars ex nostris in urbem venit, alia vero, quæ remansit, cesis militibus nonnullis, rediit. Tunc rex, collectis undiquessecus sociis, illo properat, et hostes nostri, magnam vim defensoribus urbis inferentes, cum ultimam legionem vidissent, cito [876] am tis fugierunt [884] castris. Nostri autem in ereptione interius gaudentes kirieleison canunt, et advenientes unanimiter respondent. Munita urbe presidio, rex abiit, et eandem in sua potestate diu tenuit. Post hæc Kizo ad Quidilingaburg cum veniret, civitatem suam cum uxore et satellitibus suis perdidit; quæ omnia, urbe excepta, post [876] recepit. Unus autem suimet miles Bolibut [885] nomine, cujus consilio hoc totum, quamvis tunc absens esset, agebatur, ibidem dominabatur; et Kizo cum in his partibus post [879] latenter nocere voluisset, optimus miles cum suis interfectus est [886].

16. (f. 60) Et, sicut predixi (498), tres avunculi [887] mei, Heinricus, Udo et Sigifridus, cum Ethelgero cæterisque compluribus, piratis sua populantibus 9 Kalendas Julii (994) navibus occurrunt, facteque

VARIÆ LECTIONES.

[868] *add.* 1 *b.* [869] ratisbonensem 1 *a.* [870] Gandēsem 1 *c.* [871] fuerat 1 *a.* [872] altare 1 *a.* [873] euerkerum 1 *c*? [874] n *erasum* 1. [875] una 1 *a.* [876] *add.* 1 *b.* [877] *Sic A. S.* a. 994. uallonte 1 *a.* vallante 1 *c.* [878] n. r. *add.* 1 *b.* [879] que *add.* 1 *b.* [880] *ita* 1 *c. super rassura.* [881] liustici 1. [882] e. p. m. *add.* 1 *b.* [883] irruppentibus 1. [884] i *erasum* 1. [885] boliuit 1 *a.* Boliwit *A. S.* a 992. [886] *Quaternione finito* interfectus est *in margine additur, infra vero ab* 1 *c. scribitur :* Hic sequitur : Et sicut predixi tres auunculi mei; *e. fol.* 60 *initio* et sicut predixi *in loco raso leauntur.* [887] *ita* 1 *c.* aiunculi 1 *a.*

NOTÆ.

(484) Gandersheim.

(485) Nec non ducatum, v. Ann. Quedlinb.

(486) Ex Ann. Quedlinb., a. 995. Conf. Kalend. Merseb. Octob. 14.

(487) Non fuit nepos Thietmari nostri, sed patruelis, scilicet sororis patris sui filius. V. supra.

(488) Lindloch in districtu Altötting, vel Lindenlohe in districtu Burglangenfeld nimis distare nobis videntur.

(489) Kalend. Merseb., VI. Id. Jul. *Liudbold marchio.* coll. VIII. Id. Jul. et V. Id. Jul. Sed VII. Non. Jun. habent Ann. Quedlinb., a. 994.

(490) Ann. Quedlinb., a. 994.

(491) Conf. Ann. Hildesh. et Quedlinb., a. 994.

(492) Kizo, in cujus comitatu pagus Helmingowe situs fuit, laudatur in charta Ottonis II imp., a. 977, Jul. 30. (apud Höfer l. l. I, 155).

(493) Conf. Ann. Hildesh., a. 991.

(494) Conf. ibid., a. 995.

(495) Misniensis.

(496) Heinricus, Udo, Sigefridus, comites Stadenses.

(497) Lotharius marchio aquilonalis.

(498) Supra cap. 12. Conf. Ann. Quedlinb., a. 994.

invicem certamine, Udo decollatur (499). Heinricus autem cum fratre suimet Sigifrido et comite Elergero devictus, dictu miserabile, a pessimis hominum captus deducitur [888]. Hoc infortunium inter Christi fideles fama valante mox dilatatur. Bernhardus dux, qui proximus fuit, nuntios quam propere misit, qui precium pro eorundem redemptione eis promitteret, et conveniendi pacifice ac locum colloquendi peteret. Parati sunt, pacem firmam [889] et ineffabilem pepigerunt pecuniam. Quid autem ad hæc primo rex [890], deindeque in nostris partibus omnis Christianorum larga benignitas debito humanitatis officio inpenderit, explicare non sufficio. Mater autem mea tanto dolore intrinsecus commota, omne quod habuit, vel acquirere ullo modo potuit, pro fratrum ereptione tribuit [891]. Execrata vero piratarum [892] turba cum maximam collectæ pecuniæ partem inmensa suimet pondere perciperent, Heinrici vice filium ejus unicum Sigifridum nomine cum Garevardo et Vulferemo [893], Ethelgeri autem loco avunculum ejusdem [894] Thiedricum et amitæ sumet filium Olef vocatum succipientes, ut quod de promisso eis tesauro adhuc remansit eo velocius colligeretur [895], eos abire Sigifrido solum remanente, permisit. (f. 60') Hic quia filium non habuit, a matre mea remedium ab uno filiorum suimet postulavit. Quæ tam necessariæ peticioni satisfacere desiderans nuncium [896] ad abbatem Rigdagum (500) celeriter misit, qui fratrem meum Sigifridum, tunc ibi sub habitu monachico degentem, accepta licencia reduceret. Hic quia satis prudens vir fuit, cunctis sollicite perquisitis, iniuste legationi resistit [897], et propter curam a Deo sibi creditam quod hoc facere non præsumeret, respondit. Nuntius autem, ut ei iussum fuit, ad Ekkihardum, qui tunc custos æcclesiæ sancti Mauricii et magister erat scolæ, veniens, ut me ob rem necessariam matri meæ remitteret, supplex rogavit. Veni, et cum laicali habitu, quo apud piratas debui obses conversari, prioribus adhuc indutus vestimentis, 5 feria profectus sum. Et in ipsa die Sigifridus de pervigili hostium custodia, qua multum vulneratus detinebatur, sic divino evasit auxilio. Idem in angustia vehementi positus, cum Nodbaldo et Edicone, quomodo evaderet, plurimum semper versans, precepit hos veloci navicula, quantum his, qui eum detinebant, satis valuisset ministrare de vino ac de cæteris appertinentibus sibi deferre. Jussis tum sine mora completis, canes avari saturabantur [897]; factoque mane presbiter ad missam paratur, et comes cunctis absque custodibus solum, hesterno gravatis vino, ad proram lavaturus accedens, puppi parate insiluit. Extollitur clamor, presbiter quasi consiliator [898] capitur, anchoræ (f. 62) levantur, remiges velociter hos fugientes insequebantur. Quos comes vix evadens, cum littoris securitatem attingeret, ut prius ipse precepit, paratos invenit equos, et ad civitatem suam Hersevel (501) dictam, ubi frater suus Heinricus et [899] uxor ejus Ethela tanti gaudii inscia fuit, pergere properavit. Hunc hostes pone sequuti, urbem, quæ littori [900] vicina stabat, Stethu (502) nomine, incurrunt, eum curiose in abditissimis querentes locis; et non invenientes, feminis inaures vi rapiunt tristesque recedunt. Tali furore omnes succensi, crastino clericum et nepotem meum (503) cum cæteris obsidibus universis, naribus ac auribus et manibus obtruncant, foris eos projicientes in portum. Tunc fugientibus his, unusquisque a suis rapitur, merore inaudito insurgente. Ego autem, visitatis meimet avunculis, remeavi Christo largiente incolumis, caritative a familiaribus meis susceptus.

17. In illo tempore Liudulfus, Augustensis episcopus venerabilis, 8 Kalend. Augusti obiit (*an.* 996); et Gevehardus, elewangensis [901] abbas ordinatur (504). Interim (*an.* 995) in quadam villa Horthorp (505) dicta, natus est infans, dimidius homo, posterioribus auce similis, dextram aurem et oculum leva minorem habens, dentes croco similes, sinistrum brachium absque 4 digitis solo cum pollice integrum; ante baptismum attonite videns, et post nihil, quarta die moriens. Magnam hoc monstrum facinoribus nostris intulit pestilentiam (506). (f. 62') Predictus antistes Hilliwardus cum æcclesiam et gregem sibi commissum 29 annos gloriosissime verus Israelita regeret, 7 Kalendas Decembris exspirans, sepultus est extra æcclesiam infra claustrum, ubi ipse sibi prius paraverat domicilium. Et cum confratres ejus in electione convenire non possent, præpositus est hiis de capella regis Arnulfus, et Id. Decembris ordinatur, sicut ille vir sanctus antecessor ejus, dum adhuc valeret, predixit cunctis tunc presentibus : *Hunc*, inquiens, *hospitem*

VARIÆ LECTIONES.

[888] dedicitur 1. deducuntur 1c. abducitur *A. S.* a. 994. [889] firmam dare 2. *A. S. l. l.* [890] *ita* 1b. 2. imperator 1a. *restitutum ab* 1c. [891] attribuit 1a. [892] piratum 1. [893] et unlferemo *add.* 1b. [894] *ita* 1c. colligetur 1a. [895] nuccium 1. [896] *ita* 1c. insistit. 1a. resitit *A. S. l. l.* [897] saturalmatur 1. saturantur *A. S. l. l.* [898] consiliator 1. [899] *add.* 1b. [900] *ita* 1c. littore 1a. [901] *in loco raso* 1.

NOTÆ.

(499) Necrol. Lunæb. et Merseb., Jun. 23.
(500) Abbas S. Joannis prope Magdeburg.
(501) Harsefed.
(502) Stade.
(503) Sigefridus, Heinrici comitis filius.
(504) Ann. Quedlinb., coll. A. S., a. 996.
(505) Hordof, ad Bodam fluvium in territorio Halberstadensi. URS.
(506) Ex Ann. Quedl., a. 995

honorate [603], *et quantum potestis illi servite. Providere enim debet is vos post me.* Et cum idem jam in agone exitus sui jaceret, vidit gloriam Dei; et vocato ad se Vulfhario suimet capellano : *Vides, inquid, frater, aliquid?* Et ille se nihil vidisse respondens, audivit ab [603] eo, quod caminata hæc, in qua tunc jacebat, in qua duo antecessores [604] sui obierunt, divina majestate plena fuisset. Et hæc dicens transivit de hoc [605] carcere ad indeficiens lumen (507).

18. Rex autem natale (*an.* 996) Domini in Colonia fuit, et pacificatis omnibus in his regionibus, ad Italiam diu desideratus perrexit, in urbe Papia paschale peregit festum (508). Dehinc Romam veniens gloriose, nepotem suum Brunonem, Ottonis filium ducis (509), in loco Johannis papæ nuper defuncti, cum omnium laude presentium [606] [(*Cod. Brux.* f. 228'.) statuit; in ascensione Christi, quæ tunc erat 12 Kalendas Junii, anno etatis suæ 15, regni autem 13, indictione octava (510) [*an.* 996], ab eodem unctionem imperialem percepit, et advocatus ecclesiæ sancti Petri efficitur. Post hæc vero imperium illud priorum suorum more gubernavit, etatem suam moribus industriaque vincens.

19. In prima estate Adelbertus, Boemiorum episcopus, qui nomen, quod Woytech [607] sonat, in baptismate, aliud in confirmacione percepit ab archiepiscopo Parthenopolitano, in eadem urbe ab Othrico [608] superius memorato (511) litteris instructus, cum sibi commissos ab antiquæ pravitatis errore monitis divini precepti [609] amovere nequivisset, omnes excommunicans, Romam ad excusandum se apud apostolicum venit, ejusque licentia sub districta Bonifacii abbatis regula humiliter multo tempore conversatus bono deguit exemplo. Postque [610] cum permissu ejusdem patris Prucorum [611] mentes a Christo alienas freno sanctæ predicationis edomare temptaret, cuspide perfossus, nono [612] Kalendas Mai capitis abscisione optatum [613] semper martirium solus ex suis percepit, absque omni gemitu, ut in ipsa nocte in somnis ipse vidit, cunctisque fratribus predixit : *Putabam*, inquiens, *me missam celebrare solumque communi-* A *care.* Sed nefandi sceleris auctores eum jam expirasse cernentes, ad augmentum sui sceleris divinæque ulcionis corpus pelago mersere beatum, caput sude conviciando figentes ac exultando redeuntes. Quod Bolizlavus, Miseconis filius, comperiens, data mox pecunia martiris mercatur incliti cum capite [614] membra (512). Imperator autem Romæ certus de hac re effectus, condignas Deo supplex retulit odas, quod suis temporibus talem sibi per palmam martirii assumpsit famulum. Eo tempore Bernwardus, sanctæ Wirciburgensis ecclesiæ, jussu cesaris ad Greciam missus, in Achaia moritur (513) cum maxima sociorum suorum caterva. Per quem quia plurima Deus faciat mirabilia, plures affirmant.

B 20. Imperator autem a Romania discedens, nostras regiones [615] invisit (*an.* 997), et accepta Sclavorum rebellione, Stoderaniam, quæ Hevellum [616] dicitur, armato petens milite, incendio et magna depredacione vastavit, et victor Parthenopolim rediit. Ob hoc hostes nostri Bardengau [617] turmatim aggressi, a nostris sunt devicti (514). In illo certamine Ramwardus, Mindensis episcopus, fuit, qui socios arrepta in manibus cruce sua sequentibus signiferis precessit, et ad hæc facienda potenter consolidavit. In illo die Gardulfus comes cum paucis occubuit (515), ex [618] hostibus autem maxima multitudo; cæteri relicta preda fugierunt.

21. Crescentius autem Romæ, absente papa prædicto, qui post benedictionem Gregorius vocabatur, C Johannem Calabritanum, Theophanu imperatricis dilectum comitem et tunc Placentinum antistitem (516), substituit, et sibi imperium tali presumptione usurpavit, inmemor juramenti et magnæ pietatis ab Ottone augusto sibi illatæ. Insuper nuncii ejusdem a predicto invasore capti, diligenti custodiæ traduntur (517). Imperator mox ut hæc audivit, illo properans, domnum apostolicum sibi obviare per internuncios postulavit. Johannes autem supplantator hiis appropinquantibus fugit; sed postea a fidelibus Christi et cesaris captus, linguam cum oculis ac naribus amisit. Crescentius vero Leonianum ingressus claustrum [619], (518) imperatori resistero

VARIÆ LECTIONES.

[603] *ita* 1*c.* honerate 1*a.* [603] habeo 1*a.* [604] antecessoris 1. [605] oc 1*a.* [606] *Hic finit fol.* 62 *cod.* 1, *desunt jam quaternionis folia interiora quatuor sive paginæ octo.* [607] *ita correxi V. vitam S. Adalberti in Actis Sanctorum d.* 23 *April.* uuortech 2. [608] Ochtrico 2. [609] preceptis 2. [610] Post (i. e. Postquam) 2. [611] paucorum 2. *male.* [612] nouo 2. [613] *Sic A. S. a.* 996. optavit 2. *ubi* quod *supplerit Leibnitius.* [614] capita 2. [615] regionis 2. [616] Hevellim 2. Heveldun *A. S. a.* 997. [617] berdangan 2. [618] et ex 2. [619] castellum *Ann. Quedlinb.*

NOTÆ.

(507) Conf. ibid., a. 996.

(508) Ann. Quedl., a. 996.

(509 Cognatus erat regi Bruno, utpote qui aviam habuerat Liutgardin, Ottonis M. filiam, uxorem Conradi, ducis Francorum, cujus filius Otto, dux Carinthiæ et marchio Veronæ, pater erat Brunonis. V. Mascov. Commentar. de rebus imp. Rom. Germ., p. 22. Urs.

(510) Rectius dixisset : Indictione nona.

(511) V. supra l. III, c. 8.

(512) V. Ann. Quedlinb., a. 996.

D (513) V. ibid.

(514) Indid., a. 997.

(515) VIII, id. Novembr. V. Necrol. Merseb.

(516) Joannes, Placentinus episcopus, a. 992, Octob. 16 interfuit dedicationi ecclesiæ Halberstadensis. V. Chron. Halberstad. Conf. de eo Arnulphum Med. l. I, c. 2.

(517) Ann. Quedlinb., a. 997.

(518) A papa Leone IV munita; vulgo *urbs Leoniana.*

frustra temptavit. Namque imperator Dominicam resurrectionem Romæ celebrans, post festivos dies instrumenta bellica preparans, post albas domum Thiederici (519), ubi ille perversus sedebat, Ekkihardum marchionem impugnare jussit. Qui eandem perdius et pernox lacescere non desistens, tandem per machinamenta alte constructa ascendit, et eundem decollatum voce imperatoria per pedes laqueo suspendit (520), et timorem cunctis presentibus ineffabilem intulit. Gregorius autem papa cum magno honore intronizatur (521), et cesar sine omni infestatione deinceps dominabatur.

22. Videtur mihi optimum, quædam ejusdem temporis facta memorare, quæ nonnullis puerilia et multum mirabilia esse videbantur, sed hæc a Deo predestinata in suis virtutibus agnoscuntur. Vir felicis memoriæ comes profecto Ansfridus, vir omni inquam bonitate conspicuus, alto progenitorum germine (522), dum adhuc esset puerulus [620], cum omni lege mundana a patruo suo Rodberto [621], Trevericæ civitatis episcopo, tum divina adprime est institutus; inde a patruo suo, scilicet suo equivoco, 15 comitatuum comite, strennuo domino Brunoni, archiepiscopo Agrippinensi, traditur [622] ad res militares. Sic bonæ indolis adolescens penes ipsum cottidie proficiebat, donec primi Ottonis magni imperatoris, Romam cum exercitu jam acquisituri, municipatus est servitio. Cui in inicio militiæ ejus injunxit, ut tentorium suum, quod adeo pulchrum videbatur, cottidie poneret e regione contra imperiale et spatam suam duceret, ut in hoc probaret, si palatinis se agiliter initiaret. Hoc ideo tam gratanter suscepit, quia psalmos oris ejus dulcissimos [623], hunc per devia sequens [624] quasi delectationis causa aviculis insidiando, sine detractione [625] frequentare occultius potuit. Romam sane predicto cesare ingrediente, non minimum confisus in juvene, fecit eum spataferium suum, dicens: *Dum ego nodie ad sacra limina apostolorum perorabo, tu gladium continue super caput meum teneto. Nam fidem Romanam antecessoribus nostris sepius suspectam non ignoro. Sapientis enim est, adversa quæque longe adhuc posita cogitando prenoscere, ne forte improvisa valeant superare. Deinde redeundo ad montem Gaudii, quantum volueris, orato.* Inde vero reversus, abbatiam quæ dicitur Torna (523) de hereditate propria construxit, in qua filiam suam abbatissam, plurimarum Deo devotarum sanctimonialium matrem, assensu pontificis constituit, sanctoque Lantperto pro remedio animæ suæ ex integro tradidit.

23. Hujus vero omnipotentis Dei famulæ quia mentionem fecimus, quod nostris temporibus per eam Dominus operatus est, silentio non preteribimus. Hospitalitatis non oblita, tantæ dapsilitatis circa egenos et peregrinos extitit, ut quadam die de vino nil sibi vel sororibus beneficentiæ [626] communicationisque causa pretermisit. Hoc dum celleraria sibi nuntiasset, ait: *Equo animo esto, cara, et confortare. Dei enim gratia satis nobis poterit dare.* Statimque solita more ante crucem prostrata in oratorio sanctæ Mariæ cepit orare, vinumque in vase funditus pridie exhaustum crescere cepit, quoadusque superfluxit. De quo non tantum sanctimoniales, sed et quam plures diu ad laudem Domini biberunt circummanentes vel adventantes. Interea contigit ut domina Hereswit [627] comitissa, ipsius scilicet conjux reverenda, in curte sua, qui dicitur Gilisa, cepit egrotare, quæ statim velut mortis presaga futuræ festinavit ire ad Torna. Quo dum pre nimio dolore nequiret pervenire, in domo cujusdam majoris remansit in itinere. Qui, sicut ipse nobis retulit, nimiæ ferocitatis canes habuit, quorum latratum ipsa infirma graviter sustinuit. Hospes ut audivit, festine precatus ab ipsa, hos libentissime voluit capere, vel ad ultimum, si potuisset, eciam occidere. Horum dum neutrum potuisset, mirabiliter accidit ut nullus eorum postea quivit latrare, donec sancta Dei ancilla obdormivit in pace. Quam secus monasterium communis [628] laboris comes sanctæ simplicitatis in secretario sepelivit. Hujus cameraria multis annis fuit ydropica. Huic visum est in vigilia natalis Domini, quod ad sepulchrum dominæ suæ candelas deberet afferre; quod et fecit. Mox dum matutinæ laudes celebrarentur, exivit, solutionem habuit, sana coram omni populo rediit.

24. Post discessum autem dominæ ipsius felix comes, non de terreni operis casu desperatus, sed in virtutis volatu eo ipso sublevatus, mente disposuit, ut monasterialem vitam subiret, sicubi majoris obedienciæ regulam inveniret. Quod dum in exordio per intentionem agitur, a tercio Ottone imperatore ad episcopatum Trajectensem per Notgerum, Leodii pontificem, summa necessitate vocatur (*an.* 995). Illud profecto dum audivit, capellam Aquensem introiit,

VARIÆ LECTIONES.

[620] dum adhuc esset a. p. g. puerulus 2. [621] rutperto 2. [622] tradetur 2. [623] caneret *supplere voluit Ursinus.* [624] sequens *Ursinus restituit ex A. S.* [625] *sic A. S. l. l.* detritione 2. [626] beneficientie 2. [627] Hersuit *A. S.* heresuint 2. [628] sui communis *A. S.* a. 995.

NOTÆ.

(519) *Validissima turris Adriani imperatoris, quæ et Theodorici tyranni fuit fabrica, quæ sine ulla læsionis injuria contra omnem impulsionis machinam durare videtur in sæculo.* Chron. reg. S. Pantaleon. a. 1001. *Castellum Crescentii quod vulgo domus Theodorici appellatur.* Ekkehardus Uraug., a. 1083; cf. Florent. Wigorn., a. 1084. Hodie Castello di S. Angelo.

(520) Conf. chartam imperatoris, a. 998, April. 29.

(521) *Johannes — inthronizatur* ex Ann. Quedlinb., a. 998.

(522) Patri Ansfridi nomen erat Lambertus, ut A. Miræus in Chron. Belgico ex codice donationum propter monasterium Gemblacense factarum probavit. Cf. Ægidii Leodiensis, monachi Aureæ vallis, addition. ad Anselmi canon. Leodiens. Gesta episcopor. Tungrens. Trajectens. et Leodiensium c. 53. URS.

(523) Turne in episcopatu Leodicensi.

et mundi dominam exoravit ut, si esset a Deo, canonice perficeretur, si non, misericorditer annullaretur. Sed postquam Evergerus, Coloniensis archiepiscopus, suffraganeorum consensu imperatori sibique in [629] medium consuluit, vellet nollet ad episcopum acclamatur (524). Non multo post quinque curtes de sua proprietate beato Martino tradidit, fideli inquam fidejussori talionis earum. In senectute ergo sua, caligantibus jam oculis ipsius, factus est monachus. Septuaginta duos pauperes propria manu cottidie pavit. Illorum quippe infirmioribus, camerario precedente, cecus ipse ab imo vallis ad summa montis balneum portans preparavit in nocte, et mutatoria ceteraque necessaria corporis prebuit, jubens eos in pace recedere, ut sic sua opera obnubilare valeret. In eodem monte monachorum congregationem ordinavit (525), a quorum prioribus scopis est sepius castigatus, dum auderet resistere eorum jussionibus. Quicquid ad ultimum acquirere potuit, pauperum manibus tribuit. Aviculis etiam in hieme manipulos super arbores ad manducandum intuitu pietatis in monte suo ponere [630] fecit. Sub clamidis absconso continue vestiebatur cilicio. A natali Domini usque ad sanctæ crucis inventionem infirmabatur, quo temporis spatio ultra tres panes non manducavit Appropinquante jam carnis ejus dissolutione, crucem in fenestra, quæ ibi post caligationem oculorum ejus facta fuit, vidit et circumstantibus se videre manifestavit, laudans Deum et dicens : *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod numquam deficiet.* Tandem sacrosancti viatici perceptione munitus, doctus tota expectatione judicem diligere, atque, ut ita dixerim, timendo presencialiter renuit timere perpetualiter. Multum in sanctæ Dei genitricis intercessione, cui se suaque dederat, confisus, tamdiu signaculo sanctæ crucis sese signavit, quoadusque obdormiens in pace manu simul et mente quievit. Post cujus obitum Trajectenses nudis pedibus et armatis manibus venerunt, flentes, orantes et domesticis dicentes : *Pro Dei nomine date nobis pastorem nostrum, quo portetur ad suæ sedis tumulum.* Quo contra reverendæ vitæ abbatissa, ejus scilicet filia sanctissima, cum capellanis et militibus respondit : *In eodem loco debet sepeliri, ubi e vita presenti a Deo est permissus exui.* Perventum est ad hoc, ut armati ex utraque parte periculosissime convenire et plures vita deberent carere, nisi quod domna abbatissa se in medio eorum prostravit, et adeo pacem inter illos vel ad momentum rogavit. Interea videbatur militibus, quod ex illa parte, qua fratrum fuerant officinæ, ab aqua Ema nominata ad montis supercilium ipsius traherent [631] sarcofagum. Quod dum niterentur, corpus a Trajectensibus sustollitur, et levissime, sicut ipsi jurant adhuc, ultra aquam ducitur. Sic nutu Domini fortior pars delusa est militum. Post translationem corporis sacri fragrancia miri odoris percepta est in via, quæ ultra tria miliaria veracissimorum hominum, sicut ipsi testantur, nares perfudit et pectora.

25. Revocemus ad memoriam, quod miserabiliter Gisilero archipresuli] (f. 63) incuria [632] sui contigit damnum. Imperator ob defensionem patriæ Harnaburg civitatem opere muniens necessario, eam 4 ebdomadas ad tuendum huic commisit. Qui fraude ignota ad placitum a Sclavis vocatus, cum parva multitudine exiit. Alii namque precesserunt, et quosdam in urbe reliquit. Ecce autem unus e consociis ejusdem a silva erumpere hostes prodidit. Congredientibus vero tunc ex utraque parte militibus, archiantistes, qui curru venit, equo fugit alato (Ovid., *Fast.* III, 416), ex suis mortem evadentibus paucis. Sclavi victores preda interfectorum 6 Nonas Julii [633] sine periculo pociuntur (526), et archiepiscopum sic elabisse conqueruntur. Custodivit tamen, quamvis sic lugubriter mutilatus, urbem ad dictum diem Gisilerus, tristisque reversus, obviam habuit patruum meimet marchionem Liutharium, cujus curam civitas predicta tunc respiciebat : firmiterque ei eam committens abiit. Accessit autem comes, et ut urbem vidit incendio fumigantem, archiepiscopum remeare per internuntium frustra petiit. Ipse autem ignem in duobus locis jam alte ascendentem extinguere temptans, cum nil omnino proficeret, portam hostibus patentem derelinquens, domum mestus revisit; et accusatus post apud imperatorem, imputatam sacramento purgavit culpam. Post 9 dies predictæ cedis mater mea, Cunigund [634] nomine, tercia Idus Julii in civitate Germeresleva expiravit (527).

26. (f. 63') Ekkihardus [635] ex nobilissimis Thuringiæ australis natalibus hujus (528) genealogiæ ortum ducens, cum gradatim ad virilem pertingeret ætatem, parentelam suimet omnem tam morum quam actuum gravitate [636] inclitorum [637] honorat ; quia,

VARIÆ LECTIONES.

[629] s. 1 in 2. [630] poni *A. S.* [631] *ita* A. S. a. 1010. traheret 2. [632] *Hic pergit cod.* 1. [633] VI nonas Julii *add.* 1*b*. [634] gunigund 1*a*. [635] marchio misnensis *add.* 1*c*. [636] grauite 1. [637] *aut* inclitam *legendum. Conf. infra* V, 16. inclitum 1.

NOTÆ.

(524) Ansfridus episcopus ordinatus est a. 995. Obiit anno 1010. De eo vide etiam Alpertum de temporum diversitate, I, 11-18.

(525) Locus ille, quo hanc Benedictinorum abbatiam condidit, nominabatur Hohorst, adjacens Amersfordio. Illam ipse XIV Kal. Dec. anno 1006, regnante Henrico II, imperii ejus anno quinto inauguravit, eique novum nomen Sancti (Heiligenberg) imposuit. V. Acta Sanctor. t. I, mense Maii, p. 430. Uns.

(526). Plurimi mortui adnotantur in Necrol. Merseburg. Jul. 2.

(527) V. Necr. Merseb., Jul. 12 et 13.

(528) *Hujus* pro *suæ*.

ut legimus : *dedecorant bene nata*[638] *culpæ*[639] (Hor. iv, 4, 36). Is post multas bellorum asperitates, quas cum patre suo Guntherio[640], ab honore suo diu suspenso, perpessus est, ad gratiam imperatoris secundi [Ottonis[641]] et ad patriam honorifice cum remearet, Thietmari comitis viduam et Bernhardi ducis[642] sororem, nomine Suonehildam (529), in matrimonium sibi copulavit, ex eaque primogenitam nomine Liudgerdam acquisivit filiam. Liutharius autem ex clara Thuringiæ septentrionalis prosapia editus, cum vir factus ætatem virtutibus superaret[643]; cumque secundo multum karus esset Ottoni, ejus auxilio quandam matrimonium[644], Godilam nomine, ex occidentali regione nobiliter natam (530), cum licentia Wirdunensis Wigfridi presulis consobrini ejus, sibi in conjugem desponsavit et acquisivit, quæ peperit ei in tertio decimo ætatis suæ anno primogenitum, patris sui nomine appellans Wirinharium[645]. Sed cum duæ propagines istæ, puer inquam et puella, ex tam nobilissime vitis radice emersissent, jamjam paulatim ad maturitatem fructus pertingere inclitis virtutum scalis nitebantur. Sed Liutharius comes, ut puellæ illius formam et conversationem bonam primo persensit, qualiter eam (*f.* 64) consociaret filio suo, mentis secreto semper volvit. Et ad ultimum erumpens, per fideles internuntios Ekkihardo tunc marchioni desiderium diu latens[646] aperuit ac celeriter inpetravit. Convenientibus tunc in unum familiaribus eorundem, promisit legitime Ekkihardus Liuthario, eandem se filio suo daturum in uxorem, more suo et jure presentibus cunctis optimatibus affirmans. Qui[647] cum tercio Ottoni multum placeret, et apud eundem inter alios primates plurimum valeret, nescio qua causa depravatus, pactum firmissime stabilitum interrumpere quam maxime conatur. Quod mox Liutharium non latuit, et ut hoc ne fieret, anxia mente volvebat. Imperatore et Ekkihardo pariter tunc in Romania commorante (*an.* 998), commissa erat regni istius cura venerabili abbatissæ Mathildi, de qua[648] superius memoravi, in cujus civitate Quidilingaburg[649] nuncupata puella hæc educabatur. Fit publicus in Darnıburg (531) abbatissæ totiusque senatus in unum conventus. Interim Wirinharius, ut arbitror, non consilio patris, sed amore virginis et ob metum manifesti[650] dedecoris, cum confratribus meis Heinrico, Fritherico ceterisque militibus optimis urbem prefatam ascendit, sponsamque suam et reluctantem et clamantem vi auferens, cum suis ad Wallibiki letus et incolomis pervenit. Quod cum abbatissa ab certo comperiret legato, graviter commota cunctis (*f.* 64') hoc principibus lacrimis queritur obortis, rogans ac precipiens, ut armati omnes publicos hostes celeriter insequerentur, ac[651] ut captis seu occisis virginem sibi reducere conarentur. Nec mora, jussa hæc miles armatus accelerare contendit, et priusquam urbem munitam adtingerent, eosdem per compendiosa itineris interruptos, vi capere vel occidere seu effugare anhelavit. Compertum est autem a viatoribus, quod hi, quos insequebantur, valida manu clausisque portis, notis jam gauderent presidiis; nulli patere ingressum; aut velle mori, aut se ibi[651] defendere, et numquam ulli[652] sponsam reddere. Quo audito admodum tristis effectus, revertitur. Liutharius autem, et cum eo Alfricus senior, milesque comitis Ekkihardi Thietmarus proficiscentes, voluntatem sponsæ perquirunt, seque ibidem tunc manere malle quam reverti, satis certi ab eadem effecti, domnæ abbatissæ[653] ceterisque hæc responsa intimabant. Consulenti tunc de talibus primates abbatissæ, dictum est ab his, quod sibi videretur optimum, in Magadaburg fieri conventum, huc sponsum cum contectali venire, auxiliatores quoque omnes aut se reos ibi presentare, aut damnatos fugere. Sicque factum est (*an.* 999). Confluente maxima illuc multitudine, Wirinharius cum suis cooperatoribus nudis provolvitur pedibus, uxorem redimit. Veniam de commissis sibi suisque auxilio principum[654] promissa emendatione promeruit. Sed venerabilis in omnibus Mahtildis finito colloquio Liudgerdam[655] secum duxit, non pro retentione, sed pro timoris[656] magni confirmatione.

27. (*f.* 65) Bonæ autem[657] suimet voluntatis propositum preventu subitaneæ mortis interruptum est. Namque post paucos dies, cum hæc ad locum a Deo sibi paratum veniret, continuo infirmata, Bernwardum[658], sanctæ Hillinessemensis[659] ecclesiæ tunc pastorem, vocavit, et accepta ab eo quam postulavit indulgentia, 8 Idus Februarii hominem exuit interiorem[660], sepultaque est in æcclesia ad caput avi suimet regis Heinrici (532). Hoc funere

VARIÆ LECTIONES.

[638] *ita* 1*c.* benata 1*a.* [639] legimus : Valde mali mores deturpant nobiliores 2. [640] i *erasum* 1. [641] Ottonis *add.* 1*c.* [642] de Lvniburg *add.* 1*c.* [643] *ita videtur legendum.* superare 1*a.* c. v. f. esset, a. v. superare nitebatur 1*c.* c. v. f. esset a. v. superavit *A. S.* [644] matronam *A. S. l. l. recte.* [645] uuurinharium *ut videtur* 1*a.* uuerinharium 1*c.* [646] *Ita A. S. l. l.* lateris 1. [647] i e(kkihardus) *add.* 1*c.* [648] quo 1. [649] quidilingabur 1. [650] manifasti 1. [651] *add.* 1*b.* [652] illi *corr.* ulli 1. [653] abbatise 1*a.* [654] *ita* 1*b.* [655] *Sic* 1. *pro* Liukerdam. [656] amoris 2. *A. S.* a. 999. [657] autem *erasum in cod.* 1; *exstat ap. A. S.* [658] n. *erasum* 1. [659] hillinessemensis 1*a. sæpius.* [660] *Lege :* exteriorem.

NOTÆ.

(529) Filia fuit Herimanni Billung ducis.

(530) Filia fuit Werinharii. Conf. Meibom Chronicon Walbecc.

(531 Derenburg, oppidulum ad fl. Holtemme, urbes Halberstadium et Wernigerodam interiacens, duobus leucis a Quedlinburg distans. Urs.

(532) Conf. Ann. Quedlinb., a. 999, ubi dies tamen emortualis Mathildis dicitur fuisse VII Id. Februarii. Ita et Necrol. Lunæburg.; VI Id. Febr. habet Necrol. Fuld.

imperatrix Æthelheidis [661] mater ejusdem supra modum turbata, ad imperatorem nuntium misit, qui et obitum ejus huic innotesceret [662], et equivocam suam sororem ejus huic succedere postularet. Cesar piis assensum prebens desideriis, amitæ suimet necem deflet, et abbaciam dilectæ suimet germanæ per Becelinum portitorem [663] (533) virga a longe commisit aurea, et ut ab episcopo benediceretur Arnulfo, precepit. Æthelheidis [664] autem imperatrix urbem, quæ Celsa (534) vocatur, interim [665] edificans, collectis ibidem monachis, omnibusque perfectis, in eodem anno 16 Kal. Januarii gaudens appeciit, de quibus orta fuit (535); cujus fideli servitio justa recompensans premia Deus, ad tumbam ejus plurima hodie operatur miracula. Papa quoque Gregorius, bene dispositis Romæ omnibus, 2 Nonas Februarii obiit, Gerberto sibi mox succedente [666].

28. Post hæc imperator Gisilerum archiepiscopum, eo quod duas teneret parrochias, in sinodo accusans Romana, judiciali (f. 65') eum sententia ab officio suspendi ac per internuntios ab apostolico eundem illo vocari precepit (536). Qui tunc paralisi percussus, cum huc venire nequiret, Rotmannum misit clericum, qui juramento, si aliter non crederetur, se excusaret. Datis tum induciis differtur, usque dum imperator cum comprovincialibus episcopis hoc discutere valuisset. Postea cesar, auditis mirabilibus, quæ per dilectum sibi martyrem Deus fecit Æthelbertum, orationis gratia eo pergere festinavit. Sed cum Ratisbonam veniret, a Gebehardo, ejusdem æcclesiæ antistite, magnifico honore susceptus est (*an.* 1000), comitantibus secum Ziazone tunc patricio (537) et Robberto oblacionario cum cardinalibus. Nullus imperator majori umquam gloria a Roma egreditur neque revertitur. Huic Gisilerus obviam pergens, gratiam ejus quamvis non firmam promeruit, et comitatur. Cesar autem ad Citicensem perveniens urbem, a secundo Hugone, ejusdem sedis provisori tercio, ut decuit imperatori, suscipitur. Deindeque recto itinere Misnensem tendens ad civitatem, a venerabili Egedo, hujus æcclesiæ episcopo, et a marchione Ekkihardo, qui apud eum inter precipuos habebatur, honorabiliter accipitur. Decursis tunc Milcini terminis, huic ad Diedesisi pagum (538) primo venienti Bolizlavus — qui major laus non merito, sed more antiquo interpretatur — parato in loco, qui Ilua (539) dicitur, suimet hospicio, (f. 66) multum hilaris occurrit. Qualiter autem cesar ab eodem tunc susciperetur, et per sua usque ad Gnesin [667] deduceretur, dictu incredibile ac ineffabile est (540). Videns a longe urbem desideratam, nudis pedibus suppliciter advenit, et ab episcopo ejusdem [668] Ungero venerabiliter susceptus, æcclesiam introducitur, et ad Christi gratiam sibi inpetrandam martyris Christi intercessio profusis lacrimis invitatur. Nec mora, fecit ibi archiepiscopatum, ut spero legitime, sine consensu tamen prefati presulis, cujus diocesi omnis hæc regio subjecta est; committens eundem predicti martyris fratri Radimo [669], eidemque subjiciens Reinbernum, Salsæ (541) Cholbergiensis æcclesiæ episcopum, Popponem Cracuaensem [670], Johannem Wrotizlaensem [671], Vungero Posnaniensi [672] excepto; factoque ibi altari, sanctas in eo honorifice condidit reliquias. Perfectis tunc omnibus, imperator a prefato duce magnis muneribus decoratur, et quod maxime sibi placuit, trecentis militibus loricatis (542). Hunc abeuntem Bolizlavus comitatu usque ad Magadaburg deducit egregio, ubi palmarum sollemnia celebre peracta sunt. Secunda feria archiepiscopus ejusdem loci imperatoris edictu priorem suscipere sedem rogatus, data internuntiis magna pecunia, inducias usque ad Quidilingeburg vix impetravit. Fit illuc magnus senatorum concursus; paschalia eciam ibi peraguntur gaudia; et habito in 2 feria sinodo, iterum (f. 66') Gisilerus vocatur. Hic infirmitate oppressus valida, a predicto excusatur Rotmanno, et in multis a Waltherdo tunc preposito defenditur. Indicitur huic concilium in Aquisgrani [673], quo ipse cum suis veniens, iterum ab archidiacono Romanæ sedis alloquitur. Qui sapienti consilio usus, generale sibi postulat dari concilium; sicque indiscussa dilata sunt hæc omnia, usque dum hæc Deus finire dignatus est nostris propicius temporibus.

29. Imperator antiquam Romanorum consuetudinem jam ex parte magna [674] deletam suis cupiens

VARIÆ LECTIONES.

[661] aethelheidis 1*a*. adhelheidis 1*c*. [662] *ita* 1*c*. innoceret 1*a*. [663] p. B. p. *add*. 1*b*. [664] aetheldis 1*a*. aethelheidis *ib*. adhelheidis 1*c*. [665] *add*. 1*b*. [666] papa—succedente *scripsit* 1*b*. *in spatio vacuo relicto a scriba*. [667] genesin *eraso priore* e 1. [668] Posnaniensi *add*. 2. [669] fratri qui et Gaudentius *Ann. Sax. a*. 1000. [670] *erasum est* 1. [671] uuratizlaensem 1*c*. [672] posnaniensem 1*a*. [673] aqisgrani 1. [674-674a] *add*. 1*b*.

NOTÆ.

(533) Comes Becelinus (in pago Chutizi) occurrit in charta Ottonis imp. de 991, Sept. 18. apud Höfer l. l. t. I. pag. 531.

(534) Selz in Elsatia data Adelheidi ab Ottone I. imp. 968 Novb. 16.

(535) Ann. Quedlinb., a. 999.

(536) Vide statuta hujus concilii anno 998 celebrati apud d'Achery Spicileg. t. I, p. 603.

(537) Zazzo, Romanorum patricius, laudatur in charta quadam capituli Merseburgensis ab Ottone imp. data Radesponæ a. 1000, II Kal. Februar. apud Höfer t. I, p. 157. Conf. supra c. 2, ubi Ciazo vocabatur.

(538) Pagus inter fluvios Oderam, Boberam et Katzbach.

(539) Halban sive Eilau juxta Boberam.

(540) Cf. Ann. Quedlinb., a. 1000. Vitam Meinwerci c. 11.

(541) *An* mari vicinæ? P.

(542) Videntur fuisse illi quos infra (l. VI, c. 55, VII, c. 41; l. VIII, c. 16) vocat hospites Slavice: Goscie, vox usitata non solum de mercatoribus peregrinis, sed etiam de militibus, sine stipendio servientibus, prædæ tantum spe allectis.

renovare temporibus, multa faciebat, quæ diversi diverse sentiebant. Solus ad mensam quasi semicirculus factam loco cæteris [673] eminenciori sedebat. Karoli cesaris ossa, ubi requiescerent, cum dubitaret, rupto clam pavimento, ubi ea esse putavit, fodere quousque hæc in solio inventa sunt regio, jussit. Crucem auream, quæ in collo ejus pependit, cum vestimentorum parte adhuc imputribilium sumens, cætera cum veneratione magna reposuit (543). Sed quid memorem singulos ejusdem accessus et recessus per omnes suimet episcopatus et comitatus? (Prud. *in Symm.* I, 766.) Cunctis apud Transalpinos bene dispositis, Romanum visitabat imperium, Romuleasque pervenit ad arces; ubi ab [674] apostolico cæterisque coepiscopis magnis laudibus suscipitur.

30. Post hæc (*an.* 1001) Gregorius, qui cesari valde carus erat, dolo eum capere nisus, occultas tendebat insidias. Quibus collectis et ex inproviso adversus eum jam insurgentibus, inperator de porta cum paucis evasit, maxima suorum caterva sociorum inclusa; et vulgus numquam suis contentum domiciis malum huic pro ineffabili pietate restituit (544). Deinc nuntio suimet omnes cesar sibi familiares convenire illuc rogat et precipit, demandans singulis quibusque, si umquam de honore sui vel incolumitate curarent, ad ulciscendum eum ac amplius tuendum armato ad se milite properarent. Romani autem, manifestati tunc sceleris culpa [675] erubescentes, seque invicem supra modum redarguentes, omnes inclusos emisere securos, gratiam imperatoris et pacem modis omnibus suppliciter expetentes. Quos ubicumque vel in ipsis vel in rebus suis cesar ledere potuit, verbis eorundem mendacibus diffidens, nocere non tardavit. Omnes regiones quæ Romanos et Longobardos respiciebant, suæ dominacioni [677] fideliter subditas, Roma solum, quam pre cæteris diligebat ac semper excolebat, excepta, habebat. Conveniente tum cum Heriberto, sanctæ [678] Agripinæ archiepiscopo, plurima fidelium turba, inperator lætatur; et quamvis exterius vultu semper hilari se simularet, tamen conscientiæ secreto plurima ingemiscens facinora, noctis silentio vigiliis oracionibusque intentis, lacrimarum quoque rivis abluere non (f. 67) desistit. Sepenumero omnem ebdomadam, excepta 5 feria jejunus perducens, in elemosinis valde largus exstitit. Appropinquantem ejus obitum multa pre-

A venere importuna [679]. Namque nostri duces et comites, non sine conscientia [680] episcoporum, multa contra eum conspirare nituntur [681], Heinrici ducis, postea successoris sui, ad hoc auxilium postulantes. Hic ultima patris suimet et equivoci [682] monita, qui in Gonneshem [683] obiit ac requiescit, memori servans in pectore, et sibi hactenus in cunctis fidelis, nullum his prebuit assensum. Inperator hoc statim comperiens et patienti ferens animo, in Paterna [684] urbe pustellis interiora prementibus et interdum paulatim erumpentibus infirmatur (545). Qui facie clarus ac fide precipuus, 9 Kal. Februarii (546) Romani corona imperii exivit ab hoc seculo (*an.* 1002), suis insuperabilem relinquens merorem, quia tempore eo non fuit ullus largior ac

B per omnia clemencior illo. Alfa et O (*Apoc.* I, 8) misereatur eo [685], tribuens pro parvis magna, pro temporalibus sempiterna.

31. Hii autem, qui extremis ejus intererant, hæc tam diu celebant, quoad exercitus undique tum dispersus per internuntios colligeretur. Tunc tristis turba dilecti senioris corpus comitata, magnas bellorum asperitates 7 dies continue perpessa est; nullaque securitatis certitudo ab hostibus concessa est, nisi tum dumtaxat, quando ad Bernam perveniunt civitatem. Exin cum ad (f. 68) Pollingun (547), curtem Sigifridi presulis Augustanæ venirent, ab Heinrico duce suscepti, lacrimis ejusdem vehementer iterum commoti sunt. Quos singulatim, ut se in

C dominum sibi et regem eligere voluissent, multis promissionibus hortatur; et corpus imperatoris cum apparatu imperiali, lancea dumtaxat excepta, quam Heribertus archipresul clam premittens, suam sumpsit [686] in potestatem. Archiepiscopus autem custodia parumper detentus, relicto ibi pro vadimonio suimet fratre, cum licentia abiit, ac sacram mox lanceam remisit. Is cum omnibus, qui huc inperatoris funus sequebantur, excepto antistite Sigifrido, duci tunc non consenciebat, neque omnino [687] denegabat, sed quo [688] melior et major populi tocius pars se inclinaret, libenter assensurum pronunciabat. Dux vero cum his Augustanam attingens urbem, dilecti senioris intestina duabus lagunculis prius diligenter reposita, in oratorio sancti presulis

D Othelrici, quod in honorem ejus Liudulfus, ejusdem æcclesiæ episcopus, construxit, in australi parte monasterii sanctæ martyris Afræ sepulturæ honorabili tradidit, et ob animæ remedium suæ 100 [689]

VARIÆ LECTIONES.

[673] cætæris *corr.* ceteris 1. [674] *Vid. var. lect.* [675]. [676] culpa se 1*a*. culpam *A S.* a. 1001. [677] *ita* 1*c*. domanacihoni 1*a*. [678] sedis *add.* 1*c*. [679] importunia 1*a*. [680] *ita* 1*c*. conscientia 1*a*. [681] nituntur 1*a*. [682] equoci 1. [683] Gandensheim 1*c*. [684] paterno *fortasse ipse scriba corr.* paternam 1. [685] ei 1*c*. [686] supsit 1*c*. [687] non *inserit* 2. consentiebant n. o. denegabant 1*a*. [688] qui 1*a*. [689 695] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(543) Conf. Ann. Hildesheim., a. 1000.

(544) Conf. omnino Balderici Chron. Camer. I. 1, c. 114. Vitam Bernwardi, c. 23, sq.

(545) Alia narrant Landulfus sen. II, c. 18. 19. Sigebertus et Chron. reg. S. Pantaleon. Conf. Adelboldi Vitam imp. Heinrici II.

(546) Idem dies emortualis legitur in Ann. Quedlinb., a. 1002.

(547) Polling juxta fluvium Ammer, infra Weilheim.

mansos propriæ hereditatis concessit. Deindeque dimissa cum pace magna multitudine, ad civitatem suam, quæ Nova vocatur (548), corpus cesaris prosequitur. Posteaque ab equivoco suimet Heinrico, cujus sororem vivente (f. 68') inperatore [690] jam duxit, suppliciter exoratus, tandem corpus, valedicens singulis, ad loca destinata (549) dimisit.

32. Interim principes Saxoniæ, comperta senioris sui nece immatura, ad Fraşam curtem regiam, quam tunc Guncelinus comes ex parte inperatoris in beneficium tenuit, tristes conveniunt, Gisilerus archiepiscopus Magadaburgensis cum coepiscopis, Bernhardus dux, Liutharius et Ekkihardus ac Gero marchiones, cum optimatibus regni, de statu rei publice tractantes. Comes autem Liutharius ut perprimo persensit, Ekkihardum se velle exaltare super se, archiepiscopum predictum et meliorem procerum partem in secretum foras vocavit colloquium, hoc omnibus dans consilium, ut juramento firmarent, se nullum sibi dominum vel regem communiter vel singulariter electuros ante constitutum in Werlo colloquium. Quod ab omnibus laudatum, excepto Ekkihardo, et collaudatum est. Hic se paululum a regni fastigio dilatum graviter ferens erupit: *O Liuthari comes*, inquiens [691], *quid* [692] *adversaris?* Et ille: *Num*, inquid, *currui* [693] *tuo quartam deesse non sentis rotam?* (550) Sic [694] interrupta est electio, et fit vera antiquorum[695a] relacio, quod unius noctis intermissio fiat unius anni dilacio, et illa usque in finem vitæ hujus prolongacio. Tempore predicti cesaris monasterium in Hilleslevo [695] a Sclavis combustum est (*an.* 1002), eductis sanctimonialibus; et eodem die multi ex nostris sunt interfecti [696].

33. (f. 69) Equidem ab incepto multum devians, tandem revertar, exequias inperatoris succincte [697] perstringens. Cujus corpus cum ad Coloniam veniret, primo susceptum est ab archiepiscopo ejusdem civitatis Heriberto. Ad monasterium sancti Severini post palmas 2 feria, ad sanctum Pantaleonem [698] 3 defertur feria, ad sanctum Gereonem 4 die. In cena Domini ad sanctum Petrum portatur, ubi penitentibus more æcclesiastico introductis et indulgentia resolutis, animæ presentis corporis ab archipresule remissio datur, a consacerdotibus autem [699] memoria exposcitur, lacrimabiliter autem a populo supplici impenditur. 6 feria illucescente [700] funus elevatum, ad Aquasgrani sancto perducitur in sabbato; die vero dominica in æcclesia sanctæ Mariæ semper virginis in medio sepelitur choro. Inpensa ab eo cunctis pietas obnixe oraciones fletusque suasit perducere concrepantes. Dominicæ resurrectionis festa, angelorum ac hominum gaudia communiter gratulabunda, propter fragilitatem [701] convenientium non valuerunt digna veneracione compleri, quia peccatis hoc promerentibus suis agnoverunt pariter vindictam Dei. Acquirat animæ istius veniam cum lacrimis, quicumque sit professione fidelis [702] Deo, quod is [699] nostram renovare studuit æcclesiam conatu mentis summo. Percipiat in terra viventium semper adoptatam (f. 69') communionem piorum cum bonis Domini indefectivis, qui semper [699] studuit misereri miseris.

34. Maxima pars procerum, qui hiis interfuerunt exequiis, Herimanno duci (551) auxilium promittunt ad regnum acquirendum et tuendum, Heinricum mencientes ad hoc non esse idoneum propter multas causarum qualitates. Longabardi autem, audito [703] imperatoris discessu, de futuris nil solliciti, neque de dignis penitentiæ fructibus cupidi, Hardwigum (552) sibi in regem elegerunt, destruendi pocius gnarum artis quam regendi, ut in divino judicio ipsis past claruit hujus rei auctoribus. Sed hæc posterius exponenda [704] relinquens, ab eo incipiam scribere, qui pietate divina et virtute sua omnes [705] adversum se umquam erigentes humiliavit, et cervice flexa sibi honorem inpendere coegit. Et hic quintus in ordine, secundus in nomine, notet quinti [706] titulum libri.

35. Et [707] quia omne, quod in hujus planicie operis asscribendum est, ordinatim ponere nequeo, in consequentibus sensim recolligere equidem non erubesco. Iterantis [708] enim varia vicissitudine fruor, qui rectæ semitis [709] ductum nunc ob asperitatem, interdum autem propter ignorantiam flexuosa callium varietate mutat. Unde Miseconis, Polenorum inclitu ducis et in superioribus libris ex magna parte signati, residuum explico (f. 70.) factum. Hic a Boemia regione nobilem sibi uxorem senioris Bolizlavi duxerat sororem, quæ sicut sonuit in nomine, apparuit veraciter in re. Dobrawa enim Sclavonice dicebatur, quod Teutonico sermone Bona

VARIÆ LECTIONES.

[690] inperatorem 1*a*. [691] *add.* 1*b*. *sed post erasum.* [692] qd 1. [693] *ita* 1*c*, curru 1*a*. [694] *Vid var. lect.* [689]. [695a] *ita* 1*c*. anquorum 1*a*. [695] hillileuo 1*a*. [696] et illa — interfecti *scripsit* 1*b*. *in fine paginæ*. [697] succinte 1. [698] albanum 1*a*. [699] *add.* 1*b*. [700] illusessente 1*a*. [701] *ita* 1*c*. fragitatem 1*a*. [702] *ita* 1*b*. coram 1*a*. [703] audita 1*a*. [704] exponendo 1*a*. [705] *add.* se 1*c*. [706] quarti 1*a*. [707] *alio manu pergit* 1. *In* 2 *vero sequentia ita leguntur:* Prologus libri. Quia omnia — residua gesta explicabo (*ita*). Libellus interpositus de quibusdam pretermissis. Miseco dux inclitus a Boemia regione, *etc.* [708] itineranlis 1*c*. [709] semite 1*c*.

NOTÆ.

(548) Neuburg juxta Danubium.

(549) Sc. Aquisgrani. V. Adelboldum et Ann. Quedlinb.

(550) Nobilitatem generis et propinquam cognationem cum regia gente videtur per quartam rotam intelligere. Hæc saltim prærogativa erat Heinrici, de qua Adelboldus cap. 1. KIND.

(551) Dux Alamanniæ, Udonis ducis 982 in Italia occisi filius.

(552) Arduinus, marchio Yvreæ et comes palatinus in Langobardia.

interpretatur. Namque hæc Christo fidelis dum conjugem suum vario gentilitatis errore implicitum esse perspiceret, sedula revolvit angustæ mentis deliberacione, qualiter hunc sibi sociaret in fide [710], omnimodis placare contendit, non propter triformem mundi hujus nocivi appetitum, quin pocius propter futuræ mercedis laudabilem ac universis fidelibus nimis desiderabilem fructum. Hæc sponte sua fecit ad tempus male, ut postea diu operari valuisset bene. Namque in Quadragesima, quæ conjunctionem [711] predictam proxima sequebatur, cum a se abstinentia carnis et afflictione corporis sui decimacionem Deo acceptam offerre conaretur, dulci promissione a viro suimet propositum frangere rogatur. Illa autem ea racione consensit, ut alia vice ab eodem exaudiri facilius potuisset. Quidam dicunt, eam in una carnem manducasse quadragesima, alii vero tres. Audisti [712] nunc, lector, delictum ejus; modo (f. 70') consi!era fructum eligantem piæ voluntatis illius. Laboravit enim pro conversione conjugis sui, ac exaudita est a benignitate Conditoris sui, cujus infinita bonitate persecutor suimet studiosus rexipuit, dum crebro dilectæ uxoris ortatu innatæ infidelitatis toxicum evomuit, et in sacro baptismate nevam originalem detersit. Et protinus caput suum et seniorem dilectum membra populi hactenus debilia subsequuntur [713], et nupciali veste recepta, inter cæteros Christi adoptivos [714] numerantur. Jordan, primus eorum antistes, multum cum eis sudavit, dum eos ad supernæ cultum vineæ sedulus verbo et opere invitavit. Tunc congratulantur legitime [715] conjugati, predictus mas et nobilis femina, illisque subdita omnis familia gaudet se in Christo nupsisse [716]. Post hæc peperit bona mater filium longe sibi degenerem et multarum perniciem genitricum, quem fratris sui nomine Bolizlavi [717] appellavit, hunc inquam, qui in eadem primo latentem maliciam aperuit, deindeque in viscera sevit, ut in sequentibus a me manifestum fit.

36. Sed cum mater ejusdem obiret (553), pater ejus unam sanctimonialem de monasterio quod Calva dicitur, Thiedrici marchionis filiam, absque canonica auctoritate duxit. Oda fuit nomen ejus, et magna erat presumptio illius. Spreverat enim sponsum cœlestem, preponens ei virum (f. 71) militarem, quod cunctis æcclesiæ rectoribus et maxime antistiti suimet venerabili Hilliwardo displicuit (554). Sed propter salutem patriæ et corroboracionem pacis necessariæ non venit hoc ad discidium, sed reconciliacionis continuæ remedium salubre (555). Namque ab ea Christi servitus omnis augebatur, captivorum multitudo ad patriam reducitur, vinctis catena solvitur, reisque carcer aperitur; et ut, spero, ei magnitudo perpetrati facinoris a Deo remittitur, cum in ea tantæ pietatis dilectio cognoscitur. Legimus autem quod is frustra Dominum [718] placare studeat, qui inceptæ propositum nequiciæ omnino prorsus non abjiciat. Hæc genuit viro suimet tres filios, Miseconem, Suentepulcum et .....[719] (556), cum magno honore ibi degens usque ad finem viri, accepta cum quibus fuit et prolicua de quibus venit.

37. Sed[720] anno Dominicæ incarnationis 999[721] (557), regni autem tercii Ottonis 10 et 8 Kalendas Junii [722] prefatus dux jam senex et febricitans ab exilio hoc ad patriam [723] transit (558), relinquens regnum suimet plurimis dividendum, quod postea filius ejusdem Bolizlavus (559), noverca et fratribus [724] expulsa, excecatisque familiaribus suis Odilieno atque Pribuvojo, vulpina calliditate contraxit in unum. Hic ut tantum solus dominaretur, jus ac omne fas postposuit. Duxit hic Rigdagi [725] marchionis filiam, postmodum dimittens eam (f. 71'); et tunc ab Ungaria sumpsit uxorem, de qua habuit filium Besprim, nomine, similiter expellens eam. Tertia fuit Emnildis [726], edita a venerabili seniore Dombremiro, quæ Christo fidelis ad omne bonum instabilem conjugis sui mentem declinavit, et [727] immensa eleemosinarum largitate et abstinentia utriusque [728] maculas abluere non desistit. Peperit hæc duos filios, Miseconem et alium, quem dilecti senioris sui nomine pater vocavit; filias quoque tres, quarum una est abbatissa, secunda (560) nupsit Hirimanno comiti (561), tercia filio regis Wlodemiri, sicut dicturus sum.

38. Inperatoris autem predicti gratia et hortatu gener Heinrici, ducis Bawariorum, Waic [729] (562), in regno suimet episcopales cathedras faciens, coronam et benediccionem accepit. Nec sileo quoddam miraculum temporibus prefati cesaris Romæ cœlitus exortum. Nam cum ducis Herimanni milites monachorum sancti Pauli prata vi sua comprehenderent,

VARIÆ LECTIONES.

[710] et *add.* 1*c*. [711] conjunctionem 1*c*. [712] Audistis 1*a*. [713] subsequntur 1. [714] adoptiunos 1*a*. [715] legime 1. [716] nubsisse 1. [717] bolizlaum 1*c*. [718] domini 1. Deum *A. S. a* 986. [719] *In cod.* 1. *sicut et apud A. S. l. l. spatium relictum, quod in priore manus seculi XVII nomine* Bolizlauum *supplevit.* [720] *add.* 1*b*. [721] DCCCXCII°. 1. [722] X — Junii *add.* 1*b*. [723] cœlestem *add.* 2. *A. S.* [724] tribus *add.* 2. *A. S.* [725] *ita* 1*b*. ricdagi 1*a*. [726] erminildis 2. *A. S.* [727] et et 1. [728] utrisque 1*a*.

NOTÆ.

(553) Obiit Dobrawa anno 977, testante annalista Saxone ad a. 986.

(554) Ad hæc referenda videntur, quæ Thietmarus l. III, c. 10 jam tradidit.

(555) Conf. Annal. Hildesh., a. 985, 986.

(556) Tertius hic Dobrawæ filius videtur fuisse Wolodowei ille, de quo noster agit l. v.

(557) Annum 992 e iam habent Ann. Hildeshem.

(558) Necrol. Fuld., a. 992. *Misicho marchio [romes et secularis.]*

(559) Boleslaus I, dux Polonorum, dictus Chrabry, i. e. fortis.

(560) Regilindis. In Necrolog. Naumburg. dicitur Relingindis; cf. Eccardi Hist. principum Saxon. superior., col. 166. KIND.

(561) Filius fuit Eckardi, marchionis Misniæ.

(562) *Rex Pannoniæ* add. ann. Sax., a. 1099.

suppliciter ab hiis sepe rogati discedere noluerunt. Et continuo nubes variæ ascendunt, fulmina micant, terrorem dominicum monstrantes; tonitrus terribilis protinus subsequitur, ac ex eorum numero optimos quatuor occidens, cæterosque fugans, pauperes Christi in hoc [728] mundo non esse contemptibiles ostendit. Protector enim est talium misericors (f. 72) Deus, et hos honorantes [729] ac in necessitate sua exaudientes, digna retribucione provehit, eorumque persecutores aut hic, quod levius habetur, aut in futuro, quod est gravius, punit. Cesaris ejusdem soror, Mahtild nomine, Herimanni comitis palatini filio Ezoni [730] nupsit. Et hoc multis displicuit; sed quia id non valuit emendare legaliter, sustulit hoc unicus frater illius pacienter, dans ei quam plurima, ne vilesceret innata sibi a parentibus summis gloria (563). In temporibus suis Conradus, Suevorum ductor egregius (564), ac ejusdem frater Heribertus comes, necnon Hodo inclitus marchio (565), pro dolor! morte momentanea depressi [731] sunt. Sigifridus autem, predicti marchionis filius, in Nova urbe (566), ubi pater suus requiescit, inter monachos diu in eodem habitu conversatus, cucullam projecit, laicalem suscipiens vestem. Qui ab Ekkihardo abbate suo et Gisilero archipresule vocatus ad sinodum, Parthenopolim [732] venit, et quamvis invitus, pristino habitu indutus, judiciali sententia, duodecimus ipse, sacramentis exsolvit, exemplo unius, qui Romæ simili sententia se in conspectu prefati inperatoris purgavit. Patres eorum spirituales plenum super se testimonium habuere; sed judicibus, ut vereor, corruptis, absque omni suimet culpa eosdem perdidere.

39. Memorare (f. 72') etiam mihi libet Franconis episcopi Wormacensis brevem vitam, qui juvenis ac omni probitate cluens cesari augusto placuit; et cum eundem suæ conjunctum familiaritati in divinis pollere sedulo vidisset, mortuo predictæ civitatis antistite Hillibaldo (567), eidem succedere fecit. Qui unum dumtaxat annum sedens, in Italia obiit, ibidem sepultus (568). Vellem libentissime, si umquam fieri potuisset, ut optimorum quorumlibet memoria per inutilium opera meimet manuum presentibus ac posteris quadam novitate accepta floruisset; ut hii omnes, etsi hoc non delectati, pro pietate tamen sua apud Deum omnipotentem recordentur [733] mei. Agnosco [734] enim memet ipsum, et minus quam debeo ac in baculi fragilitate harundinei [735] nil prorsus confidens, justis suffragatoribus me peccatorem supplex committo. Voluit quoque imperator capellanos suimet Herponem de Halverstidi ac Raconem de Bremun episcopali gradu sublimare; et hiis in lecto ob infirmitatem validam jacentibus, pastoralem baculum dedit; sed uterque sine sacerdotali unccione discesсit. Quid vero de hoc dicere possim, ignoro, cum numquam de talibus aliquid legi vel etiam audivi. Cognitor omnium Deus hæc solus ordinavit et scire potest.

40. (f. 73) Hii duo, quamvis pii, tamen inter episcopos non debent asscribi, quia in benedictione hiis consortes non valuerunt effici. Razo autem jussu dilecti senioris sui ossa supra dicti papæ Benedicti, sicut ipse prelocutus est, de Hammaburg Romam reduxit. Namque pater venerabilis, domnus inquam apostolicus, dum in exilio esset, in Christi servitio studiosus, cumque adhuc aquilonaris hæc pars optata pace gauderet: *Hic*, inquit, *fragile corpus meum debet resolvi; et post hæc omnis ista regio gentili gladio desolanda ferisque inhabitanda relinquitur, et ante translationem meam non videbit* [736] *indigena pacem firmam. Quandocumque vero domi resideo, apostolica intercessione paganos quiescere spero.*

41. In tempore prefati cesaris multi obiere pii, quorum vitam ignoro, ac propterea de hiis sileo. De quorum numero quædam cometissa, nomine Christiana [737], predii suimet, quod in Stuwi [738] (569) civitate habuit, magnam partem sancto tradidit Mauricio in Magadaburg. Hæc vitæ hujus celerem cursum cum in Christo vivens pertransiret, 8 Idus Marcii ad diu optati thalamum sponsi gaudens venit; quod Gisilero archipresuli [739] tunc [740] Parthenopolitano (f. 73') in Quidilingeburg tunc moranti sic manifestatum est. Apparuit ei quidam vir, dicens ei: *Scisne, quod omnis milicia cælestis exercitus se preparat ad adventum Christo fidelis animæ ac ad condignam susceptionem talis sponsæ? Jam enim venit ad remuneracionem atque ad æternæ mansionis beatam spem.* Qui cum evigilaret, Waltherdo tunc prepositо primitus innotuit; et cum is venerabilem matronam

VARIÆ LECTIONES.

[728] *add. 1b.* [729] honerantes 1*a*. [730] ezone 1*a*. [731] *ita* 1*c*. depresi 1*a*. [732] parthepolim 1. [733] recordarentur 1*a*. [734] Agnosco — potest *alia manu scripta*. [735] harundei 1. [736] n. v. *add. 1b*. [737] *ita* 1*b*? (cristina 1*a*. *nunc rasura corr.* cristina) *Ann. Sax.* [738] stuui 1*a*. [739] archipresule 1*a*. [740] *add. 1b*.

NOTÆ.

(563) De his confer monachum Brunwillarensem apud Leibnit. SS. rer. Brunsvic. t. I, p. 513. sq.

(564) Obiit anno 997; v. Hermann. Contract. Necrol. Fuld. Et quidem Decb. 15, v. Necrol. Merseb.

(565) Obiit anno 995, Mart. 15, teste Necrol. Luneburg. Conf. Leutsch Markgraf Gero, p. 155 et passim.

(566) Munchen-Nienburg in ducatu Anhaltino.

(567) Obiit a. 998, Aug. 4. V. Necrol. Fuld. et Merseb., Aug. 3; Necrol. Luneb.

(568) Obiit a. 999, August. 28, teste Necrol. Fuld.

(569) Stœben, villa Thuringica non procul a Camburgo ad Salam. Uus.

ex hac luce eadem nocte, qua hæc visa sunt, migrasse mox audiret, seniori refert, et visionem suam dixit esse completam. Hæc bona quæque conscientiæ tegens [741] secreto suæ, fuit cæteris matronibus [742], quæ apud modernos [743] sunt, longe dissimilis, quarum magna pars membratim injuste circumcincta, quod venale habet in se, cunctis [744] amatoribus ostendit aperte. Cumque sit in hiis abhominatio Dei et dedecus seculi, absque omni pudore coram procedit speculum tocius populi [745]. Turpe est ac nimis miserabile (cf. Pers. I, 3.), quod peccator unusquisque non vult delitescere [746], sed ad irrisionem bonis et ad exemplum malis presumit procedere.

42. In diebus illis nupsit Mahtild sanctimonialis, filia Thiederici [747] marchionis, cuidam Sclawo nomine Prebizlavo. Quæ post [748] a Brennebrugensis [749] injusto provisore (f. 74) civitatis Bolibuto [750]. (570) capta, in tantum constricta est, ut neque Dominicam nativitatem, nec aliam sollempnitatem vel jejunio congruenti prevenire vel festivis celebrare gaudiis potuisset. Ubi quendam puerum genuit, quem lugubriter educavit, posteaque tantæ solutionem miseriæ et abbaciam in Magadaburg [751] (571) indigna percepit. Cujus vir antea [752] a confratribus geminis Ugione ac Ufficone 5 Kalendas Januarii occubuit (572). Hujus frater, Liudulfus nomine, deposito clericatu arma sumens ultricia, multum nocuit nostris, captus autem a cesare, iterum restitutus est gradui pristino.

43. In temporibus predicti cæsaris fuit in urbe Parthenopolitana quidam decanus, Hepo nomine, hilaris homo et valde utilis in monasterio, et maxime in choro. Qui cum jam senex et in cunctis actibus suis maturus esset, paralisi subito percussus obmutuit; sed summi auxilio medici psalmos optime potuit cum confratribus canere; ad cætera vero parum valuit aspirare. Et in hac mirabili re laudanda virtus Christi cognoscitur, quæ servienti [753] sibi fideliter vires suggerere in multis approbatur. Sed cum venerabilis pater, in relicto habitu monachico se nimis peccasse, facta confessione tunc [754] ingemuisset, (f. 74') idque ortatu fratrum in receptione ejusdem emendare voluisset, non longe post Nonas Januarii obiit, sepultus ad sanctum [755] Johannem cum cæteris confratribus, cum quibus vivere debe- A ret, si sic humana fragilitate fieri posset. Predictæ autem custos ecclesiæ Ekkihardus cognomine Rufus, arte grammaticus et tunc magister scholæ, cum in una dierum altare magnum et aureum gemmisque optimoque ornatum electro, si aliquid in eo deesset, considerare voluisset, ex inproviso ab eodem deprimitur; et ex hac collisione tardatus, pecuniam suimet diu congregatam, larga manu distribuendam Waltherdo commisit preposito, et post paucos dies 2 Nonas Septembris spiritum fidelem exalavit (573). Quem non in aliqua re accuso; sed hoc veraciter scio, quod si quis sanctum offendit Mauricium, dampni subsequentis non ignoret periculum. Hujus [756] thesaurum quidam juvenis instinctu diabolico cum nocte tenebrosa furari voluisset, in primoque B aditu trepidare incipiens desistere jam studuisset, ut ipse post retulit, vocem quandam ad hæc audaeter [757] agenda exortantem audivit. Sed ille miser sumpta ibidem corona, celeriter in ipsa est captus [758], fractisque cruribus rotæ superpositus.

44. (f. 75) Nec lateat te lectorem cujusdam fratris mei constantia Huswardi; ad quem juxta me tunc [759] dormientem cum diabolus, insidiator noster callidus, in nocte crebro accederet, ac prope eum jacendi locum frustra peteret, ad ultimum, ut sibi pro accipienda mercede voluisset servire, suppliciter rogavit. At ille pius votique non inmemor dominici, ut promissum sibi premium inprimis ostenderet posteaque responsum suimet perciperet, postulavit. C Tunc is: *Consimili*, infit, *bravio* (574), *quo meum in occidente nuper ditavi ministrum, te mihi consensurum remunerabo.* Auditis talibus alloquiis, presbiter hic venerandus, ut sepe antea consueverat, signo sanctæ crucis et increpacionibus asperis hunc effugavit; cumque in occiduis partibus quendam clericum ob criminis sui magnitudinem laqueo suspensum esse comperiret, nobis omnibus et antecedens ac [760] consequens intimavit. Et mirum est, cum omni dominica die ad dormitorium illud [760] Christi crux vera portaretur, ille malignus talia facere est ausus. (f. 75') In illo itaque anno predictus frater, victor ut spero effectus, ac de commissis penitentia ductus, 7 Kalendas Martii seculare periculum evasit. Quem agonizantem mater sua, Berhta nomine, jam [760] de- D crepita consolatur, geminum patienter ferens dolorem. Namque tunc erat annua dies filii suimet Bevo-

VARIÆ LECTIONES.

[741] legens 2. [742] matronis 1*c*. [743] modernas 1*a*. [744] inhonesta circumcincta turpitudinemque suam quasi eam venalem habeat cunctis 2. [745] procedit et unde verecundari deberet, irreverenter in spectaculum totius populi ponit 2. [746] *ita* 1*c*. delitiscere 1*a*. [747] *primum* e *erasum*. [748] Q. p. *add.* 1*b*. [749] brandeburgensis 1*c*. [750] bolinuto *corr.* bolibuto 1. [751] e. a. i. M. *add.* 1*b*. [752] *ita* 1*b*. post hec 1*a*. [753] servientibus 1*a*. [754] *add.* 1*b*. [755] sanctam 1*a*. [756] Hujus — superpositus *manu alia inscripta sunt.* [757] *ita* 1*b*. fiducialiter 1*a*. [758] ecclesia *add.* A. S. a. 999. [759] me t. *add.* 1*b*. [760] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(570) Cf. supra IV, 15.

(571) Abbatia S. Laurentii in nova urbe Magdeburg, cui antea Brigida, libro primo memorata, præfuerat. Kind.

(572) In Necrologio Luneburg. est: III. Kalend. Januarii *Prebeszlaus frater noster.* Cum gener esset Dieterici, marchionis septentrionalis, Billingorum affinis censendus est. Wed.

(573) V. Kalend. Merseburg.

(574) *I. c.* brabeo, præmio.

nis, optimi militis, cui prius oculos abstulit marchio Ekkihardus (575).

45. Nec taceam Merquardi visionem confratris nostri. Hic, ut ipse mihi gemens retulit, ductus est in cimiterium commune, ubi sepulcrum nimis incensum vidit, et a ductore suo sic allocutus est : *In hanc ardentem tu debes cito projici foveam; et Rodulfus te sequi deberet, ni modo in limine Ludgeri* [761] *conversus staret.* Ambo enim hii fuerant monachi in monasterio confessoris predicti, qui locum hunc, Helmanstidi vocatum [761a], proprietate [762] sua construxit tempore Karoli imperatoris magni, frater Hildigrimi, Cathelavensis episcopi sanctæque Halverstedensis æcclesiæ rectoris primi, quam tenuit 47 [763] annos,[764] discedens ab hoc seculo, regnante tunc Ludovico imperatore pio, Dominicæ incarnationis 827 anno. Liuderus [765], autem primus Mirmingerdevordensis æclesiæ pastor a Carolo cesare effectus est, (f. 76) et optime ordinata suimet parrochia et loco Wirdunun ex propriis constructo impensis, anno dominicæ [766] 808 præmium cœleste recepit (576). Post quem predictus imperator [766] nil nisi quinos vixerat annos, emittens spiritum 5 Kalendas Februarii [767] (577), 71 etatis suæ anno, regni autem 47, imperii vero 14. Predictus autem presbiter in [768] hoc anno, quo hæc vidit, habitum resumere pristinum et obedientiam vovit, et non longe post 18 Kalendas Mai obiit. Hæc quæ de confratribus meis dixit [769] non arguendo, set potius, ut cauti simus et bonos imitaturi, obsecrando locutus sum.

46. Regnante tertio Ottone, Albi (578), filius Guncelim [770], a satellite suo in quadam silva obinutilem causam occisus est. Cujus comitatum cum beneficio juxta Mildam jacenti Gisilerus archipresul accepit. Hujus camerarius et confrater meus Gunterus [771], mortuo Dodone Asanbrunensis [772] æcclesiæ episcopo (579), carus imperatori et sepe fideliter serviens, Italiam venit. Cumque ibidem clementer susciperetur et in omnibus exaudiretur, in sequenti nocte vidit Christi martires Crispinum atque Crispinianum ad se venientes, et si suum vellet accipere episcopatum interrogantes [780]. Quibus cum responderet (f. 76') : *Deus vult et vobis placet*, perfixus est ab hiis duabus hastis; et mox [768] evigilans, nullatenus per semet ipsum potuit exurgere. Crastino autem cæsar ut ejus infirmitatem comperit, fidele promissum [773] complevit. Post hæc idem convalescens domum rediit, acceptaque consecratione, cum magno dolore vixit pene 4 annos, 8 Kalendas Decembris hæc mutans temporalia in æternaliter manentia. Nescio, si quid [774] Deo vel sanctis martyribus suis in eo displicebat. Hoc vidi et de cæteris audivi quod vir justus et bene timoratus fuit, mitis et castus, et sicut hii, cum quibus modo requiescit, asserunt, plurimum nunc valere apud Deum, ut signis probatur in multis. Ego hoc veraciter scio quod reum non bis vindicat Deus in id ipsum.

47. Predictorum [775] vero reverenciam martirum, in libris antiquioribus satis lucentem, lector, ut a me cognoscas, unam rem profero quam frater meus Brun, in nova educatus Corbeia et ejusdem altaris servus, de priorum relatu suorum mihi indicavit. Tempore predicti abbatis Liudulfi (580), in omnibus bonis admodum memorandi, erat quidam juvenis confrater suus et regularis monachus; qui cum in sibi commisso tunc moratus officio supranominatorum reliquias martirum solito more secum (f. 77) veheret, incurioseque tractaret, persensit in pœna celeriter subsequenti, quod peccavit in martires Christi. Namque moritur carnaliter, qui sanctis Dei servire neglexit spiritualiter. Et [776] ut hoc predicto abbati innotesceret [777] ante januas æcclesiæ exeunti illo [778] nocte obviaverunt. Quos ut primum aspexit, timore magno perculsus substitit silentiumque servavit. Cui protinus talia dicunt : *Cur non interrogas, pater, qui simus, vel ob quam rem huc venissemus ?* Qui cum retulisset eis, quod non auderet, audivit mox ab illis nomen eorum et causam, et quod hoc inultum non relinqueretur. Discedentibus autem hiis, abbas confratribus suis hæc indicavit, dicens : *Mortuus est ille juvenis, qui in nostra nunc erat obedientia, de incustodita* [779] *sanctorum, quos secum habuit, reverentia. Heu mihi, talia umquam consentienti !* Et non longe post venit nuncius, qui hæc vera esse affirmaret et corpus ejusdem [780] adduci intimaret. Venerabilis autem vir nec huic obviam exire [781] voluit, nec fratres more solito illud suscipere sinit; sed iratus ad truncum [782] talia fatur : *Quare tu, proterve, eos, qui cum unigenito Dei vivi filio cum honore* (f. 77') *habentur magno, neglegenter tecum ducere vel post tale facinus huc ausus es absque supplici interventu ullatenus venire?* Decanus autem defunctum fratrem pro possibilitate sua excusans, tale a patre suo responsum accepit : *Mi frater amate, scis quæ servus ad oculum in tuo*

VARIÆ LECTIONES.

[761] Inderi 1 *a*. [761a] *add.* 1*b*. [762] *ita* 1*b*. *A. S.* pietate 1*a*. [763] XL et VI 1. [764] Liudigerus 1*c*. [765] *supple :* incarnationis. [766] Karolus sanctus *add.* 1*c*. [767] i. octava Agnetis *add.* 1*c*; *et in margine :* Translatio sancti Karoli est VI Kal. Augusti. [768] *ita* 1*b*? *alia vocabulo eraso*. [769] dix 1*a*. [770] guncelino ab 1*a*. [771] i *erasum* 1. [772] asanbruniensis 1*a*. [773] promisum 1. [774] qd 1. [775] Predictorum — more secum 1*b*. *scripsit*. [776] ipsi martyres sancti *add.* 2. *A. S.* [777] et notescerent 1*a*. [778] illi 1*c*. [779] inta 1*a quod correxit* 1*b superscripto* custodi. *Hinc* 1*c*. *effecit :* de neglecta custodia s. q. s. h. et r. *A. S. a.* 990. *habet :* ob incustoditam s. q. s. h. reverentiam. [780] *add.* 1*b*. [781] exhire 1*a*. [782] tractum 1*a*. truncum corporis 2. *A. S. l. l.*

NOTÆ.

(575) Conf. Ann. Quedl., a. 780 et 827.
(576) Ann. Quedlinb., a. 809.
(577) Ex Ann. Quedlinb., anno 814.
(578) Fortasse Alwi dictus in Necrol. Merseb., Decembr. 17.
(579) Obiit anno, 996, April. 12.
(580) V. supra n, 12.

conspectu is egerit; quid vero absentialiter fecerit, A ignoras; ego autem optime perpendo [783] *qui hunc in tormentis gravibus nunc intellego. Et modo nostrorum intercessionem patronorum supplex peto, ut per hos divina pietas mihi innotescat, quando ei a se laxato mihi liceat peccatori absolutionem facere et communionem dare. Asperum nimis est eculeo* [784] *recalcitare, et hominibus indecens, irata majestate indulgentiam exhibere.* Post hanc vocem pius abba ad oratorium, speciale suimet in rebus anxiis asilum, nudis pedibus venit, et more solito in se et aliis humanam fragilitatem deflens, placavit Deum, et solvit reum; et protinus cum multis gratiarum accionibus exsurgens, divina potestate coram fratribus cunctis defuncto crimen remisit, et corpori æclesiæ communionem ac sepulturæ dedit.

48. Nunc, lector, audisti de contemptu sanctorum gravem pœnam; modo accipies de amore continuo salubrem medicinam. Fuit olim sub tempore Godescalki [785] abbatis (581) quidam monachus nomine Alvricus, cui in capite suo [785a] multum nocuit migranea, quæ duplex est, aut ex gutta, aut ex vermibus [786]. Sed cum eundem jam pœne deficientem confratres custodirent, casu accidit, ut singulariter egredientes hunc dumtaxat solum relinquerent. Tunc e cloaca egressi sunt demones, libros speciales in manibus habentes, eorumque [787] lectione gravi infirmum de suis actionibus inscriptis in vanum terrentes. Namque inclitus Christi martir Vitus ilico ingressus, eisdem [788] fugam manu indixit, et juxta eum stans consolatur eum, et quis esset protinus ei intimavit, ac data benedictione, surgere eum jussit et hæc mandata predicto abbati celeriter deferre: *Videsis* [789] *ut tot ammoniciones nostras sic incuriose non accipias, ne in posterum vacua lamentacione gemas. Pro vero enim assero tibi, si amplius inobediens mihi eris, a Deo contempneris, et te* [790] *adhuc superstite alium in tua sede dominum videbis.* Hæc ut puer [791] sanctus per monachum egrotantem prenotavit, abbas neglegens [792] postea persensit. Inde bonorum crebros hortatus hominum servare, consilium nimis est salubre; quanto magis horum, qui merito suimet inter filios Dei feliciter (f. 78') computati voluntatem D

ejus sciunt in eventu [793] futurorum. Quicumque temerarius sapienti non innititur consilio, videbit quis [794] sit in semet ipso. De talibus plurima habemus exempla, quæ imitatores suos ad elaboratum perducunt bravium, cum veniunt ultima.

49. Augusto sepe memorato Gisilerus archipresul multum carus fuit, quod Ekkihardum marchionem primo latenter momordit, posteaque paululum emersit, cum hunc in omnibus sibi priorem esse non sine gravi dolore persensit. Interim predicti comitis [795] subditi quoddam furtum in oppido Goresin dicto (582) fecere, quod nostri protinus inultum non reliquere. Namque eos coram suis comprovincialibus accusatos laqueo suspenderunt, quia hoc præfato seniori, ut justum erat, innotescere non noverunt. Ob hoc furor B comitis nondum extinctus accenditur [796], et miles ejusdem hæc ad vindicanda armari jubetur. Rambaldus [797] ab eo unice dilectus, collecta multitudine grandi, predictam circumdedit villam, virosque omnes cum bonis, que possederant, capiens, secum abduxit ad urbem suam. Nec ullum ex hiis solverat, nisi quem precium grave postea (f. 79) redimerat. Qualiter autem tale facinus reconciliaretur, nostros id mihi conquerentes cum interrogarem, nullam subsequi emendationem, ab hiis audivi et graviter ingemui. Si in hac provincia aliquid valeret lex divina, non sic insaniret secularis potentia [798]. Dico enim presentibus atque futuris, quod non potest hæc causa senescere, vel sine sacerdotali districcione finiri legitime. Unusquisque potest, in quantum velit, tacere, C sed successori suo indiscussam racionem nequaquam valet abalienare; et in quocumque loco [799] aliquid [800] tale oritur, ibi canonica auctoritate finitur. Si consentiret [801] voluntas coepiscoporum, sicut legitur in Actibus apostolorum, non sic corroboraretur pertinax presumpcio iniquorum. Cum aliquis ex numero illorum recte inpugnatur ab alio, quolibet cumque id fieri potest modo, defenditur [802], et non est hoc excusacio, set ad multum deteriora quædam injusta sibique in posterum nocens confortatio. Ergo redeant ad unanimitatem, qui fideliter credant in unitatem, ut eo fortius confundant venenatam perversorum conspirationem. Et hæc dicta sufficiant.

VARIÆ LECTIONES.

[783] et intime ingemisco *add.* 2. *A. S. l. l.* [784] acu'eo 2. *A. S. l. l.* [785] c. *erasum* 1. [785a] *add.* 1*b.* [786] *Sequentia ita exhibet* 2, *cum quo A. S.* a. 891 *convenit:* vermibus. Cui pro remedio ostensum est a quibusdam, ut secari in capite debuisset, quod et factum est; sed de die in diem dolor augebatur in tantum, ut jam desperaret. Sed — casu accidit ut singuli e. h. d. s. jacentem r. Tunc e cloaca vidit septem demones teterrimos procedere. Sex eorum singuli portabant in manibus sex libros, id est omnes 36. Septimus vero immense magnitudinis volumen gestabat, et sedens lectione ejus gravi, infirmum de suis actionibus, que ab infancia vel cogitando vel loquendo vel operando usque in eam horam umquam gesserat, in vanum terrebat. Preciosus namque martir Vitus, veste fulgida indutus, vultu angelico con picuus, e templo celle in qua eger jacebat, contiguo procedens ingreditur, et immunde turbe fugam manu indixit. *Idem codex post* dominum videbis *pergit:* Dixerat hec astans et mox disparuit infans. Hec autem ut preciosus martir, puer inquam Vitus, p. m. e. denunciavit, a. n. p. p. Nam ei adhuc viventi suppositus est ipsius rogatu venerabilis abbas Bovo, vir omni laude dignissimus. Hinc igitur bonorum c. h. n. [787] que *erasum* 1. [788] easdem 1*a.* [789] sis *erasum* 1. [790] *addit* 1*c.* [791] vir 1*a.* [792] negligens 1*c?* [793] *ita* 1*c.* eventu 1*a.* [794] qis 1. [795] 1*c. super hoc vocabulo scripsit:* ek. [796] acenditur 1. [797] ramboldus 1*c.?* [798] potentencia 1. [799] loca 1*a.* [800] aliquid 1. [801] sic sentiret 1. *linea super* e *imposita correxit* 1*c.* si consentiret 2. [802] descenditur 1. *corr., ut vid. ab* 1*c. cum* 2 *locum ita exhibeat:* impugnatur ab aliquo episcoporum, quocumque modo id fieri possit ab aliis condescenditur illi. et hoc non est compassio, sed, etc.

NOTÆ.

(581) Corbeiensis 890 — 913. (582) Görschen.

50. Nunc (f. 79') autem de quodam confratre [803] meo, nomine Conrado, pauca loquar, ne [804] sit apud me in aliqua oblivione, qui proximos suimet dilexit divina jussione. Hic archiepiscopi Geronis avunculus fuit, et ad peragendam jugem Christi servitutem [805], ut in homine potest fieri, voluntas atque efficacia in eo pariter convenit. Audivi namque ab eodem sepissime quod, postquam aliquid cantando vel legendo publice conplevit, iterum se id facturum studiosus optavit. Numquam inobediens prepositis suimet erat, sed eos charitate continua [806] cum ceteris confratribus subjugaverat. Sed tam venerabilis persona cæsari predicto ubi primo fit nota, mox ab illo efficitur amata propinquitatique suimet conjuncta. Hunc, ne dignitatem optatam et ab augusto sibi propositam perciperet, mors inmatura inpedit, eundemque ab hac luce [807] 5 Kalendas Septembris abstulit. Hic genitus in Saxonia, pausat in Italia, quem filium spiritualem flet Parthenopolis inclita.

51. Quam egregios proceres in hac urbe vidi, quorum laudabilem vitam pro debito nec sum imitatus, neque memoriam eorum post solutionem carnis (f. 80) assequutus. Heu me misero [808]! qui tot tantisque immerito sum conjunctus in fraternitate, sed longe dissimilis existo in condigna conversacione. Ego in peccatis jam pene mortuus, ut spero, vivam in lucido conspectu Dei eorundem meritis refocilatus, quia, etsi in hoc seculo parum boni operatus sum, tamen defunctorum semper memor sum. Voluntas mea interdum bona est; sed quia eidem vires aptas suggerere [809] non studeo, parum prodest. Semper me accuso, sed sicut debui reatum non solvo; sumque ideo in omnibus corrigibilis [810], quia me non converto ad eum qui est super omnia laudabilis. Agnosce (583), lector, procerem [811], et videbis in me parvum homuntionem, maxilla deformem leva, et latere eodem, quia hinc olim crapit semper turgescens [812] fistula. Nasus in puericia tractus ridiculum de me facit. Idque totum nil questus essem, si interius aliquid splendescerem. Nunc sum miser, nimis iracundus, et ad meliora inflexibilis, invidus, subsannans alios, ipse deridendus, nulli pro debito parcens, glutto (584) et simulator, avarus et detractor, et ut hæc (f. 80') convicia merito illata concludam, pejor sum quam possit dici vel ullatenus estimari [813]. Unicuique sit fas non solum mutire [814], quin pocius in aperto [815], qui a peccator sum, dicere, et post correptionem fraternam congruit suppliciter orare. Multi a populo laudantur, nisi pauca res eis obstaret, quod inter optimos haberentur, et quia verum est, hominibus de perfectione justa nimis deesse, quid [816] prodest de infericribus hiis tale quid [816] promulgare? Omnis laus in fine canitur, et moralis conversacio igne probatur [817].

LIBER QUINTUS [818].

(f. 81) Heinricus scandit, postquam puerilia vicit,
Ardua virtutum cretus [819] de stemmate regum.
Huic pater Heinricus dux, et genitrix erat ejus
Gisla, suis meritis æquans vestigia regis
Conradi, patris, Burgundia regna tenentis.
Nutrit preclarum Wolfgangus (585) presul a umnum,
Qui sequitur dominum toto conamine Christum.
Postque necem patris ductor successit herilis (586),
Ejus et imperium longe spectat quoque clavum (587).
Maxima pars regni, Sclavo vastata crudeli,
Multum lætatur, quod ab hujus pace potitur
Sedibus optatis justoque (588), rapacibus altis (589)
Prorsus depulsis ac dira lege sedatis.
Inflatos omnes contra se deprimit hostes,
Demulcens socios jocundo famine cunctos.
Si quo deliquit modicum, statim resipiscit,
Fructibus ac dignis curabat vulnera cardis
Utilis æcclesiæ cunctis miseratur ubique.
Mersburg, si scires hujus pia vota, sitires
Adventum tanti rectoris, et inclita Christi
Munera laudares, condignaque premia ferres.

1. (f. 81') Largifluus divinæ pietatis respectus, humanæ necessitati, non nostri merito, sed suæ miserationis munere gratuito superhabundans, fidelium corda suorum ad laudis amorem suæ et ad referendas ei grates accendit, ac me, stultum ingenio, prepeditum eloquio ac in omnibus neglegentem [820] et nimis ociosum, bonos in hoc imitari compellit. *Magnus* [821] *est enim Deus*, ut David testatur, *et laudabilis valde* (*Psal.* xcv, 4); *cujus sapienciæ numerus non invenitur ullus, qua omnia ex nihilo creavit, hominemque solum dumtaxat conformavit* (*II Mach.*

VARIÆ LECTIONES.

[803] confre 1*a*. [804] ni 1. [805] *ita* 1*c*. servitem 1*a*. [806] continuo 1*a*. [807] lucem 1. [808] miserum 1*c*. [809] *ita* 1*c*. suggere 1*a*. [810] incorrigibilis 2. [811] proceritatem 1*c*. [812] *ita* 1*c*. turgencens 1*a*. [813] *In cod.* 1. *post* simulator *erasi sunt versus pæne duo cum dimidio usque ad* estimari. *Vocabula* avarus *usque* ut hæc *non satis dispici possunt; exstant tamen in cod.* 2, *ubi ad finem legitur :* q. d. p. v. estimari. [814] mutture 1*a*. [815] *ita* 1*c*. apto 1*a*. [816] quid 1. [817] *Post* probatur *manus ipsius Thietmari hæc adjecit, quæ rasuram passa sunt omnia :* Virgo singularis inter omnes mitis. nos culpis solutos mites fac et justos. [818] Incipit prologus lib. quinti *et in fine :* Inc. lib. quintus 2. [819] *ita* 1*b*. *vel* 1*c*. natus 1*a* [820] negligentiem 1*c*? [821] Magnum 1*a*.

NOTÆ.

(583) Desumpsit e Juvenali Sat. VIII, v. 26. *Agnosco procerem*, et per ironiam ad se accommodavit. Uhs.
(584) Gluto, vox desumpta a Persii sat. v, v. 112.
(585) Episcopus Ratisponensis.
(586) In ducatu Bavariæ, sc. anno 995
(587) I. e. gubernaculum regni.
(588) I. e. justitia.
(589) Homines superbi et rapaces.

VII, 28). Qui dum talia inmemor beneficiorum [823] non perpendit, jumentum in suo stercore computrescens juste apellatur. Sed quicumque hoc verbum *gnoti seaucton* [824], in superliminaribus templi antiquitus notatum (590), intra se memoriter retinere, omniaque quæ in verbis seu operibus facienda sunt (*Coloss.* III, 17), in nomine Domini, ut sanctus ammonet Paulus, satagit inplere, ille est, qui a Patre Deo in Filium optatus, denario, quamvis tarde veniat, remuneratur diurno (*Matth.* XX, 2). Hæc ego considerans, quia retributione condigna sanctæ Trinitati et individuæ unitati respondere nullatenus valeo, sancti Johannis Baptistæ intercessionem (f. 82), ut corde et corpore ad hoc idoneus reddar, supplex efflagito. De temporibus autem hiis, in quibus respexit Deus æcclesiam nostram obprobriumque ejus auferre dignatus est, laciori mente et laciori stilo scribere pietatemque ducis Heinrici, summa preordinacione [825] in regnum electi, conor retegere. De quo post mortem imperatoris cuidam venerando patri revelacione divina sic dictum est: *Recordaris, frater, qualiter cecinit populus:* « Deo nolente voluit dux Heinricus regnare, » *nunc autem debet Heinricus divina predestinacione* [826] *regni curam providere.* Omnia, quæ ad divina vel humana pertinebant, hunc pre cæteris [826] sibi tunc contemporalibus, nolleat, vellent, ad regnum promovebant. Sed quis ex nostra regione ei obesset scrupulus, paucis jam prescribens, occidentalium iniquam presumpcionem, neque consilio neque prudentia neque fortitudine contra Deum valentem, enucleabo.

2. Herimanuus [827] (*an.* 1002), Alamanniæ et Alsaciæ dux, timoratus et humilis homo, a multis, quibus lenitas ejus placuit, seductus, contra Heinricum se armavit. Theodericus vero, Liuthariorum [828] dux, vir sapiens et militaris, quo se pars populi major et melior inclinaret, securus expectabat. (f. 82') Interim patruus meus, de quo superius memoravi (591), profectus occulte ad Bavanberg cum avunculo suo Ricberto (592), quem a comitatu suo imperator deposuit, Liudgeroque Arnulfi presulis (593) militi dedit, gratiam ducis (594) ac spem retinendi et augendi beneficii, quamvis [829] servato adhuc sacramento manus eidem non applicuit, tamen cum sui nepotis Heinrici auxilio adeptus [830]. Hujus consilio dux quendam militem ad civitatem, quæ Werlu dicitur, ad neptes suas, consorores Sophyam et Ethelheidam (595), et ad omnes, qui tunc ibi convenerunt, regni primates [831] misit. Qui omnibus in unum collectis legationem suam aperuit, auxiliantibusque domino suimet ad regnum bona plurima promisit. Cui mox a maxima multitudine vox una respondit: *Heinricum Christi adjutorio et jure hereditario regnaturum; se paratos* [832] *ad omnia, quæ sibi umquam scirent esse voluntaria.* Hocque dextris manibus elevatis affirmatur.

3. Ekkihardus cum suis, quia presens non erat, simulata tunc paciencia hoc pertulit, quia quicquid peccatur a multis, ut Scriptura testatur, inultum est. Vespere autem jam facto, cum prefatis dominis [833] in magna domu [834] sedilia (f. 83) auleis ornata et mensa esset variis cibis referta, Ekkihardus eandem preoccupans, cum Arnulfo episcopo et Bernhardo duce ibi epulatur. *Ante ruinam enim exaltabitur cor et ante gloriam humiliabitur* (*Prov.* XVIII, 4). Quod mentem consororum prius tristem, cæterosque complures, qui interfuere, multum commovit; renovaturque in eundem odium diu celatum, sed cito, pro dolor! finiturum. Namque cum predictus marchio omnia aliter, quam umquam speraret, ibi provenire prospexisset, optimum duxit, ut occidentales visendo regiones Herimannum ducem cum cæteris optimatibus de rei publice suique commoditate alloqueretur. Salutatis postera die suis familiaribus, inimicisque caute notatis, cum Bernwardo [835] antistite [836] Hildinensem [837] venit, ubi ut rex suscipitur honorificeque habetur. Deinde ad Pathelbrunnan [838] pergens, clausas invenit portas, et jussu venerabilis Retharii presulis intromissus, primo ecclesiam causa oracionis intrat, postque ad domum, ubi episcopus cenabat, veniens, caritative susceptus est. Ibi tunc interdictum [839] est huic, quod colloquium in Diusburg, cujus gratia huc venerat, fieri nullo modo potuisset. Insuper animadvertit, (f. 83') multum displicere antistiti [840] de incepto ejus inconvenienti. Et propter hoc abiens, cum ad Northeim, Sigifridi comitis curtem, veniret, diligenter susceptus est, atque ut ibi pernoctare vellet, rogatur. Intimaverat huic occulte damna Ethelind cometissa [841], quod Sigifrith et Benno, senioris suimet filii, cum confratribus Heinrico et Udone (596) aliisque conspiratoribus suis de nece sua positis tractarent insidiis, suppliciter efflagitans, ut aut ibi usque in crastinum maneret, seu alio diverteret. Talia comes benigne suscipiens proposi-

VARIÆ LECTIONES.

[823] *ita* 1*c*. beiciorum 1*a*. [824] gnotis eaucton 1. [825] divina predestinacione 1*a*. [826] d. p. *in loco vacuo* 1*b*. [826] cetæris 1. [827] i *erasum* 1. *sæpius*. [828] luith. 1*c*? [829] *ita legendum cum A. S. a.* 1002. quam 1. [830] *Supplendum cum A. S. l. l.*: est. [831] primatis 1*a*. [832] peratos 1*a*. [833] *ita* 1. 2. dominabus s. et e. 1*c*. sororibus *A. S.* [834] domo 1*c*. [835] n *ab* 1*b*. *additum denuo erasum est*. [836] antiste 1*a*. *corr.* 1*c*. [837] Hildenshem 1*c*. [838] pathebrunnam 1*c*. [839] *Ita* 1*a*. 2. dictum 1*c*. *A. S. l. l.* [840] antisti 1*a*. *corr.* 1*b*. [841] comitissa 1*c*?

NOTÆ.

(590) Respexit noster, ut videtur Macrobii Saturnal., l. I, c. 6.

(591) Marchio Liutharius; v. supra l. IV, c. 25.

(592) Ricbertus comes in Harthego; v. chartam imperatoris, a. 1003, April. 15. Diem ejus emortuaem v. in Necrol. Luneb., Febr 9.

(593) Halberstadensis.

(594) Sc. Heinrici.

(595) Filiæ fuerunt Ottonis II imperatoris, fratruelis scilicet ducis Heinrici rixosi.

(596) *De catelenburch* add. ann. Sax. Filii fuerunt, ut videtur, Sigefridi comitis ex secundo matrimonio cum Ethelinda inito; v. Schrader Dynastenstamme.

ipm itineris propter eos interrumpere nequaquam posse nec velle respondit. Inde protinus discedens cante suos per omnem diem hanc circumspexit, et, ut optimus erat miles, ne terrerentur, ammonuit. Quod eminus hostis e latentibus insidiis considerans, quia non utile sibi tunc videbatur, distulit, et sequenti nocte inceptis persistere, dextris confirmavit.

4. Pervenit autem comes ad locum predestinatum [843], qui Palithi [844] dicitur; et facto vespere comedit, et in lignea caminata cum paucis [845] dormitum ivit. Cæteri vero quam plurimi in proximo quiescebant solario. (f. 84) Quos cum sopor oppido lassos gravaret, inimica manus incautos opprimens invasit, comitemque clamoribus inmensis excitatum a lecto celeriter surgere compulit. Is vero braca suimet et quibuscumque potuit igni vires suggerit, et quod tunc premeditari [846] non valuit, fractis fenestris, majorem nocendi quam se defendendi [846] hostibus aditum patefecit. Nec mora, pre foribus occiditur miles Herimannus [847], et exterius ad auxilium domino properans Athulfus, ambo fortes et usque ad mortem fideles. Vulneratur insuper Erminoldus, imperatoris camerarius (597), ac solus tunc repugnat Ekkihardus, vir domi miliciæque laudabilis; cui Sifridus hasta fortiter emissa nodum cervicis infregit, terramque oppetere compellit. Quo casu protinus perspecto, alacriter omnes irruunt, caput amputant, et quod miserum est, funus predantur. Facta sunt autem hæc 2 Kalendas Mai (598). Peracto tandem inmani scelere, percussores læti et incolumes [848] redeunt. Hii autem qui in solario erant ignavi, nec dominum laborantem in aliquo adjuvabant, nec mortuum ulcisci [849] conabantur. Abbas vero ejusdem loci, (f. 84') Alfkerus nomine, corpus visitavit, ac commendationem animæ summa devotione perfecit.

5. Quæ vero sit causa, quæ hos ad tale facinus perpetrandum persuaserit, veraciter explicare nequeo. Quidam dicunt Heinricum instinctu predicti comitis ab imperatore flagellis cesum hæc sepius in eum meditatum fuisse. Alii autumant, sicut predixi, in Werlu ob contumeliam consororibus illatam, quia isti libenter his serviant, ac per convivia [850] minas- A que ab ipso sibi manifestatas, hæc eos incepisse. Hoc tantum scio quod decus regni, solatium patriæ, spes [851] commissis, terror inimicis, et per omnia perfectissimus foret (599), si in humilitate solum persis ere voluisset. Hujus vitæ cursum quam probabiliter [852] egit, qui apud dominum suimet beneficii maximam partem acquisivit in proprietatem [853]! Milzientos a libertate inolita servitutis jugo constrinxit. Boemiorum ducem Bolizlavum, qui cognominatur [854] Rufus, ad militem sibi, aliumque (600) ad amicum familiarem blandiciis [855] ac minis adipiscitur. Super omnem Thuringiam communi totius populi electione ducatum promeruit. Comites (601) vero orientales, paucis tantum exceptis, regnumque in (f. 85) spe habuit. Quæ omnia ad tam miserabilem hunc detraxere finem. Hujus fama diu nox B propagata domnam Suonehildam venire fecit obviam, filiique ejus læticiam turbavit Herimanni. Is [856] namque cum jussu patris Willehelmum comitem, senectute ac omni bonitate proficuum, ob vindicandam Widikindi et Herimanni necem a filio suimet (602) eis inlatam, valida manu in Wimeri [857] possideret, emeritumque senem in presentiam predicti comitis venire, et quicquid ipse ab eo exposceret implere, juramento eos stringeret: accepto nece parentis improvisa, cum matre celeriter occurrit, patrisque corpus ingenti luctu suscipiens, in urbe, quæ Geni [858] dicitur (603), sepeliri fecit. Peracto autem tricesimo (604) die, domna Suonehildis ad Misni proficiscitur cum filiis.

6. Interim Bolizlavus, Miseconis filius patri longe C inferio, de morte lætatur comitis Ekkyhardi; moxque collecto exercitu, omnem Geronis marcham [859] comitis citra Albim jacentem (605), deindeque premissis obsidibus Budusin civitatem cum omnibus appertinenciis comprehendens, statim Strielam [860] urbem invasit, Misnenses (f. 85') pecunia corrumpere clam temptans. Qui novis semper gaudentes, in una dierum, cum presidii maximam multitudinem [861] ob acquirendam equorum annonam exisse comperirent, portam, quæ orientem respicit, in ea parte, qua satellites habitant dicti sclavonice Vethenici D (606), Cukesburgiensi [862] (607) Guncelino ad hoc duce

VARIÆ LECTIONES.

[843] *ita* 1*c*. predistinatum 1*c*. [844] polithi 1*c*. [845] *i a* 1*c*. pacis 1*a*. [846] premeditare 1*a*. [846] *ita* 1*c*. defendi 1*a*. [847] heriman' 1. [848] incolomes *corr.* incolumes 1. [849] *ita* 1*c*. ulcissi 1*a*. [850] conuiua 1. conuiuia 1*b*. conuicia *A. S.* [851] *add.* 1*b*. [852] *ita* 1*c*. 2. *A. S.* probabiliter 1*a*. [853] *ita* 1*c*. propietatem 1*a*. [854] cognomitatur 1. [855] *ita* 1*c*. blanciis 1*a*. [856] Isque 1*a*. [857] uuimari 1*c*. [858] genium 1*a*. *quod fortasse recipiendum erat*. [859] marchiam 1*c*. [860] i *erasum* 1. [861] multitudinem 1. [862] *sic legendum*, cukesburgiens 1.

NOTÆ.

(597) Ejus meminit Necrol. Merseb., d. Maii 9.

(598) Dies hic habetur in Ann. Quedlinb., a. 1002. Necrol. Luneb.

(599) Sic pro *fuisset*.

(600) Scil. Boleslaum, Poloniæ ducem. Urs.

(601) *I. e.* comitatus.

(602) Æquivocus ejus, ut videtur.

(603) Gross Gena villa, sita ubi fluvius Unstrut effluit in Salam.

(604) Cf. Sachsenspiegel L. I, art. 22.

(605) Marchiam intelligit Lusatiæ inferioris, quam scriptores illius ævi quoque Orientalem vocant. Urs.

(606) Apud Polonos *Wodnik*, *wodnicy*, castellanus.

(607) Cukesburgenses ab Ursino explicantur speculatores, custodes arcis. Cukesburg vero fuit Burgwardum in comitatu Eggihardi marchionis et postea in comitatu filii sui Hermanni comitis. V. diplomata Ottonis III, a. 993, Jul. 5 et Heinrici II, 1012, Octob. 17 in Hofer Zeitsch. f. I, 534 et 161.

irruunt, Beccecionemque [864], Herimanni comitis satellitem, primo occidentes, ad caminatam ejusdem omnes armati conveniunt, fenestram lapidibus impugnant grandibus, dominum urbis (608), Ozerum nomine, sibi ad occidendum reddi vociferantes. Sed Thietmarus miles ex culiculi sola municione : *Quare sic*, inflt, *agitis? quis* [865] *furor vos ita seduxit, ut obliti beneficiorum comitis Ekkihardi spontaneæque invitationis, sic assurgitis in perniciem filii? Si causam tan i facinoris seu* [866] *publice seu clam cuiquam nostrum vultis aperire, commissi emendacionem vobis complacitum, futuriqne timoris vestrimet securitatem ex mei senioris nostrorumque omnium parte firmiter, qualitercumque vultis, promitto. Hunc quem in mortem vobis dari inclementer exposcitis, nobis viventibus* [866] (f. 86) *non accipitis. Pauci sumus; aut communiter mori, aut incolumes urbe hac nos exire pro certo sciatis.* Tunc illi auditis sermonibus, his colloquuntur [867], abeundique licenciam hiis prestantes, ducem Bolizlavum per internuncios invitant, portisque eundem [868] suscipiunt apertis; completurque quod scriptum est : *Lætantur, cum male fecerint, ac exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14), et iterum [869] : *Sunt principia eorum ut mel, et novissima quasi absinthium* [870] (*Prov.* v, 4.) Hac elatus prosperitate Bolizlavus [871], omnes regionis illius terminos usque ad Elstram fluvium preoccupavit, presidiisque suimet munit. Congregantibus se tunc unanimiter ad hæc prohibenda nostris, dolosus ille legatum obviam misit, qui se protestaretur cum gratia Heinrici ducis ac licencia hæc incepisse ; in nullo se incolis nocitorum, et si quando is in regno vigeret, voluntati ejusdem in omnibus assensurum; sin autem, quod his tum placeret, libenter facturum. Hoc animadvertentes nostri, verbis credidere phaleratis (609), et inhoneste, quasi ad dominum, ad eundem profecti, honorem innatum supplicatione et injusta servitute [872] mutabant. Quam inique comparandi sunt antecessores nostri et (f. 86') contemporales! Vivente egregio Hodone [873], pater istius Miseco domum, qua eum esse sciebat, crusinatus (610) intrare, vel eo assurgente numquam presumpsit sedere. Deus indulgeat imperatori, quod tributarium [874] faciens dominum, ad hoc umquam elevavit, ut oblita sui genitoris regula, semper sibi prepositos auderet in subjectionem paulatim detrahere, vilissimoque pecunie transeuntis inescatos amo [875] in servitutis libertatisque detrimentum capere.

7. Alter autem Bolizlavus, Boemiorum provisor, cognomento Rufus, et impietatis auctor immensæ, antiquo more jam paululum refrenato, duci aspiravit Heinrico; qui inicio mensis Junii cum primis Bawariorum et orientalium Francorum [876] Wormatiam venit, causa Renum ibidem transeundi, Magontiaque benedicionem accipiendi. Quod prohibere Herimannus dux nititur, nullumque eis patefecit Reno favente ingressum. Dux autem Heinricus habito de hiis rebus cum suis consilio, simulato in Bawariam reditu transituque quasi desperato, ad urbem Larsem (611) ubi sanctus requiescit Nazarius, venit. Deindeque ad Magontiam celeriter (f. 87) properando, Renum securus enavigat. His 8 Idus Junii ibidem communi devotione in regem electus, a Wiligiso, ejusdem sedis archiepiscopo, suffraganeorumque suimet auxilio accepta regali unccione, cunctis presentibus Deum collaudantibus, coronatur (612). Francorum et Muselenensium [877] primatus, regi manus tunc applicans [878], gratiam ejusdem meruit. Omnibus huc indique confluentibus in [879] miliciam a rege susceptis, rursus Renum inundantem rex novus [880] transiens, per orientalem Franciam [881] sibi quam fidelem, Alemanniam invadere et cum depopulatione illius terræ ab inceptis Herimannum resistentem conatur avertere. Dux autem ut audivit sua a rege predata, nondum volens humiliari [882], sed pro dolor! contra dominum et regem exaltans se, caput ducatus sui Argentinam (613), que Strazburg dicitur, quia episcopus ejusdem urbis Wicelinus sibi resistere presumpserit, cum Conrado suimet genero [883], milite petit armato murosque ascendens, nil victis reliquid [884] (614), Sed execrata Alemannorum turba ad rapiendum promptissima, inscio duce, majorem eccl siam sanctæ Dei genitricis intrepida (f. 87') intrans, omnem thesaurum diripit, et quod maximum erat facinus, igne domum Domini consumpsit. Si vere felix fuisset, primi ingressus acerbitate deterri a, numquam majora aggredi presumeret. Nam antistitis mil tibus Reinwardo auctore infideliter repugn ntibus, maxima hostium caterva irruens, proprio perfossa hastili corruit, vitamque hanc divina ultione miserabiliter finit. Hæc Herimannus insolabili [885] que

VARIÆ LECTIONES.

[863] *sic legendum*, beccionemque 1. Beccionemque *A. S.* [865] agitis. Cur in tantum scelus itis. Quis 2 *A. S.* [866] *ita* 1*c.* se 1*a.* [866] degentibus 1*a.* quamdiu supersumus 2. *A. S.* [867] colloquuntur 1. [868] eundemque 1*a.* [869] sed vere illis eveniet, quod item scriptum est 2. [870] c *erasum.* [871] *ita* 1*c.* elatis — bolizlauum *ut videtur* 1*a.* [872] Sclavi *add.* 2. *A. S. a.* 1002. [873] hodone 1*c.* [874] tributarium 1. sclavum *add.* 2. [875] *i. e.* hamo. [876] *ita* 1*c.* francium 1. [877] muselesnensium 1*a.* [878] applicatis 1*a.* [879] *ita* 1*c.* i 1*a.* [880] *ita* 1*c.* nouis 1*a.* [881] franciam 1*a.* [882] humiliare- 1*a.* [883] gero 1. germano 2. *A. S. l. l.* [884] reliquid *corr.* reliquid 1*c?* [885] insolabli 1*a.*

NOTÆ.

(608) Burggravius Misniensis.

(609) Ex Terentii Phorm. III, 5, 15, *phaleratis dictis ducas me.* Uns. Ita et infra VII, 51. *promissiones phaleratæ.*

(610) A slavico *crusina*, i. e. veste pellicea.

(611) Lorsch.

(612) Ann. Quedlinb., a. 1002.

(613) Wernherus episcopus Alawico successerat, a. 1001, Maio mense.

(614) Conf. Ann. Sangall. mai., a. 1002.

stus merore, discessit, inultumque, quia defendit numerus, reliquid.

8. Regi autem apud Augiam insulam nativitatem [886] sancti Johannis Baptistæ commoranti, fama velox et sepissime dubia, Herimannum ducem litem duello causa finiendi venire nuntiavit, eundemque hinc discedere, adventumque ducis cum judicio pugne in pratis virentibus ac latis fecit exspectare. Ibi tunc apostolorum celebrans festa (*Jun.* 29) longumque [887] certitudinem prestolans, ducem inceptis persistere neque velle nec posse, pro certo comperit. Consultum est ei a malesuasis fautoribus, quod Argentinæ damnum Constantia impleret. Namque ejusdem civitatis episcopus, nomine Lanbertus, cum Curiensi pastore (f. 88) Othelrico, Herimannum [888] auxiliabatur, non tantum ex animo, quantum in civitatis contiguo (615). Sed rex, ut erat de Dei timore sollicitus et de acquirendis certus, horum profana sprevit [889] consilia, curtesque [890] ducis vastando circuiens, ad ultimum clamore devictus pauperum, ad Franciam [891] remeare disposuit. Et ecce Heinricus [892] comes, Bertoldi amiteque meæ filius, ad regni apicem acquirendam regi usque huc fidelis adjutor, animadvertens senioris suimet [893] sibi paululum alienam mentem [894], per optimos exercitus ejusdem viros diu firmiterque promissum Bawarii regni ducatum dari postulavit. Quibus rex tale fertur dedisse responsum : *Nonne scitis hæc in hac expeditione nequaquam fieri posse, Bawarios ab initio ducem eligendi liberam habere potestatem, non decere tam subito eos abicere, neque constitutionis antique jus absque consensu eorum frangere? Si voluisset exspectare, usque dum ipse ad has regiones venirem, cum communi consilio principum eorumdem ac voluntate, sibi libenter in hoc satisfacerem* [895]. Quod ubi Heinricus ab internuntiis accepit, in majorem promissi muneris desperationem (f. 88') veniens, paulatim se ab regis substraxit familiaritate; comitaturque tamen regem ab Alemannia proficiscentem in Franciam, postea ad Thuringiam.

9. Ibi tum [896] Willehelmus, Thuringiorum tunc potentissimus (616), obviam pergens, dominumque venientem cum magna gratulatione suscipiens, regis [897] efficitur. Ibi tunc rex a prefato comite et a primis illius [898] regionis conlaudatur in dominum, et ab omni populo rogatus, debitum his porcorum [899] remisit censum. Inde Merseburg veniens, susceptus est ab Heimone abbate et a fideli suimet comite Esicone qui urbem hanc et Alstidi ac Thornburg cum appertinenciis, vivente Ekkihardo hocque graviter ferente, viriliter usque in presentiam optati senioris servavit. Huc conveniunt archiepis opi, Lieviso [900] Bremensis et Gisilerus Magadaburhgensis cum cæteris confratribus, Rethario Patheburnensi [901], Bernwardo [902] Hillinesemensi, Arnulfo Halverstidensi, Ramwardo [Mindensi, Eidone [903] Misnensi, Bernhario Ferdensi, Hugone Citicensi; ducibus autem Bernhardo [904] ac Bolizlavo, cum marchionibus Liuthario et Gerone ac palatino comite Fritherico [905], [*cod. Br.* f. 238) aliisque quam pluribus tam episcopis quam comitibus, quorum nomina longum est enarrare per singula. Hii omnes regem supplici devocione suscipiunt. Crastina itaque die, id est octavo Kalendas Augusti (*Jul.* 24), Bernhardus dux (617) cum consensu omnium astante coram rege voluntatem plebis convenientis aperiens, omniumque necessitatem ac legem specialiter exponens, quid eis misericordiæ dictis promittere seu factis vellet impendere, diligenter inquirit. Talia quærebat, ac contra rex referebat : *Deo primum, deindeque vobis omnibus condignas grates persolvere nequaquam sufficio. Unde voluntatis meæ secretum vobis aperio, quod ex adjutorio efficaciter vobis omnibus impendere desidero. Notum etenim mihi est, quam fideliter vestris regibus semper ubique obaudientiam et solatium prestare* [906] *studueritis. Et ideo vos magis in omnibus optime honorare, diligere et ad regni provectum nostramque salutem libet conservare. Et ut certi de hiis sitis, quomodo vobis placet, salvo honore regni, affirmo, quia non renuentibus nec contradicentibus vobis, sed potius quasi applaudentibus et huc me invitantibus, hac regali dignitate honoratus appareo. Legem igitur vestram non in aliquo corrumpere, set vita comite malo clementer in omnibus adimplere, et vestræ rationabili voluntati, in quantum valeo, ubique animum adhibere.*

Taliter effatur rex, et vox una levatur
Protinus astantis plebis, regi jubilantis
Laudes et grates super has tantas pietates.

Bernhardus igitur dux, accepta in manibus sacra lancea, ex parte omnium regni curam illi fideliter committit.

Rursus tolluntur voces laudesque canuntur
Undique, Christe, bonis hiis pro tantis tibi donis.
Insuper et fletus fundunt pia pectora letos,
Inclita letare Mersburg, hiis congratulare,
Da jubilum Christo condignum sole sub isto.

Istum inquam solem, id est diem, venerabiliter cole, quo electus est in te, qui te repudiatam post hæc

VARIÆ LECTIONES

[886] in nativitate 1*c*. [887] longamque 1*c* ? [888] herimanno 1*c*. [889] *ita A. S.* sperū 1*a*. (*i. e.* spervit *calami lapsu pro* sprevit) *sed. corr.* spei. [890] *ita* 1*c*. curesque 1*a*. [891] frantiam 1*a. sæpius*. [892] *ita* 1*c*. heinricis 1*a*. [893] met *erasum* 1. [894] *deest* 1. *add.* 1*c*. dignationem *A. S. l. l.* [895] satisfacere 1. [896] *erasum* 1. [897] miles *add.* 1*c*. [898] illis 1. [899] *erasa hæc vox in* 1 ; *sed habent Ann. Saxo et* 2. *ubi legitur :* rogatur (*ita* 1*a*.) debitum censum porcorum illis dimittere, quod et fecit, [900] luuizo 1*c*. ? [901] patheburhgiensi 1*a*. [902] n *erasum* 1. [903] *Verba inclusa, quæ in codd. desunt, supplenda esse, jam monuit Urs.* [904] *ita* 1*c*. berhardo 1*a*. [905] *In cod.* 1. *quaternio hic deest integer. Lacunam supplevimus ex cod.* 2. [906] prare 2. .

NOTÆ.

(615) *I. e.* propter civitatis suæ vicinitatem.
(616) Mox obiit, anno scilicet 1003, Decb. 14, teste Necrol. Fuld. sive Decb. 12. Necrol. Luneb.
(617) Ann. Quedlind., a. 1002.

semper meditatus est provehere et ad priorem A statum reducere. Benedictus sit Deus, qui se honorantes et ex corde diligentes exaltat ad horrorem et dedecus se execrantium. Finis venit luctus tui, quia salutaris auster amicam temperiem tibi afflavit. Non diu in servitute manebis, quia ad dominandum libere, o Syon, renovaberis. Sed amplius progrediamur.

10. Omnes qui priori imperatori serviverant, Liudgero solo remanente (618), regi manus complicant, fidele auxilium per sacramenta confirmant. Bolizlaus autem Misnensem urbem tantummodo innumerabili pecunia acquirere satagebat, et quia oportunitas regni non erat, apud regem optinere non valebat, vix impetrans, ut hæc fratri suo Guncelino (619) daretur, redditis sibi Liudizi et Miltizieni regionibus. Hunc Heinricus comes, nepos meus, oppido diligens, quocumque modo potuit libenter et amicabiliter eum adjuvabat. Quem cum bene muneratum et cum licentia regis abeuntem comitaretur, concurrentem vidit armatam multitudinem, et, per Deum testor, absque regis consilio et conscientia adversus se insurgentem. Qui cum causam tanti tumultus investigare, et, ne plus damni orirerur, voluisset compescere, vix securus socium fracta exteriori porta educit. De sequentibus autem militibus nonnulli a comprimenti turba sunt predati quidam autem admodum sauciati, mortem Bernhardi ducis auxilio evaserunt. Hi namque curiam regiam armati intrantes, et de hac exire jussi nolentes, culpa sua tale periculum merito sustinuerunt. Bo- C lizlaus autem hoc factum esse dolo mali consilii autumans, gravi merore consumitur, regi, quod non promeruit, imputando. Salutato ergo Heinrico (620), et si umquam indigeret auxilio suo firmiter promisso, patriam celeriter revisit. Cumque pervenisset ad Strelam urbem, protinus eam incendens, magnam multitudinem comprovincialium secum abduxit, nuncios quoque quosdam remittens, quoscumque potuit regi avertere contendit. Quod mox ad aures regis postquam pervenit, suos familiares caritative rogavit, ut archanas Sclavi insidias perquirerent, et si fieri posset, exploratores ejus capere temptarent.

11. Dispositis itaque omnibus, prout tempus tunc B erat, regnum Liuthariorum petere contendit. Veniente autem eo ad urbem, quæ nova Corbeia vocatur, ab ea nomen sortita, unde cepit, scilicet ab illa Francorum Latinorum Corbeia, ubi requiescit sanctus Vitus infans et martir, inclita Cunegundis sua conjux ei occurrit; ubi ambo a venerabili abbate Thietmaro [907] (621) cum omni honore suscipiuntur, et ibi divinis et humanis honorati, ad Patherbrunnon leti proficiscuntur (622). Postera luce, quæ mundo festiva illuxit beati Laurentii martirio (*Aug.* 10), domna Cunegundis benedictionem et coronam, et Sophia soror imperatoris a rege jam constituta abbatissa (623), consecrationem a Willigiso [908] archiepiscopo humiliter susceperunt. Publicum inde consurgit gaudium, quod, pro pudor! admodum turbavit insatiabilis avaritia Bawariorum. Hii namque pauci domi semper contenti, exterius vero prope modo insaciabiles, cum vicinorum fruges vi diriperent, eosque hoc defendentes [909] cæderent, pugna gravissima invicem oritur (624). Domestici regis exeunt [910], indigenæ cum adventitiis preveniunt et subsequuntur. Fit magnus conflictus congredientium, devictumque agmen Bawariorum in regalem curtem fugit. Hic Henricus, frater Eilberti cancellarii (625), qui ad mensam regi jugiter serviebat, hasta vulneratus occubuit. Quapropter, qui prius aberant, collecti Saxones iterum insecuntur, et ni dux Bernhardus cum validiori manu medius interveniret, numerus militum infinitus mutuo caderet. Post hæc autem castigati sunt omnes, quicumque inveniri poterant tanti sceleris auctores. Mestitiam præsulis postea placavit Bockenevorde (626) a rege tradita.

12. Rex autem recto itinere hinc ad Diusburg perveniens (*Aug. med.*), Liutharienses quam tarde exspectat. Leodicensis vero et Cameracensis presules primi huc venientes, archiepiscopum Coloniensem diu morantem exspectant. Quem cum altius quam quisquam crederet, custodia, qua paululum, sicut jam dixi, detinebatur, in mentis secreto morderet, simulabat se ob hoc tam sero ad regis gratiam accessisse, quod in accipienda benedictione Moguntinum sibi rex voluisset preponere. Igitur hii confratres, episcopi scilicet, regem pariter eligentes, fidemque sacramentis firmantes usque ad Aquis-

VARIÆ LECTIONES.

[907] *ita A. S.* thoitmaro 2. [908] Willigisio 2. [909] prohibentes *A. S.* [910] superveniunt *A. S.*

NOTÆ.

(618) V. supra cap. 2.
(619) Frater videtur fuisse Boleslavi uterinus.
(620) Sc. comite s. marchione Bawariæ.
(621) Error hic videtur singularis, (procul dubio ab interpolatore commissus, qui hæc omnia de Corbeia addidisse videtur, cum Adelboldus, qui Thietmarum sequitur, Gruonæ reginam Heinrico occurrisse dicat. W.). Nam Thietmarus abbas, Thietmari nostri patruus, anno 1001, Mart. 12, diem supremum jam obiit. V. Fasti Corbeiens. Necrol. Fuld. et Luneb. Successerat ei Ilosed abbas. V. quoque chartam Heinrici regis de 1002, Aug. 24.
(622) Conf. Ann. Quedlinb., a. 1002.
(623) Conf. ibid.
(624) Vide ibid.
(625) Qui postea factus est episcopus Frisingensis.
(626) Bockenforde, villa parrochialis in districtu Arnsberg, præfectura Lippstadt. Exstat charta imperatoris super hac donatione a. 1005, Octob. 21, Corbeiæ data.

grani eundem comitantur. Quo in nativitate sanctæ Mariæ (*Septb.* 8) a primatibus Liuthariorum in regem collaudatur, et in sedem regiam more antecessorum suorum exaltatur et magnificatur. Interim Franciam revisere insistentemque hyemis asperitatem ibidem perducere conatur, ut vere primum exorto, Herimannum ducem in Cisalpinis partibus sibi solum resistentem vi cogeret cedere. Qui de vindicta Dei, quam in Argentina promeruit, multum timidus, populumque propter se laborantem non amplius sustinens, per intercessores fidos sibi suisque fautoribus regis gratiam postulat.

13. Sed antequam id ab eo deliberatum esset, quædam res ab Alamannis perpetrata est, a nobis non pretereunda. Gerhardus, comes Alsatiæ (627), accepto a rege quodam comitatu prefati ducis, cum domum rediret, juxta unam urbium castra metatus est. A quo urbani pacem vix unam noctem impetrantes, egressi sunt dolose quasi ad colloquium, sed revera ad explorandum. E quibus unus calliditate eque ac velocitate persepe probatus propius accessit, signiferamque lanceam, qua beneficium ducis comes idem acceperat a rege, coram tentorio ejus affixam, elevando circumspexit, ad ultimumque cum ea urbem securus, cunctis incassum pone [911] sequentibus, intravit. In urbe mox exultatio magna extollitur, porta clauditur, comes quasi honore privatus irridetur. Qui eandem primo dulcibus promissis frustra temptans recipere, sed illis negantibus redditum, tristis abiit, tam vacuus a beneficio quam a militari signo.

14. Fuere in alia civitate munitissima, Brizach dicta, episcopi duo, Argentinensis et Basiliensis ad presidium, quorum milite cottidie ob acquirenda equorum pabula armati exire solebant. Quod amici ducis caute considerantes, eo tempore, quo hii paululum precesserant, simili habitu sarcinatisque equis ad urbem cantantes pergunt, et pro sociis a custodibus intromittuntur. Projectis ilico oneribus, magna voce se hostes manifestant, episcopisque vix elapsis, omnia diripiunt. Post hæc Herimannus dux, matris meæ avunculi filius, divina, ut predixi, compunctione Kalendis Octobris Bruselæ (628) regi humiliter presentatur. Misericorditer ejus gratiam impetravit, et in beneficio et in omnibus justi desiderii satisfactionem persolvens, excepto Argentinæ dampno, quod idem jussu et consilio regis de sua propietate et abbatiam in eadem urbe sitam reparavit, miles et amicus ejus fidus efficitur. Iliis ita dispositis, rex ad Bawariam perrexit, ut eis adventu suo et omni caritate innotesceret, quod eos precipue inter omnes amaret. Quem Ratisponam venientem Gebehardus, ejusdem presul egregius, cum cleri totiusque populi tripudio suscepit, ibique festum sancti Martini celebrantem in multis honorificavit.

15. Interim Bohemiorum dux Bolizlaus, quia potestas consortis et successoris est semper pavida (Lucan. 1, 92), Jaremirum fratrem eunuchizans, junioremque Othelricum [912] in termis suffocare cupiens, una cum matre eosdem patria expulit, solusque vice basilisci noxii regnans, populum ineffabiliter constrinxit. Qui pondus illati facinoris diutius ferre non valens, Wlodoweium, qui *potestas exercitus* interpretatur, a Polenia clam vocans, aspidem venenatam, absque omni legis pietate suos tractantem, hunc in sedem basilici illius, id est Bolizlavi, dejecto eo, consanguinitatis linea et pietatis affectu unanimiter electum collocavit. De quo rem unam incredibilem dico, sed non alicui christiano imitabilem, quod hic numquam sine potu unam horam perdurare valuerit. Sed Bolizlaus, quæ sola via fugæ patuit, ad Heinricum marchionem, qui proximus ei tunc fuerat, confugiens, propter illatas sibi injurias ab eo captus est; postmodum, quia hospes eo advenerat, dimissus, ad equivocum suum amitæque filium, in sceleribus comparem, licet facultatibus disparem, vitæ duntaxat amore perrexit. Iste autem potiori usus consilio, ad regem Ratisponæ adhuc commorantem proficiscens, cum humili subjectione et fideli promissione hunc in dominum elegit, et quæ postulavit ab eo in beneficium acquisivit, et abitus in omnibus caritative, revertitur cum bona pace.

16. Dum hæc aguntur, Hartwigus, de quo superius dixi, de prosperitate et adventu regis Heinrici admodum curiosus, omnes introitus Longobardiæ, qui ab accolis clusæ vocantur, vigilanti custodia firmabat. Qui, ut superius dixi, electionis suæ consiliatores et fautores, ut digni fuerant, tractare non desistebat. Inter quos Brixiensem episcopum, aliqua quæ sibi displicebant loquentem, capillis arripiens et solotenus ut [913] bubulcum deiciens, cunctis infrenatam manifestavit iram. Sed [quid cum singulis vitiis circumscribere conor, cum in regno et populo appareat quæ turba iniquitatis ad hæc perpetranda cum armaverit? Unde nonnullos priores [914] sibi suppositos (629) commissi pœnituit, et per internuncios et per litteras Heinricus regem ad deferendum se venire rogabant, aut eo in aliis negotiis occupato, principes suos mitteret [915]. Horum necessitati ad succurrendum Otto Carentorum [916]

VARIÆ LECTIONES.

[911] pene 2. *sæpius*. [912] otelricum 2. [913] *ita A. S. l. l.* ad 2. [914] tunc *add. A. S.* [915] mittere *A. S.* [916] carrentorum 2.

NOTÆ.

(627) Gerardus I, Everhardi Alsatiæ comitis filius, qui duxerat Evam, filiam Sigifridi comitis Luciliburgensis, Cunegundis imperatricis sororem.

(628) Bruchsal, ubi rex Otc. 3 fuit.

(629) I. *e.* primates sibi subditos.

dux et Veronensium comes, cum Heriberti comitis filio Ottone et Ernasto, Liupoldi [917] marchionis filio, cum aliis paucis ob spem majoris auxilii ab Italis promissi, a rege dirigitur. Quis autem ille dux Otto fuerit, quia superius reticui, breviter intimabo. Hic igitur a Conrado duce et Liudgarda, filia Ottonis maximi, procreatus, morum gravitate actuumque probitate parentelam suam decorabat (630). Et cum post mortem cesaris jure consanguinitatis et ætatis virtutumque maturitate ab Heinrico tunc duce in regem aligeretur, tantum hoc onus humiliter excusans, eundem primus per internuncios ac per se ipsum quasi ad hæc aptiorem sibi preposuit, fideliterque semper adjuvit. Hunc ex parte regis venientem, archiepiscopumque Ravennæ Fritherícum cum marchione Thiedolfo (631) ceterisque regis fidelibus ei ad auxilium occurrentem, Hartwigius in medio positus linceisque oculis (cf. Hor. *Serm.* 1, 2, 90) omnia perlustrans [918] cum comperiret, ad interrumpendos eos Veronam cum magna multitudine venit, lusasque ab episcopo ejusdem civitatis huc usque munitas expugnando cepit. Audiens autem, Teutonicos in Tridenti planitie consedisse, illo properat, et eos non inveniens, iterum velox se in Campaniam Veronensem (632) recepit. Quo dominicæ nativitatis festa in quodam castello celebrante [919], Otto dux omnia ejus acta ut primo intellexit, legatos sibi licentiam transeundi aut ex sua parte accipiendi postulantes misit. Hiis petitis ex profunda calliditate animi Hartwigus respondit: *Hic pernoctate, ut cum meorum amicorum consilio vos crastino de hiis omnibus certos remittam.* Ille autem, nunciis [920] nostris id ignorantibus, per omnem eam noctem singulariter suos in castris positos circumquaque perlustrans, ad preliandum mane contra Teutonicos mentem [921] corroborare et arma preparare monet. Proxima primum oriente aurora, legati ducis responsi gratia regem [922] aggressuri, cum Longobardos militari manu pugnæ intendere eventum cernerent, ipsum quid hoc significaret percunctantes, certam adversus ducem congressionem jussi abire perceperunt. Quos Hartwigus cum exercitu pone [923] secutus, ad Ungaricum [924] montem, ubi dux cum suis legatos expectabat, sole jam mediante, pervenit, hostesque, quamvis per fodrum et ad custodiendas undique vias divisos, tamen ad resistendum paratos invenit. Confligunt itaque utrimque fortia agmina impetu vehementi, et nisi Theutonicorum [925] aciem hostium numerositati imparem fuga Ottonis, germani presulis Gebehardi, turbaret et impediret, victricem eam hostis Longobardus sensisset. Tum [926] vero ex magna parte mutilata, pro pudor! ceditur, et victoriæ honore privatur, sed non sine maximo Hartwigi detrimento.

17. Interea rege a Bawaria egresso et in Frankanavordi [927] incarnationem dominicam celebrante, multorum legationes ei deferuntur; qui legati primo benigne auditi, dehinc largiter munerati, omnes revertuntur leti. Ibi quoque dux Herimannus [928] humiliter regi famulatur, et ab eo caritative, ut talem decuit personam, habetur. Inde rex discedens Muselenorum pagum visitavit, et ad Theodonisvillam (633) veniens, generale ibidem colloquium cum comprovincialibus habuit (*an.* 1003). Rege vero ibidem omnibus aliqua necessitate laborantibus benigne legem dare cupiente, Merimannus ac Theodericus solo nomine duces, sed non re, temptabant hoc impedire, sed frustra [929], continuo animadvertentes auctori justitiæ se merito succumbere. Nam rex quoddam castellum ducis, Mulsberg (634) dictum, ob instantem totius populi necessitatem destrui, et ut numquam reedificaretur, firmiter precepit. Hiis absque remotione [930] omni peractis, rex ad Aquasgrani iter disposuit (*Jan.* 24) ut ib anniversarium domini et antecessoris sui (635) cesaris summa diligentia compleret, et Liutharienses unaniniter convenirent. Quem quamvis paululum tardaret interim innata infirmitas, tamen ad perficiendum justi desiderii propositum Christi illi aspiravit vires ineffabilis pietas. Dein Trajectum (636) amore sancti presulis Servatii veniens, de prelio nostrorum male pugnato (Horat. 1, 24, 19) ibi certum comperit. Et quia omne, quod nequit corrigi, lenitur [931] patiencia, quamvis graviter tamen sapienter audita sustulit incommoda. Inde Leodium ob impetranda Christi athletæ Lamberti patrocinia veniens, ibi colica passione admodum gravatur, sed prædicti martiris intercessionis suffragiis liberatur. Hinc ad Aquasgrani rediens, purificationem Dei genitricis ibidem venerabiliter peregit. Inde ad Niumagun (637) commeans, pluribus diebus quadragesimæ ibi moratur, primo regnum Dei justitiamque ejus quærere, postea humanæ fragilitati studens necessaria suggerere.

VARIÆ LECTIONES.

[917] arnesto liuppoldi 2. [918] collustrans *A. S.* [919] celebranti 2. [920] nuncius 2. [921] *ita Ieenna in cod. 2. suppleta ex A. S. a.* 1003. [922] tyrannum *A. S.* [923] *ita A. S.* pene 2. [924] Ungarium *A. S.* [925] thetunicorum 2. [926] Cum 2. [927] franckenforde 2. Franconevorde *A. S.* a. 1003. [928] heremannus 2. *sæpius.* [929] nam *add A. S.* [930] dilatione *A. S.* [931] leniter 2.

NOTÆ.

(630) Similis fere locutio legitur supra l. IV, c. 26.

(631) Leibnitius eum ipsum esse Theobaldum, avum celeberrimæ Mathildis, comitissæ Tusciæ, famosissimæque Hildebrandi pont. max. amicæ censet. Urs. Infra VI, 9. vocatur in codice I, Tiedoldus.

(632) Insolita locutio. Campos Veronenses nanc regionem appellavit Liudprandus II, 11; Thietmarus ipse VI, 4, eam appellat planitiem Veronensem.

(633) Thionville, Diedenhofen. Rex ibi fuit Jan. 15, teste charta ejusdem.

(634) De hoc castello v. Chron. Gottwic. t. I, p. 694. Urs.

(635) Sc. Januar. 24.

(636) Trajectum ad Mosam.

(637) Noviomagi constat ex chartis regem fuisse d. Februarii 23 et 28.

18. Mortuo interea duce Wlodoweio, fratres predicti, una cum matre expulsi, a Boemensibus penitentia ductis revocantur. Quos Bolizlaus, Poleniorum rector, collecto undique exercitu, petens iterum expulit, equivocumque suum exulem pristinis honoribus prefecit, seque domum, latentibus insidiis suis alta mentis intentione, recepit. Sciebat enim nepotem suum se [932] nimis vindicaturum in fautoribus suæ expulsionis, sperans se tunc meliori occasione forsan introducendum. Quod et ita accidit. Enimvero cum Bolizlaus [933] Boemensis cerneret populum suum, execrando ritui deditum, in maxima securitate constitutum, impietatem suam ad confringenda fœdera pacis, quam sacramentis firmaverat, in tantum armavit, ut, collectis in unam domum coram se cunctis optimatibus, primo generum suum, gladio in caput ejus merso, ipse occideret, ceterosque inermes in ipsa sancta quadragesima, vir sanguinum et dolosus, nec sibi concessos umquam dignus dimidiare dies (638), cum suæ malitiæ fautoribus interficeret. Ob hoc residuus populus multum formidans ad Bolizlaum Polenum nuncios clanculum misit, qui perpetrati facinoris magnitudinem edicerent et futuri timoris ereptionem ab eo poscerent. His libenter auditis, mox per legatum fidelem hunc [934] ad colloquium cominus in arce quadam ad tractanda cum eo quædam necessaria communis utilitatis cum paucis ad se postulat venire. Huic junior Bolizlaus ilico consentiens, ad condictum locum perrexit [935], caritativeque ab eo primo susceptus, in sequenti nocte erutis sibi oculis, ne umquam in suos tale quid perpetraret vel amplius ibidem regnare valuisset, ab ejus familiaribus est prohibitus, exilioque longo deputatus est. In sequenti igitur die ad Pragam velociter properans, ab incolis semper de nova dominatione gaudentibus introducitur, communiterque in dominum laudatur. Accrescente igitur ibi seculari potentia, attollitur infrenatæ mentis multo major solito contumacia. Hæc, lector, attendens scito, quod cujus animus in prosperis fit elatior, in adversis sepe erit humilior, quod non esse sapientis Scriptura testatur.

19. Hæc omnia rex dictante fama comperiens, honesta gravitate animi patientis tulit, suis dumtaxat imputans peccatis, quicquid in regno suis temporibus incommoditatis [936] accidit. Itaque quod oportunum tunc maxime sibi videbatur, dissimulatis omnibus, quæ eis acciderant, nuncios ad Bolizlaum misit, mandans ei, si terram nuper a se occupatam de sua gratia, ut jus antiquum poscit [937], retinere sibique in omnibus fideliter vellet servire, se ejus voluntati in hiis assentire, sin alias, se armis illi velle contraire. Hanc legationem, etsi justam et bene compositam, tamen Bolizlaus indigne suscipiens, futuram ultionem merito promeruit. Finita namque quadragesimali abstinentia, sicut exorsus sum, festum paschale Quidilingaburg antecessorum suorum more honorabiliter rex celebravit (639)[*Mart.* 28]. Ibi tum iniquam presumptionem Bolizlai et aspirationem Heinrici (640) dissimulans, familiaribus suis, ut tantam festivitatem decebat, arrisit. Ibi etiam Ottonem ducem et Ernastum [938] a prelio male pugnato revertentes regiis donis honorat, paternisque adminiculis consolatur. Nuncios quoque (f. 89). Rederariorum [939] et horum, qui Liutici dicuntur, misericorditer suscepit, hactenusque rebelles munerum dulcedine promissionumque jocunditate sedavit et de inimicis familiarissimos effecit (641).

20. Post hæc rogationum [940] dies a Christi fidelibus jugiter colendas Merseburg celebrans, de aperta Bolizlavi ducis et Heinrici marchionis rebellione intimatum est. Proximum pentecostes festum in Halverstidi a rege celebratur (*Mai.* 16). Post hæc ad Bawariam tendens, Heinricum auxilio Bolizlavi resistentem primo devincere, posteaque positas [941] a longe insidias amovere conatur. Comperit etiam ad hoc, quod Ernastus ab eo nuper honoratus et domnus Bruno, frater suus (642), cum eo injuste conspiraverant, ignorantes quod scriptum est :

Virtus consilii expers mole ruit sua.

(Hor. III, 4, 65.)

Rex autem ob sedandam horum arrogantiam familiares suos undiquesecus colligens, intrante Augusto [942] bona prefati comitis invadendo vastavit, eumque, ubicumque extra urbem potuit, invitum latitare compulit. Dicat aliquis, non ignorans causam tantæ presumptionis, necessario eum hoc fecisse; sublimioribus non congruere potestatibus, tam firmiter promissa (f. 89'), cuiquam fideliter servienti subtrahere devotionemque ceterorum abalienare. Quibus reciproco : non ullam in hoc seculo esse dominationem, nisi a Deo; et qui se contra eam erigat, divinæ majestatis offensam incurrat; subitaneam iniquæ mentis inflationem pacientiæ gubernaculo debere retrahi, et cum humili supplicatione consolationem expectare sibi veraciter profuturam; saciusque arbitror esse, alcius de die in diem ascendere, quam ruinam inexuperabilem subito [943] incurrere. Libenter nepotem meum aliqua ex parte defenderem, si veritatem a cunctis fidelibus honorandam polluere auderem. Approbata sunt in multis antiquorum proverbia : inveterata populi

VARIÆ LECTIONES.

[932] se *deest A. S.* [933] bolislaus 2. [934] nepotem *A. S.* [935] Qui mox consentiens ad condictum locum avunculo occurrit. *A. S.* [936] incommodi *A. S.* [937] possit 2. more antiquorum r. *A. S.* [938] arnestum 2. [939] *Pergit hic codex* 1. redariorum 2. [940] rogatianum 1. [941] positos 1*a*. [942] augusta 1*a*. [943] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(638) *I. e.* attingere vel dimidium dierum sibi concessarum.

(639) Cf. Ann. Quedlinb. a. 1003.

(640) Marchionis Bawariæ.

(641) V. Ann. Quedl. l.l.

(642) Bruno, postea a. 1007, episcopus Augustensis.

facinora parere nova mali pudoris detrimenta. Namque patri regis genitor istius non ut miles, sed ut inimicus sepe resistit, imperatorumque partem, ut ipse testatus est, ob confirmatam sacramentis gratiam adjuvit. Similiter et iste usque in finem ultimi Ottonis ei fidelis erat, seniorique suo usque ad hæc infelicia strennue ministrabat tempora. Set regi secreto mentis latebat repostum (643) patris suique zelus infinitum. Spero autem, quod hoc omne pro amore Christi inultum semper [944] relinqueret, si hunc tam crudeliter et cum cæteris sibi contrariis (f. 90) aperte sibi renitentem non cerneret. Heinricus marchio quamvis in hoc crimine solus culpabilis appareret, tamen absque consilio aliorum hoc primitus non aggreditur. Et quia pro magno dedecore in hoc seculo proditor habetur, maluit hoc conscientia gementi celare, quam sui damnum aliorum augere detrimentis; et ob hæc qui prius viriliter suam ab hoste defendere studuit patriam, tunc aperuit huic in rapinam mittiturque ei clam a Bolizlavo auxilium nihil sibi omnino proficuum.

21. Venienti autem tunc regi ad locum, qui Hatheresburgdi [945] (644) dicitur, omnem thesaurum suum se precedentem Maganus, comitis predicti miles, cum suis corripit, ac tum intra se dividentes, ad Amardelam civitatem (645) letus revertitur. Quos rex pone insecutus possedit [946], compositisque bellorum instrumentis, eos vitam solum, reddita urbe et preda, filiis intercessoribus postulare compulit. Tunc destructa penitus eadem, divisaque inter suos Poleniorum multitudine, rex inde ad Crusni (646) castellum, in quo frater comitis Heinrici, Bucco nomine, dominam suam Gerbergam cum filiis custodire debebat, proficiscitur [947]. Exercitum autem undiquesecus circumsedentem Heinricus comes cum suis exterius inpugnabat, quosdam vulnerans, aliosque incaute frumentum equis (f. 90') congregantes primit. Quod ne amplius fieri potuisset, rex curiose previdit, positis militibus quadringentis, hostemque secretiora cujusdam [948] vallis petere loca coegit. Quem ibi castra metantem rustici unius incontinens lingua custodibus prodidit. Hii autem medii fervore diei illo latentibus tendentes insidiis, ut primum castra visis agnovere tentoriis, alta voce per kirieleison sotios convocantes, hostes, relictis ibidem omnibus suis, capto solum Ernasto, effugarunt. Reversi tunc idem ex magna parte tristes, effitiunt consodales admodum lætantes; presentatoque regi captivo, capitalis sententia a judicibus decernitur, quæ Magontinæ archipresulis Willigisi intercessione supplici et quæ regi placuit redemptione amovetur. Tunc audita senioris sui fuga, Bucco comes gravi dolore concutitur, ac quid sibi tunc [949] foret faciendum, socios consulit. A quibus diversa percepit responsa. Quidam dixerunt, ob fidem seniori suimet promissam ac ignaviam perpetuo eis inputandam mori malle, quam urbem cum tali pignore regi umquam dare; superstite adhuc seniore suo, auxilium semper sperare profuturum. Alii autem, qui plus sapiebant (f. 91), aque torrenti et homini potenti arduum esse testabantur resistere; devictos raro aut numquam promereri veniam; incolomes et nullo se tunc vulnere tardatos, cum domina suimet cæterisque bonis ac hospitibus abeundi licentiam apud regem imploraturos affirmabant. Horum, ut opinor, consilio custos ejusdem civitatis Bucco cum Ottone germano suimet domino loquitur, ejusque suffragiis urbem regiæ potestati tradidit; ipse autem cum omnibus sibi commissis securus abiit. Confestim civitas radicitus dirui a rege jubetur; set parcentibus hujus rei auctoribus, magna ex parte cum ædificiis servatur.

22. Interim dum rex Heinrici comitis urbem Crusni vocatam possedit, Bolizlavus eum in aliquo ledere sumopere nisus, clam exercitum colligit, et per nuntios suimet Guncilinum fratrem ortatur, ut memor firmæ promissionis urbem Misnensem suæ redderet dicioni amiciciamque renovaret pristinam. Ille autem sciens, istius ingressu a gratia regis et a demonio [950] tali se penitus exclusum fuisse, mandatis talibus respondet : *Omnia quæ præter hæc a me expetis, frater, libenter inpendo, et si umquam hæc faciendi* (f. 91') *oportunitas accidit, non recuso. Sunt mecum senioris mei satellites, qui talia non paciuntur; et si hoc publicatur, vita mea cum omnibus, quæ possideo, periclitatur.* Hac legatione accepta, Bolizlavus internuntios custodiri et legionem ad Albim properare jussit. Hic qualitatem vadorum secreto perquirens, mane facto ipse [951] subsequitur, et ad Strelam civitatem, quia suæ dos erat filiæ (647), demandat, ut nec sibi quicquam timerent, neque cum clamore illato convicinos de hac re certos efficerent. Nec mora, exercitus jussu ducis in quatuor dividitur, et ad Cirin castellum (648) vespere conveniri precipitur. Duæ [952] autem phalanges premissæ, ne sui aliquam a marchione molestiam paterentur, providere stude-

VARIÆ LECTIONES.

[944] sep 1. *sæpius.* [945] *ita* 1*a. sed alterum* r *erasum est.* Hatheresbrugge *A. S.* [946] possedet 1*a.* [947] proficissitur 1*a.* [948] cuidam 1. [949] a. q. s. t. *add.* 1*b.* [950] *ita* 1. i. *e.* demanio *aut* dominio. dignitate sua *A. S.* [951] *add.* 1*b.* [952] e *in loco raso* 1*b ?*

NOTÆ.

(643) *Manet altâ mente repostum.* Virgil. Æn. 1, 26.

(644) Fortasse Haderesbrugge in pago Nortgowe, hodie Hersprich juxta fluvium Regnitz, inter Nurnberg et Amberg.

(645) Amerthal, pagus haud procul ab Amberga situs. Chron. Gottwic. I, p. 716. Urs.

(646) Creussen, infra urbem Baireuth.

(647) Conf. supra l. IV, c. 37.

(648) Nunc Zehren, pagus non multum ab urbe Misna distans. Castellum jam olim dirutum. Urs.

bant. Totus hic pagus, qui Zlomizi (649) dicitur, optime tum excultus, in una hac die igne, gladio et habitatoris eductione flebiliter desolatur. Sed qualiter is [953], qui omnes crebro fallere solebat, a quibusdam, qui in Mogilina urbe (650) sedebant, deludereturque [954], memorare libet. Hii cum a legione ad eos missa impugnarentur : *Cur sic facitis ?* inquiunt. *Vestrum seniorem optimum scimus, et hunc nostro preponere volumus. Tantum precedite, et nos cum familiis et possessionibus* (f. 92) *universis subsecuturos* [955] *non dubitate.* Talia orantes, non amplius vexabant hostes, et seniori suo hos [956] adventare pro certo nunciabant. Sed cum commilitones ad condictum sero confluere locum, hosque [957] domi sedere dux cerneret, multum irascitur, et mendacibus sociis pœnas [958] minatur. Postera luce, orto jam sole, preda innumerabilis premittitur, et magna pars hostium Albi immergitur. Cæteri domum redeuntes inlesi, dividunt predam, seniori suo optima [959] quaque assignantes. Non fuit minor captivorum numerus quam tria milia, et ut presentes affirmabant, multo amplius.

23. Heinricus vero [959a] comes se jam defecisse [960] animadvertens, ad urbem Crana dictam (651) properat, ibique Sifridum, filium comitis Sigifridi juvenem, auxilio se expectantem collato inveniens, nec sibi neque huic ullam in rebellione spem in his partibus promisit. Tandem cum eo [961] multa locutus, eandem incendit, seque ad Boemiæ tunc invasorem Bolizlavum cum domno Brunone residuisque fautoribus concessit [962]. Sifridus vero, spe palam resistendi frustrata, non eos comitatur, sèt de futura commissi emendatione certus revertitur. Rex autem ad Cranam hostem insecutus fugientem, lenivit in hoc suimet animum, quod agnovit (f. 92') se inimicum in destruendis preoccupasse. Misit tunc Heinricum, Wirciburgensis episcopum, et Erkanbaldum, Fuldensis cœnobii abbatem, ut Suinvordi castellum incenderent atque diruerent. Quos adventantes Heinrici comitis inclita mater, Eila nomine, ut talibus decebat personis, suscipiens et salutans, ut precepta intellexit regalia, perturbatur, concitoque cursu ad æclesiam properans, ibidem ignis concremationem prius sustinere, quam hac comburente viva vellet exire, testatur. Unde seniores prefati, ob Christi amorem [963] seculares postponendo timores, decretam mutabant sententiam; murosque urbis ac ædifitia solotenus frangentes, tristem matronam his mulcebant promissis, si quando cum gratia regis id fieri potuisset, hoc totum ex sua parte se renovaturos. Rex autem devastata omni comitis proprietate [964] et cum beneficio late divisa, ad Bavanberg venit; ibique exercitu suo bona cum pace dimisso, nativitatem Dei genitricis (*Sept.* 8) sollempnibus celebravit gaudiis. Inde profectus ad silvam Spehteshart (652) nuncupatam, laborem expeditionis delinivit suavitate venptionis (f. 93). Completa ibidem autumnali jocunditate, per Franciam transiit ad Saxoniam, indicens hiis proxima hieme suam ad Milzieni expeditionem (653). Post hæc natale Domini in Palithi [965] more priorum divinitus ac humanitus honorando [966] peregit (654).

24. Deinde ad Thornburg veniens (*an.* 1004), Willigisum archipresulem cum cæteris familiaribus ad Gisilerum misit archiepiscopum, tunc nimis infirmum, ut memor Domini, quicquid [967] in destructo Merseburgensi episcopatu [968] hactenus deliquid, hunc resumendo injustamque sedem relinquendo, in ultimis saltem emendare voluisset. Hunc [969] primo propter Herimannum, quem sibi idem semper in regno summopere conatur preponere, odivit, posteaque data huic suimet gratia, inter familiarissimos habuit; commissique ei omnibus in Saxonia suimet proprietatibus, fidelem in hiis persensit provisorem, multa quæ tunc suæ arridebant voluntati, per eundem complens. Tandem zelum Dei amplius [970] ferre non valens, perfecto hunc persecutus odio, hos, sicut predixi, nuntios misit. Quibus vix talibus respondit : *Dentur mihi trium vel quatuor inducie dierum, et mihi liceat abire; quibus transactis* (f. 93'), *certa vobis referam.* Hoc apud regem inpetrans, et in curru, ut diu tunc solebat, exiens, ad Thriburi (655) curtem suam venit, ibique duos commoratus dies, 8 Kalendas Februarii migravit ab hoc seculo. Quo audito, rex corpus archiantistitis precedens, usque ad Magadaburch subsequitur, premittens eo capellanum suimet Wigbertum, ut de electione Taginonis [971] unanimem confratrum voluntatem inpetraret. Set prepositus ejusdem civitatis, Waltherdus nomine, convocatis in unum confratribus universis, obitum senioris et adventum regis pariter indixit, obsecrans ut invicem unum aliquem inquirerent, cum quo antiquam eligendi consuetudinem retinerent. Cui ab omnibus ilico respondetur, eundem se communiter velle in dominum, divina ad hoc

VARIÆ LECTIONES.

[953] his 1*a*. [954] deludetur 1*a*. [955] subsequituros 1*a*. [956] has 1*a*. [957] hasque 1. [958] o *ab* 1*b*. *ut videtur additum.* postea, *ut sæpius* a *et* o, *erasum est* 1. [959] optimo optimo 1*a*. [959a] *add.* 1*b*. [960] s. i. d. *in loco raso* 1*b*. [961] ea 1*a*. [962] eccessit 1. [963] amore 1. [964] propietate 1. [965] polithi 1*c*? [966] honerando 1. *ut jam supra.* [967] quicquid 1. [968] merseburgiensis episcapatum 1*a*. [969] hunc archiepiscopum Gislerum rex 2. [970] Tandem vero zelo Dei instinctus injustitiam tantam amplius 2. *A. S.* [971] taginone, *corr.* tajone, *alibi* tainone, *sed ubique fere alia manu restitutum* taginone 1.

NOTÆ.

(649) Supra l. I, c. 3, dictus Glomuci, ubi de lectione dubitari nequit.

(650) Mugeln prope Hubertsburg et Oschatz.

(651) Kronach in Bavaria.

(652) Spessart.

(653) Conf. Ann. Quedlinb. a. 1002. qui hoc anno referunt expeditionem, quæ secundum Thietmarum l. VI. c. 2. anno 1004. est suscepta.

(654) Conf. Ann. Hildesh. a. 1004.

(655) Alias Troibern, castellum nunc dirutum non multum a Thornburg adfuisse suspicor, et ex hac ipsa relatione et ex Felleri monum. ined. p. 18. Urs.

favente gratia, habere. Hoc cum magna, ut decuit, humilitate idem suscipiens, veniam prostratus peciit. Delatum est corpus archiepiscopi ad sanctum Johannem (656) ibique proximam noctem dignis servatur honoribus. Postera autem die cum ad sanctum portaretur Mauritium, adveniente tunc ibidem rege, ab eo omnique clero et populo suscipitur, secundamque noctem diligenter custoditur. Mane jam facto, Arnulfus episcopus (657) (*f.* 94) a rege ad confratres et ad milites [978] admodum tristes gratia Taginonem eligendi mittitur. Cui legationem suam cunctis ordine pandendi Walterdus respondens pro omnibus : *Scimus*, inquit, *quid vester senior intendat. Volumus, si licet fieri, potestatem habere eligendi; et cunctus presentibus his, me quamvis indignum voluerunt in vacuum succedere, ut ipsi potestis probare. Detrimentum æcclesiæ fieri nostræ multum veremur; quod ne eveniat* [978], *regiam pietatem ac vestram petimus intercessionem. Non sumus inmemores proverbii cujusdam sapientis* (Lucan. III, 145 sq.) : *Libertatem populi, quem regna cohercent, libertate dominantis* [978] *perire, tantumque ejus umbram servari, si cunctis ejusdem velit obtemperare preceptis.* His dictis, presul egressus, regiis omnia instillavit auribus. Qui mox prepositum vocans multumque ei promittens, et sui licentiam ac consotiorum in eleccione Taginonis gratiam acquisivit. Confestim in majorem convenientibus æcclesiam cunctis, rex baculo Arnulfi presulis clerum et populum Taginoni venerando patri, cum redditura summo judici racione, commisit, eundemque in cathedram episcopalem ipse constituit, assantibus universis et [978] laudes Deo canentibus. Celebrata pro defunctis memoria (*f.* 94'), corpus archiepiscopi coram altari [978] australi sepelitur.

25. Set antequam ad nostræ sedis renovationem [977] perveniam, libet quædam de prefato viro qui tunc ordinandus erat, disserere. Fuit hic egregii clericus Vulfgangi, qui Ratisbonensem pius pastor, habitu et conversatione monachus, rexerat æcclesiam. Huic tam carus erat iste, ut in vice filii a puero nutriens eundem, jam adultum bonis suimet omnibus prefecisset. Insuper ducis et imperatoris gratiam in tantum ei acquisivit, ut [978] si quando se de hac luce divina jussione subtraheret, hunc sibi successurum non dubitaret. Consummato tunc hujus exilii cursu [979] in sanctitate admirabili, venerabilis antistes cum jam usque ad mortem egrotare cepisset, accersito ad se dilecto Taginone [980] : *Pone*, inquit, *fili, os tuum super os meum, accipiens a Deo insufflationem spiritus mei, ut ubicumque ardore juventutis incalescente, in gemina caritate sis* [981] *frigidus, a summa potestate meique benivolentia temperamentum accipias; et si meis honoribus forsitan privaberis, post bis quinos solares annos, cum mea apud Deum tuo commissa, majoribus pro certo lætaberis.* Post hæc vir sanctus cum finem suum adesse (*f.* 95) in spiritu presciret, jussit se in ecclesiam portare [982]; expletisque ab eo orationibus cæterisque quæ a fratribus facienda erant, se cum sibi commissis Deo commendans, pridie Kalendas Octobris sanctum emisit in pace spiritum (*an.* 994). Electus ille ab universis ad imperatorem venit, set promissa non percipit, dato tunc ab imperatore episcopatu capellano suimet Gebehardo. Committitur huic iste fideliter, et quamvis ab eo honorabiliter haberetur, tamen quia bonum et malum non sunt ad aliquid (658), non longum tempus cum eo ob morum suorum [983] inequalitatem [984] versatur. Adhesit namque ilico Heinrico tunc duci, et propter castitatem mentis et corporis ei complacuit, ac usque ad hanc diem, quam prefatus sum, malis moleste, bonis accepte, perdius et pernox ei servivit, Deo et hominibus sua specialiter inpendere satagens; compleaturque [985] ob hoc a rege, propter sancti viri ab eodem unice dilecti amorem [986], veredicum [987] ejusdem vaticinium, decursis tunc, ut ipse domnus Tagino sepe mihi retulit, decem annorum curriculis. Qui carissimum suimet dominum ac reginam cum omnibus consociis multiplicibus, ut decuit, honorat muneribus, nequaquam suæ benignitati ad hoc subpetentibus.

26. Inde rex cum eodem ad castellum (*f.* 95') ipsius, nomine Givikansten [988], pergens (*an.* 1004), omnia, quæ ibidem ab Gisilero antistite collecta sunt, singulariter perspicit, et hæc esse superflua testatur. Dehinc Merseburg diu pastore suo viduatam consolationis gratia adiens, eandem pristinis restitui honoribus quam maxime conatur. Ibi tunc Tagino venerandus 4 Nonas Februarii, id est yppapanti Domini, id est obviacione justi Simeonis, accepta ab Hilderico antistite (659) licentia, qui primus horum in ordine fuit confratrum, a Willigiso, archipresule Magontino, consecratus est, presente rege ac Romano nuncio, omnibusque coepiscopis ad hæc faventibus. Et quia is, ut scriptura ejus testatur, ab solo ordinandus apostolico, huc (660) venire propter instantem necessitatem non potuit,

VARIÆ LECTIONES.

[978] ministeriales 2. *A. S.* [978] nec (*corr.* ne) veniat 1. [978] dominatis 1. [978] *add.* 1*b*. [978] altare 1*a*. [977] renovationis 1*a*. s *eraso*. [978] *deest.* 1. [979] *in* 1. *hic es rasura trium aut quatuor, et post* antistes *octo vel novem litterarum.* [980] tagione 1 *a*. *littera* g *adrasa, neque restituta.* [981] *add.* 1 *b*. [982] portari 1 *c*? 2. [983] suarum 1 *a*. [984] inequalitate 1. [985] que *add.* 1 *b*. [986] quippe qui nutritor ipsius regis extitit *add.* 2. nam et n. i. r. fuerat *A. S.* [987] veridicum 1 *c*? [988] giuikanstaen 1 *a*.

NOTÆ.

(656) Monasterium Bergense.
(657) Halberstadensis.
(658) *I. e.* non conveniunt.
(659) Havelbergensi.
(660) sc. Magdeburg.

ibidem sacri crismatis delibucione tercium implevit numerum, Waltherdo post se omnem committens episcopatum [989] (661). Rex autem, quo semper esurivit atque sitivit, justiciæ cibo gestiens tunc saciari, quia aliter non posse fieri apud Arnulfum presulem sciebat, cum [989'] centum concambio mansorum, super solum Merseburgensem burgwardum, episcopalem redemit bannum. Quicquid autem a carissimo Taginone exposcerat, bonæ voluntatis habundantia hoc largiente perceperat. De Misni (f. 96) atque de Citici episcopatibus decrevit regia potestate ad integrum redire, quod antiquitas hinc demptum valuit explicare. Unde hiis versibus preludo Christi odas concinentibus [990] :

O sol justiciæ fulgens [991] super omnia, Christe [992]!
Adventu primo mundum redimensque secundo
Cum patre plasmator dissolvens, examinator
Solus, pro variis dispensans [993] premia factis
Humano generi, sceleris per prona labenti,
Vera dies, lucem, tu, nunc benedicito talem,
Qua pius æcclesiam visitasti despoliatam.
Mersburg te laudet, de tuis munere gaudet,
Ejus et nati, pastores ac renovati
Persolvant grates tibi nunc ex corde fideles.
Inclite rex regum, modo suscipe fasma (662) tuorum.
Clemens Heinricum de cœlis respice servum,
Et contectalem suimet defende fidelem,
Hiis tua pro parvis bona prestans maxima donis.
Vivat in ætheria Taginonis spiritus aula.
Waltherd et Gero (663) valeant in fine beato [994].
A Christo salvi sint omnes atque locandi
Sedibus Elisiis (664), te, Mersburg, qui pietatis
(f. 96') Affectu dextris exaltavere benignis.
Omnia qui primus regis, Deus, atque supremus,
Hanc moderare, tuo queat ut subsistere remo;
Ejus custodes tua sint precepta sequentes,
Hostes nil valeant, conversi sed bona reddant.
Sis rogo propicius, qui destructor fuit hujus.
Insuper et cunctis, qui subvenere malignis,
Da veniam, læti quo spectant certa futuri [995].

Urbs Wormacensis gaudet temporibus istis
Libertate sua, cujus manebat in umbra
Hactenus, atque ducum fuerat sub lege suorum (665).
Burchard antistes lætatur et inter heriles
Ex animo proceres, quod non timet amplius hostes
Nunc ex contiguo, longe semotus ab illo.
Aula ducis domini domus est jam preclua Christi,
Et judices varios clerus nunc deprimit illos.
Hoc rex Heinricus fecit, pietate coruscus [996],
Hanc propriis solvens rebus Christoque remittens.
Annuit ista pius Otto [996] dux, atque benignus
Munere regali concessit habunde teneri (666).
Ex hoc lætantes sint semper quique fideles [997].

LIBER SEXTUS.

1. (f. 97) Post salutiferum intemeratæ virginis partum consummata millenarii linea numeri, et in quinto [998] cardinalis ordinis loco (*an.* 1004 *Febr.*) [999], ac in ejusdem quartæ inicio ebdomadæ, in Februario mense, qui purgatorius dicitur, clarum mane (cf. Pers. III, 1) illuxit seculo, et Heinricus, Dei gratia rex, antecessorum nevam suorum cupiens emundare sibique veniam promereri æternam, dispositis secundum suimet placitum ad hæc pertinentibus cunctis, perrexit ad domum suam, ubi se corporaliter [1000] semper solebat reficere, ut ibi desiderato diu alimento paululum recrearetur in mente. Convocansque ad se omnes regni primates, dedit epiC scopatum sanctæ Merseburgensis æcclesiæ cuidam [1001] capellano suimet, nomine [1002] Wigberto, cum archiantistitis baculo Taginonis, cum quo ipse, quicquid antecessor suus injuste de hac auferre presumsit æcclesia, renovationi ejusdem arridens reddidit (667), consentiente hoc Arnulfo presule, Eido quoque et Hilliwardo episcopis, quibus [1003] diocesis illa fuit divisa, ac omni populo applaudante. Ductus mox cum divina jubilatione ad sedem suam Wigbertus (f. 97'), eodem die ab archiepiscopo suimet Taginone, et a confratribus Hillerico et Wigone cum predictis coepiscopis consecratur.

2. Interim Bolizlavus suo furore et comitis Hein-

VARIÆ LECTIONES.

[989] Watherdo — episcopatum *add.* 1 *b.* et w. commisit 2. *A. S.* [989'] *add.* 1*b.* [990] 2. *hoc loco sextum incipit librum, in ima margine addens :* Incipit prol. lib. sexti. [991] *Ita sine dubio legendum.* fulges 1. Xpriste 1. [993] dispensas 1. [994] Waltherd — beato *add.* 1 *b.* [995] *Hic in ultima quaternionis pagina media desinit manus, quæ et hosce duos quaterniones, librum V. complexos, et sequentem seu sexti libri priora folia octo scripsit tractu continuo, ut atramentum ostendit. Sequentes versus alia manus Thietmari similis addidit, paulo post, ut videtur; ultimos quinque ipse Thietmarus apposuit. Unde apparet, tredecim ultimos versus reliquis esse recentiores.* [996] choruscus *littera* h *puncto notata ideoque deleta* 1. [997] o. d. at *in loco raso* 1 *b.* [998] *alio atramenta* 1. [999] Explicit prologus. Incipit liber sextus *add.* 2. [1000] *Ursinus aliique jam adnotaverunt hic legendum esse :* in quarto cardinalis... ejusdem quintæ inicio, *ut tum ex ipsa narrationis serie, tum ex Heinrici regis chartis* 1004, *Mart.* 5 *et* 6. *datis patet.* [1001] loc *in loco raso* 1 *b.* [1002] corporaliter *a.* [1001-2] *ita A. S. vocabulum in* 1. *erasum* quidam *fuisse videtur.* [1003] *add.* 1*b.*

NOTÆ.

(661) Conf. infra l. VI.

(662) *I. e.* sermo, a fando.

(663) Gero electus in archiepiscopum Magdeburgensem a. 1012.

(664) *Sedibus Elysiis* ex Lucani Pharsal. l. III. v. 12.

(665) Plurima a Heinrico II sunt privilegia data ecclesiæ Wormatiensi. Noster respexit imprimis præceptum regis a 1014 Jul. 29. datum, per quod eam versus iniquas comitum impetitiones tuetur.

(666) Videsis chartam regis a 1002 Oct. 3.

(667) Hæc renovatio episcopatus Merseburgensis per chartam regis anno 1004, Mart. 4 datam est sancita.

rici instinctu magnam vim Bawariis omnibusque concivibus suis intulit. Ob hanc causam rex indicta prius expeditione, Milzini fines hostiliter invasit, et ni superflua nivis effusio celeriter resoluta eum impediret, omnis hæc regio habitatore vastata caruisset. Inde reversus, tristis Guncelioni marchioni cæterisque patriæ defensoribus positis auxiliatur presidiis; ac tunc Merseburg veniens, fratrem suum fugisse ad Ungariorum [1004] regem (668) veniæ gratia acquirendæ, Heinricum autem incepti multum penituisse, ab fidis intercessoribus ab eo missis comperit. Quorum et maxime percari suimet Taginonis [1005] et Bernhardi ducis supplicaciones etsi invitus suscipiens, prefato comiti suimet gratiam ea ratione indulsit, ut predium sibi suisque fautoribus et incolatum redderet, ipsum autem, quamdiu voluisset, in custodia detineret. Heinricus vero se nimis in omnibus culpabilem lacrimabiliter professus, more et habitu penitentis regi se tradidit, ejusque jussione (f. 98) ab archipresule predicto in castellum Ivicansten detruditur, diligenterque a suis militibus die noctuque servatur. Ibi tunc preter aliud bonum opus in una die psalterium cum 150 veniis cantavit [1006].

3. Interea rex Italicæ haud immemor injuriæ, omnes suos fideles ad hanc ulciscendam hortatur, ac instanti quadragesima ipse eo cum armato milite destinavit pergere. A Merseburg tunc exiens, sancti Mauricii apud Deum intercessionem itinerisque prosperitatem Magadaburg peciit (669). Inde per [1007] Thuringiæ orientalisque fines Franciæ transiens, ad Ratisbonam venit; ibique habito regali placito, militi suimet generoque Heinrico (670) 12 Kalendas Aprilis cum omnium laude presentium, cumque hasta signifera ducatum dedit. Dehinc Augustanam urbem itinere attingens, a Sigifrido antistite ejus honorabiliter introducitur et habetur. Ibi tunc duas tantum noctes commoratus, reginæ diligenti salutatione licentiam dedit ad Saxoniam abeundi, dilectoque eam [1008] commisit Taginoni. Ipse autem cum exercitu progreditur usque ad locum qui Tinga [1009] (671) dicitur. Ibi domnus Brono, frater ejus, cum Ungaricis intercessoribus regi presentatur, et ab eo data sibi gratia misericorditer suscipitur. Equidem ab archiepiscopo Taginone rogatus, ad predictam civitatem veni, et cum eodem (f. 98') redii (*Mart.*). Venimus ad saltum Geronis (672), ibique cum venerabili abbatissa Hathui palmas sollemniter peregimus; 4 feria ad Magadaburg regina veniens, cenam Domini et subsequentem dominicæ resurrectionis sollempnitatem ibidem celebravit.

4. Rex autem per multas itineris asperitates [1010] ad Tridentem veniens urbem, ibi palmarum festa colit (*Apr.* 9), et exercitum nimii laboris necessitate afflictum hac celebri sollempnitate [1010] paululum respirare permisit. Quem adventantem Hardwigus rex [1010*] prescions ac multum expavescens, ad municiones supramemoratas nuntios probatos misit; ipse autem collectis agminibus in Veronensi [1011] planicie considens, sperabat presentia preteritis prosperitatibus forsitan respondere. Hunc transitum Heinricus rex interclusum aut vix aut nequaquam expugnandum comperit; et alio se vertens, cum suis tractat familiaribus, si clusas hinc longe remotas, Carentanis auxiliantibus, intercipere ullatenus valuisset. Quod consilio prudenti, quamvis arduum multis videretur, effectum est. Carentani regalibus jussis ilico obtemperantes, in duas dividuntur legiones; unam, quæ ante ipsum diei crepusculum montem clusis (f. 99) superpositum cum peditibus clam preoccupabat, alteram [1012] quæ jam facto mane ad has expugnandas subsequitur, audito a premissis commilitonibus signo tam vehementi, ut ex latentibus hostium insidiis audiri potuisset. Qui post tergum, ut opinabantur, securi, venientibus obviam armati properant. Sed nostri eos ex latere irruentes alios effugarunt, quosdam autem precipicio et in Brenti fluminis inundacione compellebant interire. Sicque victores clusas [1013] usque ad regis adventum sollicite tuebantur. Hoc rex ab internunciis ut audivit, relictis omnibus impedimentis, optimis satellitibus exceptis, cum magna difficultate eas pertransit, et juxta litus aquæ supramemoratæ in quadam grata planitie castra metatus est, ut ibidem cenam Domini et chrismatis consecracionem ac passionem dominicam et sanctam ejus resurrectionem sumopere veneraretur (*April.* 13-16). Interdicta est omnibus per bannum regalem a palatino comite fuga, et resistentibus viriliter promittitur solatio futura. Rex autem in 3 feria aquam transiens predictam, fixis iterum tentoriis requievit, exploratores prestolans, sollicite ad quærendam [1014] Hardwigi hostis conversationem clandestinam.

5. (f. 99') Longobardorum vero mens [1015] hactenus in malo unanimis, divinæ pietatis instinctu dividitur, et ab injusto supplantatore disjuncta, a Deo coronato regi [1016] Heinrico securum fuga patefecit

VARIÆ LECTIONES.

[1004] i *erasum* 1. [1005] daginonis 1*c. sæpius.* [1006] Ibi — cantavit *add.* 1*b.* [1007] Inper 1. [1008] ea 1. [1009] *ita* 1 *in loco raso.* Tonga *A. S.* [1010] asperitatis 1. [1010*] *add.* 1*b.* [1011] uveronensi *e corr.* 1*b.* [1012] cum — alteram *suppletum ex A. S. in cod* 1 *hic majore versus parte abscissa,* [1013] clausas 1*a.* [1014] adquirendam 1*a.* [1015] *Post syllabam* clan *in* 1. *major versus pars excisa;* destinatam — mens *suppleta ex A. S.* [1016] rege 1*a.*

NOTÆ.

(668) Sc. Stephanum.

(669) Ibi adfuit Februarii d. 24, teste charta.

(670) Heinricus dux factus Bavariæ, frater fuit reginæ Cunigundæ.

(671) Nunc Thingau, prope civitatem Kempten.

Dedicationi ecclesiæ S. Mariæ in hac civitate Martii die 19 Thietmarum nostrum adfuisse, conjici licet ex Kalend. Merseburg. h. d.

(672) Gerenrode in ducatu Anhaltino.

ingressum. Verona primo eundem succipiens, exultat in Domino, advenisse defensorem patriæ, auctorem vero abisse totius miseriæ. Huic occurrunt diu expectato Thiedoldus [1017] marchio cum predictis auxiliatoribus, gaudens tempus advenisse, quo [1018] secretum bonæ voluntatis sibi liceret huic aperire. Tunc rex tali comitatu Brixnam (673) veniens, ab archiepiscopo Ravennate et ab hujus sedis provisore Ethelberone [1019], cum provincialibus succipitur. Inde Pergamam, ab Arnulfo imperatore olim devictam (674), itinere attingens, Mediolanensem archipresulem fide sacramentis firmata recepit. Post hæc Papiam visitans urbem (*Mai.*), ab archiantistite hoc et a primis illius regionis susceptus, cum admirabili laude ad æclesiam ducitur, et communi electione sublimatus in solium regale collocatur.

6. Eademque die revelatur, qua mutabilitate totius mundi hujus instabilis cursus in pronum semper volvatur. Namque inter tot gaudia subito insevit inimica pacis discordia, (f. 100) et a superflua vini ebrietate de vili causa interrupta est miserabili er fidei connexio et sacramenti. Concives adversus noviter electum regem, armantur, ad palatium properant, et maxime hii, quibus jus Heinrici displicebat, Hardwigi autem relaxatio molebat. Clamor ut a rege auditur, et quid hoc esset, explorari cicius ab eo jubetur. Cui protinus respondetur, plebeios [1020] furore subitaneo inflammatos et servili [1021] presumptione animatos, hanc commotionem primitus incepisse; cæteros quoque omnes in detrimentum sui vel dedecus convenisse. Quos jam irrumpentes Heribertus, Agripinæ [1022] provisor egregius sedare conatus, de fenestra ut causam tantæ invasionis inquirit, lapidum imbre et sagittarum infusione retruditur. Palatium autem ab hostibus graviter impugnatum, a domesticis [1023] regis facile numerandis est viriliter defensum. Divisetenim in plura necessaria nostris, major vis excrevit inimicis. Tandem audito clamoris immensi strepitu, nostri gregatim ad regem properant, hostesque adhuc insanientes paululum expellunt; sed imminente jam nocte sagittis atque lapidibus obviis tardantur. Quæ ad providenda, urbis tunc incendunt mœnia. Nostri autem qui foris erant, urbis propugnacula (f. 100') fortiter ascendunt, quibus hii sic melius resistebant. Ibi tum quidam egregius [1024] juvenis, Gisilbertus nomine, frater reginæ, a Longobardis vulneratus oppeciit (675), et consociorum tristiciam vehementer adauxit. Quem Vulferam miles, in medium agmen prosiliens unumque ex his per galeam usque in jugulum feriens, securus vindicavit. Sic alternando quietem cunctis [1025] amicam belli [1026] asperitate mutabant. Nonnullos ex hostibus, quos vi capiebant nostri, vivos regi presentabant. Subito ibidem ruina domus, quæ nostros tuebatur defatigatos, a Longobardis incensa ruit, at eos nulla spei certitudine potitos alacriores bello reddidit. Interim Alemanni cum Francis et Liuthariensibus [1027] tandem hæc mala rescientibus fractis intrantes muris, in tantum concives persecuti sunt, ut e municione domnum [1028] suarum nec unus egredi presumeret (*an.* 1004, *Mai.*). Harum sumitate hii nostros jaculis gravantes immissis, incendio perierunt illato. Difficile est cuiquam ad enarrandum, quanta ibidem strages diversis efficitur modis. Milites regis tum victores sine ulla offensione spoliis interemptorum utuntur. Hoc miserabili (*f.* 101) asspectu rex motus, et ut residuis parcerent firmiter [1029] precipiens, se ad municionem sancti Petri contulit, hostibusque veniam suppliciter implorantibus misericorditer indulsit. Tunc absentes quiqui [1030] accepta regis victoria, aut ipsi veniunt, ut talia declinarent, aut obsides mittunt, fidem, auxilium et subjectionis debitum regi promittentes [1031].

7. Sedatis tunc Papiæ calamitatibus, rex ad Pontem longum (676) venit, Longobardorumque [1032] residuum agmen per manus suscipit; habitoque ibidem cum omnibus conloquio, rebusque maximis prudenter ordinatis, Mediolanum sanctissimi presulis Ambrosii amore peciit; moxque ad prata [1033] predicti [1034] reversus, presentem populum, de subito ejus conquerentem discessu, promissa celeri suimet reversione ceterisque consolationibus multis placavit pontis. Insistentem vero [1035] tunc pentecostes sollemnitatem (*Jun.* 4) in loco, qui Grommo (677) vocatur, celebrat. Inde tum procedens, Tuscos [1036] sibi obviantes in consorcium sibi firmiter servientium suscepit. Dehinc patriam revisere festinans, Alemanniæ fines, nuper a ducis [1037] Herimanni solatio privatos, filioque ejus et equivoco adhuc puerulo deditos (f. 101') ad regendum et confirmandum invadit. Inde in Alsacia positam petens Argentinam, venerabilem Christi precursoris ibi excolit nativitatem. In cujus vigilia quæ Dominus per eum fecit mirabilia, non sunt mihi pretereunda, quia hæc piis ad delectacionem, reprobis autem dicuntur ad ter-

VARIÆ LECTIONES.

[1017] Thiadolfus *A. S.* Thiedolfus *eum vocavit cod.* 2 *supra l. V. c.* 16. [1018] qua 1. [1019] *add.* 1*b*. [1020] plebeios 1. [1021] servile 1*a*. [1022] sedis *add.* 2. [1023] domestis 1 [1024] egrius 1*b*. [1025] cunctis 1. [1026] *ita* 1*b* Martis 2 prælii *A. S.* quietem belli cunctis amicum (?) a. 1*a*. [1027] i *erasum* 1. [1028] domium 1 *a*. [1029] firmater 1 *a*. [1030] quique *corr.* quiqi 1. [1031] promittens 1. [1032] longobarumque 1. [1033] pratam 1 *a*. [1034] pont' 1. [1035] *add.* 1. [1036] induntuscos 1*b*. in Duntuscos 2. in Tuscos *A. S. Conf. etiam Adelbold Vitam S. Heinrici.* [1037] n. adducis 1 *a*.

NOTÆ.

(673) Brescia.

(674) V. Annal. Fuld. et Reginonis Chronic., a. 894, Liutprand. I, 23.

(675) Kalend. Merseburg. XV Kal. Jun. *Gisilbertus frater regine Chunignnde, obiit.* Maii 14-25. regem Papiæ deguisse, ejusdem chartæ docent.

(676) Forte oppidum Sponte in agro Novaresiæ, Papiæque vicino. URS.

(677) Urbs Crema, ut videtur.

rorem. Domus, in qua rex populo legis justiciam dabat [1038], subito cecidit, uni dumtaxat presbitero nocens, cum domna excommunicati injuste [1039] sedulo commoranti. Ille pre cæteris in hoc crimine culpabilis, morte sua, prius confractis cruribus, luit pœnam commissi facinoris. Quam dulcia piorum gesta ad ædificationem animæ ipsi legimus et ab aliis visu ac auditu didicimus, et tamen obdurato corde miseri desipimus, nec amovemur inolita nequicia certis malorum pœnis, neque delectamur inestimabilibus justorum premiis [1040]. Hinc rex discedens [1041], sancti Martini presulis limen Magontia supplex adiit, ibique natale apostolorum (678) (*Jun.* 29) venerabiliter coluit.

8. Post hæc [1042] per Franciam orientalem iter faciens, Saxoniam, ut sepe professus est, securitatis ac locius ubertatis quasi florigeram paradisi aulam, revisit. Ibi tunc diu reconditum zeli latitantis archanum ab simplici corde evomuit, et ad compescendam (f. 102) Bolizlavi arrogantis seviciam, omnibus in sua dicione Christo sibique fidelibus expeditionem Augusto jam mediante indixit (679). Statuto igitur termino in Merseburg exercitus fit collectio ac in hostem tandem secreta promocio. Assimulato namque in Poleniam itinere, naves Boruz (680) et Nisani [1043] glomerantur, ut ficta suorum benivolentia non fieret inimico circumeundi propalatio ulla. Interim magna inbrium effusio in transeundis fluminibus exercitui ineffabilis fit retardatio, et cum minime quis hoc conicere potuit, in Boemiam rex celeriter perrexit. Hujus adventum leo rugiens cauda subsequenti impedire satagens, in silva, quæ Miriquidui (681) dicitur, montem quendam cum sagittariis prorsus [1043*] intercluso omni aditu firmat. Rex autem id comperiens, premissis clam loricatis militibus electis, hostibus invitis arduam irrupere viam, facilem subsequentibus parantes [1044] callem. Inter hæc Bolizlavo [1045] in una dierum cenante, unus ex nostris, capellanus Reinberni presulis sui (682), de adventu nostri exercitus loquitur, et ab eo mox auditus quid diceret rogatur. Cui responsa referenti, tum id [1046] infit : *Si reperent ut ranæ, jam possent huc advenire.* Et verum est hoc (f. 102'), ni asspiraret regem [1047] divina pietas, et hunc non inflaret superbie magnanimitas, non proveniret nobis tam subito victoriæ prosperitas. Adjuvit eciam regem exulis Jaremiri, qui firma pax interpretatur, comitatus, et adoptatus ejusdem adventus Boemiorum delinivit agmen. Horum consultu et vocatione regi introitus patefecit, et in ipsa regionis istius janua unum castellum sua eidem sponte reddidit. Rex propter Bawarios nondum adventantes, tardato paululum itinere, ad urbem Satzi (683) dictam venit, et concives hos, portas sibi ilico aperientes et Polenos intus presidio positos occidentes, suimet cognovit amicos. Videns rex tantam stragem, commovetur, et superstites in una precepit æcclesia retrudi. Adest eciam, qui Bolizlavum a comprovincialibus esse interemptum pro certo referret. Letantur in Deo familiares regis, corruptique tristantur fautores adulterini ducis. Hii invicem mussantes ex injusti cordis sui secretario hoc evomuere mendacium : si rex umquam in bona securitate consisteret, se tunc ad nihilum valere multaque ab eo pati contraria debere. Propter hoc latente igniculo sub cinere (f. 103), in hoc itinere ac postea sepissime regi suo cunctorum hostem fidelium brutis pejores animalibus preposuerunt, ignorantes, quod ab eorum fraude vicarium suimet in terris Deus pater ingenitus, speculator desuper, liberaturus erat e cœlis.

9. Tunc Jarimirus jussu regis cum optimis militibus ex nostris ac cum incolis sibi adherentibus ad capiendum seu occidendum serpentem venenosum Pragam premittitur (684). Quem preoccupantes nuncii prescriptorum, rem ordine pandunt (Cf. Virg. *Æn.* III, 179) Bolizlavo, de tali periculo prius securo. Hic legatione tali commonitus, clam se preparavit, et subsequenti nocte jam mediante, audiens in urbe proxima, que Wissegrodi dicitur, campanas cives ad bellum sonitu bortantes, cum prima legione exivit, et patriam fugiendo revisit. Quem Zebizlovo, frater Adalbelberti presulis et Christi martyris, subsequutus, in ponte vulneratus oppetiit, et magnum hostibus gaudium, suis autem luctum ineffabilem reliquit. Crastina autem die Jarimirus adveniens, populis jura veniamque commissi poscentibus ante portam dedit, ilicoque intromissus, pristinis honoribus magna (f. 103') jocunditate inthronizatur, ac tunc depositis vilibus indumentis, preciosioribus [1048] ornatur. Huic ibi tum presentatur, quicquid unusquisque militum hosti fugitivo vel occiso spoliorum abstulit. Muneribus idem delectatus plurimis ad Wissegrodi introducitur, ibidemque in dominum exclamatur, regis indulgentiam et secum huc usque perseverantibus diu elaboratum promisit bravium. Confluit undiquesecus tam vulgi quam seniorum [1049]

VARIÆ LECTIONES.

[1038] *ita in loco raso* 1 *b?* [1039] injustæ 1 *a.* [1040] nec ad correctionem vitæ justorum premiis ineffabilibus delectati convertimur 2. [1041] ab Argentina *add.* 2. *A. S.* [1042] post hac *corr.* post hoc 1. [1043] *ita* 1 *b.* 2 naves citiza nicici 1 *a.* [1043*] *add.* 1*b.* [1044] parentes 1. [1045] bolizlovo 1 *a. sæpius.* [1046] id. *corr.* id 1. [1047] regi 1 *c.* [1048] preciosoribus 1. [1049] nobilium 2. *A. S.*

NOTÆ.

(678) Sc. Petri et Pauli.
(679) Conf. Ann. Quedlinb., anno 1004.
(680) Boritz, haud procul a Riesa juxta Albiam.
(681) Miriqvidui i. e. silva nigra (quod nomen myrkvidr etiam occurrit in carmine islandico Atlaquida in groenlezka). Hic designatur tractus montanus, qui hodie vocatur : das Erzgebirge. V. etiam chartam Friderici I imp., a. 1162, Febr. 26.
(682) Sc. Colbergiensis. V. Supra l. IV, 28
(683) Saaz.
(684) Conf. etiam carmen celeberrimum manuscripti Königshoviensis.

ineffabilis turba, ad gratiam novi ducis percipiendam, et ad prestolandum gloriosi regis accessum. Illic tandem adveniens, ab antistite Thieddego et a duce Jarimiro cum immenso cleri tociusque populi tripudio succipitur, et ad eclesiam sancti Georii deducitur. Cunctis mox dignitatibus a rege honoratur Jaremirus paternis, convocatis indigenis coram omnibus.

10. Sed cum ibi sanctæ Dei genitricis ortum omni celebrem mundo (*Septb.* 8) rex veneraretur, Goddescalcus [1050], sanctæ Frisingensis æcc'esiæ venerabilis pastor, nomen (685) cum re possidens, missam canere ac populos instituere ab eo precipitur et ab episcopo sedis illius permittitur. Perlecto tunc evangelio [1051], presentes idem ammonet de timore divino et de conservando geminæ dilectionis vinculo, de obedientia Dei sublimiorumque (f. 104) honore potestatum, et ad ultimum regem suaviter aggreditur, ut semet agnoscere, et omnia, quæ a primis vitæ hujus cunabulis usque ad hoc tempus honoris alicujusve commoditatis umquam percepit, largitate divina pocius quam suis meritis asscribere voluisset. Insuper misericordiæ mentionem fecit, quæ unicum est salutis presidium, venerabile fidei ornamentum et magna [1052] remissio peccatorum. In cujus opere servando unicuique Christo fidelium tria sunt semper optanda : posse, et velle, ac perficere. Quæ cum a cunctis sint adinplenda, ab his maxime, qui nullum ledentes, sibi avent singulia a Domino recompensari, et ut acceptabile ab his Deo votum fiat, ex corde debet unumquodque largiri et cunctis debitoribus remitti, ne mali vice servi [1053] diris asstringantur tormentis. Et his concludens : *Te*, inquiens [1054], *obtestor per nomen et amorem ejus, qui suo debitori decem milia talentorum, id est Judeis recutitis* 686 [1055] *suorum transgressionem preceptorum indulsit, Heinrici quondam marchionis, nunc autem, ut spero, vere penitentis, senior karissime, miserearis, vincula solvas et gratiam dones, ut eo liberiori animo hodie Deum interpelles :* « *dimitte nobis* (f. 104') *debita nostra* » *et reliqua.* Hac rex exhortatione lacrimabiliter profusa placatus, sic se facturum firmiter spopondit [1056], et post hæc domum veniens, misericorditer adimplevit.

11. Statutis tunc ibidem [1057] omnibus, Bawarios domum remisit. Ipse vero [1058] cum Boemiorum duce novo Milzienos, qui tum sibi fuere proximi, terminos per ineffabilem itineris difficultatem adiens. Budusin urbem possedit. Sed cum in una dierum unumquemque suimet fidelium ad expugnandam eandem incitaret, ab uno sagittariorum [1059] e [1060] propugnaculis, ni divina custodiretur providentia, vulnere inproviso lederetur. Quod illi, qui secus se stabat proximus, nocuit, et propositum inimici in alio peregit. Rex autem, elevato ad Deum corde supplici, hunc laudat, qui solitam pietatis vigilantiam sibi inmerito revelavit. Urbs vero prefata, igne jam adportato, combusta jaceret, ni hoc Guncelini marchionis jussio infausta prohiberet. Vulnerantur invicem multi, et nonnulli perempti sunt. Ex nostris autem unus nobilis et genere et virili conversatione, Hemuza nomine, cum urbanos crebro certamine provocatos pene usque ad muros insequeretur, molaris dimidio lapidis (f. 105) per galeatum caput prostratus, ab inimicis insultantibus in urbem mortuus trahitur. Hujus cadaver Heinricus comes, frater meus, cujus is miles fuit, precio comparatum ad patriam reduxit. Alter vero, qui ob assiduum venationis exercicium indomitus Tommo (687) vocabatur, dum in Sprewa flumine hostibus fortiter resistit, torrentum lubricatione lapidum corruit, optimaque diu protectus lorica, tardo tandem [1061] vulnere, pro dolor ! oppeciit. Hunc unus ex suis satellitibus, ne aliquo deduceretur, cum prohibere temptaret, cuspide perfossus super eum corruit. Predicta belli asperitate [1062] jam pene devicta, jubente per nuntium suimet Bolizlavo, regiæ potestati urbs salvis defensoribus traditur presidioque novo munitur. Post hæc rex cum exercitu itinere ac inedia jam defatigato domum rediit, marchiones, ubicumque opus fuit, solitis adjuvans amminiculis.

12. Hic cum se in Merseburg optatæ quieti indulgeret, Esiconem venerandum comitem, longa infirmitate vexatum, vitam hanc in Liubizici [1063] (688) finisse comperit (*Nov.* 22). Hujus corpus adveniens ipse suscepit, et honorifice sepeliri juxta ecclesiam sancti Johannis baptistæ in septentrionali parte precepit ; pro cujus animæ remedio quoddam ejusdem predium Uppusun (689) nominatum cum candelabris duobus argenteis altari (f. 105') sancto et confratribus ibidem Deo famulantibus dedit (690). Insuper Wigberto antistiti mercatores et Judeos Appellas [1064] (Hor. *Serm.* 1, 5, 100), ab Gisilero primitus acquisitos ac diu commutatos, reddidit. Comitatum

VARIÆ LECTIONES.

[1050] goddescalce 1. [1051] gradum ascendit *add.* 2. gradum ascendens *A. S.* [1052] magno 1 *a.* [1053] seru 1. [1054] Te, o rex gloriose 2. [1055] recucitis 1. recusatis 2. [1056] sposponadit 1*a*. [1057] Dispositis in Praga 2. *A. S.* [1058] *add. 1b.* [1059] sagittario *ut videtur* 1*a*. [1060] assperitate 1*a*. [1061] u *et secundum* i *alio atramento* (1b?) *in loco raso scripta*, i *in fine erasum est* 1. [1062] *ita* 2 *in* 1. *vocabulum erasum* apællas *aut potius* appellas *fuisse videtur.*

NOTÆ.

(685) Sc. servus Dei.

(686) *Judæi recutiti* ex Martial. VII, 29 5.

(687) Thamino A. S. Idem ut videtur qui Thangmarus dicitur in. Ann. Quedlinb., a. 1003 et Tanko laicus in Necrolog. Merseb., Octobr. 25.

(688) Lubeschitz ad fluvium Muldam.

(689) Obhausen, vicus prope urbem Querfurt.

(690) V. chartam imperatoris datam Merseburg, a. 1004, Novb. 25, per quam memoria comitis Esiconis instituitur apud Höfer l. 1, t. II, p. 139. Conf. Kalend. Merseb., Novb. 22, de morte Esiconis comitis.

super Merseburg et Benefitium ad hunc pertinens Burchardo (691), et super quatuor urbes juxta Mildam fluvium positas Thiedberno benefitium concessit. Omne autem predium sibi juditio retinuit. Heinricum comitem a custodia absolutum cum gratia abire precepit.

13. Sicut sanctæ matris ecclesiæ prospera spirituali ejusdem proli ad augendam Christi gloriam [1063] sunt preloquenda, ita ejusdem detrimenta ad compunccionem [1064] provocandam huic sunt enarranda; quia hæc unanimi lætitia, ista autem mestitia pari conquerenda et molli paciencia sunt ab hac sufferenda. In Pathelbrunnun monasterium et omnis ejusdem apparatus flamma nostræ iniquitatis ultrix consumens, multorum corda fidelium commovit, quæ amor divinæ remunerationis ad hæc renovanda communiter accendit. Posita est etiam in loco, qui Throtmunni (692) dicitur magna sinodus (*an.* 1005), ubi rex coepiscopis presentibusque cunctis plurima questus est sanctæ ecclesiæ inconvenientia, et communi eorundem consilio hæc statuit deinceps prohiberi, et optimo novæ institutionis decreto gravem peccatorum suimet (f. 106) sarcinam relevari [1065]. « Anno dominicæ incarnationis 1005 (*Jul.* 7) anno autem domni Heinrici secundi regnantis 4, in die Nonarum Julii actum est in Throtmunni hoc decretum gloriosissimi ejusdem regis et contectalis suæ Chungundæ reginæ [1066], necnon [1066a] et archiepiscoporum Heriberti Coloniensis, Lievizonis [1067] Bremensis, Daginonis Magadeburgensis archipresulis [1068] tertii; episcoporum autem [1069] Notgeri [1070] Leodicensis, Suithgeri Mirmingardevordensis [1071], Ansfridi Trajectensis, Thiederici Metensis, Thietmari Asambrunensis [1072], Berenharii Ferdensis [1073], Berewordi [1074] Hillinessemensis [1075], Burchardi Wormatiensis, Retharii Pathelbrunnensis, Wigberti Merseburgensis [1076], Ekkihardi Slesvicensis [1077], Othinkerdi (693). In obitu cujusque prenominatorum singuli episcoporum infra 30 dies, nisi infirmitas impedierit, missam pro defuncto celebret, et unusquisque presbiter in monasterio similiter [1078] faciat. Presbiteri vero forenses tres missas peragant. Diaconi et ceteri inferioris ordinis psalteria 10. Rex et regina infra 30 dies 1500 denarios pro animæ redemptione erogent et totidem pauperes pascant. Episcopi singuli 300 pauperes pascant et 30 denarios expendant et [1079] triginta lumina accendant. Dux autem Bernhardus [1080] 500 pauperes pascat et 15 solidos expendat. Vigiliam sancti Johannis Baptistæ et apostolorum Petri et Pauli et vigiliam sancti Laurencii et omnium sanctorum in pane sale et aqua decernimus jejunare; vigiliam assumptionis [1081] sanctæ (f. 106') Marie, et omnes vigilias aliorum apostolorum sicut in quadragesima. Quatuor tempora sicut in quadragesima, excepta 6 feria ante natale Domini, quam in pane, sale et aqua decernimus jejunare. »

14. Fresones rex [1082] navali exercitu adiens ab [1083] ceptis contumacibus [1084] desistere et magnum Liutgardæ, sororis regine (694), zelum [1085] placare coegit. Jussit [1086] etiam in palatio et in omnibus regni suimet [1087] comitatibus expeditionem ad Poleniam conventumque ad Liezca (695) per bannum fieri. Convenit exercitus statuta hora [1088], id est 17 Kalendas Septembris, condicto loco. Et [1089] rex sanctæ Dei Genitricis assumptionem Magadaburch celebrans, in [1090] ipso die post mis-

VARIÆ LECTIONES.

[1063] spiritualibus filiis ad incitandos ipsos ad gloriam Jesu Christi sponsi ejus 2. [1064] compunctionem 1*a*. [1065] *Sic A. S.* revelari 1. [1066] *Dimidium folium* 106. *in. cod.* 1. *ita abscisum est, ut versum exceptis tribus primis, fines desint. Litterarum abscisarum impar numerus, nam curva est illa sectio. Quod deest ex cod.* 2. *supplevimus.* [1066a] necnon et, mensis, til episcoporum, di Trajectensis, Thiederici Metensis Thi, rchardi Wormatiensis, Retharii Pathelbrunnensis, i. In obitu cujusque pre, rum infra 30 dies nisi infir, defuncto celebret et u, terio similiter faciat. Presbiteri, ant. Diaconi et ceteri inferi, Rex et regina infra 30 dies 1500, tione erogent et totidem pau, 300 pauperes pascant et 30 de, ta lumina accendant. Dux, t 15, solidos expendat, apostolorum Petri et Pau, sanctorum in pane sale, assumptionis sanctæ, aq, tu a, udgardæ, sit etiam in pala, tibus expeditionem, bannum fieri. Con, id est 17 Kalendas Septembris con, tricis assumptionem Mag, so die post missam et caritatem, gina Albiam transnavigans, Ricdago abbate de monte sancti Johannis baptistæ ob *abscisa* 1. [1067] luuzonis 1*c*. [1068] a. t. *desunt* 2. [1069] istorum quoque episcoporum 2. *quod in* 1. *fuisse nequit.* [1070] episcoporum Suitgeri Mirmingardevordensis. Thiederici Metensis. Bernharii Ferdensis. Bernwardi Hildinesheimensis. Retharii Patherbrunnensis. Burchardi Wormatiensis. Nothgeri Leodiensis. Ansfridi Trajectensis. Thietmari Osnabruggensis. Wicperti Merseburgensis. Ekhikardus. . . . . Otthinkardi. . . . . 2. [1071] M. *ab* 1*b. additum; ita in abscisis quoque nominibus sedes nonnisi littera initiali indicatas fuisse, spacium folii abscisi docet.* [1072] A. *add.* 1*b.* [1073] F. *add.* 1*b.* [1074] n *erasum* 1. [1075] H. *add.* 1*b.* [1076] M. *add.* 1*b.* [1077] S. *add.* 1*b.* [1078] unusquisque presbiteriorum similiter. 2. *A. S.* [1079] et totidem 2. *A. S.* [1080] B. 1. [1081] *deest* 2, *sed hæc in* 1. *abscisa esse spacium docet.* [1082] *add.* 1*b.* [1083] b *erasum* 1. [1084] ab incepta contumelia 2. ab i. contumacia *A. S.* [1085] zelus 1*a.* [1086] Præcepit 2. *A. S.* [1087] o. c. regni sui e. in p. et conventum in l. 2. [1088] E. c. statuto die 2. [1089] loco. Rex autem sollempnia de pausatione sancte Marie virginis 2. [1090] *deest* 2.

NOTÆ.

(691) Burchardum comitatum tenuisse in Hassaga, testatur charta jam laudata.

(692) Dortmund.

(693) Episcopus Ripensis, filius Thori ducis Winlandiæ, mortuus post festum Paschatos. V. scholia in Adamum Bremensem n. 31, 47. WED.

(694) Filiæ fuerunt Sigifridi, comitis Luxemburgensis, et sorores Theodorici, episcopi Metensis. De cujus rebellione v. Sigebert. Gembl., a. 1004. Alpertum l. 1, c. 5. Liutgard tunc fuit vidua Arnulphi dicti de Gandavo, comitis Hollandiæ.

(695) Liezeca locus, ubi adfuit Otto III, a. 995, Aug. 17 (vid. Höfer t. 1, p. 536) et 997, Aug. 2. Nunc Leiskau inter Magdeburg et Zerbst.

sam* et* caritatem* expletam comitante regina* Albiam* transnavigans* proficiscitur [1091].

15. In hiis [1092] diebus Ricdago*, abbate* de *monte* sancti* Johannis* Baptistæ* ob* crimen [1093] quoddam* [1094] ab abbacia suimet a Taginone* episcopo* deposito*, Alfkerus*, monachorum* in Palithi Christo servientium* provisor*, in* vacuum* ponitur, et proposita sanctæ* conversationis* religio* hactenus firmiter consistens*, miserabiliter destruitur* et in nomen preposituræ [1095] mutatur*, unde* et* miseriæ* futuræ* prima exstitit indicio. Hoc* etiam*, quod* per labentia accidit tempora [1096], o si* fuisset* dextræ* mutatio excelsæ! (*Psal.* LXXVI, 11.) Auctores sanctæ institutionis, (f. 107) in omni pietate modernos oppido precellentes, quod sumopere construentes et usque ad ædificationem, ut sibi videbatur, perfectam complentes prudenter ordinavere, hoc nostro, pro dolor! in tempore malorum instinctu, ut vereor, non in melius, sed in pejus [1097] versum est. Utinam propter specialem nostræ utilitatis hoc non oriretur effectum. Verum est, quod hii, quorum nova conversatio et in habitu et in victu laudabilis extat, vero [1098] non sunt sepe quod simulant. Dicit namque scriptura (696) *Simulata equitas non est equitas, sed duplex iniquitas* [1099]. Omnis hominum Deo acceptabilis fructus in corde bono consistens, a bonis veste pulchra et aurea cibi potusque mediocritate nonnumquam dissimulatur. Quod autem abstemiis et diploide indutis subtrahitur, cui hoc inpenditur? Si in earum id transit augmenta ecclesiarum, dupliciter proficit, et animabus fratrum, si propter Deum ista paciuntur, et in rebus domesticis eorum elemosina lucrandis. Sed si extrinsecus omne defertur, qua securitate hoc crescit, cujus profectu multorum diminutio gemit? Certe non id firma stabilitate exaltatur, sed lugubriter quandoque degradatur [1100]. Si sileat veritas Christus ejusque precones linguam mordeant omnes, estne hoc totum per omnia bene limatum? Tuba sonat (f. 107') evangelica, nihil opertum fore, quod non revelabitur (*Matth.* x, 26). Postquam voluntati nostræ in omnibus satisfecimus, ineffabile malum dissimulato facinore perpessi sumus; fragilis natu- A ræ nos commortales sumus, et omnia nutu suo pondera in terram ferri non nesscimus. Resipiscenda [1101] respiciamus, ammonentes neque spernemus, promissa fidelibus cunctis premia cum mandatorum observatione divinorum acquiramus. Non videamur nostris antecessoribus meliores, quia pariter decepti in varia specie recti hiis sumus nimis [1102] inæquales. Nemo irascatur, cum propter Deum familiariter ab aliquo arguatur. Caritas benigne a cunctis succipiatur, et ob recompensacionem supernam veritas nuda sufferatur. Optet fidelium supplex peticio omnium necessariam de rebus his et de criminibus aliis a Christo indulgentiam. Et ego longe digressus repetam inceptæ narrationis cursus.

16. Ordinatis legionibus, rex inde [1103] progredi- B tur, et regina celeriter reversa, optatum dilecti senioris sui in Saxonia sollicite prestolabatur adventum. Excercitum [1104] autem nostrum cum prosperitate ad locum, qui Dobraluh dicitur (697), in pago Luzici [1105] venientem, Heinricus et Jarimirus duces ad supplementum ejusdem cum suis properantes, lætificant, majoraque consilii et fortitudinis spe roborant. Hic ducibus corruptis et sua defendere cupientibus, per solitud nes paludesque circumductus, admodum (f. 108) gravatur, et ne cito ad hostem ledendum perveniret, invida eorum malignitate tardatur. Inde provinciam Nice vocatam ingressi attingentes, juxta Sprewam fluvium castra metatus est. Hunc cum hostem ex latere abdito nocentem Thiebernus, miles egreius [1106], comperiret, ob C laudem sibi specialiter usurpandam optimos [1107] e consociis clanculum eligendo convocans, eum dolo intercipere temptat. Qui satis providus, ut sic melius sequentes le leret, inter lignorum condensitatem jacencium fugit, et sagittis, quibus maxime defendantur, more solito remissis, primo hunc, posteaque Bernhardum, Isin et Bennonem, Arnulfi presulis inclitos satellites, cum aliis commilitonibus multis [1108] 8. Idus Septembris incautos prostravit (698) et despoliavit. Ob [1109] hoc rex cum omni suimet comitatu dolore concutitur, et ob hoc Bolizlavus doluisse a nonnullis veracibus perhibetur. Post hæc Liuzici nostris pridie quam ad Oderam fluvium veni-

VARIÆ LECTIONES.

[1091] proficissitur 1. [1092] Diebus hiis 2. [1093] crimen quoddam, none episcopo deposito Alfkerus mo, servientium provisor in va, sanctæ conversationis rel, tens miserabiliter dest, mutatur unde et miseriæ fut. Hoc etiam quod, si fuisset dextræ *abscisa* 1. [1094] *ita* 2, *quibus tamen in* 1. *locus haud sufficiebat*, ab a. s. *desunt* 2. [1095] propositure 1. [1096] *erasum* 1. [1097] s. i. p. *add.* 1*b*. [1098] *ita* 1. *errore* 1*b*. *inde fecit* conversacio, [1099] iquitas 1. [1100] *Hunc locum* 2. *ita exhibet*: exaltabitur — degradabitur et sanctorum patrum institutio redintegrabitur. Sileat v. que est C. p. e. o. l. m. lapides clamabunt, hec omnia non ben esse limata. Tuba evangelica sonat, n.o. esse, q.n. r. Veniet, inquam, veniet tempus, quo et istorum hypocrisis detegetur et antiqua patrum institutio p r omnia laudabilior his diversis novitatibus esse cognoscetur. Nos peccator s postquam. [1101] resipiscanda 1. Omittenda quæque respiciamus, admonitores nostros non spernamus, sed conversi promissa f. c. p. c. o. m. Dei acquiramus. Non v. m. a. n. quia ab eorum probatissima conversatione deviantes ipsis nimis inequales sumus. Nemo fidelium irascatur, cum propter Deum caritative ab aliquo admonetur. Caritas 2. [1102] *add.* 1*b*. [1103] rex a Liezka inde 2. [1104] exercitum 1*c*.? [1105] luidere 2. liudice *A. S* [1106] egrius 1. [1107] a 1*a*. [1108] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(696) Augustinus in psalm. LXIII, p. 650.

(697) Dobrilugk in Lusatia inferiori.

(698) Kalendarium Merseburgense Septembr. 7. *Esi laicus, Odo laicus, cum aliis occisi sunt. Thiemeric episcopus, Adala com., Benno laicus, Bernhar... h V.* (*hora quinta*). Conf. Ann. Quedlinb., a. 1005.

rent, sotiantur, deos suimet precedentes subsequuti [1109]. Quamvis autem de hiis aliquid dicere perhorrescam, tamen ut scias, lector amate, vanam eorum superstitionem, inanioremque populi istius executionem, qui sint vel unde huc venerint, strictim enodabo.

17. Est urbs quædam in pago Riedirierun [1110] (699), Riedegost [1111] (700) nomine tricornis, ac tres in se continens portas [1112], quam undique silva ab incolis intacta et (f. 108') venerabilis circumdat magna. Duæ ejusdem portæ cunctis introeuntibus patent; tercia, quæ orientem respicit et minima est, tramitem ad mare juxta positum et visu nimis horribile monstrat [1113]. In eadem est nil nisi fanum de ligno artificiose [1114] compositum, quod pro basibus diversarum sustentatur cornibus bestiarum. Hujus parietes variæ deorum dearumque imagines mirifice insculptæ, ut cernentibus videtur, exterius ornant; interius autem dii stant manu facti, singulis nominibus insculptis, galeis atque loricis terribiliter vestiti, quorum primus Zuarasici (701) dicitur, et pre cæteris a cunctis gentilibus honoratur et colitur. Vexilla quoque eorum nisi ad expeditionis necessaria, et tunc per pedites, hinc nullatenus moventur. Ad hæc curiose tuenda ministri sunt specialiter ab indigenis constituti, qui cum huc idolis immolare seu iram eorundem placare conveniunt, sedent hii dumtaxat [1115], cæteris astantibus, et invicem clanculum mussantes, terram cum tremore infodiunt, quo sortibus emissis, rerum certitudinem dubiarum perquirant. Quibus finitis, cespite viridi eas [1115*] operientes, equum, qui maximus inter alios habetur et ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duarum cuspides [1116] hastilium inter se transmissarum (f. 109) supplici obsequio ducunt, et premissis sortibus, quibus id [1117] exploravere prius, per hunc quasi divinum denuo auguriantur. Et si in duabus hiis rebus par omen apparet, factis completur; sin autem, a tristibus populis hoc prorsus omittitur (702). Testatur idem antiquitas errore delusa vario [1118], si quando his seva longæ rebellionis assperitas [1119] immineat, ut e mari predicto aper magnus et candido dente e spumis lucescente exeat, seque in volutabro delectatum terribili quassatione multis ostendat.

18. Quot regiones sunt in his partibus, tot templa habentur, et simulacra demonum singula ab infidelibus columtur, inter quæ civitas supramemorata principalem tenet monarchiam. Hanc ad bellum properantes salutant, illam prospere redeuntes muneribus debitis honorant, et quæ placabilis hostia diis offerri a ministris debeat, per sortes ac per equum, sicut prefatus sum, diligenter inquiritur. Hominum ac sanguine pecudum ineffabilis horum furor mitigatur. Hiis autem [1115*] omnibus, qui communiter Liutici vocantur, dominus specialiter non presidet ullus. Unanimi consilio ad placitum suimet necessaria discucientes, in rebus efficiendis omnes concordant. Si quis vero (f. 109') ex comprovincialibus in placito hiis contradicit, fustibus verberatur, et si forinsecus palam resistit, aut omnia incendio et continua depredatione perdit, aut in eorum presentia pro qualitate sua pecuniæ persolvit quantitatem debitæ. Infideles ipsi et mutabiles ipsi, immutabilitatem ac [1120] magnam exigunt ab aliis fidem. Pacem abraso crine supremo et cum gramine datisque affirmant dextris. Ad hanc autem [1115*] perturbandam et facile pecunia corrumpuntur. Hii milites, quondam servi, nostrisque iniquitatibus tunc liberi, tali comitatu (703) ad regem auxiliandum proficiscuntur. Eorum cum cultu consorcia, lector, fugias; divinarum mandata scripturarum auscultando adimple, et fidem, quam Athanasius profitebatur episcopus, discens memoriterque retinens, hæc, quæ supra memoravi, nil esse, probabis veraciter [1121].

19. Inde mox inparibus ducibus inequales turmæ usque ad Oderam fluvium pervenientes, fixerunt tentoria juxta amnem, qui Pober dicitur sclavonice, Castor latine. Quos Bolizlavus, munitis littoribus prefati fluminis, cum exercitu grandi in Crosno (704) sedens, ullo modo transire prohibuit. Sed cum per 7 dies ibidem moratus, naves atque pontes pararet, divinus respectus missis speculatoribus suis [1122] vadum ostendit optimum. Quem sex legiones in ipso diei crepusculo jussu regis intrantes, incolumes eo [1123] fruuntur. Quod eminus agnoscentes Bolizlavi custodes, (f. 110) triste nuntium ac incredibile seniori suimet celeriter detulerunt. Hic tandem per tres vel amplius legatos certus effectus, amotis propere castris, ipse cum suis, pluribus ibidem relictis rebus, fugit. Id rex cum suis caute considerans, Christo laudes cum clero et omni populo alta voce cecinit, et cum securitate flumen pertransiit. Hii

VARIÆ LECTIONES.

[1109] *ita corr.* subsecuuti 1. [1110] *ita* 1*b*. riedirerum 1*a*. Rederivi 2. [1111] riedegast 2. [1112] unaqueque per singula cornua *add.* 2. [1113] que nulli facile patet *add.* 2. [1114] artificiose 1*c.?* [1115] duxtaxat 1. [1115*] *add.* 1. *b*. [1116] cupides 1. [1117] q. id. *add.* 1*b*. [1118] varia 1*a*. [1119] *primum* s. *erasum* 1. [1120] i. ac *e corr.* 1*b*. [1121] *Repetit cod.* 2 *quæ jam dixerat:* Hii supra memorati milites quondam servi n. q. i. t. l. t. c. a. r. auxilium ferendi causa pervenerunt. [1122] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(699) De hoc pago, qui maximam partem, orientalem scilicet et australem, ducatus Meklenburg-Strelitz, sive præfecturam Strelitz et Stargard occupabat, vide Lisch in Jahrbücher des Vereins für meklenburg. Geschichte und Alterthumskunde t. III.

(700) Urbs plerumque dicta Rethra, haud procul a Prillwitz. Conf. de ea Adam. Bremens. II, 10 et IV, 13.

(701) Idem nomen occurrit in epistola a S. Brunone ad Heinricum II, imp. data.

(702) Conf. Grimm Deutsche Mythologiæ, pag. 380 sq.

(703) Sc. idolorum suorum. Uns.

(704) Urbs Silesiæ in finibus Lusatiæ inferioris, Crossen. Uns.

autem qui precesserunt, ni Liuticios diu tardantes exspectarent, hostes in tentoriis inprovisos opprimerent [1123]. Quos nostri alacriter insequuti, veluti fugaces cervos persequi cum non valerent, ad consocios revertuntur.

20. Profectus est inde rex, et usque ad abbaciam, quæ Mezerici (705) dicitur, perveniens, annualem ibi Thebaidæ legionis festivitatem (*Septb.* 22), qua maxima tunc veneracione potuit, complere studuit [1125]; et ne monasterium hoc ac absentium mansiones monachorum aliquam a suis paterentur molestiam, studuit prohibere. Dehinc hostem in nulla suimet urbium pernoctare presumentem, proxima queque vastando, prosequitur, et non longius quam duo miliaria ab urbe Posnani, rogatus a suis primatibus, consedit. Exercitus autem in colligendis frugibus cæterisque rebus necessariis divisus, magnum ab insidiantibus inimicis sustinuit damnum. Interim per fidos intercessores regis gratiam Bolizlavus peciit, et exaudiri mox [1126] promeruit. Tagino archiepiscopus cum aliis familiaribus regis ad civitatem predictam a Bolizlavo rogatus venit, et (f. 110') cum juramentis ac emendacionibus condignis firma pacis fœdera apud eumdem pepigit. Læti tunc revertuntur nostri, quia itineris longitudine et nimia fame cum intermixta belli asperitate magnum sufferebant laborem.

21. Post hæc rex in nostris partibus, erutis tocius nequiciæ auctoribus, optatæ securitatis prospera solidare sumopere nititur, et Bruncionem (706) iziclitum satellitem, in Merseburch, e [1128] Sclavis autem optimos, Borisen et Nezemuisclen [1129], cum cæteris fautoribus in Welereslevo (707) laqueo suspendi precepit. Sepe cum Sclavis in Wiribeni (708) juxta Albim posita conventione habita, nolentibus seu volentibus hiis, necessaria regni suimet tractavit atque potenter finivit. Arnaburch prius devastatam ob defensionem patriæ renovavit, queque diu hinc injuste ablata [1130] erant, restituit. Sinodali judicio injustas fieri nuptias, Christianosque gentilibus venundari, presens ipse canonica et auctoritate apostolica prohibuit, Deique justiciam spernentes spirituali mucrone [1131] interfici precepit.

22. Interea Balduinum ducem Wlandariorum [1132] juventus et rerum affluentia ac mala iniquorum inflacio adversus regem armavit, et Valentinam urbem (709) possidere potestatique suimet subdere suasit (710). Quod rex ubi primum compeit, ipse cum signis militaribus accedens, (f. 111) eripere eandem assidua pugnatione temptavit; et nil proficiens abiit, expeditionem suam in proxima estate super Balduinum fieri, orientalibus et occidentalibus firmiter indicens. Advenit optatum tempus, exercitus grandis colligitur (711), et a rege cum eodem ad Scellam fluvium (712) pervenitur (*an.* 1006). Ibi se Balduvinus armato milite presentans, transitum regi prohibere frustratoria spe nititur; sed prudenti quorundam consilio nostri navibus alio latenter transvecti, ejusdem nimiam presumptionem ex inproviso irruentes confundunt. Fugiente eo, rex in Christo victore lætatur, flumen transgreditur, vicinitatemque contiguam populatur. Cum autem ad abbaciam, quæ Gent dicitur, veniret [1133], a confratribus illius æcclesiæ susceptus, loco eodem [1134] et bonis appertinentibus cunctis [1135] pepercit. Tandem Balduinus magna necessitate coactus humili supplicacione veniam inpetrat, et non longe post per manus regis [1136] effectus, Walecorn (713) et [1137] prenominatam urbem in beneficium adipiscitur.

23. Mense Julio et 12 Kal. Augusti Gisla, venerabilis matrona et mater regis nostri inclita, obiit et Ratisbone sepelitur [1138]. Pacificatis tunc partibus hiis, generale concilium in Frankenevordi [1139] a rege ponitur, et hoc ab omnibus Cisalpinis antistitibus visitatur (*an.* 1007). Causam vero precedentem, lector, auribus accipe! Rex a puero quandam suimet civitatem, Bavanberg [1140] nomine, (f. 111') in orientali Francia sitam, unice dilectam pre cæteris excoluit, et uxore ducta, eandem ei in dotem dedit. Postquam autem ad regni curam divina miseratione promovetur [1141], semper tacita mente ibidem episcopatum construere gestit. Sed quia, ut Flaccus testatur (*Ep.* 1, 2, 40), *dimidium facti, qui cepit, habet;* novam ibi inchoat æcclesiam cum criptis duabus, et perficit. Omnia autem, quæ ad divinum pertinuit misterium paulatim congregans, Heinricum Wirciburgensem episcopum sibi multum familiarem, ut proposito animi suimet asspirare voluisset, parrochiamque in pago, qui a Radinzea fluvio (714) no-

VARIÆ LECTIONES.

[1123] *pro :* exspectassent... oppressissent. [1125] *add.* 1*b.*, [1126] uezemusclen 1*a.* [1130] ablatorum 1*a.* [1131] mutrone 1. [1132] *Hæc vox erasa in* 1. *sed ut dispici adhuc possit.* Flandrie *margini adscripsit recentior manus.* [1133] veni rent 1*a.* [1134] eidem 1*c?* [1135] *ad.* 1*b.* [1136] miles *add.* 2. *A. S.* [1137] et Valencinam 2. Valentinianam *A. S.* [1138] mense — sepelitur *add.* 1*b.* [1139] frankenuordi 1*c?* [1140] babanberg 1*c?* [1141] promotur 1.

NOTÆ.

(705) Meseritz juxta Obram fluvium in provincia Posen.
(706) *Brunzio occisus.* Necrol. Luneb., Septbr. 21.
(707) Wallersleben.
(708) De conventu in Werben. v. Helmoldi l. 1, c. 18.
(709) Valenciennes.
(710) Conf. Balderici Chronic. l. 1, c. 214 fin.; Sigebert. Gemblac., a. 1006; Ann. Quedlinb., h. a.
(711) Conf. Balderici l. 1, c. 115, Sigebert., a. 1007; Ann. Quedlinb. a. 1006.
(712) Schelde.
(713) Walchern. Cf. Baldericum III 2.
(714) Rednitz.

men sortitur, positam concederet, sibi concambio vendicandam sepe rogavit [1137]. Dilecti senioris justas peticiones presul benigne suscipiens, ea racione consensit, ut pallium suæ permittens æcclesiæ, Bavenbergensem sibi subderet pastorem; hocque, baculo suimet regi dato, et quodam predio pro commutatione prefata tradito, clam firmavit. Cum vero se archipresulatum nullatenus adipisci posse sentiret, promissa complere renuens, ad concilium vocatus supramemoratum, venire noluit. Consedentibus ibidem ordine archiepiscopis cum omnibus suimet suffraganeis [1138], rex humotenus prosternitur, et a Willigiso antistite, in cujus diocesi sinodus habebatur, elevatus, (f. 112') cunctis presentibus talia fatur [1139]: *Ob recompensationem futuram Christum heredem elegi, quia in sobole acquirenda nulla spes remanet mihi; et quod precipuum habui, me ipsum cum modo acquisitis seu adquirendis in sacrifitium Patri ingenito jam dudum secreto mentis optuli. Episcopatum in Bavanbergæ [1140] cum licencia antistitis mei facere hactenus concupivi, et hodie justum hoc perficere volo desiderium. Ob hoc serenissimam vestrimet interpello pietatem, ne absencia ejus, qui apud me voluit obtinere, quod mihi non licuit huic concedere, propositum voluntatis meæ queat impedire, cum in baculo ejus mutuæ confirmacionis signo clarescat, hunc non propter Deum, sed ob dignitatis nullatenus adipiscendæ dolorem fugisse. Moveat omnium corda presentium, quod per ambitionem suam, sanctæ matris æcclesiæ augmentum anullare, cum nugigerula [1141] legatione presumit. Ad hæc firmiter constituenda contectalis meæ presentis et unici fratris et coheredis mei* (715) *larga benignitas aspiral, et sibi placita [1142] adimplecione hiis me eadem restituere, uterque pro certo sciat. Si quando autem episcopus venire et promissa dignatur suscipere, paratum me ad omne quod vobis bonum videtur procul dubio inveniet.* Finitis talibus alloquiis, Beringerus, antistitis (f. 112') Heinrici capellanus, surrexit, propter timorem regis seniorem suum huc non venisse, et detrimentum æcclesiæ sibi a Deo commissæ in aliquo fieri numquam laudasse testatur [1143], et obsecrat cunctos presentes per Christi amorem, ne talia fieri absente eo futurum sibi in exemplum paterentur. Privilegia ejusdem ibi alta voce recitantur. Inter hæc quocies [1144] rex anxiam judicum sententiam nutare prospexit, toties prostratus humiliatur. Tandem archiantistite [1145] Willigiso, quid [1146] de hiis faciendum foret, judicio perscrutanti, Tagino primus respondit, hæc tunc [1147] secundum regis eloquium legaliter fieri posse. Cunctis presentibus ejus sermonem tunc affirmantibus et subscribentibus, Everhardo [1148] tunc cancellario cura pastoralis a rege committitur, et hic a prefato archipresule eodem die consecratur. Post hæc autem Heinricus antistes auxilio confratris Hiriberti (716) regis gratiam et adimplecionem sibi [1149] placitam acquisivit.

24. Sed quia raro illucescit [1150] serenitas, quam non sequatur caliginosæ nubis obscuritas, regi pascha Ratisbone celebranti (717) (*an.* 1008?) de Liuticis et ab hiis qui a civitate magna Liulni [1151] dicta missi fuerant, et a Jaremiro duce, Bolizlavum multa sibi contraria molyri cupientem asserebant, sequo ad hæc perficienda verbis ac pecunia ab eodem introduci (f. 113) affirmabant. Intimabant quoque ei, si hunc amplius in pace et gratia suimet haberet, ut servitutem eorum firmiter non teneret. Hæc rex cum suis principibus [1152] caute considerans, diversaque ab hiis consilii responsa percipiens, iniquæ voluntati eorum in hoc consensit, quod generum suimet Hirimannum (718) illo mittens, condicta pacis fœdera [1153] interdiceret. Quam legationem ab internuntiis Bolizlavus comperiens, prefatum comitem, quamvis ad se prius invitatum, non bene suscipit, et percepta ab eo narratione, in multis se excusat: *Sciat*, inquiens, *testis omnium Christus, quicquid [1154] deinceps facturus sum, id invitus implebo.* Post hæc collecto exercitu, pagum, qui Morezini (719) dicitur, juxta Magadaburch jacentem populatur, et fraternitatem quam in Christo cum Parthenopolitanis prius conjunxerat, hostili assperitate disrupit. Inde ad urbem, quæ Zirwisti (720) dicitur, veniens, urbanos terrore gravi et hortatu dulci devictos secum vehebat. Hoc totum nostri comperientes, tarde veniebant, ac morosius eos [1155] insequebantur. Horum primicerius fuit Tagino archiepiscopus; et hæc omnia prius sciens, non bene providebat. Fui hic equidem cum illo; et cum nos omnes ad locum, qui lutriboc appellabatur, venissemus, visum est sa-

VARIÆ LECTIONES.

[1137] s. r. *add.* 1 *b.* [1138] suffra : : : aneis 1. (ne *erasum videtur*). [1139] *Cod.* 2. *et A. S. hoc exordium sermoni præmittunt:* Domini et patres gloriosi, a mea parvitate huc asciti hodie convenistis, et quamobrem vos asciverim, vestris auribus aperiam, precorque omnium vestrum clementiam, ut in his, que, spero, mihi divina grata inspiravit, amore Christi inflammanti faveatis. Quia in sobole acquirenda nulla mihi spes remanet. [1140] *e erasum* 1. [1141] nuigerula 1. [1142] placito 1*a*. [1143] *ita corr.* 1*b*. [1144] quociens *corr.* quocies 1. [1145] architistite 1. [1146] qd 1. [1147] *ita in loco raso* 1*b*. hæc tunc justa volontas et petitio regis consensu omnium vestrum legaliter potest impleri 2. *A. S.* [1148] æuerhardo 1*a*. [1149] illusessit 1. [1150] in 1*b*. liulni *aut* luilni 1*a*. Luvirm *A. S.* [1151] principibus 1. [1152] fœdera 1*a*, *eraso* a. [1153] quic jid 1 *a*. quicqid 1*b*. [1154] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(715) Sc. Brunonis, episcopi Augustani.

(716) Archiepiscopi Coloniensis.

(717) Quæ Thietmarus in a. 1008 collocare videtur, Ann. Quedl., a. 1007 tradunt. A 1008 regem Merseburgi Pascha celebrasse Ann. Hildesh. dicunt.

(718) Qui fuit tunc marchio Milzenorum s. Budissinensis marchiæ, ex anno 1010 Misnensis.

(719) Mortsani, pagus inter fluvios Albim, Stremam, Havelam et Nutham situs.

(720) Zerbst.

pientissimis non esse consilium hostes tam parva multitudine persequendos, et reversi sumus. (f. 113') Bolizlavus autem Luzici, Zara (721) et Selpuli denuo occupat, et non longe post Budusin civitatem presidio Hirimanni [1154] comitis munitam socer invidus possedit. Mittens autem nuncios suimet, urbanos postulat, ut urbem hanc sine utrorumque labore sibi redderent, et nullam a seniore suo ereptionem sperarent. Fit pax mutua ad 7 dies. Iste parat impugnationes; hii per legatum suimet a domino et a principibus regni suppliciter auxilium poscunt, se alios [1155] dies hosti resistere promittentes. Venit marchio Hirimannus [1156] ad Magadaburg, Walterdum tunc prepositum interpellans, omnesque specialiter per legatos evocat primates, quos multum hic tunc [1157] tardasse vehementer queritur, et tamen milites suos per internuntios solatur. Qui cum assidua Bolizlavi impugnatione laborarent, viriliterque diu resisterent, videntes nonnullos ex sociis eorum nutare, dominumque se ad liberandos non venisse, licentiam hinc exeundi cum omnibus, quæ habebant, apud ducem prefatum impetrantes, urbem ei [1158] reddiderunt, tristesque patriam repedabant.

25. Mortuo post Pascha [1159] Treverensis æcclesiæ archiepiscopo venerabili Liudulfo (*an.* 1008), cappellanus ejusdem Æthelbero [1160], frater reginæ et immaturus juvenis, plus timore regis quam amore religionis communiter eligitur. Rex autem ut hoc audivit, (f. 114) prioris non inmemor in germano ejusdem Thiedrico (722) non premeditatæ constitutionis, uxorem dilectam cæterosque suimet familiares de episcopatu eodem inpetrando sollicitos sprevit, et Meingaudo [1161], Willigisi [1162] archipresulis camerario, nobili secundum carnem viro, eundem dedit. Propter hoc subdolæ generationis furor accenditur. Palas (723) a Trevirensibus [1163] contra regem firmatur, ac terra hæc hactenus pacifica crebris concremacionibus quatitur, et quicquit hii inmites in dominum lenem prius peccaverunt, equali lance [1164] receperunt. Quid hii omnes hic et in futuro examine dicturi sunt, quorum culpa ineffabili æcclesia [1165] mater incorrupta tocies in filiorum suimet nece et despoliacione gemens, lacrimas a maxillis descendentes ante conspectum vindicantis Dei tendit? Tali presumptione rex commotus, illo cum exercitu properat, archiantistitem inthronizatum ibidem consecrari, Æthelberonemque [1166] excommunicari precipiens. Obsidione eciam continua eos, qui Palas tuebantur, in tantum constrinxit, ut fame assidua inpugnatione defatigati, aut interius perire aut in potestatem regis inviti deberent exterius venire (724). Quod ne fieret, Henricus dux improvisa calliditate impediens, eos exire inlesos apud regem obtinuit. Postquam vero de hiis rei certitudinem rex inquisivit, gravitate mentis (f. 114') id ferens, ut in sequentibus referam, ultus est.

26. Interim antecessor meus [1167] longa infirmitate detentus, diem sollicitus supremum prestolatur. Sed quædam de eo ante conclusionem ad memoriam ejusdem expedire mihi [1168] libet. Hic ex optimis Turingiæ australis parentibus originem, in Magadaburg autem ab Ohtrico [1169] disciplinæ regimen sumpsit. Hunc egregie [1170] educatum Gisilerus archiepiscopus sibi familiariter [1171] in servicium ascivit, et multo tempore secum habuit, beneficio singulari et archipresbiteratus officio demulcens. Novissime autem quædam ei iniquorum assidua susurracione subtrahens, mentem ejus in tantum abalienavit, ut, relictis omnibus suis, Henrico regi, sicut prefatus sum, adhereret, optimeque ei placeret. Fuerat enim egreius [1172] et statura et facie, facundia et voce pulcherrima, sapiens in consilio, jocundus in concilio ac largitatis inmensæ; unde divina visitatione et tali virtute sacerdotalis [1173] gradum ascendit. Qui in diebus sibi divinitus concessis hæc suæ acquisivit æclesiæ: Sidegeshusun (725) et Wiribeni, in Derlingun 9 mansos, ac in Daliwi 7, in Ninstidi 3. De sua vero proprietate concessit in Uppusun 7 mansos et saltum, qui Pulcher mons dicitur. De libris rebusque aliis divina respicientibus [1174] misteria multa contraxit. Non minus quam decem annos toxicata [1175] (*Cod. Br.* f. 248) lesus potione, crebram passionem corporis et in mense Martio maximum sustinnit laborem. Si quid in eo suis vel alienis umquam occurrit

VARIÆ LECTIONES.

[1154] herimanni 1*c*. [1155] VII. *eraso numero V.* 1. [1156] h 1. [1157] hic tunc *in loco raso* 1*b*. [1158] *add.* 1*b*. [1159] p. p. *add.* 1*b*. [1160] æthelberto 1*a*. athelbero 1*c*? [1161] meingozo 1*a*. [1162] uuilligiso 1*a*. [1163] trever. 1*c*. [1164] lancea 1. [1165] æcclesiæ 1. [1166] ath. 1*c sæpius*. [1167] Wigbertus *add.* 2. [1168] *add.* 1*b*. [1169] oftrico *seu* ostrico *corr.* ortrico 1. [1170] egreie 1*a*. [1171] familiariter 1. [1172] egrius 1. [1173] *deest*: dignitatis. [1174] respicienstibus 1. [1175] *Hic in* 1. *folium excisum est, quod supplevimus ex* 2.

NOTÆ.

(721) Pagus situs in Lusatia inferiori et Silesia circa civitatem Soraw.

(722) Episcopo Metensi.

(723) Sub hoc nomine venit palatium archiepiscopi Trevirensis, die Palz sive Pfalz, vetustissimum ædificium, aliis muris, magnis et perspicuis fenestris, ex duris lapidibus constructum. Palatium nominabatur, quod sedes antiquissima fuit et habitatio regum Francorum, in quo et Palatini comites domicilium habuerunt. V. Broweri t. I, Annal. Trevirens, L. X, p. 590. It. Schekmann meduli. Gest. Trevirens., c. 2. A magno hoc palatio diversum est suburbanum oppidulum et castrum ad sinistram Mosellæ ripam, paulo infra Trevirim urbem, quod hodie palatiolum, das Pfalzel, vocatur. v. Chron. Gottwic., t. I, p. 501, 515. Palas vero ap. Ammian. Marcell., XVIII, 2, ab his plane diversum est. URS.

(724) Conf. Gesta Trevirorum c. 46. Ann. Quedlinburgens., a. 1008.

(725) Ni fallor, est Sotterhausen in præfectura Sangerhusana; Werben, vel etiam Werbelin in præfectura Delitiensi: Nieder-Rœblingen in præfectura Alstadiensi; Thaldorf in præfectura Querfurtensi; Nienstædt in præfectura Sangerhusana. URS.

contrarietatis, hoc stimulus effecit immensæ infirmitatis. Predicatione assidua commissos a vana superstitione erroris reduxit, lucumque Zutibure [1176] dictum, ab accolis ut Deum in omnibus honoratum et ab ævo antiquo numquam violatum, radicitus eruens, sancto martiri Romano in eo ecclesiam construxit; præter hanc tertiam et quartam in Magadaburg multasque alias ipse dedicavit. Si quid in eum varium vulgus et sepe mentiens garrivit, bonis incredibile satis esse persuadeo. Multi enim, cum alios culpant, ignorant, quoniam nemo sine crimine vivit (Cato. *dist.* I, 5). Hic venerabilis vir quinque annos in episcopatu et sex hebdomadas et dies quinque sedit flebiliter sepe peracta confessione, et ab episcopis Wigone (726) et Herico (727) in extremis eum visitantibus percepta remissione, nono Kal. Aprilis feria tertia (*ann.* 1009) in Merseburg de hac luce ad Christum, ut spero, felix migravit (728). Sepultus est, ubi unus electorum Christi, dux ejus dum vixit et socius, per visum sibi prius monstravit.

27. Huic equidem ego, qui hæc scribo, indignus succedere a pio pastore Taginone [1177] predestinabar. Natale Domini (729) in Palithi [1178] celebrante rege, cum simmista [1179] suo Taginone (730) ipse tractavit, qualiter post mortem Wigberti presulis Merseburgensem ecclesiam bono provisori commendaret. Cui ille inquit : *Est in meo monasterio quidam frater nomine Thietmarus, quem vos ipsi* [1180] *bene nostis; hunc suo modo prudenter disponentem ad hoc, largiente Deo, spero idoneum.* Ad hæc rex infit : *Utinam hanc voluisset suscipere, qui me fautorem certissimum ad ea, quibus indigeret, non dubitaret habere.* Nepos meus Thidericus ilico ad me mittitur, qui hæc mihi ex parte regis et episcopi [1181] intimaret, et ad hæc facienda pro posse persuaderet. Ego in Magadaburg positus legacionem hanc percepi, et talibus respondi : *Deus omnipotens domino et patri nostro pio vicissitudinem retribuat, quod mentionem meam alicubi in bonum facere dignatur. Ad hæc me immeritum esse judico, unde ea laudare adhuc nequaquam presumo. Potens est enim Deus episcopum adhuc viventem de manu mortis eripere; si autem prorsus recuso, me ab solita ejus gratia repudiari vereor; non est mihi preter hunc aliquod auxilium, a quo vel hæc promereri, vel majora valeam percipere. Post mortem presulis quid Deo placet in potestatibus ad eo constitutis vita comite libenter adimplebo.* Rex autem in Franconevord [1182], audita morte episcopi, memoriam pro eo debitam precepit fieri. Jam vero tum quorundam instinctu mentem suam a me ad meliora convertebat; voluit enim Ethelgero cuidam bene merito honorem hunc impendere. Quod cum regis familiaris Tagino resciret, summopere rennuit, et cum assidua supplicatione eo me (f. 115) cum [1183] gratia regis per Gezonem prepositum vocavit. Venit ille ad me ad curtem meam, quæ Retmerslevo dicitur; et ea nocte vidi baculum episcopalem juxta lectum meum stantem, et interrogavit me unus, dicens : *Vis ecclesiam suscipere Merseburhgensem ?* Et ego : *Si Deus vult*, inquam, *et qui jubet venire, archiantistes.* Ille autem prosequutus : *Cave*, infit, *quia quicumque sancto cerebrum movet Laurentio, statim insanit.* Cui mox respondi : *Tueatur me custos hominum Christus, ne in hoc vel in aliquo offendam majestatem divinam, sanctorumque intercessionem avertam.* Cumque evigilarem, obstupui [1184], et protinus exiliens, jam clarum diem fenestras intrare vidi (Pers. *Sat.* III, 1); et ecce is, de quo nunc dicebam, intravit, et ostensis mihi duabus epistolis, in sabbato sancto (*April.* 10) ad Augustanam urbem me rogavit et [1185] precepit venire. Veni ad Parthenopolim, et in die palmarum cum licentia prepositi ac confratrum inde profectus, 3 feria post resurrectionem Dominicam (*April.* 19) loca attingebam predestinata, et ab archiepiscopo, quamvis irato, quod sic tarde venirem, misericorditer susceptus sum. Postera die vocatus, interrogabar ab eo jussu regis, si aliqua parte hereditatis mæ eclesiam vellem adjuvare meam. Cui talia referebam : *Vestra jussione huc veni, et de hoc modo nil certi nec possum vel volo respondere. Si divino consensu et regis largitate vestra voluntas, pia semper in me, hic adimplebitur,* (f. 115') *quicquid in hoc aut in rebus aliis pro animæ remedio meæ et de debito commissi facere possum, devotus implebo.* Hoc verbum archiantistes benigne suscipiens et laudans, me ad cappellam Brunonis episcopi, ubi rex eumdem exspectabat, duxit, et paratus [1186] ad missam, regi me per manus tradidit. Qui ut cum electione presentium pastoralem mihi curam immerito commisit cum baculo, et prostratus veniam petii, cantor introitum incepit : *Venite, benedicti Patris mei.* Et in majori ecclesia omnes interim ad missam campanæ sonabantur ; quod etsi casu et non jussu alicujus seu dignitate me i evenisset, tamen rex bonum hoc esse omen testatur. Peracto tunc ibi magno [1187] a Brunone venerabili presule convivio, proximo sab-

VARIÆ LECTIONES.

[1176] Zudibure *A. S.* a. 1009. *Legendum videtur* Scutibure *cujus villæ ecclesiam ab Heinrici II. imperatoris prædecessoribus jam donatam fuisse, discimus ex ejusdem charta d.* 1012. *Oct.* 17. *apud Höfer Zeitschrift T. I. p.* 162. *et Gestis episc. Merseburg.* [1177] thaginone 2. *semper.* [1178] palithe 2. [1179] simpnista 2. simmista *A. S.* a. 1009. [1180] ipse 2. [1181] archiepiscopi *A. S.* [1182] franckenvort 2. [1183] *Pergit hic cod.* 1. [1184] obstipui 1. [1185] rogauit. *Et corr.* Et 1. [1186] p. sum 1*a*. [1187] magna 1*a*.

NOTÆ.

(726) Brandenburgensi.

(727) Havelbergensi, qui nuper Hilderico successerat.

(728) Anno 1009, v. Ann. Quedlinb. Diem. IX. Kal. Apr., non 3, sed 5 feriam fuisse, jam Widekind adnotavit.

(729) sc. 1007, conf. Ann. Hildesh.

(730) Ni fallor, erat ille præpositus ecclesiæ Halberstadiensis, qui an. 1018 obiit, de quo Chron. Halberst. et Ann. Quedlinb. h. a. Urs.

bato ad Novam Urbem (731) venimus. Ibi tunc in octavo Dominicæ sollempnitatis die a predicto archipresule, Hilliwardo confratre nostro adjuvante, et coepiscopis non minus quam 4 asspirantibus, in regis presentia crismate in sacerdotem perunctus sum 8 Kalendas Mai. Inde Ratisbonam in Danubio flumine navigio perducimur [1188].

28. In diebus illis famis magna in hac regione fuit [1189]. Interea Heinricus dux rebellionis gratia Bawariam clanculum intrare presumens, interclusum sibi aditum a provida regis sollercia ut primo persensit, mox fugiendo revertitur. Quocirca optimi Bawariorum Ratisbone regali edictu conveniunt; et quamvis (f. 116') duci suimet ad tres annos se alterum non eligere omnes sponte jurarent, tamen ob [1190] hoc a rege jurgati, blandiciis atque minis ab ejus famulatu et auxilio deducuntur, sibique specialiter assumuntur. Ibi tunc confratres de monasterio Christi martiris Emmerammi, quod Arnulfus imperator in honorem ejus construxit, hicque ad corporaliter [1191] pausandum elegit, unanimiter regis pedibus provoluti, ex parte presulis suimet Gebehardi multa flebiliter [1192], me eadem audjente, queruntur, et laici presentes magnis lamentationibus hiis subsequuntur. Difficile est mihi enarrare et alicui credere, quanta de hoc populus sibi subditus ad vanam pertinentia superstitionem animæque detrimentum suæ dissereret. Hoc solum scio, quod moribus et raris apparatibus huic similem numquam vidi, neque [1193] de antiquioribus audivi. Si interiora exterioribus concordant, aut melior est cæteris, aut (732) longe inferior. Optime prius culta diruens, novis insudat maximis laboribus. Patriam cum commissis deserit, aliena, et quamvis longe sunt, supervacuis cultibus, colit. Deum testor, quod non ob reprehensionem sui tantum hæc loquor — quia nostra fragilitas in proximis dissimulanda, et ob melioracionem est castiganda — quantum veritate ad hoc me persuadente vehementer hoc cum multis ammiror. Propicius (f. 116') illi Deus, ut si hæc bona intentione faciat, in justificationibus Dei sine querela cursum hujus peregrinationis incedat. Si autem tumore elacionis aliquo magis inflatus quam [1194] amoris fomite spiritualis tanta operatur, ad vituperandam solum presentium conversationem, convertatur ab iniquitatibus suis, ac per lucracionem secularium ædificationem fidelium sequutus animarum, nullo prematur detrimento sui. Felix est in Christo, qui æternam justiciæ cultu memoriam, et a malo suspensus auditu, divinam promeretur ad dexteram vocationem.

29. Rex dum hæc, quæ nunc longe progressus aiebam, discutit, ad invadendam episcopalem cathedram jussu regis ego precedebam. Primoque ad curtem meam, Sclavonice Malacin [1195] dictam, Teutonice autem Egisvillam (733), veni, et subsequenti luce juxta Elstram fluvium et Iteri oppidum (734), cum convocatis æcclesiæ meimet famulis [1196], ad consolandum presentes et ad vocandum absentes loquebar. Fugerat enim maxima horum [1197] multitudo suimet inconstancia et antecessoris mei infirmitate prevalida. Inde ad Merseburhg proficiscens, per Ericum antistitem (735), a confratribus primo honorifice susceptus, inthronizabar. Dies Dominica crastino illuxit, et ego peccatorum missam cantans, populos advenientes amonicionis egentes [1198] institui, et peccata confidentibus divina potestate, (f. 117) tamen infirmitate mea, resolvi. 2. feria rogationum [1199] dies incipiunt (*Mai.* 23), et hinc ad Magadaburhg peticione archiantistitis mei pergens, 4 feria a spiritualibus meimet fratribus, non pro qualitate meriti, sed pro quantitate amoris inmensis, succipiebar. Ascensionis inclitum et regale misterium (*Mai.* 26) communi devotione pro nostra possibilitate peregimus.

30. Inde ad Wallibizi, ubi tunc prepositus confratres Deo semperque virgini Mariæ ibidem servientes 7 annos ac tres ebdomadas [1200] et tres dies rexi, tantum onus Simoniaco, pro dolor! subiens exemplo non in pecunia, sed in predio patruo meimet dato. In hoc multum culpabilis, spero districti Judicis veniam, quia ob defendendum gregem Dominicum et instituta parentum observanda multo magis id egi. Ergo te lectorem per Deum testor, ut textum hujus narrationis inspicias, et pro qualitate meriti discernas, examinatorisque venturi horridam faciem lacrimabili supplicatione preoccupes. Avus meus, de quo predixi (736), Liutharius, postquam in dominum suimet et regem deliquid, nevam hanc abluere sedulo cogitavit. Unde monasterium in loco, qui Rivus [1201] dicitur silvaticus, in honore sanctæ Dei genitricis construxit, ibidemque Willigisum statuit prepositum, concedens fratribus hiis ad victus vestitusque necessaria decimam hereditatis suæ partem. Quo discedente, uxor sua Mahtildis votum dilecti senioris sui, faventibus ad hæc duobus suimet filiis, perficere anhelavit, (f. 117') et post obitum Willigisi patris egregii [1202] Reginbertum de orientali Francia natum succedere fecit. Hic decurso multorum spacio anne-

VARIÆ LECTIONES.

[1188] perducim' 1. [1189] In — fuit *add.* 1*b*. [1190] ab 1*a*. [1191] corparaliter 1*a*. *sæpius*. [1192] flebiter 1. [1193] et 1*a*. [1194] quam et *aut* quamque 1*a*. [1195] malauin 1*a*. [1196] famulus *corr.* familis 1. [1197] harum 1. [1198] egens 1. [1199] rogantionum 1. [1200] ebdomas 1. [1201] qui riuus *add.* 1*b*. [1202] egrii 1*a*.

NOTÆ.

(731) Nenburg ad Danubium.
(732) Sc. si non concordant.
(733) Eisdorf in præfectura Lutzen.
(734) Eytra.
(735) Havelbergensem.
(736) II, 13.

rum, mortuo [1303] tunc patre meo et matre ejus, auxilio patrui meimet Liutharii Antiquæ civitatis (737) antistes a tercio Ottone effectus est. Fuit tunc in nostra vicinitate clericus nobilis genere, Thiedricus nomine, qui suasu prefati comitis decem [1304] mansis preposituram hanc comparavit. Quo tot annis vel plus sedente, defuncta matre mea, ego heres tercius successi, et predii medietatem [1305], quæ cenobium respiciebat prefatum, a confratribus [1306] meis suscepi. Exin patruum sepe alloquebar meum, quatenus mihi liceret curam subire predictam; et si non potuisset id fieri dono, saltem fieret mediocri precio. Hic [1307] post longam animi constantis deliberationem [1308], posthabito caritatis et affinitatis debito, magna ex parte mea poposcit; et quia in fratribus meis nullo fruebar amminiculo, desiderio ejusdem, pro dolor! consensi, ac ejusdem æcclesiæ, cujus tunc fui paterna tradicione servus, Dominicæ [1309] incarnationis anno millesimo 2 Nonas Mai custos effectus sum, annuente id antecessore meo ob acceptam commutationem sibi placitam. In hoc offitio plus iniquitatis quam divinæ æquitatis otiosus operator exegi, et pro hoc dignos penitentiæ fructus numquam exercere conabar. Non ullum consanguinitatis linea mihi (f. 118) conjunctum accuso, sed bona pro malis omnibus his exflagito. Mortua uxore fratris mei, rogatus sum ab eo, ut [1310] sepulturam ei preparare voluissem optatam. Sed cum scirem Willigisum venerabilem ibi esse tumulatum, primo rennui, ac postremo rectum et pudorem voluntati ejusdem supposui, miserque aggressus sum, quod utinam non fecissem; et quod gentibus nefas videbatur, Christianus ego in dejectione sepulcri et ossium [1311] confratris mei operabar, et calicem argenteum, quem ibi inveniebam, pauperibus ad dividendum reservari precipiebam, quem postea nullatenus comperiebam. Agnovi post [1312] in infirmitate sequenti, quia in Deum nimis peccavi. Sed cum hanc divino superarem auxilio, causa orationis Coloniam pecii. Quadam autem nocte audiens clamorem inmensum, quid hoc esset percontatus sum. *Et hic ego sum*, inquid, *Willigisus, qui culpa tui errans vagor.* Expergefactus mox obstupui [1313], et usque huc, et quamdiu vivo, culpabilis hoc ingemisco.

31. Ad percipiendum presbiteratus ordinem ad Alstidi civitatem a domino Taginone vocabar, et in via hac peracti facinoris confessionem feci, et quod ad emendationem ejus promisi, pro debito non complevi. Presbiterii vero dignitatem 12 Kalendas Januarii a prefato archiepiscopo, presente Heinrico rege et casulam mihi optimam largiente, indignus percepi (*an.* 1008. *Oct.* 11). Antequam vero episcopus ordinarer in ea ebdomada qua recordacio fratrum a cunctis fidelibus universaliter celebratur talia per somnum quidam mihi nunciat (f. 118'): *In hoc*, inquiens, *anno presul Hillericus et Meinric decanus ac tu mandatum Dei inplere debetis.* Cui sic respondebam: *Ut sit voluntas in cœlo, sic fiat.* Et in ipso mense et in tertia [1314] Kalendas Novembris, quæ tunc proxima fuit, antistes predictus, ut sibi prius revelatum est, in Christo exhalavit (738). Sed quia Deus omnipotens humanam fragilitatem sepe dignatur [1315] visitare et consolari, congruum est laudibus et scriptis hoc posteris innotescere, ut [1316] glorificetur [1317] nomen Domini, et prospiciat homo instabilis sibi. Præsul supramemoratus, in Magadaburg invalescente prius [1318] nimia corporis egritudine, a quodam egreio viro in somnis sibi apparente sic ammonitus est: *Ne sis modo de fine tuo sollicitus. Quatuor annos et duas ebdomadas vel tres expectabis, et bona quæcumque possis operari, non desistas* [1319]. Hæc locutus evanuit [1320], et sicut iste predixit, episcopus mente, ut spero, vigilanti supervixit, morte, pro dolor [1320]! subitanea lineam vitæ hujus concludens supremam. In sequenti nocte lux magna et a multis visa apparuit [1321]. Post omnium memoriam sanctorum (*Nov.* 2) ego de me multum pavidus licentiam abeundi a decano postulavi, et eundem, ut se provideret, ammonui. Ad curtem [1322] meam, quæ Retmerslevo [1323] dicitur, veni, et in nocte proxima suppliciter Deum rogavi, ut aliquam de me certitudinem dignaretur aperire. In primo subsequentis diei crepusculo, id est in vigilia sancti Martini (*Nov.* 10), ut paululum quiescebam, sic tunc, ut mihi videbatur, Walterdus, tunc noster prepositus, hæc dicens (f. 119) apparuit: *Vis tibi profutura scire?* Et ut voluntatem meam in hoc sensit, mox volumen unius martyrologii [1324] diligenter inspiciens, plumbum [1325], quo murus mensuratus dirigitur, tacendo inmisit, et post longum temporis intervallum hoc substitit. *Et quid nunc est?* aio ad eum; et ille: *Quinque*, inquid; et vidi manifeste numerum hunc atramento signatum, incertus, utrum dies, an ebdomadas, seu menses, an signaret annos. Et protinus respondebam ei, utrum prius indictum, an posterius innotesceret tempus; et ille

VARIÆ LECTIONES.

[1303] mortua 1. [1304] tredecim 1*a*. [1305] meditatem 1. [1306] acfrib. 1. [1307] h 1. [1308] longa a. c. deliberatione 1. [1309] seruus dominice et *post* anno *add.* 1*b*. [1310] rogatus — ut *et* ei *add.* 1*b*. [1311] ossuum 1*a*. [1312] *add.* 1*b*. [1313] obstipui 1. [1314] tercia 1*c*? [1315] dignitatur 1. [1316] enarrare: laus et honor Christo, quo magnificetur in isto 2. [1317] glorifecetur 1*a*. [1318] exspectabis. Tu vero tempus a Deo tibi concessum non negligas, sed quicquid boni possis, instanter operare, ut eternam vitam promerearis. 2. *A. S. a.* 1008. [1319] evanuit. Dixit, et in vacuas se mox transfuderat auras 2. [1320] prodor 1. [1321] lu — apparuit *add.* 1*b*. [1322] cortem 1*a*. [1323] retmersleue 1*c*? [1324] martorlogii 1. [1325] blumbum 1.

NOTÆ.

(737) Aldenburg in Wagria.

(738) Hillericus, episcopus Havelbergensis, obiit anno 1008; v. Ann. Quedl.

tacendo exivit. Equidem premonstratus mihi inducias cura non sine maxima notavi, sed bonis operibus nullatenus [1326] preveni. Adveniente quinto mense, quamvis plus mortem quam hoc sperarem, completur utrumque in accepto episcopatu somnium, quia in eo preceptis obedivi divinis, et numerum complevi signatum. Unde inconveniens esse mihi videbatur, ut sine speciali rectore æcclesia, quam actenus regebam, esset, ac eidem Willigisum, fratrem meum ex patre, hujus altaris servum, communi fratrum consilio preposui ; et inde ad Merseburg veniens, cum domino meimet rege proximum Pentecosten celebravi (739) (*Jun.* 5).

32. Dehinc ad Magathaburg omnes venimus. Ibi tum nepos meus marchio Wiriuharius a rege in multis accusatus, gratiam ejus et beneficium suimet instinctu Dædi [1327] comitis perderet, nisi infirmitas ejus subitanea id [1328] impediret, et ni hoc Burchardus comes palatinus (f. 119') prudenti consilio differet. Rex inde progressus, varias occidentalium mentes probare, et ne solito commoverentur, sedare temptavit (740). Quos nonnulli injusticiam dominorum suorum pati nolentes laudant, nos autem quasi ignavos e contra vituperant. Sunt [1329] plerique, qui corporis voluptatibus cunctis servientes, freno equitatis a Deo inpositæ regi nullatenus curant, sed hoc, virtute seu fieri valet arte, de futuro nil solliciti [1330], defendunt, et omnes in hoc sibi non consentientes detractione et odio insaciabili persequuntur. Sed ego hiis neque suimet fautoribus consentio ; quin potius illis, qui Deo se potestatibusque ab eo constitutis humiliant et cedunt, asspiro, quibus videtur esse sacius, omnia propter Deum pati, quam litigio [1331] et execrabili perjurio divinam majestatem offendere. Nostri predecessores, suis senioribus semper fideles, in extraneas nationes, ac non in viscera, optimi seviebant milites. Hoc posteritas discat et alia fugiat, et quæ mutanda sunt, non in pejus, sed semper in melius transferre contendat ; beatitudinem oct nam libenter attendat, eorumque opposita fugiens, eam apprehendere studeat. Quid illos amplius corripere vel hos attollere volo, cum unusquisque pro qualitate sui seminis pro certo recipiat fructum futuræ messis ? (*Matth.* v.) Cum pro corruptibilibus accipiendis semper laboramus, cur non ad indeficientis coronam (f. 120) honoris sublato timore aliquantulum properamus ? Hanc ad capiendam rex noster, ut predixi, in itineribus et aliis necessitatibus maxime laborans, amicos fecit sibi inimicos, juste eosdem exosus.

33. Interim Dædi comes magnum dedecus in verbis et in operibus predicto nepoti meo inferens, excitavit malum, quod fore putavit oblitum. Consilio enim ejus et auxilio urbs patris ejus et nostra Walmerstidi (741), Slavonice autem Ustiure, eo quod Ara et Albis fluvii hic conveniunt, vocata, combusta est et depopulata. Commovit hoc omne animosum juvenis egregii pectus, et cum hostem de civitate Tongeremuthi (742) dicta, quia Tongera fluvius ibidem in Albiam cadit, equitare veraciter comperiret, fratrem meum Frithericum cum 20 tantum militibus armatis secum sumens, a sumitate [1332] unius campi ad Mosum villam (743) pertingentis, qua eminus asspici [1333] potuit, viriliter aggreditur, et eundem, fugientibus mox plus quam 40 sociis, fortiter resistentem, cum Egilhardo suimet milite occidit (744), et post hoc juste perdidit, quod prius pene [1334] inracionabiliter ejus persuasu amisit.

34. Sed si te lectorem audire delectat, unde is fuerit, de tribu, quæ Buzici (745) dicitur, et de patre Thiedrico originem duxisse accipies. Hic Rigdago marchioni, agnato suimet, ab infancia seviebat, et gemina cordis ac corporis virtute pollebat ; et, ut predixi (746), Boemios (f. 120') adversum nos insurgentes ad Citicensem perduxit [1335] æcclesiam. Ubi cum hiis vastando circumquaque perlustrans, ad ultimum captivam matrem suam, hostis, non filius, cum cætera adduxerat preda. Post hæc reconciliatus, regis efficitur tertii Ottonis, et in parvo tempore gratiam ejus et familiaritatem promeruit. Interim Bio, comes Merseburgensis, in expeditione obiit; et Gisilerus archipresul hujus comitatum, qui inter Wipperam, et Salam, et Saltam (747), ac Villerbizi (748), fluvios jacet, isto acquisivit [1336]. Insuper Zurbizi [1337] (749) burgwardum, quem antecessores sui in beneficium possiderunt, sibi et confratri suimet Fritherico vendicavit. Insuper Thiedburgam, Thiedrici marchionis filiam, duxit [1338], et ob hoc

VARIÆ LECTIONES.

[1326] Nulfatus 1. [1327] *erasum* 1. [1328] *add.* 1*b*. [1329] Sed *corr.* Sunt 1. [1330] sollititi 1. [1331] quas ligitios 1*a*. *sed duobus* s *erasis*. [1332] assummitate 1*a*. [1333] *primum* s *erasum* 1. [1334] pene *corr.* pœne *sed* o *post eraso* 1. [1335] perdux 1. [1336] isto ac acquisivit 1. [1337] curbizi 1*a*. [1338] dux 1.

NOTÆ.

(739) Jun. 9 rex adhuc in Merseburg fuit. V. chartam ejusdem apud Höfer l. 1, t. 1, p. 159.
(740) De Lothariis conf. Widukindi l. 1, c. 30.
(741) Wolmirstedt.
(742) Tangermünde.
(743) Moss, villa in vicinia urbis prædictæ.
(744) Kalend. Merseburg Julii 9. *Dædi abiit comes Æilherdus.* Ille in Necrol. Luneb., Jul. 10. Conf. Ann. Quedl., a. 1009. Notanda tamen in Necrol. Luneburg., Novbr. 13 ascriptos esse Tadonem occisum et Eghillerdum laicum.
(745) Ut mihi quidem videtur, Thietmarus hic tradit, Dedi illum fuisse ortum e gente, quæ nomen traxit a villa Busci, hodie Pausitz, sita in diœcesi sua, haud procul a civitate Leipzig. De villa Busci v. chartam Ottonis III imp., a. 991, Sept. 18 datam apud Höfer. l 1, t. 1, p. 531.
(746) III, 10.
(747) Salza sive Salzsee.
(748) Wildenbach. Fluvii qui hic a Thietmaro nominantur aperte indicant comitatum hunc maximam partem terræ Mansfeldensis ambitu suo continuisse. Urs.
(749) Zoerbig.

omne adeo intumuit, ut regi molestiam in oculto et multis offerret [1339] in aperto. Proximum natale Domini rex in Palethi celebravit, et ibidem Thiedrico, predicti comitis filio, comitatum ac [1340] omne beneficium jure et ortatu [1341] reginæ ac principum [1342] suimet dedit. Insuper marcam et quidquid [1343] Wirinzo ex parte regis tenuit, hoc totum Bernhardo comiti concessum est.

35. In diebus illis Thiedricus, Metensis [1344] episcopus, et dux Heinricus, frater ejus (750), cum cæteris conspiratoribus magnam regi et suis familiaribus molestiam inferens, sibi successoribusque suis inexsuperabile detrimentum promeruit (751). Ecclesia namque una, quæ extra Metensem stabat civitatem, et congregatio ibidem serviens a Sclavis (752) Deum non timentibus vastatur. Sed hoc damnum magna (f. 121) ex parte rex cum juramentis et ex sua proprietate restituens, ne quid [1345] huic simile accidisset, cuncto exercitui cavere precepit. Vineas et edificia cum frumento cæterisque utilitatibus lesit. Vidi epistolam non longe post, ubi octingentorum numerus mancipiorum sancti Stephani inscriptus fuit, quæ propter famem [1346] et aliam necessitatem a patriis finibus egressa sunt absque conscientia prepositorum, exceptis omnibus, qui cum consensu eorum abierant. Sacius esset huic æcclesiæ, quod numquam natus fuisset homo ille. Describam quoque unum facinus eorum, quod in Adram (753) lugubre [1347] peregerunt. Rex autem habuit concilium in Magontia civitate, et hii tunc interfuere. Et cum omnia ibidem secundum suimet placitum respondere non potuissent, reversi sunt irati, pace tamen ad tempus facta; et cum eos sequerentur nil mali sperantes Heimo Wirdunensis episcopus et dux (754) Thiedricus, latentes insidias [1348] inproviso irruunt, et paucis effugentibus cum episcopis, interfecti sunt innumerabiles viri. Dux ille nimis vulneratus, et [1349] quia amicus eorum fuit, captus abducitur, et multos dies custoditur. Post hæc datis obsidibus solvitur, et a regis gratia ob hoc non movetur. Anno Dominicæ incarnationis millesimo... Bernhardus dux Corbeia obiit [1350] (*an.* 1011).

36. Interea Herimannus comes et Guncelinus marchio invicem certantes, insitato in his regionibus more conflixere (*an.* 1009). Namque Guncelinus Strelam civitatem a militibus Herimanni custoditam expugnare temptans, et nil proficiens, Rocholenzi [1351] urbem juxta Mildam flumen positam et non bene provisam incendio consumere (f. 121') precepit. Insuper quicquid incommoditatis predicto comiti, quia semper patrui in fratrum filios seviunt [1352], facere potuit, id nullatenus distulit. Herimannus et Ekkihardus confratres castellum quoddam juxta Salam situm, quod Guncelinus unice sibi dilectum muris et presidio firmavit (755) bonisque innumerabilibus replevit, ex improviso manu valida circumdantes expugnant, et divisa omni congerie, radicitus illud [1353] dejiciunt ac incendio consumunt. Pervenit hoc [1354] ad aures regis, et confestim idem [1355] ad Merseburg hæc ad discutienda [1356] properavit (756). Sed cum ibidem predictorum sententias comitum animadvertisset, culpam omnem Guncelino imputat, quia se in multis prius sperneret et in illato sibi dedecore ultorem non exspectaret. Adjecit autem, quod familias multorum sepe id sibi querentium Judeis vendidit, et nec jussu suo has reddere, nec latrocinia multis a sua potestate nocentia umquam curavit compescere. Insuper questus est majorem apud Bolizlavum fratrem gratiam hactenus habuisse, quam ei [1357] deceret aut sibi placere deberet. Hii presentes erant, qui cum semetipsis reum esse majestatis accusare voluerunt. Inter tot lamentationes et ejusdem suorumque excusationes, principum communiter [1358] consilium a rege quæritur, et ab hiis diu hoc [1359] secrete volventibus, taliter respondetur : *Scimus hunc erga vos inexcusabilem non esse; et ut vestræ* [1360] *pietati se omni reluctatione remota tradat, nobis bonum videtur. Ammoneat* (f. 122) *vos misericors Deus, ut non qualitate suimet meriti, sed pro quantitate ineffabilis clementiæ vestrimet, ad exemplum omnibus ad vos conversis, in eo faciatis* [1361]. Horum consultu rex asspirans, suscepit eundem et Arnulfo antistiti firmiter custodiendum tradidit, presidii continuatione ab hostibus Misni muniens, eamque, ad tempus providendum Fritherico committens [1362]. Proxima vero messe, interventu reginæ et instinctu cari Taginonis, Herimanno comiti marcham dedit et consilio et laude [1363] principum eorundem.

37. Interea predictam urbem Brun comes, frater Guncelini, ordine vicis suæ custodiebat; et ecce priori die, quam Herimannus adventaret, magna

VARIÆ LECTIONES.

[1339] offeret 1. [1340] at 1. [1341] interuentu 1*a*. [1342] principium 1*a*. *sæpius*. [1343] qicquid 1. *sæpius*. [1344] mettensis 1*a*. [1345] qd 1. [1346] fam 1. [1347] lugūb 1. [1348] insidiantes 1*a*. [1349] *add.* 1*b*. [1350] anno — obiit *add. in ima margine* 1*b*. *Omissum est* Xmo *sive* XImo, *quo anno ducem Bernhardum defunctum esse constat*. [1351] rocholenti 1*a*. rocholezi 1*c*. *ut vid.* Rocholenci *A. S.* [1352] seruiant 1*a*. [1353] id est 1*a*. [1354] discuenda 1. [1355] *add.* 1*b*. [1356] communice 1*a* [1357] h 1. *quod pariter atque* li *in hoc codice* hoc *significat*. [1358] vestre, que magna esse expertum est. 2. *A. S.* [1359] i. e. f. *add.* 1*b*. [1360] comitens 1. commisit 2. [1361] laudæ *duabus litteris erasis* 1.

NOTÆ.

(750) Fratres Cunigundæ imperatricis.

(751) Cf. Sigebert. Gemblac., a. 1009.

(752) Non ita, sed a Nortmannis. Conf. Alpertum I, 1. c. 8, sq.

(753) Fortasse Odernheim, inter Oppenheim et Alzey.

(754) Lotharingiæ superioris.

(755) Forte fuit castellum, cujus rudera adhuc prope Saalfeldum conspiciuntur. Urs.

(756) Ita et Ann. Quedlinb., a. 1009 : *Ibique* (sc. in Francia) *peracta æstate, rediit in Saxoniam*. Novb. 3, adhuc fuit Wormatiæ.

Poleniorum caterva in primo diei crepusculo Albim transgressa, usque ad portam civitatis sibi promissæ silenter veniebat. Sed cum positis ibidem militibus facilis ei non pateret introitus, est reversa, tristis, pro dolor! illesa, et nemini nocens. Hujus rei ductores erant duo Wethenici [1362] ex suburbio, ut post revelatum est. Namque hii sanguine suo talem merito presumptionem persolvunt. Bolizlavus autem inter spem metumque sollicitus [1363] in [1363a] Budusin [1364] (757) hos [1362a] expectabat, et ut adventare socios comperit, delusum se graviter portat. Post hæc [1365] Herimannus comes per regalem nuncium [1366] introducitur, ac debitoribus suis, quicquid in eum deliquerant, dextera hoc affirmante, ab eo remittitur. Rex autem, in hac estate et proxima hieme, consilio et virtute, pacificatis hostibus, contumeliam et dampnum a Bolizlavo sibi illatum crebra meditatione revolvit [1367] et post Pascha expedicionem suam atroci jussione [1368] indixit.

58. Fit conventus in Belegori (*an.* 1010), quod pulcher (f. 122') mons dicitur (758), in Geronis predio marchionis. Tunc Bernhardus dux et Walther-dus prepositus gratia Bolizlavum convertendi precesserunt, ac nil ibi quod sibi placeret invenientes, reversi sunt. Venit etiam huc Jarimirus, Boemiorum dux inclitus et regi per [1369] omnia fidelis. Nec preterire possum, quod miserabile nimis predicto comiti ibidem accidit. Nos omnes — nec aliquem excipere valeo — vice amicorum hostes huic fuimus, exceptisque dumtaxat mancipiis, omnia consumpsimus, et quædam igne. Hujus rei nec rex ultor seu defensor [1370] fuit. Inde ad Luzici [1371] pagum, in cujus fronte urbs quædam Jarina (759) stat, a Gerone dicta marchione, qui magnus fuit et sic nuncupabatur (760). Ibi tunc capti sunt duo fratres ex provincia Hevellum et ex urbe Brandeburgensi, qui ad Bolizlavum causa eum contra regem vertendi venerunt, et inde digressi inciderunt palam laqueum, quem occulte tetenderunt. Hii de multis interrogati [1372], et nihil de hiis omnibus volentes profiteri, in uno colle pariter susspendio periere. Infirmabatur tunc ibidem rex et sibi dilectus Tagino. Tunc principes augusto versant in pectore quid deberet fieri de incepta expeditione [1373]. Tandem ab hiis inventum est, quod rex cum episcopis quibusdam [1374] et infirmiori multitudine rediret; Arnulfus autem et Meinwercus (761) episcopi cum duce Jarimiro et marchionibus Gerone et Hirimanno cæterisque compluribus Cilensi (762) et Diedesi vastarent. Sicque factum est (765). Predicti seniores cum urbem Glogua dictam, ubi Bolizlavus ipse fuerat ac eos perspicere poterat, gregatim et loricati transirent, militum hæc a muris cernentium animos provocant, et hii ducem suimet, cur hoc pateretur, alloquentes, sibi (f. 123) eos temptandi licentiam poscunt. Quibus talia refert : *Exercitus, quem videtis multitudine parem, vi tute magnus est et* [1375] *milibus cæteris electus. Hunc si aggrediar, sive vincam seu superabor, in posterum depressus sum. Regi possibile est alium illico exercitum congregare* [1376]. *Multo melius est nos hoc modo pacienter ferre, et alias, si possit fieri, absque magno nostri detrimento hiis superbientibus nocere* [1376]. Sic insolens militum animus sedatur, et in hoc itinere nulla ejusdem voluntas in nostris adversitatibus saciatur. Quamvis crebra imbrium inundatione [1377] nostri tardarentur, tamen late magnum hostibus dampnum intulerunt. Tandem vastatis omnibus circumquaque jacentibus, Boemii ad[sua, nostri autem per Milzienos fines læti ad Albim remeabant; premissis illico ad regem nunciis [1378], se cum bona prosperitate venturos indicant. Hic Dei gratia jam bene convalescens, legationem istam et pone sequentes amicabiliter in Mersburg suscepit, et archiepiscopus Tagino de Strela prius [1374] a rege divisus, sanctam Thebeorum sollempnitatem (*Sept.* 22) in Magadaburg celebravit, et ad regem hunc iacolumis venit.

39. Tractatis tunc patriæ laboramis necessitatibus plurimis, rex iterum occidentales invisit regiones, et fluctivagos habitatoram animos sapientiæ freno edomans, natale Domini festiva jucunditate in Palithi celebravit (764). Tunc iterum sibi percaram Merseburg invisit, et firmata ibi ad 5 annos mutua pace [1379], cum consilio paucorum urbem Liubusuam dictam (765) edificare et confirmare precepit; de qua multi predixere venturum, quod in hoc anno, pro dolor! agnoscunt, non esse falsum. (f. 123) Ad hanc venimus in fine mensis Januarii, et ibidem sanctæ Dei genitricis purificationem veneratione justa peragentes (*an.* 1011, *Febr.* 2), in 14 diebus opus inpositum complevimus, et presidio urbem

VARIÆ LECTIONES.

[1362] uuetheni 1. [1363] sollicit 1. [1363a] *add.* 1*b*. [1364] busin 1. Budizin *A. S.* [1365] *ita* 1*b*. Post adte 1*a*. *pro* postera die. [1366] noccium 1*a*. noccium 1*b*. [1367] reuuoluit 1*a*. [1368] jussionē 1. [1369] pro 1. [1370] nec alius quis redditor *add.* 2. [1371] luziti? 1. [1372] interogati 1. [1373] exspeditione 1*a*. [1374] *add.* 1 *b* [1375] et nos appetere *add.* 2 [1376] et nostras injurias vindicare *add.* 2 *A. S.* [1377] imundatione 1. [1378] veredariis 2 *A. S.* [1379] pace *quod post* paucorum 1*a*. *scripserat hic posuit* 1*b*.

NOTÆ.

(757) Bautzen.

(758) Belgern, juxta Albim fluvium.

(759) Gæhren, villa parrochialis in extremis finibus circuli Lucaviensis ipsiusque marchionatus inferioris Lusatiæ. Urs.

(760) Magnus audit etiam apud Widukindum III, 54 et in Ann. Quedlinb., a. 1013.

(761) Paderburnensis.

(762) Dicitur etiam pagus Silensis, qui situs erat circa civitatem Nimptsch. Conf. infra l. VII.

(763) Conf. Ann. Quedlinb., a. 1010.

(764) Hoc non Palithi sed Frankenvurdi factum esse. Annal. Hildesh. dicunt.

(765) V. supra lib. I, cap. 9.

munientes, remeavimus. Juxta hanc in parte aquilonari stat civitas, quam a predicta nil nisi una vallis[1180] dividit; et in hac 12 portæ sunt. Hanc cum diligenter lustrarem, opus Julii Cesaris et magnam Romanorum structuram, Lucano ammonente, tractavi (766); hæc plus quam 10 milia hominum capere potuisset. Minor autem, quam tunc perfecimus, ab primo[1180a] Heinrico rege usque ad hoc tempus vacua erat, et quam flebili miseria hæc cito corruerit, enumeratis, quæ inter hæc acciderant, explicabo.

40. In priori estate (767) 4 Idus Augusti monasterium in Wallibizi cum quatuor æcclesiis et campanis omnibus ac cum edificiis apertinentibus propter peccata mea incendio periit[1181]. Peracta in civitate Bavenbergensi æcclesia majore, cum natalicius regis dies esset (*an.* 1012), et 35 jam inciperet annus[1182], 2 Nonas Mai omnis primatus ad dedicationem istius aulæ ibidem congregatur, et sponsa hæc Christi per manus Johannis, patriarchæ de Aquileia, et aliorum plus quam 30 episcoporum[1183] [ministerio consecratur[1184]]. Hiis ego peccator interfui, et ut summo decuit regi, in omnibus hanc[1180a] ornatam vidi. Post[1185] hec sinodus hic fit magna[1186], in qua Gevehardus, Ratisbonensis ecclesiæ episcopus, ab archiepiscopo suimet arguitur[1187], et Metensis æcclesiæ presul Thiedricus a rege increpatur[1188], eo quod in epistola suimet hunc injuste apud papam accusaret. Sed hæc omnia et multa alia consilio prudenti finita sunt, et restitucio parrochiæ tunc promissa est mihi.

41. (f. 124.) Completis omnibus in orientali Francia utilitatibus, rex Merseburgensem revisit civitatem, ac ibi sanctam pentecostes sollempnitatem celebrat, et in primo mane Dominicæ diei, qua sanctus apostolos replevit Spiritus (*Jun.* 1), Tagino archiepiscopus infirmari cepit, et missam canere non potuit. Tunc jussus sum[1180a] indignus hoc offitio succedere. Postera die ad modicum evaluit archiantistes, et ad regem ambulans, se multum commovit, et post hoc in tantum tardatur, ut per se numquam aliquid facere potuisset. Accersito tunc ad eum fratre meo abbate[1189] Sigifrido (768), ac[1190] presuli Erico, et illis confessionem fecit, et in 5 feria, cum jam inde voluisset pergere, juxta caminatam regis solio portatur suo, et elevato a capite pilleo, dormientem aloquitur seniorem: *Grates tibi condignas, domine mi karissime, referat omnipotens Deus de cunctis miseracionibus tuis, quibus*[1190] *peregrinum me*[1190] *kactenus visitasti et consolatus es*[1191]. Et tunc ad æcclesiam veniens, audivit missam, ipse[1190] presentes benedicens. Inde portatur[1192] ad navim, et in ea ad Ivicansten deductus est. Ibi tum sabbato requiescebat, et in die Dominica juxta urbem suam Spiutni vocatam (769) navigio venit. In 2 autem feria in ipso itinere cum jam pene defecisset, Walterdum ad se vocavit prepositum; ejusque fidei se suosque committens, 5 Idus Junii non obiit, sed ad Christum, quem semper amavit, lætus abiit. Fit oratio a confratribus cum intermixtis fletibus, et Bodo miles (f. 124') ad regem ad hæc indicanda mittitur. Corpus autem archiepiscopi ad Frasam ipso die venit, et ibi sacerdotalibus vestimentis paratum ad sedem suam transfertur, et cum ingenti tristicia ab omnibus suscipitur.

42. Ego autem hæc omnia in Merseburg sero comperiens, in ipso depositionis die orto jam sole adveniebam; et cum in æcclesia majori pauca orationis verba effunderem, veni ad refectorium, ubi prepositus cum universis confratribus atque militibus sedens, de electione tractabat. In quorum presentia ego stans, multum flevi, turbatus dolore vehementi; et salutatis omnibus sedebam, et quid ab his tunc[1190] esset dispositum interrogabam. Ad hæc Walterdus: *Misi*, inquid, *legatum meimet ad regem, qui hæc ei, quæ nobis acciderant mala, indicaret, et voluntatem suam in rebus faciendis inquireret. Et hic ad nos Hericum antistitem misit, ut electio a nobis non fiat, sed tantum consensus unanimis, et hic indicetur ei. Nunc autem omnium pietas presentium me, quamvis ad hoc indignum, decernit, si Deus consentit et si vult rex.* Cui sic protinus respondebam: *Sum unus ex his qui electionis hujus ac consecracionis participes esse debent; et hoc vobis consilium do, ac illud adjuvare, in quantum possum, volo. Senior meus imperet*[1193] *quod velit; vos autem quod accepistis a Deo et antecessoribus suis, videte ne perdatis. Te autem fratrem primus eligo mihi ad archiantistitem, non karitate tua, sed utilitate certa in te*

VARIÆ LECTIONES.

[1180] unaldis 1*a*. [1180a] *add.* 1*b*. [1181] In priore—periit *add* 1*b*. [1182] et—annus *add.* 1*b*. [1183] iohanni (*ita*)—episcoporum *add.* 1*b*. *in loco raso et super lineam.* [1184] ministerio consecratur *desunt* 1, *suppleta ex Chronographo Saxone a.* 1012. [1185] *Sequentia usque ad finem hujus capitis, qui et quaternionis est finis, Thietmari ipsius manu exarata sunt.* [1186] magnus *corr.* magna 1. [1187] accusatur *corr.* arguitur 1. [1188] increpatur *corr.* increp. 1. [1189] sigefrido nove Corbeie modo abbate 2. [1190] *add.* 1*b*. [1191] Et det tue benignitati ob recompensationem earum in celesti Jerusalem premium, quod ipse suis dilectoribus ineffabile preparavit; me enim amodo viventem non es visurus, quia jam, ut spero, viam universe carnis sum ingressurus. Vale igitur, domine carissime, vale in Domino! *add.* 2. [1192] portatus est 1. [1193] imperat 1*a*.

NOTÆ.

(766) Respicit noster quæ Lucanus in Pharsal. l. VI, v. 29, usque 65 refert de castris prope Dyrrachium a Julio Cæsare exstructis.

(767) Id est 1011 Bambergensis enim ecclesia consecrata est a. 1012; unde Thietmarus, cum hanc de Wallibizi notam postea ipse margini apponeret, priorem æstatem dicere non potuit nisi eam quæ consecrationem illam præcederet.

(768) Sigefridus, abbas cœnobii S. Joannis Baptistæ Magdeburg. electus anno 1009. V. chronogr. Sax.

(769) Zpiutneburg in pago Nuditzi vocatur in chartis Ottonis I a. 961, Jul. 29 et 965 April. 12. Situm est ad fluvium Salam hodieque appellatur Rothenburg.

agnita[1295]; *et presencium* (f. 125) *mentem nunc singulariter scire desidero.* A quibus hoc unum percepi responsum: *Walterdum nobis in dominum et archiantistitem eligimus.* His tunc confirmatis, ille surrexit, et coram prostratus veniam petiit, divinam interpellans pietatem, ut hæc nobis omnibus retribuere dignaretur, et a sua parte bona promisit omnia. Tunc ego me inclinans rogavi eum per nomen Domini et per veræ fraternitatis amorem, ut æcclesiæ meimet admodum despoliatæ parrochiam sibi juste pertinentem si ad hunc perveniret honorem, restituere, at sibi hanc cum aliis rebus inde abstractis voluisset sacramentis firmare. Hoc mihi in presentia omnium firmiter promisit. Interim lassatus ab itinere presul Hericus dormivit, et episcopus Wigo veniens, electionem nostram consolidavit. Mittitur B a nobis omnibus tunc custos æcclesiæ Redingus[1296] ad regem, ut memor Domini et antiquæ promissionis, si umquam sic accidisset, familiam sancti Mauricii orbatam et nimis tristem tanto patre consolari voluisset.

43. Sonata jam prima Ericus antistes evigilat, et missam pro defunctis cantavit. Post euvangelium autem, ad quid[1296] rex eum huc mitteret, presentibus innotuit, et defuncto archipresule, absolutionem nobiscum fecit, et ab omnibus fieri postulavit. Tertia enim tunc dies erat, qua sacerdos predictus obierat, quæ cum septima atque tricesima in uniuscujusque fidelis[1296*] exitu est memoriter ob misterium in se continens celebranda, id est ob fidem C sanctæ trinitatis et septiformem spiritum. Ac (f. 125') dehinc corpus benedictum usque ad locum sepulchri carmine et planctu[1297] defertur, ac positum est occidentali parte in choro ante criptam, quam ipse fecit et consecravit, et in qua se, quamdiu vixit, coram altari rogavit sepeliri; ubi idem lacrimabiles sepe effudit orationes. Sed Waltherdus locum hunc, in quo nunc pausat, quia non[1298] erat dedicatus, animæ salubrem et introeuntibus cunctis conspicabilem dilecto suimet seniori providit. Sed quia beati omnes virtutibus suis cum[1299] Christo vivunt, et in hoc seculo scriptis, non est bonum tanti patris inclitam conversacionem silentio tegere, sed veritatis luce omnibus proficuis innotescere, — erat hic justus et timoratus ac miræ caritatis, largus D et fidelis, castus ac mitis, prudens et stabilis, canonicus[1300] habitu, sed monachus in omni conversatione sua. Vicia in cunctis ob melioracionem aspere carpebat, bona quæque laudans. Non fuit apud modernos ullus pastor, qui confratribus suis familiarior esset. Hos amavit atque coram populis laudavit[1301]. In primo ordinationis suæ anno templum Domino edificare cepit. Presbiteris et diaconibus vestitum suimet 8 siclis, subdiaconibus autem et infantibus (770) 4 adauxit. Nisi infirmitas obsisteret, omni die missam et psalterium cantavit; et quia jejunare ob lassitudinem non potuit, elemosinarum multitudine redemit. In vigiliis supra modum laborat, et quia parum manducare (f. 126) ob infirmitatem dentium potuit, potu quamvis mediocri facile saciatur. Nobiles genere et moribus amavit, ignobiles autem non contempsit, sed in sua familiaritate non[1302] habuit. Cultores Christi dilexit, contemptores autem ejus justo persequitur odio. Omnia sibi divinitus commissa excoluit et lucrari contendit. Antequam divinum perageret misterium[1303], severus fuit; et post omnibus hilaris arrisit, et persepe cum suis kirielison cantavit. Nequeo ex parte mea numerare, quantum pietatis munus mihi indigno studuisset impendere; hoc tantum scio, quod numquam illi digna remuneratione de hiis respondi. Obedientiam, quam eo[1304] suisque successoribus in examinacione promisi, minime adimplevi. Harnaburg et Frasam ac Pretini (771) urbes cum curte una, quæ Eseconis fuit comitis, suæ acquisivit æcclesiæ (772). Apparatum episcopalem satis egrejum et affluentem congregavit. 8 annos et menses 4 et 8 dies columna ecclesiæ sedebat, cadens, ut predixi, presentialiter; sed invisibili templo Domini translata manet perpetualiter. Eodem die Vuncerus, Posnaniensis cenobii pastor, consacerdos suus et suffraganeus, 30 ordinationis suæ[1305] anno obiit. Nunc hæc dicta suffultiant, et de quo mihi nunc sermo est, amplius loquar.

44. Redingus ad regem veniens, legationem suam suppliciter profert; et quamvis ardue, tamen desiderata (f. 126,) impetrans, per internuntium Walterdum, in exequiis dilecti senioris studiosum, etiam 20 talenta argenti Thiedrico, nepoti meo, in elemosinam excepto victu largientem, vocat. Et ego jussus venire proficiscebar cum eo, ac in sabbato Gronam (773) sero venimus. Mox in presentiam regis venientes, misericorditer suscipiebamur, et pauca locutus rex, nos ad hospicium ire permisit. Castrametati enim tunc sumus extra urbem et juxta lucum, ubi modo sancti est æcclesia Alexan-

VARIÆ LECTIONES.

[1295] i. t. a. *add.* 1*b*. [1296] reedignus 1 *altero* e *eraso*. [1296*] quid 1. [1296*] *add.* 1*b*. [1297] plantu 1. [1298] q̄n̄ 1. *quod etiam* qui ante *legi posset*. [1299] cum *aut* tum 1. [1300] canicus 1. [1301] amavit, memorabatur eorum ubique in bonum, et eos coram rege et principibus et universis populis intus et exterius semper laudavit 2. [1302] *erasum in* 1. *sed extat* 2. [1303] officium 2. [1304] ei 1*c*.? [1305] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(770) Chorknaben.

(771) Prettin in ripa aquilonari Albiæ inter Wittenberg et Torgau.

(772) V. diplomata regis, a 1006, April. 7; 1012, Jan. 21.

(773) Gronau prope fluvium Leinam, juxta Hildesheim, unum quinque palatiorum regalium in Saxonia. V. Wedekind Noten II, pag. 360 sq.

dri. Crastino fuit Dominica dies et festivitas Christi martyris Viti [1306] (*Jun.* 15) ; et ego valde mane missam contratribus meis cantavi, et post hanc in urbem vocati ivimus usque ad caminatam regis ; et ibi solus intromittitur Walterdus, et ibi usque ad terciam soli colloquebantur, et egressus tunc Walterdus anulum portat in manu sua, et ostendens nobis : *Ecce habetis, inquid, pignus subsecuturæ pietatis !* [1307] Et tunc omnes nos in præsentiam venientes, examinatione regis, ipso primitus eum laudante, predictum patrem elegimus, et optimi quique aspirabant ; et mox a rege accepit baculum pastoralem [1308]. Post sacramentum regiæ potestati exhibitum introductus est ad æcclesiam, quam ibi a rege constructam antecessor suus benedixit, et aus Domino a presentibus canitur. Deinde regiam interpellabam pietatem, ut de æcclesiæ necessitatibus meæ aliquid loqui cum eo [1309] dignaretur ; et ut ego postulabam, firmæ suimet commisit me fidei. Thiedricum quoque nepotem meum, ut ipse desideravit, (f. 127') rex per manus illi dedit. Et cum generos (774) suimet tunc iterum exercitu petere voluisset, cum presentibus suimet principibus [1310], qualiter Bolizlavus ab [1310] his invaderetur, tractavit [1311]. Hoc omne archiepiscopo noviter instituto et suas curtes in Saxonia positas [1312] commendavit. Eodem die omnes declinavimus unusquisque ad sua. In proximo autem sabbato (*Jun.* 21) archipresulem Walterdum Arnolfus presul [1313] jussu regis inthronizavit, et utrique honore ac magna jocunditate ibi suscepti sunt. Postera die (*Jun.* 22) unctus est Walterdus ab Eido, Misnensis [1314] æcclesiæ venerabili episcopo tertio, cum adjutorio suimet confratrum Wigonis, Hilliwardi ac Herici, et a me hiis multum inferiori. Adjuvit autem nos Arnulfus presul. 2 feria omnes nos cum caritate bona et munere magno [1315] abivimus. Fuerat enim vigilia [1316] sancti Johannis baptistæ, et tunc Redingus ab archiepiscopo constitutus est ad prepositum cum communi electione confratrum. In die sancto ad Montem cum solito honore is [1317] ductus, a me et a fratre meo Sigifrido [1317] succipitur. Ibi tunc missam cantans, populos primo instituit, et post ab [1318] abbate multum rogatus, ut ibi caritatem faceret ob turbam sibi adhærentem omisit. Fuit in [1319] natali apostolorum (*Jun.* 29) in sede sua, ac tunc commissos salubriter ammonuit.

45. Interim a Bolizlavi [1320] nunciis rogatus, Sciciani (775) causa pacem faciendi [1321] venit, et ibidem magnifice succeptus, duas ibi [1322] tantum noctes mansit, ac nil ibi rem proficiens, muneribus magnis revertitur. Affuit mox expeditionis indictæ (f. 127') statuta dies id est 9 Kalendas Augusti ; juxta locum [1323] qui dicitur Zribenz (776) convenimus, et sic sursum usque prope Belegori [1324] adcendimus. Tunc visum est principibus [1325] non esse bonum perfici iter nostrum, sed optimis marcham firmari presidiis. Et in consequenti nocte archiepiscopus capite nimis infirmatur ; cumque ad eum mane venissem, diu eum in tentorio tardantem expectavi. Egressus tandem queritur mihi, se multum egrotasse. Promisit autem se ad reginam in Merseburg tunc manentem venturum, et ibi me allocuturum. Tunc ego abcessi, et illi prius recusans, tamen quia inventio Christi protomartiris tunc fuit et Dominica dies [1326] (*Aug.* 3), missam cantavit, pro dolor ! ultimam. 5 feria (*Aug.* 7) ego ad Merseburg veniens, dum me cum confratribus meis ad adventum ejus prepararem, audivi ab internuntiis quod ille ad Ivicansten non bene valens curru veniret. Proxima die huc equitans, Bernwardum [1327], Hillinissemmensis æcclesiæ episcopum causa benedictionis et, quam [1328] bene sciebat, curationis gratia vocatum, ibidem repperi, et Frithericum comitem, cujus frater erat Dedi comes. Et cum introirem, sedebat archiepiscopus in solio, et me suscipiebat quam caritative, et suimet pedes tunc a tumore [1329] solito relaxatos intuetur, et dolet, quia, dum hii turgebant, venter levius habebat ejus [1330]. Intimaverat is tunc mihi, si hoc periculum sanus evaderet, nullus amicorum mihi fidelior esse potuisset. Fui tunc ibidem usque ad vesperam, et tum invitus redii, quia crastino erat vigilia (f. 128) Christi adletæ Laurentii, cujus festivitas Dominica instabat die (*Aug.* 10). Qua cum ego populis venientibus pauca predicarem, communiter ab his pro infirmo archiantistite orationem fieri supplex postulavi. 3 feria (*Aug.* 12) ante primam ubi ille fuerat veniebam ; et tunc hic erat Eid episcopus, multum pro eo in oratione continua laborans. Et cum caminatam, ubi ille pius jacuit, ingressus essem, nec loquentem audivi, nec bene cognoscentem [1331] hunc [1332] vidi. Advenere etiam eo vivente Arnulfus et Hilliwardus, cum Meinwerco et Erico, coepiscopi, omnes hunc pariter benedicentes et indulgentiam ei facientes. Ego autem peccator unxi [1333] eum oleo sanctificato in locis maxime dolentibus. Jarmirus quoque dux adfuit [1334]

VARIÆ LECTIONES.

[1306] solennitas pretiosi martyris Viti pueri Saxonie patroni, qui in nova Corbeia requiescit 2. [1307] Ecce pignus indicium future dignitatis, pie mihi promisse 2. [1308] e. m. a. r. a. b. p. *add.* 1*b*. [1309] e. eo *add.* 1*b*. [1310] ppibus. . . ad 1. [1311] intravit 1*a*. [1312] positos 1. [1313] *add.* 1*b*. [1314] misnessis 1. [1315] magna 1*a*. [1316] viilia 1. [1317] sancti Viti monacho *add.* 2. [1318] bozlavi 1. [1319] faciendam 1*a*. [1320] i. in loco 1*a*. [1321] p. b. *add.* 1*b*. [1322] principibus 1. *ut jam aliquoties*. [1323] e. d. d. *add.* 1*b*. [1324] *erasum* 1. [1325] attumore 1*a*. [1326] cognocentem 1. [1327] hunc si 1*a*. *Ejusmodi sunt, quæ Thietmarum librum dictasse ostendant.*

NOTÆ.

(774) h. i. affines, conjugis fratres URS.

(775) Seitsh, non longe ab urbe Glogau. URS.

(776) Schrenz 55 in præfectura Zorbigensi. URS.

quem frater suimet Othelricus et satelles, A via plangens familia obviavit. Crastino cum ad
tocius debiti immemor, in sacro sabbato Dominicæ resurreccionis proximæ [1328] a regno villam juxta montem sancti Johannis sitam venissemus, clerus omnis flens adfuit, et Judeorum
Boemiorum expulit, et Bolizlavum, quem etsi magna [1331] et, quorum erat pater, orphanorum
amicum sibi consanguinitate, tamen pro hoste [1329] multitudo conveniens, dolorem lamentando mani-
hactenus habuit in persecutione, fuga petere coegit. festat; et nos in ecclesia majore cum funere in-
Hic quia archiepiscopum cunctis laborantibus ni- trantes amici cum hereditariis omnibus, elevatis
mis fidelem esse sciebat, sperans ejus incolumita- cum luctu manibus, miserabiliter suscipiunt. Quis
tem, ad impetrandam regis gratiam intercessionem non tunc plangeret, cum talia videret? Querimo-
ejus [1330] quærebat; et cum hunc jam defecisse vide- nia autem omnis hæc novo non equabatur dam-
ret, dexteræ ejus [1330] committi et per eam nobis, pno.
lacrimis postulat profusis. Sed archipresul [1330] cum
jam finis adesset, nescio quid videns ad levam, 46. Omnes nos confratres ad capitulum tunc ve-
signo sanctæ crucis potenter dextera se munit, et nientes, nepotes meum (778) excepto Bennone eligi-
aversus corpore et vultu, contraxit faciem quasi mus, (f. 129) non hoc ob juventutem ejus impleri
ploraturus, et mox remisit lætus. (f. 128') Hoc [1330] B posse sperantes, sed pro conservandæ electionis
ego videns, ob tristiciam egressus sum, et interim gratia ac [1330] caritate archiepiscopi Taginonis maxime
presentes eundem videntes jam semianimem, a facientes. Vespere autem facto, Arnulfus venit epi-
lecto protinus elevaverunt ac tapeto superposuerunt. scopus, quibuscumque valuit bonis ad hæc aspirans.
Accensis tunc luminaribus vocabar, et jam Postera die renovata electione, corpus archipre-
stola indutum in agone laborantem vidi. Cujus pec- sulis tumulatur ad dexteram antecessoris sui in
tori crux sancta fuit superposita; in manibus cine- australi manica [1332] (779), et in vigilia assumptionis
rem et subtus habebat cilicium, ut Eid episcopus sanctæ Marie. Quod regina ut primo comperit, per
monstrabat. Et cum sol die jam mediante declina- Geconem pincernam suum regi, jam juxta Metensem urbem cum exercitu cedenti, indixit (780). Hic
ret, cum incenso sibi adhibito, 2 Idus Augusti vehementer illud ammirans, et qualiter se res no-
transiit anima ejus ad creatorem suum, unde erat, biscum haberent interrogans, eundem, regnum prout
derelinquens quod non erat. Orantibus tunc cum curaretur ab ea, celeriter remisit [1333]. Epitafium au-
lacrimis presentibus cunctis, ego infelix pro debito tem archiantistitis, non lapide aliquo, sed memori
eosdem non adjuvi; et quod tunc mihi obviaret in corde inscribendum, lector, exaudi! Walterdus [1334],
animo, non possum cuiquam prodere; sed hoc quamvis interpretetur potestate durus, severus in
tantum, Christi fideles, mecum orate, ut Dominus, C aperto, mitissimus [1336] fuit in occulto. In timore
cui nullum latet secretum, nec huic, neque mihi continuo et amore justo Deum agnovit et proximum.
hoc inputet. Post hæc solutis visceribus et intra Fragilitatem carnis fletus amaritudine crebri et
æcclesiam atque caminatam sepultis, corpus prepa- elemosinarum largitate ineffabili resolvit. Utraque
ratur et sancto altari presentatur. Ibi tum facta (781) hic pollens virtute, regi acceptus cunctisque
pro defunctis memoria, nos ibi cenavimus, et cor- primatibus admodum extitit honorandus, quem senior
pus eodem die usque ad Coniri (777) prosequimur. In suimet benedictione et solo nomine precellebat; ve-

VARIÆ LECTIONES.

[1328] *add.* 1*b*. [1329] oste actenus 1*a*. [1330] *Sequentia usque ad verba capitis* 46. *media fere* lucebat matronas *ipse Thietmarus exaravit in cod. fol.* 128'. 129 *et* 129'. *init.* [1331] Judeorum synagoga 2. Judeorum pars *A. S.* [1332] non hoc — gratia ac *desunt* 1, *absciso primo fol.* 129. *versu. Supp evimus ex* 2. [1333] absida 2. [1334] ea. celeriter. remisit 1. [1335] *In* 2. *quæ sequuntur valde mutata ita leguntur* (*Ac a SS. Juni I. p.* 926) : Walthardus, quamvis potestas dura interpretatur, — severus in aperto, mitissimus in occulto sentiebatur. — Homo fuit temperatus, — bene morigeratus; — gemina pollebat dilectione, — summa florebat religione. — Creber in vigiliis, — orabat in lacrymis; — largus elemosinis, — opem ferebat miseris. — Hic honoratus virtutibus, — regi placebat et primatibus; — ab hoc amabatur, — ab illis venerabatur. — Hunc suus predecessor benedictione — et solo precellebat nomine. — Ecclesie sue in omnibus — propugnator erat fortissimus. — Sine omni jactantia — vicinis suis impendit plurima. — Me audiente juravit — et pro vero affirmavit, — quod non per ambitionem — hunc expetisset honorem; — sed ob utilitatem ecclesie laborantis — et jam pene deficientis. — Scio, dixit, me esse immeritum, — hoc suscipere officium. — Sunt hi duo fratres quos libenter elegissem, — si sic ullo modo fieri potuisse scissem. — Justus et t nax propositi — vir iste fuit sui. — Laudari se ab aliis non appetebat, — nec aliis ipse detrahebat. — Genealogiam duxit et nobilissimis natalibus. — quam extollebat bonis moribus. — Ejus pat r Erp dicebatur, — qui vita laudabili decorabatur, carus omnibus — suis contemporalibus. — Mater ejus Amulradis nomine, — et castitate florens et bono opere, — bona fama alias — preibat matronas. [1336] mittissimus 1*a*

NOTÆ.

(777) Cœnnern in circulo Salano annumerata præfecturæ Giebichenstein. URS.

778) Sc. Theodoricum.

(779) Manica apud architectos illius ævi significat cujusvis ædificii, præsertim templi, latus sive latiorem ejus partem. URS.

(780) De obsidione civitatis Metensis anno 1012 v. Balderici Chron. Camerac. l. III, c. 3.

(781) V. supra l. I, c. 2.

rus et compaciens, ac æclesiæ suimet fortis propugnator erat. Sine omni jactantia convicinis plurima impendit; ille solus sibi suffecisse cunctis innotuit. Audivi eundem multum jurare, quod non ob ambicionem sed laborantis æclesiæ et pene deficientis utilitatem hunc expeteret honorem. Ad hoc se dixit immeritem, et ibi duos esse confratres, quos libenter eligeret, si hoc ullo modo fieri posse speraret. Justus et tenax propositi suimet vir iste fuit (Horat. III, 3, 1). Laudari se non (f. 129') appetebat ab aliis, nec aliis ipse detrahebat. Ex nobilissimis [1337] natalibus genealogiam ducens, acceptam ingenuitatem nullatenus inhonestavit [1338], sed provectiori industria decoravit. Erat ejusdem pater Erp senior, vita laudibili, carus cunctis suimet contemporalibus; mater autem ejus Amulred nomine (782), quæ castitate pia et opere berili inter alias lucebat matronas. Hæc vero omnia, quæcumque potuit bona, pro ejusdem memoria diligenter inpendit. Predicto autem Walterdo in somnis prius [1339] dictum est, quod archiepiscopatum Magadaburgensem accipere, et ad modicum tempus eum [1339] possidere deberet. Et in hoc anno, quo hoc impleri debuit, cuidam matronæ venerabili mater sua jam defuncta per visum apparuit. Quæ cum ab ea salutaretur, et quomodo tunc valeret, interrogaretur, respondit: *Bene!* et adjecit: *Sciane*, inquiens, *quod archiepiscopus noster Tagino de hoc seculo migrare et Walterdus sibi debet succedere? non ut hic sit aliquantulum regnaturus, sed in ultimo examine inter judicantes sessurus. Ab eodem in cœlo est tabula ex* [1339] *argento pene perfecta; et cum hæc cicius completur, ab aspectu hominum is premia recepturus* [1340] *aufertur.* Ipse vero, ut soror sua mihi intimavit laica — alteram enim habuit sanctimonialem — id ipsum presciens, vocavit eam ad se, dicens: *Recordaris* (f. 130) *modo, qualiter mihi olim promisisti, si hereditati meæ umquam succederes, ut predium, quod in Osulfstidi* (783) *habeo, pro animæ remedio meæ sancto Mauricio traderes?* Cui hæc omnia profitenti et digito (784), ut ipse peciit, confirmanti, flens respondit: *Mihi non licet vivere; tu autem fac ut dixisti, et pro certo scias, quod de residuis nil abalienabo vobis consororibus meis.* Sciebat hæc omnia conpleri debere; sed speravit in majori tempore. 28 annos prepositus erat, et hoc nomen et officium pre cæteris contemporalibus cunctis [1339] honorifice tenebat. Sarcophagum ingens ad includendas sanctorum reliquias A de argento [1341] fecit. Ecclesiam rotundam, post incendium hujus civitatis magnum dilapsam, a fundamento erexit, et ibidem canonicorum congregationem facere proposuit, et hiis de sua propr.etate predium voluit dare supradictum. Non fuit is [1339] verbosus, sed conscienciæ secreto congruis temporibus manifestanda contegit [1342]. Hoc solum pre omnibus queritur, quod æcclesias et clerum non benedixit; de pallio autem nil dolnit [1343] (785). Ineffabilem librorum copiam et sacerdotalem [1344] apparatum cum plurimis secularia respicientibus cont axit. Quæ omnia in subitaneo ejus fine multorum inutiles manus distraxerunt [1345]. Sedebat namque (f. 130') tantum 7 ebdomadas et 2 dies.

B 47. Hoc totum ideo dixi, ut de ejus celeri obitu nec palam nec in occulto ullus miretur, vel sua speciali culpa hæc evenisse arbitretur; quia multi ante eum plus quam 30 sedebant annos, qui nec hic nec in futuro majoris meriti erant. Ve hiis qui in hac peregrinatione diu vivunt, et id spacium male operando perdunt; et bene illis est, qui dies sibi concessos cum cauta sollicitudine in Christi servicio ducunt. Male operantes quique [1346] pœnas sibi augent; econtra autem, quibus abbreviatur vita presens, si sunt culpabiles, cito admyssa luunt. Boni autem omnes etsi corporaliter non eque degant, una tamen felicitatis æternitate gaudent. Non ille solus tam parvo tempore sedit. Legimus Tertulinum a sancto Stephano papa presbiterii dignitatem
C et post 4 dies ob amorem Christi constantiamque fidei martyrium a tiranno suscepisse (786); et in utroque ordine is semper manet. Iste quidem peccata luit, et in brevi pro laboribus justis bravium [1347] a Deo recepit, et hoc [1348] multis ilico manifestatum fuit. Hæc autem omnia enarrare perlongum est; qualiter vero de hiis mihi acciderit, Deo teste, quia non mentior, explicabo. (f. 131) Fuit in presidio ad Misni, et in natalicio die post apostolorum Symonis et Judæ (*Oct.* 28) post matutinam apparuit mihi ille venerandus, et cum hunc mortuum bene cognoscerem, quomodo se res ejus haberent, protinus interrogabam. Et ille: *In pœnis*, inquid, *pro qualitate meriti fueram, quas omnes prorsus jam superabam;* et ego mox admodum gavisus: *Licet*
D *mihi*, inquam, *campanas sonare et populos ad laudem Dei accendere?* Et ille respondit: *Bene, quia verum est.* Et tunc amplius in colloquendo progressus: *Estne*, dixi, *hoc vobis notum, quod multorum susur-*

VARIÆ LECTIONES.

[1337] appetebat — nobilissimis, *abscisa in* 1. *supplevimus ex* 2. *ubi hæc ita leguntur:* ab aliis non appetebat n. a. i. d. Genealogiam duxit ex n. n. quam textollebat bonis moribus. [1338] nho *abscisa sunt* 1. [1339] *add.* 1 b. [1340] recepturos 1. [1341] artento 1. [1342] *ita* 1 b? et *in loco raso.* [1343] hoc — dolnit *add.* 1 b. [1344] sacerdotem 1. [1345] distracserunt 1. [1346] longeva vita *add.* 2. [1347] brauiuiû 1. [1348] et hoc *add.* 1 b.

NOTÆ.

(782) De ea vide Annal. Saxon., a. 1040. Urs.

(783) Olvenstædt in ducatu Magdeburgico. Urs.

(784) Cf. I Grim Rechtsalterthumer, p. 140.

(785) Bulla enim P. M. Benedicti VIII sexto demum die post archiepiscopi obitum, scil. die 18, Augusti indict. x, primo Benedicti pontificatus anno, scripta est, v. Sagittarii hist. ducatus Magdeb. lib. III, c. 5, p. 271; Dreyhaupt t. I, p. 249. Urs.

(786) Tertalianus s. Tertullinus, presbyter Romanus, mortuus sub Valeriano die Augusti 4 circa annum 260.

ratione mens regis alienata est a vobis, eo quod post ordinationem vestram contra eum multa operari studuissetis? Et ille : *Credite mihi, obsecro, credite,* ingeminans, *quia in hoc culpabilis non sum.* Cum autem percontari hunc vellem, cur tanto cito obierit, evigilavi, et hoc scire non licuit mihi. Accepi post a veracibus [1349], quod is [1350] in omnium commemoratione sanctorum divinis clementer presentari mereretur obtutibus. Omne quod de illo dixi, non de speciali aliqua suimet caritate protuli, quia verum est, quod ante benedictionem suam [1351] mediocriter dilexit me, et ob defensionem suimet æcclesiæ inpedit multa meæ. Veritatis gratia et obprobrii ob mutationem subsequuturi hæc locutus sum, minora quam (f. 131') fuerint, quia post se meliorem nullum reliquit. Post hujus sepulturam Hericus antistes ex nostra parte ad regem cum electione mittitur, cui mox epistolam de æcclesiæ detrimento meæ [1352] inscriptam et regis clementiam ammonentem commisi.

48. Interim Bolizlavus (787) de nece archipresulis certus, congregato exercitu, Libusuam, de qua predixi, peciit; et quia sciebat, ob effusionem Albis ex nostra parte nullum urbanis posse ad auxilium venire castrametatus est ibi. Miles ejus [1353] ad bellum hortatus accessit, et defensor ad modicum resistit. Magnam enim hanc urbem nil nisi mille homines tuebantur, cui vix ter totidem suppeterent [1354]. Bolizlavus ad prandium sedebat, et satellites suos jam victores urbem ingredi gaudens cernebat. Porta aperitur et multorum sanguis effunditur. Capiuntur ex his [1355] optimi Guncelinus ac Wiso [1356], et ejusdem infelix custos Scih [1357] vulneratus. Is namque urbem, quamcumque umquam ad tuendum accepit, non [1358] ignavia sui, sed infortunio miserabili, semper amisit. Hii omnes ducti sunt in presentiam superbi triumphatoris, cujus edictu mox ad custodiendum abducti sunt. Ex sociis autem predicti ducis non minus quam quingenti (f. 132) ibidem remanserunt. Facta est vero hæc miserabilis cedes 13 Kalendas Septembris (788). Divisa tunc inmani preda ac urbe incensa, victrix turba cum seniore suo læta rediit.

49. Ab internuntiis festinantibus hæc regina in Merseburg tunc manens conperit. Ego autem prepositi dum ortatu Redingi duo altaria, unum, ubi archiepiscopus requiescit, et aliud in septemtrionali ejusdem templi parte 11 Kalendas Septembris dedicarem indignus, in Magadaburg primitus id recivi, et mox ad reginam velociter abii. Omnes nos conprovinciales juxta Mildam sedere et ad adventum regis hæc omnia providere, ab ea jussi sumus. Interim rex ab expeditione occidentali revertitur, et Gerenonem (789) suimet capellanum ponere in vacuum [1359] conatur. Huic presul Hericus occurrens et [1360] legationem [1361] suam [1362] aperiens, non exauditur. Thiedricus [1363] nepos meus tunc ad Gronam vocatus venit, et a rege per manus suscipitur, et in vice Geronis deinceps habetur. In natali sancti Mathei apostoli (*Sept.* 21) rex ad Sehusun venit; et ego accedebam, et cum jam tempus esset, ammonui hunc coram cunctis residentibus, ut aliquid [1364] de parrochia meimet cæterisque rebus injuste ablatis ante constitucionem (f. 132') archipresulis cum eo voluisset tractare. Ibi me tunc firmæ suimet fidei commisit, ut cum justicia aut alie salubri hæc finirentur. Postera die rex ad Magadaburg veniens, in refectorio fratrum omnes nos convenire precepit. Ibi tunc regali peticione, et [1365] salva in posterum electione, Gero communiter eligitur (*Sept.* 22); et in æcclesia se primitus altari tradens, et communionem fratrum 10 mansis acquirens [1366], baculum a rege accepit pastoralem; et mox inthronizatus, ab Eido unctus est episcopo, nobis confratribus predictis eum [1367] adjuvantibus. Thebeorum festivitas martyrum a rege ibi celebre ducitur, et post hæc ab archiepiscopo magnificis muneribus idem cum suis omnibus honoratur. Inde hii [1368] ad Mersburg properantes diu ibi manebant, et procurationem regni cum [1369] summis tractabant. Erluvinus Camaracensis [1370] episcopus in hoc anno, ac Conradus et Herimannus puer duces egregii, obierunt (790). Quidam vero monachus infirmitate magna depressus, multa per visum sibi revelata vidit, quæ interim, dum ipse ea secum loquitur, a presentibus scriptis notata [1371] sunt, et pro maximo habentur miraculo (791). Nati sunt autem in his diebus duo fratres cum dentibus, in ore similes aucæ, quorum alter dextri dimidium brachii, sicut ala aucæ, habebat [1372]; qui tercia die nativitatis suæ invicem ridentes, (f. 133) civili dissensione moriuntur (792). Quidam vero miles, cum bona sancti Clementis vi tolleret, et inde rectum facere noluisset, in una dierum a muribus intra cubiculum impugnatur ineffabilibus. Qui primo fuste arrepto eos prohibere temptans, posteaque evagnato

VARIÆ LECTIONES.

[1349] veratibus 1. [1350] *add.* 1*b*. [1351] superent 1*a*. [1352] e. h. *add.* 1*b*. [1353] wisso 1*a*. *primo* s *puncto notato*. [1354] cih 1*a* Isich A. S. [1355] na *deest excisum* 1. [1356] et *deest excisum* 1. [1357] *sup r* legationem *legitur* cum. [1358] aliqit 1. [1359] *add.* 1*b*. [1360] acouirans *corr.* acquirens 1. [1361] *ita* A. S. *excisum in* 1. [1362] ra *excisum* 1. [1363] nota 1.

NOTÆ.

(787) Dux Poloniæ.

(788) Necrol. Merseb., Aug. 20. *Liubuzaua multi peremti sunt.*

(789) De parentibus Geronis v. Ann. Sax., a. 1023.

(790) Ex Ann. Quedlinb., a. 1012.

(771) Indid.

(792) v. Ann. Quedlinb., h. a. ubi melius : *virili consensu.*

eos aggressus gladio, et sic [1361b] nil proficiens, arca quadam, ut ipse rogavit, includitur, ac in medium fune suspenditur; et cum exterius hæc plaga sedaret, hicque liber solvi debuisset, ab aliis [1361c] usque ad mortem corrosus invenitur (793). Tunc cunctis presentibus et postea venientibus manifestum fit [1362], quod hunc ira Dei, vindex predicti facinoris, sola consumpsit.

50. Interea Jaremirus, de quo predixi, regis gratiam suppliciter petens, pro misericordia et restitucione exilium ac custodiam Ethelboli presulis, Ausfridi successoris episcopi, suscepit, qui in immensa cede Bawariorum ad Bolizlavum sine [1363] regis ac sui licencia cum muneribus iter agencium, et trucidacione sibi commissorum et non aliqua regis infidelitate, talem promeruit ulcionem. Nostri hoc audientes inimici irriserunt; nostri autem concives [1364] ut sibi profuturum timuerunt. Et hiis liceat in semetipsis hoc factum cognoscere, qui id consilium regi nostro umquam dedere. Post hæc Othelricus, frater [1367] ejus, ad Merseburg a rege vocatus venit, et regnum, quod sibi injuste prius usurpavit, gratuito munere suscepit. Eadem tempestate inundantes pluviæ ac se (f. 133') surgentes piratæ multum, pro dolor! nocuere (794). In illo tempore inundante Danubio in Bawariis et stagnante Reno, ita [1365] ineffabilis populi ac pecoris, edificiorum quoque et silvarum tali impetu erutarum multitudo periit, quod omnes harum habitatores parcium sua vel antecessorum memoria id numquam accidisse firmabant, hoc gementes ex variis criminibus suis tunc evenisse, et post hæc aliquid magnum timentes sibi esse venturum. Equidem longe digressus [1366] redeam.

51. Rex a Mersburg discedens, navigio ad Harneburg venit. Ibi cum Sclavis confluentibus plurima discuciens, pace vero [1364] ibi firmata, rediit, et omnium festa sanctorum in Helmanstidi celebravit; deindeque occidentales properat invisere regiones. Interea domna Ludgerd nimis infirmata, me quia unice dilexit, et, ut supra memoravi, linea consanguinitatis mihi fuerant conjunta, per internuncium vocavit. Sed cum post crepusculum ad Walmerstidi, ubi illa jacuit, venirem, caminatam ingressus, vidi eam nimis laborantem et ob hoc a spalmis non deficientem. Inter quos hoc solum ore volvebat et mente: *Me*, inquiens, *suscepit dextera tua, Domine, ipsi vero in vanum quesierunt animam meam* (*Psal.* LXIII, 9, 10). Hæc nullum omnino ad me proferens verbum cum a me interrogaretur, si sancto voluisset ungi oleo, respondit: *Libenter, quia post hoc Christi voluntas cito perficitur in me.* (f. 134) Vestimentis tunc parata novis me vocavit; et perfectis omnibus ad unctionem juste pertinentibus: *Quam pulcra es nunc!* dixi ad eam, et illa: *Vide*, infit, *juvenem formosum ad dexteram*, oculis designans in eam. Post hæc digressus, ob farigationem intineris diu dormivi, et tunc expergiscens audivi eam pre nimio dolore graviter ingemiscentem; et propius accedens, cantavi spalterium, usque dum eam in extremis esse presentes testarentur; et tunc completis quæ ad hæc dicenda erant, cum ipsa sanctorum invitacione transiit felix anima ejus Idibus Novembr. ad sponsi cœlestis thalamum (795). Hujus obitum quidam laicus, civis Partenopolitanus, cum in infirmitate jaceret, predicens: *Est*, inquit, *domna Liudgerd de hoc seculo transitura; et vere beatus est ille qui eam meretur incedere viam.* Cum jam primo illucesceret, corpus ad Wallibizi nobis comitantibus defertur, et in proxima die juxta monasterium in aquilonari parte, ubi Liutherdus pater (796) 26 annos inclusus [1369] requiescebat, deponitur et a viro suimet Wirinhario ineffabiliter defletur. Fuerat enim hæc vite ejus et animæ diligens custodia, et in divino maxime sudans famulatu, pro illo plus quam pro se, jejuniis in frigore et oracione continua peractis et elemosinis, ab omniun huc usque tuebatur insidiis hostium. Dico autem cunctis presentibus atque futuris, quicquid boni in hoc [1370], seculo pro alicujus memoria a fidelibus exhibetur, (f. 134') si non licet ei prodesse [1371], pro quo agitur, numquam a Deo ei irritatur (797), qui hoc facere studiosus conatur [1372]. In primo [1373] Heinrici regnantis anno predicta Liudgerd post mortem patris sui ad virum suum, a quo injuste tamdiu disjuncta fuerat, mense Januario rediit (798).

52. Et post nuptias marchio Liutharius in occidente infirmatus et pocione Paulina (799) inebriatus,

VARIÆ LECTIONES.

[1361b] *add.* 1*b*. [1361c] Iuis *aut* suis 1*a*. [1362] fecit 1 a. [1363] s. r. a. s. l. *add.* 1*b*. [1364] f. e. *add.* 1 *b*. [1365] a ceptis tempus est ut *add.* 2. [1366] inculsus *corr.* incuisus 1. [1367] *add.* 1*b*. [1369] prodere 1. [1370] canatur 1. [1371] prima 1*a*.

NOTÆ.

(793) Ex Ann. Quedlinb., h. a.

(794) Ex Ann. Quedlinb., h. a.

(795) Kalend. Merseb., Novembr. 13. *Livkierd cometissa obiit.*

(796) Denotat patrem soceri Liudgerdis, fundatorem ipsius monasterii.

(797) l. e. irritum fit.

(798) V. supra l. IV, c. 11, 25.

(799) In Polyc. Leyseri Hist. poetarum et poematum medii ævi p. 502-692 exstat, Ægidii, medici sub finem sæc. XII viventis, carmen de virtutibus et laudibus compositorum medicaminum. Inter alia pharmaca p. 629 ibi occurrit, ut ill. Adelungius primus notavit, potio sancti Pauli:

Quos apoplexiæ pestis violenta procellat,
Quos furor invadit maniæ, quos insita nervis
Sensifici motus vis sopitiva resolvit,
Potio restituit gaudens cognomine Pauli;
Asmaticos cantus compescit, menstrua solvit,
Hanc annis potes illæsam servare duobus.

Pagina sequente 630, ubi eadem medicina Paulinum et potio Paulini vocatur, ejusque vires ad caput ventriculumque pituita obductum, etc., deprædicantur, in fine additur, eam per quatuor annos servari

ex inproviso obiit, octava [1374] Kalendas Februarii; sepultus in Colonia, in eodem loco, ubi ipse prius rogavit, in australi parte templi, quo in cena Domini penitentes introducuntur. Hujus vidua, nomine Godila, quodcumque boni potuit, pro memoria ejusdem facere non desistit. Filio suimet Wirinhario beneficium patris et marcam [1375] cum ducentorum precio talentorum acquisivit, permanens in castitate 4 annos. Et tunc consanguineo suimet Hirimanno (800) nupsit, nil curans inpositum ab Arnulfo presule bannum, et quod dexteras episcoporum sibi hoc a Deo interdicencium fefellit trium. Propter hoc est excommunicationis gladio ab antistite predicto jugulata, nullamque [1376] in procreanda prole spem deinceps adipiscitur. Sed ego delirans, id est ab incepto paululum devians, regis Heinrici inclitam conversationem agrediar.

53. Is [1377] magnam sinodum ob dampnationem Thiedrici, Metensis episcopi, posuit. Huic [1378] in eodem concilio ab omnibus episcopis ibidem convenientibus interdictum est ut ante purgacionem missam non caneret. (f. 135) Post hæc natale Domini in Palithi festivis peregit gaudiis; et ibi tunc Walkerus, Treverensis æcclesiæ servus [1379] et capellæ suimet custos providus, egrotavit, et nobis inde euntibus ibidem relinquitur; 3 Idus Januarii, pro dolor! moriturus (*an.* 1013, *Jan.* 11). Interim Lievizo, Bremensis archiepiscopus, longa infirmitate depressus, diem pius [1380] sollicite prestolabatur supremum, et in nocte hac, quæ ultimam precesserat diem, consolios crebris jam defatigatos vigiliis [1381] talibus mulcebat alloquiis : *O dulcissimi fratres et filii, ne quisquam vestrum de superna diffidat clementia, et ut labor vester nunc* [1382] *paululum relevetur, de me exemplum vobis admodum credibile profero. Domnum papam Benedictum* [1383] *in his partibus exul* [1384] *quesivi, et ne-ad hunc pervenirem, a multis iterantibus sepe* [1385] *tardatus, nullis eorum* [1386] *acquievi blandiciis. Huic, dum vixit* [1387], *studiosus adhesi, et post excessum ejus Ædtheldago* [1388], *seniori meo, serri vice famulabar. Hoc ipse considerans, pauperes suos fidei commisit meæ. Dehinc camerarius ejusdem effectus sum. Sed cum ille pius, quam semper optavit, cœlestem pergeret ad patriam, vestra electione communi et munere regali huic indignus succedebam. Omne, quod invicem peccavimus, amore Christi ex corde remittamus, ut cum bona pace nunc* [1389] *separati, mereamur in die ultimo iterum* [1390] *sociari.* (f. 135') *Hoc in extremis meimet salubre vobis consilium do, ut Oddonem, qui fraternitatis vestræ est particeps* [1391], *communi nostrorum consensu ad restorem nostræ eligatis* [1392] *æcclesiæ, et ad utilitatem patriæ, divinam supplicantes pietatem, in cujus manu cor regis est, quatinus id sibi placite perficiatur.* Talia hortantem omnes exaudiunt, et sui benivolentiam et procurationem unanimiter laudant. Crastino dominica dies illuxit, et ille beatus pater summo pastori gregem sibi subditum manibus elevatis cum spiritu committens, 2. Nonas Februarii (801) defunctus pergit, quo vivens tetendit. Fuerat enim unus ex numero eorum quos ut nubes et quasi columbas propheta miratur suas volare ad fenestras (*Isa.* LX, 8). Ille enim ob vigiliarum et jejunii assiduitatem, dum adhuc valeret, quasi mortuus ignotis videbatur. Ad altare Dominicum numquam sine oblacionibus accessit; assiduus populi monitor, et hilaris omnibus arrisit dator. Is erga Deum promeruit, quod inter continuas piratæ furentis incursiones sedis sua hactenus permansit intacta.

54. Interea rex de Alstidi discedens, ubi Epiphaniam Domini celebravit, et Bolizlavi nuntios pacem poscentes et confirmationem cum Misecone, ejusdem filio, fieri promittentes audivit, ad Merseburg venit, et ibidem predicti antistitis obitum comperit, (f. 136) et hunc queritur ob presentem fructum, gratulatur autem propter subsequentem interventum, recordationem ejus sumopere faciens. Post hæc transit a nobis, et Purificationem sanctæ Dei genitricis in Magadaburg celebravit. Et in ipsa die predictus Oddo, clericis comitantibus ac laicis, supplex venit, et regis gratiam, sicut prius, ad complecionem electionis per fidos intercessores postulat. Quos rex nullatenus audit, sed capellano suimet Unwano [1393], cum laude advenientium, etsi non spontanea, episcopatum dedit; Oddonem per manus succipiens et promissa sibi pietate demulcens. Tunc jussu regis et presentia ejusdem a Gerone archipresule cum consensu et auxilio episcoporum Ekkihardi (802) et Thurgati (803) Unwan ungitur archian.

VARIÆ LECTIONES.

[1374] octavo 1*a*. [1375] et m. *add.* 1*b*. [1376] que *add.* 1*b*. [1377] his *corr.* lis 1. [1378] Huic — caneret *scripsit* 1*b*. [1379] cliens 2. [1380] tempus *corr.* diem pius 1. [1381] Otto cesar injuste accusatum deponi consensit. et *add.* 2 [1382] exsul 1*a*. [1383] acquievi suasionibus. Tandem vero ad eum perveniens et eum in divinis officiis studiosissimum videns, quamdiu supervixit 2. [1384] ętheld. 1*c*? [1385] *add.* 1*b*. [1386] partipes 1. [1387] eligamus 1*a*. [1388] unuuano *corr.* unuano 1. *et ita infra.*

NOTÆ.

posse integram, ex quo colligere possis hanc a potione Paulina p. 629 memorata fuisse diversam. Cæterum, addit Adelungius, an ab apostolo Paulo nomen traxerit, equidem ignoro, quanquam Timotheo suo, qua ratione stomacho infirmo mederi posset, auctor exstitit. Wag.

(800) Marchioni sc. Misnensi, fratri uxoris Wirinharii, filii Godilæ. v. Chronicon Walbecc. ap Meibomium, p. 71. Godila vero an. 1015 inter vivos esse desiit. Urs.

(801) Obiit ille Jan. 4, secundum Necrol. Luneb. et Adam. Bremens., et ita etiam Thietmarum scribere voluisse, ex sequentibus apparet. Hæc etiam dies anno 1013 Dominica fuit.

(802) Sleswicensis.

(803) Scaræ.

tistes [1389]. Et interpositis diebus paucis, Miseco, Bolizlavi filius, cum magnis veniens muneribus, regis efficitur et fidem cum sacramento firmat. Dehinc cum honore magno remittitur, et ut iterum veniret delectatur. In hiis diebus tempestas magna post solis occasum contigit, ac omnes nos admodum turbavit. Diruit namque æcclesiam extra urbem positam, quæ de rubro facta est ligno, regnante primo Ottone. Incendium quoque plurima archipresulis bona consumpsit. Insuper regias pervenit ad aures quod nepos meus Wirinharius cum Ekkihardo, (f. 136') Hirimanni marchionis fratre, ad Bolizlavum sine licencia pergeret [1390], ibidem que multa gratiæ suimet contraria loqueretur [1390], ejusque nuncios hic sepe in secreto haberet [1390]. Hoc omne rex graviter suscipiens, utrosque in suam venire presentiam jussit. Id cum facere non auderent, comprehensis omnibus suimet bonis, ut regiæ potestati resisterent, diffamantur. Tandem nepos meus gratiam et incolatum cum predio suimet et auro comparavit. Alter vero longe post cum fideli interventu restituitur. Eodem anno Wonlef, heremita et verus Israhelita, 15 Kal. Aprilis obiit [1391] (804).

55. In proxima quadragesima rex ad Werlu veniens, diu colica passione ibi [1392] infirmatur (803) et multa [1392] per visionem sibi revelata sunt. Ad ultimum lacrimis et oracione multorum convalescens, quia in tam brevi intervallo ad predestinatum non valuit pervenire locum (806), Paschale festum cum Meinverco sibi admodum familiari in Pathebrunnan digna veneracione peregit (807) (*Apr.* 5); Pentecosten autem (*Mai.* 24) nobiscum. In cujus vigilia Bolizlavus cum securitate obsidum apud se relictorum venit, et optime suscipitur. In die sancto manibus applicatis miles efficitur, et post sacramenta regi ad æcclesiam ornato incedenti armiger habetur. In 2 feria (*Mai.* 25) regem magnis muneribus a se et a contectali sua oblatis placavit, deindeque regia largitate his meliora ac multa majora cum beneficio diu desiderato suscepit [1393], (f. 137) et obsides suos cum honore et lætitia remisit. Post hæc vero Ruciam, nostris ad hoc auxiliantibus, petiit; et magna regionis illius parte vastata, cum commotio inter suos et hospites Pezineigos (808) fieret, eosdem quamvis suimet fautores jussit interfici omnes.

56. In diebus illis Bronhag, abbas Vuldensis, deponitur (809), et succedente sibi Popone converso et tunc Laressemensi [1395] pastore, hoc monasterium confratribus late discedentibus, a priori statu mutatur (810). In civitate Bernhardi ducis, Liunberg dicta, eodem anno aeris fit mira mutacio atq e motio, et inmensus terræ hiatus (811). Hoc stupet accola et se prius numquam vidisse testatur. Rex autem ad occidentales pergens regiones, iter suum ad Longabardiam disposuit, et iterum ad nos repedavit; et inde 11 Kalendas Octobris discedens, per Bawariorum fines atque Swevorum usque ad locum qui dicitur.... [1395], properavit. Huc exercitus undique confluit, et bene adjuvantium voluntas patuit. Et hinc usque ad Romam rex sine omni scrupulo regina comitante venit. Ad supplementum hujus itineris Bolizlavus antea invitatus nil aspiravit, et in bene promissis more solito mendax apparuit. Insuper antea domno papæ questus est per epistolæ portitorem, ut non liceret sibi propter latentes regis (f. 137') insidias, promissum principi apostolorum Petro persolvere censum. Tunc vero missis illo nuntiis tacite rimatur, qualiter rex in hiis [1393] partibus haberetur; quoscumque potuit ab ejus gratia per hos amovere conatus. Tantus fuit huic respectus Dei, et sic piorum quesivit interventum, ac ita cluebat militis incliti firma fides, et de sacramentis terribilibus adeo curavit! Attende, lector, quid inter tot flagicia is faciat. Cum se multum peccasse aut ipse sentit aut aliqua fideli castigatione perpendit, canones coram se poni, qualiterque id debeat emendari, ut quæratur, precipit, ac secundum hæc scripta mox scelus peractum purgare contendit. Major tamen est ei consuetudo periculose delinquendi quam in salutari penitentia permanendi.

57. Hujus conpar et quasi collega Hardwigus, a Longabardis falso rex appellatus, adventum magni regis et potentiam excercitus doluit; et quia suis viribus huic ad nocendum diffidit, in castelli munitionem se protinus recepit, hoc solum ingemiscens, quod rex ad majorem tunc vocatus accessit honorem. Post longam animi [1393] exestuantis deliberacionem legatos ad regem misit, qui comitatum quendam sibi dari (f. 138) peterent, et coronam suimet cum filiis ei redditurum veraciter promitterent. Hoc cum consilio quorundam acquiescens facere rex noluisset, ut in sequentibus enucleabo, ad magnum suis familiaribus provenire dampnum id postea per-

VARIÆ LECTIONES.

[1389] archiantes *corr.* archiantites 1. [1390] pergerent—loquerentur—haberent *corr.* pergeret—loqueretur—haberet 1. [1391] Eodem—obiit *add.* 1*b*. [1392] multa—sunt *in loco raso* 1*b*. [1393] *add.* 1 *b*. [1395] laresshirsemensi 1 *a*. [1395] *Nomen hujus loci librarii negligentia omissum esse videtur.*

NOTÆ.

(804) Ann. Quedlinb., a. 1013. Kalend. Merseb., Necrol. Luneb., Mart. 18.

(805) Conf. Ann. Hildesh. et Quedlinb., h. a.

(806) Sc. Aquisgrani; v. Ann. Quedlinb.

(807) V. ibid.

(808) A Porphyrogeneto Patzinatzi vocantur. Liudprando aliisque illius ætatis scriptoribus audiunt Pizenaci, Piczinegi, Petschinegi.—Incolebant terras ad flumina Wolgam et Jaik, Russosque habebant finitimos. Uns.

(809) De eo, postea episcopo Halberstad., v. Chronic. Halberstad.

(810) Conf. Ann. Quedlinb., a. 1013.

(811) V. ibid.

sensit. Sed priusquam hæc aggrediar, quæ superius indiscussa oblivione preterii, prescriptis interponere conor.

58. Fuit quidam Brun nomine, contemporalis et conscolasticus meus, ex genere clarissimo editus, sed divina miseratione pre cæteris parentibus inter filios Dei electus. Hic ab Ida, venerabili matre sua, unice dilectus, magisterio Geddonis philosophi (812) traditur, et omne quod habere [1396] debuit, cum habundancia [1397] suggeritur. Hujus pater erat Brun (813), senior egregius et per cuncta laudabilis, amicus mihi consanguinitate et omnibus erat proximus familiaritate. Filius autem ejus et equivocus [1398] cum mane ad scolam ire debuisset [1399], antequam ab hospicio exiret, veniam petiit, et ludentibus nobis in oratione is [1393] fuit. Ocio negocium preposuit, et sic fructificans ad maturitatem pervenit. A tertio desideratur Ottone et succipitur, quem non longe post deserens, solitariam quesivit vitam, et [1400] de opere suo vixit. Is vero post mortem gloriosissimi imperatoris, regnante [1401] tunc secundo Dei gratia Heinrico, ad Mersburg veniens, benediccionem cum licencia domni papæ episcopalem (f. 138′) ab eo peciit, et ejus jussione ab archiepiscopo Taginone consecracionem, et quod ipse detulit huc pallium ibidem suscepit. Dehinc ob lucrum animæ laborem subiit diversæ ac grandis viæ, castigans corpus inedia et crucians vigilia. Multa a Bolizlavo cæterisque divitibus bona suscepit, quæ mox æcclesiis ac familiaribus suis et pauperibus, nil sibi retinendo, divisit. In duodecimo conversionis ac inclitæ conversationis suæ anno ad Pruciam pergens, steriles hos agros semine divino studuit fecundare; sed, spinis pululantibus, horrida non potuit facile molliri. Tunc in confinio predictæ regionis et Rusciæ cum predicaret, primo ab incolis prohibetur [1402], et plus evangelizans capitur, deindeque amore Christi, qui æcclesiæ caput est, 16, Kal. Martii (*an.* 1009) (814) mitis ut agnus decollatur cum sociis [1403] suimet 18. Corpora tot martirum insepulta jacuerunt, quoad Bolizlavus id comperiens eadem mercatur ac domui suæ futurum acquisivit solatium. Facta sunt autem hæc in tempore serenissimi regis Henrici, quem Deus omnipotens triumpho tanti presulis honorificavit, et, ut multum spero, salvavit. Pater autem predicti antistitis longe post infirmatus, et [1404] ut ipse mihi narravit, precepto filii [1405], monachicum suscepit habitum, et 14 Kalendas Novembris in pace quievit (815).

59. Nec floccipendenda [1406] est Geronis satellitum marchionis (f. 139) magna presumtio, quam stupeat fidelis et fugiat amore pietatis. Causa proferatur in medium, et tunc perpendatur factum, si sit laudabile an bonis omnibus detestabile? Arnulfus antistes ad saltum Geronis, a venerabili ejusdem loci abbatissa Hathawi ad festivitatem Christi martiris Ciriaci ad convivium invitatus, venit; et in die sancto, cum [1407] post missam de æcclesia ambularet, vidit clericum accipitrem in manu sua tenentem; et ze'o commotus hunc cum brachio suimet comprehendit ac secum duxit, non ut puniretur, sed sic verbis mediocribus corriperetur. Fama volans milites predictos congregat, quorum primus Hugal [1408] nomine ad episcopum veniens, cur seniorem suum sic inhonorare voluisset interrogat. Et antistes: *Quid feci?* inquid. *Vidi abominationem Christi, et quia in meo factam episcopatu cernebam, sustinere non potui. Nil mali factum est. Ponamus diem vobis complacitam; et ubi culpabilis a communibus invenior amicis, digna emendatione restituo.* Et ille prosequitur: *Nec sic*, inquiens, *esse debet, nec ita fieri valet. Hodie aut sacramento vos excusate, aut seniori meo et nobis ad emendandum promittite.* Ad hæc presul: *Sancta me*, inflt, *sollempnitas prohibet jurare, et vos illud suscipere. Et multum miserabile mihi videtur quod justicia a vobis mihi solum denegatur.* Post hæc (f. 139′) ille iratus egreditur, et miles armatus ignorantia comitis [1409] glomeratur; et cum jam vellet episcopus cenare, videt omnes appropiare. Domus, in qua fuit, a suis firmiter obseratur, et ne hostibus facilis pateret ingressus, omni modo munitur. Sed cum eam jam impugnare voluissent, dictum hiis est veraciter, quod sacerdos alio declinans ibidem non inveniretur. Tunc is in claustro et tandem in monasterio queritur, et Dei gratia non ullo sui dedecore latens et hæc omnia cernens, nullatenus [1410] invenitur. Ad ultimum sedato furore, hii ad hospicium [1411] pergunt, et domos suas tristes revisunt. Convocatis postera luce militibus suis, Arnulfus ad propriam [1412] remeavit sedem, abbatissamque nimis flentem solatur. Hoc totum rex comperiens, conspiratores hos sibi precepit presentari. Quem cum marchio predictus nimis iratum cerneret, per internuntios fideles eum placare nititur. Hos rex ea racione audivit, ut prius trecentorum pondera talentorum episcopali solverent dicioni, et qui in hoc facto culpabiles esse deputarentur, aut sacramento suorum 11 amicorum expurgarent, aut secundum canonicam auctorita-

VARIÆ LECTIONES.

[1396] abire 1 *a*. [1397] habuncia 1. [1398] et equivocus *add.* 1 *b*. [1399] debuiset 1. [1400] et—vixit *add.* 1 *b*. [1401] rengante 1. [1402] prohibitur 1. [1403] suis 1*a*. suis sociis 2. [1404] *add.* 1 *b*. [1406] floccipendænda 1. *alibi in ejusmodi verbis a deletum est ab ipso Thietmaro, ut videtur.* [1408] huga 1 *a*. [1409] ignorante marchione *A. S.* [1410] nullatus 1. [1411] hospicum 1. [1412] propria 1 *a*, *corr.* propria 1 *b*.

NOTÆ.

(812) Scholastici Magdeburgensis, de quo v. infra VII, 25.

(813) De quo vide Ann. Sax., a. 1009 et 1106 fin.

(814) 7. Id. Mart. Ann. Quedlinb., a. 1009; Chron. Halberstad. Exstat Brunonis epistola ad regem Heinricum in ultimo ejus itinere scripta, ex cod. bibl. Cassellanæ descripta.

(815) Kalendarium Merseburg., Octb. 19. *Brun conversus obiit.*

tem [1511] ei [1512] satisfacerent. Facta tunc inter eosdem mutua pace, post pa cha ponuntur induciæ. Huc nostri eorundemque [1513] amici conveniunt, et ego (f. 140) cum illis affui; et ut pecunia datur predicta, episcopus in occidentale monasterium venit, sedens [1514] ibidem in [1515] solio summi gradus. Ibi tunc solus marchio se juramento admodum credibili expurgat; satellites autem sui more pœnitentum de manu predicti antistitis singulariter suscipiunt ea ratione jejunium, ut si quando amonerentur, onus subirent impositum.

60. Illud etiam adnectendum est, qualiter Othelricus, Boemiorum dux, mammona iniquitatis (*Luc.* xvi, 9) interpretatus, Bosionem inclitum suimet militem cæterosque complures interfici preceperit, eo quod hos fratrem adjuvare exulem a falsis murmuratoribus [1516] audierit, et omnes caute in hiis cladibus discerent, qualiter sibi in futurum precavere debuissent. Quod Dominus in utroque testamento jubet observari firmiter, id in hiis regionibus compleri prohibet ambicio, ceca semper. Germanum enim, quem merito pre [1517] hiis diligere debuit, verebatur, et ne umquam ad se veniat, diligenter custodire conatur. Boemii regnante Zuetepulco duce (816) quondam fuere principes [1518] nostri. Huic a nostris parentibus quotannis solvitur (817) census, et episcopos in sua regione Marierun (818) dicta habuit; quod omne is [1519] et successores sui superbia tumidi perdiderunt, quia omnis humilitas (*Matth.* xxiii, 12), euvangelio teste, crescit et arrogantiæ sublimitas minoratur. Sine maximo timore in hiis nullus dominatur provinciis. Caritas pura gemit exclusa [1520], quia regnat ibidem perjurium cum fraude socia.

61. (f. 140'.) Superius de [1521] universali papa Brunone disputans, cum successorem ejus Gerbertum tantum nominarem, ut de eo lacius aliquid scribam, non incongruum est. Erat is natus de occiduis regionibus, a puero liberali arte [1522] nutritus, et ad ultimum Remensem [1523] urbem ad regendum injuste [1524] promotus (819) (*an.* 991). Optime callebat astrorum cursus discernere et contemporales suos variæ artis noticia superare. Hic tandem a finibus suis expulsus, A Ottonem peciit inperatorem; et cum eo diu conversatus, in Magadaburg oralogium (820) fecit, illud recte constituens, considerata per fistulam quadam stella nautarum [1525] duce (821). Post hæc autem p edicto papa Gregorio [1526] defuncto (*an.* 999), is gratia inperatoris eidem successit, et usque ad tempus Heinrici regis sedebat, Silvester vocatus. In cujus vice Johannes Phasan, id est gallus [1527], positus (*an.* 1003), sedem apostolicam dies sibi commissos regebat, sub quo æcclesia Merseburgensis renovatur et privilegii auctoritate sui roboratur. Huic succedebant Sergius (*an.* 1009), qui vocabatur Bucca porci [1528], atque Benedictus (*an.* 1012), ambo preclari et consolidatores nostri. Ab omnibus hiis sacerdotibus summis adventus regis admodum desideratur, sed B diversorum reluctatione hostium diu tardatur. Benedictus sit in cunctis operibus suis omnipotens Deus, qui Romam longo tempore a multis tempor us depressam [1529] tali pastore consolari et pacificare dignatus est! Namque papa Benedictus Gregorio quodam [1530] in electione prevaluit. Ob hoc iste ad [1531] nativitatem (f. 141) Dominicam ad regem in Palithi venit cum omni paratu apostolico, expulsionem suam omnibus lamentando innotescens. Hujus crucem rex in suam suscepit custodiam, et a cæteris abstinere precepit, promittens sibi, cum ipse illuc veniret, hæc secundum morem Romanum (822) diligenter finiri. Advenit optati temporis accelerat o, et rex Heinricus a papa Benedicto, qui tunc pre cæteris antecessoribus suis maxime dominabatur [1532], mense C Februario (*an.* 1014) in urbe Romulea cum ineffabili honore suscipitur, et advocatus sancti Petri meruit fieri. Et [1533] quia de secunda ejus ordinacione locuturus sum, condecet eum me prius laudare, de cujus hoc venit gratuito munere, ut [1534] magister gencium nos ortatur Paulus: *Deo patri pre omnibus et in omnibus, fratres, gratias agite* (*Ephes.* v, 20); *hæc est enim voluntas ejus in Christo Jhesu Domino nostro* (*1 Thess.* v, 18). Jure laudandus est a nobis, qui multum profuit nobis munere et gratia æterni regis. Heinricus etenim rex æcclesiam adauxit [1535] nostram multis utilitatibus, inprimis divino apparatu, et de

VARIÆ LECTIONES.

[1511] auttoritatem 1. [1512] nostrique eorundem 1 *a*. [1513] sedit 1 *a*. [1514] murmutaribus 1*a*. *sed superscripto* to *corr*. 1*b*. criminatoribus 2. [1515] *add*. 1*b*. [1516] principes, *et* huic a, *et* episcopos — minoratur *erasa in cod*. 1. *sed ita ut dispici queant*. [1517] et hic in sua r. M. d. habuit episcopos, que omni hic 2. *A. S.* [1518] exculsa 1. [1519] parte 1*a*. naturalibus artibus 2. [1520] remensam 1. [1521] *Ita addit* 1*b*. *et A. S. a*. 999. *In* 1. in *erasum*. [1522] nautorum 1. [1523] G. *voci* papa *superaddidit* 1*b*. [1524] i. e. g. *add*. 1*b*. [1525] qui u. b. porĕ *add*. 1*b*. bucca porcus *A. S. a*. 1009. [1526] depsam 1. [1527] cuidam 1*c*? [1528] per 1*a*. [1529] *sequentia usque ad versus ipsius Thietmari manu sunt exarata; carmen versum hujus folii paginam, quaternionis ultimam, complet*. [1530] adauxit *super* u *et* x *posito* g *ita ut* adaugxit *voluisse videatur*.

NOTÆ.

(816) Swatopluk seu Zwentibold, Moraviæ dux potentissimus † 894.

(817) Sic pro *solvebatur*.

(818) Mähren. Conf. Palacky Gesch. von Böhmen I, p. 140.

(819) Conf. supra, p. 616—694; et C. F: Hock: Gerbert und sein Jahrhundert. Wien 1837.

(820) Horologium solarium.

(821) Conf. Ersch et Gruber Encyclopædiam s. v. Compas Hüllmann Stadtewesen t. I, p. 123—137. Capmany *Quæstiones criticas sobre varios puntos de historia economicas*, etc. Madrid, 1807 4to, pag. 73—132. Complainte d'amour ms. sæc. xiii. ap. Wolf. in Jahrbücher für wissensch. Kritik 1837, Jul., pag. 142.

(822) *l. e.* lege Romana. Cf. Legum t. II, B, p. 159, sqq.

omnibus curtis quas in Thuringia et in Saxonia habuit, duas nobis tradidit familias (823). Evangelium auro et tabula ornatum eburnea et calicem sureum atque gemmatum cum patina dedit et fistula (824), cruces duas et ampulas ex argento factas et magnum calicem ex eodem metallo cum patina simul ac fistula dedit. Quicquid in prediis ab antecessoribus meis neglectum erat, precepto renovarat.

(f. 141') Quem laudant superi, veneremur nos quoque servi,
Promentes dignas nostris ex cordibus odas.
Est hic namque Deus trinus, in deitate sed unus,
Et sine quo nullus regnat, Deus ille benignus.
Atque bonum summum, depellens omne nocivum,
Largitur cœlo quæ prosunt omnibus alto.
Verus mendaces confuderat hic modo testes,
Heinricum regem dicentes inperialem
Curam non suscepturum, nec denique longo
Tempore regnandum, sed seva morte premendum.
Nunc sunt bisseni, quod regno prefuit, anni,
Scandens cesaream post rector clarus in aulam,
Illo mense, meam quo solverat ipse cathedram.
Ista dies pulchro signetur clara lapillo (*Martial.* IX, 53),
Qua regi nostro se subdit Roma benigno,
Atque liquore sacro perfusus gaudet, et almo
Fert grates Domino, qui se visitavit ab alto,
Ac Cunigundam contectalem sibi caram.
Summus pastor ovat [1431], chorus atque suus quoque cantat,
Quod sunt securi, tanto rectore potiti.
Merseburg, et tu concinnes omnibus actu [1432].

LIBER SEPTIMUS.

1. (f. 142) Decursis a Dominica incarnacione [1433] post millenarii plenitudinem numeri [1434] annis tredecim, et in subsequentis anni secundo mense ac ebdomada tercia, anno autem regni ejus tercio decimo (825), et die Dominica, ac 16 [1435] Kal. Marcii (*an.* 1014, *Febr.* 14), Heinricus, Dei gratia rex inclitus, a senatoribus duodecim vallatus [1436], quorum 6 rasi barba, alii prolixa mistice incedebant cum baculis [1437], cum dilecta suimet conjuge Cunigunda ad æcclesiam sancti Petri, papa expectante, venit [1438]; et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus si fidelis vellet Romanæ patronus esse et defensor æcclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis, devota professione respondit, et tunc ab eodem unctionem [1439] et coronam (826) cum contectali sua suscepit; priorem autem coronam super altare principis apostolorum suspendi precepit. Eodem die papa eis cenam ad Lateranis fecit copiosam. In octava vero die (*Febr.* 21) inter Romanos et nostrates magna oritur commocio in ponte Tiberino, et utrimque multi corruerunt, nocte eos ad ultimum dirimente. Hujus rei auctores germani tres extitere (827), Hug, Hecil ac Ecilin [1440], qui postea capti sunt et in custodia detenti; ex quibus unus [1441] in hiis partibus evasit, secundus [1442] autem ad Fuldu deductus est [1443], in Ivicanstene autem [1444] castello tertius [1445] diu servatur.

2. Arnulfum fratrem suum, quem Ravennati [1446] antea prefecit æcclesiæ, cesar denuo inthronizatum ab apostolico ibidem [1447] consecrari precepit. Subplantatorem Æthelbertum [1448] autem ejus (f. 142) injuste ibi diu sedentem, primo voluit degradare, sed assidua piorum devictus intercessione, alteri prefecit æcclesiæ, nomine Aricia. In Ravenna duos et Romæ totidem sinodali judicio papa deposuit, ab archiepiscopo Leone jam muto (828) consecratos. Sanctorum instituta patrum, in sacris ordinibus ibidem et apud nos diu, pro dolor! neglecta, cum excommunicatione redintegrata [1449] renovavit. Prohibent namque canones, ut ante 25 annos diaconus, presbiter autem et episcopus ante 30 annos nequaquam ordinetur. Hoc quia non servavimus, miseri prevaricatores sumus, excommunicationemque incidimus [1450].

VARIÆ LECTIONES.

[1431] hovat 1*a*. [1432] Da jubilum Domino, per quem pollere videris *add.* 2. *ubi legitur:* ac tu. *Ibidem etiam carmini præmittitur rubra* Prologus. [1433] incarcione 1. [1434] post — numeri *add.* 1*b*. [1435] XVI *primo habuit* 1; *sed* X *erasum est.* VI. Kal. Mart. *etiam habent Ann. Hildesh.* [1436] uuallatus 1*a*. [1437] quorum — baculis *add.* 1*b*. [1438] cum clero *add.* 2 *A. S. a.* 1014. [1439] inunctionem regalem 2. [1440] H. H. ac E. *add.* 1*b*. [1441] *ita* 1*b*. hug *aut* hecil 1*a*. *scripsisse videtur.* [1442] *ita* 1*b*. *in loco raso.* [1443] *add.* 1*b*. [1444] raventali 1. [1445] *add.* 1*b*. [1446] redingrata 1. [1447] nomine Aricia — incidimus *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(823) V. chartam imperatoris d. d. Merseburg, a. 1010, Jul. 28 apud Höfer l. 1, t. I, p. 160.

(824) Fistula al. calamus suctorius, cujus opera vinum e calice a communicantibus hauriebatur, quod intelligendum est de communione sub utraque. Diaconus enim tenens fistulam intra calicem, propinabat vinum fidelibus, ut quisque admoto ore sugeret ex alio fistulæ capite, hodieque summus pontifex Romanus sacram synaxin accedens tali fistula utitur. Plam de hoc calice Henriciano fabulam exposuit Gobelinus Persona in Cosmodrom. Apud Meibom. t. I, p. 259. Urs. Ignorasse videtur Ursinus peculiarem librum Io. Vogtii Hist. fistulæ eucharisticæ — ex antiquitate eccles. et scriptoribus medii ævi illustrata. Brem., 1772, 4. Wag.

(825) Rectius dixisset noster: duodecimo.

(826) Conf. Glab. Radulph. l. 1, c. 5.

(827) Fuerunt fratres illi Langobardi, ut ipse Thietmarus noster l. VIII, init. commemorat.

(828) *l. e.* mortuo.

3 Dominicam resurrectionem imperator in Papia civitate celebrans (*Apr.* 26), instabilem Longobardorum [1548] mentem caritate cunctis exhibita firmavit. Deinde sedatis tumultibus universis, reversus est ab Italia cesar [1549]; et Hardvigus ob hoc admodum gavisus, Fercellensem invasit civitatem, Leone ejusdem episcopo vix effugiente. Omnem quoque hanc civitatem comprehendens, iterum superbire cepit; quem ut in sequentibus expono, divina majestas nimis humiliatum se culpabilem cognoscere coegit [1550]. In hiis partibus cesar [1551] episcopatum, quod erat tercium devoti operis sui ornamentum, in Bobia (829) civitate, ubi Christicolæ sancti et confessores inciti Columbanus et Attala corporaliter requiescunt, communi consilio et licentia comprovincialium episcoporum construxit; quia summa necessitas, et, quæ eam precellit, Christi caritas ad hoc instigavit. Hic cum maxima prosperitate et gloria Alpinas superat difficultates ac nostræ regionis adiit serenitates, quia aeris hujus et habitatorum qualitates nostris non concordant partibus. Multæ sunt, pro dolor! in Romania atque in Longobardia insidiæ; cunctis huc advenientibus exigua patet caritas; omne quodibi hospites exigunt venale est, et hoc cum dolo, multique toxico [1552] hic pereunt adhibito.

4. (f. 143) Eodem anno 4 Kalendas Mai. obiit Karolus comes (830), Riedagi marchionis filius, qui omne suimet beneficium injuste accusantium turgida inflatione et nulla sui [1553] culpa prius per didit, et illatum facinus æquanimiter portavit. Eodem die neptis mea Mathildis (831), quæ in Geronis saltu cum domna Hathui abbatissa jure consanguinitatis diu nutriebatur, animam [1554] exhalavit; quam quia sibi successuram venerabilis matrona semper optavit, insolabili merore mortuam flevit, et hanc in proximo mense Julio 4. Nonas eadem [1555] subsequitur. De cujus laudabili vita quædam breviter percurro. Fuit hæc reginæ Mahtildis inclita neptis, ac [1556] in 13 ætatis suæ anno Geronis filio marchionis Sigifrido nupserat, et [1557] cum eo tantum 7 annos conjuncta erat. Post cujus excessum ob Dei amorem et tristis solatium senioris sacrum a Bernhardo antistite (832) velamen et mox consecrationem, ut predixi, suscepit, sedens 55 annos, tam assidua in Christi servitio ut Anna [1558], et tantæ largitatis ut Sarepthena, in castitate et abstinentia similis Judith [1559], ecclesiam sibi commissam diversis decorans [1560] ornatibus. Hujus obitum signa prenuntiabant ista. Vivarium [1561], quod in orientali parte urbis est positum, usque in mediam diem apparuit sanguineum, et post viridi [1562] colore est variatum. Multis est visum [1563] quod meritis istius neptis mea se cum palma virginitatis precederet. Sepulta est autem egreia Christi (f. 143'), sponsa a Bernhardo Antiquæ civitatis (833) episcopo, non ubi petiit, sed ubi gemens congregatio sua rogavit, in medio æcclesiæ coram sanctæ crucis altari [1564] ubi postmodum per ejus nobile meritum quodam [1565] viro diu debili et cum scabellis din [1566] ambulanti tribuit omnipotens Deus facilem gressum.

5. Imperator autem, transcensis Alpibus, cæterisque adjacentibus provinciis regendo decursis, natale Domini celebravit in Palithi. Et post hæc ad Merseburg veniens, Bolizlavi fidem et auxilium suis innotuit fidelibus, et ut ab eis ad excusationem aut indictæ rei emendationem is vocaretur, unanimes poscit. Interim nepos meus, comes Wirinharius, instinctu [1567] malesuasæ juventutis et dolosarum machinamento mulierum cum paucis [1568] ad urbem Biehlingi vocatam Dominica die venit (*Nov.* 7), et domnam ejusdem Reinildam prius a se desideratam fraudatis custodibus rapuit invitam. Namque imperatori, ut nullo [1569] absque scientia et consilio suimet unquam sociaretur marito, hæc antea firmiter promisit; et ob hoc cum clamore et ejulatu deducitur. Hoc audientes cum clientibus satellites, armati conveniunt, et ex his unus, Vullerd nomine, vulnere diro tardatur. Sed una ex ancillis cum se pariter abduci [1570] rogaret, et jussu senioris sui hanc sumere Alwinus nobilis voluisset, vallatur undique, et nepotem meum (f. 144) jam tunc egressum revocat in auxilium. Hinc antequam ei [1571] succurreretur [1572], pro dolor! oppetiit. Et dominus ejus adveniens, infra clauditur, et ab uno servorum [1573] sauciatur; quem protinus lancea perfossum muro infixit, et cæteros, ut sibi propius accedere non auderent, terruit; et [1574] cum suos longe cum matrona jam [1575] exisse, sibi autem nullum evadendi locum patere vidisset, relicto protinus equo, se dimisit a muro, et a lapide sequenti admodum depressus, tristes vix pervenit ad socios. A quibus usque Wi [1576] ad villici cesaris domum portatus, ibi cum paucis [1577] est dimissus; et dominam cum magna festinatione avexerunt, nunc hic nunc illic cum ea latitantes, adventum domini solliciti prestolantes. Sed villicus iniqui-

VARIÆ LECTIONES.

[1548] langobarum *corr.* longobarum 1. [1550] *erasum* 1. [1550] quem—coegit *in rasura scripsit* 1*b*. [1551] Henricus secundus *add.* 1*c*. [1552] toxicato cibo 2. [1553] sua *corr.* *ut etiam alibi* sui, *postea* (1*c*?) sua *restitutum* 1. [1554] eidem *corr.* eandem *corr.* eadem 1. [1555] ac 1*a*. [1556] vidua *add.* 2. *A. S.* [1557] *Hoc nomine spatium relictum explevit* 1*b*. [1558] decoravit 1*a*. [1559] uuarium 1*a*. vivuarium 1*b*. *primo* u *eraso*. [1560] virido 1*a*. [1561] altare 1*a*. [1562] cuidam 1*c*? [1563] instintu 1*a*. [1564] pacis 1. (*cf. not.* 1578); cum pacis obtentu... d. d. ad u. b. v. venit cum paucis 2. *A. S.* [1565] nulli 1*c*. [1566] duci 1*a*. [1567] *ita* 1*b*. *in loco ras*. [1568] succurretur 1. [1569] servuorum 1*a*. [1570] *add.* 1*b*. [1571] Vui. *add.* 1*b*. *nomen villæ nobis incognitæ*. [1572] pacis *corr.* paucis 1.

NOTÆ.

(829) Bobbio.
(830) Ita et Necrol. Luneburg.
(831) V. ibid.
(832) Halberstadensi.
(833) Aldenburg in Wagria.

tatis hospitem infirmum inperatori mox [1570] prodidit, A et ejus mentem fecit nimis hilarem. Speravit enim eum in suam venientem potestatem in exemplum [1571] aliis [1570] periturum, aut precio ineffabili ab hoc redempturum. Nox jam erat [1575], et Bernhardus ac Guncelinus et Willehelmus comites cum suis militibus a cesare missi, ubi egrotus jacuit, veniebant; et hos adfuisse (834) Wirinharius a suis presciens, sibi familiarem Wilehelmum salutat, cæteris duobus indicens, si gladium elevare potuisset, quod numquam in eorum potestatem incolumis venire voluisset [1575]. Willehelmus vero ejus vulnera ligans, et quod ad Merseburg, ut sibi jussum fuerat, (f. 114') venire nullo modo valuisset, intellegens, a suis fecit eum portari ad proximam villam Elerstidi (835) dictam, ibique in domo nimis lapidibus firmata precepit custodiri, ipse cum suis ad imperatorem reversus. Eodem die nos [1570] ad presentiam cesaris vocati, quali presumptione suum nepos meus interruperit votum, ab eodem flebili lamentatione percipimus. Namque cum Brun a Milone inimico ejus in domo propria, ubi omnibus est pax habenda, occideretur, idque ab omnibus indigenis inperatori lugubriter intimaretur, multum rogatus ut suorum more antecessorum tam sceleratis hominibus predium cum incolatu prohiberet, idque sacramentis firmare ex sua parte jussisset, elevatis manibus omnipotenti Deo et cunctis presentibus illud se quamdiu viveret impleturum promisit. Et quia scimus multo sacius esse bonum non vovere Deo C quam postea declinare, rogitemus eum, cui hæc dedit promissa, sicubi ea humanitatis gratia seu malo is fregerit ortatu, emendatione condigna resipiscat. Post inperatoriam lamentationem optimi quique dedere consilium, ut, comprehensis omnibus suimet bonis, domna revocaretur, et hujus rei auctores aut capti presentarentur, aut fugientes usque ad mortem persecutionem paterentur; ipse autem comes superata infirmitate, si culpabilis efficeretur [1576], capite privaretur ; si autem hæc omnia cum consensu matrone acta fuissent, (f. 115) optime uteretur sponsa. Frater meus comes Heinricus hæc ad implenda ilico mittitur, et ut ad Alstidi ad publicum venirent colloquium, jubetur. Illo tunc proficiscente, predicti comites advenerunt, et cesari D quæ facta sunt nuntiaverunt. Postera die, id est in sancti festivitate Martini, Wirinharius pacienti animo adversa quæque sustinens hactenus, exspiravit (836), nullum hostibus lucrum, suis autem invincibile dampnum relinquens. Ob hoc rex tristatur, et Thiedricus hostis ejus lacrimatur. Iloc ego comperiens, Thiedrico nepoti meo abeundi licentiam petii, et corpus amici per satellites meos de Minnilevo, ubi tunc abbacia fuerat (837), et Reinoldus ejusdem provisor egregius debita hoc procuraverat humanitate, ad Helpithi (838), ubi hoc expectabam, reduxi. Sed eodem jam tunc nimis fetente, exsolvi protinus viscera jussi, juxta æcclesiam jubens sepeliri meam, et usque ad Wallibizi illud prosequebar, ponens ad levam dilectæ conjugis (839) Post 14 dies domna Swonehild, socrus ejusdem, morte subitanea 6 Kalendas Decembris obiit [1577] (840).

6. Interim cesar in Alstidi populis jura dabat (Virg. B *Æn.* VII, 246), et, ut presentes affirmabant, meis hæc amicis denegabat. Insula quæ Porei [1578] dicitur (841), quia prius comes Bernhardus predictum voluit occidere Wirinharium, per injustos judices sibi eam cesar precepit assignari. Hoc Vicmannus comes prohibet, et injustum [1579] esse affirmat; omnes populi mussant et christum Domini peccare occulte clamant. Ibi tunc [1580] stella multis in medio apparuit (*Dec.* 7) die (f. 115'). In octava sancti Andree Rigmannus presbiter [1581], qui æcclesiæ prefuit suæ 85 annos, in Christo obiit [1582]. Et inde exiens, natale Dominicum in Palithi coluit, et in 4 feria ante Pascha (*an.* 1015) ad Mersburch venit. In cena Domini crisma in ejus presentia indignus benedixi. In vigilia autem [1583] sanctæ resurrectionis, quæ tunc fuit 5 C Idus Aprilis, Redbald abbas Wirdunensis obiit, et Hethenricus ejusdem cenobii prepositus eligitur [1584]. In die sancto archiepiscopus Gero missam cantavit; et interim Othelricus, Boemiorum dux, advenit, et dies hos sollemnes duximus admodum hilares. Interea Hirimannus marchio pascha duxit cum socero (842), et inde vix solutus, ad imperatorem cum nuntio ejusdem Stoignewo diu exspectatus venit. Idem legatus, mentiri semper solitus, ad cesarem in occidentali parte, plus ad perturbandum quam, ut simulaverat, ad pacificandum, ab instabili seniore suo missus est. Quem cum consociis suimet inperator suis familiaribus committens, generos suos gratiam ejusdem nudis pedibus querentes misericorditer suscepit, et tunc demum nugigerulus ut hæc cerneret presentari jussit, et publice domino ejus respondit. Hic cum alia, quam cesar preceperit, domi retulisset, cum prefato comite [1583] pacem firmare cupienti jussu ducis infausti remittitur, et in con-

VARIÆ LECTIONES.

[1570] exsemplum. [1571] nox erat et toto fulgebant sidera celo cum ecce *add.* 2. *cf. Virg. Æn. III*, 147. *IV*, 522. *VIII*, 26. [1575] uoluissent 1*a*. [1576] efficiretur 1. [1577] Post — obiit *add.* 1*b*. [1578] Porci *A. S. a.* — 1014. [1579] justum 1*a*. [1580] l. t. *add.* 1*b*. [1581] *ita et in Kalend. Merseb. Decembr.* 7. pr 1. [1582] In octava obiit *add.* 1*b*. [1583] *add.* 1*b*. [1584] *ita* 1*b*, *in loco raso*. [1585] comiti 1.

NOTÆ.

(834) Rectius : adesse.

(835) Allerstaedt prope Memlebium. Uhs.

(836) Kalend. Merseb. Novembr. 11. *Obiit Wernicho comes.*

(837) V. infra c. 22.

(838) Helfte in comitatu Mansfeldensi. Uhs.

(839) Liutgerdis. Uhs.

(840) Kalend. Merseb., Novemb. 26 *Suonehilda cometissa obiit.*

(841) Parey, insula Albiæ, haud procul a Jericlow et Genthin.

(842) Bolislavo Polono.

spectu inperatoris et principum ejus fallax et in invicem disturbans esse convincitur. (f. 146) Tunc iterum Bolizlavus [1486] se ad excusandum, vel inobedientiam ad emendandum a cesare vocatus, in presentiam ejus venire noluit, sed coram principibus [1487] suis hæc fieri postulavit. Sed quantam ei benignitatem imperator prius ostenderit, lector, attende!

7. Prefatus dux, mille artium scientia plenus, filium suimet Miseconem ad Othelricum, Boemiorum provisorem, misit, ut memores mutuæ consanguinitatis se invicem pacificarent et cunctis hostibus suis et maxime cesari pariter resisterent. Ille vero hoc omne in detrimentum sui esse compositum a veracibus accipiens, hunc comprehendit, ex consociis ejus optimos quosque interficiens, ac cæteros una cum seniore capto Boemiam reduxit, ac in carcerem projecit. Quod cum inperator comperiret, Thiedricum nepotem meum illuc misit, ut satellitem suum sibi redderet, et si de gratia suimet aliquid curaret, hunc nullatenus perderet. Cui hoc fertur dedisse responsum : *Senioris mei jussa in omnibus sequi tam posse quam velle, mihi admodum necesse est. Eripuit me nuper indignum omnipotens Deus de ore leonis, ejusque catulum in perniciem meam missum mihi tradidit. Et si hunc liberum abire permitto, certos hostes in patre et filio semper habeo; sin autem retineo, aliquem cum eo fructum me acquisiturum sperabo. Videat dominus meus de hiis omnibus, quid* [1488] (f. 146') *sibi placeat ac mihi aliquatenus proficiat, et hoc totum devotus inplebo.* Sed cum Thiedricus cum hac legatione reverteretur, alius mox celeriter remittitur, qui eundem mitti rogaret, firmiterque ei [1489] preciperet, promittens ex parte cesaris omnem ejus excludi sollicitudinem et bonam firmari pacem. Tunc Othelricus nolens volens captivum reddidit, et imperatorem multum placavit. Bolizlavus autem de ereptione filii supra modum gavisus, per internuntios suimet condignas cesari gratias egit; postulans ut cum sibi ad honorem, inimicis autem suis ad dolorem remitteret et futuram utriusque remunerationem ipse veraciter agnosceret. Quod inperator tunc non posse fieri respondit, sed cum ad Merseburg veniret, cum communi principum consilio suorum voluntati suimet se tunc satisfacturum promisit. Hoc Bolizilavus ut audivit, non bene suscepit, qualiterque filium in suam redigeret potestatem, semper tacita mente et crebra legatione revolvit [1490].

8. Ad condictum [1491] cesar ut venit locum, cunctos optimates, quid sibi de hac re esset faciendum, consuluit. E quibus Gero archiepiscopus loquitur [1492] primus : *Cum tempus fuit et cum vestro honore id fieri potuit, me ista* [1493] *hortantem non exaudistis. Nunc a vobis est mens Bolizlavi ob longam filii retentionem et custodiam aversa, et vereor, si hunc sine obsidibus aut aliis confirmationibus remittitis, ut in posterum fidelis servitii in ambobus* (f. 147) *careatis.* Talia loquentem maxima presentium turba consequitur, et pars corrupta, id cum honore magno fieri non posse ingeminat. Vicit pecunia consilium, et ut hoc Bolizlavo carius esset, in fidem suam, et cum omnibus quæ habebant, Miseconem hæc a cesare suscipiens [1493] reduxit, et promissa percepit, ammonens eundem et filium, ut memores Christi et firmæ Dei (843), nullum cesari incommodum amplius inferrent, nec suos decipi paterentur amicos. Huic dulci ortatui [1494] fistulæ blandientis more ab hiis protinus respondetur, quod factis postmodum nullatenus completur. Quamvis enim hiis aut fides parva sit aut nulla, tamen hoc nobis inputant, quod ex parte cesaris et nostrorum is tam sero remittitur, qui in numero militum habebatur. Hoc eis erat semper in animo, et propterea se in presenciam cesaris non venire affirmabant. Et verum est, quod vox evangelica testatur, excusationem (*Luc.* XIV, 18) aliquam hunc querere, qui ab amico familiari meditatur discedere. Hæc inperator agnoscens, a nobis discessit, et proximos rogationum dies in Capungun (844) fuit, quo ipse curtem suam de civitate Cassalun [1495] (845) dicta transtulit; et ibi cum consilio sui archipresulis Heriberti predictam Hethenrico curam commendavit. Interim ecclesia incipitur nostra, presente archiepiscopo Gerone, cujus primos posui lapides in modum sanctæ crucis 15 Kalendas Junii [1496]. Et tractatis ibidem (846) rebus necessariis, in vigilia pentecostes (*Mai* 28) ad Immedeshusun (847) venit, illic cum antistite Meinwerco hanc sanctam festive (f. 147') ducens sollempnitatem (*Mai.* 29).

9. Illic Val, Corbensis abbas, prius ab cura suspensus, deponitur, et unus ex Larsemensi monasterio Druhtmer [1497] sine fratrum consensu predictorum assignatur (848). Quo ad sedem suam in hac venienti ebdomada, omnis congregatio exceptis 9 flens abiit, et ut Liudulfus abbas predixit [1498], locum hunc pene vacuum non sponte reliquid *.

VARIÆ LECTIONES.

[1486] B. *add.* 1*b*. [1487] princibus 1. [1488] qđ 1. [1489] reuuoluit 1*a*. [1490] conditum 1. [1491] loqt'. [1492] hista 1*a*. [1493] succipiens 1*a*. [1494] ortatu 1. [1495] cassulun 1*a*. [1496] Interim — Junii *add.* 1*b*. *in margine*; 2. *vero inseruit post* sollempnitatem *ibique pergit :* rege manente Immedeshusen illic. [1497] *add.* 1*b*. [1498] u. L. a. p. *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(843) *I. e.* jurisjurandi.

(844) Haud longe a Cassela est monasterium Kaufungen ab imperatrice Cunigunda ibi fundatum, sec. XVI a Philippo landgravio in collegium virginum nobilium conversum. URS.

(845) Cassel.

(846) I. e. Kaufungen.

(847) Inter Mindam et Geismariam urbs sita hodie Immshausen, prædium nobilium de Steinberg. WAG.

(848) Conf. Vitam Meinwerci c. 43.

Codex 2. *addidit* : Quia vero hujus cenobii mentionem sepius feci, libet aliqua de ejus inchoacione et rectoribus breviter dicere, quia unum ex antiquissimis est. Anno Dominice incarnacionis octingentesimo vicesimo secundo Liudowicus imperator augustus, Karoli Magni filius, imperii sui anno decimo, per venerabilem Adelhardum antique Corbeie abbatem, hoc cenobium fundavit, in memoriam, unde cepisset, Corbeia nova loco nomen imponens. Ipse tradidit eidem loco multa predia, scilicet Huxeri villam, Eresburg et Meppiam abbacias. Hujus vero filius Liudwicus contulit nobile donum, abbaciam scilicet in Visbike, et decimas in episcopatu Asnebruggi cum decimalibus ecclesiis. Tradidit quoque piscacionem in Wisera, quæ dicitur Hocwar. Lotharius (849) imperator venit cum orientalibus Francis in Sclaviam, et eorum regem Gestimulum occidit, ceterosque subegit et dedit ecclesie Corbeiensi, ipso anno dedicationis ejus, ut cronica testatur. Insuper reges et principes et ceteri nobiles ipsum locum multis divitiis et prediis ditaverunt, et Romani pontifices magis privilegiis et honoribus extulerunt. Hic requiscit inclitus martir Vitus, septennis puer, translatus eo de Francia per Warinum, ejus loci primum abbatem, cujus martiris patrocinio Saxonia rerum suarum prosperitate in immensum excrevit. Situs est hic locus super fluvium Wiseram in episcopatu Pabrunnensi. *Eadem* 2. *iterum versus finem libri VII. repetit. Conf. A. S.* 4. 822.

10. In hiis diebus festivis Ernost [1400] inclitus Alemanniæ dux, pueri successor Herimanni, cum in silva quadam illicite venaretur, ab uno militum suimet plus ignorantia quam voluntate spontanea, ut cervam sagittare [1400] debuit, pro dolor! vulneratur [1401]. Hic quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, et ut reo parcerent supplicatur; et quia hic tunc presbiterum, quo [1402] sua confiteretur peccata, non habuit, unum ex militibus hujus vice propius [1403] accedere jussit. Quem cum adesse perspiceret : *Omnes*, inquid, *accedite, et commortalis vestri ac peccatoris facta aure cordis percipite, et qualiter curentur, unanimiter succurrite; absentibusque* [1404] *cunctis fidelibus peccatricem meimet animam queso commendate, et uxorem meam, ut honorem suum servet et mei non obliviscatur ammonete.* Hæc dicens, in quocumque umquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis presentibus innotuit, et mox de luce hac [1405] 2 Kalendas Junii discessit (850), sepultus in Wirciburg juxta patrem suum marchionem Liupoldum, ut ipse rogavit. Hic juvenis, ut spero, felicem habet animam, cui, sicut ipse vivens testatus est, plus placuit, coram multis hic erubescere quam coram omnipotenti Deo latere. (f. 148) De hoc exemplum, fratres in Christo, capite, et morbum interius latentem medico cœlesti [1406] aperite, et antidotum [1407] ejus salubre nullatenus spernite, et quicumque sit in fine nostro confessor, non moretur in gementi professione peccator, ut ab eo in cœlis in veniatur propicius remissor.

11. Ad supramemoratam sollempnitatem et ad predictum locum quidam rusticus de occiduis veniens partibus, novam imperatori legationem detulit, et hanc nullo [1407] nisi eo [1408] soli umquam aperire voluit, portans adhuc stimulum [1409] hunc, quo tunc pecus arans minavit, cum hoc ei cœlitus per columbam [1410] jussum fuit [1411]. Et hic [1412] erat tantæ longitudinis, ut omnes qui eum [1413] viderant nimis ammirarentur. Ipse [1414] vero rediens, cunctis interrogantibus indicat, jussu cesaris, se ad Aquasgrani post expedicionem venturum, et responsum ab eo ibidem accepturum. Et quia hanc admonicionem et crebro aliam innumerabilem inperator sprevit, vindictam sensit. In nativitate sancti Johannis baptistæ, quæ tunc proxima erat, ad Gosleri cesar veniens, Ernasti ducatum nepti suæ et filio ejus dedit; et inde ad Magathaburg proficiscens, interventum Cristi militis Mauricii ad exsuperandam hostis Bolizlavi contumatiam suppliciter rogavit. Dehinc ad locum qui Sclancisvordi (851) vocatur, cum exercitu glomerato perrexit, et magnum comprovincialibus et marchioni eorum (f. 148') Geroui intulit [damnum [1415]]. 8 Idus Julii fit nostra congregatio, et pro defensione debita habitatoribus hiis predatio magna. Postquam nostri Albim transierunt, inperatrix et ego cum illa ad Mersburg pergentes, cesaris adventum in his partibus expectavimus. Nostri autem ut ad pagum Lusici dictum venerunt, a presidio ex Ciani urbe (852) egresso [1416] temptantur; quod agnoscentes magnam ex eo multitudinem occidunt, et Hericum, qui dicebatur Superbus, et qui ex nostra regione ob omicidium illo fugit, captum in vinculis cesari presentabant. Inde usque ad Oderam inperator profectus, ad locum qui Crosna dicitur (853), optimos ab exercitu [1417] ad Miseconem ibi turmatim sedentem misit, ut eum de promissa sibi fide ammonerent, et ne propter eum ab inperatore sua perderent bona, cum dedicione sua preoccupare voluisset, unanimiter rogarent. Quibus istalibus respondit : *Agnosco me gratia* [1418] *cesaris ab inimici potestate ereptum ac vobis fidem promisisse; et eam libenter in omnibus adimplerem, si liber exi-*

VARIÆ LECTIONES.

[1400] ernest 1*c*? [1400] sagitare 1. [1401] vulneretur 1*a*. [1402] cui 1*c*? [1403] propu' 1. [1404] que *add.* 1*b* [1405] *add.* 1*b*. [1406] celeste 1*a*. [1407] antitodum 1. [1408] nulli nisi ei 1*c*? [1409] stimulum — minavit *in loco raso* 1*b*. [1410] per c. *add.* 1*b*. [1411] fuet *corr.* fuit 1. [1412] hec 1*a*. [1413] eam 1*a*. [1414] Ipse — sensit 1*b*. *in loco vacuo*. [1415] *deest* 1. [1416] egreso 1. [1417] exertitu 1. [1418] gratiam 1.

NOTÆ.

(849) *Lotharius — dedicationis ejus*] ex Ann. Quedlinburg. supra.

(850) V. Ann. Hildesh., a. 1015. Kalend. Merseb. Mai. 31.

(851) Locus nobis ignotus, haud procul a Torgau quærendus.

(852) Zinnitz inter Kalau et Luckau in Lusatia inferiori.

(853) Crossen, ubi fluvius Bober Oderam influit.

sterem. Nunc autem, ut ipsi scitis, sum mei patris A *dominio* [1319] *subditus, et quia ille hoc prohibet, et sui milites hic modo presentes talia fieri non paciuntur, invitus omitto. Patriam, quam queritis, meam, si possum, defendere usque ad adventum mei patris volo, et tunc eum ad gratiam cesaris et ad amorem vestrum inclinare cupio.* Hoc nostri audientes, regressi sunt, et hæc inperatori responsa detulerunt. Interim Bernhardus (f. 149) dux cum suis fautoribus, episcopis et comitibus, et profanorum turba Liuticiorum, ab aquilone Bolizlavum peciit, et hunc presentem, munita undiquessecus Odera, habuit.

12. Cesar autem in inventione Christi protomartiris (*Aug.* 3) Oderam transmeans, reluctantem Poleniorum multitudinem admodum prostravit, et nemo ex nostris nisi Hodo inclitus juvenis cum Ekkrico et B alio Guncelini comitis satellite cecidit (854). Hic cum Sigifrido, Hodonis filio marchionis, ab imperatore accusatus, eo quod Bolizlavo [1320] nimis familiaris actenus fuisset [1321], eodem die viriliter se expurgant [1322], et a suis Hodo longe digressus, cum hostes solus fugientes insequeretur, sagitta per caput inmissa primo oculum et post vitam perdidit istam. Sed cum Miseco ejusdem corpus cognosceret, quia ejus apud nos fuerat custos et sodalis, multum flevit, et id bene procuratum ad [1323] exercitum misit. Eorum autem, qui ex parte hostili oppecierunt, non minor erat numerus quam sexcenti, predam relinquentes nostris ineffabilem. Hoc Bolizlavus, ubi tunc mansit, ab internuntiis festinantibus mox rescivit; et quamvis eo libenter pergere voluisset, tamen presentibus inimicis introitum patescere ausus non est. Quocumque nostri in navibus declinabant, illuc ipse cum suis equo sequebatur alato (cf. Ovid. *Fast.* III, 415). Ad ultimum vero erectis celeriter velis, nostri per omnem unam navigabant diem, et inimicis eos tunc comitari non valentibus, litus optatum securi comprehendunt (f. 149'), et proxima incendunt loca. Quod cum eminus dux prefatus agnosceret, more solito fugit, et nostris fiduciam et locum nocendi invitus concessit. Dux vero Bernhardus cum suis imperatori ad auxilium, sicut ei prius jussum est, venire cum nequivisset, per pedites clam missos ei eventum rei et necessitatem inobedientiæ indicens, vastatis circumquaque jacentibus locis, D domum rediit. Othelricus quoque, qui cum Bawariis ad cesarem venire debuit, ob multas causarum qualitates (855) dimisit. Et quamvis hii imperatorem non comitarentur, tamen fidele servitium sua vicinitate (856) ostendunt. Namque Othelricus quandam urbem magnam, Businc (857) dictam, petiit, et in ea non minus quam mille viros absque mulieribus et liberis capiens, incendit eandem, et victor remeavit. Heinricus autem, Orientalium marchio, cum Bawariis, comperiens, Bolizlavi milites juxta se prædam fecisse, protinus insequitur, et ex his fortiter resistentibus octingentos occidit [1324] predamque omnem resolvit.

13. Interim Redingus, Magadaburgensis prepositus, Nonas Augusti in Christo obiit (858). Mense eodem et 14 Kalendas Septembris Eila, venerabilis cometissa, obiit (859) et in monasterio, quod ipsa construxit (860), ab Everhardo antistite (861) traditur sepulture [1325]. Sed antequam hæc omnia cesar comperiret, multum sollicitus, quamvis parvo uteretur excercitu, tamen potestative, quamdiu voluit, in hiis partibus fuit, et tunc reversus ad pagum qui Diadesisi dicitur, venit in angusto, pro dolor! castrametatus loco, ubi nullus, excepto apum magistro, qui ibidem tunc interfectus est, sedit. (f. 150) Bolizlavus autem audiens, imperatorem aliam, quam intraret, viam hinc exiturum, juxta Oderam omnimodis sua [1326] firmavit. Sed cum hunc jam abisse comperiret, magnam peditum multitudinem ad locum, ubi noster consedit exercitus, premisit: precipiens eis, si aliqua oportunitas sibi accidisset, hujus saltem aliquam partem ledere temptaret. Insuper abbatem suum, Tuni nomine, simulata pace ad cæsarem misit, qui protinus ab eo explorator esse cognoscitur, et ibidem, quousque omnis pene exercitus, factis in precedenti nocte pontibus, paludem transcenderet prejacentem, detinetur (*Sept.* 1). Tunc ille, monachus habitu, sed dolosa vulpis in actu, et ob hoc amatus a domino, rediit; et imperator Geroni [1326] archiepiscopo, et Geroni [1327] inclito marchioni, ac Burchardo comiti palatino [1328], residuos committens, pregreditur, et ut se solito cautius circumspiceret, ortatur. Post hoc ab hostibus prope in silva latentibus magnus clamor ternis mugitibus attollitur, et mox nostrum agmen, sagittariis intermixtim currentibus, ab hiis appetitur. Quibus primo conflictu secundoque [1328] fortiter resistunt, et ex eis multos palantes occidunt. Set fugientibus quibusdam ex nostris, confortati hostes glomerantur, et nostros iterum incurrentes dissipant, et separatos sagittis fallentibus (f. 150') perdunt. Gero autem archiepi-

VARIÆ LECTIONES.

[1319] *ita A. S.* domino 1. [1320] bolizlovo 1. [1321] familiares a. fuissent 1*a*. [1322] *ita* 1. expurgavit *A. S.* [1323] et 1*a*. [1324] *add.* 1*b*. [1325] Interim — sepulture *add.* 1*b*.[1] [1326] *ita.* 1*b*. jeroni 1*a*. [1327] jeroni 1. [1328] que *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(854) Kalend. Merseburg., August. 3: *Hodo et Ekkricus cum multis interfecti sunt.* Conf. Ann. Quedlinb., a. 1015 et Necrol. Luneb.

(855) Similiter II, 16, *multæ causarum species.*

(856) Sc. Bohemiæ.

(857) Item nobis videtur, quod supra VI, 37. Busin, Budisin.

(858) V. Kalend. Merseb., Aug. 5.

(859) Ibid., Aug. 19. Conf. de ea Ann. Saxon., a. 1015.

(860) Sc. in Schweinfurt.

(861) Bambergensi 1007-39.

scopus et Burchardus comes vulneratus vix evadentes, cesari hæc referebant. Liudulfus autem juvenis cum paucis capitur, et Gero ac Folcmarus comites, cum 200 militibus optimis occisi, spoliati sunt (862), quorum nomina et animas Deus omnipotens misericorditer respiciat, et nos, quorum culpa hii tunc oppetiere, sibi per Christum reconciliet, et ne quid tale ulterius paciamur clemens custodiat.

14. Imperator ut hoc triste nuncium audivit, ad tollenda interfectorum corpora redire voluit; set multorum tardatus consilio, id quasi invitus omisit, et Æidum antistitem, qui eis licentia infausti ducis sepulturam impenderet et Geronis corpus marchionis inploraret, remisit. Venerabilis vero[1529] pater cesari[1530] voluntarie consentiens, concito cursu revertitur; et ut miserabilem aspexit stragem, flebiliter ingemuit et supliciter pro[1529] hiis[1529] oravit. Hunc cum victores et tunc in preda solum morantes eminus viderunt, de consequentibus timidi primo fugerunt, deindeque propius accedentem salutaverunt et sine omni offensione eum abire permittunt. Hic a Bolizlavo, multum de pernicie nostra gaudenti, quod postulat inpetrans, sine mora rediit, et corpora sociorum cum magno[1531] labore inimicis faventibus[1532] sepelivit. (f. 151) Funus autem predicti marchionis et socii ejus Widredi usque ad Mysni fecit reduci. Hæc ibidem Hirimannus comes flebiliter suscipiens, et usque ad Novam urbem, ubi Gero, Agripinensis[1533] archiepiscopus, et Thietmarus marchio, frater ejus, vitricus istius, pater autem interempti comitis, in honore Dei genitricis et sancti martyris Cypriani, regnante secundo Ottone, abbaciam construxerunt (863), cum frat ibus suis Guntterio[1534] ac Ekkihardo comitatur. Quæ Gero archiepiscopus tunc terræ commendans, domnam Æthelheidam[1535] ejusque filium Thietmarum et merentes amicos ac milites solatur.

15. Interim cæsar cum suis ad Strelam urbem pervenit; et Miseconem cum exercitu subsequi sciens, Herimannum marchionem ad Mysnensis defensionem civitatis properare jubet. Ipse vero ad Merseburg recto tetendit itinere. Miseco autem a patre nefario instructus, ut primo nostros abisse divisos nullamque post se custodiam esse relictam sensit, Idibus Septembris Albim juxta urbem predictam (864) cum 7 legionibus in ipsa transcendit aurora, quosdam circumquaque jacentia vastare, alios vero urbem precipiens inpugnare. Quod Weneinici[1536] (865) conspicientes seque tueri posse desperantes, superpositæ civitatis municionem, relictis pene omnibus suis, ascendunt. Ob hoc hostes (f. 151') admodum gavisi suburbium intrant relictum, et hoc ablatis rebus inventis incendunt, et superius castellum in duobus locis accensum infatigabiliter aggrediuntur. Hirimannus vero[1529] comes videns auxiliatores suos admodum paucos jam defecisse[1537], Christi pietatem et ejus inciliti martyris Donati intercessionem sanctam prostratus postulans, mulieres ad succurrendum hortatur. Quæ propugnacula attingentes, lapidibus viros adjuvant, ignem inpositum, quia defecit aqua[1538], medone extingunt, et Deo gratias! inimici furorem et audaciam minuunt. Hoc totum Miseco de monte juxta posito cernens, socios adventantes exspectat. Qui depopulantes, et ubi ignis inveniebatur omnia usque ad Ganam[1538] fluvium (866) concremantes, sero lassis revertuntur equis, et ibi cum seniore suo cras ad urbem pugnaturi pernoctarent, ni Albim crescere viderent. Propter hoc exercitus nimis defatigatus cum securitate inopinata remeavit, et ducis sui cor anxium hac prosperitate[1539] relevavit. Imperator autem hæc ut audivit, quoscumque tunc colligere potuit, ad succurrendum suo marchioni propere mittit, et suburbium non longe post redintegrare precepit. Ad hujus operis supplementum et custodiam Gero archiepiscopus et Arnulfus presul (f. 152). 8. Idus Octobris cum comitibus cæterisque compluribus conveniebant. Hiis omnibus ego longe inferior interfui. In 14 diebus incepta ad unguem[1540] nos[1529] perducentes, abivimus, committentes urbem Fritherico comiti ad 4 ebdomadas.

16. Gero archiantistes[1541] et ego, ejusdem comes, ad locum, qui Mucherini (867) dicitur, veniebamus. Ibi tunc ego de promissis dulcibus eum ammonens, percepi ab eodem cum baculo ejus, quem hodie teneo, parrochiam super has 4 urbes, Scudizi, Cotuh, Bichini et Vurcin, de residuis 5, Ilburg, Pauc, Dibni, Liubanizi et Geserisca[1542] (868), differens ac in posterum dicens relicturum[1543], 8 Kalendas Novembris, presentibus hiis testibus: Heribaldo, Hepone, Ibone, Cristino atque Seberto. Eodem die ad urbem Curbici (869) dictam venimus, ubi convenientibus archiantistitis[1541] militibus id manifestavi, quam misericorditer erga me senior suus egerit. Ibique de infirmitate venerabilis Fritherunæ comperivimus, ad cujus hospicium tunc nos fuimus; quæ, pro do-

VARIÆ LECTIONES.

[1529] *add.* 1*b*. [1530] cesare 1*a*. [1531] magno 1*a*. [1532] se fav. 1*a*. [1533] *ita* 1*a*. *habuisse videtur*; coloniensis 1*c*. [1534] i *adnasum* 1. [1535] ath. 1*c*. [1536] Wenenici *A. S. Fortasse* 1. Wenetnici *sive* Wethenici *scribere voluit*. [1537] defesisse 1*a*. [1538] Granam 2. *A. S.* [1539] prosperate 1. [1540] per unguem *add.* 1*a*. [1541] Majedeburgensis *add.* 1*c*. [1542] Gezerisca 1*c*. [1543] de residuis — relicturum *add.* 1*b*. *quibusdam in textu erasis*. [1541] archiantistis 1.

NOTÆ.

(862) Kalend. Merseburg., Kal. Septemb. *Gero e-Wolcmarus comites cum sociis suimet* 200 *peremti sunt*. Conf. Ann. Quedlinb., a. 1015.

(863) Conf. Chronogr. Sax., anno 971.

(864) Sc. Meissen.

(865) Weinenici i. q. supra Wethenici, seu a voce Slavica Vojnik, Polonice Woiownik, bellator.

(866) Die Jahne, amnis parvulus, qui prope Riesam oppidum Albim influit.

(867) Mokrehna, villa inter Torgau et Eilenburg.

(868) Conf. supra ad l. III, c. 8.

(869) Zoerbig.

lor! in sequenti die, id est 6 Kalendas Novembris, hominem exuit interiorem [1548] (870). Inde Archiepiscopus ad [1549] Magadaburg profectus, omnium festivitatem sanctorum celebravit, et ego in Wallibici.

17. Interim Hardvigus, nomine tantum rex, perdita urbe Fercellensi, quam diu expulso Leone episcopo injuste possedit, infirmatur, et radens barbam, monachus est effectus, terciaque Kalendas Novembris obiit, sepultus in monasterio, Imperator autem occidentales [1550] invisens regiones, quæ ibi tunc erant emendanda correxit.

18. Post hæc autem Eid, antistes egreius, a Polenia saltem cum muneribus magnis reversus, egrotare cepit, (f. 152') et in urbe Libzi vocata fidelem Christo animam 13 Kalendas Jannarii reddidit (871). Et Hilliwardus Citicensis episcopus, ad hujus procurationem vocatus, mox adfuit, et domum, qua vir sanctus abierat, optimis redolere odoribus introiens agnovit; et corpus ejusdem usque ad Misni prosequitur. Sepelivit illud coram altari [1551], auxilio comitis Willehelmi, qui ordine suo eandem tunc custodivit civitatem. Sed quia superius promisi me de ejus vita in sequentibus dicturum, de magnis pauca loquar. Erat vir predictus nobilis genere, dives in prediis, sed paupertate spiritus hæc pro nihilo ducens. Ante benedictionem in Magadaburg cum cæteris confratribus regulariter ac multum laudabiliter vivens, et post in divinis gregibus lucrandis alcius insurgens, pro possibilitate sua apostolicam imitatus est vitam. Nulla unquam utitur camisia neque braca, nisi tunc cum missam cantavit; quam idcirco sepius dimisit, quia se ad hoc indignum judicavit. Hiemis asperitatem qualiter is umquam sustineret, multi ammirabantur. Crebro a suis pene desperatus, in stuba vix recreabatur; corpus suum nimis afflixit jejuniis, plus nudis pedibus quam equo laborans. Cum sibi et sociis late vagantibus victum defecisse vel aliquid arduum occurrere videret, Deo gratias egit, et omnes hoc dicere jussit. In baptizando et predicatione continua et confirmatione non modo suæ utilis erat æclesiæ, sed aliis quam pluribus. (f. 153) De hiis quibus ipse cum suis vivere debebat rebus, sibi subtractis pene ducentos æclesiæ suimet acquisivit mansos. Crisma et clerum raro, templa autem Domini libenter consecravit, et tunc crebro sine missa. Oculi ejus ob assiduam fletus nimii effusionem jam caligabant [1552]. Nobis contemporalibus suis ob crimen nostrum ejus conversacio displicuit, et ei nostra. 23 annos et amplius labore ineffabili vivens, finem suum ante predixit, et ut numquam ad Misni poneretur, multum rogavit. Id namque semper in mente ob timorem futuræ desolationis desideravit, ut ad locum Colidici [1553] dictum, ubi Christi magnus martyr corporaliter requiescit, et ipse mererctur tumulari. Sed comes Herimannus, sperans precibus ejusdem locum sibi a Deo paratum adjuvari, ut prefatus sum, ibidem fecit eum deponi.

19. In vigilia natalis Domini Meingaudus, Trevericæ civitatis archiepiscopus, obiit in urbe sua Cophelenci dicta (872), sedens 8 annos et 7 menses [1554], indeque corpus suum ad sedem propriam delatum honorifice ad antecessores suos locatur. Imperator hæc audiens, de tantorum detrimento patrum turbatur, qualiterque loca bene suppleret vacua, cum familiaribus suis tractavit; et [1555] natalem Dominicum in Pathebrunnum [1556] festivis peregit gaudiis. Et post hanc Popponem, Liupoldi marchionis filium et tunc Bavenbergensis æclesiæ prepositum, Treverensi prefecerat urbi; et cum is [1557] ab Erkanbaldo [1558], Magociacensi archiepiscopo, (f. 153') jussu cesaris et licentia Virdunensis episcopi, qui primus horum in ordine fuit confratrum, consecrari debuisset, a Thiederico, Metensi antistite, eo quod a se justius hæc ordinacio fieri deberet, assidua acclamatione et humili peticione id incassum prohibebatur. Nam inperator hunc scripta demonstrantem et banno id interdicentem non exaudivit, sed unctionem [1559] conpleri precepit. In hiis diebus vice Eidi presulis Eilwardus, Thietmari marchionis cappellanus, ortatu Herimanni confratris a cesare constituitur, et in Dominica die ante palmas in Merseburg a Gerone archiepiscopo nobis faventibus benedicitur (*an.* 1016, *Mart.* 18).

20. Proximam palmarum jucunditatem inperator cum Heinrico, venerabili Wirciburgiensis [1560] æclesiæ episcopo, complens, 4 feria ad Bavanberg venit, ibique Cenam Domini et Passionem cum pasehali tripudio honorabiliter peregit (*Mart.* 25, *Apr.* 1). Et quia Rothulfus, Burgundiorum rex, avunculus ejus (873), sicut vocatus erat, huc venire non potuit, nepotem sibi dilectum obviam sibi pergere rogavit. Fit [1561] eorundem conventio in urbe Argentina [1562] et mutue caritatis invicem larga benignitas consociis [1563] arrisit utrisque. Fuit quoque ibidem Rothulfi

VARIÆ LECTIONES.

[1548] *Lege:* exteriorem. (*Sed ita semper Th.*) [1549] ac 1. [1550] Harduigus — occiden *add.* 1*b.* sc. *verba* Harduigus n. tantum *in rasura, cætera in margine;* 1*a. habuisse videtur:* Interim imperator occidentales. [1551] altare 1*a.* [1552] sine — caligabant *add.* 1*b.* [1553] coldic. 1*c?* [1554] sedens — menses *add.* 1*b.* [1555] *add.* 1*b.* [1556] in P. *add.* 1*b. in spatio ante vacuo relicto.* [1557] cum is 1*b. in loco raso.* [1558] erkinbaldo 1*a.* [1559] inunctionem 1*a.* [1560] *ita* 1. i *haud eraso.* [1561] *Pergit alia manus, quæ multos commisit errores.* [1562] argentiva 1. [1563] consosociis 1. *duabus lineis.*

NOTÆ.

(870) Kalend. Merseburg. et Leneburg., Octob. 28, *Frithrun comitissa.*

(871) Kalend. Merseburg., Decemb. 20. *Æid episcopus obiit.*

(872) Coblenz.

(873) Scil. frater Gislæ, filiæ Conradi, regis Burgundiæ. V. supra l. v, init. v. 4, sq.

regis inclita conjunx, quæ familiaritatis hujus adjutrix (f. 154) filios suimet duos, senioris autem sui privignos, cesari commendavit; dilectis sibi militibus hoc totum dedit in beneficium, quod sibi ab avunculo [1361] suimet tunc est concessum, et quod Willehelmus Pictaviensis (874) hactenus habuit regio munere prestitum. Imperator sapienti usus consilio hoc, voluit cum hiis id sibi firmius subdere, quod longe prius rex predictus ei sacramentis post mortem suam sancierat. Omnem namque Burgundiæ regionis primatum per manus ab avunculo [1361] suimet accepit, et de maximis rebus sine ejus consilio non fiendis securitatem firmam. Episcopatum in hac regione quodam [1363] nobili viro dedit, de quo postea vix securus evasit. Namque Willehelmus, prepotens vir in hiis partibus, ut hoc omne comperit [1363], eundem persequi et ad ultimum fugientem solum canibus precepit inquiri. Quos cum antistes jam defatigatus latrantes audiret, quod unicum tunc habuit solacium, signo sanctæ crucis sua post signans vestigia, quasi mortuus jacuit et ad predam paratus fuit; et ecce canes rapidi loca eminus olfacientes signata, ut grandi turbine retroacti, reversi sunt, et sic verus Dei famulus per incognita nemoris loca ad amicos perrexit fines. Cesar autem regi et contectali ejus cunctisque suimet principibus ineffabilem pecuniam dedit, et firmata iterum antiqua tradicione, eos abire (f. 154') permisit, ipse exercitu congregato ad Basulam urbem profectus (873). Sed cum ibi Willehelmum munitis urbibus resistentem et introitum sibi prohibere cupientem audiret, parva multitudine diffisus, amicam manum undiquæssecus colligit, et provincias sibi rebellare [1364] presumentes incendio late flagranti securus desolavit. Cumque se nullam urbium earundem expugnare pro certo sciret, reversus est tristis, quod nec hic nec in parte orientali nocituram hostibus suis intulit molestiam.

21. Interim inperatrix, in nostris commorata provinciis, defensionem patriæ cum nostris principibus meditatur. Hostis autem noster [1365] Bolizlavus inter hæc nil nostra lesit, sed sua munit, et certus de eventu cesaris effectus, lætatur et nimis extollitur. Namque multi, quibus hoc cognitum erat, veraciter asserebant, si cesar ad eum tunc [1366] turmatim veniret, timorem [1367], quod eundem de nostris respiceret, restituere, et eum ad servitutem suam, pace tantum concessa, promptum et fidelem habere potuisset. Sed Burgundiorum rex, mollis et effemi-

A natus, bona, quæ nepoti suimet promisit, impedire eorum instinctu voluit, quibus relaxato justiciæ freno velud infelici vitulo per latum liberos currere placuit (876). Cum vero iterum ceptis persistere studuit, eorum conflacione et pessima reluctacione non potuit. Nullus enim, ut audio, qui [1368] sic presit in regno; nomen tantum et coronam habet, et episcopatus hiis dat, qui a principibus hiis eliguntur; ad suam vero (f. 155) utilitatem pauca tenens, ex impensis antistitum [1369] vivit, et hos vel alios in aliquo extrinsecus laborantes eripere nequit. Unde hii manibus complicatis cunctis primatibus velud regi suo serviunt, et sic pace fruuntur. Ob hoc solum talis rector inter eos dominatur, ut eo liberius malignorum furor [1370] invicem vagetur, et ne lex nova
B alterius regis ibi adveniat, quæ inolitam consuetudinem rumpat. Willehelmus comes, de quo predixi, miles est regis in nomine et dominus in re [1371]; et in hiis partibus nullus vocatur comes, nisi is qui ducis honorem possidet; et ne illius potestas in hac regione paulo minus minueretur, consilio et actu imperatoriæ majestati, sicut predixi, reluctatur.

22. In precedenti estate (*an.* 1014) Bernharius, sanctæ Ferdensis æcclesiæ pius pater et antistes [1372], cum se jam ad occasionem hujus vitæ [1373] vidisset inclinare, cunctos debitores suos ad se dulciter vocans, in Deum et in æcclesiam sibi commissam humanitus deliquisse ammonuit, et confitentibus cunctis misericorditer indulsit. Omnes autem, qui
C se aliquo contra eum fore culpabiles negabant [1374], sic arguebat: *Ne queso, filii, sic faciatis! Non concupisco vos ex mea vel successoris mei parte ullatenus decipi, sed nunc vos volo a talibus exsolvi et pace sincera a vobis segregari.* Is æcclesiam suimet 300 mansis juste adquisitis adauxit, imperatorem suum et omnes Christo fideles ex corde dilexit, et maxime sibi subditos summi (f. 155') pastoris exemplo amavit. Sedebat ille vir venerabilis 24 annos [1375], et turrim unam de lapidibus, qui in hac terra pauci habentur, juxta Ferdensem æcclesiam fabricari incipit; et exin subtractus est a nostris aspectibus lucifer ille 8 Kalendas Augusti (877). Quod cum imperator comperiret, ut filius absentiam patris, sic flevit mortem tanti senioris. In cujus vice Vidzie-
D rum, Coloniensis [1376] æcclesiæ quondam prepositum, set tunc ab Heriberto archipresule depositum, 9 Kalendas Septembris diu renitentem posuit, et ab Erkanbaldo archiantistite consecratum ad sedem

VARIÆ LECTIONES.

[1361] auinculo 1. [1362] cuidam 1*c*? [1363] comperiit 1*a*. [1364] repallare 1*a*. *corr.* rebællare 1*b*. [1365] nostri 1*a*. [1366] tum *corr.* tunc 1. [1367] timē 1. [1368] audio, rex est, qui 2. [1369] anstitum 1. [1370] suror 1. [1371] *ita A. S.* ire (terre) *mutatum in* Ire 1. [1372] antistites 1. [1373] vit 1. [1374] negebant sic arguebant. nequoso f. s. faciasti 1. [1375] annis 1*a*. [1376] coloensis 1.

NOTÆ.

(874) Est is comes Otto Wilhelmus I, Adelberti Italiæ regis et Gerbergæ Burgundicæ filius, a quo antiqui comites Burgundiæ descendunt. URS.

(875) Basileæ imperator fuit hoc anno Junii d. 25, ut ex charta ibi data constat.

(876) V. Ecbasin captivi, ed. I. Grimm Lateinische Gedichte des 10. und 11. Ih. v. 66, sq.:

Ac misero vitulo.....
... Illi consimilis patrum frenabar habenis. .
v. 88: *Nititur. . . quo possit currere late.*
248: *Infelix vitulus. . .*

(877) Non anno quidem 1015, sed 1014. V. Ann. Corbeienses et Quedlinb. Diem etiam testatur Kalend. Merseburg.

propriam cum honore magno remisit. Notandum quoque est et non absque singultu gravi proferendum, quod monasterium in Miminlevo constitutum a libertate diu corroborata in servitutem redactum est. Deposito namque ejusdem cœnobii abbate Reinoldo, dispersisque late confratribus hiis [1377], Heresfeldensi æcclesiæ ejusque tunc provisori Arnoldo illud subditum est.

23. In quadam provincia [1378] Sueviæ regionis, et in comitatu Becilini comitis, accidit res una mirabilis et admodum [1379] terribilis. Una mulier maritata subitaneæ mortis nexibus depressa obiit. Hujus corpus post lavacionem et debitam procuracionem ad æcclesiam a merentibus sociis delatum est. Hæc a feretro se ex improviso erigens ac presentes cunctos fugans, evocat ad se virum suimet cum familiaribus cæteris, ac hiis specialiter munus singulare asscripsit, verbis (f. 156) consolata dulcibus; ac post hæc in pace quievit. Mirum est quod dico, sed mirabilis Domini hæc solum opera cognosco; et ne quis hæc vera esse diffidat, testimonium hiis haud vituperabile profero. Predictus comes hoc imperatori pro vero [1380] retulit, et ille mihi coram multis confratribus id intimavit. Sepe contigit, quod in imagine mortuorum callidus homini apparet inimicus, hunc modis temptans deludere variis; et stulti quique sic esse autumant. Ego autem veraciter innotesco cunctis fidelibus, quod post commendacionem animæ ac debitum sepeliendi officium, more Christiano diligenter completum, corpus illud exanime numquam ante universæ carnis resurrectionem absque omni ambiguitate complendam resurgit, nisi meritis justorum ad tempus fiat; quod tunc solum accidit, cum mundus ista eorum inclita conversacione floruit. Puto predictam mulierem multum valuisse (878), cui post mortem gustatam justum complere desiderium, et tunc sine gemitu denuo licuit somno pacis obdormire. Beatus ille est qui opus bonum acceleracione continuata perficit, nec moras prolongacione diutina suspendit. Econtra autem ille miserorum loco assignatur, qui aut justa prorsus spernere, aut hæc, ut non possint compleri, differre conatur. In utrisque ego sepe culpabilis, duas tantum res nunc profero, in quibus memet ipsum graviter (f. 156') accuso.

24. Post decretum in Throtmanni peractum (879) Richarius, Magadaburgensis æcclesiæ presbiter et spiritualis frater meus, infirmatur; et ego, quia non eram ibi, eundem non visitavi. Cum autem [1381], pridie quam ille vir justus obierit [1382], venirem, ad eum non accessi, sed in posteram distuli diem, et tunc is sine mea caritate mortuus est. Corpus ejusdem ad æcclesiam delatum de confratribus nostris, et quia vigilias sustinere non potui, a vicario meo custoditum est. Hic non longe post sepulturam ejus in somnis apparens mihi: *Quare*, dixit, *non visitasis me, et psalterium non cantastis, neque memoriam in Throtmanni inventam fecistis?* Qui cum excusacionem meam audiret, respondit: *Male hæc dereliquistis.* Et tunc interrogabam eum quomodo valeret; et ille: *Ut in sabbato*, inflt, *obdormivi, in alia* [1383] *ad requiei dulcis gaudia transivi.* Cumque ego sciscitarem ab eo, qualiter se patris mei atque matris res haberet: *Bene*, retulit, sic prosecutus: *Genitrix tua per me tibi indixit, in* 2 *aut in* 5 *feria eam assecuturum.* Et hæc ingemiscendo evigilavi, pro certo sciens, communem justorum institucionem sanctam esse ac salubrem, si custoditur; sin autem, grande periculum. Etsi in hoc nullum accuso preter me, vereor tamen, maximam multitudinem hujus pacti alterius que esse prevaricatricem; et quanto plus spernimus mandata prepositorum, tanto culpabiles sumus in examine [1384] eorum.

25. (f. 157) Insuper in altero deliqui crimine, quod me umquam fecisse, penitet ex corde. Redingus, Parthenopolitanæ congregacionis prepositus, in quadragesima (*an.* 1015) quæ finem suum precesserat, me huc venientem caritative suscipiens, loqui secum in secreto postulat, et obortis mox lacrimis sic exorsus est: *Subitanea me deprimi morte, multum timeo, et precedentes causas vobis aperio. In Arnaburgensi civitate semel et in ista bis sic mihi ex improviso accidit, ut nec videre vel aliquid potuissem audire, exuperans hoc celeri auxilio Christi. Ex hoc tempore nimis sollicitus fui, et confratribus meis ad hoc, ut spero, idoneis, vulnus iniquitatis mee retexi; et quia vos mihi fideles* [1385] *semper agnovi, ad testimonium meæ confessionis super lectum, qua me non diu victurum existimo.* Hanc peticionem devotus suscepi, ac me in omnibus eidem satisfacere promisi. Post hæc idem me de talibus ammonuit; et quia tunc tempus congruum non fuit, laudabilis desiderii sacietatem a me non percepit. Quamvis alicujus conversi plagam ob infatigabilem conscientiæ meimet peccatricis fetorem libenter [1386] non inspiciam et curare desperem, tamen hujus confratris onus libenter subirem, si oportunitatem aliquam nobis ad hæc respondere vidissem. In proxima parasceve Rotmanus, presbiter et archiepiscopi prepositus Geronis, improvisæ necis inpetu (f. 157') nocte deprimitur et in lecto mortuus invenitur. Hoc admirabile et nimis terribile cunctis audientibus videbatur; sed Deo gratias! pridie elemosinam largitur, et confessionem suam communiter et non

VARIÆ LECTIONES.

[1377] *add.* 1 *b.* [1378] puincia 1. [1379] addomum 1. [1380] fero 1*a*. [1381] ant. 1. [1382] abierit 1*a*. [1383] alio 1*a*. [1384] exanime 1. [1385] s *erasum* 1. [1386] *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(878) Sc. apud Deum.

(879) V. supra l. VI, c. 13

sine fletu magno fecit. In sabbato sancto (880) huc veni, et sanctam hanc sollempnitatem cum archipresule meo celebriter peregi (*Apr.* 10). Ibi tunc Redingus [1587], prudens homo et per omnia cautus, fratri suo et dilectæ sorori suam dividens substanciam : *Habete hæc, infit, vobis, ut, cum me cito* [1588] *corporaliter perdatis, in hac caritate vobis me fidelem fuisse agnoscatis.* In nativitate vero [1589] sancti Johannis baptistæ cum fratre meo abbate Sigifrido [1589] sui, et ibi preposito sepe memorato ultima salutacione valedicens, nil me ad accepiendam reconciliacionem sibi [1589], pro dolor ! exibui, nec [1589] hunc me amplius expetere sensi, et cum eundem, sicut predixi, post [1588] mortuum conperirem, tunc sero hic ingemui, ad quod prius respicere neglexi. Prefuit autem confratribus suis tres annos et 6 ebdomadas, vir pius et sapiens ac nimium fidelis, sepultus in porticu australi juxta monasterium. Huic in sequenti successerat anno (1016?) Gedlo venerabilis pater, quondam scolæ magister sed tunc æcclesiæ custos, in festivitate apostolorum Petri et Pauli ; in quorum vigilia prius obiit Esico inclusus, qui multa ob Christi amorem mutaverat loca [1590]. (f. 158) Zelus Dominicæ domus, quæ est in Christo mater nostra spiritualis, etsi raro, tamen interdum, comedit me ; ideoque, quod modo sum loquutus, me preposito intermiscere operi compellit.

26. Audivi sepius numero, Anglos, ab angelica facie, id est pulchra, sive (881) quod in angulo istius terræ siti sunt, dictos, ineffabilem miseriam a Sueino, Haraldi filio, immiti Danorum rege, perpessos esse, et ad id coactos [1591], ut qui prius tributarii erant principis apostolorum Petri ac sancti patris eorum Gregorii spirituales filii, immundis canibus (882) impositum sibi censum quotannis solverent, et maximam regni suimet partem, capto ac interempto habitatore, tunc hosti fiducialiter inhabitandam inviti relinquerent. Consentiente hoc Domino et ob castigandas quorundam suimet infidelium [1592] culpas hostes predictos ad hoc instigante, tantum insevit persecutor, qui nec suis parcere umquam [1593] didicit ; ille inquam supramemoratus, non rector sed destructor, post mortem patris sui a Northmannis [1594] insurgentibus captus, A solveretur, quia ab occulta pessimorum susurracione se ob [1593] hoc servum nominari comperiret, quod salubriter in paucis ulcisci potuit, hoc impaciens communi dampno, et, si voluisset scire, sibi maxime nocenti, meditatur vindicare (883). Prestatem namque suam hostibus extraneis tunc relinquens, securitatem vagatione, pacem (f. 158') bello, regnum exilio, Deum cœli et terræ diabolo mutavit [1595], et habitata quæque vastando, sic se suorum non empticium neque volentem dominum, sed spontaneum crebro se jactavit inimicum late, pro dolor ! regnantem. Iste autem cum grandi labore sui et contemporalium inter pios [1597] impius [1598] diu conversatus, respectu divino mors multorum morte tarda deprimitur [1599], et fugientibus mox sociis ibi- B dem sepelitur (884) [*an.* 1014]. Quod cum Æthelrad [1600], rex Anglorum, multo tempore ab eodem fugatus, pro certo comperiret, gratias agens Deo, patriam letus revisit, et, collectis in unum cunctis militibus suis, corpus inimicum exterminare conatur. Et ut hoc non fieret, quædam matrona prius per familiares suos ammonita, servatum pignus a terra elevans, etsi indigena, tamen ad patrias navigio direxerat arctos, id est septemtrionalem plagam (885), quæ hoc nomen ab arcturis duabus, hoc est ab ursis minoribus atque majoribus sortitur, quas serpens unus, ut astrologi asserunt, circumdat et dividit.

27. Pars terræ illius tantum frigida est, quantum a solis calore aliena, et mentes incolarum caritatis C geminæ expertes ibi sunt Scithe [1601], qui domos suas secum vehentes, feris et equino lacte pascuntur (886). In hiis partibus est unus rex, Gutring [1602] nomine (887), qui in monasterio Ferdensi sub episcopo ejusdem loci Erpone in clericatu educatus, ad diaconatus gradum pervenit indignus. Sed postquam predictus antistes (f. 159) obiit (888), iste elapsus nomen et ordinem, alter Julianus, [1603] abjecit, et vocabulum Christianitatis solum professus, in multis invenitur longe alienus. Is a suis primo ut est agnitus, illico succipitur, et hereditario honore sublimatur. Quod Deo displicet, nemo laudet, nullus imitetur ; presens fructus ob terrorem futurum spernatur. Et ille rex, servus peccati, filius mortis, non, ut putat, dominatur, sed cotidiano pon- D

VARIÆ LECTIONES.

[1587] rediggus 1*a*. [1588] novæ Corbeiæ monacho *add.* 2. [1589] ne 1. [1590] Prefuit—loca *ipsius Thietmari manu scripta ultimam quaternionis paginam concludunt, idem insequentis quaternionis initio scripsit* Zelus. [1591] coactos 1. [1592] in *erasum* 1. [1593] numquam 1*a*. [1594] norhmannis 1. [1595] ab 1*a*. [1596] mutatum 1*a*. [1597] pos. 1. [1598] *flic vox* libere *expuncta et post erasa in cod.* 1. [1599] deprimitur 1. [1600] æthelhrad 1*a*. *altero* h *expuncto et post cum primo* e *eraso*. [1601] scithi 1*a*. [1602] gulring *corr.* gutring 1 *linea per* 1 *transversa post erasa*. [1603] ordinem, ut ille demonis exemplar Julianus apostata cesar 2.

NOTÆ.

(880) Scil. paschatis.

(881) Cf. Widukind. I, 8.

(882) I. e. piratis Danis.

(883) Conf. Adam. Brem. l. II, c. 21.

(884) Mortuus est Svein, rex Danorum, in Anglia anno 1014 Febr. 2.

(885) Sc. Ræskildiam in Selandia. Conf. hic omnino Lappenberg Gesch. Grossbritanniens I. I, p. 449, sq.

(886) Cf. Horat. III, 24, 9 et Virgil. Georg. III, 463.

(887) Guthrum. Fortasse regum Uplandiæ unus, qualis Gudriodus, rex Gulbrandsdaliæ, qui circa annum 1018 ab Olavo Sancto, rege Norwegiæ, victus et lingua excisa exsulare jussus est. V. Snorra Sturleson Saga af Olafi hinom Helga c. 34, 73, 74.

(888) Obiit ille anno 993.

dere aggravatur; de quo Dominus per Esaiam [1605] clamat: *Filios enutrivi, exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Pro cujus consociorumque ejus conversione et digna curendacione ac perseverancia omnis Christianitas oret, et ne tale quid in membris suis amplius paciatur, Deum imploret. Quamvis de ille hoc solum dicerem, sunt, pro dolor! alii, qui similem subiere sententiam, illud Pauli non attendentes: *Quia melius* [1608] *est viam veritatis non cognoscere, quam post notitiam declinare* (*II Petr.* II, 21).

28. Sed quia nullus ad comprehendendas aquilonaris regionis varietates, quas natura pre cæteris mirabiles ibidem operatur, et crudeles populi istius executiones sufficit, omitto [1606] et de geniminis viperarum (889), id est filiis Suenni persecutoris, pauca edissero. Hos peperit ei Miseconis filia ducis, soror Bolizlavi successoris ejus et nati; quæ a viro suimet (890) diu depulsa, non minimam cum cæteris perpessa est controversiam. Hujus proles multum in omnibus patrissantes, dilecti genitoris corpus delatum flebiliter suscipiunt et tumulant, et quicquid dedecoris (f. 159′) patri suimet ingeri ab Anglis propositum est, paratis navibus ulcisci studebant. Eorum facinora, quæ hiis intulere plurima, me quia latent, preteriens, illud stilo breviter aperio, quod mihi quidam (981) pro veritate sibi cognitum intimavit. Æthelred [1607], rex Anglorum, obiit anno Dominicæ incarnationis 1016, et in mense Julio predicti fratres Harald et Cnut [1608], ac [1609] cum duce suimet Thurguto (892) cumque [1610] 340 [1611] navibus egressi, urbem quandam nomine Lundunam, ubi regina, tristis nece viri suimet et defensoris, cum filiis Ethelsteno ac Ethmundo et duobus episcopis cæterisque primatibus presidio sedebat, circumdant, et naves singulas 80 viros habentes, per flumen, quod Timisi vocatur, ducentes, 6 menses eandem impugnant. Regina autem tunc bello defatigata assiduo nuntios misit, qui ab eis pacem peterent, et quid [1612] ab ea [1613] expescerent, diligenter inquirerent. Respondetur protinus hiis ab inexplendis hostibus, si regina voluisset dare filios suos in mortem, seque cum 15 milibus argenti ponderibus, et episcopos cum 12 milibus et omnibus loricis, quarum milia 24 numerus incredibilis erat, redimere, et ad hæc speranda 300 obsides electos dare voluisset, sibi tantum sociisque suimet pacem cum vita adipisci potuisset; sin autem, omnes ter [1614] clamabant eos [1609] una gladio perituros. Venerabilis vero [1609] regina cum suis hac legatione admodum turbata, post longam estuantis animi deliberationem, se sic facturam [1615] spopondit [1616], et id [1609] cum [1609] prenominatis militibus firmat. (f. 160) Interim confratres duo noctis silentio [1617], in navicula promissum evadentes periculum, quoscumque poterant ad defensionem patriæ et ereptionem matris, hoste adhuc hoc ignorante, congregabant. Sed cum in una dierum Thurgut piratarum dux ad depopulandos fines proximos cum multitudine egrederetur, ex improviso hostibus occurrens eos offendit; et ut eosdem eminus aspexit, socios exortans, viriliter hos [1609] adiit, et ceciderunt utrimque [1618] Æthmun et [1619] Thurgut cum maxima sociorum multitudine. Et nec hiis neque aliis ulla spes optatæ venit victoriæ; sed vulnerati sponte discesserunt, hoc solum gementes, quod sic fortuitis id accidit casibus. Nobis autem scriptura (*Sap.* II, 2.) prohibet credere fatum vel casum aliquid esse. Dani tunc [1609], quamvis imbecilles, socias tamen naves visitant; et intelligentes, urbi solatium ab Æthelsteno superstite et Britannis venientibus afferri, truncatis [1620] obsidibus, fugiunt. Et destruat eos atque disperdat protector in se sperantium Deus, ne umquam solito hiis vel aliis noceant fidelibus! In ereptione civitatis illius gaudeamus, et in cætero lugeamus.

29. Perceepi quoque a relatu predicti hominis Sewaldi factum miserable ac idcirco memorabile, quod perfida Northmannorum manus, duce ad hoc Thurkilo, Cantuariæ [1621] civitatis egreium antistitem, Drosten [1622] nomine (893), cum cæteris caperent, et vinculis et inedia ac ineffabili pœna [1623], more (f. 160′) suo nefando, constringerent [1624]. Hic humana motus fragilitate, pecuniam eis promittit, et ad hanc impetrandam [1625] inducias posuit, ut si in hiis acceptabili redemptione mortem momentaneam evadere nequivisset, semet ipsum gemitibus crebris interim purgaret, hostiam Domino vivam ad immolandum. Transactis tunc omnibus designatis temporibus, vorax picarum caribdis Dei famulum evocat, et sibi promissum celeriter persolvi tributum, minaciter postulat. Et ille ut mitis agnus: *Presto sum*, inquit, *paratus ad omnia quæ in me nunc presumitis facere; ac Christi amore, ut suorum merear fieri exemplum servorum, non sum hodie turbatus. Quod vobis mendax videor, non mea voluntas,*

VARIÆ LECTIONES.

[1605] esaiam *corr.* isaiam 1. [1608] melior 1*a*. [1606] p̄mito *corr.* omito 1. [1607] ath. 1*c*. [1608] conuit 1*a*. [1609] *add.* 1*b*. [1610] que *add.* 1*b*. [1611] CCC et XL 1. [1612] qđ 1. [1613] eis 1*a*. [1614] t 1. [1615] *ita* 1*c*. futuram 1*a*. [1616] spospondit 1*a*. [1617] Etmundus et Edelsteinus reges *add.* 1*c*. [1618] utrique 1*c*. [1619] etmundus rex et dux th. 1*c*. [1620] truncatis 1. [1621] *ita* 1*c*. cantare 1. [1622] dunstan 1*c*. [1623] o *erasum* 1. [1624] constringeret 1. [1625] petrandam 1.

NOTÆ.

(889) Debebat esse: geniminibus, sed desumptum ex Vulgata Matth. XXIII, 33, nec aliter apud Hieronymum ad Jes. 30. WAG.

(890) Sc. Erico rege Sueciæ. Dicebatur illa Sigrid Storrada. Conf. Adam. l. II, schol. 22 et cap. 28.

(891) Sc. Sewaldus, ut liquet ex cap. sequenti.

(892) Nomen illius Thurkil. V. Gesch. Grosb. t. I, p. 450.

(893) De Elphego archiepiscopo, qui anno 1012 hoc modo obiit, non vero de Dunstano, antecessore ejus, dicere voluit noster. Conf. quæ dixi in libro supra laudato t. I, p. 444.

sed dira efficit mihi [1625] *egestas. Corpus hoc meum, quod in hoc exilio supra modum dilexi, vobis culpabile offero, et quid* [1626] *de eo faciatis, in vestra esse potestate, cognosco; animam autem meimet peccatricem Creatori omnium, vos non respicientem, supplex* [1627] *committo.* Talia loquentem profanorum agmen vallavit, et diversa hunc ad interficiendum arma congerit. Quod cum eorum dux [1628] Thurcil a longe vidisset, celeriter accurrens : *Ne, queso, sic faciatis!* infit. *Aurum et argentum, et omne quod hic habeo vel ullo modo acquirere possum, excepta navi sola, ne in christum Domini peccetis, libenti animo vobis omnibus trado.* Tam dulci affatu infrenata sociorum ira, ferro et saxis durior, non mollitur, sed effuso innocenti sanguine placatur, quem communiter capitibus boum et imbribus lapidum atque lignorum infusione (f. 161) protinus effundunt. Inter tot frementium impetus potitus est [1629] cœlesti jucunditate, ut signi sequentis efficatia [1630] protinus testatur. Unus namque inter primicerios membris effectus debilis, agnovit in semetipso, quod deliquit in Christi electo, sicut scriptum est : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19). In hoc Christi athletæ triumpho miseri ejusdem persecutores devicti, Deum et pecuniam a duce [1631] suimet sibi exibitam, et ad ultimum, nisi resipiscant satisfacientes, perdiderunt animam, et ille cum stola, innocentia mentis et corporis hactenus dealbata, et tum [1632] rubro intincta sanguine, divinum placavit obtutum. Hunc intercessorem nos peccatores precibus assiduis acquiramus, et apud majestatem divinam plurimum valere credamus.

30. In supra memorati circuitu [1633] anni (1016) quæ mala christicolis peccati vindex bissextus [1634] intulerit, non sine gravi merore edissero. Magadaburg a Bernhardo marchione (894) cum magna multitudine appetitur in nocte, et ibi miles archiepiscopi innocens capitur et alter vulneratur [1635]. Quarta Idus Februarii et in 6 feria subsequuturæ [1636] signa miseriæ, in ipso noctis crepusculo, tonitrua cum fulminibus et magnis tempestatibus in diversis nocentia locis terribiliter intonuere. Quidam namque confractis a tali impetu domibus obierunt, alii autem vulnerati vix mortem evasere. In silvis cadentibus magnum quoque accidit damnum (895). Palatinus comes Bernhardus paralisi percutitur [1637]. In provincia, quæ Hassegun dicitur, 4 confratres, quorum hæc sunt nomina : Ælli, Burchard, Thiedric et Poppo, a quodam libero, qui Beri dicebatur, milite bono, sepe contempti [1638], collectis agminibus irruentes in eum, non minus (f. 161) quam viros 100 scutatos habentem perimerunt, nonnullis utrimque [1639] oppecientibus (896) (*Jul.* 26).

31. In Longabardia Saraceni navigio venientes Lunam civitatem (897) fugato pastore invadunt, et cum potentia ac securitate fines illius regionis inhabitant, et uxoribus incolarum abutuntur. Quod cum domno apostolico, nomine Benedicto, fama deferret, omnes sanctæ matris ecclesiæ tam rectores quam defensores congregans, rogat ac precipit, ut inimicos Christi talia presumentes viriliter secum inrumperent, et, adjuvante Domino, occiderent. Insuper ineffabilem navium multitudinem tacito premisit, quæ eis redeundi possibilitatem interciperet. Hoc rex Saracenus animadvertens, primo indignatur, et tandem [1640] paucis comitatus navicula periculum imminens evasit; sui vero omnes conveniunt, et adventantes prius irruunt hostes, eosque nox fugientes, miserabile dictu, 3 dies et noctes prosternunt. Respexit tandem Deus, gemitu piorum placatus, et odientes se fugavit et in tantum devicit, ut nec uno de hiis relicto, interfectorum et eorundem spoliorum multitudinem victores numerare nequirent. Tunc regina eorum capta, ob [1641] audaciam viri (898) capite plectitur. Aurum capitale, ejusdem ornamentum, invicem gemmatum, papa sibi pre cæteris vendicavit, postque imperatori suam transmisit partem, quæ mille libris computabatur. Divisa omni preda, victrix turba læta mente ad propria (f. 162) revertitur, et triumphanti Christo digna persolverat odas. Rex autem predictus, morte conjugis et sociorum admodum turbatus, summo pontifici saccum castaneis refertum remisit, et per hunc portitorem, tot se in proxima estate milites sibi esse laturos, intimavit. Percepta hac legatione, papa marsuppium eundem [1642], milio plenum, internuntio talibus dictis reddidit : *Si non sufficiat sibi apostolicam satis læsisse dotem* [1643], *secundo veniat et tot loricatos vel plus se hic inventurum pro certo sciat* (*Prov.* XVI, 9). Ho no cogitat et loquitur, Deus judicat; quem supplici e q isque fidelis orei, ut talem p'agam misericorditer amoveat et necessariam optate pacis securi a e n p'us indu'geat.

32. In insula, quæ dicitur Augia [1644], 17 Kalen-

VARIÆ LECTIONES.

[1625] *add. 1b.* [1626] qd 1. [1627] suplex commito 1. [1628] *add. 1b.* [1629] *ita* 1*b.* optata et 1*a.* [1630] effitia 1. [1631] duci 1. [1632] $\overline{\text{u}}$ 1. *eraso primo* t. [1633] ciritu 1. [1634] *erasum* 1. [1635] Magadaburg — vulneratur *add. 1b.* [1636] subsequture 1. [1637] P. c. B. p. p. *add. 1b.* Burchardus *A. S.* [1638] contepti 1. [1639] utrisque 1*a.* [1640] p. i. e. t. *add. 1b.* [1641] *deest* 1. audacia viri 2. [1642] eidem *aut* idem 1*c*? [1643] lætis sedotem 1 læsisse sedem 2. [1644] augeat 1*a.*

NOTÆ.

(894) Brandenburgensi.

(895) Conf. Ann. Quedlinb., a. 1016.

(896) *Bera cum aliis occisus est.* Kalend. Merseburg., Jul. 26.

(897) Luna, civitas a Saracenis et Nortmannis sæpissime vastata, sita fuit juxta Golfo di Spezzi inter Layenza et Sarzana. Robert Wace in Le Roman de Rou de ejus ruinis testatur et Albertus Stadensis appellat eam Wostelune (Das wüste, verwustete Luna).

(898) Sc. mariti.

das Novembris 9 naves hominibus promiscui sexus tunc inpletæ mari immerguntur. In occidente Lanbertus, Reinherii filius, cum suis victus ab hoste Godefrido [1648], multorum inimicus occubuit (899) [*an.* 10 16 *Sep.* 12]. Non fuit enim [1649] in terra hac tunc [1650] deterior illo, qui multos in æcclesiis cum fune campanarum strangulavit. Quot homines hic exhereditaret vel occideret, nullus explicare valet. Numquam is [1651] de perpetrato facinore penitentiam suscipere curavit. Ille cum fratre suimet Reingerio Wirinharium et ejus germanum Reinzonem pariter occidit (900). Hujus pater [1652] ad Boemiam ab Ottone in exilium missus (901), ibidem moritur. Ipsa eorundem patria (f. 162) viventes doluit, amissos gaudet. Hoc dumtaxat conqueri debemus, quod eo die propter nocentem ex utraque [1653] parte congredientium tot inculpabiles ceciderunt.

33. Cæteræ vero [1654] in hiis partibus strages [1655], pro dolor! in illis temporibus evenere. In regno namque [1656] pacifici et per omnia venerabilis Rotberti [1657] regis, comprovinciales hii mutuo confligentes, interfecti sunt plus quam tria hominum milia. Nec est a me pretereundum, quod post hæc accidit inexuperabile [1658] damnum. Namque avunculus [1659] meus, comes Heinricus, in Christo et in hoc seculo multum valens, gratulabundus justa senectute et bono [1660] fine, utriusque debitum persolvit naturæ 6 Nonas Octobris (902). Insuper Wigmannus comes, utilis in omnibus patriæ, ortatu secundæ Herodiadis miserabiliter servili presumptione corruit. Sed unde hoc evenerit, lugubri sermone aperiam (903). Inter predictum et comitem Baldricum longa fuit contentio, quæ Baldricum sepe in prelio devictum mutuo in tantum humiliavit, ut inter cæteros primates cum magno versaretur dedecore. Omnem suimet prosperitatem Wigmannus equo ferens animo et divine [1661] asscribens clementie, pacis federe discordiam diu insanientem sedare meditatur, et hostem amicabili peticione ad domum suam vocans, convivio et munere accepto placat, et ab eodem ad confirmandum inceptæ dilectionis vinculum invitatur, insibilante hoc per uxorem suam antiquo serpente, ut qui per vim numquam (f. 163) capi potuit, dolosi saltim retibus ingenii vinceretur. Tunc convivebat laudanda simplicitas herilis animi, quod poposcerat simulata equitas fallentis amici. In primis optime suscipitur, et ilico infecta veneno potione turbatur. Post hoc nimio dolore protinus ingravescente, sequentem ibi vix exspectabat diem, et ut bene remuneratus et caritative salutatus abiit, militibus suis ibidem dolose tardatis, a quodam servo furtive prosternitur (904), presente ejusdem seniore Baldrico, et hoc nullatenus ulciscente. Tunc unus ex suis comitibus, ut nefandi sceleris auctorem occidit, mox interfectus oppetiit. Fugiente tum Baldrico et conscientiam in hoc manifestante, miseria talis fama vulgante dilatatur, et Thiedricus [1662], sanctæ Mirmingendensis æcclesiæ presul, materteræ meæ [filius [1663]], juxta qui [1664] exspectabat, primus advenit, ac dilecti obitum amici merore questus insolabili, corpus usque ad Fretheni civitatem (905) comitatur, et hoc ad patres suos collocare sumopere studuit.

34. Dehinc missis per omnem hanc regionem suimet nuntiis, ipse comprovinciales et affines hæc ad vindicanda excitat, et cum valida manu urbem predicti [1665] hostis, nomine Upplan [1666] (906) possedit, contigua devastans loca et igne consumens. Advenit tandem Bernhardus dux, nepos meus, qui jure filii prefati comitis adhuc parvuli (907) et tocius hereditatis tutor et nefandi criminis ultor extiterat; et hic tristes [1667], quantum valuit, milites solatur; cum cæteris fautoribus (f. 163) urbanos nocte dieque lacessat. Interim imperator a Burgundia, ubi magnam estatis partem morabatur, digressus, ut primum omnem rei eventum comperit, navigio illuc pergere festinavit, et in illo itinere Gevehardus, Heriberti comitis filius, nepos meus, regiæque [1668] majestati tunc multum acceptus, ac omni probitate precipuus, obiit (908) [*an.* 1016, *Nov.* 8], imperatorem et omnes in hiis partibus constitutos tristes post se [1669] relinquens. Archiepiscopus autem Coloniensis [1670] Heribertus, multum ex parte sui militis Baldrici sollicitus, imperatorem sepe interpellat, quo urbem diu possessam suæ vellet subdere [1671] potestati; cujus assidua peticione imperator devictus consensit. Hoste jam tunc cesaris abeunte, urbs Upplun dicta [1672] omnino destruitur, et cometissa

VARIÆ LECTIONES.

[1648] *add.* 1*b*. [1649] frater 1*a*. [1650] utra 1. [1651] strage 1. [1652] *erasum* 1. [1653] inexuperale 1. [1654] aunculus 1. *in hoc libro plerumque scribit.* [1655] bona 1*a*. [1656] divina a. clementia 1*a*. [1657] thredricus 1*a*. [1658] *ita supplevi, quamvis plura deesse videri possint.* [1659] predictam *corr.* predicti 1. [1660] *ita* 1*a. corr.* tristis. [1661] que *add.* 1*b*. [1662] post se *add.* 1*b*. [1663] coloensis 1. *ut jam supra.* [1664] subbere 1. [1665] u. d. *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(899) Sc. in pugna apud Florinas, Fleures, Septb. 12. Conf. Balderici Camerac. Chron., l. III, c. 9 et 12; Ann. Leod. et Lob.

(900) De Warnero et Raynoldo vide Baldericum l. I, c. 94.

(901) V. Baldericum l. l.

(902) V. Ann. Quedlinb., a. 1016; Necrol. Luneb., Octob. 2; Kalend. Merseb., Octob. 1.

(903) Conf. Alpertum l. II, c. 12; Ann. Quedlinb., a. 1016.

(904) Kalend. Merseb., Octob. 5; Ann. Hildesh. h. a. Octob. 6; Necrol. Luneb., Oct. 9.

(905) Vreden in districtu Münster.

(906) Upplan, Uplun, Uflahun, Ubladium, in pago Hamalant, ubi postea comitatus Zutphaniæ, juxta abbatiam Eltene olim sita, nunc desolata est. Vide Vitam Meinwerci, cap. 34; Chron. Gottwic. t. I, p. 619; Alpertum l. I., c. 13. URS.

(907) Wichmanni IV de quo v. Wedekind Noten t. II, p. 75; t. III, p. 56.

(908) V. Kalend. Merseb., Novb. 8.

ibidem diucius [1665] turbata, cum omnibus quæ habebat, pro dolor! servatur. Omnis maledicio, quam [1666] sibi beatus Job inprecatus est, huic talem promerenti eveniat. In presenti tempore tantum mali percipiat, ut in futuro veniam saltem sperare liceat. Quicumque in auxilium ejus in hoc [1667] umquam asspiret, convertatur ad Deum, et se vehementer peccasse confessus, ad emendationem condignam festinet: quia sibilo venenosæ aspidis caret æcclesia tanti defensoris. In hoc autem anno Thiedricus antistes (909) et Hirimannus comes, Gerbergæ filius, de inani re mutuo certantes, sua vastabant. Dehinc amicis persuadentibus ac maxime jussu imperatorio sedati, presenciam cesaris utrimque prestolabantur [1668].

55. (f. 164.) Anno Dominicæ incarnationis 1017, Kalendis Januarii Gero archiepiscopus jussu imperatoris Bernhardum marchionem nudis pedibus emendationem sibi promittentem suscepit et æcclesiæ presentavit, solutis omnibus bannis ab eo inpositis [1669]. Imperator a Palithi, ubi celebravit natale Domini, exiens [1670], in Altstidi epiphaniam Domini sollempniter peregit, et in sacra nocte eadem [1671] Frithericus comes, fidelis Christo et seniori suo, obiit in civitate sua Ilburg dicta. Hic quia sapiens erat et sibi finem hujus vitæ jam appropinquare cernebat, predictam civitatem fratris suimet (910) filio, nomine Thiedrico, ea racione dedit, ut cum laude sua, quia heres suimet fuit et aliter hoc legitime fieri non potuit, liceret sibi tribus suis filiabus predium omne, quod remansit, tradere. Hujus comitatum et super Siusili pagum potestatem ille Thiedricus inperatoris munere post [1672] suscepit. Fit publicus principum in Altstidi conventus; inter Bernhardum marchionem et patrui memet filios litigium cum emendatione sibi accepta et juramento pacificatum est. Inter Thiedricum antistitem et Hirimannum comitem inimiciciæ diu exortæ, et odium, quod erat inter Eggihardum et confratres, Udonis filios senioris, usque in tercias Octobris Kalendas [1673] ab imperatore sedatum est. Ibi etiam promisit Geroni archiepiscopo Bernhardus marchio 500 argenti talenta pro dampni recompensatione inlati. Optima quæque imperator ibi diu conversatus fecit. Fit pax inter Gevehardum et Willehelmum comites. Nuntii de Italia huc venientes gratulabundi ad sua redeunt. Iter imperatoris ac occidentem dispositum ob viæ asperitatem dilatum est. (f. 164') Imperator hoc, quod ex parte Bolizlavi rogatur, laudat [1674], convenisse ad eum principes suos; et si quid boni vellet sibi exhibere, cum eorum consilio libenter acciperet. Mittuntur invicem nuntii, et induciæ ponuntur.

36. Cesar interim ad Merseburg veniens, certitudinem rei hujus exspectabat. Ibi tunc multi latrones a gladiatoribus singulari certamine devicti, suspendio perierunt. Et archiepiscopi duo, Erkanbaldus [1675] (911) et Gero, et Arnulfus antistes cum comitibus Sigifrido ac Bernhardo [1676] cæterisque principibus juxta Mildam fluvium quatuordecim dies sedebant, Bolizlavum per internuntios sui net ad Albim venire rogantes ad colloquium a se diu desideratum. Et hic tunc erat Sciciani (912), et ut legationem audivit, se ob timorem hostium suimet illo venire dixit nullatenus audere. Et nuntii: *Quid si*, inquiunt, *seniores nostri ad nigram veniunt Elstram, quid facis?* Et ille: *Nec pontem hunc*, infit, *preterire volo.* Talibus dictis reversi sunt, dominisque [1677] hæc omnia intimabant suis. Imperator autem purificationem sanctæ Dei genitricis nobiscum celebrat. Post hanc episcopi et comites ob contemptum Bolizlavi se fallentis tristes adveniebant, et imperatoris mentem apertis legationibus incendunt. Ibi tunc de futura expeditione tractatur, et fidelis quisque ad hanc preparari [1678] monetur, et ut ullus intra nos et publicum hostem deinceps mitteretur nuntius vel susciperetur, firmiter ab augusto (f. 165) prohibetur [1679], et quis hoc hactenus agere presumeret, diligenter inquiritur.

37. Dehinc imperator a nobis proficiscens, ad Magadaburg venit (*an.* 1017, *Febr.* 9), magno ibidem susceptus honore. Postera luce, id est dominica die (*Febr.* 10), quia septuagesima tunc instabat, carnem deposuit (913). Et in 2 feria (*Febr.* 12) archiepiscopus capellam septemtrionalem benedixit, presente imperatore. In proxima autem die oritur commocio inter socios archiantistitis et Bernhardi marchionis, quæ sine periculo sedatur et episcopo honorifice finitur. Conveniunt ibidem fures jussu imperatoris, et a congredientibus devicti, laqueo traduntur. Multa salutem patriæ respicientia ibidem finiuntur. Inde Gunterius [1680] conversus causa Liuticios predandi ivit [1681] (914). Sed eum ego multa sepe questus sim imperatori de parte meimet parrochiæ ab æcclesia Misnensi injuste ablata et scriptis restituta, cumque bona inde mihi profutura sperarem, aliter quam ratus sim hoc evenire cognoscebam. Namque in

VARIÆ LECTIONES.

[1665] diviciis 1*a*. [1666] quas 1. [1667] in hoc *add.* 1*b*. [1668] *ita A. S.* prestobantur 1. [1669] mill. XVII — inpositis *add.* 1*b*. [1670] exigens 1. [1671] *add.* 1*b*. [1672] cias oct. kl. *in loco raso* 1*b*. [1673] erkinbaldus 1*a*. [1674] ac b. *add.* 1*b*. [1675] que *add.* 1*b*. [1676] preparare 1*a*. [1677] prohibitur 1. [1678] i *erasum* 1. [1679] Inde — ivit *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(909) Monasteriensis add. Ann. Saxo., a. 1017.
(910) Sc. Dedi de quo v. supra l. VI, c. 33, sq.
(911) Moguntinus.
(912) V. l. VI, c. 45.
(913) l. c. carne vesci desiit, jejunare cœpit Urs.
(914) Conf. Vitam Gunterii apud Canisium in Lection. antiq. t. III, p. 185-189 et actis Sanctorum ad Octob. 9. Item Ann. Sax., a. 1008, 1008.

cathedra sancti Petri, quæ est 8 Kalendas Marcii, A cum sederet imperator et presentes episcopi adessent Gero, Meinwercus, Wigo et Ericus et Eilwardus, surrexi et lamentationem meam feci. Tunc imperator et archiantistes, a quibus sperabam auxilium, jusserunt mihi, Deus scit invito, qui hiis resistere non presumpsi, ut parrochiam in orientali parte Mildæ fluminis jacentem, id est in burgwardis [1678] Bichni et Vurcin Eilwardo concederem, et quam ille in occidentali ripa tunc [1679] teneret, (*f.* 165) mihi hoc numquam desideranti relinqueret. Id concambium baculis firmavimus mutuis. Testificor coram Deo et omnibus sanctis ejus, id quod residuum fuit, tunc nullo modo dereliqui. Jussit quoque imperator, ut villas [1680] tres, quæ sub prædicto erant episcopo Hirimannus marchio aut Misnensi æcclesiæ sacra- B mento retineret aut mihi redderet.

38. Eodem die imperator et contectalis sua a Gerone archiepiscopo magnis honorantur muneribus. Crastinoque [1681] (*Febr.* 24) inde pergentes, tercia die, id est dominica, ad Halverstidi pervenerunt; quos ibi Arnulfus presul magnifice succepit, et duas noctes secum [1679] habuit; 3 feria ad Quidilingeburg profecti, ab Ethelhida venerabili abbatissa non minori gloria ornantur. Quarta die monasterium in occidentali monte situm [1679], ubi sponso cœlesti sanctimoniales monachico [1682] habitu serviunt, ab Arnulfo antistite presente augusto dedicatum est 5 Kalendas Marcii (915), auxiliante eum ad hoc Gerone archiepiscopo cæterisque confratribus (*Febr.* 27). Ibi tunc inperator talentum auri dedit ad altare. C Inde tunc percepta a nepte sua caritate magna ad Goslerriam [1683] tendens [1684] villam, ibidem 4 sedebat ebdomadas [1685]; hanc enim tunc multum excoluit [1686]. Et quia tunc Quadragesima fuit, quæ Christo oportebant et seculo in multis necessaria erant, operari studuit. Post hæc Bertoldus, Liutharii filius, cum suis fautoribus urbem Munnam Kalendis Aprilis conducto custode diluculo (*Apr.* 1) intrans (f. 166), Baldricum [1679], Wigmanni comitis inclitum satellitem, cum consociis diu repugnantem, occidit, victorque insedit (916).

39. Pridie ego ad Misni presidio veniebam. In hac ebdomada [1687] principes nostri edictu cesaris ad Gosleri conveniunt, ibique [1688] tunc avunculo [1689] meimet Sigifrido comitatus fratris Heinrici com- D mendatur, et expedicio in nostris partibus ordinatur, cæteraque patriæ periclitantis proficua et admodum necessaria disputantur (917). Imperator inde progressus, hoc malum, quod predixi, primitus comperiens, de futura perturbacione sollicitus fuit. In illo vernali tempore et in Bernhardi marchionis potestate nascitur ovis cum 5 cruribus. In mense Aprili et 6. Idus ejusdem cum jam plenalunium esset, luna a multis visa est ut nova [1690], hora diei tercia diu rutilans [1691]. Palmas (*Apr.* 14) rex celebrat Magoncia [1692] et in Ingilnenem pascha, et in his partibus magis honorifice ac potestative numquam fuit [1693]. Et quia ob tantam sollempnitatem (*Apr.* 21) maxima ibidem finiri [1694] non poterant, ad Aquasgrani ponitur conventus, et tunc illic cum consilio Heriberti archipresulis Thiedricum Metensem episcopum et Heinricum fratrem ejus placavit. Regina autem [1695] a Froncanavordi a cesare discedens, cum ad locum, qui Capungun dicitur, veniret, infirmatur, et ibi tunc Deo promisit, se ad laudem ejus unum facturam monasterium [1696]. Sed quod inter hæc accidit, hiis adnecti [1697] haud incongruum est.

40. In urbe Parthenopolitana duæ consorores fuere, quarum prior Alwred et junior Irmingerd dicebatur. Ambæ admodum (*f.* 166) laudabilis vitæ, non cum cæteris sanctimonialibus conversando, sed singulariter in æcclesia, quæ Rotunda dicebatur, Christo ejusque dilectæ genitrici sedulum exhibebant obsequium. Junior autem exteriorum lumen oculorum perdens, interiori aciæ eterno fruitur splendore, et non longe post ad patriam semper optatam 6 Idus Februarii transiit. Hujus senior germana nepti suæ innixa [1698] Fritherunæ, et crebro amissæ sororis et assiduæ infirmitatis dolore deficiens, nil nisi 14 ebdomadas et tres dies supervixit (918). Hæc pridie [1699] quam carnis debitum persolveret in excessu mentis effecta, in presentiam sanctæ Dei genitricis delata est, ubi Taginonem et Walterdum archiepiscopos et Æidum presulem venerandum magno lucentes honore sibi indulgere promeruit. Cognovit quoque ibidem materteras Geronis archiepiscopi, Mirisuidam ac Emnildam (919) et Eddilam [1700] nomine, quæ abbaciam relinquens suam, Christi amore juxta monasterium doctoris gentium Pauli Romæ includitur, et aliam, quæ Odd [1701] dicebatur, omnes illud spalmographi canentes : *Placebo Domino, in regione vivorum* [1702] (*Psal.* CXIV,). Interim presentibus cunctis hæc mortua videbatur; tandem expergiscens et oculos elevans, quod vidit omnibus innotuit : *Hactenus*, inquiens, *vobiscum libenter*

VARIÆ LECTIONES.

[1678] burguardiis 1*a*. [1679] add. 1*b*. [1680] uuillas 1*a*. [1681] que *add*. 1*b*. [1682] monachito 1. [1683] Goslariam 1*c*. [1684] tetendens 1*a*. [1685] ebdomos 1*a*. [1686] quam et edificaverat *add*. 1*c*. [1687] ebdomo *corr.* ebdoma 1. [1688] que *add*. 1*b*. [1689] avinculo 1. [1690] scilicet cum est prima *add*. 2. *A. S.* [1691] In mense — rutilans *add*. 1*b*. [1692] m. et in i. 1*b*. *in loco raso*. [1693] n. f. *add*. 1*b*. [1694] finire 1*a*. [1695] cunigundis *add*. 1*c*. [1696] canonicarum, quod postmodum perfecit et vocatur confugiensis eclesia *add*. 1*c*. [1697] et necti 1*a*. [1698] innixta 1. *adraso* t. [1699] pdie 1. [1700] Mirisuidam — Eddilam *add*. 1*b*. [1701] odila 1*a*, oda *A*. 2. [1702] omnes — vivorum *add*. 1*b*.

NOTÆ.

(915) VIII Kal. Mart. secundum Ann. Quedl., a 1017, et Chron. Sax.

(916) Aliter hæc tradit Alpertus l. I., c. 15, sq.

(917) Imperatorem Mart. 26. Goslariæ fuisse, ejusdem charta quædam testatur.

(918) In Necrolog. Luneb. ejus nomen ascriptum est Mart. 18.

(919) V. supra l. IV, c. 11.

commorabar, nunc consideratis multo melioribus hiis, piget in hac lutea me [1703] *amplius manere casa. Dicam vobis in veritate, quod cras vos relictura, locum mihi preordinatum* (f. 167) *munere divino possidere debeo.* Sicque factum est. Transiit autem anima ejusdem in Christo felix 11 Kalendas Junii (920). Hoc verum esse, fratres in Christo, mihi credite, et has æclesiæ adjutrices nostræ admodum utiles esse, pro certo scitote. In suas orationes sanctas me peccatorem hæ succeperunt, et nil umquam boni ex mea parte, pro dolor! receperunt.

41. Inperator autem audiens contectalem suam levius habere [1704] et votum Domino fecisse, grates Christo persolvit ex animo, et pentecosten (*Jun.* 9) in Wirthunu, quam primo sanctus Dei sacerdos Liudigerus suis construxit inpensis, venerabiliter celebravit, abbate Hethenrico [1705] sibi pleniter ibidem servienti. Postera die, id est 4 Idus Junii, Thieddegus, Pragensis antistes [1706] ac martiris Christi successor Æthelberti [1707], viam universæ carnis fideliter adiit. Hic in nova educatus Corbeia, medicinali arte optime instructus [1708] est. Quem Bolizlavus senior ob inobedientiam Christi preconis paralisi percussus, licentia Thietmari abbatis vocavit, ejusque magisterio levius [1709] habere cepit. Sed lampas ardens Woitegus [1710], cum ex hujus mundi caligine, ut predixi (921) subtraheretur, auxilio prefati ducis sedem suam is a tertio Ottone ad regendum suscepit; de qua post mortem Bolizlavi senioris ab equivoco ejus et filio sepe expulsus, toties a marchione Ekkihardo reducitur, et magnas patitur injurias. Hic [1711] hospites, ut sanctus jubet Gregorius non solum ad (f. 167) se invitavit, sed etiam traxit, hoc maximum habens vitium, quod ob morbum sibi innocentem [1712] bibebat supra modum. Paraliticus enim erat, manuum tremore [1713] assiduo sine astantium auxilio presbiterorum missam cane.e non potuit; sicque usque ad finem languescens, bonis, ut spero, animam curabat medicaminibus.

42. Interea Mararenses [1714] Bolizlavi milites magnam Bawariorum catervam dolo circumvenientes incautam occidunt, dampnum [1715], sibi ab eis illatum prius, ad partem haud exiguam ulciscentes [1716]. Cesar vero ad orientem tendens, inperatricem ad se in loco, qui Pathrebrunnun [1717] dicitur, venire jubet (922). Inde ambo usque ad Magadaburg profecti, a Gerone archiepiscopo honorifice suscepti sunt. In sequenti vero nocte, id est dominica, et Nonas Julii, tempestas ingruit horrida, homines cum pecoribus simul et ædificiis ac frugibus late consumens. Immensus quoque fragor silvas concutiens vias omnes nimis occupabat. Postera die inperator cum conjuge et exercitu Albim transiens, ad Liesca (923), curtem quondam Vigonis episcopi (924) et tunc feris innumerabilibus inhabitatam venit, duasque ibidem noctes in castris sedens, tardantem turbam expectavit. Et post hæc regressa inperatrice cæterisque compluribus, ipse turmatim processit. Ipsa vero die Heinricus, quodam Bawariorum (f. 168) dux, a Bolizlavo, quo pacis firmandæ gratia perrexit, cum nunciis ejusdem rediit; quem inperator audita referentem, sua iterum legacione remisit, nilque ibi proficientem, ad dominam et sororem suam abire sinit.

43. Interea in monte sancti Johannis baptistæ, qui juxta Parthenopolim positus eidem est cum appertinentibus universis subditus, res admodum miserabilis 12 Kalendas Augusti et dominica nocte accidit. Horum in dormitorio confratrum lucerna quædam ardens major solito illuxit, et proxima occupans, hoc, ibidem quiescentibus id sero intelligentibus, voraci flamma consumpsit. Et cum tale periculum omnes evaderent, unum ex hiis causa sacerdotalem eripiendi apparatum subito regressum, et in medio ignis peccata suimet confitentem perdiderunt. Hujus nomen erat Hemico [1718] (925). Dehinc monasterium ab ejusdem loci abbate Sigifrido 8 annos optime elaboratum ardens, presentium posteaque advenientium corda turbavit. Insuper duas ejusdem capellas cum refectorio cæterisque adherentibus officinis ignis late flagrans absorbuit; de cujus avaris faucibus divina pietas et confluentium summa devotio omnes sanctorum reliquias et maximam thesauri [1719] partem eripuit. Facto autem mane, urbis predictæ habitatores et qui ibidem presidio ab imperatore relicti fuerant, conveniunt, (f. 168) detrimentum tale nimio merore conquesti. Corporis autem perusti tenues favillas mane confratres sumopere colligentes, suis apposuere predecessoribus; abbatique suo tunc absenti per internuntium [1720] suimet eventum miserabilem indixere. Qui ut hæc comperit, suis specialiter accidisse peccatis cognoscens, quia emendare nequivit, honesta gravitate tulit.

VARIÆ LECTIONES.

[1703] *add.* 1*b*. [1704] haberi 1. [1705] heinrico 1*a*. [1706] antistites 1*a*. [1707] ath. 1*c*. [1708] istructus 1. [1709] levuius 1*a*. [1710] *ita in loco vacuo* 1*b*. [1711] Hac 1*a*. [1712] in *erasum* 1. [1713] tremorem assiduum *corr.* tremore assiduu 1. [1714] mor. 1*c*? [1715] num sibi — imperatricem *in loco raso* 1*b*. [1716] ulcisciscentes 1 [1717] pathelb. 1*a*. [1718] heumuco 1*a*. [1719] tesauri 1*a* teshauri 1*b*. [1720] per in nuntium 1.

NOTÆ.

(920) V. Kalend. Merseburg., Mai. 22.

(921) Lib. IV, c. 11.

(922) Imperatorem ibi jam Jun. 10 fuisse, ejusdem charta testatur.

(923) V. supra l. IV, c. 14. De conventu ibi habito v. Vitam Meinwerci c. 42, et chartam imperatoris anno 1017, Jul. 10.

(924) Wigo episcopus tunc adhuc in vivis fuisse videtur. Teste Necrol. Luneburg., obiit Jan. 14. Sed defunctus fuit, quando Thietmarus hæc scripsit.

(925) In Necrol. Luneb. vocatur Hemmo.

44. Dum hæc aguntur, Miseco, Bolizalvi filius, A Boemiam absencia Othelrici ducis sui minus solito repugnantem cum 10 legionibus invadens, duos dies predatur eandem, et cum innumerabili captivorum multitudine[1721] reversus, patrem gaudiis replevit inmensis. Cesar vero cum exercitu suo et Boemiorum atque Liuticiorum comitatu immenso obvia quæque devastans, 5 Idus Augusti ad urbem Glogunm, ubi Bolizlavus cum suis eos[1716] prestolatur, sollicitus venit, et provocantem inter sagittarios latitantes hostem nostros persequi prohibuit. Inde electas ab exercitu valido[1722] 12 legiones ad urbem Nemzi (926), eo quod a nostris (927) olim sit condita[1723], dictam premisit, quæ habitatoribus hiis venturum preoccuparent auxilium. Quibus castra metatis, hostes adventare rumor indixit; et in nocte B tenebrosa ac in magna imbrium effusione hos ledere nequaquam valentes, quosdam effugarunt, nonnullosque civitatem intrare inviti paciebantur. Posita est autem hæc in pago Silensi, vocabulo hoc a quodam monte nimis excelso et grandi olim sibi indito[1724] (928); (f. 169) et hic ob qualitatem suam et quantitatem, cum execranda[1725] gentilitas ibi veneraretur, ab incolis omnibus nimis honorabatur. Imperator autem post tres dies ad eandem cum exercitu valido veniens, castris eandem undiquesecus circumdari jubet, sperans sic omnem hosti suo claudere accessum. Sapiens ejusdem consilium et in omnibus bona voluntas multum ibi prodesset, si in efficiendis rebus auxiliantium sibi affectus hunc C adjuvaret. Nunc autem per omnes custodias presidium urbi in noctis silentio advenerat magnum. Tunc omnigenorum[1726] species instrumentorum a nostris parari jubentur, et mox ex parte contraria hiis admodum similia videntur. Numquam audivi aliquos, qui meliori pacientia ac prudentiori consilio se umquam defendere niterentur. Ex parte gentili crucem sanctam erigebant, ejusdemque auxilio hos vinci sperabant. Si quid[1727] hiis prosperi accidit, numquam exclamabant, nec adversitatem aliquo gemitu ingravescente aperiebant. Interim Mararenses Boemiam ingressi, urbem quandam expugnant, et cum preda ingenti incolumes exibant. Quod cum marchio Heinricus hos petere cum exercitu conatus audiret, festinus insequitur; et occisis ex eorum numero D plus quam mille viris, fugientibusque cæteris, captivitatem hanc omnem solutam domum remisit. Neque tacendum est quod alii milites Bolizlavi urbem Belegori dictam 18 Kalendas Septembris aggressi, et bello eam inpugnantes diutino, Deo gratia! nil proficiebant. Liuticiorum autem magna multitudo, quæ domi fuerant, quandam civitatem prefati ducis petierunt. Ibique[1728] plus quam (f. 169') 100 socios perdentes, cum ingenti tristicia remeabant, posteaque ejusdem bona multum vastabant.

45. Hiis quoque adjiciam mortiferum Godefridi ducis et Gerardi comitis congressum. Illi namque diu invicem discordes certum condixere diem, qua cum suis fautoribus hæc certo duelli judicio discernerent. Mense Augusto ac 6 Kalendas Septembris[1729] in quadam prati florentis condicta[1730] planicie confligebant (929). Sed superbiam Gerardi humilitas Christi molliens ac socios ejus in fugam subito vertens, non minus ex hiis quam 300 prostravit viros, ex quibus fuit unus Walteri Pulverel nomine[1730], eo quod in favillam sibi contraria redigisset vocatus, habitu clericus, sed re latro eximius. Hic centurio lacu cum suis clauditur uno, et tunc saciatus jacuit in prelio, cui nunquam suffecit sanguinis effusio. Nam perhibent populi, hunc dumtaxat[1730] cum lætitia duxisse diem, quo hastam suimet humano cruore aspersam, et domus Domini, quibus alii pepercere maligni, incensas ruere vidit. Hic Burgundia genitus, et a predicto comite quondam captus, non prius ab eo potuit absolvi, quam se eodem[1731] semper auxiliaturum ac loco devoti militis ei serviturum sacramentis sanxivit. Ergo huc vocatus venit, sed ad perpetrandum soliti facinoris aucmentum divina tardatus miseracione, non rediit. Capti sunt autem tunc ex parte senioris sui Sigifridus, ejusdem filius, nepos autem imperatricis nostræ, cum Balderico aliisque quam (f. 170) plurimis. Sauciatas est ibi Cono (930), cui jam inlicite nupsit neptis sua, Ernasti ducis vidua[1732]. Predictus vero dux nil nisi 30 milites perdidit, et hos elegantes.

46. Interea perfectis omnibus instrumentis, cumjam ibi tres sederet ebdomadas cesar, ad urbem (931) pugnare jussit, et hæc omnia injecto a propugnaculis igne celeriter ardere vidit. Post hæc Othelricus cum suis urbem ascendere temptans, nil profecit. Tunc Liutici similia aggressi dejiciuntur. Cesar autem videns exercitum infirmitate depressum, in urbe capienda in vanum laborare, iter suum nimis arduum ad Boemiam direxit; ibique ab ejusdem provinciæ

VARIÆ LECTIONES.

[1721] militudine 1. [1722] valida 1*a*. [1723] eo — condita *add.* 1*b*. [1724] posita — indito *ipse Thietmarus scripsit in extremis fol.* 168 *lineis* [1725] *ita A. S.* exequanda 1. [1726] omnigenarum 1. [1727] quod 1. [1728] que *add.* 1*b*. [1729] ac — Septembris *add.* 1*b*. [1730] *add.* 1*b*. [1731] eidem 1*c*. [1732] Sauciatus — vidua *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(926) Nimptsch juxta fluvium Lohe, inter Reichenbach et Ohlau.

(927) Nox Niemez Slavis est mutus sive peregrinus, qui eorum linguam non intelligit; ideoque præsertim Teutonicus.

(928) Mons Zlenz, mons Silentii, hodie Zobtenberg a villa Zobten vocatus. Conf. K. Zeuss *Die Deutschen und die Nachbarstämme* pag. 663.

(929) Cogitasse videtur noster de pugna apud Florinas, de qua v. supra cap. 32. De bello hoc Gerardi v. Baldericum l. III, c. 11.

(930) Conradus II imperator futurus; qui duxerat Gisel.m, Hermanni ducis Alamanniæ filiam, Ernesti ducis Alamanniæ viduam.

(931) Sc. Nimptsch.

injusto[1732] duce Othelrico susceptus, decenti munere honoratur. Interim marchio Heinricus, amitæ meimet filius, longa egrotacione vexatus, 14 Kalendas Octobris, orientalium decus Francorum, obiit, et in septemtrionali parte monasterii in Suinvordi civitate sua positus, ab episcopis[1733] tribus, Heinrico, Evurhardo et venerabili Riculfo (932), extra ecclesiam, ut ipse peciit, juxta januam[1734] sepultus est. Hoc cesar in Misni comperiens, multum doluit.

47. Bolizlavus vero in Wortizlava[1735] civitate eventum rei sollicitus[1736] expectans, cum imperatorem abisse urbemque suam incolomem stare audiret, lætatur in Domino militibusque congaudet in sæculo[1737]. Pedites autem illius plus quam sexcenti[1738] Boemiam (f. 170) clanculum petentes, predamque sibi more solito inde sperantes, quem hostibus laqueum extendre, paucis excedentibus, incurrere. Sed Liutici redeuntes irati, dedecus deæ suimet illatum queruntur. Nam hæc, in vexillis formata[1739], a quodam Herimanni[1740] marchionis socio lapide uno trajecta est; et dum hoc ministri ejus imperatori dolenter retulissent, ad emendationem 12 talenta perceperunt. Et cum juxta Vurcin civitatem Mildam nimis effusam transire voluissent, deam cum egrejo 50 militum comitatu alteram perdidere. Tam malo omine residui domum venientes, a servicio cæsaris se malorum instinctu abalienare nituntur; sed habito post communi suimet placito, a prioribus suis convertuntur. Laborem istius itineris et commune detrimentum quis umquam valet explicare? Inexsuperabilis Boemiæ regionis introitus, sed multo deterior ejusdem fuit exitus. Facta est hæc expedicio ad perniciem hostis; sed crimine nostro multum lesit victoribus nostris. Quod enim tunc in nobis non licuit inimicis, peractum est postea criminibus nostris. Defleam quoque, quod Bolizlavi satellites inter Albim et Mildam facinus perpetrabant. Namque hii jussu senioris sui velociter egressi, 13 Kalendas Octobris (f. 171) plus quam mille mancipia in hiis partibus sumpserunt, plurimaque incendio late consumentes, prospero itinere revertuntur.

48. Imperator autem Kalendis Octobris Mersburg venit, ibique Ekkihardum, Novæ civitatis abbatem, et huic 23 annos et 5 menses presidentem, Pragensi prefecit æcclesiæ, eundem 2 Nonas Octobris[1741] ab Erkænbaldo archipresule consensu meo consecrari precipiens. Ibi tunc Bolizlavi nuncius Liudulfum juvenem diu captivum remitti promisit, suosque milites apud nos firma detentos custodia pro ejus liberatione relaxari peciit; et si aliquem imperatori nuncium de acquirenda ejusdem gratia mittere licuisset, diligenter inquirit. Assiduo principum suimet interventu cesar hiis omnibus assensum prebuit, et tunc primo comperit Ruszorum[1742] regem, ut sibi per internuncium[1743] promisit suum[1744], Bolizlavum peciisse, nilque ibi ad urbem possessam proficisse. Hujus regnum prefatus dux postea cum exercitu invadens, generum suimet et fratrem ejus diu expulsum inthronizavit et hilaris[1745] rediit. Imperator a nobis exiens tria dedit dorsalia et urceum argenteum[1746]. Inde ad Alstidi venit, ibique omnium memoriam sanctorum digna veneratione celebravit, et tunc in (f. 171) eodem die Herdingus, Novæ civitatis ab imperatore ibidem constitutus abbas, a Gerone archiepiscopo consecratur. In sequenti dominica die, id est tercia Nonas Novembris, cesar quoddam predium Rogalici (933) vocatum, quod tunc ab Hatholdo milite sibi placito acquisivit concambio, confratribus nostris in Merseburg Christo famulantibus dedit, et lucum quendam, ab Hagero[1747], predicti senioris germano, 10 talentis argenti comparatum, eorundem utilitatibus accommodavit, preceptisque suimet firmari precepit. Tres quoque æcclesias in Libzi et in Olscuizi (934) ac in Gusua positas mihi concessit (935). In hoc vernali tempore (936) idem aureum altare ad decus ecclesiæ fabricari[1748] jusserat nostræ, ad quod ego ex antiqui altaris nostri sumptu auri[1749] 6 libras dedi. Sed cum in predicta civitate cesar 5 ebdomadas et 4 dies sederet, dilectum sibi locum Bavenberg visitat[1750], ubi[1751] tunc mense Decembri et[1752] in prima nocte, quæ cesaris adventum subsecuta est, Guncelinus in custodia diu tentus (937) solvitur, catena de pedibus divina majestate constrictis leniter cadente integraque permanente. Heinricum etiam[1753], quondam Bawuariorum ducem et tunc 8 annos et pene tot menses sua depositum culpa, pristinis imperator[1754] restituit honoribus die[1755] dominica; sicut ei firmatum est prius a Poppone, Trevorensi archiepiscopo. (f. 172). Sed antequam hujus conclusionem anni faciam, quædam in hoc dicenda interseram.

VARIÆ LECTIONES.

[1733] in *erasum* 1. [1733a] *add.* 1*b*. [1735] i. i. *add.* 1*b*. [1736] uuordizlavo 1*a*. [1736] sollitus 1. [1737] *Verba* in Domino *et* in seculo *erasa in cod.* 1 in secundis 2. [1738] sixcenti 1*a*. i *corr. in* c 1*b*. [1739] i. v. f. *add.* 1*b*. [1740] heramanni *corr.* herimanni 1*a*. i *post eraso* 1. [1741] *sic legendum esse non vero* Novemb., ut *codd. habent, ex sequentibus apparet.* [1742] ruszurum 1*a*. *sed ipse corr.* [1743] u. s. p. i. *add.* 1*b*. [1744] *add.* 1*b*. [1745] hiralis 1*a*. hilaris 1*b*. [1746] tria — Inde *add.* 1*b*. arg. ecclesiæ nostræ 2. [1747] hogero 1*c*? [1748] frabricari 1. [1749] visitavit 1*a*. [1750] ubi tunc *et* et in prima — oermanente *add.* 1*b*. [1751] d. d. *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(932) Wirzeburgensis, Bambergensis et Triestin s.

(933) Rœglitz prope Schkeuditz.

(934) Œlschau prope Leipzig.

(935) Imperatoris super Ecclesiæ Gusuavensis, hodie Geusa, oonatione charta a. 1017, Nov. 3, data adhuc exstat.

(936) Sc. in vere hujus anni.

(937) Conf. super l. VI, c. 36.

49. Thietmarus, venerabilis sanctæ Asenbrunensis [1782] æcclesiæ episcopus, servus sancti Mauricii in Magadaburg et prius utilis Magoneiæ et Aquisgrani prepositus, caligine quadam obfuscante lumen hoc visibile in priori perdidit anno [1783], ac interiori oculo eo lucidius radiante, fomitem tocius lucis Christum indefesso labore jam contemplatur. Hic a rege Heinrico successit antecessori suo Nonnoni, qui Othilulfus diecbatur (938). Obierunt [1784] in hoc anno antistites præclui Amulric (939) ac [1785] Fermundus et Becelinus, et paucas sedens ebdomadas Altmannus. Hic monachus fuit sancti Johannis baptistæ in Magadaburg, indeque ab Hæthelheida [1786] abbatissa, eo quod de sua esset familia, Arnulfo, regis germano et nunc archiepiscopo Ravennatis æcclesiæ, ad servitium ab ea datus est, a quo postea consecratus, a suis tocxicata [1787] potione lesus est.

50. In mea vicinitate et in oppido Silivellun (940) dicto miraculum quoddam accidit in secunda Decembris ebdomada. Fuit ibi quedam mulier quæ, cum virum suimet domi non haberet, super se et super filios hospicium obserabat [1788] suum, et ecce ante gallicinium sonitus ab ea immensus auditur. Hæc talibus obstupefacta, vicinos clamore continuo evocans [1789], necessitatem suam indicat. Qui volentes eidem succurrere, (f. 172) crebra jactacione repelluntur. Tandem januam frangentes, gladiisque intrantes exaginatis, quid matrifamilias vel ipsis tantum rebellaverit, diligenter inquirunt; et quia monstrum erat, hostem non invenientes, egressi sunt tristes. Mulier autem predicta diem exspectans sollicitum, crastino proximum accersivit presbiterum; qui omnem hanc domum reliquiis sanctorum et aqua lustravit benedicta. In sequenti [1790] vero nocte parum de supradicto terrore concutitur, et Deo gratias! crebra presbiteri visitatione liberatur. Tale aliquid, ubicumque evenit, novum aliquid pretendit. Unusquisque fidelium non sibi timeat terrorem illum; se peccatorum ex corde cognoscat, et signo sanctæ crucis jugiter se muniens, omnem adversariam potestatem prorsus excludat. Hostis incautos quosque sic inludit, et in se aliquid credentes ad ultimum decipit. Ubi desolacio tunc est, aut facinus subsecuturum est vel aliqua mutacio, talis rem precedit indicio [1791]. Quia nobis adherere Deo et spem nostram ponere in eo bonum est, preoccupemus sanctam faciem ejus assiduis precibus, ut, sive aliquid nobis presignetur sive celetur [1792] de [1793] misericordissima pietate sua in nobis peccatoribus hoc compleatur. Non est admirandum quod in hiis partibus tale ostentatur (f. 173) prodigium. Nam habitatores illi raro ad æcclesiam venientes, de suorum visitatione custodum nil curant. Domesticos colunt deos, multumque [1794] sibi prodesse eosdem sperantes, hiis immolant. Audivi de quodam baculo; in cujus sumitate manus erat, unum in se ferreum [1795] tenens circulum, quod cum pastore illius villæ, in quo is [1796] fuerat, per omnes domos has singulariter ductus, in primo introitu suo a portitore sic salutaretur: *Vigila, Hennil, vigila!*—sic enim rustica vocabatur lingua—et epulantes ibi delicate [1797], de ejusdem se tueri custodia stulti autumabant (941), ignorantes illud Daviticum: *Simulacra gentium opera hominum*, et cætera. *Similes illis fiant facientes ea et confidentes his* (*Psal.* CXIII, 4, 8).

51. Quia [1798] vero omne rarum est utique admirandum ac persepe ut portenta stupendum, ideo quandam rem, quæ in nostris evenit temporibus, explano. Serenissimo rege Heinrico tunc [1799] dominante, ac Wigberto antecessore meo vigente, in villa [1800] quadam Rotlizi [1801] (942) dicta, quam a matrona venerabili Ida, nuru primi Ottonis (943) nostræ traditam æcclesiæ, Gezo prepositus tunc [1802] in beneficium tenuit, sicut ab eo veraciter comperi, accidit. In messe laboriosa, cum in una dierum operarii ejusdem jam lassi se voluissent reficere, panem primitus incisum sanguinem viderunt effundere; idque admirantes, seniori suo concivibusque ostendunt. (f. 173') Et, ut reor, hoc prodigium futuri exitum belli ac in eo multorum cruorem hominum presignavit emanaturum. Alteram quoque rem, quamvis multo laudabiliorem, tamen mirabilem memoriæque dignam describo. In arce Romulea, quæ omnium est caput urbium ob diversarum qualitatem causarum, in una æcclesia et in dextera parte altaris, ab uno pavimenti foramine per integrum diem, multis hoc cernentibus atque stupentibus, oleum emanavit. Hujus partem Johannes Crescentii filius in ampula quadam Heinrico seniori suo et tunc regi nostro transmisit, et quia oleum nunc pro misericordia ponitur, ut est illud: *Oleum de capite tuo non deficiet* (*Eccle.* IX, 8), nunc pro adulacione, ut hoc est [1803]: *Oleum peccatoris non inpinguet caput meum* (*Psal.* CXL, 5); in hoc signo clementiam rectoris nostri habundantem et illius patricii lasciviam latentem perpendo. Namque is apostolicæ sedis

VARIÆ LECTIONES.

[1782] asenbrunniensis 1*a*. [1783] in priori *et* anno *add.* 1*b*. [1784] *add.* 1*b*. [1785] amulric (*corr.* amalricus 1*c*.) ac *add.* 1*b*. [1786] hath. 1*c* [9] [1787] *add.* 1*b*. *in loco vacuo*. [1788] obserebat 1. [1789] invocans 1*a*. [1790] sequente 1*a*. [1791] celatur 1. [1792] in 1*a*. [1793] que *add.* 1*b*. [1794] his 1*a*. [1795] e. i. d. *add.* 1*b*. [1796] *Alia pergit manu* 1. [1797] *erasum* 1. [1798] nuilla 1*a*. [1799] t *et alterum* i *erasum* 1. [1800] *erasum* 1. [1801] oleum — hoc est *add.* 1*b*.

NOTÆ.

(938) Vocatur ille Wodilulphus in charta imperatoris a. 1002, Jul. 28; Wotellolfus in Vita Meinwerci cap. 12; Vthilolfus in Necrol. Osnabrug., Febr. 17, qua die anni 1003 obiit.

(939) Conf. Necrol. Luneburg., Febr. 5.

(940) Selben propre Delitsch?

(941) V. I. Grimm Deutsche Mythologiæ pag. 285 et 699.

(942) Rochlitz.

(943) V. supra l. II, c. 2.

destructor, muneribus suis et promissionibus [1772] phaleratis (944) regem a Deo constitutum in palam sepe honorificavit, sed imperatoriæ dignitatis fastigium hunc ascendere multum timuit, omnimodisque id prohibere clam temptavit; quia sicut beatus asserit Gregorius: *Terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur.* Rex etenim noster, quamvis homo esset, zelum Dei habuit et sanctarum violentas predaciones æcclesiarum fortis armatus vendicavit, hancque benignitatem nisi cœlitus sibi [1773] (f. 174) prestitam, non habuit; iste terrenus et natura et actibus, voragine cenulenta traxit in predam, quod multorum devota manus ad aram apostolorum pro peccatis congessit [1774] in hostiam. Qui cum non longe post obiret, duplici ulcione, ut vereor, confunditur, et domno papæ securitas regique nostro amplior potestas aperitur.

52. Amplius progrediar disputando, regisque Russorum Wlodemiri accionem iniquam perstringendo. Hic a Grecia ducens uxorem. Helenam nomine [1775], tercio [1776] Ottoni desponsatam, sed et fraudulenta calliditate subtractam (945), christianitatis sanctæ fidem ejus ortatu suscepit, quam justis operibus non ornavit. Erat enim fornicator immensus et crudelis, magnamque vim Danais mollibus ingessit. Hic tres habens filios, uni eorum (946) Bolizlavi ducis nostrique persecutoris filiam in matrimonium duxit, cum qua missus est a Polenis Reinbernus, presul Salsæ Cholbergiensis. Ille in pago Hassegun dicto natus liberalique scientia a prudentibus magistris educatus, gradum episcopalem ascendit, ut spero dignus. Quantum autem in cura sibi commissa laboraverit idem, non meæ sufficit scienciæ nec etiam facundiæ. Fana idolorum destruens incendit, et mare demonibus cultum, inmissis quatuor lapidibus sacro crismate perunctis, et aqua purgans benedicta, novam [1777] (f. 174') Domino omnipotenti propaginem in infructuosa [1777] arbore, id est in populo nimis insulso, sanctæ predicacionis plantacionem eduxit. Vigiliarum et abstinenciæ ac silencii assiduitate corpus suum affligens, cor ad speculum divinæ contemplacionis infixit. Quem predictus rex audiens, filium suimet, ortatu Bolizlavi tacito reluctaturum sibi, cepit cum eodem et uxore, et in singulari custodia claudit. In qua pater venerabilis, quod in aperto fieri non potuit, in secreto studiosus in divina laude peregit. Hic cum se lacrimis assiduæque oracionis ex corde contrito prolatæ hostia summo sacerdoti reconciliaret [1778], ex arto corporis carcere solutus ad libertatem perennis gloriæ gaudens transiit. Prelati vero regis nomen potestas pacis bijuste interpretatur; quia non illa, quam aut impii invicem tenent vel habitatores hujus mundi possident, quia semper [1778] nutat [1779], pax vera dicitur, sed ille solus ea specialiter utitur, qui omnem animi suimet motum componens, regnum Dei pacienciæ vincentis angustia solacio promeretur. In cœlesti securitate sedens episcopus ille, ridet viri minas injusti, et castitate gemina (947) potitur, ac [1778] fornicatoris illius ultrices flammas speculatur; quia nostro doctore Paulo teste, adulteros judicat Deus (*Hebr.* XIII, 4). Bolizlavus autem hæc omnia comperiens, in quantum potuit (f. 175) vindicare non desistit. Post hæc rex ille plenus dierum obiit, integritatem hereditatis suæ duobus relinquens filiis, tercio adhuc in carcere posito, qui postea elapsus, conjuge ibidem relicta, ad socerum fugit. Rex [1780] predictus habuit lumbare venereum [1781], innatæ fragilitatis majus augmentum. Sed magister nostræ salutis Christus cum lumbos luxuriæ nocentis habundancia refertos precingi (*Luc.* XII, 35) juberet nostros [1778], continenciam et non aliquod provocamen innotuit. Et quia de lucerna ardente a predicatoribus suis rex prefatus audivit, peccati maculam peracti assidua elemosinarum largitate detersit. Scriptum est enim: *Facite elemosinam, ac omnia sunt vobis munda.* Hic cum jam decrepitæ ætatis esset, regnumque diu haberet predictum, obiit, sepultus in Cujewa (948) civitate magna, et in æcclesia Christi martiris et papæ Clementis juxta predictam conjugem suam, sarcofagis eorundem in medio templi palam stantibus. Cujus potestas inter filios dividitur, Christique eloquium in omnibus affirmatur. Namque vereor id subsequi, quod vox veritatis pronunciat compleri; dicit enim: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur* (*Luc.* XI, 17), et cætera; quam ut mutare in hiis partibus velit Deus sentenciam, omnis christianitas oret (f. 175'). Quia nunc paululum declinavi, redeam, quæ in predicto evenerint anno, superius indiscussa, succincte aperiens.

53. Curtis pars maxima inperialis in Palithi, et in Trajectensi civitate major æcclesia cum omnibus Ethelbaldi presulis mansionibus, ac cum Ilburg, Thiedrici comitis urbe, casu accidente combusta est

VARIÆ LECTIONES.

[1772] suis *erasum* 1. [1773] *add.* 1 *b.* [1774] concesit 2. *A. S.* [1775] tertia ottonem 1 *a.* [1776] *corr.* novum? 1. [1777] influosa *corr.* influctuosa 1. [1778] reconciaretur 1. [1779] nutant 1 *a.* [1780] *alia manu pessi* 1. [1781] venereum *corr.* venerium 1.

NOTÆ.

(944) Conf. supra l. v, c. 6, n. 609.

(945) Cf. Annal. Hildesh., a. 995. Huc pertinere videntur ea, quæ h. l. Thietmarus de Wlodemiro, Russorum rege, dicit. Non tamen Helenam, sed Annam, Basilii et Constantini sororem in matrimonio habuit Wlodemirus; idque connubium jam a. 998 adeoque diu ante istam legationem contractum notavit Pagius ad ann. 987, num. 6. Urs.

(946) Zentopulc s. Swætopolc. V. infra l. VIII, c. 16.

(947) Cf. V, 25, *gemina caritas, VIII, gemina innocentia.*

(948) Kiew.

(*an* 1017). Inperator autem a Bavanberg [1729] discedens, ad Wirciburg primo, deindeque ad Froncanawordi [1733] venit, ibidemque nativitatem Dominicam festivis peregit gaudiis. Sed ne hujus nominis auctoritas [1734] te lectorem amplius lateat, sicut a credibilibus viris audivi, sic adnunciare cupio tibi. Regnante Karolo imperatore magno, Pippini regis filio, bellum fit inter suos et predecessores nostros, in quo certamine Franci a nostris devicti, cum flumen Moin dictum sine aliqua vadi certitudine palantes transire cogerentur, cervam precedentem et divina miseracione quasi viam eis demonstrantem subsequuti, optati littoris securitate pociuntur læti. Inde locus hic Francorum dictus est vadum. In illa expedicione predictus cesar, cum se jam ab hostibus superatum esse cognosceret, precessit talia fatus : *Karius mihi est ut populi exprobrantes* (f. 176) *dicant me hinc fugisse quam hic cecidisse; quia, dum vivo, injuriæ pondus inlatæ vindicaturum me spero.* Anno Dominicæ incarnationis 800 [1738] predictus cesar [1736] ad suæ virtutis et bonæ operacionis deauracionem in una die 8 episcopatus in Saxonia Christo subdita dispositis singularibus parrochiis, constituit *.

* *Codex* 2. (*cf. supra p.* 840 *et A. S. a.* 822.) *addit :* Cujus filius, domnus Ludowicus, electis probatissimis monachis de Gallia cum venerabili viro Adelhardo, datis reliquis sancti Stephani prothomartiris, Corbeiense cenobium ipsi construxit, et dedicari fecit. Ipse vero cesar ad ipsum cenobium tradidit donaciones, abbacias scilicet Eresburg, Meppiam et multa predia in aquilone, villam quoque Huxeri cum omnibus terminis suis. Hujus quoque filius Ludowicus junior tradidit abbatiam Visbike, decimas quoque cum decimalibus ecclesiis in episcopatu Asnebruggi, et piscationem in Wesera, quæ dicitur Hocwar; quæ jam superius dicta sunt. In hoc cenobio primo monastica disciplina in Saxonia floruit, et postmodum pluribus in locis ejus patriæ, quorum omnium Corbeia non immerito caput et mater et quodammodo tocius patrie decus cum suo (sancto A. S.) Vito habetur, qui ex quo hanc venit in patriam, ex eo Saxonia in Teutonico regno principatur, quia ejus precibus apud Deum et meritis in omnibus, ut speramus adjuvatur (949).

54. Quatuor naves Venetorum magne diversisque pigmentis referte naufragium sunt in predicto anno [1737] perpessæ. Et, ut predixi, in occiduis partibus, raro antea quiescentibus, pacifica, Deo gratias! manebant cuncta. Et Ekkihardus, confrater meus, sancti Johannis baptistæ monachus, in Magadaburg paralitico depressus morbo loquelam perdidit. In Bawariorum confinio atque Mararensium [1739] quidam peregrinus, nomine Colomannus, ab incolis, quasi speculator esset, capitur; et ad professionem culpæ, quam non meruit, diris castigacionibus compellitur. Ille cum se nimis excusaret, pauperemque Christi se sic vagari affirmaret, in arbore diu arida innocens suspensus est. Nam caro [1740] ejus a quodam postea paululum incisa sanguinem fudit, ungues ac capilli crescebant. Ipsa quoque arbor floruit, et hunc Christi martirem esse monstravit. Hoc marchio Heinricus ut comperit, corpus ejusdem in Mezilecun (950) sepelivit.

LIBER OCTAVUS.

INCIPIT LIBELLUS II HEINRICI INPERATORIS SECUNDI [1790]

1. (f. 176') Anno Dominicæ incarnationis 1018, indiccione 2, anno autem domni Heinrici inperatoris augusti 16, inperii autem 4. circumcisio Domini et theophania in predicta civitate ab eodem venerabiliter colebatur. Ecelinus Longobardus quadrienni custodia 8 Kalendas Februarii solvitur [1791] (951). Posteaque jussu suo et assidua Bolizlavi [1792] ducis supplicacione in quadam urbe Budusin dicta a Gerone et Arnulfo episcopis et a comitibus Hirimanno atque Triedrico pax sacramentis firmata est, et a Fritherico suimet camerario, 3 Kalendas Februarii, non ut decuit, set sicut tunc fieri potuit; electisque obsidibus acceptis, prefati seniores reversi sunt. Transactis autem 4 diebus, Oda, Ekkihardi marchionis (952) filia, a Bolizlavo diu jam desiderata, et per filium suimet Ottonem tunc vocata, Cziczani [1793] (953) venit; et quia tunc nox erat, multis luminaribus accensis, ab inmensa utriusque sexus multitudine suscepta est, ac nupsit duci predicto post septuagesimam absque canonica auctoritate, quæ vivebat hactenus sine matronali consuetudine, admodum digna tanto fœdere [1794].

2. In hujus sponsi regno sunt multæ consuetudines variæ; et quamvis diræ, tamen sunt interdum laudabiles. Populus enim suus more bovis est pascen-

VARIÆ LECTIONES.

[1729] bauvanberge 1*a*. [1733] nau *erasum* 1. [1734] cautoritas *eraso* c 1. [1736] Anno — singularibus p *in rasura scripta sunt ab* 1*a. potius quam ab* 1*b., post* DCCC *spatio vacuo relicto.* [1738] Karolus *add.* 1*c.* [1737] i. p. a. *add.* 1 *b.* [1739] mor. 1 *c?* [1740] affirmaret animo malo fixa non poterat divelli. Nam eum innocentem in a. d. a. suspenderunt. Sed Dominus malignis quod in eo egerint ostendit. Caro enim 2. [1790] *Scripta in cod.* 1*in ultima paginæ linea, rubro colore a scribæ.* 1. *aut ab ipsius Thietmari manu.* [1791] Ecelinus — solvitur *add.* 1*b.* quadringenni. *corr.* quadrienni. [1792] u *erasum* 1. [1793] zizani 1*a. duobus* c *superscriptis.* [1794] o *erasum* 1.

NOTÆ.

(949) Cf. Widukind. I, 34.

(950) Melk ad Danubium, Austriæ inferioris monasterium. Cf. Passionem S. Colomanni apud Pez SS. I.

(951) V. supra VII, 1.

(952) Misniensis. Quinta fuit Oda Bolislavi uxor; v. supra l. IV, c. 37.

(953) Forsitan Zitzen in circulo Luccaviensi Lusatiæ inferioris. URB.

dus et tardi ritu asini castigandus, et sine pœna gravi non potest cum salute principis tractari. Si quis in hoc alienis abuti uxoribus vel sic fornicari præsumit, hanc vindictæ subsequentis pœnam protinus sentit. In pontem mercati is ductus, (f. 177) per follem testiculi clavo [1798] affigitur, et novacula prope posita, hic moriendi sive de hiis absolvendi dura electio sibi datur. Et quicumque post septuagesimam carnem manducasse invenitur, abcisis dentibus graviter punitur. Lex namque divina in hiis regionibus noviter exorta, potestate tali melius quam jejunio [1799] ab episcopis instituto corroboratur. Sunt etiam illi [1797] mores alii hiis multo inferiores, qui nec Deo placent nec indigenis nil nisi ad terrorem prosunt; quos in superioribus ex quadam parte comprehendi. Nec opus esse autumo, de hoc amplius disserere, cujus nomen et conversacio, si Deus omnipotens vellet, sacius nobis lateret. Omne hoc, quod pater suus et iste nobis in conjugio ac familiaritate magna copulati sunt, plus damni subsequentis quam boni precedentis attulit ac in futuro infert; quia, etsi pace simulata nos ad tempus diligat, tamen per secretas temptacionum varietates nos a caritate mutua, a libertate innata deducere, et si quando tempus ei ac locus contigit, in perniciem apertam assurgere non desistit. In tempore patris sui, cum his jam [1798] gentilis esset, unaquæque mulier post viri exequias sui igne cremati decollata subsequitur. Et si qua meretrix inveniebatur, in genitali suo, turpi et pœna miserabili, circumcidebatur, idque, si sic dici licet, preputium in fornix suspenditur, (f. 177') ut intrantis oculus in hoc offendens, in futuris rebus eo magis sollicitus esset et prudens. Lex dominica hujusmodi precepit lapidari, et parentum nostrimet carnalium institutio tales ortatur decollari. Apud modernos autem, quia libertas peccandi plus justo atque solito ubique dominatur, plus quam compressa ancillarum multitudo, quædam pars matronarum, cupidine veneria pruritui noxio subscalpente, marito vivente nunc [1799] mechatur. Et in hoc eis non sufficit, sed hunc per adulterum morti furtiva consilii inspiracione tradit, et post hæc malum cæteris exemplum, eodem post [1799] publice sumpto, pro dolor! potestative abutitur. Legalis earundem senior abhominabilis repudiatur, et miles ejusdem ab hiis, ut Abo [1800] (954) dulcis et Jason mitis preponitur. Hoc quia nunc pœna gravis non ulciscitur, de die in diem pro consuetudine nova, ut vereor, a multis excolitur. O vos sacerdotes Domini, viriliter assurgite, et hanc nuper exortam filicem, nulla re id inpediente, sepius acuto vomere radicitus extirpate. Vos quoque, laici [1801], nolite talibus auxiliari [1802]. Liceat Christo conjugatis innocenter vivere, eruticque subplantatoribus [1803] hiis, indeficienti pudore in perpetuum gemere. Destruat illos adjutor noster [1804] Christus potenti Spiritu sancti oris sui, nisi resipiscant [1805], et disperget magna illustracione secundi adventus sui. Et nunc de hiis (f. 178) ista dixisse mihi sufficiat, quia de prefati ducis infortunio res quedam narranda restat.

3. Habuit hic quondam urbem in confinio regni suimet et Ungariorum sitam, cujus erat custos Procui senior, avunculus [1806] regis Pannonici, a suis sedibus ab eodem, ut modo, antea expulsus. Qui cum uxorem suam a captivitate non posset absolvere, gratuito nepotis sui quamvis inimici, suscepit eam ex munere. Numquam audivi aliquem [1807], qui tantum parceret victis; et ob hoc in civitate superius memorata, sicut in cæteris, sedulam Deus eidem concessit victoriam. Hujus pater erat, Dewix nomine, admodum crudelis et multos ob subitum furorem suum occidens. Qui cum christianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes subditos sevit, et antiquum facinus zelo Dei exestuans abluit. Hic Deo omnipotenti variisque Deorum inlusionibus immolans, cum ab antistite suo ob hoc accusaretur, divitem se et ad hæc facienda satis potentem affirmavit. Uxor autem ejus Beleknegini, id est pulchra domina, selavonice dicta, supra modum bibebat, et in equo more militis iter agens, quendam virum iracundiæ [1808] nimio fervore occidit. Manus hæc polluta fusum melius tangeret [1809] et mentem vesanam pacientia refrenaret.

4. (f. 178') In illo tempore Liutici in malo semper unanimes Mistizlavum seniorem, sibi in priori anno ad expedicionem inperatoriam (955) nil auxiliantem, turmatim petunt, plurimamque regni suimet partem devastantes, uxorem suam et norum effugare, ac semet ipsum intra Zuarinæ civitatis municionem cum militibus electis colligere cogunt. Deindeque malesuasa suimet calliditate, per indigenas, Christo seniorique proprio rebelles, a paterna hereditate vix evadere hunc compellunt (956). Hæc abominabilis presumptio fit mense Februario, qui a gentilibus lustracione et muneris debiti exhibicione venerandus, ab infernali deo

VARIÆ LECTIONES.

[1798] claue 1. [1799] iennio 1. [1797] illi duci 2. [1798] jam *erasum* 1. [1799] *add.* 1b. [1800] amabo 1a. — Absolon 2. [1801] religiosi 2. [1802] Vos — auxiliari *add.* 1b. [1803] mechis 2. [1804] uestri? 1a. [1805] n. r. *add.* 1b. [1806] avinculus 1. [1807] aliquæm 1a. [1808] iracudiæ 1. [1809] hæc incesta manus filia de fuso melius traheret, quam gladium e vagina traheret, etc. 2.

NOTÆ.

(954) Menti Thietmari observatus est Abro, Græcus libidinosus, cujus vita dissoluta in proverbium abiit. v. Erasmi Adagia p. 1176, edit. Wechelianæ 1599. Urs.

(955) V. supra l. VII, c. 44.

(956) Incertum mihi videtur utrum ad hæc referenda sint, quæ Adamus Bremensis l. II, c. 50; ibique scholion 25 de Mystivoi tradunt. Melius conveniunt cum Thietmaro, quæ ille cap. 33 et Helmoldus l. I, c. 18 referunt.

Plutone, qui Februus dicitur, hoc nomen accepit (937). Tunc omnes ecclesiæ ad honorem et famulatum Christi in hiis partibus erectæ, incendiis et destruccionibus aliis cecidere, et quod miserabilimum fuit, imago Crucifixi truncata est [1010], cultusque idolorum Deo prepositus erigitur, et mens populi istius, qui Abotriti et Wari (958) vocantur, ut cor Faraonis ad hæc induratur. Libertatem sibi more Liuticio nota [1011] fraude vendicabant, sed cervicem suam suavi jugo Christi excussam oneroso diabolicæ dominacionis ponderi [1012] sua sponte subdideran', meliori prius patre [1013] ac nobiliori [1014] domino in omnibus usi. Hanc debilitatem suam membra Christi defleant, et [1015] capiti conquerantur suo, assidua voce mentis hoc in melius (f. 179) mutari poscentes, et ex parte sua, in quantum fieri possit, hæc perdurare non pacientes. Bernardus [1016] (959) confrater Parthenopolitanus, et apostatæ istius gentis tunc episcopus, id ut primo comperit, non sæcularis suimet dampni sed pocius spiritualis inmenso dolore commotus, inperatori nostro id [1017] nunciare non desistit. Hac legacione audita, cesar graviter suspirat, sed de talibus respondere ad pasca differt (960), ut cum prudenti consilio hoc anulletur, quod infausta conspiracione conglutinatur. Hoc votum et salutare secretum [1018] Deus omnipotens secundet. Nullius fidelis cor ob hanc infelicitatem in aliquam desperacionem veniat, vel diem judicii appropinquare dicat, quia secundum veredici [1019] ammonicionem Pauli ante discensionem [1020] et Antichristi [1021] execrabilem adventum (*II Thess.* II, 1) non debet e talibus aliquis oriri sermo, nec inter christicolas subita venire commocio, cum eorundum unanimitas esse debeat in summis [1022] stabilitas. Nutet, in quantum velit, mortalis diversitas et morum ejusdem multiformis inequalitas. Omnis homo, flos agri, debet a matre ecclesia prius renasci in innocentiam salvatoris Christi; et tunc timenda est inprovisa inportunitas, cum ubique nunciatur pax firma ac tranquillitas. Et propter hoc semper amonemur, ut simus solliciti ac pervigiles, cum non valemus esse certi de futuris ac in nostra fragilitate durabiles. Nemo ultimæ diei adventum aut venire [1023] diffidat aut celeriter (f. 179') contingere exoptet, quia timendus est justis, ac multo magis corrigibilibus cunctis.

5. Jam declinam ab hiis, et loquar inperatoris nostri prosperitatem nuper sibi exortam. Avunculus namque suus et [1024] Burgundiorum rex Rothulfus coronam suimet et sceptrum cum uxore sua et privignis ac optimatibus universis sibi concessit, reiteraturque sacramenti confirmacio; actumque est illud Magoncia et in predicto mense. Prodigium fit in Malacin 13 Kalendas Marcii. Mense autem eodem et 17 Kalendas Aprilis magnus fit in Niumagun sinodus, et nepos meus Oddo (961) et uxor ejus Irmirgerd, consanguinitate proxima injuste diu [1025] conjuncti, obinobedienciam continuæ vocacionis excommunicati sunt; cooperatores vero eorum ab episcopis vocantur suis ad satisfaccionem. Ibi constitutum est antiquo exemplare perlecto, ut corpus Dominicum [ad sinistram], ad dexteram partem calix [1026] poneretur [1027]. In tempore illo Mediolanensis archiepiscopus obiit (962), et prepositus ejusdem ecclesiæ Hiribertus successit. In Anglis triginta navium habitatores piratæ a rege eorum, Suenni regis filio, Deo gratias! occisi sunt (963); et qui prius cum patre hujus erat invasor et assiduus destructor provinciæ, nunc solus sedit defensor, ut in Libicis basiliscus harenis (Lucan. IX, 726) cultore vacuis. In hac quadragesima et in episcopatu meo quidam fratrem suum, pro dolor! occidit. Inperator autem in predicto loco palmas et sanctum pascha celebravit (*an.* 1018, *Mart.* 30, *et Apr.* 6); quia Baldricum, de nece Wigmanni comitis nil se excusantem legitime, cum suis conspiratoribus recalcitrare comperit. Wolcmarus, abbas Fuldensis et Larsemensis, obiit (964). (f. 180) In diebus illis sol ante suimet occasum nonnullis dimidius prodigiose apparuit [1028].

6. Interim dum fama velox aliquid [1029] novi ad scribendum deferat mihi, hominum vitam piorum, quam ego culpabilis et obliviosus nimis superius dicendam preterivi [1030], explanare nunc ardeo. In temporibus secundi [1031] regis Heinrici fuit quædam solitaria Sisu vocata, in loco Thrubizi (965) dicto, immensæ pietatis ac per hoc mihi ineffabilis. Quæ jam adulta cum a quodam desponsaretur tempore maximi Ottonis, ad Christum, quem in primis fidei

VARIÆ LECTIONES.

[1010] et quod — truncata est *et* que *add.* 1*b*. [1011] mota 1*a*. [1012] pondere 1. [1013] patre ac mobiliori 1*a*. [1014] *add.* 1*b*. [1015] b. c. partheno *in loco raso* 1*b*. [1016] decretum 2. [1017] veredici *corr.* veridici 1. [1018] discessionem Romani imperii 2. [1019] antechristi *corr.* antichristi 1. [1020] sumis 1. [1021] *add.* 1*b*. [1022] *erasum* 1. [1023] sacerdotis calix 2. [1024] Ibi — ponerentur *add.* 1*b*. *ubi tamen desunt* ad sinistram. [1025] Uuolcmarus (*secundo* u *post eraso*) — apparuit *add.* 1*b*. [1026] aliqd 1. [1027] *in loco raso* 1*b*. [1028] *erasum* 1.

NOTÆ.

(937) V. Macrobii Saturnal. l. I, c. 13.

(958) Wari s. Wairi, Wagrien, ubi Aldenberg sedes episcopi Bernardi.

(959) Adamo Bremensi l. II, c. 34 dicitur Benno.

(960) Mense Martio anni 1019 Bennonem Slaviensem cum imperatore invenimus. V. supra legum t. II, B. 173.

(961) Quidam de primoribus Francorum, teste Ann. Sax., h. a. Comes de Hamerstein audit in Vita S. Godehardi episc. Hildesheim., c. 4. Conf. Ann. Quedlinb., a. 1020. Vitam Meinwerci, c. 62, 75.

(962) Arnulfus.

(963) V. Geschichte Grossbr. t. I, p. 464.

(964) In hoc nomine deceptus est noster. Anno 1018, April. 7, obiit Bobbo abbas, de quo vide supra l. VI, c. 56.

(965) Traubitz.

speciale signaculum in corde pre omnibus infixit, concito cursu properavit; ac in predictæ secreto civitatis annos sexaginta quatuor [1829] cœlesti sponso se virginem castam conatur offerre, ac inmaculatam se, plus quam fragilitas humana permisit, custodire studuit. In tanto namque spacio numquam foco durum frigus resolvebat aliquo, sed hoc maximum eidem erat temperamentum, quod lapide paululum calido pedes vel manus pene tunc deficientes refocilaret. Hæc assiduis oracionibus et intermistis fletibus cellam suimet interius ornavit, exterius autem populo confluenti crebra institutione et necessaria consolatione multum profuit. Vermes se jugiter comedentes non abjecit, sed cadentes reposuit, vice monachi Symeonis in columna diu stantis [1830]. Quicquid illa de oblatione populi continua suscepit, sibi subtrahens Christique pauperibus largiter inperciens, peccata offerentium (f. 180') redemit. Pia fuit hæc [1831] matri meæ, et memoriam sui firmiter promisit proli subsequuturæ. In agone hujus titubantis seculi hæc contendens, ab inlicitis omnibus abstinuit, non pro recipienda corruptibili gloria, sed pro florigera cœlestis bravii corona, quam 13 Kalendas Marcii promeruit divinitus indui (966). In nocte illa, qua Christo amabilis lampas stelliferum locata est in axem, dormivi peccator in dormitorio in Magadaburg, et testis mihi sit Deus, quia non mentior, vidi per somnium ante matutinam, quod duo pueri de antiquo [1831], quod adhuc ibidem stabat, erario procederent cantantes antiphonam [1833] hanc : *Martinus Habrahæ* [1833] *sinu lætus recipitur*, et cætera. Infantes hii geminam ejusdem innocentiam et premium pronuntiabant [1834]; in pietate sua et paupertate spiritus ac humilitate hoc totum fuit, et quod sequitur, promeruit [1835]. Et hoc tunc fratribus nuntiavi meis : *Pro certo*, inquiens, *scitote quod anima Deo cara de hac luce est nunc separata.* Post dies 6 intimatum est nobis, quod, sicut visum est mihi, vere Dei famula transiret e carcere carnis.

7. Confratris mei memoriam Bernarii modo aggrediar, qui familiaritate sua mihi exhibita [1836] apud me caritatem bonam, et si aliquatenus [1837] ei [1838] profuisset, mentionem promeruisset sedulam. Hic carnis propinquitate consanguineus, et quod nunc est maximum, amicicia fuit mihi [1838] conjunctus. Tercio Ottoni (f. 181) valde carus erat, quia sibi et amitæ ejus venerabili Mahtildi [1839] abbatissæ (967) fideliter servicbat; quicquid in Salbozi (968) villa in beneficium habuit, in predium ab hiis [1840] acquisivit. Æthelberto [1841] archiantistiti suisque successoribus usque in domnum Geronem servivit; et apud eosdem dignam retributionem suscepit. Tandem infirmitate gravatur, et Deo omnipotenti, quem semper pre omnibus amavit, conjungitur. In cujus amore ac venerando honore æcclesiam in acquisita proprietate predicta construxit, et hanc [1838] ad benedicendam me indignum vocavit. Ante cujus [1838] consecrationem volumen longum facinoribus suis inscriptum, ac prius cæteris confessoribus suis ostensum, mihi aperuit, et coram me gemens legit, et a me supplex indulgentiam postulavit. Hanc epistolam sumpsi, et absolutionem commissi divina potestate huic feci, cumque eodem die, id est 16 Kalendas Aprilis, quia tunc erat annua dies sui patris, predictam consecrarem æcclesiam, supra buxidem (969) reliquiis sanctorum refertam prenominatum posui breviarium, ut eorum assiduo interventu vera flebiliter confitenti remissio fieret et diu optata abolicio. Hoc numquam vidi aliquem fecisse vel audivi; set quia infirmitatem meam huic nil prodesse timui, (f. 181') ad sanctos intercessores confugi. Post hec vixit pater venerabilis tredecim ebdomadas, 16 Kalendas Junii, exoptans resolvi.

8. Insuper pii abbatis Alfkeri (970) quandam accionem egreiam [1842] in exemplum imitabile profero. Hic preter cæteras virtutes suas hoc in usu habuit, quod nomen suum super altare quodlibet scripsit; et dum ipse missam caneret, in tantum flevit, ut maxima corporalis pars humectaretur, nil hesitans, quod, sicut scriptum est : *Lacrimæ pro peccatis cordetenus effusæ divinam non modo poscunt veniam sed etiam* [1838] *inpetrant* (*Judith* VIII, 12); et ut eo liberius cœleste suffragium inplorare sibi valuisset, cunctis debitoribus suis misericors fuit. Heu mihi indigno sacerdoti, hos predictos fratres qui in nullo umquam assecutus fui! Bonorum exempla multorum legi ac persepe vidi, sed menti meæ hæc non apposui; temptationibus variis, quibus resistere debui, voluntarie ac non fortiter reluctando succubui; quibus prodesse debui, pro dolor! plus nocui, et ut optimi archanum thesauri crimen meum semper celavi. Non est opus, lector vel mihi care successor, ut varii

VARIÆ LECTIONES.

[1829] septuaginta duos 1*a*. [1830] Vermes — stantis *add.* 1*b*. [1830*] *aad.* 1*b*. [1831] antiqo 1. [1833] antiphanam 1. [1833] h *erasum* 1. [1834] Infantes geminam ejus innocentiam et primum pronuntiabant, scilicet pietatem in paupertate spiritus, et humilitatem cordis, et quam promeruit armoniam celestem 2. [1835] Infantes — promeruit *add.* 1*b*. [1836] exhibite 1. [1837] aliquatinus 1. [1838] *add.* 1*b*. [1839] h *erasum* 1. [1840] ab iis *add.* 1*b*. [1841] ath. 1*c* ? [1842] egriam 1.

NOTÆ.

(966) Conf. Necrol. Luneb., Febr. 16.

(967) . Quedlinburgensi.

(968) Villa Salbke ad Albim, inter Magdeburgum et Salzam sita.

(969) Buxis formata videtur a pyxis. Significat arculam sive capsulam nunc eburneam, nunc argenteam, nunc ex ligno confectam, in qua reliquiæ sanctorum ponebantur, quatuorque crucibus cum chrismate factis, in capella, s. sepulcro, quod proprie sic dictum foramen quadrangulum erat in mensa altaris lapidea incisum, recondebatur cum tribus granis thuris, sbedulaque pergamena nomine consecratoris, interdum etiam fundatoris, dieque et anno consecrationis ejus perscripta, et tandem sigillo altaris, id est parvo lapide, claudebatur s. sigillabatur ; v. Durandi Rationar. lib. I, c. 6, n 34. Unde.

(970) Conf. supra l. IV, c. 14. Obiit ille a 1009. V. Chronogr. Sax., h. a.

favore vulgi de mea proficuitate credas; sed assiduo oraminis ac elemosinarum medicamine (f. 182) mihi diu fetenti succurrens, de faucibus voracis lupi me dilaniatum eripias. Ego conscius mihi multo credibiliora tibi quam alius indico. Sunt namque nonnulli, quos leniter injuste tractavi; cumque hii pro meritis a te [1043] corripiuntur, quid mirum, si ex mea parte aliquid fraudulenter sonant. Sis inter detractores meos ac laudatores varios medius, et aput Deum suffragator [1044] assiduus. Scio quod, sicut mos communis est, multum tibi ex me displicet, quod ut in melius vertatur, Deo et hominibus placet. Quicquid in permisso contraxi vel feci [1045] in [1046] tempore (971), scriptis affirmavi. Nec sis magni honoris tui elacior, cum sis in inposito pondere eo gravior. Rem commissi gregis cautus operator inspicias, et ut divina secularibus a te proponantur, multum studeas. Quæ confratribus dedi meis spiritualibus, in quantum possis, auge, ac sub Christi testimonio rogatus nil minue. Hii sunt cooperatores sacri ordinis tui et futuræ adjutores spei. De laicis huc atque illuc titubare ac transferri [1047] valentibus pro possibilitate tua rogo in tantum sis [1048] sollicitus, ut non disperdatur clerus. Si diligenter tua custodis, Deum hominesque pios fautores habebis; sin autem, et subditos (f. 182') tibi perdis, et contrarietatem in hoc presentem ac futuram contrahis. Audi me magistrum nimis indisciplinatum et absque utili exemplo antecessorem tuum [1049], libenter sustineas paupertatem in te ut grex tuus dives fiat per te; sic fecit Christus nobis, ut ita faceremus ovibus suis. Noli erubescere de hac [1050] coram populo, ut fiducialiter stare possis coram Deo. Satis ingenuus erga hunc mundum fui, sed sepe propter meos; hiis, quibus ignotus eram, despectus apparui. Si quis nititur exaltari supra se, turpi casu ac sero dolenti cadit infra se. Divites tuos cum honore, pauperes autem cum gratia tractes et bona [1051] caritate. Antiquum enim affirmat proverbium, quod hæc cum magna semper incedant multitudine. Tuam [1052] pauperem familiam a summo pastore tibi commissam et a me vix congregatam custodi, et [1053] iniquis susurronibus de hac male persuadentibus piam non accommodes aurem. Tua res est parva, et vice majorum nequaquam tractanda, ac [1054] multo sacius est paulatim crescendo de die in diem ascendere, quam cum dampno multorum te [1055] ad ultimum deficere. Tempora hæc, prioribus cunctis inferiora, plus demunt quam alicui addunt [1056] (f. 183). Culpa [1057] gravi et paupertate dira innatus honor et datus vilescit. Non rogo te ut sis parcus, quia dedecus est; sed hoc ingemino ne nimium largus, quia hoc [1058] nec consilium est nec bene convenit. Cures etiam de peregrini anima Godeberti, multum nostræ utilis æcclesiæ et de cæteris quam pluribus [1059]. Habes satis [1060] de libris, quos hic ab antecessoribus nostris collectos inveni, et insuper quos contraxi. In his magisterium salubre reperies, ac hos exandi, et tunc potes salvari. Sanctorum reliquias et munda eorum receptacula cum [1061] aliis utilitatibus plurimis, tam in prediis quam in mancipiis, ego acquisivi, et ne te forsitan laterent, martirologio [1062] inscripsi meo. Oportet autem tuam scire pietatem regis nostri et imperatoris Heinrici multiformem benivolentiam æcclesiæ exhibitam nostræ, de qua partem quandam superius conprehendi, majorem vero quia indiscussam reliqui, nunc scribere tibi optimum duxi. Vide ut in assidua recordacione tui sit renovator et indeficiens auxiliator nostri. Ve temporibus illis, in quibus deest hæc spes miseris et æcclesiæ Merseburgensi! (f. 183') Nunc est maxime [1063] orandum, cui tunc est maxime plorandum. Hæc etenim quæ sequuntur [1064] ab eo [1065] percepit, et eo vivente, multo his majori gratuita aucmentacione gaudebit. Jam enim disposuit in alta mente sua, qualiter eam sublimet dote varia. De antecedenti nunc dico, et perfectionem subsequuturam [1066] omnipotenti Deo, cui cuncta sunt presentia, supplex committo. Et quia tipus non est, singulariter enarrare, quæ preceptis ejusdem confirmata poteris videre, hæc sola assigno, quæ auctoritate, [1067] carentia in posterum forsitan peritura timeo. Sanctæ [1068] ac victorisissimæ crucis partem cum cæteris sanctorum reliquiis, et altare aureum gemmis honorifice distinctum (972) et buxidem [1069] auream, lapidibus preciosis ornatam, collectariumque cum inpensis propriis et eciam nostris decoratum, cum duobus turribulis ac argenteo bicario [1070], larga manu cesar nostræ dedit æcclesiæ, quod a nobis non modo est observandum, verum eciam aucmentandum. Sed quia de melliflua ejusdem pietate satis dicere nequaquam sufficio, de sua conversacione, sicut proposui, ordinatim explicare studiosus anhelo [1071].

8. (f. 184') Iste annus (1018), quo hunc attitulavi librum, nativitatis meæ quadragesimus est primus [1072], vel paulo amplius; in mense vero Aprili et 5

VARIÆ LECTIONES.

[1043] a te *add.* 1*b* [1044] suffrator 1. [1045] vel feci *add.* 1*b*. [1046] *erasum* 1. [1047] tranferri 1. [1048] *deest* 1. [1049] meum *corr.* tuum 1. [1050] de hac *add.* 1*b*. [1051] *add.* 1*b*. [1052] nec 1*a*. [1053] *alia manu pergit* 1. [1054] *vocabulum erasum* 1. [1055] Cures — pluribus *diverso tempore scripsit* 1*b*. [1056] cu 1. [1057] martorlogia *corr.* martirlogio 1. [1058] maximum 1. [1059] sequntur 1. *ut sæpius.* [1060] habeo 1*a*. [1061] *alterum* u *post* q *erasum* 1. [1062] auctoritate *corr.* auctoritati 1. [1063] capsellam 2. [1064] *Post* bicario *spatium unius vocabuli uniusque versiculi vacuum in cod.* 1. *Finis paginæ inde* a Sanctæ *a Thietmaro ipso conscriptus videtur.* [1065] *Hic pagina* 184ª *vacua relicta in codice* 1; *sed nihil deest.* [1066] 1. *supra inter* est *et* vel *add.* 1.

NOTÆ.

(971) Conf. supra l. II, c. 5, not. 258.

(972) De eo vide Brotuf, Chronic. Merseburg., pag. 581. Urs.

Kalendas Mai (973) decimus ordinationis meæ introivit annus. Et pridie in suburbio Gnezni archiepiscopi illius æcclesia cum mansionibus cæteris comburitur [1867]. Et quia humana res omnis semper in dubio est, libet evomere antidotum illud periculosum, quod miser dudum absorbui, et nimis mihi hactenus id nocere persensi. In quadam curte mea Heslinge vocata, nocte una cum requiescerem, per somnum vidi turbam astare magnam, tunc de apposita mihi testa aliquid manducare cogentem; et ego hos persentiens esse inimicos, primitus contempsi [1868], ad ultimum vero in nomine Dei patris me istud percipere respondi. Quod cum eis multum displiceret, et hæc invisa congregatio id aliter fieri non posse videret, quasi gemens laudabat, quia me prorsus perdere conveniebat; et nisi tunc dominicum nomen invocarem, sine perpetua salute manerem. Ex hac perceptione, ut mihi visum est, omnigenarum specie herbarum mixta, pessimarum varietates cogitationum sumpsi, quæ etsi me in divinis laudibus maxime turbent, tamen auxiliante Deo, quem hiis preposui, ad opus infaustum raro aut numquam me perduxerunt. Sufficit autem iniquæ eorum voluntati, quod aliquam putant in me portionem habere. Sic enim alio tempore (f. 185) iterum me signatum eminus hii vallantes: *Custodisti te*, inquiunt, *bene?* Et ego, me ita sperare, respondi; et subsequuntur: *Sed non sic erit in fine.* Illorum minas nec timeo, nec blandiciis credo, quia hæc cum auctoribus suis vanitas est. Commissi quantitatem mei admodum vereor, et veraciter id scio, quod talis fantasia, quamvis corporaliter [1869] appareat, per se hominibus non noceat [1870], sed cum peccando faciem divinam a nobis avertimus, illorum vesanas manus nemini parcentes miseri incidimus, et ab hiis [1871] protinus absolvimur, cum aut ipsi convertimur, vel ab electis Dei visitatione crebra fovemur. Si quis vero compos sui meditatur in lege Dei, non hic a talibus appetitur, sed potius timetur, non a se, sed ex ejus, quem is diligit, sancta potestate; quia custos est Deus omnium semet ex toto corde semper amancium. Ego peccator et fragilitati meæ per omnia conscius, quia summis consolationibus non innitor, quid mirum, si ab infimis quacior? Et hæc idcirco dixi ut tu, lector, mortalitate ac innata humanitate mihi consimilis, in hoc consensu me graviter peccasse scias, et amminiculis A indeficientibus succurras. Heu mihi misero qui in hoc seculo multos spiritualiter adjuvare debui, nec hiis prosum, nec me tueri possum! Unde autem predicta temptatio (f. 185') mihi evenerit, fidelibus tuis auribus infundo. Multis hominibus a predictorum vexacione hostium laborantibus subvenire studui, et propter hoc ad insidiandum mihi eosdem accendi vehementer, quamvis in malum proni sint semper. Spero autem in Deum omnipotentem ut non ad consumendum [1872] me hiis tradat, sed post purgationem diram clementer eripiat.

9. Mense predicto et 18 Kalendas Mai Gero archiepiscopus et Bernhardus marchio in Wonclava [1873] (974) reconciliati sunt; et Liudherdus presbiter obiit [1874] (975). Godefridus quoque dux et Gerhar- B dus comes inperatoria potestate pacificati sunt. Bertoldus [1875] autem, Munnæ civitatis invasor, imperatoriæ potestati sponte sua cum suis fautoribus traditur, et eadem multorum pœna protinus concrematur; et faciat Deus rex pacificus, ut numquam hæc amplius elevetur. Quam bene esset, ut habitatores regni illius, semper unanimes in malo, ad expletionem ejus non haberent munimentum in aliquo! Nunc autem sunt, pro dolor! horum situs locorum, ut exposcunt mentes indigenarum. Inperator vero post longam inhabitacionem a Niumagun discedens, sollempnes rogacionum dies in Aquisgrani studiose celebrat; quibus transactis, Lanbertus, sanctæ Constanciensis [1876] (f. 186) æcclesiæ episcopus, 17 Kalendas C Junii obiit (975). Hoc cesar, cum pentecosten in Ingilenhem sumopere peregisset, comperiens, Rotherdum suimet capellanum prefate sedi prefecit. Quibus expletis, fit magna in Birgilum (976) principum confluentia, ut ibi corrigeretur per judicia, quod diu viciatum est populi istius neglegentia, et temeritas magna. Post hæc Oddo comes predictus in presentiam inperatoris et Ercanbaldi archipresulis supplex veniens, injustam uxorem suam tribus sacramentis amisit. Balldericus reconciliatur, et promissio divina obliviscitur. Et transactis diebus paucis. Heinricus, qui marcam inter Ungarios et Bawarios positam tenuit, 8 Kalendas Julii [1877] fortis armatus obiit. Interea cesar ad Basulensem veniens civitatem, exercitu collecto in Burgundiam properat. D Imperatrix autem ad dilectam sibi Capungam veniens, manachicam ibi vitam ordinavit; indeque per orientalem Franciam profecta, Bawariam peciit

VARIÆ LECTIONES.

[1867] Et pridie—comburitur *add.* 1*b*. Pridie kalendas ipsius in suburbio Gnezni archiepiscopi illius ecclesia cum edificiis ceteris exusta est. 2. [1868] contepsi 1. [1869] corparaliter 1. [1870] nocent 1. [1871] ab hiis *add.* 1*b*. [1872] consummendum 1*a*. [1873] in uuonclava *add.* 1*b*. [1874] et liudherdus pr. obiit *add.* 1*b*. [1875] *alia manu pergit* 1. [1876] cosstanciensis 1*a*. [1877] *deest* 1.

NOTÆ.

(973) Rectius dixisset VIII Kal. Maii; v. supra l. VI, c. 27.
(974) Wanzleven.
(975) V. Kalend. Merseb., h. d.
(976) Birgelu, Birgel, Buergel, in ripa Moeni læva inter Offenbach et Hanau. Pargilla apud Bohmer Cod. Francof., p. 4, 5, 9. De villa Pirge. ecclesiæ S. Petri in Moguntia proprietate v. Kindlinger Horigkeit Nro. 159. In eodem loco Otto III fuit a. 993, Jun. 2, teste ejusdem charta hic data.

fratremque suum ducem Heinricum Ratisbonæ intronizavit. Mense Junio inæqualitas æris hominibus multis eorumque utilitatibus diversis admodum nocuit.

10. Eadem tempestate æcclesia mihi indigno commissa [1878] multum, mea id exigente [1879] culpa, sustinuit (f. 186') dampnum. Namque misericors et paciens Deus noluit amplius inultum relinqui, quod crebra sui castigacione nequivit prohiberi, percuciens eam in mansuetudine et non in furoris sui digna retributione: ministros utiles sibi hæc perdidit, et facinus meum cotidie ingemiscit. In predicto et enim mense dedecus magnum eidem ac mihi [1880] inlatum est ab ibrida Æthelberto [1881], qui curtem meam invadere eamque frangere servili [1882] collectione presumpsit. Quod vero hos [1883] ad hæc agenda inflammaverit, veraciter explicabo. Secundi Ottonis larga benignitas, cunctis pleniter arridens, quendam forestum, inter Salam et Mildam fluvios et Siusili ac Plisni pagos jacentem, nostræ concessit æcclesiæ, temporibus Gisileri antistitis et Gunterii [1884] marchionis (977). Post lugubrem vero nostræ sedis destruccionem, regnante tunc tercio Ottone, Ekkihardus marchio forestum ad locum Sumeringi dictum acquisivit, et cum eodem nostrum commutavit. Renovator autem nostræ tunc dignitatis, rex Heinricus, cum maxima parte appertinentium, presentibus cunctis optimatibus suis, et confratribus hiis [1885] Herimanno et Ekkihardo id defendere non valentibus, judiciaria lege hunc restituit. Cumque hic in nostræ dominio æcclesiæ plus quam duodecim annos (f. 187) staret, et hunc Hirimannus comes 60 mansis redimere ex mea potestate nullatenus valuisset, visum est ei ut eum sibi et confratri super duorum proprietatem burgwardorum, Rochelinti [1886] ac Titbutziem (978), imperatoriis vendicarent preceptis, sperans antiquiorem nostram confirmacionem diu esse abolitam. Quod cum mihi is aperiret, id nil proficere sensit. Namque in Magadaburg et in presentia imperatoris nostri precepta utrisque ostenduntur, et munera nostrimet in omnibus priora esse convincuntur [1887]. Tandem predictus comes, presente suimet fratre ac id audiente, hæc futur: *Quicquid hactenus in hiis fecimus, non ob temeritatem aliquam, sed quam habuisse speravimus justiciam. Nunc autem id omittamus.* Non longe post Ekkihardus juvenis, ac ideo immaturis, in burgwardo suimet Rochelenzi dicto arduas munitiones ad capiendas ibidem feras instinctu Budizlavi militis sui parat. Hoc ego postea comperiens, pacienter tuli, et ne sic agere vellet, per internuncium meimet, fratrem ejus [1887] postulavi. Herimanno quoque fratri suo hæc cito questus, nil in hiis omnibus profeci, sicque stetit (f. 187') usque post pascha. Et quia tunc aris serenitas et viæ oportunitas conveniebant, et in has episcopatus mei partes nunquam veni, placuit mihi illuc pergere, hactenusque [1888] ignota diligenter inquirere. Mense Maio (*an.* 1018), 6 Nonas ejusdem ac 6 feria ad Chorum (979) veni, ibidemque populum confluentem confirmavi. Dehinc cum in ipso itinere predictum opus laqueis et retibus magnis firmatum viderem, obstupui [1889] ac quid inde fa erem cogitavi. Tandem, quia hæc instrumenta nullatenus mecum vehere potui, ex hiis partem incidi protinus jussi, rectoque itinere ad Rochelinzi [1890] tendens, paucos illic confirmavi, et decimacionem, injuste mihi abstractam et forestum banno omnibus interdicens, hæc nostræ assignavi æcclesiæ, facta pace. Tunc redii ad curtem supramemoratam, ibidemque 7 dies cum manerem, audivi, quod milites Ekkihardi meis minarentur sociis. Ibi tunc cancellarius (980) pernoctavit mecum, et a me hæc comperiens, bene respondit. Postea congregationes multæ mihi ad nocendum a predictis satellitibus factæ, a nostris custodibus ad tempus bonum preoccupatæ sunt. Interim (*an.* 1018, *Mai*) nuncium meimet ad imperatorem Magontiam misi, pacemque ejus supplex (f. 188) pecii. Quam cum Ekkihardus ex sua parte promitteret, et frater suus diu a me desideratus a Polenia veniens, dextera manu sua pacifica promitteret, uterque hanc non bene servavit. Namque homines 6 flagellati ac depilati cum edificiis turpiter mutilatis approbant, qualiter tanti seniores ab aliis precaveri debeant. Satellites eorum more solito in me non modo exarsere, verum etiam aliis melioribus nocuere. Archiepiscopum etenim Geronem in Wirbini et Sifridum comitem in Nicici (981) pecierunt, et in quantum eis placuit, abstulerunt.

11. Superbia seniorum [1891] instigat furorem satellitum, et quia hiis sufficit [1892], equales sibi alios in hiis partibus esse non permittit. Si aliquis vicinus non sponte sua erga eos ex improviso delinquit, non est eis emendacio condigna acceptabilis, et post

VARIÆ LECTIONES.

[1878] *in loco raso* 1*b*. [1879] exgente 1. [1880] ac mihi *add.* 1*b*. [1881] ath. 1*c*? [1882] servile 1*a*. [1883] *add.* 1*b*. [1884] *alterum* i *erasum* 1. [1885] rochelinti *ut infra* rochelenzi 1. *litera* n *in utroque erasa*. [1886] convinciuntur 1. [1887] fratrem ejus, *nunc erasum in cod.* 1. *adest* 2. [1888] que *add.* 1*b*. [1889] obstipui 1. [1890] n *et ultimum* i *erasum*. [1891] servorum 1*a*. [1892] his non sufficit 2.

NOTÆ.

(977) V. chartam imperatoris, a. 974, Aug. 30.

(978) Pagus Teitzig, Rochlicium et Colditium interjacens. URS.

(979) Hodie vocatur Kobren, parvum oppidum modico ab Rochlitio intervallo. URS.

(980) Is erat Guentherus, Hermanni et Eccardi marchionum germanus, ab ann. 1003 usque ad ann. 1024 munus cancellarii cæsarei sustinuit, et postea archiepiscopatum Salisburgensem adeptus est. V. ann. Saxo ad ann. 1029 et Hansiz German. sacram t. II, p. 167. URS.

(981) Nomen Nicici reconditum habere videtur vicus Nischwiz, in cujus locum subexitum sæculi XVII, nitida et culta civitas Oranienbaum (prope civitatem Dessau) successit. URS.

recompensacio invincibilis. Et per hoc flagellum vicini graviter concuciuntur, ut non contra se, alii sive rectum habeant sive non, nequaquam eleventur. Episcopatus in hiis partibus constituti ab eorum potentia sunt nimium depressi; et nos eorum procuratores, si contra Deum et justiciam ejus voluntati eorum in cunctis satisfacimus, honorem et aliquam utilitatem habemus, sin autem, contempnimur, et sic [1895], ut nobis nullus aut (f. 188') regnet aut imperet dominus, depredamur. Novus cornupeta antiquam legem bonamque consuetudinem hactenus florentem jam disrumpit, seque cæteris [1896] elatiorem esse, valenter ostendit; qui cœlitus ni cito deprimitur, nimis [1897] insolentia intolerabilis solidatur. Daviticam is ignorat sententiam, cunden sic dulciter amonentem : *Nolite extollere in altum cornu vestrum* (*Psal.* LXXIV, 6), et cætera [1898]. Orat pro talibus idem psalmista sanctus : *Auferes spiritum eorum, Domine, et deficient, et in pulverem suum revertentur; et emittes spiritum tuum et creabuntur* (*Psal.* CIII, 29), et reliqua. Multum indiget memoriæ, qui nullatenus cognoscit se, cum is qui se jugiter considerat, sine famine bono nil valeat. Ergo peccatores quique resipiscant, et ut se custodiant pauperibusque [1899] misereantur, sumopere studeant. Ego in flagiciis miser et in facultatibus pauper, quamvis in utroque ejusdem ordinis viros [1900] precellam cunctos, tamen contumeliam superius memoratam non solus pacior sine illis [1899]. De coepiscopis in diversa hujus mundi parte constitutis [1900] ineffabileque detrimentum perpessis, nil ad hæc exemplaria introduco, quia absque omni honore, sola benediccione excepta, eos esse, graviter ingemisco, et de hiis dumtaxat disputare mihi [1902] nunc tempus est, quid (f. 189) apud modernos a concivibus [1901] suis similem vel, pro dolor! deteriorem subiere vindictam.

12. Bernwardus [1903], sanctæ Hillinessemensis æcclesiæ venerabilis pastor, in tantum a Brunone exosus est comite (982), ut militem suum Rim nomine videret crine et tergo depravatum, postque eundem secum iterantem ab Altmanno juvene interfectum jacere. Swithgerus autem, almæ Mirmingerdensis æcclesiæ antistes egregius, in sua curte a quodam [1903] tirone ingenuo appetitur, et villici [1904] suimet cruore coram se occisi maculatur. Quid tales personæ umquam promeruere? Illi patres ambo pii fuerunt, et tamen dedecus hoc immeriti pertulerunt. Sed quia in superioribus de Suithgero presule nil sum, id peste letargica impediente, locutus, nunc hoc emendare congruum est. Hic Saxonia genitus, et in Halverstidi ac in Magadaburg a puero educatus, a tercio Ottone civitati prædictæ prepositus est; quam cum omni diligentia rexisset [1905], divino munere fultus, polluit in diversis virtutibus. E quibus duas tantum res profero, quas testimoniis veracibus approbare valeo. Camerarius suimet cum pileum quendam furtive subtractum celare voluisset, diligenterque a pio seniore rogatus nil profiteretur, cultellum supra mensa positum et ex animo benedictum sumere coactus [1906] (f. 189') quasi ignitum celeriter projecit, reumque se nimis esse coram profitetur. Alio tempore quidam maligno arreptus spiritu, vi magna captus est, et in presentia predicti patris adductus; quem solvi protinus jubens, baculoque solum se acriter inrumpentem viriliter amovens, facto sanctæ crucis signo, divina potestate securum [1907] exire fecit. Talis vir hæc non sibi, sed illi, qui per eum tanta [1908] est operatus, asscribens, vixit in Christo dies huic vitæ concessos, ministrans illo [1909] fidelis servus omni studio. Sedebat ille 16 annos, magna semper, quæ virtutem omnigenam perficit, infirmitate gravatus, et tunc obiit, in quo genuit, 13. Kalendas Decembris, Heinrico inperatore nostro tunc regnante 10 annos (983). Hujus successor Thiedricus, materteræ meimet [1910] filius, magnum dedecus ab Heinrico, Hirimanni [1911] comitis filio, ut predixi (984), perpessus est. Sed in hoc anno eadem commotio ad tempus sedata elevatur. Heribertus, Coloniensis archiepiscopus, a predicto comite multa diu sustinuit incommoda, nec mirum, cum is matrem suam diutina teneret custodia. Insuper Meinwercus presula Thietmaro nepote meo, Bernardi ducis fratre, despoliatus est (985).

13. Sed cur hoc totum explico, cum in nullo horum nec exemplar [1912] bonum nec levamen meum ullatenus [1913] agnosco? Sacius est mihi, inceptis, (f. 190) insistere meis; et dum hoc tracto, illam beati Johannis visionem in mente habeo : *Primum ve abiit, et ecce duo post hæc!* (*Apoc.* IX, 12.) Nimis enim est miserabile, quod in superioribus sepe locis revolvi [1914]. Sic in temporibus nostri lectoris ac invicti defensoris Heinrici nil umquam tale accidit, quale modo detrimentum e nostro facinore emersit. Namque in Julio mense ac 4 [1915] Kalendas Augusti et in [1916] feria (*Jul.* 29) Mars sevit in viscera, quod in perpetuum plangit mater æcclesia. Peciit enim Æthelboldus [1917], Trajectensis episcopus, cum Godefritho duce, auxilioque suimet sociorum atque amicorum imperatricis nostræ nepotem Thiedricum sepius in occisis militibus suis multum nocentem; et in insula quadam fit conventus collecti exercitus. Hic velociter ad pugnam preparatus, mortem quam

VARIÆ LECTIONES.

[1895] *add.* 1*b*. [1896] ceteris 1. [1897] inimis 1. [1898] cetæra 1. [1899] que *add.* 1*b*. [1900] uiris 1*a*. [1899] illos 1. [1900] institutis 1 *a*. [1901] aciucibus 1. [1902] n *erasum* 1. [1903] quadam 1*a*. [1904] uuillici 1*a*. [1905] c *add.* 1 *b. post erasum*. [1906] coatus 1. *i. e.* coactus *sive* conatus; sumere præcepit, quem *A. S. a.* 993. [1907] hostem 2. *A. S.* [1908] tantum 1*a*. [1909] illi 1*c*. [1910] memet 1. [1911] *alterum* i *erasum* 1. [1912] in e. 1*a*. [1913] nullatenus 1*a*. [1914] reuuolui 1*a*. [1915] *in rasura* 1. [1916] IIII 1*a*. [1917] ath. 1*c*.

NOTÆ.

(982) V. Vitam Bernwardi c. 34.
(983) 1011.
(984) V. supra l. VII, c. 34 et 35.
(985) Conf. Vitam Meinwerci c. 32 et 70.

hosti minatur, pro dolor! patitur. Namque a Fresonibus [1018] ex insidiis undique erumpentibus et a predicti juvenis satellitibus ex inproviso is circumventus, dictu terribile! gladio [1019] et aqua sine resistentium dampno vitam hanc finit. Episcopus autem in navicula quadam vix fugit, ac dux ab hoste salvatus est [1020], et ut veraces affirmant, plus quam tres [1021] legiones interfectorum sunt. Omnis hæc regio, defensore forti carens, piratas advenientes timet, cottidie merens. Godefridus [1022] comes occiditur, Johannes autem optimus miles jacet, quem semper patria deflet (986). Horum [1023] consocii nobiles (f. 190) et incliti hactenusque pugnantes dextra victrici, nunc pausant sorte infelici. Luit corpus eorum, quod promeruit macula nostrorum; sed, ut spero, gaudebit eorum anima, tam gravi exacerbacione purgata. Sed ne stupeas, lector, talem casum, perpendas etiam ortum. Thiedricus ille infaustus predicti antictitis satelles fuit; hic in quadam silva Mirwidu [1024] vocata (987) magnum habuit predium, quod sibi ex ejusdem parte injuste ablatum fore, cuncti comprovinciales cesari in Niumagum querunturUnde cum consilio optimorum imperator episcopo Trajectensi hæc loca precepit incendi et conclamantibus reddi; cumque seniorem suum juvenis nefandus a mandatis talibus compescere nequivisset, licentiam abeundi peciit, et se id prohibiturum esse promisit. Nec mora, factum est quod dixi plus causa nostri facinoris, quam pro merito victoris. Hanc ineffabilem ac nimis invincibilem erumnam avium undiquessecus huc congregatarum et semet ipsas invicem ungulis interficientium multitudo longe presignavit, eumdemque locum, quo isti postea oppetiere, preoccupavit. Quod David sanctus monti Gelboe imprecatus est (*II Reg.* I, 21), huic insulæ ego nullius meriti semper exopto. Baldericus Leodicensis [1025] episcopus obiit in Tiele eodem die (988).

14. (f. 191.) In diebus illis in episcopatu meo septem mancipia fungos manducavere non rectos, et acri ardore succensi, celeriter mortui sunt. Et in mense Augusto (*an.* 1018) stella quædam juxta plaustrum [1026-27] noviter apparens, radiis en inus emissis cunctos cernentes terruit (989). Numquam enim nostri memoria talis exoritur, et ideo unusquisque [1028] hoc [1029] admiratur, prodigium hoc esse, timet vulgus, sed cum misericordia id finiri, fidelis sperat popellus. De hiis similibus clamat Jeremias veredicus: *Qui scit universa, novit illa; et adinvenit ea suimet sua prudentia* (*Baruch* III. 32). Stella hæc quæ effulsit plus quam 14 dies visa est. In provincia Northuringun dicta tres lupi semper congressi, nec antea ex habitatoribus hiis visi, hominibus multis atque pecoribus ineffabiliter nocuerunt. Hoc quoque indigena omnis vehementer expavescens, majoribus curat inpleri de rimentis. Beatus namque loquitur Gregorius: *Multa debent mala precurrere, ut illa valeant sine omni fine ventura nunciare.* In supradictis omnibus desuper nobis ira cœlestis revelatur, sed circumspeccione vigili [1029] hæc ab humana fragilitate non attenditur.

15. (f 191) Iste [1030] annus nova nuncupacione terræ [1031] mocio vel magna contricio ex rei veritate appellari potest. Ineffabilis enim tribulacio mundo instabili exorta habitatores ejus undique turbavit, cujus partem predixi, et tunc quæ preteriera alte gemitu tracto explicam. Balderici presulis et Cameracensis episcopi milites pœne omnes predicta oppecierunt in insula, et in proximis tribus provinciis non superrat una domus, ubi saltem non deesset habitator unus. Post tempora Caroli in [1032] una die vel anno aliquid in hiis regionibus tale non accidit, sicut vetustas asserit. Quomodo umquam ceciderunt tales viri absque dampno hostili? Sed nullus id miratur, qui hoc rite meditatur, quia is nil potest pugnare, quem culpa sui gravis vindicta Dei nititur deprimere [1033]. Hic inexuperabilis casus postea cito obliviscatur; quia Godefridi ducis auxilio Athelboldus antistes cum Thiedrico hoste reconciliatur; et hoc venit non ex voluntate sua, sed ex necessitate summa. Non erat enim istius regionis ullus prepotens defensor, si amplius insurgeret inimicus acrior. Si damnum hoc ex consensu divino factum est, quis potest ulcisci? sin autem, quis vindicatore insanabilior [1034] illo? Nunc ut sanctus abba [1035] Columbanus in morte magni inperatoris Caroli fecit, ita nos stringamus lacrimas precesque fundamus [1036] proficuas.

16. Nec tacendum est, quod in Ruscia contigit lugubre damnum. Belizlavus namque eam grandi exercitu peciit, multumque ei nostro famine nocuit. Mense etenim Julio et 11. Kalendas Augusti predictus [1037] dux ad (f. 192) quendam fluvium (990)

VARIÆ LECTIONES.

[1018] fresionibus 1*a*. [1019] *add.* 1*b*. [1020] ab h. s. e. 1*b*. *in loco raso*. [1021] *tres in loco raso* 1*b*. [1022] g. c. o. *et* an tem*add.* 1*b*. [1023] Hujus 1*a*. [1024] *Supra* u *prius* c *erasum videtur, ita ut* Mircuuidu 1*b*. *voluerit*. [1025] c *erasum* 1. [1026-27] juxta signum majoris ursæ, quod vulgo plaustrum dicitur 2. [1028] unus *add.* 1*b*. [1029] *add.* 1*b*. [1030] *alia pergit manu* 1. [1031] I 1. [1032] t *corr.* 1 1. [1033] deprimire 1. [1034] uindica... insanabilius 1. (*spatio relicto quatuor aut quinque litterarum*). [1035] *erasum* 1. [1036] fundimus 1. [1037] prodictus 1.

NOTÆ.

(986) Kalendarium Merseburg., Jul. 29: « *Godizo et Johannes et Godefrid comites cum innumera sociorum suimet multitudine perempti sunt.* Conf. Necrol. Luneburg., Jul. 30. Conf. Alpertum l. II, c. 21, ubi hoc prælium refertur ad Jul. 29, et Baldericum l. III, c. 19.

(987) In districtu hodie vocato Merwe prope civitatem Dordrecht.

(988) Necrol. Merseburg., III Kal. Aug.

(989) De hac cometa v. Ann. Quedlinb., a. 1018; Alperti. l. II, c. 19.

(990) Sc. Bog.

veniens, ibidem exercitum suimet castrametari pontesque necessarios parare jubet. Juxta quem rex Ruscorum [1938] (991) cum suis sedens, futurum duelli invicem condicti eventum sollicitus expectabat. Interim Poleniorum provocacione [1939] hostis presens ad bellum excitatur et ab amne, quem tuebatur, eximopinata prosperitate fugatur. Ex hoc rumore Bolizlavus extollitur, et consocios parari et accelerare rogans, fluvium, etsi laboriose, velociter transcendit. Inimica autem acies contra turmatim [1940] ordinata patriam defendere suam frustra nititur. Namque in primo conflictu cedit, ac numquam postea fortiter resistit. Ibi tum cesa est innumera multitudo fugiencium et parva victorum. Hericus miles inclitus ex nostris oppetiit, quem imperator noster in vinculis diu retinuit (992). Ex illa die Bolizlavus optata prosperitate inimicos palantes insequitur, et ab incolis omnibus suscipitur multisque muneribus honoratur. Interea quedam civitas, fratri suo (993) tunc obediens, a Jarizlavo vi capitur, et habitator ejusdem abducitur. Urbs autem Kitava (994) nimis valida ab hostibus Pedeneis ortatu Bolizlavi crebra inpugnacione concutitur et incendio gravi minoratur. Defensa est autem ab suis habitatoribus, sed celeriter patuit extraneis viribus; namque a rege [1941] suo in fugam verse relicta, 19. Kalendas Septembris Bolizlavum, et quem diu amiserat, Zentepulcum seniorem suum, cujus gratia et nostrorum timore omnis hec regio conversa est, suscepit. Archiepiscopus (f. 192) civitatis illius cum reliquiis sanctorum et cæteris ornatibus diversis hos advenientes honoravit in sancte monasterio Sofhiæ, quod in priori anno miserabiliter casu accidente combustum est (995) [*an.* 1018, *Aug.*]. Ibi fuit noverca regis predicti, uxor, et 9 sorores ejusdem, quarum unam prius ab eo [1942] desideratam antiquus fornicator Bolizlavus, oblita contectali sua, injuste duxerat. Ineffabilis ibi pecunia ei ostenditur, cujus magna pars hospitibus suis ac fautoribus distribuitur, quedam vero ad patriam mittitur. Fuerant in auxilio predicti ducis ex parte nostra trecenti, et ex Ungariis quingenti, ex Petineis autem mille viri. Omnes hii tunc domum [1943] remittebantur, cum indigenas adventare, fideles sibi apparere, senior prefatus letabatur. In magna hac civitate, que istius regni caput est, plus quam quadringente habentur ecclesiæ et mercatus 8, populi autem ignota manus, quæ sicut omnis hæc provincia ex fugitivorum robore servorum huc undique confluencium, et maxime ex velocibus Danis, multum se nocentibus Pecinegis hactenus resistebat et alios vincebat. Hac elatus prosperitate Bolizlavus, archiepiscopum predictæ [1944] ad Jarizlavum misit, qui ab eo filiam suimet reduci peteret, et uxorem suam cum noverca et consororibus reddi promitteret. Post hæc dilectum abbatem suum Tum [1945] ad nostrum inperatorem cum magnis muneribus misit, ut suam amplius gratiam et auxilium acquireret, et se cuncta [1946] sibi placencia facturum indicaret (996). Ad Greciam [1947] quoque sibi proximam nuncios misit, qui ejusdem imperatori bona, si vellet (f. 193) fidelis amicus haberi, promitterent; sin autem, hostem firmissimum ac invincibilem fieri intimarent. Inter hæc omnia omnipotens Deus assistat medius, et quid sibi sit placitum et nobis proficuum, clementer ostendat. In diebus illis Udo comes [1948], nepos meus, Hirimanum, coequalem sibi tam in nobilitate quam in potestate, cepit, et invitum in suam municionem duxit. Ob hoc vereor aliquam filicem periculosam oriri, quæ vix aut nullatenus possit eradicari.

17. De imperatore nostro nunc sermo mihi oriatur, qui de invisa expedicione (997) reversus (*an.* 1018, *Sept.*), nil de promissis percepit, sed parum sibi renitentibus nocuit. Hujus miles egreius atque fidelis, dux Thiedricus (998), cum ab eo separatus domum pergere voluisset, a quodam seniore, Stephano [1949] nomine, cesaris atque suimet, ut patuit, inimico, locis impugnatur abditis; et cum jam victor existeret, milite in predam cadente, iterum initur, et pro dolor! superatus, cum paucis [1950] effugit. Hæc fuit ei in talibus secunda temptacio; et faciat Deus ut non eveniat illi tercia periclitacio. Imperator noster cum de his omnibus [1951] efficeretur certus, unum in Suevia regione colloquium de re publica habuit, et mox per Renum sollicitus descendit. Namque cooperatores ejus et regni suimet columne maxima parte pro dolor! cecidere, sibique grave pondus occultum [1952] fidei simulatores occultis resistere insidiis per extraneos nituntur, ut non liceat ei libertate congruenti inperare, eorumque injustam temeritatem [1953] in aliquo minorare [1954].

VARIÆ LECTIONES.

[1938] rurorum 1. [1939] provocacionē 1. [1940] tuimatim 1. [1941] *ita A. S.* agere 1. [1942] habeo 1*a. et ita infra.* [1943] domum 1. *in duabus linesi.* [1944] *scilicet* ecclesiæ. [1945] Thuni, in quo regnabat tota hypochrisis 2. *A. S.* [1946] cunct 1. [1947] grām 1. urbem 2. [1948] oms 1. [1949] stphano 1. [1950] pauos 1. [1951] omibus 1. [1952] in occulto imminebat 2. *A. S.* [1953] et libertatis insolentiam 2. *A. S.* [1954] *Cod.* 2. *in fine addit :* Continet iste liber gesta quinque imperatorum, id est Heinrici primi et trium filiorum ejus, Ottonis, qui dictus est Rufus, et Ottonis secundi, nec non et tertii Ottonis, qui dicebatur pulcher puer, et Heinrici secundi, cui nomen adhesit pietatis. Qui imperatores Romanum et Teutonicum imperium per annos centum et septem strennue rexerunt. Conscripsit autem ea Thietmarus Merseburgensis episcopus; qui, quia Saxo erat, maxime quid in Saxonia hii imperatores egerint describere videtur.

NOTÆ.

(991) Jarislav.
(992) Conf. supra l. VII, c. 12.
(993) Swætopolk.
(994) Kiew.
(995) Conf. l. IV, c. 37.
(996) V. Ann. Quedlinb., a. 1018.
(997) Nempe ex Burgundia. Conf. supra cap. 9.
(998) Lotharingiæ superioris. Die Sept. 9, in civitate Zurich monasterio Meinradszell silvam, in qua situm est, donavit, teste ejusdem charta.

ANNO DOMINI MVIII.

BRIDFERTUS

RAMESIENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN BRIDFERTUM.

(Fabric. *Biblioth. med. et inf. Lat.*)

Bridfertus, sive *Britfrithus*, Lelando cap. 136 *Brightefertus*, Saxo, Abbonis discipulus, monachus Ramesiensis, circa annum 1000, scripsit in Bedam De rerum natura et De temporibus, commentaria edita tomo I Bedæ Operum. Atque eodem pertinet Britferti Computus Latinorum, Græcorum, Hebræorum, Ægyptiorum et Anglorum, qui exstat ms. in bibliotheca Bodleiana. Ejusdem Vitam sancti Dunstani, archiepiscopi Cantuariensis, an. 988, defuncti, edidit Henschenius in Actis Sanctorum 19 Maii, tom. IV, p. 345. Præterea Joannes Baleus, centur. 2, cap. 35, memorat ejus librum De principiis mathematicis, et alium De institutione monachorum.

SANCTI DUNSTANI VITA

Auctore B. presbytero coævo, et teste oculato.

(Apud Bolland. Maii, tom. IV, die 19, pag. 346, ex ms. Vedastino Atrebati.)

MONITUM.

Plures iique illustres scriptores Acta Dunstani conscripserunt, quæ indefesso labore conati fuimus nancisci. Ex his antiquissima sunt quæ aliquis Saxonicus apud Anglos sacerdos, qui nomen suum littera B solum significavit (Britfertum fuisse cœnobii Rameseiensis monachum, qui circa annum 980 vixit, conjectat Mabilio) inscripsit Alfrico archiepiscopo Cantuariensi, anno post obitum S. Dunstani octavo ad eam sedem promoto, ac dein anno 1003 e vita functo. Hic in prologo asserit se scribere quæ vel videndo vel audiendo ab ipso didicerat, vel etiam ex ejus alumnis, quos a tenella juventutis ætate ad viros usque perfectos, doctrinarum pabulis decenter instructos, ipsemet educando deduxit. Et num. 39, acturus de ejus obitu : Arbitror, inquit, æquum esse ut ea quæ vel egomet vidi vel audivi, justa Dei admonitione stimulatus, pro posse charitatis enodem. Sed, quod dolendum est, quando deventum est ad exhortationem triduo ante obitum in festo Ascensionis factam, reliqua deerant in pervetusto ms. codice, quem nos Roma anno 1662 reduces in celeberrimo S. Vedasti Atrebatensi cœnobio reperimus et descripsimus.

PROLOGUS.

Perprudenti domino archonti Alfrico, omnium extimus sacerdotum B. [Bridfertus] vilisque Saxonum indigena, alta polorum gaudia.

Te quidem, pastor præcelse, ob enormitatem divulgatæ peritiæ, propterque magnificam et placidam privilegii dignitatem, ad insuperabilem mihi tuitionem (1) [ante] cæteros quosque, quamvis sint doctrina perspicui, excipiendam secernam : qui quodam luculento competentis facundiæ calamo, decentis æditui, almi scilicet Dunstani, merita monimenta protelare conarer, ni incepta gloriosæ vitæ ipsius præconia (2) omnemque hujus opusculi definitionem

Stylus affectata quadam phrasium insolentia obscurus, in prologo, videtur torsisse librarios et in varia sphalmata præcipitasse; quæ ne nimis torqueant lectorem, eorum aliqua conabor per conjecturam emendare, originaria ms. Atrebatensis lectione huc relata, si quis forte ex ea congruentius aliquid

A degeneri vitiorum stylo, ut cernis, attaminando fœdarem. Quapropter primus præ cæteris hujuscemodi dedecus patula protestatione tuæ serenitati profiteor, meque adeo more aligerorum, qui se, priusquam profectionis vocem emittant, alarum plausibus flagellare videntur, propriis verborum verberibus, tuis provolutus genibus, exonerans affligo. Eatenus, inquam, ut quidquid hac in editione contra orthographiæ normam compositoris vitio usurpatum repereris, imperiali potentia abradere, ac ploranti pinnicula profluentis encausti in melius ab errore reformatum emendare præcipias. Quin etiam utriusque ordinis in utroque sexu sagaces, hanc quoque

B possit extundere : ubi autem sola unius alteriusve voculæ transpositione res agi potuit, non credidi operæ pretium lectorem de mutatione facta monere.

(1) Ms., *Tutiorem.*
(2) *Præmia.*

tenuem (3) nostri libelli segetem litterarum pedibus transmeantes, toto cordis intuitu, tuoque potius (4) suffragio, fidem facere permoneo; astu tamen, ne rari germinis seminaria incaute calcantes deprimant; neu interea (dum) in annona depressa petitura olera penitus exstirpare nituntur, justa potius plantaria, cum malis pariter secanti intercepta sarculo, eradicando præcidant; sed exsecrabilia hujus superficiei lolia, quodam levi conamine, passim per locorum spatia negligenter respersa, fundo tenus explodant. Si hæc mihi affectanti præcamina (5)... concedenda persentio, satis gratiosa beneficia rependenda depromo; sin autem invidis æmulorum abdicamentis refutata temnuntur, ignoratur utique quid satius inceptem, quam ut propria falcicula, licet sit scabrosa, mutilatione tenuatim obducta, propriam messem sudati laboris pro posse virium piare procedam : si tamen quodam demonstranti digitulo corrigentis indicetur qua parte locorum inserta vitiabilis campi vituperia provocatus incidam. Ergo quoniam causa inscitiæ id fieri quod volo nequibit, id tandem quod queo velle compellor. Hoc siquidem, ut (ad) optatam prælocuti theologi (6) mentionem (quam lepido facilitatis eulogio, vel, si possim, summatim (7) rimatus, capitella omnemque proceram hujusce texturæ seriem, chrysidineo (8) schemate ac biformi (9) renitentis electri colore gemmatim diserere, gestiebam) nunc saltem satyrica fatuitate gressuque lapsandi quasi minus sapiens vacillando incedam. Melius tamen tantæ vitæ venustatem idoneis compositoribus (ni beati antistitis imminentem iram pertimescam) conscribendam reservo; quia non summa profitente, quoquam in hujus cosmi situ præstantior; ast personis omnibus, divo carens dogmate, despectior. Nam e prudentibus neminem liberali eruditum ingenio propemodum pernoscis, qui tam deformi facundia in scribendis prologis, ut ego, videatur abuti. Has tamen sequentes paginulas, parvo capacitatis fomite utcunque compositas, fidissima fidelium attestatione purgato (10), si qua propria temeritate effigiata insignia in his me conseruisse diffidas, nisi forte quæ vel videndo vel audiendo, licet intellectu torpenti, ab ipso didiceram; vel etiam ex ejus alumnis, quos a tenella juventutis ætate ad viros usque perfectos, doctrinarum pabulis decenter instructos, ipsemet educando deduxit. Acceptes, obsecro, sola septus connexione charitatis, horum apicellorum tenuem congeriem, A vix ebenina (11) titulatione styloque fuscanti concretam, contra omnes invisorios æmulos invicta propugnatione tuendam, non favorio deditam runusculo, sed tuæ specialiter sublimitati collatam. In hac quippe litterali planitie, mentem magis spontaneam ambientis, quam agrestem componentis ignaviam, explorari (12) deposco : teque, sine tuæ offensionis molestia, moneo, tanti Patris virtutibus informari, exemplis ejus instrui, moribus muniri, disciplinis justificari : ut cujus exstitisti successor in terris, ejus merearis perennis esse confessor in cœlis, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum coæterno Patre sanctoque Spiritu vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT PRIMUM.

B *Ortus, educatio, studia, mora in aula regis, et inde expulsio.*

2. Cum multorum temporum a vero cultu Christianæ religionis vacua transissent curricula, quibus vetusto errori ritu gentilitatis gens Anglorum magis quam Christo Creatori cunctorum mancipari decernebat, misericors Dominus, ne factura sua, laqueis irretita diabolicis in æternum damnata periret, salutis æternæ remedium ejusdem cæcitati prospexit, ac venerandum Patrem Augustinum (13), a beato papa electum Gregorio, ad hujus partes patriæ miseratus destinavit : qui sagaci mentis ingenio inde conversam plebem fidelium, hæredem sociaret beato contubernio angelorum. Mox igitur ut vir Dei C inter insciæ nationis vepres sulcum celeberrimæ doctrinæ vomeremque Dei visitationis infixit, et triticeum sanctæ Trinitatis semen inseruit; sic vipereum pereuntis lolii germen ab hac exstirpavit, ut ulterius dumosi ruris rudera in ea pullulare prohiberet, et dignos Deo pœnitentiæ fructus documento pariter et exemplo debere offerri demonstraret. Itaque, qui ante eam spreverat, credidit Domino universus Albionum populus, et adjunctus est per veræ fidei agnitionem Deo suo. Hic autem, sine cujus sollicitudine parvi non succumbunt passeres, curam optimæ proventionis ob suæ statum conditionis ipsi deinde adhibuit. Elegit namque venturis ad se exinde liberis nutritios, reges, pontifices, duces, decanos, præpositos, cæterosque Ecclesiæ suæ rectoD res, qui post emensa singulorum spatia gregem Deo renatum sub pacis custodia regerent cum justitia.

3. Inter hos præcipuos regiæ prælationis viros, quem Christianissimi et orthodoxi multi regnando

(3) *Terrem*, forte *terream*.
(4) *Potitus*.
(5) *Precamina* adduntur hæc verba, *quiscunque e nebulosorum corculis*, quæ videbantur posse abesse, donec felicior conjectura intelligibilem sensum reperisset.
(6) Videtur *S. Dunstanum* quem supra *decentem ædituum*, quasi *dignum domus Domini custodem*, appellarat hic nominare *theologum*.
(7) *Summorum rimatum*.
(8) *Chrysidineus;* an dicitur quasi *aureus* vel *auro intextus?*
(9) Prosa scilicet et versu, atque ita deinceps varios versus, sed metro perquam vacillanti invenies contextui Vitæ admistos : quod mox appellare videtur satyricam fatuitatem.
(10) *Purgabo*.
(11) *Ebenina titulatione* indicari puto *scriptionem per atramentum* (est enim *ebenum* colore nigrum) et sic supra usurpavit *plorantem pinniculam profluentis encausti*.
(12) *Explorare*.
(13) Colunter *S. Augustinus* infra 26 Maii, et *S. Gregorius* 12 Martii, a quo ille missus venit in Angliam anno 597.

præcesserant, quorum nunc nomina difficultas non sinit rimari per singula, gloriosus rex Æthelstanus (14) annis succedentibus est rex Anglorum annumeratus. Hujus igitur imperii temporibus oritur puer strenuus in Westsaxonum finibus (15): cujus pater Heorstanus (16), mater vero Cynedrydis vocitatur. Quem pii parentes, sacri baptismatis undis renatum, Dunstanum vocaverant. Crevit itaque puer, et effectus est tam Deo quam hominibus charus. Erat autem quædam regalis in confinio ejusdem præfati viri insula, antiquo vicinorum vocabulo Glastonia nuncupata, latis locorum dimensa sinibus, piscosis aquis stagneisque circumducta fluminibus, et plurimis humanæ indigentiæ apta usibus, atque sacris (quod maximum est) Dei dicata muneribus. In ea siquidem ipsius loca primi catholicæ legis neophyti antiquam (17) Deo dictante repererunt ecclesiam, nulla hominum arte constructam, imo humanæ saluti cœlitus paratam : quam postmodum Ipse cœlorum Fabricator multis miraculorum gestis multisque mysteriorum virtutibus, hanc sibi sanctæque genitrici suæ Mariæ consecratam fore demonstravit. Huic etiam aliud addiderunt opere lapideum oratorium, quod Christo ejusque apostolo S. Petro dedicaverunt. Porro dehinc universorum circumquaque fidelium frequentia colebat, et jam dictæ insulæ pretiosum locum humiliter frequentabat. Contigit ergo hujuscemodi causis prædictum virum Heorstanum, comitante secum beato puero Dunstano, transire Glastoniam, et cum inibi causa orationis pernoctarent, ecce suavissimi soporis felicem obtexit pausatio puerum viditque mentis excessu quemdam senem niveo candore vestitum, per amœna se sacri templi atria ducentem, ac monastica ædificia, quæ post per ejus pastoratum ædificanda fuerant, demonstrantem, eo ordine quo nunc statuta referuntur fuisse.

4. Postea vero religiosi pueri Dunstani parentes sacris eum litterarum otiis contulerunt studentem : cui confestim Dominus tantam in his largitatis suæ conferre dignatus est gratiam, ut cœtaneos quosque præcelleret, et suorum tempora studiorum facili cursu transiliret :

Sed quod contulerat sibi signum summa Majestas,
In studiis ipsis parvo pro posse patebo.
Contigit hunc laborare diu nam febribus arctis,
In tantum ut phrenesis morbum pateretur amarum,
Immemor atque sui per deliramenta nugarum,
Plurima verborum vacuo jactasset ab ore.
Cladibus his fessus committitur et mulieri
Cuidam, quæ tenero tunc suppeditaret alumno,
Et curam gereret sub ea ne peste periret.
At memorata lues puerum super alta premebat,
Ut velut exanimis jacuisset ad ultima stratus.
Omnibus et membris fieret quasi jam moriturus.
Cumque diu sic mole mali gravaretur operti ;
Ecce repente movens abiit (18), propereque resurgit,
Fustem ac surculeum rapuit tunc forte repertum;
Quo cum percutiens ambabus partibus auras,
A canibus rabidis quasi se defenderet, ibat.
Sic quoque nocte ferunt ut ad usque peribola templi
Solivagus properaret, et inde veniret ad altos
Ascensus graduum, quo scandere summa solebant
Artifices operum, qui cum discrimine grandi
Ipsius, heu timidi! texere cacumina templi.
Illic, ut validus, summam consendit in arcem,
Et nimis incaute super hac stetit atque meavit.
Sed Domini pietas rapuit de fastigiorum
Casibus insontem; ponens quoque inde deorsum
Incolumem membris, salvum, sanumque locatum
Intus in hoc idem templum, de culmine vectum;
Quo duo custodes pariter de more cubabant,
Ut simul inter eos pausaret tertius ille.
Ipse tamen nescivit, qua ratione veniret,
Excogitare modum, vivensque sub æthere quisquam.
Ostia nam templi nulli patuere meanti,
Arcuit ast eadem ferrum sub cortice durum (19).
Optime nunc lector, celeri sermone fatere,
Quid tibi veridico videatur in hoc pusione :
Si talem dubites superum conscendere templum;
Qui hic clausis foribus pro salvatione ruinæ
Conditur in templo, (ut) redimat de labe maligna
Postea perplures et mittat ad æthera turmas,
Dogmata distribuens, nec non exempla relinquens.
Exsurgat patiens humilis, ruat atque superbus.
Nam quanto erat crescendo sublimior, tanto acuitatis ingenio locupletior; quantoque roticulis annorum maturior, tanto Dei dilectione ferventior; quanto vero in divinis laudibus assuetior, tanto perseveranti animo instantior.

5. Videntes itaque parentes prænominati tantam sui excellentiam filii, dignum sibi clericalis (20) imposuere censuram officii, inque famoso Glastoniensi Ecclesiæ sociaverunt cœnobio; quatenus ibidem die noctuque Deo Deique genitrici deserviret Mariæ, tempore continuo. Jamque disciplinis innc-

(14) *Æthelstanus* patri suo Edwardo seniori, anno 924 mortuo, successit. Ita passim omnes. Solum in Chronologia Saxonica, Bedæ Historiæ subnexa, refertur hoc ad annum sequentem.

(15) Secuti Wigorniensis, Dunelmensis, Westmonasteriensis aliique his verbis : *Cujus temporibus oritur puer strenuus Dunstanus in Westsaxoniæ finibus*, scilicet in Somersettensi comitatu.

(16) *Heorstanus*, aliis *Herstanus* : at *Cynedrydis* aliis, *Kynedrida*, *Kinedritha* et *Chinedrita*.

(17) De hac antiqua traditione Glastoniensis Ecclesiæ, in citato Somersettensi comitatu sitæ, egimus Kalendis Martii ante Vitam S. Davidis archiepiscopi Menevensis, num. 12.

(18) Adalardus Blandiniensis, *cœlesti, imo angelica, ut vere credi fas est, medela pristinæ saluti est redditus.*

(19) Idem Adalardus addit : *At matrona, cujus curæ ægrotans est creditus, usque ad transcensum pinnæ indefessa exploratrix cuncta prospiciens cœlesti prodigio fidele testimonium perhibuit. Miraculum plane divinum, cujus cum se pius pernegaret conscium, totum constat cœlitus peractum, et totum fuisse deificum.*

(20) Ms., *clericatus*.

xus Deificis, florentes suæ pubertatis annos evicta juventute calcavit : et justus in domo Dei sui, sicut cedrus Libani, vigoribus virtutum floruit : inque divinis plantatus atriis, incrementi sui robora singulis diebus protendebat ad sidera. Interea tam magna suæ constantiæ fama regis in palatio patuit, ut longe lateque magnificis rerum laudabilium divulgaretur indiciis. Non autem hujus mundi vanos captabat favores, sed copiis virtutum præventus illam æterni Regis gloriam ab intus gestabat, quam sibi pollens sapientia, docto digito donorum spiritalium, varietate etiam studiorum, nec non gemmante nitore aureorum ornatuum, dictavit. Nam multa sacrorum et divinorum voluminum prata, velut apis ingeniosa, sic rapido cursu capacis ingenii pervolavit, ut mentem potius quam corpus divinis reficeret lectionibus, et receptaculum casti pectusculi, sancti Spiritus flatu perfusum, gustu nectareo devote suppleret sensum. Porro Hiberniensium peregrini locum, quem dixi, Glastoniæ sicut et cæteræ fidelium turbæ, magno colebant affectu, et maxime ob B. Patricii (21) junioris honorem, qui faustus ibidem in Domino quievisse narratur. Horum etiam libros rectæ fidei tramitem philosophantes diligenter excoluit, aliorumque prudentium, quos ab intimo cordis aspectu Patrum sanctorum assertione solidatos esse persensit, solubili semper scrutamine indagavit. Ita vero vitæ suæ studium coercebat, ut quotiescunque divinæ Scripturæ libros scrutaretur, Deus cum eo pariter loqueretur; quoties autem, curis sæcularibus solutus, orationum otiis mulcebatur, ipse cum Domino pariter fari videretur.

6. Igitur dum hæc exercitia bonorum operum secum agerentur, nonnulli propriorum sodalium et palatinorum, tum quam maxime vero consanguineorum suorum, qui salutiferis actibus ejus invidebant, sanctæ vineæ vitem palmitemque, ad cœlestia regna tendentem, beatum videlicet Dunstanum in Christo pollentem, linguis acutis serpentium morsibusque dirorum dentium, ut hirci setigeri, rodere vel præcidere conati sunt. Conflabant enim sub livido antro nævosi pectoris inopinatam in eum scabiem mendacii, dicentes illum ex libris salutaribus et viris peritis, non saluti animarum profutura, sed avitæ gentilitatis vanissima didicisse carmina, et historiarum frivolas colere incantationum nænias. Huic autem morbo mendacii beatus tiro semper Christum opposuit, qui omnia, antequam fiant, novit : in cujus persona benignus propheta David, et fidelissimus ejus testis, oraculo præventus Spiritus sancti, in falsos auctores Dominicæ passionis ita inquiens, ait : *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* (*Psal.* xxvi, 12). Et iterum : *Qui quærebant mihi mala, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur* (*Psal.* xxxvii, 13). Et A ipse Dominus in Evangelio ait : *Beati eritis cum vos oderint homines*, etc. (*Luc.* vi, 22), Et auditoribus suis : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*Joan.* xv, 19). Itemque : *Beati estis cum maledixerint vobis* homines, *et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete* in illo die *et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth.* v, 11). Hac ergo servus Dei Dunstanus firmissima sponsione confortatus, velut homo surdus et quasi vocem objurgationis non curans, effectus est : cum vix unquam canibus contra se latrantibus aperuerit os suum per amaræ increpationis eloquium. Ipsi vero in machinamento malitiæ perseverantes, criminati sunt illum falsa quadam objectione coram rege, impetraveruntque ut ab eorum consortio pelleretur : quem, si sanæ mentis essent, unice dilexissent. Deinde atrocissima impietatis prævalescente rabie, rapientes insontem quadrifidis membris, velut ovem patientem, manibusque ac pedibus restrictum, projecerunt in lutulenta palustrium loca : et ut eum in furoris sui dementia contemptibiliorem efficerent, pedibus superimpri mebant : quousque, secundum voluntatis eorum malitiam, in fetenti volutabro dehonestarent. Illis autem recedentibus, vix ipse e palude fluminis quasi depicatus surrexit : et ad quemdam amicorum, uno inde distantem milliario, ut ibi se ablueret, venire disposuit. Occurrerunt vero illi canes ejusdem acerrimi : et quoniam luto deturpatum, magis monstrum quam hominem putaverunt, crudeli latratu hunc invaserunt : tamen ut blandientis vocem audierunt, mox (esse) illius ex eo tantummodo reticentes agnoverunt. Tunc ille secum ex profundo cordis suspirio ingemiscens, ait : O sæva propinquorum meorum vesania, in caninam sævitiam de dilectionis humanitate mutata ! Nam irrationabilis canum natura humanitatis mihi dilectionem cauda blandienti exhibuit : propinquitas vero humanitatis oblita, canum mihi infestantium severitatem inserujt ; sic improbus ordo amborum in utrisque mutavit justam viam.

B

C

CAPUT II.

D *Monachatus S. Dunstani. Gesta et pius obitus Æthelfledæ viduæ. Antiphona ex cithara prolata.*

7. Intellexit igitur ille avitus humani generis inimicus, memoratum juvenem, per sinistros nuntios invidorum sodalium quos miserat, pravis voluntatibus suis parum cessisse, quibus in eum insidiantibus armis dimicare inchoavit ; sed quanta sibi tentamentorum luctamina ingesserit, sequens libelli hujus pagina partim intimabit. Primum enim mulierum illi injecit amorem, quo per familiares mulierum amplexus mundanis oblectamentis frueretur.

(21) Jocelinus in Vita S. Patricii apostoli Hiberniæ a nobis 17 Martii illustrata, num. 163, enumerat inter hujus *discipulos, qui eius Acta conscripserunt, S. Patricium filiolum ejus, qui, post decessum patrui sui Britanniam remeans, in fata decessit et in Glastoniensi ecclesia sepultus est honorifice.*

Interea propinquus Ipsius Elphegus (22), cognomine Calvus, præsul quoque fidelis, petitionibus multis et spiritualibus monitis eum rogavit ut fieret monachus. Quod ille instinctu præfati fraudatoris renuntians, maluit sponsare juvenculam, cujus quotidie blanditiis foveretur, quam more monachorum bidentinis indui panniculis. Ut autem vir Dei verba abnuentis audivit, mox ex imo pectoris suspirio petivit regna superna regentem, quatenus illi inferret correctionum suarum judicia, ut cujus monita temneret acriter agnosceret : quod, Deo misericorditer favente, in parvi momenti spatio factum comprobatur fuisse. Eo namque modo turgentium vesicarum dolor intolerabilis omne corpus ipsius obtexit, ut elephantinum morbum se pati putaret, et spem vitæ propriæ penitus non haberet. Tunc festinanter, magno angore correptus, misit, et ad se pontificem, jam ante a se spretum, humili prece vocavit, et obedire se velle ejus salutaribus monitis nuntiavit ; at ille visitando veniens, consolatum et emendatum Deo monachum consecravit.

8. Pius igitur et misericors Dominus servum suum Dunstanum ab amore mulierum taliter miseratus retraxit : qui (ut historiæ tradunt) Joannem apostolum et evangelistam specialiter sibi dilectum a thalamis nuptiarum revocavit. Cum hac ergo Dei correctione, et beati antistitis Elphegi documento salutari, amoris effectus esset intelligentiæ, nonnunquam post ejusdem pontificis almitati, gratia saluberrimæ doctrinæ causaque parentelæ, sedula adhærebat continuatione. Interea religiosi Wintoniensium (23) cives invitarunt eumdem Dei pontificem ad quamdam novæ ecclesiæ dedicationem, quam in sua civitate Wintonia, qua regimen præsulatus ipse tenebat, pro summi Numinis reverentia condiderant, in parte meridiana popularis plateæ, quæ nunc ecclesia occidentali parte omnibus ecclesiis vicinior perhibetur esse. In hujus consecratione adfuit inter alios plures cum pontifice etiam Dunstanus, cum præcipuis unus. Qua dedicata coegerunt more humanitatis virum venerandum cum suis ad parata charitatis convivia, lætum diem pro tanti viri veneratione proque consecrationis ducentes celebritate. Pontifex autem post gratiarum actiones cum suis imminente jam nocte surrexit, et data benedictione convivantibus tam viris quam feminis, Deum benedicendo, ad propria remeavit ; et venerunt incedentes per viam ad ecclesiam B. papæ Gregorio consecratam ; ibique subsistens episcopus dixit B. Dunstano : Compleamus hic apud oratorium sancti Patris nostri Gregorii nostram completorii horam. Et accesserunt, post voces orationum, jungentes capita sua in unum : quo confessiones suas solita consuetudine vicissim proderent. Qua peracta dum daretur ab episcopo delictorum remissio, lapis permagnus ab alto aere irruit, et, parcente Domino, inter utraque capita vehementi lapsu in terram corruit ; tantumque tangens capillos utriusque capitis, nullum eorum læsit ; quem, ni fallor, ille malignus cujusque justi operis inimicus, ex improbitatis suæ jaculis furendo dejecit, quasi geminam iram in utrisque foret ulturus.

9. Contigit autem iisdem temporibus quemdam Glastoniensis Ecclesiæ diaconem, nomine Wulfredum, mortem subiisse temporalem : qui B. Dunstano, tempore dum viveret, prælatus (24) pariter exstitit et familiaris amator. Hic ergo non admodum longo tempore post discessum apparuit ei gaudens, multa de cœlestibus incognita, insuper etiam omnem seriem vitæ suæ, suæque futuræ ætatis, et eventuum bonorum malorumve fata definiens. Auditis vero beatus vir tantis mysteriorum luminibus, talibusque inevitabilibus vitæ suæ casibus, ait in excessu mentis positus : Si quæ certo relatu affirmas vera sunt et credenda, unde cognoscam ? Quibus signis patulæ demonstrationis illa mihi patebunt ? At ille duxit eum in atrium templi, quo corpora defunctorum humata quiescunt, digitoque demonstravit australi ecclesiæ parte locum inconvulsum, et dixit : Quia hæc, quæ tibi retuli, vera sunt, evidenter scito quia hoc in loco ante triduum presbyter quidam sepelietur, et nondum infirmatur ; corpusculum vero ejus ab occidentali parte templi præsentis tumulandum deferetur. Ad hanc visionis vocem beatus expergefactus Dunstanus, postque horam primam diei memor miræ revelationis, cum quibusdam in prænotatum sibi spiritualiter cœmeterii locum venit, nec non accipiens lapidem unum jactabilem, in eum projecit, hocque addidit : Si vera sunt quæ in somnis vidi, quidam presbyter hic ante triduum debet humari. Porro recedentibus illis venit cujusdam Æthelfledæ, nobilissimæ ac religiosissimæ matronæ, magister et sacerdos cum alio sociorum contubernio, et obtinuit sibi inter aliqua eloquiorum famina eumdem locum in sepulturam, dicens : Cum mortuus fuero, hic, precor, sepelite me. Erat siquidem ipse multorum testimonio adhuc in corpore sanus ; sed cum inde post paucum abiissent, gravi morbo finitimæ vitæ sarcinatus est. Deinde in nocte futura extremum spiritum Christo Domino commendavit, et ante triduum in ipso suæ electionis loco, qui B. Dunstano prius assignatus fuerat, sepultus est.

Tunc Domini servus sensit per sæcula faustus,
Talibus ex signis fuerant quia cuncta futura,
Quæ sibi jam dictas Wulfred sermone ferebat :
Visibus atque istis humus sapiensque beatus,
Felix et validus, cautus, castusque refulsit,
Ante Deum vel ante homines per tempora vitæ.

10. Nunc cœptum sermonem paulatim differendo intermitto, donec quædam brevia verba, quæ omittenda non autumo, parvo proferam eloquio. Erat namque quædam prædives matrona, regali ex pro-

(22) Acta *S. Elphegi* dedimus 12 Martii, non tamen elogium hujus auctoris, sed aliorum. Præfuit Ecclesiæ Wintoniensi ab anno 935 ad annum 951.

(23) Sequentia ad Acta *S. Elphegi* possent addi, tunc non perlecta.

(24) An *præcarus* vel *probatus* ?

genie orta, sed strictis nodis divinæ religionis innexa, cujus nomen brevi mentionis attactu nuper contigimus. Hæc post amissum virum, vitam ducere vidualem (25) pro virium qualitate desiderans, casulas sibi commanendi in affinitate sacri templi ad plagam occidentalem constituit, ut pro regni cœlestis desiderio ibidem Domino Jesu Christo die noctuque non desisteret famulari. Huic vero semper beatus adhærebat Dunstanus, qui hanc præ cæteris modis mirabilibus adamavit; ejusque, causa religionis simul etiam propinquitatis, egestatem sedulo sublevavit. Non est autem nostræ possibilitatis enarrare per singula verborum eloquia, qualem vel quantam se in divinis præpararet obsequiis. Dominus tamen omnium inspector secretorum, tam in ultimis metæ suæ temporibus, quam etiam dum in hoc mundo deguit, cujus esset meriti declaravit. Hæc igitur omne semen regium, de quo ipsa nobilitatis originem duxit, intimo charitatis ardore diiexit : ideoque gratia dulcedinis de suis sæpe rebus regibus ministravit. Ex hac ergo pia consuetudine glorioso regi Æthelstano prandium quod potuit obvia præparavit, quia hunc causa precaminum Glastoniam venisse præscivit. Scientes vero ministrationis regiæ prævisores quod dedisset rex nepti suæ divertendi ad se promissam, venerunt die præcedenti ad videndum si omnia paratuum ministeria habilia fuissent vel apta. Et conspectis omnibus dixerunt ad illam : Universæ ministrationis sufficientiam habes, si tibi medonis (26) liquor non defuerit. At illa : Non patiatur domina mea, sancta Mater Domini mei Jesu Christi Maria, ut ille mihi vel quid in regia dignitate deficiat. Et hæc dicens, antiquam Dei genitricis Mariæ ecclesiam quantocius intravit, seseque ibi rogatura prostravit, diu deposcens superni Regis opulentissimum sibi adesse supplementum, ad augendam regis ministrationem. Quid ergo? Venit rex stipatus multo comitatu ad tempus præfinitum; et post precum missarumque celebrationes lætus invitatum introivit ad prandium. Et tunc quidem in primo propinatu exhausere illud vas medonis, ad unius palmulæ mensuram : et sic postea, Deo augente et beata promerente matrona, nil minuens substitit, pincernis, ut assolet in regalibus conviviis, cornibus scissis aliisque indiscretæ quantitatis vasibus totum diem propinantibus. Quod dum mirabile factum rex ipse relatu ministrantium audisset, ait mente immutatus ad suos : Peccavimus, nimis hanc famulam Dei superfluitate multitudinis nostræ aggravantes. Et surgens, salutata nepte, subit viam suam.

11. Cœpit autem hæc famula Dei, transacto beati certaminis cursu, proximante jam fine, ex humano jure graviter infirmari : cui B. Dunstanus causam providendi solers exhibuit, et quasi propriam matrem unice custodivit. Contigit ergo his impedientibus curis, ipsum horis vespertinalibus abesse, et cum psallentibus more solito non fuisse catervis : ipso tamen finiti diei crepusculo, cum se sequentibus scholasticis, ibat ad jam observatam ecclesiam ut tardatum compleret officium. Et dum foris ante ostium ecclesiæ psallendi gratia staret, vidit eminus ex orientis cœli climatibus prorumpentem niveam columbam, mira pulchritudine et nova specie renitentem. Erant vero extremitates alarum suarum igni scintillanti consimiles, et quibus volatus fulminei (27) ictuantibus pennis sparsim fundebantur per aera : quæ ad beatæ matronæ atria celeri meatu convolavit. Beatus autem Dunstanus, infirmæ amicæ non immemor, continuo perpetis psalmodiis regressus est, et veniens audivit illam intra suorum septa velaminum, seriis sermonibus, quasi cum quodam familiari amico, per vices verborum sermocinantem. Accessit ergo humane ad confidentes ancillulas observatrices dominæ suæ, et mirans, cum quo loqueretur, interrogat. At illæ se nescire dixerunt; sed : Antequam tu, inquiunt, venires, immensi splendoris jubar totum hoc cubiculum rutilando replevit; et postea, cessante lumine, ipsa (ut ipse nunc audis) loqui erga loquentem non cessavit. Tunc quidem paulatim et ipse spectando resedit, donec illa quodammodo a loquela quiesceret. Et dum ea etiam ab eloquio quievisset, mox ad illam rejectis velaminum anfractibus intravit, et cum quo loqueretur ipsam familiariter interrogavit. At illa dixit ad eum : Tu quoque illum, antequam huc venires, venientem vidisti, et nunc cum quo sim locuta interrogas? Ipse enim mecum loquebatur, qui tibi psallenti dum stabas ante ostium ecclesiæ, apparuit : qui et mihi modo omnem exitus mei rationem per ordinem nuntiavit. Vobis tamen amicis meis non est admodum necesse contristari de me, quoniam mihi morienti Dei mei misericordia obviabit (28), et paradisi gaudia misericorditer intrare concedet. Tibi autem, quasi singularis amicæ ministro, id operis impono ut tu quoque mane mature mihi facias balneas accelerare, et funerea vestimenta quæ mecum sum habitura præparare, postque corporis lavationem missas celebrare, et mox tempore participationis sacri sanguinis corporisque Domini nostri Jesu Christi communionem accipere, ut sic eodem momento viam universæ nationis, Domino ducente, incedam. Quod ille instantissime, parens in omnibus beatæ matronæ præceptis, ne ultimam prævisionis suæ custodiam, tædio quoque tarditatis submissam, torpenti curæ committeret, adimplevit. Sed et illa quod sibi

(25) *Ethelfleda*, Westmonasteriensi *Elfleda*, etiam *vidua* dicitur, in Martyrologio Anglicano ad 13 Aprilis ut *sancta* relata, perperam *virgo* appellatur, et quia eam antiquioribus Fastis necdum inscriptam legimus, ad hanc Vitam lectorem remisimus. Sed hinc etiam refutatur Westmonasteriensis dum ad annum 929 hoc referat, cum puerulus esset S. Dunstanus.

(26) *Medo* mulsum, hydromel, vox Saxonica eademque Teutonica.

(27) Ms., *volatum fulmineum... fundebant : ictuare* autem videtur hic esse *percutere*.

(28) Idem *obibit*.

de se in nocte hoc in die futurum (erat ostensum) ordine quo prædixerat certissime complevit; ita inquam, ut post missæ mysterium, post saluberrimum Eucharistiæ gustum, ipsa pariter cum finita missa vitam felicem in Domino Jesu Christo finiret.

Tunc prævisor ovans, animam cum sorte propinqua,
Commisit Domino, tumulans sub honore cadaver,
Et sua dat sanctis, sicut antea ipsa volebat
Corpore dum vixit. Sed et assecla liber abibat,
Optans hoc, Domini requiescat ut in suavitate

12. Hic etiam inter sacra litterarum studia, ut in omnibus esset idoneus, artem scribendi, nec non citharizandi pariterque pingendi peritiam diligenter excoluit, atque, ut ita dicam, omnium rerum utensilium vigil inspector effulsit. Quapropter nobilis quædam matrona, Ædelpyrm nuncupata, quodam momentulo vocavit eum familiari precatu ad se, quatenus ille ad divinum cultum quamdam stolam sibi diversis formularum schematibus ipse præpingeret, quam postea posset auro gemmisque variando pompare. Quod cum veniendo fecisset, sumpsit secum ex more citharam suam, quam lingua paterna harpam vocamus, quo se temporibus alternis mentesque ad se tendentium jucundaretur in illa. Tunc quippe quadam die post prandium, dum ad iterata opera tam ipse quam prædicta matrona cum suis operatricibus reverterentur, ex eventu mirabili contigit ut hæc eadem beati tironis cithara, pendens in cubilis pariete, audientibus cunctis sponte sua, sine tactu cujusquam, jubilationis modulum alta voce personaret. Hujus enim antiphonæ melodiam concinendo personuit, et ad finem usque serie cantando perduxit : Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo regnabunt in æternum. Quod cum audissent, perterriti tam ipse quam memorata matrona, omnesque operatrices ipsius, obliviscentes omnino operum in manibus, attoniti sese invicem aspiciebant, satis mirantes quid illud mirabile gestum novi præfiguraret exempli.

CAPUT III.

Res gestæ sub Edmundo rege. Abbatia Glastoniensis suscepti; dæmonum insidiæ eritatæ.

13. Deinde autem defuncto rege Æthelstano (29), et statu regni mutato, regis succedentis, Eadmundi scilicet, sua familitas B. Dunstanum, qui vitæ probabilis et linguæ exstiterat eruditæ, conspectibus ejus adesse præcepit, ut etiam ipse inter regios proceres et palatinos principes annumeraretur electus. His ille imperii temere non resistens, sed memor potius Domini præcepti, quæ regis erant regi, quæ autem Dei Deo reddere festinavit (*Matth.* XXII, 21). Similiter autem, B. Jacobi (30) apostoli admonitus jussione, omni humanæ creaturæ maximeque potenti se subdere non cessavit, *sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum*, etc. (*I Petr.* II, 13). Non minus vero, ni fallor, B. Pauli apostoli infra comminiscens, qui ait : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est : non est enim potestas, nisi a Deo : Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (Prov. XIII, 1). Et iterum : *Reddite ergo*, fratres, *omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem* (*Ibid.*, 7); et item huic eidem apostolo in ipsa sua electione Dominus dicebat : Durum est tibi contra potestatis meæ stimulum calcitrare (*Act.* IX, 5). Hæc enim et his similia sacrarum Scripturarum præcepta B. Dunstanus in sinu cordis sui diligenter abscondit, ne peccaret Domino; sed in mandatorum ejus eloquia, faucibusque ejusdem super mel et favum dulciora (*Psal.* XVIII, 11), lucernam veri luminis pedibus suis, quibus vias Domini ambularet, disposuit (31). Et postquam se mandatis Dei sui cordatius eloctum vel illuminatum agnoverat, juravit secum et firmiter statuit in cordium suorum secretis, custodire fine tenus judicia justitiæ suæ, ut idem Dominus de hac eadem sententia alibi dicebat : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Et iterum : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (*Apoc.* II, 10). Sic namque, quamvis laboriose, una cum sublimibus in regali palatio diu degebat, binas habenas sacro moderamine tenens, legis videlicet et theoricæ, nec non et practicæ vitæ. Videntes vero nonnulli commorantium militum hanc conversationis (32) suæ constantiam, cœperunt eum unica charitatis dulcedine vel germanitatis amore diligere. Perplures autem e contrario, nebulosis mentibus obducti, cœpere eumdem Dei virum amarissimo odio vanitatis detestari, et prosperitatibus ipsius morte tenus invidere. Illi nimirum exsecratores, in augmentum malitiæ suæ, quoscunque alios poterant, ad persequendum etiam famulum Dei deposcebant. Tandiu enim circa illum torserunt funiculum iniquitatis eorum, seipsos potius in eo nexuri quam illum, ut ipsum regem infectum vitiis ipsorum attaminarent, et credulum fallaciis eorum efficerent : qui continuo, ut prius fuerat ab iniquis instructus, magno furore permotus, jussit eum, ablata dignitate, etiam omni honore privari, et sibi seni moratum (33) ubi vellet, sine se suisque conquirere. Erant autem apud Ceodriun (34), ubi hæc

(29) *Æthelstanus* rex mortuus est anno 940, die VI Kalendas Novembris, cui *Eadmundus* sive *Edmundus* frater successit.

(30) Imo B. Petri est dictus locus.

(31) Expungo superflua duo verba, *misericorditer ministraret*.

(32) Ms., *conversionis*.

(33) *Moratus*, id est, *habitatio*.

(34) Suspicor *Seorsium* legendum, idque idem esse quod nomine composito vulgariter *Windsor* dicitur, castellum regium, aliis *Windefora*, adsitum habens parcum ad venationem et silvam late protensam. Mox *Ceoddis* scribitur, quod longius abit.

facta fuerant, viri venerabiles, regni videlicet Orientis (33) nuntii, cum rege tunc hospitantes : quos ille, quasi jam exsilio deputatus, aliud sibi ignorans consilium aggressus est, id orans ne se relictum a rege ipsi desererent, sed secum ad patriam quamvis ad incolatum perducerent. At illi mœstitiæ ipsius compatientes, spoponderunt ei quæque regni sui commoda, si secum comitaturus adiret.

14. Ibat itaque rex mox altera die, quo se una cum suis more solito jucundaretur venabulo : et dum ad silvas venaturi perveniunt, diversos calles numerosorum tramitum certatim arripiunt. Et ecce ex multimodo corniculantium strepitu canumque latratu, multi cervorum levem fugam inierunt : ex quibus rex solus cum canum caterva unum sibi venaturus excepit : et hunc diu per diversa devia equina agilitate canumque insectatione fatigavit. Est autem ibi in proximis locis Ceodlis, quoddam inter alia plura præcisi montis præcipitium, mira quidem et immensa profunditate devexum ; ad quod idem cervus, nescio quo pacto, nisi ex Dei et occulto arbitrio, fugiendo devenit ; et præceps sese in ima ejusdem præcipitii una cum canibus sequentibus demersit, et particulatim attriti in mortem pariter corruerunt. Similiter autem et rex sequens cervum et canes, cum magno volantis equi impetu venit, et statim viso præcipitio cursum accelerantis equi, quantum quibat viribus, retinere conatus est. Sed quoniam colli contumacis et rigidæ cervicis erat, non potuit. Quid multa ? Omni spe vitæ suæ ablata, in manus Dei sui animam commendavit, dicens tamen intra se : Gratias tibi ago, Altissime, quod me non memini aliquem his diebus læsisse, nisi solum Dunstanum : et hoc prompta voluntate et vita servata reconciliatus sibi emendabo. Ad quod dictum, beati viri meritis, restitit equus (quod jam horreo dicere) in ultimo præcipitii cespite, ubi pedes priores equi ipsius pene fuerant in ima voraginis ruituri. Tunc ille corde pariter et ore maximas Deo pro vitæ suæ restitutione gratias referebat et laudes, secum plane intelligens, et sæpius in cordium suorum secreta recompensans, se esse pro tanti viri vindicta finitimæ morti ferme deputatum ; et veniens domum, jussit sibi propere B. Dunstanum magna cum festinatione advocari. Qui cum vocatus venisset, ait ad eum rex : Festina quantocius præparare tibi caballum, ut possis mecum parvo comitatu quo iturus sum ire. Et continuo, ascensis equis, viam quæ ducit Glastoniam recto tramite tenuerunt ; et cum illuc ducatu pervenerunt, ecclesias Dei, ut oportuit, oraturi intraverunt. Et statim, precibus impletis tersisque ocellis e lacrymarum rivulis, rex iterato vocaverat ad se famulum Dei Dunstanum ; et apprehensa ejus dextera, causa placationis seu etiam dignitatis osculatus est illum, ducensque ad sacerdotalem cathedram, et imponens illum in eam, dixit : Esto sedis istius princeps potensque insessor, et præsentis Ecclesiæ fidelissimus abbas ; et quidquid tibi ad divini cultus augmentum vel ad sacræ regulæ supplementum de propria adminiculatione defuerit, ego illud regia largitate devote supplebo.

15. Igitur post hæc servus Dei Dunstanus jam dictam dignitatem jussu regis regendi gratia suscepit : et hoc prædicto modo salubberrimam S. Benedicti sequens institutionem, primus abbas (36) Anglicæ nationis enituit : sicque spontaneum ex affectu cordis famulatum Deo reddere devovebat. Tunc ergo, perprudens opilio, primum septa claustrorum monasticis ædificiis cæterisque immunitionibus, ut jam olim a quodam sene sibi denotatum per revelationem fuerat, ex omni parte firmiter munivit ; ubi oves Dominicas, longe lateque gregatim collectas, ne a lupo invisibili dilaniarentur, includeret. Deinde, idem Dei dogmatizator aggregatum cœnobium sibique commissum divini verbi cœpit fomento nutrire, et fonte superno, sacræ scilicet Scripturæ mellifluo documento potare, docens per angustas hujus vitæ semitas ad æternas delicias epularum cœlestium esse transeundum. Patet namque omnibus pene circumquaque fidelibus, quod, post paucorum annorum intercapedines, discipuli quos ipse teneros in veræ fidei vitem, Christum videlicet et Dominum, suadendo inseruerat, ubertim crescebant, et fructum boni operis morigera venustate ferebant. Quodque post hæc plurimi Ecclesiarum pastores, documentis illius et exemplis instructi, ad diversas jam civitates vel ad alia sanctorum loca petebantur, electi ut essent inibi sacri regiminis et normæ justitiæ imbutores, præpositi videlicet, decani, abbates, episcopi (37), etiam archiepiscopi, cæteris ex ordinibus præstantissimi. Quicunque autem de discipulatu ipsius iisdem temporibus corporeis nexibus fine tenus enodati, necem subierunt inevitabilem, alta polorum gaudia procul dubio petierunt.

16. Cumque veternus invisor mente perspicaci comperiret quod beatus Pater, equidem Dunstanus, tantas sibi turmas diripiendo e manibus extorsisset, fraudibus quibuscunque valuit adversari sibi, sicut jam superius loqui cœpimus, diebus ac noctibus non cessavit. Nam quadam nocte, dum athleta Dei infra septa claustrorum psalmodiis vigiliisque constans immoraretur, apparuit ei Dei et hominum inimicus, hispidus et horrens in ursina specie, volens eum quodammodo torva imaginatione perterrere, et ab opere satis sibi contrario dolositatis industria aliqua-

(33) *Orientale regnum* intelligo *Esseriam, orientalem Saxoniam.*

(36) Nempe, ut in sequenti Vita Osbernus num. 4, qui Glastoniæ tunc erant monachi, monasticam colebant proprio gentis suæ ritu a Benedictino diversissimum, qualem idem Osbernus describit.

(37) Late deducuntur tomo I. monastici Anglicani pag. 8. *archiepiscopi* et *episcopi* e conventu Glastoniæ ad diversas sedes electi, et inter hos censentur proximi S. Dunstani successores *Athelgarus*, sive *Edelgarus*, et *Siricus* sive *Sigericus*, tum post hæc Acta scripta S. *Elphegus* et *Elnothus* sive *Egelnotus*. Plures episcopi ibidem indicantur.

genus dissociare. Sed cum agonista Dei monstrum hoc inimicale spiritali magis quam corporali intuitu perspexisset, eo securior inceptis Dei laudibus velut vir invictus perduravit. Postea autem parvo intermisso momento adfuit illi iterum, non in prioris lusionis effigie, sed in canina satis sibi condigna specie, ut sunt fraudes ipsius in omnibus improbæ; quatenus hunc simulata canum sævitia impediendo deluderet, et ab orationis studio, si quo potuisset ingenio, sequestraret. Nequidquam tamen tenax ille tentator in famulum Dei nefandis versutiæ suæ fraudibus insaniit : quem undique armis fidei fulcitum fuisse comprobavit; ideoque ex eodem prædicto sanctæ crucis spiculo, quod semper secum chira (38) dextera convehebat, repercussus annihilatus est. Sed et ipse nihilominus in laudem Christi sui, spretis adversarii tentamentis, manebat intrepidus. Addidit quoque idem perfidus draco more vipereo tertio reserpere, probans si forte adhuc virum Dei remissioris animi ad vincendum invenisset : et tunc quidem ex improba cordis compositione sese mutavit in turpem vulpeculam, ut vel sic famulum Dei cauda quatienti varioque discursu ab intentione Dei sui averteret. Quem cum beatus Pater Dunstanus toties transmutatum vidisset, subridens dixit illi : Vade jam, inimice, quia nunc tibimet satis similis effectus apparuisti, factoque crucis signaculo inimicus disparuit.

17. His et hujuscemodi armis larvalibus sæpe seductor antiquus beatum Patrem Dunstanum, licet inani conflictu, fatigavit : velut etiam tempore quodam, dum in orationis opere ante altare martyris Christi Georgii vig lando desudaret. Ignoratur itaque quo casu, utrum ex præfati fraudatoris injectione, an ex vigiliarum continuatione, sibi subito inter psallentia verba lenis soporis dormitio irrepserat : visumque est illi, nec, ut ita dicam, penitus dormienti, quod hispidus ursus, ingens et horribilis, magno cum impetu veniret, ponerentque pedes horrendos, ad dilaniandum præparatos, super utrumque humerum illius sedentis, avido quoque hiatu superstans, quasi ad devorandum eum. Cumque vir Dei ex illato terrore funditus evigilaret, arripuit quantocius quem secum semper manu advehebat baculum, nisus ex humano furore nefandum monstrum percutere : ictu tamen supervacuo percussit templi parietem, maximum plausum per omne templum audientibus reddens. Ipse autem in se regrediens, validioris pugnæ congressus iniit, hunc videlicet psalmum sacri certaminis decantando : *Exsurgat Deus*, usque; *sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* LXVII, 3), ut supra; nam eo in loco superatus a somno, psallendi studium dereliquit, et confestim, ut aiunt, in hoc re-

(38) *Chira*, id est, *manus*, Græce χείρ.

(39) *Sumersettensis* comitatus apud occiduos Saxones in cujus agro Glastoniensis abbatia vulgo *Glassenburg*, a Ferrario male confusa cum similis nominis alio monasterio in Cantio, ad confinia Saxonum meridionalium.

(40) *Eadmundus* rex peremptus est anno 946, die 26 Maii feria 2.

A sumpto psalmodio, ille nebulosus illusor agnitus est, velut umbra nigerrima in prædicto schemate confusus abscedere.

18. Erat namque huic eidem viro Dei ex humana parentum propagatione quidam germanus, nomine Wulfricus, quem sibi forinsecus in villarum suarum negotiis potentem præpositum, ne vel ipse vel quispiam ex monastica professione foris vagaretur, inepta rei sæcularis discussione, constituit. Hic nempe post emensum temporis sui spatium, lethali conditione præventus, temporalem necem obeundo subibat. Hac de causa contigit omnes præscripti templi monachos ad funus ipsius exiisse; nullumque, excepto abbate solo parvoque scholastico (qui postea pontifex effectus, hæc nobis intimavit) domi remansisse, ut cum sacris exsequiis exanime corpus ad monasterium, quo tumulandum erat, perducerent. Interea abbas cum eodem scholastico ambulabat, ad videndum (ut autumo) si jam fratres cum defuncti corpusculo propinquassent. Et dum semper ex more psallendo incederet, venit ex improviso ultra antiquam ecclesiam quoddam missile saxum, vehementi volatu conatu beati Patris caput collidere; sed, Deo defendente, nequibat : verumtamen pileum, quo caput velabat, procul quasi perticam unam a capite decussum projecit. Qui conversus dixit secum incedenti scholastico : Accelera ergo, et cape quantocius hoc rotabile saxum, ut deferas eum conspiciendum ad me. Quod cum ille nimis ponderosum ex jussu Patris vix elevando reveheret, ait venerandus Pater Dunstanus : O adversans inimice! jam diu ex industria maligna hujus mihi lapidis ictum insidians præparabas. Non enim erat, testimonio multorum, hujusmodi lapis admodum magnus vel modicus in his Sumersetensium (39) finibus, nisi forte in quibuslibet lapideis operibus : et idcirco palam patuit de cujus improba manu emissus prosilivit. Verumtamen post hæc jussit ipsum saxum, licet in sui detrimentum missum fuisset, custodiæ innexum quasi pro testimonio reservare.

CAPUT IV.

Acta sub Edredo et Edwio regibus. Episcopatus recusatus. Exsilium.

19. Peremptо igitur rege Eadmundo (40) ab iniquo cleptore (41), mox proximus hæres, Eadredus videlicet, regnum naturale fratrem succedendo suscepit. Hic itaque in sublimitate roboratus beatum Patrem Dunstanum tanto charitatis ardore dilexit, ut nullum pene ex primatu sibi prætulisset. At contra vir Dei, ut diligenti se vicem amoris ab intimo cordis affectu rependeret, omnium sibi charissimum solita appellatione regem acclamavit. Ex hac quippe charitatis fiducia, commisit illi rex optima quæque

(41) *Cleptor*, a Malmesburiensi lib. II, cap. 7 *Leof*, *latrunculus* appellatur, *quem propter latrocinia eliminaverat, et post sexennium regressus, latenter sicam in pectus regis infixit*, sed et ipse *membratim dissectus fuit*.

suorum supellectilium, quam plures scilicet rurales cartulas, etiam veteres præcedentium regum thesauros, nec non et diversas propriæ adeptionis suæ gazas, sub munimine monasterii sui fideliter custodiendas. Et dum post meantia tempora felix vir, senex scilicet Æthelgar, Chrydionensis (42) Ecclesiæ præsul, carnali lege coactus, vitam in Christo finiret, persuasit jam dictus rex virum Dei Dunstanum crebris hortamentis, quatenus orbatum Patre pontificatum sub cura pastorali ipse susciperet. At ille statim facilis sibi verbi excusationem rejecit, inquiens se non esse hujus pastoralis curæ prospectum, nec adhuc tali tantæque dignitati idoneum, quo posset tam latum Christo ovile probabili cautela sine sui exitio custodire. Hæc et his similia contradicentium sermonum nonnunquam regi opposuit, donec omnem ejus suasionem penitus abnuendo compesceret. Verumtamen secretam voluntatis illius intentionem nequaquam adhuc mutare prævaluit; quoniam quem præ cæteris altius amabat, hunc altioris excellentiæ fieri cupiebat. Quapropter posuit verba voluntatis suæ in ore propriæ genitricis, dicens illi : Volo, o mi dilectissima mater, ut tu sub prandii tui tempore nostrum specialem amicum Dunstanum tecum habeas invitatum, et dum inter læta convivia blandis vicissim utimini loquelis, studeas eum feminali facundia adhortari, quo fiat juxta nostram suggestionem nuper viduatæ Ecclesiæ pontifex. Quod cum illa nisibus universis fecisset, non potuit eum a pristino renuntiationis eloquio remutare. Consilio tamen ipsius Ælfwoldus (43), vir venerandus, ob pollentem venustatem, sortitus est ad pontificatum eumdem.

20. Nocte itaque subsequenti visum est illi per nocturnam revelationem, quod cum prompto comitatu Romam properare deberet. Apparuerunt ipsi in viis eisdem Petrus et Paulus cum Andrea, pandentes ei diversa et inopinata eventuum suorum secreta : finitoque familiari apostolorum colloquio, Andreas virga, quam manu gerebat, percussit illum ictu non modico, dicens : Hoc habeto præmii, quod apostolatus nostri consortium heri recusando tempsisti. Statimque expergefactus post dictum, requisivit cubantem coram se monachum, quis ipsum acri virgulæ ictu temere percussisset. At ille : Nullus, inquam, te quiescentem aliquo percussionis tactu, me sciente, contigerat. Is ergo, præmeditatus ait : Modo, fili mi, scio, modo, a quo sim percussus, agnosco. Eratque, proh dolor! rex Eadredus, dilectus Dunstani, per omne tempus imperii sui nimium languens, ita ut refectionis tempore sorpto succo ciborum, reliquam partem parumper dentibus obtritam ab ore rejecisset, et sic sæpe convivantibus secum militibus fetentem nauseam exspuendo fecisset. Qui licet sic ægrotantem vitam utcunque diu vivendo in abutenti corpore pertraheret, languor tamen augmentabilis sæpius milleno pondere invadendo hunc usque ad occubitum misere perduxit. Tunc ille ex longo languore anceps propriæ vitæ, misit circumquaque ad congregandas facultates suas, quas dum posset spontaneo liberoque dictatu ipse suis vivendo disponeret, propter hoc enim vir Dei Dunstanus, velut alii regalium gazarum custodes ibat; ut quas causa eu todiendi secum habuerat, regi reportaret. Et dum post aliquos dies viam, per quam venerat, cum sarcinatis facultatum opibus reverteretur, facta est vox cœlitus immissa, dicens illi. Ecce nunc rex Eadredus (44) obiit in pace. Ad hanc ergo vocem caballus, in quo vir Dei equitabat, subito percussus interiit, quia non valebat sublimitatis angelicæ sufferre præsentiam. Et cum venisset, reperit regem sub eodem tempore, quo angelus ei in ipso itinere nuntiavit, morte suprema finitum : cujus amissum spiritum astantes catervæ fidelium, pariterque exanimes artus more mortalium sepeliendos, conditori Domino sub pacis requie commendaverunt.

21. Post hunc surrexit Eadwig, filius videlicet Eadmundi regis, ætate quidem juvenis, parvaque regnandi prudentia pollens, licet in utraque plebe regum numeros nominaque suppleret electus. Huic quædam, licet natione præcelsa, inepta tamen mulier cum adulta filia, per nefandum familiaritatis lenocinium sectando inhærebat : eotenus videlicet quo sese vel etiam natam suam sub conjugali titulo illi innectendo sociaret : quas ille, ut aiunt, alternatim, quod jam pudet dicere, turpi palpatu et absque pudore utrijusque libidinose tractavit. Et cum tempore statuto ab universis Anglorum principibus communi electione ungeretur et consecraretur in regem, die eodem post regale sacræ institutionis unguentum, repente prosilivit, lascivus, linquens læta convivia vel decibiles optimatum suorum consessiones, ad prædictum luparum palpamentum. Et cum vidisset summus pontificum Odo (45) regis petulantiam, maxime in consecrationis suæ die, omni per gyrum confidenti senatui displicere, ait coepiscopis suis et cæteris principibus : Eant, oro, quilibet ex vobis ad reducendum regem, quo sit suorum satellitum, ut condecet, in hoc regali convivio jucundus consessor. At illi molestiam regis vel mulierum querimoniam incurrisse metuentes, singuli se subtrahentes recusare cœperunt. Ad extremum vero selegerunt ex omnibus duos, quos animo constantissimos noverant, Dunstanum scilicet abbatem, et

(42) *Chrydiona*, seu *Creditionis*, urbs Devoniæ vulgo *Kirton*, facta episcopalis anno 609; quæ sedes postmodum Exoniam est translata : ibi *Æthelgarus* episcopus mortuus est anno 933, uti asserit Westmonasteriensis.

(43) *Ælfwoldus*, sive *Alfwoldus* rexit dictam Ecclesiam ab anno 953 ad 973.

(44) *Eadredus* rex mortuus est an. 955, qui in testamento suo per Michaelem Alfordum edito, *legavit Dunstano abbati Glastoniæ et monasterio Glastoniensi, ducentas libras, de comitatibus Somersetensi et Devoniensi solvendas.*

(45) *S. Odo* archiepiscopus Cantuariensis, enim in Kingestune regem consecrarat.

Cynegium (46) episcopum ejusdem Dunstani consanguineum, ut omnium jussui obtemperantes regem volentem vel nolentem reducerent ad relictam sedem. Et ingressi juxta principum suorum jussa, invenerunt regiam coronam, quæ miro metallo auri vel argenti gemmarumque vario nitore confecta splendebat, procul a capite ad terram usque negligenter avulsam, ipsumque more maligno inter utrasque, velut in vili snillorum volutabro, creberrime volutantem, et dixerunt : Nostri nos proceres ad te rogitando miserunt, ut eas quantocius ad condignum sessionis tuæ triclinium, et ne spernas optimatum tuorum lætis interesse conviviis. At Dunstanus primum increpitans mulierum ineptias, manu sua, dum nollet exsurgere ei, extraxit eum de mœchali genearum accubitu ; impositoque diademate duxit secum, licet vi a mulieribus raptum, ad regale consortium.

22. Tunc eadem Ædelgyw, sic erat nomen ignominiosæ mulieris, inanes orbes oculorum contra venerandum abbatem ferventi furore retorsit, inquiens hujusmodi hominem ultra modum esse magnanimum, qui regis in secretum temerarius intraret. Audivimus enim in veterum regum libellis Jezabelem errore gentilitatis et viperco veneno perfusam, die noctuque in prophetas Dei amara detestatione sævisse, et ad mortem usque persequi non destitisse : ita et hæc impudens virago, ex hac die prædicta, eodem Jezabelis flatu venenifero perfusa, licet nomine Christiano uteretur indigna, virum Dei Dunstanum consiliis inimicabilibus persequi non quievit, quousque pestiferam exsecrationis suæ voluntatem cum adaucta regis inimicitia adimpleret. Tunc illa ex prædicti regis consensu omnem illius ordinis honorem omnemque supellectilis suæ substantiam suis legibus subjugavit; quin etiam, urgente regis imperio, ipsum ad incolatum calamitatis celeriter ipsa proscripsit. Non enim erat hujus furentis feminæ vesania adeo attendenda, sed discipulorum, quos ipse teneros nectareo dogmate imbuendos nutriebat, clancula machinatio magis stupenda : nam et ipsi conspirationis iniquæ sub occulta fraude assentatores fuere, qui, si possent iniqua ejus dispendia detestari, debuissent. Et dum ejectores ejusdem cunctas res ecclesiasticas ad conscribendum prospicerent, ecce in parte occidentalis templi aspera vox ridentis diaboli, quasi vox plaudentis ancillulæ, audita est. Ad quem vir Dei, dum quis esset mente perspexit : Noli, inquit, inimice, tantum gaudere; quia quantum nunc in recessu meo gaudebis, tantum iterum in adventu, damnante te Deo, tristaberis.

23. Quicunque autem amicorum post hæc hunc eumdem virum Dei, injusto arbitrio criminantis seminæ ejectum, causa charitatis vel compatientiæ hospitio susceperunt, frementem regis iram graviter incurrerunt : et propterea insanos fluctus turbidi æquoris periculoso navigio tranare, et incerta Galliarum exsilia adire coactus est. Et dum velificato æquore quasi tria milliaria maris ingressus fuisset, venerunt nuntii ab iniqua populatrice, ut ferunt, qui oculos illius, si in his maris littoribus inventus fuisset, eruendo dempsissent. Ipse autem æquoreas vias ponti cærulei rapido cursu transiliens, venit ad ignotam regionem jam dictæ Galliæ, cujus pene loquelam ritumque ignorabat. Sed, comitante secum misericordia Dei sui, invenit coram quodam terræ illius principe (47) gratiam, qui eum paterno charitatis affectu sub exsilii sui tempore custodivit. Illic itaque, quamvis benigne sub ejusdem principis cura foveretur quotidie, assidua tamen mente manebat in patria, de qua remotus fuerat sine pietatis censura. Qui etiam sæpe abundantem lacrymarum imbrem ex oculorum fluentis ingemiscendo deduxit, quoties constitutus in exsilio meminit quantam religionis celsitudinem in monasterio dereliquit. Etiam diu in mœsti cordis meditatione dum circa rem hujusmodi cogitaret, ecce quadam nocte vidit visione notissima dormiendo, quod jam mente peravida ambiebat vigilando; hoc duntaxat quod more solito fuisset in monasterio una cum astante fratrum caterva, dum laudes vespertinales psallendo persolverent canerentque, post novissimum canticum *Magnificat anima mea Dominum*, hanc antiphonam : « Quare detraxistis sermonibus veritatis : ad increpandum verba componitis : et subvertere nitimini amicum vestrum? verumtamen...., » hoc in loco visi sunt omnes pariter relicto cantu penitus reticere, neque ulterius eam nullo modo posse verbo vel voce perfinire, quamvis casso labore multoties iteratam non nisi ad eumdem locum cantando perducerent; et nunquam duo finitima verba modulantes admitterent. At ille per eamdem visionem increpans eos : Cur, inquit, ad perfiniendam antiphonam (48) non vultis dicere : Quæ cogitastis, explete. » Mox ille divinum responsum ex alia parte perpendit sub hac voce : Ideo, inquam, quia nunquam quod mente moliuntur implebunt : ut te quoque ab hujus monasterii potestate auferendo evellant. Et evigilans post visum gratias egit consolanti se Altissimo. Patuit quippe ex hac certissima revelatione quod, sicut superius sermonibus quibuslibet commemoravimus, nonnulli eorum clanculi persecutores illius exstitere.

CAPUT V.

Episcopatus Wigorniensis et Londinensis : dein archiepiscopatus Cantuariensis. Iter Romanum.

24. Factum est autem ut rex præfatus in præter-

(46) Qui hic *Cynegius* appellatur, Osberto apud Surium *Kinsinus* vocatur : et est episcopus Lichfeldensis, qui præfuit ab anno 948 ad annum 966.

(47) *Arnulfo* comite Flandriæ, uti in sequenti Vita dicetur.

(48) Quæcunque habemus antiqua variarum Ecclesiarum breviaria, librum Job proponunt recitandum prima ac fere etiam secunda hebdomada Septembris; sed in Sabbato præcedente alia præscribitur antiphona, qualis scilicet in Romano; quæ autem hic dicitur antiphona, in illis est responsorium post 3 lectionem Dominicæ 1.

euntibus annis penitus a Brumali (49) populo relinqueretur contemptus, quoniam in commisso regimine insipienter egisset, sagaces vel sapientes odio vanitatis disperdens, et ignaros quosque sibi consimiles studio dilectionis ascissens. Post hunc ita omnium conspiratione relictum, elegere sibi, Deo dictante, Eadgarum, ejusdem Eadwigi germanum, in regem, qui virga imperiali injustos jugiter percuteret, benignos autem sub eadem æquitatis virgula pacifice custodiret. Sicque, universo populo testante, publica res regum ex definitione sagacium sejuncta est, ut famosum flumen Tamesæ regnum disterminaret amborum. Tunc Eadgarus a prædicto populo sic sortitus ad regnum, nisit nutu Dei ad revocandum venerandum abbatem ab exoso, in quo degebat, exsilio : non immemor quantæ reverentiæ fuerit antecessoribus ipsius, quibus secum cum salutifero consilio infatigabilem fidelis obsequelæ famulatum persolvit : quem ab incolatu reductum omni honore dignitatis, ut tantum oportuit, custodivit. Interea germanus ejusdem Eadgari, quia justa Dei judicia deviando dereliquit, novissimum flatum misera morte expiravit (50) : et regnum illius ipse, velut æquus hæres ab utroque populo electus, suscepit, divisaque regnorum jura in unum sibi sceptrum subdendo copulavit. Hic iterato B. Dunstanum in ademptum pristinæ dignitatis honorem restituit, similiter et atavam suam et nonnullos alios, quos frater ipsius, in eadem antea sublimitate constitutus, iniquo judicio prædari præcepit.

25. Postea factus est magnus sapientium conventus in loco qui vocatur Bradanfoort (51), et eo in loco omnium ex electione ordinatus est Dunstanus ad episcopum, eotenus maxime quo regali præsentiæ propter provida prudentiarum suarum consilia jugiter adfuisset. Et dum accitu regali moribus Deificis rex fuisset a B. Dunstano vel cæteris sapientibus decenter instructus, cœpit passim improbos opprimere, justos quoque et modestos puro pectore diligere, reges et tyrannos circumquaque sibi subjicere, destructas Dei ecclesias renovare vel ditare, et ad laudem summi numinis famulantes catervas aggregare, omnemque regionem illius sub pacis munimine regaliter custodire. Deinde pastor (factus est) Wigoricensis Ecclesiæ : utpote Cynewaldus (52) more mortalium cursuque vitæ temporalis educto succubuit, et suscepit B. pontifex Dunstanus constitutus a rege hanc eamdem Ecclesiam sub solertia pastorali servandam : in qua statim veræ fidei vitem palmitemque justitiæ sagaci cultu plantavit, et triticeum sanctæ Trinitatis semen in credentium cordibus, evulsis errorum tribulis, seminavit : per quod, post præsentis sæculi metam bonorum operum, ad vitam jugiter manentem pervenirent indemnes. Videns itaque rex prænominatus quod commissam Ecclesiam pervigil pastor rite regendo custodiret, commisit ei Lundoniensem Ecclesiam, pro postea pastore (53) viduatam, quo plurimo civitatis illius populo, nec non et reliquæ orientalium Saxonum multitudini, pontem etiam ad alta polorum cacumina scandendi præpararet. Has ille geminas Ecclesias, per multa annorum transeuntium tempora, sub regimine pontificalis excellentiæ curiose regebat; et utrique ovili viam quæ ducit ad vera Christi ovilia, exemplo pariter et documento monstravit (54).

26. Postquam autem mors peravida venerandum Odam (55), metropolitanæ civitatis archipræsulem Ecclesiæque Christi rectorem, ex Adamica conditione consumptum, insatiabili voratu finierat, connumeratus est Ælfsinus Wintoniensium pastor ad eamdem summi sacerdotii sedem. Qui cum ex summorum pontificum consuetudine, postulaturus pallium principalis insulæ Romuleam urbem contenderet properare, obfuit illi in Alpinis montibus maxima nivis difficultas; quæ tanto eum gelu rigoris obstrinxerat, ut in his moriendo deficeret, et regressi tumulato pontifice ejusdem comitantes tirunculi, renuntiavere lacrymanti relatu, tantum sibi infortunium in prædictis montibus contigisse. Post cujus consummationem elegere Byrhtelmum, Dorcestrensium prævisorem, ad summum sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ sacerdotem : et erat vir iste mitis, et modestus, et humilis, et benignus, in tantum ut tumidos quosque vel rebelles sub correctionis verbere, non, ut, debuisset, cohiberet. Est namque jus rectorum, ut bene bonos custodiant, et ad melora quantum queunt viribus universis informent; reprobos autem et rebelles sub asperitatis correctione redarguant, donec eos a viis vanitatum avertant. Comperiens ergo rex quod prædictus pontifex hæc jura præscripta, in commissa sibi plebe, mansuescendo minime adimpleret; jussit eum vias per quas veniebat redire, et relictam dignitatem rursus recipere possidendam. Dehinc constituit ex divino respectu et sapientium consilio Dunstanum, quem no

(49) A *Mercensibus* scilicet et *Northimbrensibus* uti asserunt Wigorniensis, Dunelmensis et alii, et referunt ad annum 957.

(50) Anno 959 *Edwium* expirasse passim asserunt auctores.

(51) *Bradfort* dicta loca duo in Dorcestriensi, totidem in Devoniensi, unum etiam in Wiltoniensi comitatibus inveniuntur; quorum postremum celebrius, et Hundredæ unius caput, biduo circiter Glastonia distat.

(52) *Cynewaldus*, aliis *Kinewoldus* anno 957 mortuus traditur et *S. Dunstanus* ordinatus, ut infra etiam apud Osbernum legitur.

(53) *Brithelmo* episcopo Londinensi anno 958 mortuo, *Edgarus* Merciorum rex illam Ecclesiam *S. Dunstano* etiam commisit.

(54) Addit Westmonasteriensis ad dictum annum 959 : *Qui protinus apud Westmonasterium, constructo ad duodecim monachos cœnobio, in loco ubi quondam Mellitus episcopus B. Petro ecclesiam fabricaverat, S. Ulfium ibidem constituit abbatem*, idque *favore S. Dunstani*, ut in illius Vita legitur 8 Januarii quo colitur.

(55) *S. Odo* mortuus est anno 958; colitur 4 Julii.

verat esse constantem, ad summum prædictæ Ecclesiæ sacerdotem.

27. Mox ille suscepto sacerdotio prolixa (56) itinera, quæ summis sunt sacerdotibus solita, Romanam prospero calle tetendit ad urbem; eratque Dominus socius itineris illius, et pura fide se recinentem non reliquit, sicut ipse per Prophetam cuicunque fideli repromisit dicens: *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos* (*Psal.* XXXI, 8). Et iterum: *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo* (*Isa.* XLV, 2). Cumque iter longum properando fecisset, et omnia victualia, quæ vel equino gestamine vel alia conductione ferebant, propriis vel alienis hominibus penitus fuissent expensa, ait procuratori suo: Quid nobis administrationis habes ad noctis hujus sustentationem conferendum? At ille stomachando respondebat, dicens: Prorsus nihil; quia tu tibimet nihil reservare curabas, dum quidquid victus habere videbamur, propriis vel externis dapsili jussu distribueras. Et dixit illi episcopus: Noli, quæso, nimium inde turbari; quoniam Dominus noster Jesus Christus erga omnes in se credentes est satis largus et dives. At ille rursum: Modo, inquit, videbis quid tibi comesturo Christus tuus sub hujus noctis spatio sit daturus. Et surrexit pontifex, quia tempus vespertinum instabat, ut in locis remotis congrua vespertinæ laudis officia adimpleret. Adhuc enim jam dictus procurator stulto murmure post clamabat, dicens: Perge oppido adorare tantum Christum tuum, nil aliud nostræ necessitatis attendens. Erant namque in hac eadem villa, qua tunc vir Dei cum suis hospitabatur, cujusdam venerandi abbatis nuntii, triduo beati adventum pontificis præstolantes: et venerunt, priusquam ille cœpta vespertinæ laudis officia cantando perageret, cum optimis gratiarum muneribus, omnibusque regionis illius deliciis, charitative ex ore abbatis fratrumque suorum fideli phalange salutantes episcopum. Quas ille benedictionum charitates gratanter accipiens, resalutavit gratiosum abbatem, cum devoto secum morantium fratrum contubernio. Postea vero ex iisdem muneribus, fratrum quoque prædictorum charitate collatis, diu deliciose properando vivebant: ac stulta dehinc murmuratio procacis ministri, firma ex fide pontificis sic superata, quievit.

28. Tandem ad optatam Romanæ sedis Ecclesiam, Domino ducente, pervenit, ubi pallium principale, sub præsulatus privilegio, una cum benedictione apostolica gloriose suscepit: rursumque loculis sanctorum lustratis, et solatis Christi pauperibus, per pacis itinera ad patriam usque remeavit. Et cum venisset summus Anglorum pontifex, spirituali charismate affectus, cœpit primum, ut sublimior cæteris sacerdotum ordinibus, sublimioribus Christi servitutibus se subjugare; ne dum aliis veræ fidei fomenta ministraret, vel iter rectum ad cœlestia verbo salutifero monstraret, ipse (ut ait Apostolus) reprobus efficeretur (*I Cor.* IX, 27), propriæque prædicationi contrarius. Deinde autem destructa renovare, neglecta quoque justificare, loca sancta ditare, justos amare, errantes ad viam revocare, Dei ecclesias fabricare, nomenque veri pastoris in omnibus adimplere.

29. Ego quidem, si die noctuque millenos sonos ferrea lingua contra naturam emitterem, nequirem utique omnia beneficiosa virtutum suarum opera, quæ vel manifeste vel etiam secrete peregit, prompsisse. Unum autem ex ipso me posse referre profiteor, quod quamvis hic carneo septus velamine deguisset in imis, mente tamen, sive vigilaret, sive somno detentus quiesceret, semper manebat in superis, ut Paulus aiebat apostolus: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20). Hoc nimirum sæpissime patuit, dum (dictavit) divina sacrorum modulaminum cantica, quæ ab hominibus quidem nunquam accepit, sed ex beatis supernæ regionis civibus per sopitalem (57) revelationem capaci decerat intellectu, ut hæc sequens sententia manifestat. Quadam nocte ad hujus visionis exemplar, post pia precum studia postque novissimum completorii officium, dum beata membra quieti dedisset, certa demonstratione conspexit quomodo propria, quæ se huic mundo ediderat, mater cuidam regi præpotenti ad conjugalem sponsam, sub summo principum suorum testimonio dotisque sub titulo, copularetur conjugio; et ut fieret in his regalibus nuptiis tanta psallentium lætitia, ut omni ex parte jucundantes militiæ personarent hymnum suavissimum, cum laude sonora eidem regi modulanda. Et dum hæc diu agerentur, accessit inter psallentium voces quidam juvenis, niveo vestitus candore, dicens sub ipsa visione pontifici: Nonne vides et audis quomodo omnis hæc ovans multitudo regem magnum in turmis suis concrepando glorificat, te solo silente? Tu quare in præconio tanti regis condignas laudes ore soluto tobiscum non resonas, qui præ cæteris præcipue gaudere deberes pro tanta copulatione parentis? Tunc ille hujusmodi carmina se nescire respondebat, seque prorsus quid in laude regis prælocuti cantarent ignorasse. At ille: Vis, inquit, ut instruam quid te cantare oporteat? Et dum humili professione se velle testaretur, mox imbuit eum hujus exemplar antiphonæ: *O Rex gentium dominator omnium, propter sedem majestatis tuæ da nobis indulgentiam, rex Christe, peccatorum. Alleluia.* Hac etenim sæpius iterata, et in eadem visione bene firmata, murmur geminabile expergefactus emisit; sed continuo jussit eam litterarum in memoria, priusquam oblivioni daretur, conscribere, et conscriptam cuidam monacho tam recentem didicisse præcepit: et facto mane universos sibi subjectos, tam monachos quam etiam clericos, fecit hanc discendo personare: ipso semper inter modulantium voces cum nimio rore lacry-

(56) Hoc item actum esse anno 960, Wigorniensis, Dunelmensis et alii asserunt.

(57) *Sopitalis*, a participio *sopitus*, dicitur Visio oblata per soporem.

marum dicente : Verus est enim et non falsus, qui hanc mihi sonoram (antiphonam) sub noctis hujus visione imbuendo monstravit. Hinc procul dubio (sicut jam superius diximus) claruit, in quibus locorum partibus, dum corpore quiesceret, spiritu felici interim ipse mansisset.

30. Nunc vellem, priusquam hinc longius legendo properarem, peritum mihi interpretem ad hujus miræ visionis mihi mysterium coaptare : aut, si quodam conamine valuissem, ipse ejus interpretationem pro posse virium, licet igne tepenti liquefactam, exsolvere. Matrem quippe almi pontificis, magni regis conjugio copulatam, sanctam puto designare Ecclesiam (58), quæ vel illum vel etiam alios quamplures more materno per spiritalem sacri baptismatis uterum a primi parentis (59) privilegio regeneravit. Ita quidem, quæ nunc summo regi, Christo videlicet Domino, per veræ fidei agnitionem, perque divini amoris amplexum, velut sponsa conjuncta viro suo, inhærere videtur : hæc eadem sancta mater Ecclesia in Cantico canticorum clamat : *Introduxit me rex in* cubiculum suum, *exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te* (*Cant.* I, 3). Et iterum : *Introduxit me* rex *in cellam vinariam : ordinavit in me charitatem, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 4-6), etc. Aliter autem autumo matrem ejusdem almi pontificis, regi præcelso in matrimonio conjunctam, proprii præsulatus Ecclesiam posse designare, quam sub manu æterni regis, Christi videlicet et Domini, matris vice custodiendam ac pura virginitatis integritate solaturam (60) susceperat, ut idem Dominus pro populorum piaculis crucis in patibulo affixus, matrem suam Virginem virgini discipulo commendabat dicens : Ecce tibi in matrem, meam committo Genitricem. Turmas quoque militares, regi suo laudum canticum exsultando perstrepentes, supernos esse angelorum cives, qui quod quandoque inimici hominum ob discordantem delictorum distantiam exstiterunt, non diffido; nunc vero, quoniam cœlestium simul et terrestrium incolas in unam patrisfamiliam conjunctos esse conspiciunt, Deo regi vero die noctuque hujusmodi carmina canere non desistunt : Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus, et qui timetis eum pusilli et magni, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens in cœlo, pariter et in terra : et propterea gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei (*Apoc.* XIX, 5). Hanc eamdem gloriam cœlestis militiæ multitudo nato Domino decantans, in excelsis et in terra pacem bonæ voluntatis hominibus nuntiabat (*Luc.* II, 14). Ipsam equidem pacem, quam beatus Apostolus exposcebat, dicens : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14), etc. Quod enim juvenem viderat veste nivea candentem, partim se aspere increpantem, quod in prædicti principis laude reticeret; angelum custodem ipsius esse non dubito, qui verbis eum spiritalibus erudiendo prænonuit ne muti canis taciturnitatem (imitatus), permitteret latentem inimicum, furem videlicet diabolum, animas sibi commissorum, talentumve Dei sui furtim præripere : sed ut ore perpatulo prædicaret, et pia cordis confessione personaret Christum esse regem et dominatorem omnium, cœlestium, terrestrium et infernorum; et ut ipsum propter sedem nomenque majestatis suæ, prius pro suis, deinde pro populorum delictis interpellans exoraret, ut eis pius peccatorum exstitisset indultor, pro quibus se semel paterno parens præcepto offerre non distulit.

CAPUT VI.

Variæ visiones. Præparatio ad mortem.

31. His modis prædictis sæpe sacrorum carminum modulamina seu cæteras Deo decibiles laudes spiritu pervigili ex divinis imbutoribus didicerat, quamvis ejus humani artus in somni sopore subacti jacuissent, ut illud est Salomonis : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). Et iterum propheta Isaias ait : De nocte vigilat spiritus meus ad te, Domine, quia lux mea præcepta tua sunt (*Isai* XXVI, 9). Qui etiam in mundo positus, ipsos humani generis inimicos claro conspexit intuitu, ut imminente miserrima regis Eadmundi peremptione declaratum est. Hic itaque rex, dum cum suis propriæ dignitatis loca more solito convivaturus lustraret, contigit B. Dunstano adhuc abbati ejusdem regis interesse comitatui, ad cujusdam primarii ducis, utpote Elfstani, ipso in itinere proximum (castrum), esseque coequestrem. Et ecce repente progressionis viam coram se aspiciens, vidit inter regios tubicines horrendum inimicum ludendo cursitare. Quem cum diu attonite fuisset intuitus, ait prædicto comitanti secum primario : Putas te, mi dilecte, videre posse quod video? At ille : Nihil, inquit, præter quod oportet conspicio. Et ille : Signa ergo salubri sanctæ crucis sigillo oculos proprios, et proba si quod video possis videre. Cumque jussu beati Patris Dunstani levi sanctæ crucis impressione oculos suos consignaret, vidit illico, quasi pro tanti viri testificatione, eumdem Dei et hominum, quem beatus Pater viderat, inimicum, sub cujusdam homuncii nigelli specie salientem, : et mox ex inimicali nefandi dæmonis demonstratione utique (licuit) deprehendere, aliqua prætii infortunia quibusdam ex eis adesse futura; factisque schematibus crucis inimicus disparuit.

32. Postquam autem de hac improba apparitione

(58) Osbertus præcedentibus relatis addit : *Qui ante me de istis scripsit, vult mystice referri ad matrem Ecclesiam*, etc., innuens hujus Vitæ scriptorem.

(59) Privilegium hic accipitur, pro infractione seu prævaricatione legis.

(60) *Solatura* pro *solanda;* quæ locutio (ut jam notasse potes) huic scriptori familiaris videtur fuisse : nam et infra num. 14 legitur *venaturus*, i. e. venatu capiendus n. 18; *tumulaturus*, i. e. tumulandus.

conspecti illusoris loqui quievissent, rogavit idem prælocutus princeps jam dictum Dei virum, quatenus sibi visionis suæ somnia nuper promulgata solvendo enexuisset. Dixit namque se per visionum indicia vidisse memoratum regem cum suis principibus universisque optimatibus, solita ex consuetudine in palatii sui triclinio consedere; et inter læta ministrantium ac jucundantium convivia, eumdem quem dixi regem somno sopitum obdormisse: postque gravem dormitionis suæ sarcinam, omnes pene principes vel sapientes ipsius in hircos caprasque humana relicta effigie commutasse. Cui confestim B. Dunstanus prophetico instructus eloquio respondebat, dicens: Dormitio regis mortis ipsius indicium est; quod autem magnates vel sapientes illius in muta animalia vel insensibilia commutatos vidisti, futurum tempus designat, in quo pene universi regionis istius principes rerumque rectores voluntate ultronea a via veritatis, cujus ipsi sint sapientes, tanquam stolida animalia non habentes pastorem, deviabunt.

33. His ita gestis ad vicum regium, de his semper sermocinantes, pervenerunt. Factoque diei ipsius crepusculo vidit iterum vir Dei Dunstanus in vespertino regis convivio eumdem vel quempiam alium inimicum, inter frequentantes ministros oberrantem. Deinde, ni fallor, post triduum, ipso quoque die quo rex jam dictus ferro fuerat periturus; vidit tertio quemdam ignotum, ignoro quidem utrum inimicabilem, seu etiam spiritalem virum, magnam tamen prolixæ chartulæ rotellam in manu gestantem, densim apicibus conscriptam, eo videlicet temporis momento quo rex a missarum celebratione, novissimo potiturus convivio, ad aulam usque redibat. Quem cum interrogaret quis esset, respondit voce Saxonica se ex Orientis regni partibus esse, seque una cum rege, quædam nuptialis verbi habere secreta. Is dum esset regi nuntiatus, atque in illius præsentiam supervenientium more induci deberet, nusquam apparuit: sed eodem, proh dolor! die, ut diximus, amaræ mortis acerbitas, per sicam perfidi latronis, penetralia cordis ipsius latenter introivit. Ecce enim quam mature de rege beati viri claruere præsagia. De principibus autem non nisi Eadwigi regis temporibus, si rex jure queat appellari qui nec sese nec alios quosque bene rexerat, patuere.

(61) Aliam sub Edgaro rege, factam visionem refert Osbertus apud Surium his verbis: *Alio quodam tempore rex in die Dominica mane venatum ivit, et Dunstanum, qui tunc forte secum erat, missam suam, donec veniret, differre petivit. Appropinquante ergo hora tertia, vir Dei ad ecclesiam procedit: et indutus sacris vestibus, regem, sicut ei promiserat, expectabat. Stabat ergo cubitis innixus altari, orationi ac lacrymis deditus. Tum subito sopore leviter pressus, in cœlum rapitur; et beatis angelorum agminibus associatus, audit eos summæ Trinitati in laudem modulatis vocibus decantantes:* Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. *Quorum melodiam cœlestium contemplator edoctus, ad se reversus est. Et conversus ad suos interrogat rexne venerit, an non? At ubi eum nondum venisse accepit, ad suas preces sese convertit. Factoque non grandi intervallo, iterum extra se ductus, audivit iff cœlis altisona voce dici:* Ite, missa est. *Ad quod cum,* Deo gratias, *responderetur, accurrentes clerici regis, regem adesse vociferantur, sacerdotem ut festinantius missam celebret, obsecrant. At ille versus ab altari, missam se habere pronuntiat, et aliam se ea die celebraturum abnegat. Depositisque vestibus sacris, a suis de re inquiritur: quod latebat, aperitur. Ex hoc itaque sumpto sermone, regem in diebus Dominicis deinceps a venatu prohibuit.* Kyrie eleison vero, *quod in cœlestibus didicit, suos docuit, idque multis in locis hodie sancta Ecclesia inter missarum solemnia canit.*

(62) *Bathe* seu *Bathonia* urbs celebris et episcopalis in Somersettensi comitatu.

A Quoniam quidem B. Pater Dunstanus spiritu Dei, ut ait Apostolus, agebatur (*Rom.* VIII, 14), idcirco hæc et his similia quasi filius Dei promeruerat mysteria: in tantum quoque ut plerique eum assererent vanissima verborum deliramenta proferre, dum ore prophetico sanctique Spiritus imbuitione perplura prædiceret, quæ postea signis evidentissimis conspeximus facta (61).

34. Hic etiam vidit et audivit sine cujuslibet difficultatis obstaculo quædam mira spiritualium secretorum, quæ nunc pangam mysteria. Erat namque vir venerandus in amore Dei, ut diximus, semper accensus, et propterea loca sacrorum cœnobiorum ob animarum ædificationem circuibat sollicitus. Venit etiam ex hac salubri consuetudine ad locum B thermarum, ubi calida lympha de abyssi latibulis guttatim vaporando ebullit, quem incolæ locum sub paterna lingua Bathum (62) soliti sunt appellare. Et cum ibidem ab ejusdem loci fratribus charitative susceptus deguisset, vidit post prandii horam cujusdam scholasticuli ex Glastoniæ cœnobio animam, ad cœlorum sublimia, ab angelis Dei cum hymnorum laudibus deportatam, ac magnis supernorum civium exsequiis hinc et inde stipatam. Venit autem postera die, quasi ad hujus miræ visionis testificationem, quidam e prædicto cœnobio præpositus, nomine Ceolwyus, volens monastica consilia causasque fratrum suorum cum pontifice pariter more solito captare. Hunc ille de monasterio venientem, statim post datam benedictionem, sollicite, si omnia cum C fratribus suis essent prospera, interrogavit: isque mortem pueri minime comminiscens, respondit universa sub integritatis sospitate fuisse constituta. At ille sermone modesto, quoniam propriæ visionis fuerat admodum perspicacior illo: Non autumo, inquit, omnia apud omnes humanis in excessibus fore profutura. Et ille: Sunt equidem omnia, excepto quod nostræ societatis puerulus hesterna die sub tempore meridiano necem inevitabilem moriendo subibat. Hoc est, inquit sanctus episcopus, quod dixi. Requiescat felix spiritus ipsius, secundum visionem nostram, in pace.

35. Iterum autem dum proprio immoraretur monasterio, hoc est Glastoniæ, ambulabat idem ovilium Christi solers prævisor, cum quodlibet ejusdem mo- D nasterii monacho, de domo in domum, fratrum quoque communium pabularia seu cætera eorumdem

necessaria consideratum. Et dum remeando conspectis copiis veniret ad occidentalia antiquæ Ecclesiæ climata, audivit eminus vocem cœlitus inopinato omine immissam, quæ secum incedentem monachum ad cœlestes delicias blando sub eloquio invitaverat, dicens : Veni, veni, Ælfsige, veni : sic enim erat, ut opinor, ejusdem fratris nomen. Tunc Beatus vir meriti clientis sui advocationem intelligens, dixit : Accelera ergo fortiter, frater, apparare te quantocius; quoniam diebus citissimis, vocatus a Domino, ab hujus mundi scoriis migrabis ad ipsum. Quod quidem diebus non adeo multis interpositis ita de eo, ut prædixerat, probabili indiculo adimpletum est. De hinc in eodem loco quadratam paribus angulis ecclesiam in modum fanunculi construere jussit, et constructam in honorem almi Baptistæ Joannis honorifice consecravit. O magnum gloriosi præsulis meritum, qui meruit vivens videre angelorum visiones, vocesque mirabiles eorumdem audire!

36. Huic igitur dum in propria præsulatus sui civitate commanebat, sanctæ consuetudinis inter cætera sublimitatum studia fuit, ut in secretis noctium temporibus (63) sancta loca, propter multimodam populorum ad se venientium inhæsionem, vel etiam aliorum multorum occupationem, sancta semper psalmodia decantando lustraret. Et venit hac lege religionis innexus ad almi Patris Augustini ædiculam, nocturnis, ut dixi, temporibus oraturus : et dum se sacris inibi suppleret orationibus, processit ad orientalem Dei puerperæ (64) ecclesiam, tantumdem precaturus. Cumque ad hanc propinquando psallendoque venisset, forte ex insperato noctis eventu audierat insolitas sonoritarum (65) voces, subtili modulamine in hac eadem basilica concrepantes. At ille continuo per quemdam patuli foraminis hiatum inspiciens, vidit prælocutam ecclesiam omni esse fulgida luce perfusam, et virgineas turmas in choro gyranti hymnum hunc poetæ Sedulii cursitando cantantes : Cantemus, socii, Domino, etc. Itemque perpendit easdem post versum et versum voce reciproca, quasi in circumitionis suæ concentu, primum versiculum ejusdem hymniculi more humanarum virginum repsallere, dicentes :

Cantemus, socii, Domino, cantemus honorem :
Dulcis amor Christi personet ore pio, etc.

Hæc inquam veneranda donorum spiritalium insignia, aliaque innumera, quæ nec ego nec alius quisquam hujus vitæ incola quolibet humano eloquio prævalet enarrare, egregius præsul Dunstanus, quoniam vias justitiæ ambulavit, suscipere meruerat.

37. Nunc ergo, quoniam universa bonorum actuum suorum exercitia, si die noctuque in summa meditationis sagacitate, somno naturali privatus, immorarer, nequeo explanare; æquum tamen esse arbitror ut ea saltem quæ vel egomet vidi vel audivi, justa Dei admonitione stimulatus, pro posse charitatis enodem. Huic etenim, dum tædiosum hujus vitæ incolatum laboriose incoluit, summum studium fuit ut videlicet sacris in orationibus et in Davidicis decem chordarum psalmodiis jugi frequentia insisteret, aut in vigiliis suavem somnum superando pernoctaret assiduis, aut in ecclesiasticis fervidus semper insudaret operari operibus; aut etiam mendosos libros, dum primam orientis diei lucem contueri potuit, erasa scriptorum falsitate corrigeret; aut ut vera et falsa inter virum et virum sagaci ingenio judicando discerneret; aut inpacatos quosque vel rixantes placido sermone concordes efficeret et quietos; aut viduis, orphanis, peregrinis et advenis in suis necessitatibus pio profuisset adminiculo; aut ut justa sequestratione inepta vel injusta dissociaret conjugia, aut omnem humanum ordinem trifarie paratum in proprio soliditatis proposito verbo vitæ firmaret vel exemplo, aut de justo conquisitionis suæ censu ecclesias Dei placita probitate sublevaret ditandas; aut etiam utriusque ordinis imperitos, viros videlicet vel feminas, quoscunque die noctuque poterat cœlesti sale, id est salutaris sapientiæ documento, condiret. Ideoque omnis hæc Anglica terra doctrina ejus sancta repleta est, fulgens coram Deo et hominibus, sicut sol et luna : aut etiam quando debitas vernulitatis (66) suæ horas cæterasque missarum celebrationes Christo Domino solvere censuisset, tanta mentis integritate eas decantando exercuit, ut cum ipso Domino facie ad faciem fari videretur; licet antea et tumultuantis populi conflictibus nimium esset irretitus; oculis interim ac manibus more B. Martini in cœlum semper intentis, nunquam ab oratione spiritum relaxans. Quotiesque aliquod aliud opus perfectionis dignæ vel etiam laude exerceret, in sacris etiam sacerdotum ordinationibus, ecclesiarumque vel altarium consecrationibus, seu etiam in quibuslibet rerum divinarum institutionibus, hoc semper nimio rore lacrymarum peregit, quas invisibilis habitator sanctus quoque Spiritus, qui in eo jugiter habitavit, ex oculorum rivulis potenter elicuit.

(63) In Vita S. Ethelberti regis Cantiorum 24 Februarii, n. 3 ista habentur : *Ad monasterium SS. Petri et Pauli S. Dunstanus crebris noctibus orandi gratia veniens, visionem supernorum civium videre et hymnis cœlestibus interesse meruit. Qui sæpius dixisse fertur quod ubicunque in ecclesia vel cœmeterio pedem quis verteret, super aliquem sanctorum pedem calcaret, adeo loca corporibus sanctorum plena esse asseruit.*

(64) De hac Deiparæ virginis ecclesia hæc revelatio refertur in Vita S. Adriani abbatis, 9 Januarii, n. 6. *Conflagrata in qua requiescit ecclesia, in viso cuidam viro apparuit, dicens : Vade et dic episcopo Dunstano : Hæc tibi mandat famulus Christi Adrianus. Tu in domibus diligenter coopertis requiescis, et Mater Domini nostri atque nos famuli sui omni cœli jacturæ patemus. Quo audito Dunstanus ecclesiam S. Mariæ reparat : quam æterna dulcedine raptus, singulis noctibus frequentare solebat. Nocte autem quadam idem episcopus ecclesiam ingressus, vidit S. Adrianum inter choros cœlestium cum ipsa mundi domina collaudantem Dominum.*

(65) *Sonorita* dici videtur pro *citharista*.

(66) *Vernulitas*. i. e. famulatus.

38. Cumque supernus inspector ad alta polorum fastigia, hæc pia omniaque beati viri studia diutissima speculatione conspiceret, tandem decrevit clementius finem laboriosorum luctaminum suorum, ut cum beatis angelorum agminibus remunerantem nummum acciperet in cœlis, pro quo sæpissime sudarat, dum portaret leve onus ipsius in terris. Instabat namque dies pariter Domini Dei nostri Ascensionis, diesque advocationis ipsius, in quo tamen die Domino dictante missarum celebria sine aliqua læsione compleverat, et novissimum verbi Dei fomentum commisso sibi populo multis cum lacrymarum imbribus ministravit; docens semper Dei Filium de summis cœlorum sedibus pro humana salute descendisse ad terras, quo se Patremque suum una cum Flamine sacro unum esse Deum patula patefaceret pietate; et ut eadem, qua prælatus sum die, devicto diabolo et liberato populo suo, cœlos, de quibus venire videbatur, ascenderet. Qui cum hujus exhortationis clausulam terminando posuisset, nimia cordis charitate poposcit, quod ipse primitus celeri petitione impetravit, hoc siquidem, ut omnipotens Dominus paterna pietate quibuscunque fidelibus, membris videlicet Jesu Christi, scandendi facultatem condonaret, quo principium et caput quorumcunque Christus in prædicta die potenter ascenderat. Illis ille alloquiis cæterisque prædicamentis salubribus ter sub una diei ipsius celebratione commissorum corda affatius permonuit : primo enim, ut ecclesiasticus ordo post lectionis Evangelium jure insinuat; secundo post gratuitam collatæ sibi potestatis benedictionem; tertio vero, post piæ pacis conferentiam, quando communi carmine cecinimus : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, tunc quidem et ipse commissos sibi agniculos, a peccatorum prius ponderibus leviatos, pio.... *reliqua desiderantur*

COMMENTARIUM

IN LIBRUM BEDÆ DE RERUM NATURA.

(*Exstat inter Opera Bedæ*, tom. I, pag. 187 seqq.)

COMMENTARIUM

IN LIBRUM DE LOQUELA PER GESTUM.

(*Opp. Bedæ*, ibid., *pag.* 686.)

ANNO DOMINI MVI.

SANCTUS ÆLFRICUS

ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM ÆLFRICUM.

(Mabill., *Acta SS. Bened.*, tom. VIII, pag. 55.)

1. Hujus sancti antistitis nomen varie apud Anglicanos auctores scriptum legitur, qui eum *Alfricum*, *Ælfricum*, *Elfricum*, *Alvricum*, *Alvredum*, imo et Saxonice *Alric* quandoque appellant. Genus ipsius, parentes aut patriam nemo commemorat; nobili tamen genere natus dicitur in epistola ad Cantuarienses, quam infra exhibebimus. In Abingdoniensi seu Abbendoniensi percelebri monasterio, quod in agro Berrocensi situm est, vitam egisse monasticam asserunt omnes, cujus etiam cœnobii abbas fuisse dicitur. Hunc certe ei titulum post Willelmum Malmesburiensem libro I De gestis pontificum Anglorum, concedunt omnes fere recentiores historici; quod tamen inficiatur Henricus Warthon tomo I Angliæ sacræ in dissertatione singulari de duobus Elfricis, ubi multa congerit de nostro Ælfrico scitu non indigna; hunc vero Sancti Albani abbatem fuisse plus quam probabile existimat. Porro in ejus electionis decreto, quod hic infra exhibebimus, monachus, non abbas appellatur; nec ullus scriptis mandavit quid abbas egerit, aut quanto tempore id munus obierit. Multis virtutibus eum floruisse in monasterio Abbendoniensi testis est epistola quam ex Nicolai Harpsfeldii Historia Anglicana sæculo decimo, capite septimo, huc proferimus integram.

« Universis sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ filiis, « clerus et populus ejusdem Ecclesiæ devotas ora- « tiones. Universitati vestræ est cognitum quantum « temporis est, ex quo accidentibus variis eventibus

« mater Ecclesia Angliæ suo sit viduata pastore ac
« destituta rectore : quod non solum ad nostrum,
« verum et ad vestrum ac omnis insulæ hujus detri-
« mentum pertinere dignoscitur, cum totius patriæ
« sollicitudinem metropolitano constat esse com-
« missam. Propterea elegimus sanctæ Abendonien-
« sis ecclesiæ monachum, Elfricum nomine, nobis
« sufficientissime cognitum, natalibus et moribus
« nobilem, apostolica et ecclesiastica disciplina im-
« butum, fide catholicum, natura prudentem, doci-
« lem, patientem, moribus temperatum, vita
« castum, sobrium, humilem, affabilem, miseri-
« cordem, litteratum, in lege Dei instructum, in
« Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus
« ecclesiasticis exercitatum, et secundum tramitem
« Scripturarum, traditionemque orthodoxorum, et
« canonum ac decretorum sedis apostolicæ præsu-
« lum constitutiones, sano sensu ecclesiasticas re-
« gulas intelligentem, sanoque sensu docentem
« atque servantem, amplectentem eum qui secun-
« dum doctrinam est sermonem fidelem, et cum
« modestia corripientem eos qui resistunt, et qui
« sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere et re-
« darguere prævalentem; hospitalem, modestum,
« domui suæ bene præpositum, non neophytum,
« habentem bonum testimonium, in gradibus singu-
« lis secundum traditionem ecclesiasticam mini-
« strantem, ad omne opus bonum, et ad satisfa-
« ctionem omni poscenti rationem de ea quæ in illo
« est spe, paratum. Quem nobis, » etc.

2. Hanc epistolam a Cantuariensibus ad Abbendonienses monachos transmissam fuisse asserunt Menardus libro II Observationum in Martyrologium Benedictinum, et Harpsfeldius loco superius laudato; quamvis in ejus epigraphe a Cantuariensi clero et populo ad Cantuariensis ecclesiæ filios data dicatur. Ego vero eam Cantuariensium haudquaquam esse suspicor, sed potius Wiltonensium ad ipsos Cantuarienses, seu ad archiepiscopum Cantuariensem, postulantium scilicet ut electionem ab ipsis factam confirmet. Alfricus quippe Wiltoniensis episcopus fuit ante adeptam sedem Cantuariensem. Ad ipsos vero Cantuarienses, seu ad eorum archiepiscopum, ad quem utpote *metropolitanum*, *cui*, secundum ipsius epistolæ verba, *totius provinciæ sollicitudo commissa erat*, decretum electionis erat transmittendum. Id eamdem epistolam attente legenti patebit, in qua nempe nonnulla occurrunt quæ episcopo nequaquam, recte autem monacho vel abbati in episcopum postulato congruere possunt. *Elegimus*, inquiunt isti, *sanctæ Abbendonensis ecclesiæ monachum, Elfricum nomine.* Quare eum episcopum non nuncupassent, si hæc epistola de Alfrici e sede Wiltoniensi ad Cantuariensem translatione ageret? certum quippe est Alfricum e sede Wiltoniensi in Cantuariensem translatum fuisse. Non minus episcopo repugnant quæ in fine epistolæ apponuntur, *in gradibus singulis secundum traditionem ecclesiasticam ministrantem.* Quis hæc de homine jam episcopo dixerit? Alia denique insuper loca adduci possent quæ huic sententiæ favere videntur; quamvis fatendum sit quod præter inscriptionem quæ hanc epistolam Cantuariensibus attribuit, alia etiam occurrant quæ difficultate non carent. Verum cum hæc nihil ad nostrum institutum attineant, lubens prætermitto. Sufficit enim nobis ex hac epistola ediscere Alfricum nostrum moribus et natalibus nobilem, multis ac præclaris virtutibus ornatum fuisse, quæ ipsi ad episcopalem dignitatem adipiscendam viam paraverunt.

3. Anno 989, vel, ut alii volunt, 1191, Siricio Wiltoniensi antistite ad sedem Cantuariensem evecto, ut infra probabimus, Alfricus noster in episcopum Wiltoniensem assumptus est. Quid in ea sede præstiterit nullus commemorat, quamvis magnum suæmi ejus meriti sit argumentum, quod in sedem totius Angliæ primariam eo tempore translatus A fuerit, quo Anglicana Ecclesia sanctissimis præsulibus abunde ditata erat. Id accidit anno 996, ex omnium fere historicorum consensu, sedemque decem annis tenuit. De his nulla controversia. Verum cuinam in sede Cantuariensi successerit, lis est inter auctores, quorum alii Siricium Alfrici successorem, alii vero præcessorem fuisse affirmant. Alfricum Siricio præponit Willelmus Malmesburiensis libro I De gestis pontificum Anglorum, capite de Cantuariensibus : cæteri vero fere omnes Siricium inter et Elphegum nostrum Alfricum locant; cui postremæ sententiæ libenter subscribimus. Nec enim tanta videri debet unica Willelmi auctoritas, qui et se ipse in episcopis Wiltoniensibus emendavit, ut id quod semel et quidem extra propositum protulit, cæterorum omnium scriptorum unanimi sententiæ præponi debeat. Ipsi enim non solum opponimus Godwinum, Henschenium aliosque recentiores, verum etiam veteres chartas et historicos B Anglos Alfrico ipsi subpares; nempe Rogerium Hovedenium, Chronicon Mailrosiense, quod recens cum Ingulfo Oxonii editum est, et Osbernum, testem omni exceptione majorem, qui paulo post Alfrici obitum Ecclesiæ Cantuariensis monachus fuit, et alios complures. Osbernus in Vita sancti Elphegi, capite tertio, asserit Elphegum anno Christi 1006 in sedem Cantuariensem assumptum fuisse, quo eodem anno aut præcedenti Alfricus ex omnium confesso e vivis excessit. Osberno Gervasium Dorobernensem, qui data opera de archiepiscopis Cantuariensibus libellum edidit, adjungimus, sicut et alios auctores, quos singillatim recensere nihil juvat. Quare ad ea properamus quæ Alfricus jam archiepiscopus fecit.

4. Alfricum Romam nudis pedibus petiisse pallii archiepiscopalis obtinendi causa, testis est monachus anonymus auctor Chronici Abbendoniensis apud Harpsfeldium; additque penulam qua sanctus antistes eo in itinere usus fuerat, in ejus pietatis C monumentum Abbendoniæ adhuc suo tempore fuisse reservatam. Quanto autem studio æstuaverit ad res ecclesiasticas, sed potissimum monasticas promovendas, probant variæ ejus subscriptiones, quibus vel monasteriorum libertates confirmavit, vel etiam ad nova construenda operam suam contulit. Donationem ab Ethelredo rege factam sanctimonialibus ecclesiæ Sancti Eduardi Scaftisburiensis anno 1001 confirmavit Monastici Anglicani tomo I, pag. 217. Item chartam ejusdem regis pro fundatione monasterii Eyveshamensis in agro Oxoniensi, quod Ethelmanus sub regula sancti Patris nostri Benedicti erexit anno 1005 in honorem sancti Salvatoris nostri et omnium sanctorum. Ipsemet se chartam composuisse affirmat pro erectione alterius monasterii quod sub eadem sancti Benedicti regula Wilfricus anno præcedenti, scilicet 1004, construxerat apud Burtonium. Hæc charta habetur in Monastico Anglicano tomo I, tum etiam in Chronico Burtoniensi, D quod recens cum Ingulfo integro Oxonii editum est. Sed præstantior est cæteris charta, qua laudatus rex Ethelredus, expulsis e monasterio Christi clericis, monachos ibi in perpetuum constituit. Hic ejus initium exhibere visum est, quod maxime ad Alfrici nostri pastoralem curam commendandam conferat. « In nomine Domini Dei omnipotentis.
« Ego Æthelredus dono Dei populorum Anglicorum
« rex, et aliarum insularum circumjacentium re-
« ctor, omnibus Anglicis Christianis notum facio,
« quod venerandus archiepiscopus Ælfricus ex sua
« sapientia et cura pastorali me circa præcepta Dei
« sæpius occupatum reddidit, et quod ego ipse
« quidquid præceptorum Dei, quidquid doctrinæ
« sacræ necessarium, sedulo ediscendum mihi
« statuo, » etc. Hanc versionem chartæ Ethelredi quæ Saxonice data fuerat, debemus Henrico Spelmanno Sed alium præterea veterem Latinam exhibet, quæ non minus Ælfricum nostrum commendat.

Unde etiam apparet eam non anno 1006, ut habent exemplaria vulgata, sed aliquot antea annis, scilicet 1002 aut 1003 datam fuisse. Non ante annum 1002, quia Godwinus, qui inter alios antistites huic chartæ subscribit, anno 1001 Roffensem sedem adeptus est; non multum postea, cum Wlfranus qui alius est testis, anno 1003 aut 1004 juxta Savilli fastos e vivis excesserit. Porro cum monachi ante Alfrici tempora in Cantuariensi monasterio Salvatoris jam constituti fuerint, ut vult Willelmus Malmesburiensis libro I De pontificibus Anglorum, hæc charta vel data est, ut ea quæ jam prius stabilita fuerant, confirmarentur, vel sane ad expellendos clericos qui fortasse monachis exturbatis hanc ecclesiam occuparant, aut denique, quod verisimilius multis videtur, monachi non tunc expulsis clericis hac in ecclesia sunt instituti, sed monachi ipsi qui ibidem divina persolvebant, reformati et ad meliorem vitam revocati fuerunt.

5. Alfricum non solum virtutes, sed etiam doctrina eximia et singularis eruditio illustrem reddiderunt; unde et nomen Grammatici habuisse dicitur a nonnullis, quo nomine locum inter illustres Angliæ scriptores obtinuit. Ejus opera ex Lelando sic recenset Pitseus in libro De illustribus Angliæ scriptoribus, ætate undecima : « Grammaticæ librum « unum. Sermonum lingua Saxonica centum et « octoginta libros duos. Epistolam unam de con« suetudine monachorum. Transtulit etiam canones « concilii Nicæni in linguam Saxonicam. Chronica « Saxonica, maxime de Ecclesia Cantuariensi. « Dictionarii Latini librum unum. Translationem « in Genesim librum unum. Super Dialogos sancti « Gregorii papæ libros quatuor, Translationem Do« nati librum unum, Excerpta ex Donato et alia « multa, » quorum pleraque adhuc exstant mss. in percelebri bibliotheca publica Cantabrigiæ. Translationem canonum Nicænorum, quam hic Pitseus commemorat, non alia videtur esse a canonibus Ælfrici Wilfino episcopo nuncupatis, quos Spelmannus tomo I Conciliorum Anglicanorum refert, pag. 582, quosque, sicut et sermonum libros duos, Alfrico nostro Cantuariensi vix attribui posse contendit. Idem sentit et probat auctor Angliæ sacræ tomo I in dissertatione singulari de duobus Ælfricis, ubi contendit pleraque opuscula quæ vulgo Alfrico nostro tribuuntur, alterius esse Alfrici, qui cognominatus fuit Grammaticus. Refragantur alii viri eruditi. Verum ad commendandam Alfrici eruditionem adduci potest Prologus, rudi licet calamo exaratus, in Vitam sancti Dunstani, qui Alfrico nostro ab auctore coæquali nuncupatus est. Initium ejus editum est sæculo superiori in observationibus prævils ad Vitam sancti Dunstani, ubi sic habetur : « Perprudenti domino archonti Alfrico omnium « ext mus sacerdotum B. vilisque Saxonum indi« gena, alta polorum gaudia. Te quidem, pastor « præve se, ob enormitatem divulgatæ peritiæ, « perque magnificam placidam privilegii dignitatem « ad insuperabilem mihi tuitionem, » etc. De Ethelvoldi Vita, ab Alfrico scripta, vide tomum I Angliæ sacræ, p. 128.

6. Expletis annis decem, quibus Alfricus Cantuariensi Ecclesiæ præfuit, e vivis excessit die 28 Augusti anno 1006; cujus corpus in monasterio Abbendoniæ, ubi monasticam vitam egerat, sepultum est, postmodum Cantuariam relatum. Quæ quidem relatio sub *depositionis* titulo inscripta videtur in obituali libro archiepiscoporum Cantuariensium tomo I Angliæ sacræ, ubi pag. 54 habetur : xvi *Kal. Decembris Cantuariæ depositio beatæ memoriæ Alfrici ejusdem civitatis archiepiscopi et confessoris.* Hanc translationem sub Canuto rege factam fuisse traditur in Historia monasterii Abbendoniensis, quæ exstat in tomo laudato Angliæ sacræ. Ante et post obitum Alfricum miraculis claruisse asserit Menardus libro II Observationum ad Martyrologium Benedictinum. Certe Chronici Abbendoniensis anonymus scriptor, quem jam ex Harpsfeldio laudavimus, prolixam habet de ejusdem sancti miraculis narrationem, in qua non solum ea refert quæ adhuc puer, aut postea in vitæ decursu patravit, sed etiam alia multa quæ ad ejusdem tumulum in monasterio Abendoniæ edita fuerunt. Hinc miraculis clarus in fastis Benedictinis celebratur die 28 Augusti. Pitseus eum virum pium, et supra vulgarem hominum morem eruditum appellat. Ejusdem meminerunt fere omnes qui de Anglicanæ Ecclesiæ rebus commentarios edidere.

DISSERTATIO DE ÆLFRICO SEU ELFRICO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI.

Utrum fuerit Ælfricus Grammaticus.

(Henr. Wharton, *Anglia sacra*, I, 125.)

De ordine quem inter archiepiscopos Cantuarienses Elfricus tenuit, in superiori dissertatione egimus, atque illum Siricio succedentem ab anno circiter 995 ad 1005 vel sequentem sedisse asseruimus. Restat adhuc alia eaque longe difficilior quæstio de Elfrico archiepiscopo discutienda, nimirum utrum iste fuerit ille doctus Elfricus, quem Grammaticum appellare solent; et cui totum fere quod superest Saxonicæ litteraturæ debemus. Atque id quidem libenter crederem, quod semper optandum, eruditionis principatum cum Ecclesiæ primatu conjunctum esse. Vereor autem ne, rationibus utrinque subductis, archiepiscopus Cantuariensis alius a Grammatico sit statuendus.

Unum eumdemque fuisse Baleus, Pitseus, et post illos cuncti fere scriptores nostrates opinati sunt; neque illo quondam errore abreptum fuisse fateor. Et sane sententiæ istius rationes adsunt non contemnendæ. Ut omnium enim neotericorum consentientem auctoritatem mittam : uterque Elfricus Ethelwoldi discipulus fuit, et præclaram doctrinæ famam ætate sua consecutus est; uterque acerrimus cleri conjugati adversarius, et uterque obiisse dicitur die xvi Kalend. Decembr. Dierum quidem obitualium concordiam nulli hactenus notarunt; qui tamen antiquitates nostræ gentis summa solertia rimati sunt, Lelandus, Baleus, Pitseus, Usserius, aliique in eamdem sententiam conspirant. Plurimas rationes illustrissimus Usserius in bibliotheca sua theologica ms. congessit; ex quibus omnibus hypothesin quamdam efformavit; cujus Epitomen vir doctissimus Gulielmus Cave in *Historiam Litterariam* transtulit, pag. 588 : scilicet Elfricum ante annum 956 cœnobioli alicujus abbatem fuisse et Wulfstano Ebora-

censi ac Wulfino Schireburnensi episcopis litteras illo tempore dedisse. Dein Ethelwaldo præceptori in abbatia Abbendoniensi post Ordgarum intermedium successisse. Mox ab Oswaldo abbatem S. Albani circa annum 969 constitutum esse; ad Malmsburiensis cœnobii regimen anno 974 translatum. Proximo loco Cridiensem episcopum factum, dein Wiltoniensem post Siricium, ac Devoniensem post Sidemannum. Denique ad archiepiscopatum Cantuariensem evectum, obiisse anno 1006. Sic quidem omnia, quæ de Elfrico narrata sibi constitere, reverendissimus primas chronologiæ conciliavit. Licet mihi tamen pace tanti viri aliam inire sententiam, indubiis rei testimoniis freto, quæ ille aut nescivit, aut minus advertit. Neque tamen opus esse arbitror, ut hypothesin ejus ante omnia aggrediar. Error ejus ex inferius a me dicendis in singulis pene membris sponte patebit.

Elfrici archiepiscopi ordinem, quem inter antistites Cantuarienses tenuit, supra asseruimus: illum nempe circa annum 995, Siricio in archiepiscopatu successisse, et anno 1005 vel sequente obiisse. Neque magis dubitandum videtur illum Siricio ad archiepiscopatum evecto in sede Wiltoniensi successisse, ab ea demum ad sedem Cantuariensem translatum. Id enim tradunt Malmsburiensis, Gervasius, Radulphus de Diceto et Chronologia Saxonica, ut alios taceam. Istius quidem versio Latina a Wheloco confecta episcopum prius Wintoniensem fuisse præfert. Id autem contra fidem Saxonici chronologi manifestam. Saxonica enim sic se habent: *Elfricus Wiltoniensis episcopus.* Neque melius Baleus (Cent. 2, cap. 21) qui a sede Wellensi ad Cantuariensem translatum scribit. Utcunque autem illud certum jure sit habendum, nonnulla in historicis nostris reperiuntur, quæ successionem Elfrici in episcopatu Wiltoniensi perturbant. Ut paulo altius enim rem ducamus, post Odonis episcopi translationem ad archiepiscopatum Cant. circa annum 938, Osulfus successit ex concordi omnium sententia. Iste obiit anno 970 juxta Florentium, Osulfo Algarus, Algaro Elfstanus, juxta Malmsburiensem; rectius vero Florentius Alfstanum Osulfo, Wulgarum Alfstano successisse ponit. Uterque Elfstanum monachum Abendoniensem et S. Ethelwoldi discipulum fuisse perhibent. Neque alius est Algarus Willelmi a Wulgaro Florentii. Iste enim indiculo episcoporum Historiæ suæ subnexo Alfstani successorem Alfgarum vocat. Alfgarum autem Alfstano successisse indicio est quod narrat Florentius; Ethelredum regem ingentem collegisse classem, atque illi præfecisse Alfricum et Theoredum duces, Alfstanum Wiltuniensem et Æscwinum (Dorcestrensis is fuit) episcopos; classem demum Alfrici perfidia insignis victoriæ jacturam fecisse anno 992. Isto quidem anno Florentius rei exitum narrat; quamvis classi ante plures annos præfici potuerint, et episcopus ille Wiltuniensis ante rem gestam fato cesserit. Et certe ab anno 989 Alfricus sedem Wiltoniensem insederat atque illi etiam præcesserat Siricius; quod in superiori dissertatione probavimus. Quem Alfstanum autem hic vocat codex Florentii impressus, codex ms. vetustissimus Ælfgarum appellat. Alfgarus igitur successit Alfstano, Alfstanus Osulfo. Alfstanus is obiit anno 980, Abendoniæ sepultus, juxta Historiam antiquissimam Abendoniensem, de qua infra, exeunte forsitan anno post Kalendas Januarii. Anno enim 981 obiisse prodit Florentius. Certe consecrationi Ecclesiæ Wintoniensis anno 980, die XIII Kalend. Novembr. Elfstanus adfuit; teste Wolstano in Vita Ethelwoldi, cap. 40. Illi successor Alfgarus sedem ad annum usque 988 tenuit. Siricius enim, si Willelmo Thorn fides, ex abbate S. Augustini Cant. episcopus Wintoniensis (*lege* Wiltoniensis), procurante Dunstano, creatus est anno 988.

Elfricum ante susceptum episcopatum Wiltoniens. fuisse abbatem Abbendoniensem Malmsburiensis et Westmonasteriensis scribunt; idque apud omnes neotericos pro indubio habetur. Lapsi tamen omnes. Sequitur enim historia Abendonensis a me primum edita, quæ nullam non fidem meretur. De veneranda ejus antiquitate præfationem consule. Ista successionem abbatum Abbendoniensium ab Ethelwaldo ad annum 1131 accurate contexuit; nullum autem Alfrico locum dedit. Ethelwoldo enim anno 963 successit Osgarus (quod Wolstanus etiam in Ethelwoldi Vita confirmat) Osgaro Edwinus anno 984, Edwino Wulgarus anno 990, Wulgaro Adelwinus anno 1017, Adelwino Siwardus anno 1050. Quod tamen errori ansam dedit; Alfricus Cantuariensis prius fuit monachus Abbendoniensis, ex fide historiæ supra citatæ (ad annum 1006). In eo sc. monasterio sub eximio monastici ordinis instauratore Ethelwoldo enutritus fuerat; in quo et plurimi alii istius ætatis antistites. Ab initio enim Edgari regis ad annum circiter millesimum singuli fere Angliæ episcopi et abbates ex monasteriis Abbendoniensi, Glastoniensi et Wintoniensi delecti sunt. Adeo invaluerat monachorum ordo; tantumque apud reges nostros potuere Dunstanus, Ethelwoldus et Oswaldus, qui tribus hisce monasteriis omnium primis monachos clericis ejectis induxerant; et quasi totidem cucullati ordinis seminaria instituerant.

Elfricum Cantuariensem clericis expulsis monachos Ecclesiæ Christi Cantuariensi induxisse supra notavimus. Obiit anno 1005 (juxta alios 1006) et Abbendoniæ, unde monachus exstiterat, sepultus est; translatus ad Ecclesiam Cant. sub Canuto rege. Ista nos docet Historia Abendonensis. Diem obitus dedit Martyrologium Cantuariense ms. sc. XVI Kalend. Decembris. Eodem die Elfricum Grammaticum decessisse carmen glossario ejus, quod Somnerus edidit, præfixum refert. Suspicor tamen carminis auctorem, nominis ac dignitatis ab utroque gestæ similitudine deceptum, diem Cantuariensi proprium Grammatico male adsignasse. Alio enim die Grammaticum obiisse argumento verisimili inferius ostendemus; et Martyrologio Cantuariensi fidem in hac re derogari nequaquam par est. Cæterum Elfrici Cantuariensis eruditionis famam astruit non solum institutio sub doctissimo præsule Ethelwoldo, verum etiam Bridferthi monachi Ramesiensis coævi fides; qui in Vita S. Dunstani ipsi Elfrico dicata illius nomen ob *enormitatem divulgatæ peritiæ* deprædicat (in *Actis Sanctorum*, Maii tom. IV, p. 346).

Ista solummodo de Elfrico archiepiscopo Cantuariensi constant. Abbatem autem S. Albani prius fuisse admodum probabile est. Rationes expediam. Sic enim Joannes Capgravius in Vita Oswaldi præsulis Wigorniensis, postea Eboracensis. Dato illi ab Edgaro rege et Dunstano archiepiscopo negotio canonicos sæculares monasteriis ejiciendi, monachos introducendi, quod strenue adimplevit; inter alios *instituit in ecclesia S. Albani Elfricum abbatem; qui ad archiepiscopatum Cantuariensem postea sublimatus fuit; in Ecclesia Eliensi Brithnotum abbatem.* (Legend. Nov. f. 252.) Nescio unde ista hauserit Capgravius. Sane is, ex quo cætera fere omnia desumpsit, Joannes Tinmuthensis in Historia sua Aurea ms. nil ejusmodi habet. Fidem tamen addit traditio, quæ inter monachos S. Albani viguit Alfricum seu Leofricum quemdam abbatem suum ad thronum Cantuariensem demum conscendisse. Istud ex Matthæi Paris Historia abbatum S. Albani patet; quamvis ipse abbatum tempora atque successionem male disposuisse videatur. De parachronismis in hoc opere admissis nonnulla in notis ad Chronicon episcoporum Lichfeldensium adnotavimus. Forsitan et error parilis in hac re deprehendi potest. Numerat enim Ulsinum abbatem sextum, Alfricum septimum, Ealdredum octavum, Eadmerum nonum, Leofricum decimum, Alfricum undecimum, Leofstanum duodecimum, qui tempore

Edwardi regis confessoris Alfrico successit. Porro si quis tempora componat, inveniet Alfricum abbatem septimum tempore Edgari floruisse. Quod cum Capgravio apprime convenit. Alfricum enim cœnobio S. Albani et Brythnotum Eliensi eodem circiter tempore præpositos asserere videtur Brithnotum autem monasterio Eliensi anno 970 præfectum esse Historia Eliensis refert. Rem confirmat subscriptio Ælfrici abbatis in charta Edgari regis data cœnobio Ramesiensi anno 974 (in Monastico Angl. tom. I, p. 236). Iste quidem Alfricus sedem Cantuariensem postea obtinuisse perbene potuit. Id tantum de exitu ejus Matthæus docet, illum plenum dierum et sanctitate præclarum migrasse ad Dominum, seu potius, si verum fatendum esset, se nescire quid de eo factum sit. Honorem autem archiepiscopatus gesti non abbati septimo sed decimo, sc. Leofrico, defert. Sic enim rem disposuit. Leofricus filius erat comitis Cantiæ, Alfricus frater ejus uterinus. Ille, *in archiepiscopum Cant. electus, non consensit, asserens fratrem suum Alfricum ad hoc esse digniorem.* Postea tamen consensit. Nam, *assumptus ad archipræsulatum, domum suam bonis omnimodis reliquit redundantem. Et huic successit Alfricus frater, qui, ope fratris sui archiepiscopi fultus, multos repressit insurgentes*, etc. et ejusdem *auctoritate* officium S. Albani a se compositum *in multis Angliæ locis publicari fecit.* Inepte igitur Gullielmus Watsius, Matthæi Paris editor, notam hanc marginalem apposuit : *Leofricus electus in archiepiscopum non consensit, asserens fratrem suum Alfricum fuisse multo digniorem. Alfricus igitur effectus est archiepiscopus Cantuariæ.* Alfricus iste, dum sæcularis fuit, regis Etheldredi cancellarius fuit; et postea abbas factus ab eodem Etheldredo nonnulla cœnobio suo emit. Sub Etheldredo itaque rege Leofricus abbatia cessit, Alfricus successit. Ante annum igitur 978 quod ponit Usserius, Alfricus abbas S. Albani esse non potuit. Sed neque multo post abbatiam sortiri potuit. Leofricus enim iste ad archipræsulatum a Matthæo evectus, alius non fuit, quam Leofricus episcopus Cridiensis; qui (prout in fronte Missalis Ecclesiæ Exoniensi ab ipsomet donati scriptum reperitur) Cridionensem episcopatum ab Edwardo rege, cui capellanus fuit donatum tulit anno 1046. Sedem Exoniam transtulit anno 1050; obiit 1071. Nullum alium hujusce nominis inter præsules Anglicos ejusdem ævi invenimus. Quod si Alfricus tempore Etheldredi regis abbas fuerit, dicendum erit illum Leofrico ordine præivisse. Certe Radulphus de Diceto (Abbrev. Chron. p. 446) isti sententiæ suffragatur. Sic enim abbates S. Albani recenset; Wlsinum sextum, Elfricum, Eldredum, Edmarum, Aluricum decimum. *Hic factus est*, inquit, *archiepiscopus Cantuariensis. Cui successit in abbatia S. Albani Leofricus abbas undecimus, frater ipsius Elurici.* Cautius igitur ordinem Radulfus disposuit, quamvis et ipse hallucinatus fuerit, archiepiscopatum Alfrico abbati non septimo sed decimo tribuendo. Leofricum autem abbatem fuisse episcopum Exoniensem idem confirmat; dum refert Leofstanum abbatem duodecimum factum esse anno 1047. Anno enim præcedenti Leofricus sedem Exon. adeptus fuerat. Nescio annon Matthæus fratrum officia pariter ac ordinem immutaverit. Leofricum enim regis cancellarium fuisse Westmonasteriensis et Wigorniensis produnt : Alfricum nullus. Ut quod sentio dicam : Si Alfricus Cantuariensis prius fuerit abbas S. Albani, ordine fuit septimus. Et fuisse quidem non affirmo, lubens tamen concedo. Atque ista quidem scripseram, antequam Vitam Oswaldi ab Eadmero scriptam perlegissem. Ex illius enim fide certissime constat Elfricum archiepiscopum Cant. fuisse prius abbatem S. Albani, cœnobio recens instaurato ab Oswaldo præfectum.

Ab Alfrico Cantuariensi ad Grammaticum transeundum est : et primo quidem quæ de isto Malmsburiensis narrat, examini subjicienda. Exstat apud Malmsburiensem tam in historia De gestis regum (l. II, c. 8) quam in Vita Aldhelmi a me primum edita, p. 32, charta Edgari regis data cœnobio Malmsburiensi anno Domini 974, regni sui 14, qua se *Elfricum virum in omnibus ecclesiasticum* (sic in libro De gest. reg. *virum moribus ecclesiasticis expertissimum officiis :* legendum suspicor *in omnibus ecclesiasticis expertissimum officiis*) abbatem præfecisse dicit. Huic abbati Willelmus in Vita Aldhelmi (p. 33) ejusmodi apponit characteres, qui Grammatico proprii sunt. Sic enim ille : *Eum peritum litterarum, præsertimque elegantissimum interpretem nisi fallax tradit vetustas.* Moriens *reliquit aliquantos codices, non exigua ingenii monumenta : Vitam S. Adelwoldi antequam eam Wolfstanus operosius concinnaret; Abbreviationem passionis S. Edmundi; libros multos ex Latino in patrium sermonem versos.* Opera ista ad Elfricum Grammaticum spectare nullus non novit. Hujus enim innumeros fere sermones, Tractatus, et libros S. Scripturæ e Latino in Saxonicum sermonem versos in bibliothecis publicis etiamnum habemus. Vita Ethelwoldi ab eo contexta exstat ms. (ex bibliotheca Fiscamnensi descripta) penes eruditissimum Mabillonium, qui prologum ejus dedit in Actis Benedictin. Sæc. V, 608, in notis ad Ethelwaldi Vitam a Wolstano scriptam. Quam quidem Vitam, ut id obiter notem, Wolstanum auctorem habere (de quo dubius hæsit Cl. Mabillonius) ex hoc Willelmi loco jam primum constat. Quæ de illo enim Wolstani opere dicit Aldhelmus, Vitæ Ethelwoldi a Mabillonio ibidem editæ adamussim conveniunt. Cæterum Abbreviationem passionis S. Edmundi ab Elfrico adornatam non alius memoravit. Nescio an hodie supersit. Habetur quidem Vita S. Edmundi regis Saxonice ab Elfrico scripta in bibliotheca Cotton. *Jul. E.* 7. Porro de Elfrico abbate Malmsburiensi Willelmus adjungit quod, *cum jam grandævus esset, in episcopum Cridiensem altatus, vix quatuor annis superfuit.* Longe igitur ille alius ab Alfrico Cantuariensi, qui ex ipsius Willelmi aliorumque omnium sententia archiepiscopatum undecim annis, et antea Wiltoniensem quinque, tenuit. Falsus ergo Cl. Usserius, qui unum eumdemque ponit. Quod vero vir maximus Elfricum anno 978, Cridiatunensem episcopum, anno 990, *Wiltoniensem post Siricium, sicut etiam Devoniensium eodem tempore post Sidemannum* fuisse factum conjiciat; pluries adhuc lapsus est. Sidemannus enim obiit anno 977, teste Florentio; aliusque Devoniensium episcopus non fuit præter Cridiensem. Nec minus erravit ipse Willelmus, qui Elfricum Grammaticum eumdem cum Cridiensi posuit. Scripsit enim Grammaticus Vitam Ethelwoldi Kenulpho episcopo Wintoniensi anno 1006. Elfricus autem Cridiensis jamdiu satis cesserat : quippe qui quatuor duntaxat annis sedem tenuit, et ante annum 991 quatuor in abbatia Malmsburiensi successores, Ethelwardum, Kinewardum, Brichtelmum, et Brithwoldum, habuit. Brithwoldus enim Danelgeldum solvit, teste Willelmo (in Vita Aldhelmi p. 35). Id autem vectigalis anno 991 impositum fuisse constat. Propius adhuc veritatem attingere liceret, si charta Ethelredi regis Ethelwerdo abbati data (loc. cit.), cui Elfricus *jam episcopus* testis adfuit, veras temporum notas exhiberet, quæ codicis vitio corruptæ sunt. Id tamen præfatur Willelmus chartam datam fuisse ab Etheldredo, dum *adhuc in regno tenellus* esset. Regnum iste iniit anno 978 die 18 Martii. Testes adfuerunt præter Elfricum Escuinus Dorcestrensis episcopus, *et illi qui in superiori charta* (qua Elfricus abbas constitutus est) *subscripserunt :* viz. Dunstanus, Oswaldus, Ethelwoldus, tres Elfstani, sc. Londoniensis, Roffensis et Wiltunensis episcopi. Ex his Elfstanus Wiltunensis obiit anno 981, prout supra observavimus. Adeoque Elfricus Cridiensis ante annum 985 obiit. Ista sufficiant. Cum chartarum autem fides merito suspecta habeatur, non inutile erit successionem episcoporum Cridiensium in-

tueri. Illos sic enumerat Malmsburiensis (lib. II, De gest. pontif.) : Edulfus, Edelgar, Elfwold, Sideman, Elfric, Elfwold. Eumdem ordinem servat Florentius, qui annos plurimorum insuper exhibuit. Ethelgarus sc. obiit anno 953, episcopatus sui 21, Alfwoldus successit anno 953 (anno 952, juxta Florilegum, qui tamen sibi male constans ejusdem introitum totidem verbis refert in anno 976) ; sedit annos 19 ; obiit anno 972. Sidemannum Edgarus rex anno 968 cœnobio Exoniensi abbatem præfecit ; anno 972 Alfwoldo successorem dedit. Obiit is anno 977. Addit codex ms. Florentii Abbendoniæ sepultum esse. Sidemanni obitum confirmant Acta synodi Kyrtlingtoniensis (concil. Angl. tom. I, p. 493), anno 977, habitæ. In ipsa enim synodo obiisse ibidem dicitur. Successit itaque Elfricus anno circiter 977, et circa annum 981 defunctus est. De isto episcopo dictum puto, quod habet Historia Glastoniensis (Monastic. Angl. tom I, p. 9) : *Elfricus episcopus, monachus et abbas Glastoniæ, obiit anno* 988. Annus quidem minus convenit ; neque tamen minus verisimilis est conjectura. Auctori enim istius historiæ chronologia infelicissime solet succedere.

Rejecta Malmsburiensis sententia, certiora de Elfrico Grammatico sunt investiganda. Id in primis constat, illum Ethelwoldi abbatis Abendoniensis et demum episcopi Wintoniensis discipulum fuisse. Hoc ipse pluries in suis scriptis testatur, et præceptoris virtutem et eruditionem deprædicat. Sic in præfatione prima ad grammaticam Saxonicam, *sicut didicimus in schola venerabilis præsulis Athelwoldi, qui multos ad bonum imbuit.* Et in præfatione secunda dicit Dunstanum archiepiscopum et Ethelwoldum episcopum litteras jamdiu apud Anglos sepultas in monasteriis resuscitasse. Sane præclarum Ethelwoldi in hac re studium alius ipsius discipulus Wolstanus nobis in Vita ejus (cap. 31) testatum dedit : *Dulce namque erat ei*, inquit, *adolescentes et juvenes semper docere, et Latinos libros Anglice eis solvere, et regulas grammaticæ artis ac metricæ rationis tradere, et jucundis alloquiis ad meliora hortari.*

Ethelwoldus monachos Abendonienses ante, Wintonienses post præsulatum susceptum discipulos habuit. Elfricus e Wintoniensibus fuit. Ipse enim in epistola ad Kenulphum, Vitæ Ethelwoldi præfixa, sese *Wintoniensem alumnum* appellat. Eumdem Elphegus episcopus Wintoniensis ad monasterium Cernelieuse legavit ; adeo ut monasterium, in quo degebat, ad episcopi Wintoniensis ditionem spectasse jure censeatur. Poterat tamen Elfricus in utrovis monasterio Ethelwoldi regimini subdi ; modo ætas permitteret. Ethelwoldus enim (ut Joannis Tinmuthensis verbis utar, in Historia Aurea ms. lib. XXI, cap. 58), *expulsis de veteri monasterio Wintoniensi clericis, induxit monachos de Abendonia, quibus ipse abbas et episcopus fuit.* Ex horum autem numero Elfricum fuisse ætas ejus necdum adulta non permittit. Anno enim 963, quo Ethelwoldus ab abbatia Abbendoniensi ad episcopatum Wintoniensem translatus est, nondum undecimum ætatis annum superarat. Quod proxime probandum est.

Chronologiam Saxonicam a Julio Cæsare ad annum Christi 1070 Abrahamus Whelocus edidit ex duplici codice ms., altero collegii corporis Christi Cantab. vetustiore, altero Cottoniano recentiore. Operis totius auctor frustra quæritur. A diversis enim scriptum est. Codex autem Cantabrigensis nota affixa præfert chronologiam istam scriptam esse ab Elfrico anno ætatis suæ 23. Quod de parte ejus posteriore nequaquam intelligendum esse satis constat. Pars itaque prior Elfricum auctorem habet : quæ quidem res Ecclesiæ Wintoniensis tanta præ aliis diligentia persequitur, ut a monacho quodam Wintoniensi concinnata primo intuitu videatur. Desinit ista in anno 975 ; primo sc. Edwardi regis et martyris anno : quod cuivis locum consulenti facile patebit. Ibi enim historicus post narratum Edwardi introitum, multos illi annos precatur. In proximo autem, cujus res gestas chronologia ista exhibet, anno sc. 977 Edwardum regem occisum esse narratur. Quæ certe ab uno eodemque auctore proficisci nequaquam potuerunt. Elfricus igitur in anno 975 chronologiam suam terminavit, annos jam natus 23, adeoque anno circiter 952 natus est.

Idem Elfricus post annum 908 nondum abbatis dignitate auctus scripsit ad Wulfinum episcopum Schiburnensem epistolam celeberrimam, quæ sæpius prodiit, et canones ecclesiasticos, qui habentur apud Spelmannum, concil. Angl. tom. I, p. 572. Spelmannus quidem (in notis ad hos canones, p. 583) contendit Elfricum tunc episcopum fuisse, ducto exinde argumento, quod Wulfino sese parem innuat, canones suos sic exorsus : *Elfricus humilis frater venerabili episcopo Wulfino.* Porro duos tantum hoc sæculo Wulfinos episcopos fuisse : unum Scirburnensem ab anno 940 ad 958 ; alterum Dorcestrensem ab anno 1053 ad 1067 ; nullum autem utrivis Elfricum episcopum contemporaneum reperiri. Unici Alfrici Puttæ archiepiscopi Eboracensis ætatem ad rem propius accedere. Istum enim sedem Eboracensem ab anno 1003 ad 1031 tenuisse ; adeo ut si Wulfinus cathedram Dorcestrensem paulo citius adierit, vel Alfricus Eboracensem paulo diutius tenuerit, Alfricus archiepiscopus Wulfino coepiscopo canones inscribere commode potuisset. Et in hanc se inclinare sententiam. Vel si concedi posset Elfricum Canonum auctorem non fuisse illo tempore episcopum ; cum tamen aliunde constet Elfricum canonum auctorem cum Grammatico fuisse, et Grammaticus Ethelwoldi (qui sedem iniit anno 963) discipulus fuerit : nullo modo fieri posse ut, Wulfino episcopo Scirburnensi anno 958 defuncto, canones isti inscriberentur. Hæc refit Cl. Spelmanni sententia ; quæ tot fere errores habet quot argumenta. Quod Alfricus Putta sedem Eboracensem anno 1003 obtinuisse dicatur ; typographi erratum arbitror. Nescire enim non potuit vir doctissimus Alfricum anno 1023 archiepræsulatu Eboracensi auctum esse. Neque etiam quo anno Wulfinus episcopatum inierit, investigare refert. Canones enim hos ante annum saltem 1006 scriptos esse clarissime liquet ex præfatione Elfrici auctoris ad codicem ms., in quo sermones catholici atque isti ipsi canones Saxonice habebantur. Præfationis initium Spelmannus ibidem dedit. In ea dicit Elfricus se ab Elphego episcopo Wintoniensi ad monasterium Cernelieuse missum, librum istum *e Latino sermone in Anglicum transtulisse idioma.* Ante annum igitur 1006, quo Elphegus Wintoniensis episcopus esse desiit ; et post annum 983, quo esse cœpit. Poterat tamen Elfricus canones Wulfino Scirburnensi Latine ante plures annos scripsisse ; et postea hic loci Saxonice convertere. Quod illi non infrequens erat libros suos e Latino Saxonice, e Saxonico Latine transferre. Potuit quidem etiam canones ante annum 1006 compositos Wulfino Dorcestrensi post annum 1053 inscribere : quod vult Spelmannus. Nimis tamen durum videtur Elfricum canones conscripsisse in gratiam alicujus præsulis : quem post quinquaginta plus minus annos futurum prævideret. Sin Wulfino Schirburnensi inscriptos dicamus ; omnia optime convenient. Vitæ institutum et sectæ studium Wulfino et Elfrico communia fuerunt ; quod amicitiam illis facile contrahere potuisset. Iste sub Ethelwoldo Wintoniæ, ille sub Dunstano Glastoniæ enutritus (teste Historia Glastoniensi, p. 9) Elfricus capitali odio in clericos sæculares præsertim conjugatos ubivis invectus, quod et in canonibus ad Wulfinum præ aliis argumentis persequitur. Wulfinus ejusdem sectæ studiosus, clericis Ecclesia Scireburnensi ejectis confestim post acceptum episcopatum, monachos in sede episcopali instituit : auctore Malmsburiensi (De gest. pontif., lib. II, f. 141). In epistola autem canonibus præfixa tantum abest, ut Wulfino se parem innuat, ut contrarium potius non

obscure indicet. Sic etiam Wulfinum alloquitur : *Obtemperavimus jussioni tuæ libenti animo; sed non ausi fuimus aliquid scribere de episcopali gradu, quia vestrum est scire quomodo vos oporteat*, etc. Quod vero se fratrem indigitet, non aliud innuit quam se monachum esse, usurpato vocabulo apud monachos etiam antiquiores frequentissimo. Elfrico autem præ aliis in omnibus suis scriptis solenne est nomini proprio nomen ordinis seu dignitatis apponere. Sic enim cunctæ fere illius lucubrationes exordiuntur *Frater Elfric*, vel *Elfric abbas*, vel *Elfric episc.* Denique Wulfinus iste Elfrico contemporaneus fuit. Anno enim 958 (quod vult Spelmannus) adeo non defunctus est, ut episcopatum nondum obtinuerit. Namque anno 962 Wulfinus abbas Westmonasterii a Dunstano episcopo Londoniensi institutus est; ex fide Radulphi de Diceto (Abbrev. Chron., p. 456, et Hist. De præsul. Angl., cap. 3). Hunc postea fuisse episcopum Schireburnensem constat ex Willelmo Malmsburiensi (De gest. pontif., lib. II, f. 141) qui in Wulfini Schireburnensis rebus gestis narrandis eadem quæ Radulphus, de abbatia Westmonasteriensi illi a Dunstano, *cum esset episcopus Londoniæ*, commissa refert, anno duntaxat prætermisso. Sane Radulphum in anno hallucinatum esse libenter crederem. Dunstanum enim a sede Londoniensi ad Cantuariensem sub exitum anni 959 translatum esse in superiori dissertatione probavimus. Factus est idem episcopus Londoniensis anno præcedente, ex Florentii fide, ita ut anno 959 vel 958 Wulfinus abbas Westmonasterio præpositus fuerit. Et anno quidem 958 præpositum fuisse Florilegus diserte affirmat et Joannes Flete in Historia Westmonasteriensi. De Wulfini obitu disquirendum restat. Ante annum 978 is contigit, si Florentio simul et Malmsburiensi fides. Isto enim anno Alfwoldus ex illius sententia decessit; qui Wulfino in sede Schireburnensi juxta Malmsburiensem aliosque successit. Wulfinum quemdam episcopum Wiltoniensem Evidentiæ Ecclesiæ Christi Cant. (col. 2223) memorant subscripsisse donationi Etherici et Leofwennæ una cum Elfego episcopo Wintoniensi. Factum id igitur post annum 984, quo Elfegus episcopatum iniit. Pronum tamen est arbitrari Wulsini pro Wulgari nomine male irrepsisse. Wulgarum enim post annum 981 sedem Wiltoniensem tulisse supra probavimus. Utcunque autem conjectura se habeat, evidentiarum istarum auctoritati quam minimum deferendum censeo. Nescio an Florentii auctoritatem superet charta Ethelredi regis data Wulfsino episcopo Schireburnensi et cœnobio suo anno 998, quæ in bibliotheca manu valde vetusta et semisaxonica reperitur, quæque exinde descripta in hoc volumine paulo inferius locum habet. In tanta testium discordia quid potissimum statuendum esset mihi prorsus incerto feliciter ad manus devenit Joannis Flete Historia Westmonasteriensis ms. Iste ex Sulcardo monacho Westmonasteriensi, qui 50 circiter post Wulfsinum annis floruit, refert cap. 17 Wulfsinum episcopum Schireburnensem ab Ethelredo rege paulo post annum 980 factum esse, et anno circiter 998 obiisse. In eam igitur adducor sententiam Alfwoldum illum a Florentio memoratum ante Wulfsinum sedi Schirburnensi præfuisse; lapsumque esse Malmsburiensem atque illius sequaces in catalogo episcoporum Schireburnensium texendo. Eo quo Wulfsinum Malmsburiensis loco Alfsium reponit Florentius, Ulsium Florilegus, qui eumdem Elfredo anno 940 successisse ponit. Noster autem Wulfsinus inferius quærendus est, illo circiter loco, quem Ethelricus et Ethelsius in vulgatis præsulum Schireburnensium catalogis obtinent. Joanni Flete fidem astruunt chartæ perantiquæ Saxonicæ in historica cœnobii Abendoniensis ms. in bibliotheca Cottoniana *Claudius B.* 6. Quarum plurimis Wlfsinus isto circiter tempore subscripsit. Verbi gratia chartæ datæ anno 995 subscribunt Ælfricus Wiltoniensis episcopus et Wlfsige Schireburnensis *fol.* 96; chartæ anno 995, indictione 8 datæ, Ælfricus electus Cant. archiepiscopus et Wulfsige Schireburnensis episcopus *fol.* 95.; chartæ anno 996, indictione 9, Ælfricus Cant. archiepiscopus, et Wulfsige Schireburnensis episcopus, *f.* 99; multæ quin etiam post annum 998 chartæ editæ inibi singulis fere annis reperiuntur; in nullis autem harum Wlfsini nomen comparet.

Post annum 987 Elfricus missus est ab episcopo Wintoniensi Elfego ad monasterium Cerneliense in agro Dorsatensi ut disciplinam monasticam inibi institueret, rogatu Æthelmari comitis, qui monasterium recens fundaverat. Ista scribit Elfricus in præfatione ad sermones catholicos et canones supra memorata. Charta autem fundationis dicti monasterii exstat (in Monastico Angl., tom. I, p. 254) data anno 987. In hoc monasterio degens, plurimos sermones, quos catholicos vocat, e Latina in Saxonicam linguam transtulit : quod ipse loco citato prodit. Post annum itaque 987, grammaticam suam concinnavit. In secunda enim grammatices præfatione dicit se *octoginta libros sermonum* vulgari sermone reddidisse. Et totidem quidem, neque plures, annumeratis etiam codicis Cerneliensis sermonibus ab illo versos hodie habemus. Simplex autem monachus adhuc fuit; utpote qui in præfatione dicti codicis se *monachum et missalem presbyterum* duntaxat indigitat. Nec mirum videri debet simplici monacho monasterii recens fundati instituendi curam commissam esse : cum præter eximiam eruditionis famam Elfrici meritis accesserit, quod Ethelwoldi discipulus fuerit. Illo enim tempore nulli fere digni habebantur, qui monasteria et ecclesias seu regerent, seu instituerent; nisi qui e Dunstani, Ethelwoldi aut Oswaldi scholis prodiissent. Hinc et ad alia monasteria Elfricum legatum esse legimus. In codice enim ms. versionis Saxonicæ Evangeliorum (in collegio Corporis Christi Cantab.) sub fine Evangelii S. Matthæi, ista reperiuntur charactere Saxonico scripta : *Ego Elfricus scripsi hunc librum in monasterio Bathonio* (missus puto ab Elphego episcopo, qui primus fuerat ipse abbas Bathoniæ) *et dedi Brithwoldo præposito :* teste Mareschallo in Observat. ad versionem Anglo-Saxon., p. 490.

Post annum 1002, Elfricus scripsit epistolam insignem (quæ exstat) De sacramento altaris ad Wolstanum archiepiscopum Eboracensem. Duo fuerunt isto sæculo Wolstani archiepiscopi Eboracenses. Alter obiit anno 956, die VII Kal. Januar., juxta Florentium et Chronicon Mailrosense. Alter Aldulfo successit anno 1002, juxta Florentium et Westmonasteriensem; obiit anno 1023, V Kal. Junii, feria tertia, juxta Florentium et Thomam Stubbs. Abbatem fuisse, quando epistolam scripsit, ipse assumpto in fronte epistolæ abbatis titulo, demonstrant. Wolstano igitur seniori epistola inscribi non potuit; cum Elfricus anno 987 triginta plusquam post illius obitum annis, nondum abbatis dignitate cohonestaretur. Sunt tamen, qui Wolstano seniori scriptam volunt; quibus opposuisse sat erit Elfricum fuisse Ethelwoldi discipulum; ipsum autem Ethelwoldum non longe ante Wolstani obitum abbatem factum discipulos sibi adscivisse : ne dicam iterum Elfricum post annum 787 simplicem monachum fuisse; et si de ætate ejus recte conjecerimus, in cunis adhuc, quando Wolstanus obiit, vagiisse.

Anno 1005 Elfricus, abbas jam factus, Vitam Ethelwoldi præceptoris conscripsit; et Kenulfo episcopo Wintoniensi scriptam nuncupavit. Kenulfus enim successit Elphego; quem anno 1005 ad sedem Cantuariensem translatum in superiori dissertatione ostendimus; et ante mensem Julium anni sequentis obiit, teste Florentio Wigorniensi. Anno autem 1005 potius quam 1006 Ethelwoldi Vitam scriptam statui, ut veritati magis accedat calculus Elfrici, qui in præfatione dicit annos viginti ab Ethelwoldi obitu transactos fuisse. Obiit Ethelwol-

dus medio anno 984. Sin aliis annus 1006 magis placeat, non refragabor. Cujusnam monasterii abbas fuerit Elfricus, minus constat. Wintoniensis tamen fuisse videtur; tum quod opus Kenulpho episcopo Wintoniensi inscripserit; tum quod monachus Wintoniensis antea fuerit, quod supra ostendimus. In epistola etiam nuncupatoria cum et abbatem et Wintoniensem alumnum se vocans, institutionis locum doceat, abbatiæ sedem taceat; unum eumdemque et abbati et monacho fuisse locum subindicat. Rem extra dubium ponent Florentius Wigorniensis, Radulfus de Diceto, et Thomas Stubbs: qui Alfricum Puttam archiepiscopum Eboracensem, prius Wintoniensem præpositum fuisse produnt. Nostrum autem Elfricum fuisse illum archiepiscopum Eboracensem unico eodemque certissimo argumento ostendemus.

Elfricum demum episcopali dignitate auctum esse constat ex epistola ejus ms. in collegio Corporis Christi Cantab. quæ inscribitur: *Elfrici episcopi ad jam nunc ordinatos*. Archiepiscopum apud Anglos fuisse patet ex vetusto carmine glossario ejus præmisso:

Præsulis hic redolent Elfrici lypsana summi:
Qui rector patriæ perstitit Angligenæ.
Inter pontifices rutilans seu mystica tampas:
Defensor regni, necne salus populi.

Denique archiepiscopum Eboracensem fuisse liquet ex epistola antiqua, quæ in vetusto codice Elfridi glossario subjiciebatur, et una cum glossario a Somnero evulgata est. Inibi religiosus vir quidam Elfricum orans, ut illi regium favorem in negotio quodam tenui conciliaret, eum his verbis compellat: *Ita tu, sacerdos egregie Ælfrice, nostri regis C. obtutibus semper assistis; et secreta ejusdem consilia a te non sunt abscondita, sed per tuæ industriam sapientiæ discernendo rimantur. Apud eumdem vero multorum subvenis divitum et inopum miseriis. Unde totis imploro nisibus tuæ serenitatem benevolentiæ*, etc. Rex autem C. isto sæculo alius non fuit præter Canutum; et Canuti regis tempore Elfricus archiepiscopus alius non fuit præter Eboracensem.

A Rei non leve pondus accedit ex cognomento Elfrici archiepiscopi Eboracensis: qui ab aliis *Putta*, a Florentio Wigorniensi *Puttoc* appellatur. Vocem corruptam esse jam in suspicabar; et pro Saxonica littera *p* litteram p male esse repositam; quod ob litterarum similitudinem perfacile fuit. Tandem subsidium felicissime tulit codex ms. vetustus Florentii Lambethanus; qui pro *Puttoc* legit pittunc. Ista autem vox a voce Saxonica pitt, quæ *ingenium* seu *doctrinam* significat, derivatur. Unde et pittiz et pittol, *doctus* seu *sapiens*. Adeo ut *Elfricus* pittunc nil aliud sit quam *Elfricus doctus* seu *Elfricus sapiens*. Quod quidem cognomen jure illi datum fuit, cum ipse solus plus omnibus simul suæ ætatis Angiis in rem litterariam contulerit.

Alfricus itaque Wolstano juniori in archiepiscopatu Eboracensi successit. Wolstanus obiit anno 1023 die v Kalend. Junii feria tertia, ex fide Florentii Wigorniensis et Thomæ Stubbs. Ipse vero B Elfricus obiit apud Suthwellam anno 1051, et apud Medeshamstede seu monasterium Petroburgense sepultus est. Id iidem auctores et Radulphus de Diceto produnt: diem obitus prætermittunt. Carmen quidem supra memoratum glossario præfixum die XVI Kalend. Decembr. illum obiisse præfert. Istum autem diem obitualem ad Elfricum Cantuariensem archiepiscopum certius spectare antea adnotavimus. Præstat, ut Elfrici Eboracensis obitum inter monachos Petroburgenses quæramus. Siquidem is apud eos sepultus fuerit; diem ejus obitualem, quem anniversarium vocant, illi quotannis celebrarunt. Habetur itaque ms. in bibliotheca Lambethana Consuetudinarium monasterii Petroburgensis; cui præmittitur Kalendarium. Kalendario in totidem columnis seorsim positis interseruntur dies anniversarii cujusvis mensis in illo cœnobio celebrandi. Et in his obitus Elfrici hisce verbis notatur: *Die* IX *Kalend. Februarii, depositio Dompni Elfrici archiepiscopi.* C Sic etiam obituarium cœnobii Ramesensis (cujus excerpta exstant in Monastico Angl., tom. I, p. 23[illegible]): *Nono Kalend. Februarii, obiit Ailfricus archiepiscopus.*

CANONES ÆLFRICI

AD WULFINUM EPISCOPUM.

(Edidit LABBEUS, *Concil. general.*, tom. IX, col. 1003. — Habentur canones isti ad finem libri catholicorum sermonum, Anglice in ecclesia recitandorum, in celebri bibliotheca Corporis Christi, vulgo Sancti Benedicti Cantabrigiæ, prout sequuntur.

EPISTOLA DE CANONIBUS.

ÆLFRICUS humilis frater venerabili episcopo WULFINO, salutem in Domino.

Obtemperavimus jussioni tuæ libenti animo; sed non ausi fuimus aliquid scribere de episcopali gradu, quia vestrum est scire quomodo vos oporteat optimis moribus exemplum omnibus fieri, et continuis admonitionibus subditos exhortari ad salutem; quæ in Christo Jesu dico: tum quod sæpius deberetis vestris clericis alloqui, et illorum negligentiam arguere, quia pene statuta canonum, et Ecclesiæ religio, vel doctrina, eorum perversitate deleta sunt. Ideoque libera animam tuam, et dic eis quæ tenenda sunt, sacerdotibus et ministris Christi, ne D tu pereas pariter, si mutus habearis canis. Nos vero scriptitamus hanc epistolam, quæ Anglice sequitur, quasi ex tuo ore dictata sit, et locutus esses ad clericos tibi subditos, hoc modo incipiens:

I.

Dico vobis sacerdotibus ego ipsemet: Non feram negligentiam vestram in vestro ministerio, sed in veritate vobis annuntiabo quid de sacerdotibus constitutum est. Christus ipse nobis exemplum præbuit Christianæ institutionis, et puritatis vitæ seu castitatis. Omnes igitur qui in via sua secum ambulaverint, mundano omnia reliquerunt, ne uxores respicientes. Unde ipsemet in quodam Evangeliorum suorum ait: *Qui uxorem suam non odit, indignus est meus esse discipulus* (*Luc.* XIV).

II.

Post Christi vero ascensionem in regnum cœlorum, et excessum venerabilium ejus apostolorum, tanta excitata est in terrarum medio persecutio, ut ad synodum congregari nequibant ministri Dei, propterea quod eorum vitis insidiabantur gentes ethnicæ; donec Constantinus Cæsar, imperium orbis assecutus, Christianus fieret.

III.

Tunc congregavit ille in Nicæa civitate CCCXVIII episcopos ex omnibus nationibus ad confirmandam fidem catholicam. Erant in hac synodo multi episcopi insignibus clari miraculis, et hi missalem quemdam sacerdotem, Arium nomine, telo anathematis perstrinxerunt, quod non crederet Filium Dei viventis in perpetuum æqualis esse potentiæ cum Patre suo glorioso. Ipsumque igitur Satanæ tradiderunt omnes: sed is noluit resipiscere, usquedum effusa cum alvo intestina sua in latrinam viderat.

IV.

In hac synodo instituta fuit sanctæ Ecclesiæ liturgia, et fidei Symbolum quo in missa utimur, nonnullaque alia ad cultum et servitium Dei pertinentia.

V.

Decreverunt jam tum omnes unanimi cogitatione ut neque episcopus, neque sacerdos missalis, neque diaconus, nec qui vere est canonicus, in domo sua secum haberet aliquam mulierem, nisi matrem vel sororem suam, amitam vel materteram suam; et qui aliter fecerit, ordine et gradu suo privaretur.

VI.

Considerate igitur digna hæc auditu. Cum enim habueritis ecclesiæ vestræ sollicitudinem, e contrario..... adduct..... quasi periculosum non esset, sacerdotem vivere more conjugati [vel hominis plebei]. Sed dicetis eum haud posse carere muliebribus servitiis. Respondeo: Quonam pacto vitam transegerunt sancti olim viri absque femina vel uxore, qui in mercedem casti sui animi vita nunc fruuntur sempiterna? Ad hoc dicent sacerdotes Petrum habuisse uxorem. Verum est; sub lege enim veteri, dum in Christi adhuc non venisset clientelam, bene ei licuit: quamprimum autem factus est discipulus Christi, qui castitatis exemplum præbuit, uxorem dereliquit et mundana omnia.

VII.

In lege veteri pontifici licuit uxorem sibi sumere puram virginem, et ex ea prolem suscitare usque in tempus constitutum, propterea quod ex una tantum familia ad eumdem ordinem, et non ex alia unquam consanguinitate, cooptandus esset pontifex. Nec tamen licuit pluries quam semel uxorem ducere, nec hanc viduam aut repudiatam, sed, ut jamjam diximus, puram virginem. Bene tamen sub iis saeculis uxore fruerentur: neque enim missam celebrabant, nec sacramentum corporis et sanguinis Christi administrabant, sed boves offerebant, usque dum Christus ante passionem suam illud sacramentum sanctificaverat, missamque instituerat... modo per eum exist.....

VIII.

Constitutum etiam fuit in eadem synodo ut is qui viduam duxerat, aut repudiatam, aut ad secundas nuptias transierat, ad sacrum ordinem nunquam postea assumeretur, nec consecraretur in sacerdotem: sed is qui castæ unius uxoris maritus fuerat, ad castum ordinem eligendus foret, juxta id quod apostolus Paulus in epistola sua scriptum tradidit.

IX.

Nulli liceat sacerdoti iis interesse nuptiarum celebritatibus, in quibus aut secundæ vir uxori jungitur, aut secundo viro femina; nec vel iisdem benedicere, ut admonuit eum..... ita quod in castitate degant. Sic doctores scripserunt, licet Apostolus veniam cesserit iterum ducendi uxorem, si uxor ejus..... Canones autem jam tum prohibent benedictionem, et ejusmodi connubentibus imponunt etiam pœnitentiam.

X.

Septem gradus constituti sunt in Ecclesia: primus, ostiarius; secundus, lector; tertius, exorcista; quartus, acolythus; quintus, subdiaconus; sextus, diaconus; septimus, presbyter.

XI.

1. Ostiarius est ostiorum templi seu ecclesiæ custos, qui campanarum sonitu designat tempora, fidelibusque ecclesiæ fores aperit, infidelibus vero occludit.

XII.

2. Lector is est qui legit in ecclesia Dei, ad hoc etiam ordinatus ut verbum Dei populo prædicet.

XIII.

3. Exorcista idem est qui malignos spiritus homines cruciantes omnipotentis Dei nomine prodire ex eisdem adjurando cogit.

XIV.

4. Acolytus dicitur qui candelam vel cereum accensum fert, dum evangelium legitur in Dei ministerio, vel dum sacerdos sacramentum corporis Domini ad altare consecrat; non ita tamen ad arcendum caliginosas tenebras, sed ad indicandum eo lumine beatitudinem, ad Christum honorandum, qui est lumen nostrum.

XV.

5. Subdiaconus is est qui diacono vasa porrigit, et omni cum humilitate ad altare sanctum eidem famulatur, vasa subministrans ad sacramentum corporis Domini nostri pertinentia.

XVI.

6. Diaconus est qui missali sacerdoti est a ministerio, oblationes super altari ponit, et in divinorum celebratione evangelium legit. Ei liceat bapti-

zare, populoque cœnam Domini exhibere..... Salvatori deservire, et vitæ cœlestis rationem in castitate colere, et omnia..... sicut decet illum ordinem. Sacerdos qui versatur absque diacono, nomen tenet, non ministerium.

XVII.

7. Presbyter est sacerdos missalis, aut senior, non a senectute, sed quod senili gaudet prudentia. Illius est corpus Domini in Sacramento consecrare eodem modo quo Salvator ipse instituit. Ejus est ut populum ducat ad fidem, cum et prædicando, tum et sacra ministeria caste exsequendo, Christianis se exemplum præbens, et vitam agens non pro more laicorum. Haud pluris interest inter missalem presbyterum et episcopum quam quod episcopus constitutus sit ad ordinationes conferendas, et ad visitandum, seu inspiciendum, curandumque ea quæ ad Deum pertinent (Dei jura) quod nimiæ crederetur multitudini, si omnis presbyter hoc idem faceret. Ambo siquidem unum tenent eumdemque ordinem, quamvis dignior sit illa pars episcopi.

XVIII.

Non est alius ordo constitutus in ecclesiasticis ministeriis præter memoratos septem istos. Monachorum et abbatum classes alterius sunt generis, et neque istis annumerantur, neque ordinis alicujus nomen obtinent. Dicti autem ordines sancti sunt, et perducunt presbyterorum suorum animas ad beatitudinem si pure teneantur.

XIX.

Ad presbyteros spectat, et ministros Dei omnes, ut ecclesiam suam sancto colant obsequio, septem in ea horarios cantus psallant, ut a synodo constitutum est, id est cantus antelucanus, cantus matutinus, cantus tertianus, vel ad horam diei tertiam, cantus meridianus, cantus nonalis, vel ad horam nonam diei, cantus vespertinus, cantus nocturnus, qui et septimus.

XX.

Tenentur hi etiam preces obnixius fundere pro rege et ipsorum episcopo, etiam pro suis benefactoribus et pro omni populo Christiano.

XXI.

Habebit etiam presbyter quilibet, priusquam ordinatus fuerit, arma ad opus spirituale pertinentia, videlicet codices sacros, id est psalterium, Epistolarum librum, et librum Evangeliorum, librum Missalem, libros Canticorum, librum Manualem, seu Enchyridium, *gerim*, Passionalem, Pœnitentialem et Lectionarium. Hæc ut habeat necessarium est; et curet presbyter diligenter ut accurate omnia sint correcta, et a scribarum vitiis liberata.

XXII.

Habebit etiam missalia vestimenta, ut Deo serviat prout decet, honorifice : nec sint ea mucida, ne vel aliquantulum..... et altaris etiam pallia affabre sint contexta. Calix ejus e pura una materia factus, putredini non obnoxia : et sic etiam patina. Corporale item nitidum, ut Christi convenit ministerio. Nemo quidpiam impune proferat quod non semper dignum fuerit apud Deum, ut ei serviat, cum in prudentia, tum in puritate.

XXIII.

Presbyter etiam, seu missalis sacerdos, in diebus Solis et missalibus, evangelii ejus intellectum populo dicet Anglice, et ipsorum etiam *Pater noster* et *Credo* totics quoties poterit ad eos instruendos adhibere, et ut Symbolum fidei memoriter discant, christianamque suam teneant confessionem, monente hoc Domino, una et propheta inquiente : *Canes muti non possunt latrare* (*Isa.* LIX). Oportet nos latrare et exhortari laicos, ne forte pro defectu instructionis perdamus eos. De insipienti doctore ait Christus in Evangelio : *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Luc.* VI). Cæcus est doctor qui litteras nescit, et ignorantia sua laicos et indoctos decipit. Caveatis in hoc igitur, prout opus fuerit.

XXIV.

Sancti etiam Patres statuerunt ut Ecclesiæ Dei decimas suas quique conferant, tradanturque eæ sacerdoti, qui easdem in tres distribuat portiones : unam ad ecclesiæ reparationem, alteram pauperibus erogandam, tertiam vero ministris Dei qui ecclesiam ibi curant.

XXV.

Constituerunt etiam ut nemo missam celebraret in domo non consecrata, nisi urgente necessitate, vel quispiam sit infirmus, et ad ecclesiam proficisci nequeat.

XXVI.

Si puer non baptizatus libere adducatur ad presbyterum, caveat ille ut eumdem protinus baptizet, ne forte moriatur ethnicus.

XXVII.

Nullus presbyter pro pecuniis vendat ministerium suum, nec pro eodem quidpiam petat, neque pro baptismo, neque pro alio aliquo ministerio exsequendo : ne sit eorum similis, quos de templo Christus ipse flagro expulit, quod mercaturam nequiter exercebant in eodem. Dei siquidem ministri non jam faciant ministeria, ut pecuniam inde sibi conferant, sed ut gloriam mereantur sempiternam.

XXVIII.

Nullus itemque presbyter ex quacunque lucri vel cupiditatis causa ab una ecclesia ad aliam transeat, ad mortem usque in eadem hæreat, cui primitus ordinatus fuit.

XXIX.

Nullus presbyter ex ineptia bibat plus quam decet, nec alium provocet ad bibendum ultra quod desiderat, ne forte minime compos fuerit cum vel infans baptizandus, vel moriturus quispiam viatico sit donandus. Quod si non acciderit, haud tamen fiat ebrius, quia Dominus ministris suis interdixit ebrietatem.

XXX.

Presbyter nec sit mercator, nec mercaturæ cupidus, nec, omisso theologiæ studio, se ad mundanas conferat sermocinationes, nec arma ferat, nec causidicus sit, vel lites agat, nec in œnopoliis bibat more sæcularium : juramentum etiam ne jurato : semper autem et simpliciter verum dicat absque mendacio, ut servi Dei docuerunt.

XXXI.

Distincte etiam peccatoribus instituet pœnitentiam, unicuique scilicet juxta meriti sui rationem, sicuti probabilius eam assequatur. Infirmis et ægrotis cœnam Domini ministrabit, dum tamen valeant hanc deglutire : semimortuo autem non porriget, quia Christus dicit : Homo manducat hoc sacramentum.

XXXII.

Habebit etiam presbyter consecratum oleum duplex : hoc infantibus, id ægrotis paratum ; et ægrotos semper unget jacentes. Quidam vero ægroti hoc nihili pendunt, et in ægritudine sua se non concedunt ungi. Dicam quid de iis docuit Jacobus Domini apostolus, qui credentibus ait : *Tristatur aliquis vestrum ? Oret æquo animo et psallat. Infirmatur quis in vobis ? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* v). Hæc locutus est Jacobus de ungendis ægrotis. Ægrotus autem, priusquam inungatur, confitebitur ab intimo corde si quid peccati commiserit pro quo dignam non contulerit satisfactionem, sicut Apostolus hic jam supra eum monuit : et nemo præsumat ungere, nisi exoratus, et post peractam confessionem. Si antea peccator fuit et negligens, faciat jam demum confessionem, pœnitentiam et eleemosynam ante obitum suum, ut inferno non adjudicetur, sed divina gaudeat misericordia.

XXXIII.

Quatuor erant synodi pro veræ fidei defensione contra hæreticos blasphemias eructantes in sanctam Trinitatem et Salvatoris nostri humanam naturam. Prima Nicææ, ut hic antea memoravimus : post eam altera Constantinopoli, e CL episcopis sanctis Dei servis ; tertia Ephesi fuit, e CC episcopis ; quarta vero Chalcedoni, ubi multæ aderant episcoporum centuriæ. Et hi omnes unanimi assensu omnia confirmarunt quæ in Nicæna statuebantur synodo, et in quibus violata fuit, ea omnia refecere. Quatuor istæ synodi adeo observandæ sunt a Christi Ecclesia ut quatuor Christi codices. Multæ ex illo tempore fuerunt synodi, sed hæ quatuor erant firmissimæ. Exstinxerunt enim istæ hæreticas illas doctrinas quas adversus Deum hæretice posuerunt hæritici, et constituerunt pariter ecclesiasticum ministerium.

XXXIV.

Qua igitur audacia, o sacerdotes, istorum omnium despexeritis constitutiones ? Monachi enim unius hominis constitutiones tenent, sancti videlicet Benedicti, et secundum regulam ejus vivunt ; quam si violaverint, corrigunt statim omni cum humilitate, juxta abbatis eorum sententiam. Vos etiam habetis regulam : si vel eam legere volueritis, videretis quid sit vobis constitutum. Vos autem mundanis delectamini collocutionibus, vicecomites fieri, præpositi seu ballivi, neglecta interea ecclesia vestra, et his una constitutionibus.

XXXV.

Volumus, ut constitutiones perhibent, vos vosmetipsos, prout Christianos decet, citius expedire, ecclesiæque vestræ sedulo indulgere. In ecclesia vero ne vel fabulari liceat, aut..... loqui : orationis enim domus est, a Deo consecrata in sermonis spiritualis exercitationem. Nec in ea quispiam bibat, aut indebite edat, cum sit illis sanctificata qui ibidem corpus Domini in fide manducaverint. Hæc quamvis turpia faciunt homines, bacchantes sæpe, et usque ad insaniam bibentes in domo Dei, contumeliose etiam et turpiter ludentes, quin et fœdis sermonibus ipsam hanc domum contaminantes : satius eis foret in lectis suis acquiescere quam Deum istiusmodi irritare.

(*Reliqua desunt.*)

(*Exstant Ælfrici archiepiscopi opuscula quædam e Saxonico idiomate in Latinum translata, sublestæ tamen fidei et quæ manus acatholica interpolavit. Hæc ideo dare supersedemus.*)

JOANNES XVIII PAPA

NOTITIA HISTORICA.

(CIACONIUS, *Vitæ Romanorum pontificum*, p. 283.)

Joannes XVIII, Fasanus vel Fassanus, Romanus, A de vico portæ Mathodii, imperatore Henrico juniore Augusto, sedit annos quinque, menses septem, dies viginti; creatus XII Kalendas Decembris : Joannes hic, quem vicesimum primum Platina vocat, seipsum decimum octavum appellat in suis diplomatibus : item publicarum tabularum instrumentis, suo tempore factis. Quare Joannes illi, quos nos XXI et XXIII vocamus, XIX et XX dicendi essent.

Hic pontificatum iniens, nil dignum memoria gessit. Quod magnopere celebrari possit. Aliquot tamen ecclesias præ vetustate corruentes reparasse quidam scribunt; monachorum, et præcipue Casinensium, quibus multa privilegia concessit, maximus amator exstitit.

Exstat ad hunc papam decimum octavum Fulberti Carnutensis episcopi, viri celeberrimi, epistola, qua conqueritur Rodulphum quemdam res suæ Ecclesiæ invasisse, clericum suum propriis manibus interfecisse, duos captos tenere.

Ab hoc Senenses in Etruria primum episcopo decorati sunt, anno 1009.

Burchardus, anno 1008, Ecclesiam Vormartiensem recepit, qui volumen Decretorum confecit.

Synodus Germanica, jussu imperatoris Henrici, ex omnibus imperii episcopis congregata anno 1004, sub pontificatum Joannis XVIII papæ.

Item Synodus Frankfordiensis, anno 1006.

Obiit tandem Romæ Joannes XVIII papa, XV Kal. Augusti, anno 1009; sepultus Laterani. Vacavit sedes diebus triginta.

NOTITIA DIPLOMATICA.

Joannis bullæ sunt scriptæ per manum :
Georgii notarii ac scriniarii S. R. E. (1).
Petri » » » » (2, 5, 10).
Benedicti regionarii notarii ac scriniarii S. R. E. (4).
Petri abbatis et cancellarii sacri Lateranensis palatii (6, 7, 9).
Stephani notarii et scriniarii » » » (11).
Ingilonis (Joannis?) *scriniarii S. ap. sed.* (8).
Datæ per m.
Gregorii episcopi S. Ostiensis Ecclesiæ et bibliothecarii S. sed. apost. (3, 4).

JOANNIS XVIII PAPÆ
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Joannes XVIII monasterii S. Florentii Salmuriensis privilegia et possessiones confirmat.

(Anno 1004.)

[Dom MARTEN., *Vet. Script. Collect.* V, 1104.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ROBERTO venerabili abbati monasterii S. Florentii confessoris Christi, siti in loco qui dicitur Salmurus, ejusdemque successoribus cunctisque in eodem loco commorantibus fratribus perpetuum vale.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus in benevola compassione succurrere, et B promptum animi impertiri assensum. Tunc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum reponitur, quando venerabilia loca opportune ad statum rectitudinis sunt perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium S. Florentii confessoris Christi, situm in loco qui dicitur Salmurus, in territorio Andegavensi, privilegiis sedis apostolicæ decoraretur, libenti animo petitioni tuæ assensum damus. Quia vero ipsum monasterium olim a Carolo imperatore nobiliter constructum fuerat in loco vocabulo Glonna, ubi S. Florentius post diutinam vitam spiritum cœlo reddidit, et præceptis imperialibus atque privilegiis cum amplis-

simis possessionibus roboratum atque ditatum est. Similiter a Ludovico cognomento Pio, ejus filio, omnis fiscalis exactionis vel cujuscunque legalis seu officiariæ pensionis, simul etiam synodalis debiti omnium ecclesiarum, quæ ipsi monasterio subjacent, immunitate ditatum, nos eidem antiquo monasterio faventes, precibus domnæ Bertæ reginæ ac filiorum ejus Theobaldi et Odonis, apostolica auctoritate in perpetuum confirmamus atque constabilimus, ut si quis harum rerum temerator exstiterit, seu possessiones, ecclesias, terras vel aquas ejusdem loci violare tentaverit sub anathematis indictione damnatus sit. De illo novo cœnobio, quod post vastationem Normannicam constructum est a nobilissimo comite Theobaldo, in loco qui dicitur Salmurus, in abbatia sanctæ Dei Genitricis Mariæ et sancti Joannis Baptistæ, quæ a Carolo filio Ludovici collata fuerat eidem S. Florentio, postulantibus supradictis filiis nostris, statuimus apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ne aliorum quorumlibet dominio subjiciatur aut inferiori potestati subdatur, sed in perpetuum per succedentes hæredes Theobaldi atque Odonis regatur atque defendatur. Si quis autem eorum ipsum locum cuicunque extraneæ personæ transfuderit, seu quæcunque persona eumdem locum ab eis expetere aut coemere tentaverit, cum Juda proditore in extremo judicio anathema sit. Alligamus etiam eodem anathemate eos qui aliquid de his quæ ad præsens idem locus possidet, vel deinceps acquisierit, auferre tentaverit, seu novas leges addere, nisi quantum constitutum est ab archiepiscopo Arduino et comite Odone filio Theobaldi. Statuimus etiam ut si decreto episcoporum pagus ille excommunicationis sententiam exceperit, liceat eidem cœnobio missas et reliqua sacra celebrare, neque ab episcopis propter hoc aliquod præjudicium sustinere cogatur. Quod si abbati ipsius loci aliqua calumnia vel crimen impingatur, liceat eum sub duobus aut tribus episcopis causam dicere, neque irreverenter sine judicio illorum debeat molestari. Sint itaque servi Dei monachi ibidem habitantes, quieti ab omni molestia cupidorum, et liceat eis propria bona disponere, Deo favente, ac nostra apostolica auctoritate confirmante, ut nulla unquam persona, cujuscunque dignitatis, aliquid de rebus vel possessionibus quæ ad eos pertinent quoquo modo auferre vel alienare præsumat. Hæc autem sunt fiscus Lentiliacus cum ecclesia in honore S. Mariæ et capellis S. Hilarii ac S. Vincentii, et omnibus quæ in castro sitæ sunt, vel quidquid amplius ad ipsum pertinet. Item, villa quæ dicitur Distriacus cum ecclesia S. Juliani martyris, alia quoque villa quæ dicitur Ulmis cum ecclesia S. Vincentii, et capella quæ dicitur Mainiacus cum terris quæ ad eas pertinent. Possessio etiam quæ dicitur Capriniacus, cum ecclesia S. Georgii et capellis, quæ vocantur vulgo S. Helerus et Savoya, cum terris quæ ad eas pertinent; villa quoque vocabulo Cadvernis cum Danceiaco et ecclesia ibidem sita. Possessio quoque cum castello Carnonis, et S. Andreæ sanctique Lamberti cum terris ad eas pertinentibus, ecclesia S. Petri cum capella S. Joannis. Item, alia villa quæ dicitur Alomna, cum ecclesiis in honore S. Joannis et S. Docelini, cum terris ad eas pertinentibus. Alia quoque villa nomine Mironio, cum ecclesia in honore S. Cæsarii et terris quæ ad eam pertinent. Hæc omnia auctoritate B. Petri apostolorum principis coram Deo ac terribili futuro judicio per hujus apostolici nostri privilegii confirmationem eidem loco sancimus atque decernimus, et quæcunque a fidelibus eidem loco deinceps collata fuerint, ut si quis nefarius contradicere, invadere aut calumniare præsumpserit, anathematis vinculo innodatus a Christianorum societate in perpetuum separetur. At vero qui pio intuitu observator ac in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, ac vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manus Georgii notarii ac scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione secunda.

II.

Joannis XVIII privilegium pro Ecclesia S. Mariæ Isergensi.

(Anno 1004.)

[Marini, *Papiri diplom.*, tom. I, p. 238.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, universis sanctæ Romanæ Ecclesiæ filiis.

Officii nostri est omnium sanctarum Dei Ecclesiarum commoda generaliter considerare et maxime earum quæ potentialiter sub jure et dominio nostræ Romanæ Ecclesiæ consistunt. Si quid est incommodum abolere, ne gravi incommoditate sua neglectæ vilescant vel qualibet nos ac occasione debita solemnitate careat. Inter cætera cum plurima negotiorum genera ad sedem Romanam ex diversis mundi partibus deferantur, cumque ad multa constituenda, sive ordinanda conferamur, inter nonnulla præsentiarum accepimus illud quoque ad nostras aures pervenit; quod plebem sanctæ Mariæ intra civitate quæ vocatur Iserge juxta fontem sancti Joannis Baptistæ sitam, partim antiquitatis suæ, partim negligentia pastoris ruinæ lapsa defecerat. Sed nutu Dei ejusque genitricis Landinolfus comes, filius comitis Landolfi Græci, cum bonæ memoriæ Gemma conjuge sua de rebus propriis pro redemptione animæ eorum ipsam antiquam plebem ad honorem S. Mariæ reædificavit atque renovavit. Fuerat enim quondam occupata pastoribus qui non sibi profecerant ad augmentum, sed totius imminutionis dederat opprobrium. Ergo quamvis priorum Patrum exemplo doceamur, ut omnibus ecclesiis per totum orbem terrarum diffusis Christi amore qui eas nostri officii subesse voluit ministerio prodesse debeamus tamen et hæc nos ad subveniendum cogat necessitas. Quapropter dignum dicimus eam Ecclesiam Sanctæ Mariæ sitam juxta fontem sancti Joan-

nis Baptistæ intra civitatem quæ Iserge vel in omni A sua pertinentia, ut præfatus comes Landinolfus filius Landolfi Græci cum suis hæredibus dominium et potestatem exerceant ad regendum servitores ipsius ecclesiæ secundum Deum et ecclesiasticum ordinem, ut servitium Dei non minuetur sed augeatur et crescat. Decernimus etiam ut episcopus ejusdem Iserge civitatis nihil omnino de rebus vel ornamen is ipsius præfatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ per quamlibet occasionem vel argumentum imminuere vel tollere præsumat; et nullatenus inde aliquid quasi privato accipere audeat; sitque ab omni externa potestate idonea atque perenniter secura. Si vero, quod non optamus, in alicujus malæ opinionis piaculo servitores ipsius Ecclesiæ deprehensi fuerint, episcopum ipsius civitatis regulariter insti- B tuimus corrigendos. Si autem episcopus eos emendare contempserit, apud sedem apostolicam decernimus audiendos atque regulariter corrigendos. Quod si fortasse quisquam hoc nostræ auctoritatis privilegium immutare præsumpserit, omnimodo frustretur, et primum quidem sui ordinis gradu privetur, atque anathematis ultione mittatur, partem cum Juda traditore in fine extremi examinis habeat. Et per auctoritatem quam beatus Petrus in cœlo, et in terra ligandi atque solvendi meruit potestatem, sit a participatione dominici corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, a nostro consortio, nisi resipuerit, perenniter reclusus, et quæ statuta sunt perpetua possint diffinitione manere, et temeratorem præsentis decreti, de sua temeritate pœnis multiplicibus subjacere.

Scriptum per manus Petri notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobri, indictione tertia.

Bene valete.

III.

Joannes XVIII ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani ad Micam auream privilegia tribuit.

(Fragmentum. — Anno 1005.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 57.]

. . . . . .

Data IV Kal. Aprilis per manus Gregorii episcopi et bibliothecarii S. R. E. atque episcopi sanctæ Ostiensis Ecclesiæ. anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis XVIII papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo, in mense et indict. supradicta tertia. D

IV.

Joannes XVIII monasterii SS. Benedicti et Scholasticæ Sublacensis privilegia confirmat.

(Fragmentum. — Anno 1005.)

[Georgius in Baron. *Annal.* ed. Luc. XVI, 431.]

. . . . . .

Data per manus Benedicti regionarii notarii ac scriniarii S. R. E.

V.

Joannes XVIII (1) Benedicto, episcopo Portuensi, dimidium campi Stagnelli maledicti concedit.

(Anno 1005.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 119.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilecto nostro in Christo spirituali filio Benedicto reverendissimo episcopo S. Portuensis Ecclesiæ suisque successoribus in perpetuum.

Quoties illa a nobis tribui sperantur quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ideoque postulasti a nobis quatenus ex nostra apostolica auctoritate concederemus tibi tuisque successoribus in perpetuum, id est integram B medietatem de campo in integrum, qui vocatur Stagnellum maledictum, ubi nunc per nostram apostolicam benedictionem salinarum fila noviter construuntur, quem Benedictum de cætero vocari jubemus cum medietate filorum, atque medietate pensionum, et omnis publicæ functionis quæ de toto supradicto campo annualiter exierit, et cum omnibus ad supradictum campum, qui Stagnellum benedictum vocatur generaliter, et in integrum pertinentibus constitutum in territorio Portuense inter Campum majorem et pedicam quæ vocatur Ticoh : hæc omnia juris nostræ S. Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, emissa nostra perceptione a præsenti tertia indictione tibi, tuisque successoribus in perpetuum ad tenendum et perfruendum concedimus tuis inclinati precibus. Si quis autem temerario C ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire tentaverit, sciat se auctoritate domini nostri apostolorumque principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in æterno igne concremandum, simulque et in voragine tartarea dimissum cum impiis deficiat. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino consequatur.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii S. R. E., in mense Julio, indict. suprascripta tertia. Bene valete. Decernimus ergo, etc. Si qua igitur, D etc. Cunctis autem, etc. Amen.

VI.

Joannis XVIII papæ privilegium pro Ecclesia Paderbornensi.

(Anno 1005.)

[S. haten, *Annal. Paderborn.*, tom. I, pag. 375.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ratario, Paterbornensi venerabili episcopo suisque successoribus in perpetuum.

Sacrosancta apostolica sedes, dum maternæ pietatis et regiminis universaliter in ecclesiis Christi obtinet officium, corroborationis, doctrinæ et auctorit-

(1) Joanni XIX perperam ab Ughello tribuitur. Jaffé.

tis impendere incessanter eisdem debet suffragium. Quocirca tuæ postulationi, reverendissime fili, in concedendo tibi tuæque sedi apostolicæ auctoritatis privilegio, et libenti animo annuimus et gratissima animi indulgentia concedimus. Ita enim caput gaudere poterit, si membra integra stabilito robore se habere senserit. Igitur ut ab antiquis sanctæ Paterbornensis Ecclesiæ sedes, cui Deo auctore præsides, fundata, ac rebus diversi generis dotata est, utque bonorum virorum ac fidelium Christi collatione hactenus copiis divitiarum possessionumque accrevisse visa est, ita eam perpetuo apostolici juris præcepto tibi tuisque successoribus in perpetuum manere decernimus : sintque a pravorum incursione, dolo et direptione tuta, quæcunque prædicta Ecclesia, imo sedes episcopalis possedisse B hactenus videtur; vel quæcunque acquirere fidelium Christi collatione poterit, id est vicos, possessiones curtes, diœceses, diœceseonque territoria sibi pertinentia; item arces, castella, agros, vineta, flumina, lacus, cum omnibus quæ in eis fiunt instrumentis, servos etiam et ancillas, itemque colonos, census seu reditus, aut etiam pensiones. Ista omnia, et sicut supra dictum est, quarumcunque possessionem prædicta Ecclesia habere visa est, aut videbitur, auctoritate apostolica eidem confirmamus et corroboramus, et in perpetuum valere decernimus, ut nulla violentia aut ingenio ab ea subripiantur aut alienentur. Item decernimus beati Petri apostoli auctoritate ut nulla ordinatio ibi episcopalis existat, id est nullus consecretur episcopus in prædicta Ecclesia, nisi electione filiorum ejusdem Ecclesiæ approbatus; si quis autem insanus aut præsumptor res ejusdem Ecclesiæ devastando, aut diripiendo, itemque minuendo contra hoc nostræ auctoritatis privilegium venire tentaverit, aut observare despexerit, nisi condigna emendatione resipuerit, excommunicationi subjaceat, anathematis vinculo innodetur, maledictione æterna damnatus sit, ac cum reprobis pœnis subjaceat æternis.

Datum et scriptum per manus Petri abbatis et cancellarii sacri palatii in mense Decembrio, indictione quarta [*al.*, tertia], anno Domino propitio domni Joannis XVIII papæ tertio.

VII.

Joannes XVIII confirmat donum a Rainaldo episcopo Parisiensibus canonicis factum.

(Anno 1006.)

[Mansi *Concil.* XIX, 291.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei.

Imperiosæ rationis institutione in quibuslibet ordinandis ac disponendis rebus antiquorum priscæ ac providæ auctoritati, ut totius posteritatis subsequens adnisus diligenter obtemperando et prudenter imitando respondeat, utilitate sentitur, et sanioris censura judicii omnimodis roboratur. Et quoniam vita ipsa qua fruimur pollice multimodæ brevitatis coercetur, et plerisque immatura succiditur, ad in- A terminabilem diuturnitatis palmam altioribus salutarium velis virtutum subrigi, ac felicioribus bonorum incrementis operum diatim unumquemque submoneri, quam sit sanissimum facile est intueri. Quibus in Dei nomine et pace sanctorum omnium permotus ego Regenoldus Parisiorum episcopus ex mei vice officii commissi gregis vigilanti cura sollicitus, et memor magnæ diei tremendi examinis, et utriusque justorum sive injustorum retributionis, operæ pretium duxi ex accessibus patrimoniorum meorum, felici commercio, mihi internorum subsidia civium fœnorari. Cujus devotionis fervore successus notum esse volo omnibus, tam futuris quam et præsentibus, quia ob sempiternæ præmia remunerationis, et pro obtinenda delictorum venia genitorum meorum, comitis videlicet Buchardi, ejusque opinatissimæ conjugis Elisabeth, ut gremiis sanctæ immortalitatis confoveri, et jucunditate lucis æternæ perpetim mereamur lætari, placuit vestræ reverentiæ synodali conventu, et favore, ac notitia cœtus reipub. quoddam alodum, vulgo vocitatum *Largum Campum*, conferre Sanctæ Mariæ Parisiacensi ecclesiæ, et rebus vel usibus deputare fratrum inibi degentium Deoque canonice militantium. Ut autem prædictus *Largus Campus*, in pago et comitatu Wastiniensi consitus, silvis, villis et villulis, vineis, pratis, terris cultis et incultis, cum ecclesia in honore S. Maturini dicata cum omnibus appenditiis suis, ea quidem lege : ac omne jam dicti possessionem allodi S. Mariæ, et prædictis collegis canonicæ C congregationis offerimus, ut nostri memoriale illis ab omnibus habeatur in psalteriis, ac missarum solemniis. ac cunctis vespertinis ac matutinalibus vigiliis, perpetuoque sit ratum jure; tria denique nostri anniversaria, videlicet patris, et matris, et ipsius antistitis Ragenoldi, ut [*l.* omni, E. P.] regni devotione, et celebri commemoratione annuatim profiteantur obnixe precamur. Si quis vero rationis expers, livore et facibus avaritiæ pervasus, nostræ devotionis adeo munificum pignus auferre, et quolibet jure, quacunque injuria voluerit impedire, mille auri librarum fratribus vel canonicis S. Mariæ regia sublimitate cogatur exsolvere, et rusticano more, vel paralitate submissus, capitalis census dissolutione plectatur, et D ad tolerandum perpes totius perpetuitatis tormentum, auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti sit maledictus et confusus, et nullis sanctorum suffragiis mereatur mederi, sitque conjunctus diabolo et angelis ejus in inferno inferiori, et pereat in æternum.

Datum IV Non. Decemb. per manus Petri abbatis et cancellarii sacri Lateranensis palatii, anno III pontificatus Joannis octavi decimi et universalis papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli, indictione V.

VIII.

Joannis XVIII papæ privilegium pro monasterio S. Benigni Divionensis.

(Anno 1006.)

[*Gall. Christ.*, ed. vet., tom. IV, p. 163.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei Guillelmo abbati salutem.

Quoniam concedenda sunt quæ rationabilibus desideriis pertinere noscuntur, nostri apostolatus auctoritas ad roborandum piam devotionem sancta loca construentium in præstandis privilegiis debet minime abnegare. Igitur innuendum in Dei charitate tuæ petitionis votum, quia per venerabilem Valterium Æduorum pontificem a nobis postulare studuit quatenus monasterium quod ad laudem et gloriam Christi Domini nostri, et ejus gloriosissimæ genitricis Mariæ, et S. martyris Benigni honore, construere jam summo cœpisti desiderio in comitatu Iliporiensi, inter duos fluvios Orgum videlicet atque Ancolim, situm in loco qui dicitur Fructuaria, privilegiis sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis omnimodo decoretur firmissimæ stabilitatis corroboratione, ut sub tuitione ac patrocinio sanctæ universalis cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, jam ex hoc constitutum, alterius nunquam juri et ditioni submittatur Ecclesiæ. Ideoque tam justis faventes desideriis hac nostra decernimus auctoritate apostolica idipsum præfatum Christi genitricis, ac S. Benigni quod construere niteris monasterium, amodo et usque in finem sæculi, sub patrocinio et tuitione sanctæ Romanæ et apostolicæ matris Ecclesiæ, cum omnibus quæ ad illum pertinent, permanendum. Statuimus namque sub divini judicii obtestatione, et B. Petri apostolorum principis, nostræque humilitatis interdictione, ut nullus unquam imperatorum, regum, episcoporum, ducum, marchionum, comitum, nullusque hominum in quolibet ordine et ministerio constitutus, audeat moleste, causis, vel ordinationibus ejusdem monasterii violenter incumbere, aut in possessionibus vel ornamentis quæ ibi a fidelibus collata vel conferenda abbati, fratribusque inibi secundum regularem institutionem, ut modo Deo servientibus, temeraria præsumptione, post hujus nostri privilegii notitiam, præsumat auferre, aut decimæ reditum ab eis exigere, seu de dominicatis terrenis hactenus exsulatis, in agris, pratis, vineis, seu quibuslibet rebus vel animalibus, sive de omnibus incultis, quæ ipsorum industria sunt vel fuerint exculta, sive in ipso loco Fructuariæ, ubi situm ipsum videtur monasterium, vel ubicunque ipsi aliquid ex jam dicti monasterii jure possidere visi fuerint; contestamus, etc. Statuimus et nos ut, post obitum decedentis abbatis, nemo unquam ibi, nisi quem consensus communis et voluntas fratrum ejusdem monasterii secundum Deum elegerint, construere præsumat abbatem; electo vero abbati sit facultas omni tempore præsulem eligendi, qui tam sibi quam cæteris fratribus ad sacros ordines promovendis, cum timore Dei, totiusque congregationis cohibentia ubicunque voluerint, consecrationis insignia hujus nostræ auctoritatis privilegio, absque ullo terreni pretii conferat munere. Quod similiter de oratoriis in prædicto loco Fructuaria ædificatis, vel ædificandis, omnibusque necessariæ consecrationis ordinatione, sancientes tam præfati Guntardi judicatum, quam episcopale decretum, plurimorum jam pontificum ad corroboranda quæ in ejusdem judicatus chartula continentur, subscriptione, firmatum, ex auctoritate omnipotentis Dei, qui beato Petro apostolorum primo claves regni cœlorum tradidit, et ejusdem primi pastoris ac nostra ipsius vice quamvis indigne gerentibus, præsentis privilegii pagina confirmamus atque corroboramus. etc. Si quis autem etc. Joannes sanctæ Ecclesiæ apostolicus præsul, Leoni, Gessoni, Constantino, Sigefredo venerabilibus episcopis, mandamus eis ut cum summa diligentia consecrent abbatiam quæ Fructuariensis vocatur.

Datum IV Non. Decembris per manus Ingilonis scriniarii sacræ apostolicæ sedis, anno III pontificatus domni Joannis octavi decimi pontificis summi, et universalis papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli, indict. V.

IX.

Joannes XVIII Ecclesiæ Pisanæ canonicorum possessiones confirmat.

(Anno 1007.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 336.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis filiis nostris spiritualibus canonicis sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, vobis vestrisque successoribus in perpetuum.

Nostro quidem ordini congruit ut maximam curam exhibeamus erga omnipotentis Dei Ecclesias, et semper nostra mens pervigil existat in illos quos agnoscimus esse Jesu Christi Domini cultores. Igitur notum sit omnibus hominibus, tam præsentibus quam futuris, quia canonici Pisanensis Ecclesiæ devote supplicarunt nostrum apostolatum per Joannem præfatæ Ecclesiæ diaconum, ut confirmaremus illis et omnibus eorum successoribus omnia quæ nunc retinent ex parte canonicæ ubi constituti sunt propter divinum opus perficiendum. Nos autem, divino spiramine compuncti, inclinavimus mentes nostras ad peragendam voluntatem prænominati diaconi, et cæterorum Deo servientium canonicorum. Confirmamus itaque illis quidquid nunc ad præsens retinent, sive quæ per subsequentia tempora in prædicta canonica acquirere possunt, id est decimationem, vineas et terras, necnon et reliqua prædia. Quicunque autem ex his omnibus a jam dictis canonicis auferre tentaverit, sciat se incurrere in laqueum æternæ gehennæ. Insuper ex auctoritate omnipotentis Dei, et beati Petri apostoli, et nostra, sciat se esse excomunicatum et maledictum, et a communione et ab Ecclesia separatum, atque cum Juda et diabolo condemnatum. Similiter, sicut superius missum est, per nostram apostolicam auctoritatem confirmamus eis prædium quod vocatur Pedianum, et reliqua omnia quæ sibi absque tenimento canonice acquisive.

runt, seu quæ in antea acquirere possunt. Si quis autem præfatum prædium a canonica Sanctæ Mariæ auferre voluerit, anathematis vinculo perpetualiter se sciat esse condemnatum. Placitum quoque quod peregerunt prædicti canonici cum archipresbytero Bonizone, jubemus per apostolicam auctoritatem ut nullus dux sive marchio, episcopus, comes, vicecomes, vel magna parvaque hominis persona audeat illud requirere, vel recapitare; quia tamen ad nostri apostolatus præsentiam relatum est in conspectu Bonizonis archipresbyteri quidquid ipse per studium suæ malignitatis in eos deliquit; qui autem illud placitum requirere præsumpserit, perpetuæ maledictioni subjaceat.

Constitutum et peractum est hoc præceptum a nobis in persona canonicorum S. Mariæ, qui sunt :

Petrus Domini gratia archipresbyter.
Petrus decanus et cantor.
Joannes archidiaconus.
Joannes presb. et primicerius.
Andreas presbyter.
Albizo presb. et custos.
Dominicus presbyter.
Amalfredus presbyter.
Ursus presbyter.
Bonizo presbyter.
Joannes presbyter.
Leo presbyter.
Theudo presbyter.
Uvinizo presbyter.
Albertus presbyter.
Joannes diaconus.
Petrus diaconus.
Albericus diaconus.
Dominicus diaconus.
Leo clericus.
Bonus filius clericus.
Orbertus clericus.

Ut autem verius credatur, et ab omnibus conservetur, perpetualiter nostris propriis articulis confirmavimus hoc privilegium, insuper nostram papalem bullam subter imponi jussimus.

Joannes (2), divina præeunte clementia, sanctæ catholicæ Ecclesiæ apostolicus præsul.

Datum et scriptum per manus Petri cancellarii sacri Lateranensis palatii in mense Madio, ind. v.

X.

Diploma Joannis XVIII, quo confirmat episcopatum Bambergensem.

(Anno 1007.)

[Mansi, *concil.* XIX, 286.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei.

Officii nostri est omnium sanctarum Dei Ecclesiarum commoda generaliter considerare, et maxime earum quæ specialiter sub jure ac dominio nostræ Romanæ Ecclesiæ consistunt; si quod est incommodum, abolere, ne pro gravi incommoditate sua neglectæ vilescant, vel qualibet nacta occasione, debita solemnitate careant. Propterea omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus quia dilectus et spiritualis noster filius Heinricus, gloriosissimus atque invictissimus rex, divina inspirante clementia, de propriis hæreditariis rebus, pro sua suorumque parentum anima, episcopatum in loco qui dicitur Babenberk, perfectæ fidei et charitatis devotione, in honorem beatissimi Petri apostolorum principis esse constituit, commutatione facta jure ac legaliter cum Heinrico Wirzeburgensi episcopo de aliqua parte parochiæ sui episcopatus. Unde etiam prædictus episcopus nobis suas litteras misit, ut, suo consensu, privilegio nostræ apostolicæ auctoritatis episcopatus noviter factus fundaretur.

Pro qua ratione Heinricus secundus gloriosissimus rex nuntios suos ad nos direxit, qui nobis hæc omnia dicerent, et nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cujus sanctissimam imitationem [intimationem?] paterna et præcordiali dilectione intuentes, omnes res quas B. Petro apostolorum principi, in loco prænominato, legitima ratione collectas contulit, nostræ auctoritatis privilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione ut episcopus ejus loci, et qui in perpetuum sui fuerint successores, ea secura tranquillitate possideant, et liberam habeant potestatem res et proprietates ejusdem ecclesiæ ordinare atque componere, vel etiam augmentare; dissipare vero atque confundere nullam habeant potestatem.

Nostra quoque auctoritate sancimus uti in terminis et in rebus ejusdem ecclesiæ nulla sit infestatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet pravorum hominum, sive sint in civitate ipsa Babenberk, sive in castellis et villis, servis et ancillis, tributariis, decimis, forestibus, silvis, piscationibus, venationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, et quidquid modo illuc pertinet, vel in futurum acquiri possit, per nostræ auctoritatis privilegium corroboratum, in secura quiete permaneat. Nullus ibi comes aut judex legem facere præsumat, nisi quam per concessionem gloriosissimi regis Heinrici vel successorum ejus episcopus loci ejusdem deligeret. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille episcopatus liber et ab omni potestate extranea securus, Romano tantummodo mundiburdio (3) subditus : quatenus episcopus eo melius cum canonicis suis servitio Dei possit insistere, et primi constructoris ejusdem loci et recuperatoris jugiter memoriam habere. Sit tamen idem suo metropolitano [*in cod Vienn. additur*, archiepiscopo Moguntino] subjectus atque obediens. Quicunque hæc præcepta servaverit, divinam remunerationem et apostolicam benedictionem accipiat. Qui autem contemptor et violator exstiterit, perpetui anathematis damnationi subjaceat, nisi resipiscens ad satisfactionem perveniat.

(2) Tabulam hanc Joanni XVIII tribuendam esse clausula docet. Jaffé.

(3) *Mundiburdium* est *defensio*.

Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii S. R. E. in mense Junio indict. v.

XI.

Confirmatio privilegiorum et metropolici juris Sanctæ Tolosanæ Ecclesiæ.

(Anno 1007.)

[Cocquelines, *Bullar. ampliss. Collect.* I, 243.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino Jesu Christo filio Raymundo venerabili episcopo sedis Tolosæ, tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri consensum: ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium reponitur Dominum, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia vestra dilectio nostro apostolatui humiliter postulat a nobis quatenus concedamus et confirmemus tibi jam dicto episcopo ecclesiam protomartyris Stephani, et Sancti Saturnini, et Sanctæ Mariæ, quod vocatur sedis Tolosæ cum omnibus fundis et casalibus vel adjacentiis eorum, hoc est, casis, vineis, terris et silvis, atque villis, campis, pratis, pascuis, salictis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, necnon et salinarum filas, cultum vel incultum; una cum servis et ancillis, colonis et colonabus ibidem pertinentibus, et cum omnibus supra scripto episcopo (*leg.* episcopatui, vel episcopio) generaliter et in integro pertinentibus situm in comitatu Tolosano, tibi atque successoribus tuis detinendum, emissa præceptione concedere, et confirmare deberemus. Inclinati precibus tuis per hujus privilegii seriem supra scriptum episcopum (*leg.* episcopatum, *vel* episcopum) cum omnibus fundis et casalibus suis, vel cum omnibus pertinentiis et adjacentiis, ut superius legitur, a præsenti quinta indictione, et usque in perpetuum, tibi tuisque successoribus concedimus et confirmamus detinendum. Insuper decernimus ut nullus episcopus in illis partibus habeat licentiam in toto fine episcopii tui quamlibet ordinationem facere, nisi fuerit tuo consensu. Quapropter statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione anathematis interdictum, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ cuilibet magnæ personæ contra te successoresve tuos aliquam molestiam aut damnum facere liceat, sed potius autem in usu et utilitate tui episcopii in perpetuum maneat. Si quis autem temerario ausu contra hujus nostræ apostolicæ præceptionis paginam a nobis promulgatam agere præsumpserit, aut in supra scripto episcopio consecrationem fecerit, nisi tuo fuerit consensu, aut aliquam rem ipsius episcopii minuere voluerit, sciat se judicio humilitatis nostræ per auctoritatem Dei omnipotentis, et A beatorum apostolorum Petri et Pauli anathematis vinculo ligatum, et cum diabolo et omnibus impiis, quorum ignis non exstinguetur, et vermis non morietur, sine fine damnatum, nisi ad plenam emendationem festinare studuerit. Qui vero custos et observator exstiterit hujus nostri apostolici privilegii in omnibus benedictionis gratiam et misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino nostro, consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Stephani notarii et scriniarii sacri Lateranensis palatii in mense Junio, et indictione quinta.

Bene valete.

XII.

B *Joannes XVIII privilegia monasterii Floriacensis propugnat.*

(Circa annum 1008.)

[*Gall. Christ.* t. VIII, p. 18, ex biblioth. Vatic.]

Joannes, servus servorum Dei, præcellentissimo Francorum regi Roberto ecclesiastici honoris vigorem.....

Olim fama vulgante vestram, præcellentissime regum, ecclesiasticum honorem comperimus diligere atque tenere excellentiam; ex qua re necesse est ut, si aliarum ecclesiarum honor a vobis excolitur eam quæ omnium caput est tanto amplius honoretis, quanto constat reliquas ab ipsa exordium sumpsisse. Comperimus autem quosdam episcopos vestri regni auctoritatem sedis apostolicæ, quam in Romana C urbe beatus Petrus suis tribuit successoribus, adeo contemptui habere ut nullatenus se observaturos dicant. Quam contumaciam in Transalpinis nos audientes fore episcopis, et minime credentes, misimus fratrem et coepiscopum nostrum Bip. antistitem, ut rei veritatem agnosceret, qui se quidem a vobis honorifice susceptum, et diu humanissime tractatum asseruit, dum in sui præsentia auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ despici audivit. Nos ergo pro susceptione fratris vestræ excellentiæ gratias agimus. Miramur autem vestram magnificentiam hoc potuisse perpeti, ut in vestra præsentia, nam ibi, sicuti comperimus, præsens eratis, sancta Romana despiceretur Ecclesia. Sed quia hoc vobis displicuisse nunc usque dissimulastis, hortamur D vestram excellentiam ut de cætero non taceatis, quinimo regia potestate decreta apostolicæ sedis inconvulsa manere faciatis. Nam, ut nobis relatum est, memorati episcopi privilegia, quæ sancti prædecessores nostri regno concesserunt, destruere conantur: quæ res nos graviter constristat; quia si nos statuta antecessorum nostrorum non servamus, nec nostra servari confidimus. Proinde per omnipotentiam Domini, auctoritate quoque B. Petri principis apostolorum et nostra, hortamur atque præcipimus ut auctores hujus præsumptionis in proximo Pascha ad nos venire faciatis. Sunt autem Leterius pseudoarchiepiscopus Senonum, et ejus Aurelianensis suffraganeus Fulcho, qui in tantam prorupit

proterviam, ut Gauzlino abbati monasterii S. Benedicti præciperet privilegia a sede apostolica suo monasterio collata igne cremare. Volumus autem ipsum abbatem pariter advenire, ut apud sanctam, cui Deo licet concedenti indignus præsum, sedem coram finiatur controversia, et contemptor S. Petri digna plectatur pœna. Qui vero tua amantissima admonitione spreta, vel imperio spreto, ad sanctum Petrum et ad nos venire despexerit nisi corporis infirmitas eum gravaverit, a divinis se alienum mysteriis ex Dei et nostra sciat existere sententia. Cujus ægritudinis modum tuæ excellentiæ litteræ regali sigillo signatæ nostræ indicare curabunt sollicitudini. Vestri itaque honoris magnitudo nostra studeat adimplere monita, et eos qui sedem apostolicam appellaverunt, nulla sinat ab adversariis rerum suarum pati dispendia, ne, si, quod absit! aliter quam mandamus actum fuerit, non solum contumacibus, verum omni vestro regno anathematis invehatur censura. Sempiternus Deus sua vos protectione custodiat, et post longa temporalis regni curricula ad regna perducat æterna. Amen.

A

B

XIII.

Joannis XVIII papæ privilegium pro monasterio Bellilocensi.

(Anno 1004 – 1009.)

[*Gall. Christ.*, ed. 1, t. IV, p. 151.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, omnibus regibus, episcopis, ducibus, comitibus atque nobilibus populis Francorum, præsentibus et futuris, sanctæ fidei in Christo pacem et apostolicam benedictionem.

C

Sancta apostolica sedes, Romana scilicet Ecclesia, quia a beatissimo principe apostolorum capite Petro obtinet Ecclesiarum sua sanctæ auctoritatis robore ligandi solvendique potestate, membra supposita pie studet fulcire, et loca sacri cultus ubi videt nutantia solidare, solidata confirmare, quatenus ecclesiasticus status dispensante Deo sanctæ fidei et religionis morem cum pace exsequatur, et ab ejus laceratione pravi homines terreantur. Quapropter notum sit vestræ sublimitati, quia nobilissimus atque strenuissimus comes Fulco innotuit nobis, se quoddam monasterium in nomine et honore sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, atque similiter in honore cœlestium agminum super quæ Deus assidet, hoc est Cherubim et Seraphim, a fundamentis construxisse pro suæ animæ redemptione. Cui monasterio privilegium sanctæ apostolicæ auctoritatis contra improbitates malorum perenne munimen exposcit. Ita quæ ipse pro amore Dei eidem loco contulit, atque confirmando delegavit, nullus temerator, nulla nobilis seu ignobilis persona minuere præsumat. Est autem monasterium prædictum situm in pago Turonico, juxta flumen qui vocatur Andria, in prospectu castelli qui dicitur Locas, ipsum denique locum sub tuitione et defensione sanctorum apostolorum Petri et Pauli, successorumque nostrorum hujus sanctæ sedis pontificum humiliter deprecando et commendando posuit, ut nullius dominatio regis et principis seu archiepiscopi et episcopi, aut cujuscunque dignitatis personæ præfatum monasterium inquietare, vel disturbare, seu minuere audeat, neque de terris, aquis, vineis, pratis, silvis, molendinis, villis, villarumque redditibus, servis et ancillis, ecclesiis, vel de iis omnibus quæ ad præsens ipse comes concessit, seu quæ concedere debet, aut a fidelibus ipsi loco dabuntur, quisquam cupiditate impulsus auferre præsumat; quod ista sancta apostolica nostraque auctoritate statuimus, et in perpetuum confirmatum esse volumus, ut quicunque de his quæ supradicta sunt in aliquo temerator exstiterit, et contra hanc nostram sanctionem, nostrique juris defensionem venire tentaverit, ex auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, simulque beati Petri apostolorum principis, et Pauli gentium doctoris, quibus ligandi et solvendi in cœlo et in terra potestas concessa est, nostra etiam pastorali sententia excommunicatus, atque perpetuo vinculo anathematis innodatus, et cum Juda Domini nostri traditore, et diabolo, infernalibus pœnis damnatus permaneat, nisi ad satisfactionem et congruam emendationem venerit. Statuimus autem eidem monasterio apostolicæ auctoritatis privilegium, ut nullo modo ab ullo archiepiscopo vel episcopo sententiam excommunicationis sustineat, neque pro aliquo jure, nec ordinatione quamcunque molestiam ab eisdem episcopis cogatur sustinere, ut sit quietus idem locus, sub jure et defensione beatorum apostolorum Petri et Pauli, et pontificum suæ sedis hujus in perpetuum. Quod si aliquis rebellis contra hanc nostram auctoritatem, scilicet archiepiscopus vel episcopus quicunque, ipsum locum excommunicare voluerit, ipse sit excommunicatus, et locus iste absolutus, in æternum et in sæculum sæculi. Amen.

D

XIV.

Joannis XVIII privilegium pro monasterio S. Victoris Massiliensis.

(Circa annum 1009.)

Marini, *Papiri diplom.*, I, 64.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, Gifredo venerabili abbati et omnibus fratribus de monasterio S. Victoris dilectissimis filiis nostris spiritualibus salutem et gratiam, insuper et benedictionem apostolicam.

Consuetudo fuit nostrorum antecessorum pontificum subvenire omnibus ad se propter bonum opus convenientibus : illam quoque bonam consuetudinem, quam in illis audiendo, videndo cognovimus; cum omni devotionis studio conservare debemus, ut agnoscens nos Dominus suum velle perficere, reddat nobis vicissitudinem cum ab hac præsenti vita nos subtraxerit. Voluimus itaque ut monasterium S. Victoris cum omnibus monachis, et reliquis Deo servientibus ibidem permanentibus, semper honorabiliter permaneat, ita ut omnia sua, quæ eidem monasterio pertinent, quiete et pacifice

tencat. Cellas quoque sibi subjectas, cortes et villas, et reliqua loca sibi pertinentia per apostolicam auctoritatem ei confirmamus, amodo et usque in perpetuum, ita ut nulla magna parvaque persona audeat unquam aliquam molestiam inferre ex omnibus quæ pertinent prædicto monasterio; et qui inferre præsumpserit, ex auctoritate omnipotentis Dei, et beati Petri apostoli, et nostra sciat se esse excommunicatum et maledictum, et insuper a communione et ab Ecclesia separatum, et cum Juda et diabolo in atrocissimis pœnis perpetualiter damnatum. Joannes sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ apostolicus præsul hoc dedit privilegium, ut nullus metropolitanorum, nullus episcoporum, nullus comes, nec vicecomes, nec ulla magna parvaque persona aliquid audeat auferre de rebus monasterii S. Victoris, nec ullum judicium nec placitum audeat facere nec tenere, nec infra monasterium, nec in totam terram S. Victoris, quæ hodie habet et in antea habebit, nec ullus abbas jam introeat in monasterio, nisi quem omnis congregatio elegerit. Et qui hoc privilegium infringere voluerit, non valeat, sed componat in vinculo auri optimi libras centum. Insuper iram omnipotentis Dei incurrat, et sit excommunicatus ex auctoritate sancti Petri apostoli, et nostra, et sanctorum trecentorum Patrum, et hoc privilegium firmum et stabile permaneat.

✠ Bene valete.

✠ Petrus scriniarius scripsit.

ANNO DOMINI MXI.

ARNOLDUS

HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

ARNOLDI

EPISTOLA AD HENRICUM

HERBIPOLENSEM EPISCOPUM,

DE INSTITUTIONE EPISCOPATUS BAMBERGENSIS.

(Edidit Baluz., *Miscell.* t. IV, p. 39.)

Heinrico episcopo Arnoldus.

Diu et multum quæsitus, domine mi, patere tandem aliquando jam te inveniri. Nescio quo infortunio meo, quoties in ista terrarum venero quæ longissima tu peragrabas, et semper dum in altera ripa fluminis te nuntiatum quæro, jam transisti in alteram, nequaquam ut saltem litteris te conveniam opportunitatem dans. Jacent adhuc in scriniis meis litteræ torpentes jam dudum tibi directæ, quas legatus meus postridie regressus, te non invento, frustra se accepisse testatus est. Haberem tamen, si auderem, plurima tibi suggerere et de ista commotione rerum tuarum, qua te ultra quam credi posset perturbatum sentio, ac de nostra etiam, quos tibi infirmas res nostras Deo donante miseratus. in patrocinium vindicasti, defensione. Te autem salvo, res nostræ in portu navigabunt. Quocirca dimissis interim nostris, rebus tuis, quod modo magis premit, si aliquo modo mederi possit invigilandum est. Adjutorium nostrum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Quid est hoc, domine mi, quod tanto te mœrore afficis? Quid contigit tibi unde torquere te habeas? Etiamsi pericli aliquid foret, esset tamen ferendum, quia levius fit patientia quidquid corrigere est nefas (1). Istud vero unde nunc te affligis, si diligentius intueri vis, Deo propitio unde jure gaudeas non dehabebis. Tu autem, quasi aliquid insuperabile tibi evenerit, rem tuam tam enerviter tractas. In conventum fratrum tuorum venire recusas, cum quibus incommoda tua evincere debueras fugis, magnam tibi invidiam conflas; conspectum regis, quasi aliquid in se commiseris, devitas. Quid est hoc quod tibi importas? Ubi est sapientia illa quam in te dudum satis acute vigilasse conspeximus? Ista quæ tu facis non videntur esse vigilantis, sed gravi quodam sopore depressi, non clare videntis, sed dure lippientis. Expergiscere, domine mi, aliquantulum, et capesse te ipsum. Nescio quibus fascinantibus extra te ductus es. Enitere quoad possis ut ad te ipsum revertaris. Loquitur vox divina: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Tu primus aut inter primos, etiam antequam rex fieret, dominum illum tibi prælegisti. Tu postea quantum poteras, sicut magnifice poteras, ut rex fieret institisti. Proinde tanta in invicem suavitate conjuncti, tanta charitate devincti, te nemo in liberaliter serviendo sibi devotior, se nemo in amicabiliter accipiendo paratior, prorsus glutine quodam et vinculo amicitiæ quasi inseparabiliter colligati fuistis. Postremo ubicunque vel quandocunque aut necessitas

(1) Hor. *Carm.* I, 24, 19.

postulabat aut jucunditas, etiam in vitæ periculo fideliter sibi suffragando non deeras. Cum hæc beneficia omnia in illum prærogaris, et ex his penes se magnam tibi gratiam, amicitiam, charitatem jure conflaveris, quid est hoc quod modo tibi imponis? Cur, cum bona promeruisti, malis te remunerari permittis? Difficile est reum esse majestatis. Nec litteris, ut audio nec legatis, parcendo, promittendo, supplicando, te ad se accersire potest. Quomodo potes in regno ejus habere pontificium, si ad se venire refragaris? Quid dicturi sunt judices cum in judicio talia ventilabuntur? Vide ne sero pejus fiat quod prius melius fieri potuit, et ne rigor iste non fortitudo, sed duritia magis habenda sit. Aliud est autem durum esse, aliud fortem. Durus nec in bonam partem flectitur. Cur ex grato ingratum, ex amico inimicum, ex munificentissimo tibi inliberalem facis? Quidquid tibi libuerat, prout plurimus visum est, apud illum obtinere potueras. Nonne tanta tibi potestas in his regionibus ab eo concessa est, ut ad nutum tuum omnia pareant? Cui nos, aut cæteros qui de te præsumunt, defendendos relinquis? Sit animus fortis, sed usque ad temperantiam. Quod modum supergreditur immoderatum, immoderatum intemperans, intemperantia vitium est. Amplius non progredior. Si non pro te, saltem pro ovibus tuis tibi timendum est. De periculo enim agitur rei publicæ tuæ. Si ita ut cœpisti perstabis, evenire potest in tantum eam vexari vel etiam diripi, ut aut nunquam aut sero reparetur. Quapropter recordare, domine mi, Ecclesiæ sanctæ cui præsides, recordare omnium qui tibi libenter serviunt. Loquere cum illis qui tibi non aliter ac sibi consultum volunt, cum domino meo venerabili archiepiscopo W. [Wiligiso] spirituali tuo et Patre et fratre, cum domino H. [Heriberto] fratre tuo uterino, item venerabili archiepiscopo, cum domino B. [Burchardo] Wangionum episcopo, aliisque fidelibus et amicis tuis. Consilium quod tibi dent non repudies. Quod enim de te agitur, illorum pariter est tecum. Si istorum consilio forte delinques, illis imputabitur. Habuit quoque fortuna sæpe regressum (2). Quod modo imminet tibi, in proximo fortassis continget et alteri. Ideo non nimis formidandum est ut modo tibi imponant quod ipsi paulo post ferre refragentur.

Sane plurimis fidelibus tuis in conventu fratrum tuorum, ubi ordinatio facta est, te in audientiam venire nolle displicuit, opinantibus, si omnino infirmare velles, te præsente magis infirmari potuisse. Sed quia te donante, quoquo modo dederis, parochia data est, et multis religiosis ac venerabilibus viris comprobantibus ordinatio facta est, quodque tantis auctoribus roboratum ac ratum factum est, difficile annullari et irritum fieri valet; cedat, quæso, sanctitas tua illorum sanctitati qui huic ordinationi consentientes subscripserunt; roboretur ex te uno quod jam multorum religiosorum confirmavit collectio; conscribe cum aliis coepiscopis et confratribus tuis; ne fiat intra sanctæ ecclesiæ parietes divisio schismatis, sed potius in omnibus regnet unitas charitatis. Sentio jamdudum te mihi contraire velle, et injustæ suasionis notare elogio, hujusmodi verbis: « Sanctis et justis nimis injustum videri, terreni imperii potentiam magis formidare quam divinam, dilectione temporalis suavitatis provocare in se iram absque fine punientis. Sedem quoque episcopalem cui sedes, quam reperisti amplis honoribus auctam, per longa terrarum spatia dilatatam, non esse tuo arbitrio vel exhonorari vel arctari, te nolle subire supplicium causa perditionis rerum ecclesiasticarum. » Absit a me ut, nisi desipiam, hujusmodi tibi persuadeam! magis, si ullo modo sciam, in hæc ipsa te ducere velim. Procedat Apostolus; loquatur pro me ille vas dilectionis, doctor gentium. Ecce doctor noster. Non enim ex Judæis sed ex gentibus nos. Quid ait Apostolus? *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* (*Rom.* XIII, 1, 2) Ecce quid hortor, ecce in quæ duco; imo non ego, sed Apostolus, imo non ille, sed per illum Deus; ut Dei ordinationi non resistitis [resistas], nec ipse tibi dominationem assumas. Fortassis hoc est dominationem sibi assumere, ea quæ a sublimioribus injunguntur supersedere. Sed quia, dum tecum eras, nimis acutum te et claro videntem noveram, opinor, hoc quod in canonibus legitur, honesta præcipienti obediendum esse, vivæ adhuc memoriæ reconderis; et hoc mihi superinducas, ideo te præcipienti nolle acquiescere quia inhonestum videatur Ecclesiam tuam diœcesi sua privare. Sanctis Patribus prædecessoribus vestris, ut audivimus, non inhonestum, sed valde honestum et utile visum est in locis sibi commissis, postquam in tantum crevit Ecclesia ut ipsi eam circuire et observare non valerent, alios sibi substituere sacerdotes et ex uno episcopatu duos aut tres facere; ut quod unus minus posset, a duobus aut tribus cumulatius suppleretur. Sed jam errorum plena sunt omnia. Illi totam operam suam pro animabus lucrandis insumebant; nos quomodo corpora foveamus præcipue satagimus. Illi pro cœlo, nos pro terra disceptamus. Non esset tamen necesse. Terra nobis satis erit. De cœlo videamus, si velimus. In his omnibus temporale lucrum, quod homines magis tuentur, et in quo famæ tuæ detrahi formidas, non imminuetur tibi. Multo enim potiora, ut audio, atque utiliora jam reddidit, atque etiam redderet, et adhuc forsitan reddet, si tantum in audientiam venies, et secundum quod tui consortes tibi consulent ages. Liceat mihi pace tua hoc quod super eadem re mecum ipse sermocinatus es tibi in aurem susurrare. Nonne recordaris quod in priore anno ad eumdem locum B. [Bamberg] nobis equitantibus

(2) Virg. *Æneid.* XI, 413 et 426-27.

me advocato ad te, hujuscemodi sermonem, quasi præscires, habere cœpisti : « Si rex ibi facere vellet episcopatum, facile illum Ecclesiæ tuæ quod tibi utilius esset posse tribuere, te parvum inde fructum habere, totam illam terram pene silvam esse, Sclavos ibi habitare, te in illa longinqua vel nunquam vel raro venisse. » Nonne hæc in hunc modum dicta esse recolis ? Cur modo difficile videtur quod tunc facile visum est? Ecce jam, ut confido, cognoscere potes me tibi injusta non suggerere, nec hortari ut plus regem timeas quam Deum, sed ut illum propter hunc et diligas et formides, honestaque non præcipienti, sed supplicanti ac retribuere volenti concedas; leviusque tibi erit partito in alium onere; facilius quoque de paucioribus animabus procurandis rationem Deo reddere poteris.

Quod si adhuc cedere non vis, et quia legitur Deum regnare facere hypocritam propter perversitatem populi (*Job* XXXIV, 30), resistendum putas nisi aliquo argumento subruatur, dicam inde quod sentio. Apostolus, organum Christi inflatum a Spiritu sancto, fallere nequaquam potest. Quidquid sonat, verum est, sed intelligentiam quærit. Quoties exigente malitia nostra a potestate nequam premimur, quidquid nobis ab ea præcipitur quod a fide non abhorreat et religioni catholicæ non adversetur, videtur mihi esse faciendum. Dura, difficilia, molesta grassentur in nobis, parendum est. *Quæ* enim *sunt, a Deo ordinata sunt.* Ibi culpanda est pravitas nostra, non ferientis justitia. Non enim nisi perversitate nostra regnaret hypocrita. Si quando vero hujusmodi aliquid a potestate illa nobis injungatur quod vel religionem vulneret, vel ad peccatum vergat, libere resistendum censeo; quamvis hoc non proprie, sed abusive, dicatur *resistere*, errata declinare, et recto itineris A gressu justitiæ cursum peragere. Errata enim non recto ductu occurrunt, sed ex transverso et devio venientia, a recto tramite depellere volunt. Quippe errata non essent nisi a recto calle deviarent. Unde et in operibus justitiæ præcipimur neque ad dexteram neque ad sinistram declinare. Hoc ita descripto, in his quæ a rege postulantur nihil invenies, ut ego cognoscam, quod religionem lædat vel ad delictum inducat, verum omnia divini cultus pietatem tueantur. Hoc et ipse in synodo miserabili, attamen luculenta oratione perstrinxit, quia, si se Deus privaret fructu ventris sui et humana prole exhæredaret, se Deum, si dignaretur, libenter sibi hæredem facturum; et ad hoc nimis humiliter omnium præsentium suffragia poscit. Si interfueris, ut propitium te sentio, procul dubio misereris. Igitur mitescat, oro te, animus tuus; laxa sinum pietatis tuæ, parce tibi, miserere tuorum (5). Quod hypocritæ regi facere debuerat, fac huic religionem astruenti. Honesta postulat, eadem satis et super retribuere parat. Si quid Ecclesiæ tuæ corporalis spatii subtrahitur, hoc idem spirituali ædificatione suppletur; multoque honoratior erit fecunda in filia quam omnino absque liberis sterilis remaneret et infecunda. Aufer rubiginem a corde, hilarem te ad hæc omnia deinceps ostende. Non veniet sero quem Deus adjuvare vult. Unde modo tristaris, decursa ista tentatione Deo propitio multum inde lætaberis. Tentatio est vita humana super terram. Non est homo qui non bibat de calice isto. Convertat Deus luctum tuum in gaudium. Nimis angustor quod tam dudum est quod te nec audierim nec viderim. Ideo vellem aliquid audire tuorum, sive per litteras, sive per vivam vocem. Sed sit arbitratu tuo. Satis operosus es, non audeo magis te defatigare.

B

C

(5) Sic prope apud Virgilium (*Æneid.* XI) Drances, ad cujus verba alludit hic Arnoldus, ut paulo superius ad Turni orationem Drauci respondentis. ED. PATROL.

ANNO DOMINI MXII.

SERGIUS IV PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(CIACONIUS, *De Vitis Romanorum pontificum*, p. 284.)

Sergius IV, Petri Martini filius, Romanus, Bucca porci antea dictus, ex castro Lunæ, monachus antea Benedictinus, sedit annos II, menses IX, dies XII, creatus XV Kal. Septembris, anno 1009. Vir sanctissimus vitæ, gratæque consuetudinis, et ante pontificatum, et in ipso pontificatu fuit, in pauperes liberalis, in amicos et familiares jucundus, in delinquentes clemens, in contumaces modestus. Tantæ prudentiæ præterea fuit, ut toto suo pontificatu nil commissum sit quo merito reprehendi gubernantis negligentia possit. In Deum enim omnem mentem convertens (quod facere omnes pontifices deberent), juste atque integre omnia ex animi sui sententia bene nativa, et moribus instituti sui gubernabat. D Interea vero ejus consilio et monitionibus principes Italiæ composito fœdere consilia ineunt pellendi Sarracenos a Sicilia insula, quam per multos annos detinuerant, idque moliri paribus animis et copiis instituunt.

Annus 1010 nobili Ungarorum ad fidem Christianam conversione nobilitatus est. Ipsum faciendæ rei initium ab ipso rege est ductum, qui cum Giselam, Henrici regis sororem, eximia specie virginem conjugio impetrare non posset, nisi Christiana sacra susciperet, ultro ad sacrum lavacrum accessit, ac gentem suam pulcherrimi facti imitatione succendit.

Romualdus vir sanctitate moribus et pietate insi-

gnis : anno 1009 Camaldusensis congregatio ab eo instituta manavit in Italia ; qui eremetica studia persecutus in agro Aretino consedit, ac cujusdam casam Maldini in eremo habitavit, anno 1012.

Huic Sergio visum, et cardinalibus, principibusque viris urbis Romæ, imperium Germanicæ genti tribuere, quod ea natio, afflicta Hispania, Galliaque ad novos reges translata, omnium Europæ provinciarum potentissima videretur. Decretumque ut in posterum dignissimus tantum eligeretur, et quem Romana Ecclesia probaret; qui Cæsar, et Romanorum rex appellatus; tum demum imperator et Augustus haberetur, si eum Romanus pontifex confirmasset. Hos autem imperatoris eligendi auctoritatem, primo habuisse Ptolemæus refert : archiepiscopum Moguntinum Germaniæ, archiepiscopum Trevirensem Galliæ, archiepiscopum Coloniensem Italiæ nomine ; his additi quatuor principes : marchio Brandemburgensis, imperatoris post electionem camerarius; comes palatinus, qui dapes; dux Saxoniæ, qui ensem fert ; Bohemiæ regem septimum electorem, imperatoris pincernam esse statutum : hisque in eligendum additum esse ad tollendam discordiam partium, ad utrum enim inclinasset, ea pars potior habebatur. Electionem igitur in septem viros ejusdem gentis contulere, qui nunc quoque summam ejus rei potestatem habent. Id vero non creditum ab Italica gente factum, quæ semper magnos viros habuit; nisi Ricordanus Etruscus, et gravis et antiquus scriptor, Id in commentarios suos transtulisset; quem Joannes Willancus secutus est. Verum sunt qui hanc creandi imperatoris auctoritatem, non Sergio quarto sed Sylvestro secundo tribuant; quod Joannes Nauclerus scribat in monumentis Ecclesiæ Aquileiensis reperiri hujusmodi electorum Germaniæ institutionem anno Domini 1002, Sylvestro secundo papa, qui Gregorio quinto successit, fuisse factam. Et manifeste ex rescripto Innocentii tertii liquet; quod verba illius manifeste declarant, in cap. *Venerabilem* extra *De electione* : « Verum inquiens, illis principibus jus et potestatem elegendi regem in imperatorem, postmodum promovendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure et antiqua consuetudine noscitur pertinere; præsertim cum ad eos jus et potestas hujusmodi ab apostolica sede pervenerit, et qui (*sic*) annos quinquaginta, plurimum minimumve Gregorium decimum antecessit, ut ex his constet contrariæ opinionis historicos longe lateque a recta ratione temporum aberrasse. Quare septem virorum institutionem, aut fuisse Sylvestri II pontificatu, aut Sergii IV convincitur. »

Sergio ante pontificatum indecorum nomen fuit. Ditmarus enim libro sexto, vocatum fuisse Buccam porci, quod nomen haud impositum fuit puero, quibus pulchra nomina parentes infantibus imponunt, sed adulto ob antiquam occasionem. In Victoriano quoque codice idipsum enarratur. Tuncque institutum ut omnes qui in reliquum tempus summi pontifices designarentur in consecratione nomina mutarent : licet enim, inquit idem Ditmarus, aliquorum nomina fuerant mutata, non tamen omnium, nec hoc erat ex institutione generali. Ratio autem hujus institutionis fuit triplex : una quod Dominus beato Petro in apostolum electo, novum nomen imposuit; altera, quia mutari debent pontifices in perfectione vitæ et famæ, ideo et in nomine ; tertia, quod turpe esset eum qui ad tam decorum dignitatis officium evehitur, aliquo nomine turpi et inhonesto appellari. Hos igitur auctores secuti, præcipue Ditmarum, qui Sergio quarto æqualis temporis fuit, (1) mutatio nominis tribuenda, non superioribus, qui Sergio cognomines fuere.

Obiit Sergius quartus Romæ, IV Kal. Junii, anno 1012, sepultus Laterani. Vacavit sedes dies octo

(1) Ad plenum perfectumque sensum hic aliquid deesse videtur. Ed. Pata.

NOTITIA DIPLOMATICA.

Sergii IV bullæ sunt scriptæ per manum :
Benedicti notarii regionarii et scriniarii S. R. E. (1, 4, 5, 6, 7, 8, 13, 14).
Joannis scriniarii S. R. E. (16).
Datæ per manum :
Gregorii S. R. E. cardinalis presbyteri (2).
Petri episcopi S. Prænestinæ ecclesiæ et bibliothecarii S. Sedis apost. (3, 13).
Joannis S. R. E. diaconi cardinalis (9).
Gregorii episcopi et bibliothecarii S. sed. apost. (16).

SERGII IV PAPÆ
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Sergius IV Andreæ episcopo Parentino possessionem paræciæ Ruviniensis castellorumque duorum asserit.

(Anno 1010.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 402.]

Sergius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Andreæ episcopo sanctæ Parentinæ Ecclesiæ, pro te et tuis successoribus in perpetuum.

Congruum valde namque est ut ea quæ a prædecessoribus nostris secundum sanctorum instituta canonum seu legum concessa sive confirmata sunt a nobis corroborentur, et firmiter corrigantur, ne post longa annorum curricula, instigante diabolo, aliquis contra sanctam matrem Ecclesiam insurgere et contra hanc nostram confirmationem conetur. Quapropter quod notum nobis pluries fecisti quod Joannes Aquileien. patriarcha olim invasisset Ruvinii parochiam, ubi quondam episcopatus dicitur fuisse, nec non duo castella cum quadam valle tempore prædecessoris nostri Sylvestri, atque privilegium, quod ab ipso accepisti, ostendere curasti nobis. In quo etiam quomodo ter vocatus fuisset, et qualiter ipsam trinam citationem pro nihilo duxis-

set', reperitur, atque quomodo ipse Sylvester piæ memoriæ Romanæ Ecclesiæ præsul deprecasset Henricum, qui eo tempore ducatum tenebat Bainariorum, ut supradictum patriarcham moneret ut ab infestatione sanctæ Parentinæ Ecclesiæ recederet. Quod memoratus Henricus facere non potuit, eumque ad se vocare fecit, sed tempore distulit. Unde ipse Sylvester papa piæ memoriæ protestatus est canonum libros atque legum, in quibus præsentes capitulos reperit, hoc est in octuagesimo septimo titulo Africani concilii : « Placet ut quicunque episcopi plebes quas ad suam cathedr. existimant pertinere, non ita repetant ut causas suas judicantibus episcopis agant, sed alio remittere meruerint, sive volentibus sine non volentibus plebibus detrimentum patiantur. » Ex mundana etiam lege hoc recte facere posse cognovit. Nam cum de hoc Justinianus imperator in octavo libro Institutionum : « Si quis ausus propriam rem occupavit : si sua est, amittat; si aliena, ipsam æstimationem rei reddat. » Idcirco tanta auctoritate sanctorum Patrum atque legum suffultus, privilegium tibi facere præcepit, et eum paterne valere commendavit. Hoc ego cognoscens, supradicta loca, id est Ruvini parochia, et duo castella, et vallis, privilegii paginam tibi, et, sicut Sylvester prædecessor noster confirmavit, confirmo, atque in æternum valere præcipio. Quod si aliquis patriarcha, aut episcopus, vel quælibet magna parvaque persona contraire, vel tuos successores ultra de supradictis locis aliquam inconsuetudinem facere præsumpserit, sit fossus gladio mei anathematis, et, nisi cito resipuerit, cum Juda Domini mei traditore perpetualiter gemat.

Scriptum per manus Benedicti gratia Dei notarii regionarii et scrinarii S. Romanæ Ecclesiæ, mense Martio ind. octava.

Bene valete.

A

B

C

II.

Sergii IV, papæ litteræ, quibus Vediano cuidam castrum Scuriense titulo emphyteusis concedit.

(Anno 1010.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, I, 941.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Vediano, Scuriensis castri domino, salutem et apostolicam benedictionem.

Manifestum est castrum quod Scuria dicitur temporibus beatæ memoriæ prædecessoris nostri papæ Silvestri, ut etiam nunc vestra relatione compertimus, regia munificentia quondam per manus ejusdem beato Petro fuisse collatum, et a te nunc per innovationem sub censu annuo decem solidorum Raimundensis monetæ oblatum. Nos itaque, eamdem suscipientes oblationem, quoniam id esse tuæ voluntatis agnovimus, tibi a manu beatitudinis nostræ cum magna devotione suscipienti, et omni posteritati tuæ castrum Scuriæ cum omnibus pertinenciis et possessionibus ejus in perpetuum habere concedimus, et idem protectione sedis apostolicæ communimus. Statuimus enim ut nulli omnino ecclesiasticæ sæcularive personæ facultas sit idem castrum minuere, infestare vel suis usibus vindicare, sed quietum tibi, sicut a nobis concessum est, et integrum conservetur. Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona temere, quod absit! adversus ista præsumpserit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur. Qui vero conservator exstiterit, omnipotentis Dei et apostolorum ejus Petri et Pauli gratiam misericorditer consequatur.

Ego Sergius catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Datum Laterani per manum Gregorii sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis presbyteri, III Kalendas Aprilis, Dominicæ Incarnationis anno millesimo decimo, indictione VIII.

D

III.

Sergius IV confirmat fundationem parochialis ecclesiæ Sancti Michaelis apud Nonantulanum cœnobium in agro Mutinensi, factam a Rodulpho ejusdem cœnobii abbate.

(Anno 1011.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, V, 341.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei.

Apostolatus nostri est proprium, quoties si qua sancta Ecclesia adjutorii aliquid seu corroborationis ab eo poposcerit, toties cum omni alacritate sese impetrasse congaudeat. Et ne aliqua improborum calliditas, sive adversariorum sanctæ Ecclesiæ astutia in posterum eidem addere præsumat calumniam, non solum dictis, sed etiam scriptis, quidquid a nobis sibi concessum fuerit, in perpetuum confirmare dignum duximus. Quapropter notum fore volumus omnibus Christianis fidelibus qualiter Rodulfus venerabilis abbas ecclesiæ sanctæ Nonantulensis, una cum omni congregatione fratrum seniorum monachorum, nutu divino et instigatione Spiritus sancti, qui mentes, quas repleverit, ad omnipotentis Dei obsequium, ejusdemque Sponsæ, scilicet sanctæ Ecclesiæ, ineffabiliter accendit, prædicatione quoque fidelium prædictorum fratrum coegit habitatores atque agri cultores jam præfatæ abbatiæ nostræ..... parœchiæ decimas Deo dare, qui hactenus usque rerum suarum decimas Deo minime tribuebant : Q.....mum scelus arbitrabantur, eo quod in Veteri ac Novo Testamento præcep..... memi.erant non solum..... Deo conferre decimas dierum. Ad quorum exhortationes, venerabilis videlicet abbatis et prædictæ congregationis, omnes unanimiter sua corda inclinantes, contrito corde decimas Deo per annos singulos de omnibus quæ possessuri erant, offerre voverunt, atque obnixe petierunt ut prædictas decimas, quas libenter Deo reddere dis..... bant, ne in futuro laicis hominibus in beneficio darentur, nostro apostolico interdicerent præcepto. Propter hoc autem jam fatus abbas una cum consilio fratrum, nostram deprecatus est magnificentiam, ut constitueret de jam dictis decimis nostro largimine unam canonicam, suæ etiam abbatiæ subjectam in qua clerici diurnis ac nocturnis horis

Domino, et ibidem convenienti populo sollicite divina exhiberent obsequia. Hæ autem sunt fines decimarum illius præfatæ canonicæ : a Claudia Strata usque ad Porciolam : a Mucia vero usque ad Panarium flumen, et ultra quidquid et quantum a prædicti fluminis vill..... seu a Nonantulæ habitatoribus laboratur. Et quidquid clerici in præfata canonica Deo communiter militantes juste acquirere poterunt. Nos vero precibus illius annuimus, quod cognovimus juste peti,.... denique constituta est in honore Sancti Michaelis canonica, ordinati sunt clerici archipresbyter .....lis, cui etiam archipresbytero hanc potestatem concessimus ut de criminalibus culpis ipse judicium indicat pœnitentibus. Attamen, si necessitas incubuerit, ab aliquo episcopo expetat judicium, ne desideranti animæ pœnitentiam interim negare videatur. Eidemque vero archipresbytero cura sit pro omnibus, in divinis videlicet officiis, in luminariis, in architectis, in hospitibus, in decimis et in oblationibus dividendis inter cæteros, sic qualiter se recognoscat Deo redditurum rationem in die judicii; eique concessa est decima unius villæ, quæ dicitur Salicetus, ante alios propter curam sollicitudinis. Statuentes apostolica auctoritate ut quicunque hanc ordinationem, quam Deo auxiliante pro salute animarum fidelium ordinare jussimus, et ut ab errore pristino liberarentur, ampliare, vel observare studuerit, nostra solidetur benedictione. Qui autem, quod non optamus, violare tentaverit, aut consilium violandi dederit, aut a subjectione sancti monasterii canonicam subtrahere cupiverit, seu laicis decimam in beneficio dare voluerit, anathematis vinculo feriatur. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, hoc decretum nostro cancellario scribere præcepimus, nostrisque litteris, ut superius prælibavimus, ac impressione nostri sigilli corroboravimus. Et præfato abbati Rodulfo atque omnibus fratribus in hoc decreto unanimiter facto scribere præcepimus.

Bene valete.

† Datum per manum Petri episcopi sanctæ Prænestinæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sacri palatii, anno Domini millesimo undecimo, VI Kalendas Junii, indictione IX.

Rodulfus abbas jussione apostolicæ sedis in hoc decreto manu propria subscripsi.

Ego Frogerius prior manu mea subscripsi.

Laurentius presbyter et monachus manu mea subscripsi.

Gulferius monachus manu mea subscripsi.

Gregorius presbyter et monachus manu mea subscripsi.

Liuzo monachus subscripsi.

IV

Sergius IV papa confirmat bona omnia ad Cuxanense monasterium pertinentia.

(Anno 1011.)

[Cocquelines, *Bullar. ampl. Collect.*, I, 310.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, Olivæ religioso abbati Sancti Michaelis archangeli, Sanctique Germani confessoris Christi, quod est situm in valle Confluente juxta fluvium Literani, in locum quem vocant Cuxanus, tibi tecumque manentibus, et per te tuis illorumque successoribus, salus et pax, et apostolica benedictio quoad nundus permanet. Amen.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis Ecclesiæ incessanter a propagatoribus beatæ fidei augmentare, necesse est ab illo totius jure regiminis eis concedere censura justi moderaminis liberalitatem, malorumque procul ab ea pellere pervasionem. Quocirca quoniam convenit apostolicæ pietati benigna petentibus succurrere compassione, ideo nos tuis justis (etenim sicut sunt nobis adjudicatæ, nam juste fiunt) annuentes precibus, omnes proprietates sive possessiones ipsius loci, fines vel limites cum adjacentiis præcipuorum prædiorum, cum omnibus ecclesiis, parochiis, villis, fundis casis, casalibus, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, areis, torcularibus, aquis, aquarum ductibus, viis, molendinis, molendinariis cum suis caput aquis, et suis piscatoriis, cultum et incultum, et quæcunque gloriosissimus archangelus Michael ex collationibus fidelium in cœnobio Coxiano retinere videtur, nostro confirmamus privilegio. Concedimus itaque prædicto monasterio, quod in circuitu ejus habetur, alaudem cum finibus et suis terminis ex latere uno pergentem per summitatem Serræ de Bovaria ad Jovum de Clerano, et ad montem qui dicitur Lavarias, et per Lavarias usque in Flamidinum, et inde itur in locum vocitatum Stella, et usque in summitatem montis Canigonis; et a meridiana fronte montis Canigonis descendit per Serram pogii Aquiloni ad rupem vulgo nuncupatum Cherum Clerinti, et descendit per summitatem Serræ usque ad pogium Parabarii, et usque in rivum Merdarium, et deducitur usque in fluvium Tede; et a septentrionali parte venitur in strata publica quam dicunt Duas Sorores, et per ipsa via publica usque in Literanum, et inde sub Sancto Felice tenditur usque in alaudem Sanctæ Mariæ, et terminatur in Petrafixa. Deinde tenditur per ipsa comella, ubi rupes magna, in qua ob dignoscendum terminum ipsius alaudis a bonæ memoriæ Seniofredo comite crux excisa est. Et exinde itur in Bovaria subteriore, et per summitatem usque in Bovaria superiore. Alaudem itaque Tauriniani cum ecclesia Sancti Fructuosi cum decimis et primitiis, et villam cum omnibus rebus ad se pertinentibus. Simili modo villam Clerani cum ecclesia Sancti Martini, cum decimis et primitiis, et alaudem cum finibus et terminis. Itemque alaudem Avallaneti, et alaudem de Ar-

boca, cum finibus et terminis suis, et vallem Leche cum ecclesia Sancti Salvatoris cum decimis et primitiis. Quæ vallis terminatur de uno latere in ipsa Portella, de alio in supra scripta Stella, de tertio in monte Stabello, de quarta in monte Caprario, de quinta in Cabum convivium, de sexta in montem Cogollem, de septima in villa Senarii. Hanc denique vallem his terminationibus introclusam juxta definitionem Seniofredi comitis quondam, et præceptionem Leutharii regis, ac restaurationem filii nostri Wifredi comitis absque ullius inquietudine vobis concedimus. Villam insuper Curtis cum finibus, et terminis suis, et alaudem de Foliolus, quem vobis commutavit comes Guifredus præscriptus cum omnibus rebus quæ inibi possidere erat solitus, scilicet cum fevo, et cum silvis ad eamdem villam pertinentibus, et alium alaudem quem in eadem villa, et in ejus fines et terminos habetis. Itemque ecclesiam Sancti Vincentii, et alodem ipsius loci, cum finibus et terminis suis, et alodem Verneti. Quodcunque autem habet in eadem valle per plurima loca simili modo constituimus; id est, alodem de Foliano, et alodem de Bonohomine, quem vobis contulit per scripturæ seriem, et in villa Pini, et in villa Mentedo, et in aliis pluribus locis, et villa Ciresago, atque in villa Arriano, quantum Seniofredus comes ibidem habuit per qualicunque voce, vel cæteri homines contulerunt eidem monasterio, et alodem de Canolia, atque villam Castellani cum duabus ecclesiis ibidem fundatis, scilicet Sancti Andreæ, ac Beatæ semper virginis Mariæ, cum decimis et primitiis et alodibus ad easdem ecclesias pertinentibus. Eadem itaque villa habet affrontationes sive terminos de una parte in Petrafixa, quæ sita est in terminio de villa Mollegio, de alia parte in arca de Casalono, et vadit per comam qua pergitur ad flumen Ted de tertia parte in ipsos casales de Mengono, de quarta terminum de Canova vel Petrafixa, et inde usque in flumen Ted. Et ultra ipsum flumen, quantum tenebat Seniofredus comes, in die obitus sui villam Torrentis cum finibus et terminis suis, villam Insulæ pari modo, villare et casalonos, cum suis limitibus, alodem de Molegio et de valle Mosset. Item in Planicolos, et Stagnilios, et in Terradas, et in Marceval, et in Erbocolo, et in ecclesia sanctæ Eulaliæ portionem quam habere debetis, et in decimis, primitiis, ad eamdem pertinentibus. Villam Taresagi integram cum ecclesia ibidem sita cum decimis, primitiis et omnibus rebus eidem pertinentibus. Alodem de villa Ropidaria, et alodem quod vocant Wlcraria. Et in eadem valle Confluente, in valle Secundiano et in villa Ortos et Juliolos, et in Flacano, et in Sodanias, et Marazanos, et in Porcinianos, et in Agnes, et in Eune, in Evulo, et in Oreliano, et in Cirlano, et in Tubiro, et in Vetesano villa Canabellas, et Erola, et Planos, et Caprilios, et Tovegal cum ecclesia Sancti Adriani cum decimis et primitiis ad eam pertinentibus; villam Talantii cum ecclesia Sancti Stephani cum decimis et primitiis suis. Mozunculas et nuncimas, alodem Exalatam cum Sancti Petri ecclesia, villare Intervallos, villam Tobes, et villam Aquas, et villam Pratis, vallem Balagarii cum finibus et terminis suis, ecclesiam Sancti Thomæ cum suis alodibus, et cum decimis, et primitiis ad eam pertinentibus, villam vocitatam Lar cum ecclesia Sancti Andreæ cum decimis et primitiis, et alodem cum terminis et limitibus. In villa Saltone ecclesiam Sancti Mauritii, cum decimis et primitiis eidem pertinentibus. Et in eadem villa alodem et locum quem vocant Algionem, silvam, et pascua pecoribus apta, ecclesiam Sancti Petri quem dicunt Inforcats, cum decimis et primitiis suis et villare Rivofrigido cum silvis et pecorum pascuis. Villam Lacunam, cum ecclesia Sancti Vincentii cum decimis et primitiis et omnibus rebus ad ecclesiam seu ad villam pertinentibus, cum terminis et finibus. Ecclesiam Sancti Valentini cum decimis et primitiis, quæ sita est in villa Sponda, Alodem de Angulos cum mercati teloneo, cum villulis, et villarunculis, et vallem Ursariam. Hi autem sunt termini de Angulos: De una parte in rivo vel in villa Furmicaria, de alia in villa quæ vocant Crucem, vel in summitate montis quem vocant Scalibatum, et per summitatem ipsius montis itur in villam Quilianum, et inde pervenitur usque in Melum; de tertia vero parte in campo raso; de quarta in campo regis, vel in pugio Elperico. Item villarunculum quem vocant Odelonem de Chero ramatum. In comitatu vero Cerdaniensi, Vil-Vulcariam, et in Avizuno, et in Odelone, et in Egat, et in Turba, et in Ernas, et in Alcone, et in Salagosa, et in Bajande, et in Estavar, et in Gurguja superiore, et in villare Nervice, et in curte Floridio, et in Edors, et in Unozes, et in Callegas, et in villam Ixi, et in villam Lubinti, et in eodem comitatu villam Eragolisam cum ecclesia Sancti Jacobi, cum decimis et primitiis, et omnibus rebus ad se pertinentibus, alodem de Encig, et de Lora et in Araone, et in Exenegia, et in villa Sancti Martini, et Ysavals, et in Sancta Eulalia, et in valle Cheirol. Item in Palleriolos parochia Sancti Thomæ, quæ est in Ventajola, cum decimis et primitiis; et in eadem villa alodem villam Vulvirri cum ecclesia Sanctæ Cæciliæ cum decimis et primitiis; et ejusdem villæ alodem cum servis et ancillis, et omnibus rebus ad eumdem locum pertinentibus, cum terminis et finibus tam ecclesia quam alodes; ecclesiam Sanctæ Eugeniæ cum decimis et primitiis, et cum alode de Sagano; alodem in villa Albi, et vineas in termino de Isogal. Et in villa Curtes, et in Juncarias, et in Cerconeda, et in Aranfer. Alodem in villa Palazold, et in Ananga, et Oloja, et in Palazio, et in villa Coma, et in villa Borco. et in Chrxanos, et in Estol, in villa Adacio. In ecclesia Sancti Laurentii partem quam dedit Wisadus et nepos ejus Willelmus; alodem in villa Senovastre; villam Brrizellam cum finibus et terminis suis; in villa Pratis, alodem, villam Oruc, et villam Rivi, cum finibus et terminis et adjacentiis suis; ecclesiam

de villa Tarteria cum decimis et primitiis suis. Ecclesiam Sancti Andreæ in villa Batturga, et ibidem alodem. In villa Telone ecclesiam Sancti Vincentii quæ sita est in pujo cum alode suo, et in eadem villa alodem alium. Et in valle Baritana, in villa Monteliano alodem cum ejus finibus et adjacentiis; et in villa Bar alodem cum ejus finibus in plurimis locis; et in comitatu Urgellitano, in villa Cabrils alodem qui fuit de Undiscolo monacho. Quæcunque autem habet idem cœnobium in prædictis comitatibus seu locis, statuimus atque decernimus jure perpetuo possidenda, et absque ullius inquietudine tenenda. In comitatu vero Cerdaniæ villam quam vocant Rivolorto, cum finibus et terminis suis; similiter villam de Montenigro cum ecclesia Sancti Stephani cum decimis et primitiis suis; sed et in comitatu Bergitano villam Spiojiolam cum ecclesia Sancti Clementis, cum decimis et primitiis et omnibus ad se pertinentibus rebus, et alodem de Cleirano, atque in Petra furno, et in Herenna, et in Viver de Castraserras alodem qui fuit de Onia monacho; et in Wardia alodem et ecclesiam Sanctæ Mariæ cum suis rebus, et alaudem in villa Crosilios; item in valle Confluente, in villa Astoer, et in Aspicano, et in Penedes alodem. In villa Fenestret, et in Saorla, et in Vincano, et in Vilella, et in Rigerdanò, et in Vallils, et in Arenianes, et in Ghuvianas, in his omnibus alodes, et villare Erzillano alodem qui fuit de Durando presbytero, vallem Stabiam, cum ecclesia Sancti Andreæ cum decimis et primitiis suis : in eadem valle villas cum terminis et finibus, silvis et montibus; item Vallem Magnam cum ecclesia Sancti Vincentii cum decimis et primitiis, cum terminis et finibus, silvis et collibus ad eamdem vallem pertinentibus : Alodem de Bula cum terminis et finibus, et alodem de Insula seu de Ragollella atque de Nisiago et de villa Milliarios, et de Sancto Felice superiore, seu de Sancto Felice subteriore : item alodem de Valletorta, et de Locas et de Curbaria. Et in locum quem vocant Insulas, terras et vineas; et alodem de Valleventosa; et in pugio Buscano, et in valle Asperi alodem de Vernedas, et in Molled.l, et alodem de Crodos, et de Salvaticos, et de villa Paladolo : et in comitatu Rosselionensi in villa Tiviro alodem cum finibus et terminis, et alodem de fonte Centuria, et de Reliano, et in villare Milano alodem qui fuit de Bonisilio; itemque alodem Basoni cum ecclesia Sancti Vincentii cum decimis et primitiis cunctisque rebus ad se pertinentibus, cum finibus et terminis suis, et alodem de Caucanet, alodem de Petra-Calce cum terminis et adjacentiis suis, et in villa Turilias, et in Sancto Laurentio, et in Judegas, et in Caldarios et alodem da Berchal : item in comitatu Feniolitensi, in valle Sauriniani villam quam nuncupant Valletam ad integrum cum finibus et adjacentiis suis, cum ecclesia Sancti Michaelis et ecclesia Sancti Petri, quæ est in Tabernullas cum suo alode, et alios alodes in eadem villa, itemque ecclesiam Sanctæ Felicitatis, quæ sita est in Castellione cum suis alodibus, in villa Favarios, et in Regulella, et in Tiriliano, et in Cassanias, et in Pleucios : alodem etiam de villa Saccaria, et de Palmas, et de Campo Ursino, et de Petralas, et de Curbones et de Uxone, et de Coma-Calida, et Porcilianos, et de villa Pratis, et de Pricilianos, et de Cabannas, et de Virano. Et in valle Sanctæ Mariæ alodem, sed et vallem Sanctæ Crucis, et archangeli Michaelis, et beati Joannis quæ sita est in valle Alba, cum decimis et primitiis; sed et omnibus rebus ad eam pertinentibus. Castrum etiam Sancti Laurentii cum eadem Ecclesia, sed et cuncta ad eamdem vallem pertinentia : alodem de villa Attendido, et in Chonosolo, et in Buliaco, et in Conredo; et in comitatu Redensi in villa Brevazello alodem. In comitatu Tolosano ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ sita est inter duas aquas, cum decimis et primitiis et cum omnibus alodibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, cum aquis et piscatoriis et vernetis; alodem de Algares subteriores, et in Algares superiores medietatem ecclesiæ Sancti Juliani, et medietatem de omnibus quæ ad eam pertinent, et alodem, et boscos : et in villa Texonarias ecclesiam Sancti Martini cum decimis et primitiis cunctisque rebus ad eam pertinentibus, sed alodem et boscos, et alodem de Cortevillica, et in villare Fagia alodem, et in villa Bexano alodem et molendinum, et in Artennago ecclesiam Sancti Quintini cum decimis et primitiis, et alodem in eodem loco, et in Ambliago alodem et molendinum cum caput aquis et piscatoriis, et in Viliago alodem et molendinum, et in Miliarias ecclesiam Sancti Saturnini cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, et ibidem alodem : Et in provincia Narbonensi alodem de villare Aldrado : Et in comitatu Bisulduensi villam Centens cum finibus et terminis suis, et alodem de Maliano, et ecclesiam Sancti Michaelis de Ortomadario cum decimis et primitiis et cum eamdem villam, et in Cantens alodem. qui fuit Odonis, et alodem de Maneval, et alodem de Monte Canuto, et de Sallellas, et in comitatu Impurdano, alodem de Castellione, et ecclesiam de Fluviano cum suis terminis et pertinentiis : in comitatu Barchinonensi in Lanaria alodem qui fuit de Abbarich, et in eadem civitate alodem terras et vineas; Et in Orta, et in Romanet, et in Fenestrellas alodes; et in Balneolos alodem; in comitatu Vallensi, in Mogoda, et in Galleches, et in Tenes, et in Olineto, et in Palaciolo, et in Petrafitta, et in Aspicell alodes; Et in civitate Minorissa alodes qui fuerunt Audesindi monachi. Et in comitatu Ausonæ alodem de villare Pauli, qui est juxta Castrum Salliforas, et alodes de Cheros : et in Sancto Hypolito in villa Palazol alodem. Hæc igitur quæcunque diximus vel quæ non diximus prædia, villas scilicet, ecclesias, parochias, fundos, casas, casales, terras cultas et incultas, campos, sylvas, vineas, prata, pecorum pascua, areas, torcularia, aquas,

aquarum ductus, vias molendinos, molendinares cum suis caput aquis, et piscatoriis, et cum salinis, et elibanis piceis, omnia acquisita vel acquirenda ad Sancti Michaelis cœnobium in valle Confluenti situm, pertinentia cum servos et mancipia, auctoritate illi servatur apostolica a nobis. Statuimus autem ut, quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicunque persona, cupiditatis pecuniæ causa, neque pro qualicunque favoris inani gloria ibidem constituantur abbates, sed a cunctis ibidem degentibus servis Dei secundum Deum juxta Benedicti patris regulam eligantur abbates. Damus quoque licentiam ipsius loci abbatibus ubicunque vel a qualibuscunque voluerint episcopis suos clericos ordinandi, et a qualicunque sede eis placuerit chrisma accipiendi ; et ut a nullo episcopo, nec ab illo cujus situm est, nec ab alio possit excommunicari, vel aliqua ad eumdem monasterium pertinens ecclesia. Statuimus etiam ut quis pœnitens, a liminibus exclusus ecclesiæ, quandiu ibi steterit, habeat licentiam introeundi, et omne divinum officium audiendi. Concedimus quoque abbati vel monachis, et omnibus clericis ad monasterium pertinentibus, licentiam, nisi voluerint spontanee vel rogati, ad synodum non eundi. Confirmamus igitur et stabilimus amodo ut nullus rex, nullus princeps, nullus marchio, nullus comes, nullus judex, nullus episcopus, nec ulla magna parvaque persona aliquam vim vel invasionem in eodem cœnobio aut in suis pertinentiis facere præsumat. Pro quo et tuo divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione promulgantes decernimus ut non audeat aliqua persona vel præsumat contra hoc nostrum privilegium in aliquibus agere injuste, neque quis illud tentet frangere. Si quis autem, quod non credimus, parvi pendens privilegium nostrum tentaverit, de parte Dei omnipotentis sanctique ejus apostoli Petri, et nostra, qui ejus fungimur vice, perpetuis, nisi resipuerit, anathematis vinculis obligamus. Si quis autem sancti cœnobii hujus adjutor existens, illum in quo potuerit elegerit, ditaverit et amaverit, hic Dei omnipotentis interventu apostolica repletus benedictione crescere se gaudeat in virtutem de virtute.

Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Novembri, indictione decima.

Bene valete.

V.

Sergii papæ IV privilegium pro monasterio Rivipullensi.

(Anno 1011.)

[Cocquelines, *Bullar. ampl. Collect.*, *I*, 312].

Sergius episcopus, servus servorum Dei, Olivæ religioso abbati Sanctæ Mariæ dominæ nostræ monasterii quod situm est in comitatu Ausonæ in valle Rivipollensis inter duo flumina, tibi tecumque manentibus, et per te tuis illorumque successoribus, salus, et pax, et apostolica benedictio, quoad mundus permaneat. Amen.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis Ecclesiæ incessanter a propagatoribus beatæ fidei augmentare, necesse est ab illo totius jure regiminis ei concedere censura justi moderaminis liberalitatem, malorumque procul ab ea pellere pervasionem. Quocirca, quoniam convenit apostolicæ pietati benigna petentibus succurrere compassione, ideo nos tuis justis (etenim sicut sunt a nobis adjudicatæ, nam justæ sunt) annuentes precibus, omnes proprietates sive possessiones ipsius loci, fines vel limites cum adjacentiis præcipuorum prædiorum, cum omnibus ecclesiis, parochiis, villis, fundis, casis casalibus terris, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, areis, torcularibus, aquis, aquarum ductibus, viis, molendinis, molendinaris cum suis caput aquis, et suis piscatoriis cultum et incultum, et quæcunque beata gloriosa virgo Maria ex collationibus fidelium in cœnobio Rivipollensi retinere videtur, nostro apostolico confirmamus privilegio. Concedimus itaque prædicto monasterio, quod in circuitu ejus habetur, alodem ex latere uno pergentem, quod discurrit per Tamarice, et infundit in Tezer ; ab alio latere per aquæductum qui discurrit ultra villam Molas cum eadem villa Molas, et infundit in Tezer, deinde ascendit per torrentem ultra Engordans, et ascendit per Fornellos usque in Serram super silvam de Ordina, et pervenit in pago super Vilarzellum ; ab ipso Vilarzello pervenit usque in pogium Calvellum, deinde pervenit in Serra super Guausago minore, et infundit in rivum Sancti Laurentii usque in flumen Freber, deinde ascendit per rivulum qui discurrit ad villam Babos, et pervenit ad villam Stamariz, et infundit in Tezer, et affrontat in villam Archamala, et inde in pogium Salomonis usque in villa Molas cum suis terminibus, quacunque auctoritatem habet in eadem valle per plurima loca. Simili modo constituimus de valle de Tentarios, villa Aramancias, Stuiolo major, ipsa Grivolosa, et alios per plurima loca. Piscationes quoque aquarum de Tezer a Risbamala usque ad Spata, et de Freter de ipsa corba usque in Tezer. Mercati vero præfati loci, teloneum et omnem justitiam ibi peragendam ab integro concedimus. Parochiam de ipsa valle, ecclesiam Sancti Petri cum cæteris ecclesiis sibi subditis, sicut Gotmarus episcopus ibidem concessit, vel successores ejus Idalcherius et Georgius episcopi cum decimis atque primitiis absque tributo. Alodem quod dicitur Matamala cum ecclesia Sanctæ Mariæ, et ecclesia de pugio Machonosio cum decimis et primitiis. Et habet affrontationes ex latere uno in pugo Transvadoni, pergit per ipsum rivolum usque ad alium qui pergit per ipsa loca, et injungit in torrentes qui discurrunt de Serra Viniclos usque ad Cinctum contra Tremolosa, et pergit per Serram usque ad portellam de Villalonga, et descendit in torrentem, descendit per Lobaria, et injungit in pugio Transvadoni. Et in eadem valle Matemala

alodem qui fuit Rodulphi episcop., et parochiam de Vineolas, cum decimis et primitiis, quas Georgius episcopus concessit sancto Salvatori absque tributo, sicut in ipsa dote resonat; et alodem ipsum quem dicunt Campmanandati cum terminis et adjacentiis, totam videlicet villam. Et in Guausago alodem qui fuit de Guisallo et Seniofredo cum ecclesia, cum terminis et adjacentiis. Et alodem qui fuit de Joanne cum domo, terris et vineis, et ipsum boscum Libertini. Et in villa Stamariz ipsum alodem cum terminis, vel adjacentiis. Et in villa Ænove ipsum alodem, qui fuit de Tellemar, vel de ejus hæredibus cum terminis, et alodem quem tenet Petrus presbyter. Et in ipsa Silva, quæ dicunt Guvalosa, cum terminis et adjacentiis. Et in Salton, alodem cum boscis, quos dedit dictus domnus Oliba, et boscum qui fuit de Sperandeo et de Ortes, cum terminis vel adjacentiis. Et alodem de Sasitos, et ipsos condaminas de Arhamala, et alodem de Balbos, et alodem de Monteliols, et alodem de Guidmondi cum terris, vineis, silvis, cum ecclesia, et decimis, et primitiis cum finibus et terminis suis absque tributo. Alodem vero qui dicitur Salselles cum ecclesia S. Petri, cum decimis, et primitiis, cum finibus et terminibus suis absque tributo. In pago Berguitano locum Brositano alodem sicut in illorum judicio resonat, et parochia Sanctæ Mariæ cum ecclesiis sibi subditis, id est, palatium Rodgarium et ipsa Pera, cum decimis et primitiis absque tributo. Ecclesiam S. Vincentii, quæ est in Albiols cum alode et decimis et primitiis. Et in locum qui dicitur Suburbano alodum cum ecclesiis in villa quæ dicitur Guargalam. In locum qui dicitur Pontus, alodem cum ecclesiis, quas dedit Guifredus comes Sanctæ Mariæ ut alium alodem de Gargalam cum ecclesiis et decimis, et primitiis et terminis, et alodem de Nabars cum terminibus, et alodem de Nureo, et alodem de Montesclau, et alodes Torrentis profundi, et alodes de Folcunaria, et alodes ad calcem de castro Balzarens, et alodes de Begua, et de Anzano, et alodes dela Doixosa, qui fuerunt Bonifilii, et Lobatoni, vel de cæteris. Et ipsam vallem Marles cum villas. et molendinos, et ecclesiam Sanctæ Mariæ cum decimis et primitiis, et alodibus cum suis terminis vel adjacentiis. Et alodes de Gaminacos, et ecclesia de Monte Clauso, et alodes de Benemide, et alodes de Serra, qui fuit Delanti, et alodes de Spurigia, et de Callers, et ipsæ valles de Boscedano cum villis, vel illorum terminos, et alodes de Palam. In civitate Minorissa alodem, id est casas, terras, vineas et alodes qui fuerunt de aliis hominibus. In Monte Serrato alodem cum ecclesia Sancti Petri, et Sancti Martini, et in cacumine Montis Serrati ecclesiam Sanctæ Mariæ et Sancti Asiseli, cum terris, et vineis, et molendinis, et silvis, atque garricis, et alodem qui dicitur Evelosa cum terris, vineis, molendinis, silvis, atque garricis; et in civitate Barchinona casas, cum curtibus, puteis, hortis, terris, vineis, quæ sunt infra civitatem et terminos ejus, et alode de Camma cum ecclesia et decimis, et primitiis, et terminibus, et Enoiosa cum suis pertinentiis. In comitatu qui dicitur Vatles, casas cum curtes, hortos, terras, et vineas, et alodem de Digno, vel Engelfredo, et alodem de Canobellas, et alodem Mationa. In comitatu Ausona alodem palatii, et alodem qui dicitur Oligo, et Danielis villarem, alodem Saniliare, et alodem de Elzedelo cum terminibus, et boscos Rochæ Felicis, alodem Planezas. Et in comitatu Auzona alios alaudes in multis locis, id est ipsa Deveza, et in Wistiliano casas, terras, vineas quamplurinas, et alodium, qui fuit de Borello comite de Paliares Miralie, cum suis terminis, et ipsos alodes quos dedit Gualdus ad Sanctam Mariam, sicut ille tenebat, et pro donatione scribere fecit, et alodem quod Guillelmus dedit in Albedano cum terris, casis, et vineis, cultis vel incultis, et alodem de Serra, qui fuit de Gafredo, et alodem de Juniolosa, et alodem de Galinde campus qui fuit de Guiscafredus clericus, et alodes de Lociana, qui fuerunt Guillelmo filio Ermenairi, et alodem de Guisado cum molendinis, et alodes de Ovalo, quos dedit Gandamurus et Honestus, et Oliba clerici, vel cuncti homines, et alodes de Jonna, et alodes de rivo de Peras, et alodes de Saturano cum suis terminis, et alodem de valle Oriola cum suis terminis. In comitatu Cerdaniense, valle Lilitense villa Armonedo cum decimis et primitiis, cum alode qui dicitur Lilledo, et Genebredo, pogium de Maranegas, et Marola. In locum qui dicitur Guarexer, ipso alode cum ecclesia, decimis et primitiis. In Cerdania alodem qui dicitur alozos, cum ecclesia, decimis et primitiis, alodem de Bar. Et in eadem Cerdania, alodes de Arreguall, et de Nassobell et de Monteliano, et de Bar, et Adoll. Et in Labertells alodem cum molendinis, et alodem de Villa-vetere cum ipsis ecclesiis, et alodem de Evall, et de Bellich, et de Masolio et de sancta Eulalia, et de Engils, et de Ger, et de Palaciol, et de Villa-Lobs, et de Oligua, et de Anama, et de Salciep, et de Equaleges, et de Ur, et de Centaflorida, et de Angastuna, et de Estavar, et de Salagosa de Sed, et de Palaciolo, et de Valfamelica, et de Ezer, et de Esna, et de Psanezas et de Saltegual, et de Miella, et de Ventolano, et de Closellos, et de Obzello et de Campancionos, Macana et de Meramors, et de Urriols, et de Cols cum pasturas, et Armonedum jamdictum cum ipsos boscos, et calino, et ipsas pasturas, et ecclesiam Sancti Romani cum terminibus, et alodes de pujo Malello, qui ibidem est, et Gomses, et Scurrigeres, et in eadem Cerdania in pluribus locis, casas, curtes, cum vineis et terris. Et in comitatu Urgellitanensi alodem qui dicitur Exeduli cum ecclesia Sancti Michaelis. Et in castro Cardona alodem quem dicunt Pradis, et cæteris aliis; et alodes de Scorbario cum ecclesiis et suis terminibus, et alodes de Cordinello cum ecclesia Sancti Cucuphatis cum suis terminibus, et alodes de Lagno, et Castrobono in

eodem comitatu alias terras et vineas. In valle Confluenti alodem, qui dicitur Evol, cum ipsa salices et pasturas. Et in eadem valle in multis locis vineas, et alodem de Sodames, et alodes de Wincedo, et de Macanos, et alodem de Sagamano cum ecclesia Sancti Clementis cum suis alodibus, et in Soliano alodem, et in Corneliano terras et vineas; et in Arriano casas, terras et vineas, et alodem de Monsedo, et Vitamarias, et alodem de Fenestredo. In loco qui dicitur Bulla, terras et vineas, et casas, cum decimis et primitiis. In Vintolano terras et vineas. In campajonos casas, terras et vineas et in Rippas terras, casas et vineas. In Macana casas, vineas, terras. Et in comitatu Rossolionensi alodem de Tason, et Amasos de Petra-calce. Et in valle Speri alodem de Etaloris et alodem de Hermis. In comitatu Paloriensi alodes qui sunt in Basturcius cum ecclesiis, vel suis alodibus. In comitatu Bisuldunensi alodes qui fuerunt de Corbo, et Argilagarios, Valle-alta, Juviniano, cum casis, vineis et terris; in locum qui dicitur Judaicas, ecclesia S. Petri cum casas, terras et vineas, cum decimis et primitiis, et oblationibus, et suis terminis vel adjacentiis. Et in Vernedas casis et terris, et alodem de Fulgosa, et de Secundella, et in Aqualia et alodem de Bag, qui fuit de Ramardo, et Porrarias, et alodem de Blacarder cum boscis, pasturis et molendinis, et alodem de Brania, et ipsam tertiam partem de villa Palazol cum terminis et finibus suis: et alodes de Basso et de Viguilar et de Rivocano; et de Villalonga, et de Pineda, et alode de Bagonos: in comitatu Gerundensi in villa quam dicunt Celiano ipso alode, et alode de Emulano. In comitatu Cerdaniæ ipsum alodem, quod fuit Gualdaldi vicecomitis, cum ecclesiis superpositis, quæ ibi sunt, sive in locum, quem vocant in Valle vetere ecclesiam Sancti Martini, et Sancti Saturnini cum finibus et terminis, decimis et primitiis. Item in valle Asperi, villam quam dicunt Hermas cum finibus et terminis suis ac silvis. In Roveraso casas, cum terris et vineis, et eremis; item in Berguitano in villa Donegua: in comitatu Empuradense alodem de stagno salso. Et in Petralatense alodem de Castillione, et de Vallemala cum terminibus. Hæc igitur quæcunque diximus, vel quæcunque non dicimus prædia acquisita vel acquirenda ad sanctæ Dei Genitricis cœnobium in valle Rivipollensis situm pertinentia, auctoritate illi firmantur a nobis apostolica. Statuimus autem ut, quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicunque persona pro cupiditate, pecuniæ causa, neque pro qualibet favoris inanis gloria ibidem constituantur abbates, sed a cunctis ibi de gentibus servis Dei secundum Deum, et juxta Benedicti Patris regulam eligantur abbates. Damus quoque licentiam ipsius loci abbati ubicunque vel a qualibuscunque episcopis suos clericos ordinandi, a qualicunque ei sede placuerit Chrisma accipiendi, et ut a nullo episcopo, nec ab ullo in cujus suum est monasterium episcopio, nec ab alio possit excommunicari, vel aliqua ad eumdem monasterium pertinens ecclesia. Statuimus etiam ut quisquis pœnitens a liminibus exclusus Ecclesiæ quandiu ibi steterit, abeat licentiam introeundi et omne divinum officium audiendi. Concedimus quoque abbati vel monachis, et omnibus clericis ad monasterium pertinentibus, licentiam, nisi voluerint spontanee vel rogati, ad synodum non eundi. Confirmamus igitur et stabilimus amodo ut nullus rex, nullus princeps, nullus marchio, nullus comes, nullus judex, neque ulla magna parvaque persona aliquam vim vel invasionem in eodem cœnobio aut in suis pertinentiis facere præsumat, pro quo et sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione promulgantes decernimus, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum neque quis illum frangere tentet. Si quis autem, quod non credimus, nec timens Deum, et nostrum parvipendens privilegium, quod concedimus, verbo factove disrumpere tentaverit, hunc, quisquis ille fuerit, de parte Dei omnipotentis, sanctique ejus apostoli Petri, et nostra, qui ejus fungimur vice, perpetuis, nisi resipuerit, anathematis vinculis obligamus. Si quis autem hujus sancti cœnobii adjutor existens, illum in quo potuerit elegerit et amaverit, hic Dei omnipotentis interventu apostolica repletus benedictione crescere se gaudeat in virtutem de virtute: sitque portio ejus paradisus, hæreditas illius Dominus Christus, pax et consolatio ejus, ubi semper et gaudium et dolor nullus.

Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Novembris, indictione decima.

Bene valete.

VI.

Sergius IV papa confirmat fundationem monasterii S. Petri Feniliotensis, et bona ad illud spectantia.

(Anno 1011.)

[Cocquelines, *Bullar. ampl. collect.*, I, 314.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei.

Si domus excellentissimæ speculationis sanctissimæ matris nostræ Ecclesiæ impellimur curam satagere, et ob studium divini cultus pro religione sacrorum locorum promovemur prægocitare illorum sublimitatem atque stabilitatem, ut soli Deo servitium valeant habitantes in ea impendere; hoc nobis decet pio labore assuescere, ut animæ Christo dicatæ, quæ se in diebus vitæ illorum servituti contradiderunt, perseverent, sub ejus militia imperturbatæ, nec non et illa illic maneant per auctoritatem nostræ sedis apostolicæ, auctoritate nobis concessa, sub ejus videlicet, cujus nos fruimur vice, fide tenus firma, quæ votive a Christianis in Dei laudibus contradita sunt. Igitur omnibus episcopis, ducibus, comitibus, et sanctæ Dei Ecclesiæ primatibus præsentibus scilicet et futuris fidelibus, notum esse volumus quia dilectus et specialis filius noster Bernardus comes gloriosus suggessit aposto-

latui nostro quod in comitatu Feniolensi vellet secundum institutionem canonicæ auctoritatis monasterium construere in quodam venerabili loco, qui est consecratus in honore sancti Petri apostoli, deprecans ut idem monasterium nostræ apostolicæ præceptionis muniremus privilegio. Cujus petitionem salubrius ob amorem Dei adimplere studentes decernimus per hujus nostri privilegii dignitatem, ut omnia quæ antiquitus cujuscunque generis in eodem votive contradita sunt loco, sive prædia, sive in decimis, sive in primitiis, sive in cæteris redhibitionibus ecclesiasticis, perenniter persistere jubemus ibidem mancipata alodia, vel quæ præfatus comes in eodem subrogat loco, vel quæ moderno videntur ad eumdem locum tempore pertinere, per hanc nostri privilegii auctoritatem in prænominato subrogamus loco; quorum nomina sunt hæc : ecclesiam Sanctæ Mariæ de Valle, et ecclesiam Sancti Andreæ. et ecclesiam Sancti Martini de villa Prinianas, et ecclesiam Sancti Jacobi cum decimis et primitiis, et alodiis, et redhibitionibus illarum, hactenus et alodium de villa Archanis cum terminis, et finibus suis, nempe et alodium quod Wadallus de eodem loco abbas in villa S. Felicis acquisivit sive per parentes, sive per qualemcunque vocem : similiter et alodium de villa Regulella, et quod Pontius frater jam dicti abbatis ibidem votive subrogavit. Hæc omnia prædia supra nominata a fidelibus ibi collata, vel quæ deinceps fuerint acquisita cum eodem monasterio sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ et nostræ sedis apostolicæ recipimus munimine, hoc statuentes ut deinceps nulla unquam subrogata persona præfatam ecclesiam atque monasterium cum suis omnibus supra taxatis sub jure alterius ecclesiæ eam subjugare præsumat neque placitos publicos, sive per homicidia, vel pro cujuscunque culpa valeat peragere vel functionem sive temporale servitium ex eodem monasterio exigere; sed liceat abbati præfato, et successoribus suis sub nostræ institutionis servitio quiete vivere, nec licentia sit cuiquam magnæ parvæque personæ ex ejus rebus omnibusque ad eum pertinentibus exinde auferre, sed omnia in eodem loco per nostri privilegii auctoritatem perenniter maneant dotata. Concedimus etiam præfato abbati et successoribus suis chrisma de quacunque sede ejus placuerit recipi, vel clericos eorum ordinandi. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis in eodem sancto loco concessa sunt, et a nobis pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, refragare, aut in quoquam præsumpserit transgredi, sciat se nostri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo, et ejus atrocissimis pompis atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christu æterni incendii supplicio concremandum. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri privilegii statuta, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur et vitæ æternæ effici mereatur particeps in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Novembris, indictione decima.

Bene valete.

VII

Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Canigonensi.

(Anno 1011.)

[Cocquelin., t. I, p. 315.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei.

Quoniam divina annuente pietate sedula mos in nostris prædecessoribus exstitit prosperis sive adversis omnium hominum diligentius vigilare, et in necessitatibus subvenire, quo malum in animo resecare possimus, bonum vero apostolicis benedictionibus corroborare : quapropter nos, qui eorum gestamus infulam, illorum utique volumus vestigia sequi, ut omnes videlicet homines sub nostris temporibus a Deo constituti gaudeant, et Deo auxiliante perenniter nomen tantæ dignitatis decus, et commoda ferant. Ideo quia Christo distribuente Petri principis apostolorum vicem gestamus, hoc quod facimus inconvulsum manere volumus, ut nulla laicalis persona seu episcoporum vel clericorum nostris obstet præceptis aut contradicat, ne in multis maledictionibus incurrat. Igitur quia postulastis a nobis, Guifrede dilecte comes, quatenus ecclesiam sancti Martini tibi concederemus, ut pro tuorum peccatorum, sive tuorum parentum remissione in ea monasterium faceres, et de tuis siquidem prædiis illi sanctæ Ecclesiæ concederes; hæc, charissime fili petitio nobis bona videtur, et annuente summo Rege illam præfatam ecclesiam cum omnibus pertinentiis tibi concedimus, et apostolica auctoritate confirmamus, et eam in perpetuam inconvulsam manere sancimus. Concedimus etiam prælibatæ ecclesiæ ut nunquam obnoxia sit servituti alterius, semper sit libera et apostolicis privilegiis exaltata, per se in ævum maneat sublimata. Quas autem possessiones aut prædia seu confinia cum suis omnibus pertinentiis rebusque cunctis usque huc acquisitis, vel quas in perpetuum acquisierit, id est prædia, villas scilicet, ecclesias, cum illarum pertinentiis, parochias, fundos, casas casales, costales, terras cultas vel incultas, campos, silvas, vineas, prata, pecorum pascua, areas, toreularia, aquas, aquarum ductus, vias molendinas, molendinarios cum suis caputaquis, et piscatoriis, cum salinis, et clibanis piceis, omnia acquisita, vel acquirenda Sancti Martini cœnobio in valle Confluenti in monte Canigonensi in pace tenere, et possidere sine alicujus inquietudinis damno decrevimus. Statuimus autem ut, quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicunque persona cupiditatis pecuniæ causa, neque pro qualicunque favoris inanis gloria ibidem constituantur abbates; sed a cunctis ibidem degentibus servis Dei secundum Deum juxta Benedicti Patris regulam eligantur abbates. Confirmamus ergo, et stabilimus amodo ut nullus

rex, nullus princeps, nullus marchio, nullus comes, nullus judex, nullus episcopus, nullus abbas aliquam vim vel invasionem ac subjugationem in eodem cœnobio aut in suis omnibus pertinentiis facere præsumat. Pro quo sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione promulgantes decernimus ut nulla unquam magna parvaque persona ullo ingenio, cujuscunque sit ordinis, hujus nostri apostolici privilegii ausus sit frangere. Si quis autem, quod non credimus, parvipendens privilegium nostrum disrumpere tentaverit, de parte Dei omnipotentis, sanctique ejus apostoli Petri, et nostra, qui ejus fungimur vicem, perpetuis, nisi resipuerit, anathematis vinculis obligamus. Si quis autem sancti cœnobi hujus adjutor existens, illum in quo potuerit elegerit, ditaverit et amaverit, hic Dei omnipotentis interventu apostolica repletus benedictione scandere se gaudeat in virtutem de virtute.

Scriptum per manus Benedicti notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Novembris, indictione decima.

Bene valete.

VIII.

Sergius IV papa monasterium Arulense sub protectione sedis apostolicæ recipit, et a cujuscunque personæ, etiam episcopi ordinarii, jurisdictione eximit.

(Anno 1011.)

[Cocquelin., *Bullar. ampl. Collect.* I, 316.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino filio Gauzberto religioso abbati venerabilis monasterii sanctæ ac perpetuæ Virginis Mariæ dominæ nostræ, quod situm est in Asperiensi valle, atque comitatu, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Tunc summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini prospectus nitore dignoscitur præfulgere, cum in exercendis Dei laudibus sui impensius studebit laboris exercere certamen. Ob hoc debita nos Ecclesiæ apostolicæ pastoralis compulsi sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum pertinere dignoscitur locorum, ubertim promulgari, et apostolicæ institutionis censura confirmari, et cum solo apostolo Petro legamus, omnium tam clericorum, quam laicorum esse curam divinitus a Domino concessam, illius vicariam sua vice præsenti sæculi dispositione, et tutare omnia atque in omnibus prosperis seu in adversis subvenire auctoritate apostolica. Nos ergo qui ejus, quamvis immeriti, vicem gerimus, suffragante Deo, monasterium præfatæ perpetuæ Virginis Mariæ amodo deinceps tenere, defendere, atque protegere sub nostro jure nostroque patrocinio disposuimus, et ut privilegii sedis apostolicæ insula decoretur sub jure et dictione, sicut diximus, sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, constitutam nullius ecclesiæ alterius jurisdictionibus submittatur. Pro qua re vestris propriis desideriis obtemperare satagimus. Postulastis enim a nobis quatenus per nostri privilegii auctoritatem concederemus, et confirmaremus præfato monasterio scilicet cellulas, et prædia cum mansionibus, vel possessionibus ad eumdem locum pertinentibus. Confirmamus etiam in præfatum monasterium cellam scilicet Albaniani cum ecclesias duas ibidem constitutas, ecclesiam namque Sancti Petri, nempe et Sancti Michaelis archangeli cum decimis et primitiis et oblationibus fidelium, sicuti in dotibus earum scripta reperiuntur. Terminos vero concedimus, vel confirmamus huic cellulæ sicuti in vestro regali præcepto resonat. Mansos vero de villa Ollarias cum fundis, et possessionibus suis, alaudem etiam de custodia cum ecclesia Sanctæ Mariæ, sive ecclesiam Sancti Laurentii sibi subjectam, cum decimis et primitiis, et oblationibus fidelium. In Giro vero prædia ad eumdem locum pertinentia. Imprimitus in villa Pratis, mansos, cum fundis, agris, vinalibus, molindinariis vel caputaquis piscatoriis, cultum vel incultum ad eumdem locum a fidelibus antiquitus subrogatum et villare Cumquotus cum vineis et terris, et piscatoriis simul cum ipso alaude de Maures vel de Maniaches, vel de Madaloth cum terris et vineis cultum vel incultum, et Mansos de Bennato. Confirmamus etiam pascua gregibus vestris, etiam culmen de Vesias, sicut in præceptis regalibus vobis constat esse concessum. Vallem etiam Riviferrarii, quam obtinuistis ex curia comitali, simul cum valle vetere Riviferrarii, quam obtinuistis superiori et subteriori cum ecclesia Sancti Martini Curtio Savini cum decimis, et primitiis, et oblationes fidelium, cellulam sancti Petri, et ecclesiam Sanctæ Columbæ, et ecclesiam Sancti Stephani cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium, simul cum ipsos decimos de Frexeno, et alaudem castelli curvi, et villam Cleranos, vel de Bonabosco, et mansos de Beceda, vel de Arletas, Balnea quoque, et villare Cotæleto, simul cum totam illam veterem vallem ad eumdem monasterium pertinentem sicut per præcepta regalia vel per donationes fidelium vobis antiquitus concessum fuit, vel moderno votive concessum est. Alaudem siquidem Palandani cum terris et vineis, et mansis et molendinis vel caputaquis. Et in Rivo-nigro mansos duos, cum terris et vineis ad eorumdem mansos pertinentibus. Ecclesiam montis Aurioli cum decimis, et primitiis et redhibitionibus, atque oblationibus fidelium simul cum ipso alaude de præfata villa Montis Aurioli. Prædictam vero ecclesiam Sancti Michaelis archangeli cum decimis et primitiis, et redhibitionibus, atque oblationibus fidelium. Confirmamus illi terminum ex parte una parochia Sancti Fructuosi de Castro-camelos, de alia vero parte in termino parochiæ Sancti Joannis de villa Ulmos, de tertia denique parte termino Sancti Martini parochiæ de Laurisione, de quarta siquidem parte in vinea communali simul cum ipso decimo de Poncione, vel de Illiardis sorore sua. Alaudem vero de villa Moletto, vel Molletello simul cum ecclesia Sancti Michaelis archangeli. Per nostri vero privilegii dignitatem damus præfatæ ecclesiæ termina de una parte in valle magna Ferraria, id est, in colle de Lebraria ; de alia vero parte in ter-

mino de parochia Sancti Petri, qui dicitur Serra, vel de Aquabula; de tertia quoque parte in termino de Civennago, de quarta siquidem parte in parochia Sancti Saturnini. Quantum infra istis terminibus fundatum esse videtur, tam cultum quam incultum, et prænominatis possessionibus decimas, et primitias cum oblationibus fidelium his prælibatis parochiis ad possidendum perenniter contradimus. Præcipimus etiam auctoritate apostolica, ut nullus episcopus, omnisque generis persona infra jam dicta termina de his duabus prænominatis parochiis novellam sibi ecclesiam construere præsumat, nec clericos alios eligere ad eorum functiones peragendas nec alias ecclesias erigendas ad ministerium audiendum, nec ulla persona clericorum eis sacrum ministerium exerceat his qui prædicta termina videntur habitare, nisi tantummodo hi qui per manus abbatis præfati cœnobii fuerint subrogati in his supra nominatis duabus parochiis. Qui aliter præsumpserit, nostræ auctoritatis sententia excommunicationis vinculo feriatur. Enim vero et confirmamus in præfato monasterio alios omnes alodios, qui a fidelibus Dei in prælibato monasterio collati reperiuntur, scilicet villam Tordarias, cum finibus suis, et villam Fullonicam cum ecclesia sancti Martini cum decimis et primitiis suis, et oblationes fidelium; nempe et villare qui vocatur Kasti cum ecclesia Sancti Joannis cum decimis et primitiis, et finibus suis. Plane quidem, et alaudem de villa Cassamolas, ecclesiam quoque Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Pannessiares sub tuitione domini Bernardi comitis, et abbatis prædicti monasterii ad construendum, et ordinandum cum dona fidelium quæ ibi fuerint subrogata sine aliqua minoratione vel deterioratione. Stabilimus simul cum omnia ipsa quæ deinceps videtur augmentare vel juste acquirere omnia in omnibus quidquid præfatum cœnobium videatur habere, vel deinceps acquirere sub nostræ defensione certitudinis recipimus omnimodo : insuper censura apostolica statuentes sub divini judicii obtestatione, ut nullus Ecclesiæ episcopus in præfato monasterio ditionem quamlibet, aut excommunicationem præsumat inferre, nec in eorum ecclesiis, neque in eorum possessionibus. Jubemus insuper ut omnes nocivæ ecclesiasticæ venditiones, vel commutationes, quæ ab abbatibus vel episcopis olim de eodem monasterio factæ sunt, ex auctoritate nostra omnino vacuæ et invalidæ persistant : quia scriptum est quia, quod semel offertur Deo auferre minime liceat. Damus etiam potestatem monachis ipsius loci secundum regulam Sancti Benedicti ex eorum propria congregatione, vel unde aptum esse perspexerint, abbatem eligendi, et synodum, nec ipsis nec clericis eorum non custodiri chrisma unde eis placuerit recipiendi, et clericos eorum, in quacunque sede elegerint ordinandi et ut omnis pœnitens, quandiu ibi steterit, licentiam habeat ecclesiam introeundi, vel quid ibidem dictum fuerit audiendi. Hæc igitur quæcunque supradiximus auctoritate illi confirmantur a nobis apostolica. Si quis autem, quod fieri non credimus, temerario ausu contra hujus nostri privilegii statuta, quod concedimus disrumpere tentaverit, nisi resipuerit, auctoritate Dei omnipotentis et sancti Petri apostolorum principis atque nostra, qui ejus fungimur vice, anathematis vinculis indissolubiliter innodandum, et a regno Dei se sentiat alienatum. Prædictum vero monasterium nobis tributarium eligimus per singulos annos duos bizantios. Qui autem prædictum sanctum monasterium sanctæ sedis tributarium in quo potuerit elegerit, et nostri privilegii observator extiterit, pax super illum sit et misericordia benedictionis, in omnibus rebus locupletatus gratia sciat se adepturum gaudia sempiterna.

Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii, et scriniarii sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, in mense et indictione decima.

Bene valete.

IX.

Privilegium Sergii IV papæ pro monasterio Montis Majoris.

(Anno 1009-1012.)

[*Gall. Christ. nov.*, I, 104.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei.

Notum omnibus fieri volumus, præcipue Amalrico archiepiscopo, Poncionique archiepiscopo, Eldiberto, Jocelino, Almerardo, et Frodoni episcopis, cæterisque tam clericis quam laicis, salutem et benedictionem apostolicam, etc. Sciatis quod Archinricus abbas ad nostram apostolicam sedem Aubertum monachum misit, ut nostra benedictione Stephanus episcopus ecclesiam S. Mariæ, S. Joannis et S. Petri, ac Sancti Benedicti consecret ac benedicat. Id sciatis, facimus in ejus consecratione talem benedictionem et absolutionem concedimus, ut quicunque ad eam pœnitens in consecratione ipsius advenerit, tale remedium percipiat. Ibi tertiam partem pœnitentiæ illi dimittimus, et ecclesiam usque apud caput anni ei reddimus, et pacem et capillos incidere habeat; et si mors in capite anni evenerit, vel infra annum, ex nostra parte absolutus permaneat, et si desiderans per infirmitatem annualiter venire nequiverit, et interveniente morte occubuerit, in eam absolutio permaneat. Aldibertus vero et Rainoardus qui hanc causam propter amorem Dei fieri in eorum potestate adjuvando cupiunt, de pœnitentia de qua modo suspirant absoluti sint, et habeant integram licentiam et possibilitatem in quantum voluerint tam ipsi quam sui, augendi et crescendi eumdem locum noviter ædificatum, et cœnobium Montis Majoris, quod juris est Romanæ Ecclesiæ, et sancti Petri, et nostri, tam in honoribus ecclesiasticis, quam in sui potestate habent, quam in cæteris possessionibus juxta piam petitionem venerabilis abbatis prædicti loci Archinrici, et modo et in futuro, sicut olim Lambertus pater eorumdem militum conveniendo scribere fecit. Quicunque vero huic loco Corteno vel Monti Majori bene fecerit,

talem benedictionem accipiat, sicut diximus, et qui ad hanc ecclesiam ibit, securus de omnibus inimicis suis vadat, et qui ei aliquod impedimentum præstiterit, sciat is excommunicatum et anathematizatum. Si quis itaque, quod non optamus, temerario ausu, etc.

Sergius sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ præsul. Petrus episcopus, Crescentius episcopus, Petrus episcopus, Gregorius et Stephanus episcopi.

Datum Laterani per manus Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis.

X.

Sergius IV papa Amalricum Aquensem archiepiscopum ob Vexatum Montis Majoris monasterium redarguit.

(Anno 1009-1012.)

[*Gall. Christ. nov.*, I, 63.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, ducibus, marchionibus et comitibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Nobis clamor nobilissimæ comitissæ Adelaidis delatus est, et monachorum S. Petri super filios Nebelongi, Rainaldum videlicet, Willelmum et Lanfredum, et archiepiscopum Amalricum Aquensem, qui fortiter devastant monasterium Montis Majoris, quod est sub potestate sancti Petri et nostra, et insuper villam quæ nominatur Pertusus, per virtutem illorum deprædaverunt et cremaverunt, tandiu quousque inhabitabilis permanet. De qua causa, monemus et rogamus auctoritate apostolorum et nostra, supra dictum Aquensem archiepiscopum, ut ipse primus satisfaciat : deinde cum cæteris comprovincialibus archiepiscopis, episcopis, atque fidelibus Christianis, qui imperio Provinciæ habitant, faciat venire infantes Nevelongi, et ad congruam emendationem illos admoneat de gravi damno, quod injuste intulerunt monasterio B. Petri. Si vos audierint et emendaverint, Deo gratias. Si autem contempserint obedire vobis et apostolicis præceptis, excommunicamus illos, ac maledicimus ex parte Dei et S. Mariæ, et auctoritate B. apostolorum, etc. Insuper rogo omnes vos qui Deum curam habere videmini, ut, sicut ego excommunico, similiter et vos faciatis, et constringantur vinculo anathematis, qui vi sæculari vastant atque dissipant sine voluntate abbatis et monachorum, terras retinent, quas nos et antecessores nostri tradidimus, et corroboravimus cœnobio supra dicto.

XI.

Sergius IV papa Gratiano abbati et omnibus habitantibus in castello et civitate Corgnito præcipit ut ecclesias Peregrini et S. Michaelis Guidoni abbati Farfensi restituant.

(Anno 1009-1012.

[Mabill., *Annal. ord. S. Bened.* IV, 206.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, Gratiano abbati, et omnibus habitantibus in castello Corgnito, salutem charissimam cum benedictione apostolica.

Nostra cura pastoralis talis est, Christo favente, ut discordantes clericos vel laicos ad concordiam revocemus. Ideo monemus te, prædicte Gratiane abba, et omnino jubemus ut, secundum præceptum regulæ Sancti Benedicti, humilies te sub Guidone abbate monasterii Sanctæ Mariæ quod ponitur in Farfa ; et quidquid contra prælibatum monasterium injuste egisti, citius emendes, et ecclesias, quas jam dicto abbati contendis, scilicet Sancti Peregrini et Sancti Michaelis cum omnibus suis pertinentiis, reddas illi. Quod si facere nolueris, ab omni officio sacerdotali maneas alienus. Similiter mandamus omnibus prædictis hominibus, vel aliis, qui tibi contra hanc nostram jussionem adjutorium præstare voluerint, ut extra Ecclesiam maneant, usque dum per satisfactionem emendaverint.

XII.

Sergius IV Ecclesiæ Bambergensi privilegia tribuit.

(Anno 1009-1012.)

[*Vide in* Benedicto VIII *privilegium pro eadem Ecclesia, ad an.* 1015.]

XIII.

Sergius IV monasterii S. Vincentii Vulturnensis possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1012.)

Ughelli, *Italia sacra*, VI, 390.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, Hilario venerabili abbati ex monasterio Christi martyris Vincentii, et pro te vener. monasterio, tuisque successoribus in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine cura insistit pro universis Dei Ecclesiis, ac piis locis vigilan. ne aliquam necessitatis jacturam sustineat, sed magis propria utilitate stipendia consequatur; ideo convenit nos pastoralis tota mentis integritate eorumdem ven. locorum maximæ stabilitatis integritate procurare, et sedule eorum utilitati subsidia illi conferre, et Deo nostro omnipotenti id quod pro ejus sancti nominis honore, etiam ad laudem atque gloriam ejus divinæ majestatis venerabilium nostrorum etiam contulere locis, sitque ac optabilem nobis, quæ ad ejus locum plenissimam misericordiam dignum hujusmodi pii operis in sidereis arcibus conferant remunerationem. Igitur quia petistis a nobis quatenus monasterium B. Vincentii martyris situm supra fluvium, quod dicitur Vulturnum, in territorio Beneventano partibus Samniæ, una cum suis pertinentiis et monasteriis, videlicet monasterium B. Petri apostoli positum juxta fluvium Sabbati territorio Beneventano, sed et monasterium S. Dei genitricis Mariæ in loco, qui dicitur Loco sano. Item monasterium Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quod positum est in Alife, nec non et monasterium in honore S. Mariæ ædificatum, videlicet in territorio Marsicano loco Apinianici, porro et monasterium S. Mauri infra comitatum Atinensem. etiam aliud monasterium S. Dei genitricis

Mariæ positum in territorio Pinnense in loco, quod Mosano dicitur ; enimvero et monasterium aliud consecratum in honorem S. Dei genitricis Mariæ in loco, qui dicitur Duas basilicas. Item et alia cella S. Mariæ juxta fluvium Trinio, quoniam quidem, et cella S. Sossii in Liburia, locusque Pantano cum integro ipso Waldo pertinente ipsi monasterio S. Vincentii, quod habet fines de prima parte via antiqua, qui venit ad ducenta, qui decernit inter hæc, terra, seu Waldo, et alia terra, et Waldo, qui fuit prædicti monasterii, et terra alia ipsius monasterii, et qualiter demergit via antiqua, qui vadit ad ipsa piscina jam dicti monasterii, et demergit via ipsa inter ipsas terras, et Waldo jam dicti monasterii, et terra alia ipsius monasterii, quæ dicitur de Tortora, et terra de hominibus, qui ibi affines sunt, et sicut incipit super ipsa piscina, et qualiter revolvit super ipsa terra de eodem Waldo, et eadem terra de Tortora, et vadit ad ipsum Pantano prædicti monasterii, et perrexit per ipsum Pantanum, et Silva, et palude usque in ipso frigido. De quarta vero parte sine jam dicto frigido, et jam dicto laneo etiam una cum aliis monasteriis et cellis cum casis et casalibus, cum servis et ancillis utriusque sexus ibidem residentibus, vel cum omnia et in omnibus suis pertinentiis tibi, tuisque successoribus abbatibus, qui ibidem in tempore fuerint. Concedimus ut sub jurisdictione sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ vobis attinendum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittantur. Pro qua re piis desideriis faventes, ac nostra auctoritate quod exposcitur, mancipamur. Et ideo concedimus vobis vestrisque successoribus abbatibus licentiam apostolicæ sedis nostræ, ut quamlibet Christianitatem indigentibus in prædicto vener. monasterio, qualis episcopus vobis ad invitandum jure volueritis habendi potestatem omnino concedimus ad Ecclesias confirmandas, seu abbatem consecrandum. Etiam similiter ordinationem de subdiaconibus, et diaconibus seu presbyteris per tempora faciendum, et ad omnem gradum ecclesiasticum ibidem in tempore adimplendum. Protestamur etiam nullus episcopus exinde debeat subdiaconum, diaconum, seu presbyterum ad suum concilium provocare, nisi sua fuerit voluntas, aut abbatem, vel monachum nullo modo judicare, vel excommunicare. Volumus etiam et apostolica injungimus auctoritate vobis vestrisque successoribus abbatibus, qui ibidem in tempore præordinatus fuerit de qualicunque Ecclesia sacerdos, vel clerici venerint ad habitandum, aut in conversatione fratrum, sive monachicum suscipiendi habitum, se contulerit, statim recipiendi ; chrisma vero et oleum sanctum a quali episcopo vobis voluntas fuerit, impetrandi. Liceat semper et secundum, ut diximus, sub apostolicam nostram potestatem, et omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato ven. monasterio ditionem quamlibet habere hanc auctoritatem, præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnitatem quispiam celebrare præsumat. Statuentes apostolica insuper censura sub divini judicii obtestationibus, et validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam præsumat quispiam alius cujuscunque dignitatis præditus potestate, vel etiam in eodem venerabili monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus, et possessionibus, vel Ecclesiis subjectis, vel quidquid de his exinde inesse videtur quoquo modo auferre, aut alienare, nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam ibidem sive pacis, sive barbaricis temporibus quoquomodo inferendum præfatum perenniter, ut dictum est tam pacis quam barbarici temporis firma stabilitate decernimus sub jurisdictione sanctæ Ecclesiæ nostræ permanen. Promulgantes nempe et hac auctoritate B. apostolorum principis coram Deo et terribili ejus examine pro futuro per hujus nostri apostolici privilegii, atque constituti sancimus, atque decernimus, ut loca quæ ab abbatibus cujuslibet, quæ vobis in eodem præfato vener. monasterio S. Vincentii mart. commutata, vel etiam concessa sunt, nec non et alias locorum possessiones, quæ a regibus, ac ducibus, vel castaldeis, universis Christianis in eodem sancto loco largita atque oblata sunt, aut in posterum illic concessa fuerint, firma stabilitate juri ipsius præfati ven. monasterii existenda atque in perpetuum permanenda statuimus. Nec licentia sit, ut dictum est, et ejus, vel omnibus eidem monasterio pertinen. cuiquam magnæ parvæque personæ auferre, aut præfato juxta id, quod subjectum eisdem ven. locis apostolicis constitutis, atque privilegiis consistat in concurrendum permaneat. Et liceat eosdem monachos de sua congregatione abbatem semper eligere, liceat ipsum abbatem, qui fuerint suos judicare monachos non solum virile monasterium, sed etiam muliebre monasterium sibi subjectum. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate ven. monasterii statuta sunt refragare, aut in quoquam transire discilium, anathematis vinculo innodatus, et cum diabolo, et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno incendio concremandus deputetur. At vero qui pio intuitu observaturum, et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constitutum ad cultum Dei respicientibus, benedictionis gratiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manus Benedicti notarii regionarii, et scriniarii S. R. E. in mense Februario indict. x. Bene val. Data v Kal. Martiii per manus Petri, Domini gratia episcopi S. Prænestinæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno Dei propitio pontificatus domini nostri Sergii sanctissimi IV papæ sedente anno 3, indict. supradicta decima.

XIV.

Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Bellilocensi.

(Anno 1012.)

[*Gallia Christiana*, vet. ed., I, 756.]

In nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, anno. . . . . propitio pontificatus domni nostri Sergii summi pontificis universis quarti papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, tertio, indictione x mense Aprilis die XIV.

Quia mens humana semper in cogitatione posita esse dignoscitur, et animi uniuscujusque pro diversis causis et sollicitudinibus, huc illuc divagando discurrit, nec valet omnia explere sermone, nec futura tenere memoria quæ geritur; idcirco notum prudentissimis viris ingenuis, litterarum repertum est, ut quæ mente inquirimus, litteris exaremus. Et ideo, ego Sergius divina gratia quartus sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifex, servus servorum Dei, universæ Ecclesiæ populo notum esse volumus, præcipue successoresque nostri, et cohabitatoribus sacris Lateranensis palatii, qualiter ad nostram apostolicam sedem lamentando venit quemdam Hugo venerabili archiepiscopo sanctæ Turonensis Ecclesiæ, et de monasterium quem Fulco a noviter construxit, et pro animæ suæ remedium beati Petri apostoli ac nobis obtulit, proclamavit et querelam suam circa nos, ita disponere cœpit dicens : « O Domine papa, cur consecratione monasterii quem Fulco vobis obtulit, quod infra nostri archiepiscopatus parochiam fundatum esse dignoscitur nobis auferri vultis? » Cum ego ab eodem Hugone archiepiscopo talia audissem, statim ad nostram præsentiam arcessere fecimus, episcopis cardin. presbyteris diaconibus, subdiaconibus, et non paucis de clero judicibus quoque Romuleis, multisque etiam viris nobilibus, ibi coram assistentibus, quorum nomina suis manibus inferius ascripta tenentur, et nunc seriatim intimare studemus, videlicet : archiepiscopo Lugdunensi Ecclesiæ, Petrus episcopus Prænestinæ, Benedictus episcop. Portuensis, Joannes qui et nomine vocatur Lavicænensis Ecclesiæ episcop., Gregorius episcop. Sylvæ candidæ, Petrus episcop. Vipernensis Ecclesiæ. Amico presbyter cardinalis, Stephanus presbyter card., Joannes presbyter cardinalis, Crescentius presbyter card., Joannes archidiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Abbo diaconus, Joannes diaconus qui cognominatur de Beno opifex. Petrus diaconus a Chana patria; Crescentius Anpodiaconus oblacionario; Gregorius defensorum primicerius. Petrus ex alio Petro de pulchro dativorum judicibus. Stephanus qui vocatur de Bernardo, Petrus de Breperato, Berardo filius Crescentio ad puteum prol a. Franco Camarlingo, et alio Franco de Deodato, cæterisque plurimis. Ante his omnibus præsentiam erexit se Benedictus Portuensis episcopus, et coram dicto archiepiscopo interpellavit, et dicere cœpit : « Domine sanctissime Pater et senior cui Deus commisit summam potestatem et regimen totius sanctissimæ Ecclesiæ, qui huic archiepiscopo vestram sanctitatem. . . . Lamentat, et interpellat Ecclesiam et legem et justitiam postulat, venerabilique monasterio Fulco infra suam construxit parochiam, et vobis obtulit. Si vobis placet ipse archiepiscopus consecrare velit, ac nullatenus secundum statuta canonum et Justinianæ legis, consecrationem ad dominium archiepiscopi auferri potuit. » Tunc Petrus Dei nutu unus ex nostris datum judici pro nos, et ad nostra vicem habere respondit : « Certe monasterium ipsum quæ Fulco ædificavit sua propria hæreditas fuit, et beati apostoli Petri Ecclesiam, et nostri seniori potestatis et dominii, monasterium et consecrationem perpetualiter, pro sua obtulit anima qualiter perdere a suo dominio debeat, ostendite? et nobis innotescite? Unum scio tantum, quia cujus est hæreditas, ipsius et consecratio. » Igitur Hugo archiepiscopus cernens se nullum verum, aut rectum habere, et qualiter nos eum perdere deberemus, minime posse ostendere, mox profiteri et dicere cœpit se peccasse, errasse, et coram omnipotentem Dominum et nostram sanctam Romanam Ecclesiam, nimis deliquisse eo quod injuste et absque aliqua ratione nobis exinde litigasse. Inde vero ex manu Gregorii episcopi Silvæ Candidæ recepit virgula, et per eamdem virgulam quam manu tenebat, consona voce, devota mente, cernentibus cunctis qui aderant, ipsum monasterium cum consecratione, et omnibus sibi pertinentibus, sicuti Fulco B. Petri apostoli et nobis, nostræque apostolicæ sedis pro sua obtulit anima, nobis ita refutavit, atque in perpetuum traditum esse affirmavit; his ita expletis publice constitutis, atque in perpetuum permanendo firmiter stabilivit . . . in tempore amodo in antea in qualicunque persona hominum, tam sacerdotalis, quam laicalis, qualibet scriptura, vel privilegia, ex prædicto monasterio, et sua consecratio, vel pertinentia a me, vel a meis successoribus facta apparuerit, sciant omnes, quia partim et metu esse facta. Et si, quod absit! ipsam, ut dixi, scripturam a nobis factam apparuerit, irritam esse volo atque damnatam : et hanc notitiam refutationis brevis omni tempore firmam et stabilem astipulo permanere; dehinc ante unum nostrum coepiscopum videlicet Petrum Vipernensis Ecclesiæ illic transmisimus, et nostra vice illud monasterium consecrari jussimus, contra quod constitutionis nostræ edictum, quæcunque moliri temerarie præsumpserit, anathematis maledictione teneatur, donec resipiscens, et ad satisfaciendum prædictæ nostræ Ecclesiæ, nostræque præceptionis redeat. Qui vero pio hortatu observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostræ notitiæ atque refutationis brevis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Quam chartulam brevis refutationis Benedicto notario et scriniario sedis nostræ apostolicæ pro su-

tura memoria futuroque testimonio, et chartula scribendam præcepimus, ac sigillo nostro sigillari jussimus in mense et indictione suprascripta decima.

Signum, ego Sergius sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præsul. Petrus episcopus sanctæ Prænestinæ Ecclesiæ et Bibliothecarius sacri palatii. Benedictus episcopus Portuensis. Gregorius episcopus Silvæ Candidæ. Homo episcopus Lavicanæ Ecclesiæ. Petrus episcopus sanctæ Vipernensis Ecclesiæ. Petrus defensor dativus judex. Petrus dativus judex. Petrus alius dativus judex. Richardus nobilis vir. Stephanus de Bernardo. Franco Deodato cubicularo dominico, Berardo filio, Crescentio ad puteum proba. Joannes archidiaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ Abbo diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Joannes diaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Petrus diaconus. Crescentius subdiaconus. Benedictus diaconus. Amico cardinalis. Stephanus, Joannes, Crescentius, cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; Joannes prior subdiaconorum; Ramerius diaconus. Ego Benedictus scriniario S. Romanæ Ecclesiæ scriptor hujus notitiæ refutationis brevis post omnium supradictorum subscriptiones factas, complevi et absolvi.

XV.

Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Bellilocensi.

(Anno 1012.)

[*Gallia Christiana*, vet. edit., tom. IV, p. 150.]

Sergius episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ episcopis.

Notum esse volumus vobis quia quidam comes nomine Fulco construxit quoddam monasterium in suo proprio alodo, quod et S. Petro apostolorum principi tradidit, ac nostræ donationi, successorumque nostrorum in perpetuo jure submisit : quem locum ego per memetipsum sacrare non valens, quemdam nostrum suffraganeum episcopum illuc direxi, ut ipsum monasterium vice S. Petri ac nostra sacraret ac benediceret. Audivimus autem eidem loco multos habere invidos, quapropter benedictione expleta, si fuerit aliquis homo qui hujus loci servientibus, aut ad ipsum locum attinentibus, aliquam calumniam aut molestiam inferre voluerit, aut aliquis episcopus aut archiepiscopus, qui eos excommunicare vel maledicere voluerit, ipsi sint ex auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et S. Petri apostolorum principis cui a Christo collata est potestas ligandi atque solvendi, omniumque sanctorum, et ex nostra auctoritate, omniumque episcoporum atque archiepiscoporum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excommunicati atque anathematizati, sive maledicti, etc. Locus vero ille et omnes hujus loci servientes, nec non et adjutores ejus, sive amici ei ex eadem auctoritate superius dicta, sint absoluti et benedicti, nullamque timeant unquam excommunicationem atque maledictionem ab illo episcopo, neque archiepiscopo, qui vivere possit super terram.

XVI.

Sergius IV Michaelis archiepiscopi Salernitani jura metropolitana confirmat.

(Anno 1012.)

[Ughelli, *Italia sacra*, VII, 377.]

Sergius, servus servorum Dei, dilectissimo nobis fratri meritoque honorabili Michaeli, Salernitanæ sedis archiepiscopo.

Quia vestri accepti beneficii memores esse debemus, et reverentiam fraternitatis vestræ erga nos et sanctam Romanam Ecclesiam præcipue exuberasse cognovimus, ideo merito ac jure recompensatione charitatis vestræ rependere vobis statuimus, quatenus liqueat omnibus Christi fidelibus, immenso honore honorandum fore, qui vicarium B. Petri apostolorum principis diligenter honoraverit; consensu ac voluntate nostrorum fratrum concedimus et confirmamus te Michaelem confratrem nostrum in ordine archiep. sicuti quondam Amato, cui primitus vestræ sedis archiepiscopatus Salernitanæ a nostris antecessoribus datus fuit, ita vos nostra auctorit. quietus valeas possidere ac vigilantius custodire; tali namque ordine, ut fati sumus, id fieri decrevimus ut tu et successores tui in perpetuum habeatis licentiam et potestatem ordinandi consecrandique episcopos in his subjectis vobis locis hoc est Pestanæ cum parochiis et adjacentiis super episcopatum Consanum cum parochiis et adjacentiis suis, necnon et episcopatum Acheruntinum, simul etiam et episcopatum Bisinianensem, et episcopatum Maluttanensem, atque episcopatum Cusentiæ cum omnibus parochiis et adjacentibus eorum, sicuti in vestro anteriori usu pallii continetur, ut in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ et beati Matthei apostoli et evangelistæ cujus sacratissimum corpus possidetis atque vobis vestrisque successoribus concessum est. Post discessum siquidem tuum successores tui perveniant ad apostolicam sedem, ut usum pallii consecrationemque decretaliter suscipiant; et si successores nostri consecrare noluerint, licentia sit vestræ sanctæ Ecclesiæ ab episcopis vestris suffraganeis consecrari, et non habeant potestatem successores nostri in cunctis vestris episcopatibus, quos vobis subjecerunt deinceps in perpetuum aliquem episcopum consecrare, quod jam vobis concessum est. Quicunque autem hanc nostræ concessionem præceptionis violare præsumpserit, perpetuo anathematis vinculo religetur, et hæc nostra concessio stabilis et firma in perpetuum maneat.

Scriptum per manus Joannis scriniarii S. Rom. Ecclesiæ in mense Junio, ind. x. Dat. xv Kal. Julii per manum Gregorii episcopi et bibliothecarii S. sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus D. Sergii IV papæ in sacratissima sede beati Petri apostolica III, indict. x, mense Junio, die sexta decima.

HENRICUS

PARMENSIS EPISCOPUS[1].

HENRICI

SERMO DE PASCHATE DOMINI.

(Edidit Mai, *Script. vet. Coll. nov.* VII, 271.)

Redemptionis nostræ dies, charissimi, tanto nobis est propensius honorandus et celebri devotione recolendus, quanto salutis nostræ gaudio dicatum illum agnoscimus. Licet enim cæterarum festivitatum dies ad nostrum sint instituti gaudium et profectum, hic tamen, qui resurrectionis est nostræ mysterium, salutis et exsultationis privilegio obtinet principatum : sicut per Psalmistam dicitur : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea.* Hæc est, inquam, dies in qua viventibus gaudium et mortuis præstatur refrigerium : hæc est, inquam, dies quam sibi Dominus specialiter vindicavit, et sanguinis sui pretio et resurrectionis gloria dedicavit; pro nobis enim mortuus resurrexit, nunquam, secundum apostoli Petri sententiam, moriturus, ut cum eo pariter ad virtutem a vitiis resurgamus. *Christus*, inquit, *resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* In hac itaque, fratres, nobis est permaxime congaudendum; in hac, Domino auctore, spiritualiter exsultandum, in qua caput nostrum Christus, morte devicta, resurrexit, et resurrectionis nostræ nobis formam resurgendo demonstravit, Apostolo teste, qui ait : *Si complantati* (ita cod.) *facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Sed ut solemnitatis hujus vobis amodo mysteria revelemus, Testamenti Veteris quodammodo portas subeamus, et unde hæc prius celebritas inoleverit agnoscamus : quo bene cognitam et plus amemus et venerabilius observemus : quidquid etiam hinc spiritualiter patuerit assumendum, utilitatis vestræ per nos erit usibus exponendum.

Cum de servitute Ægyptiaca portentis insignibus plebs Israelitica liberatur, phase Domino anniversaliter celebrare præcipitur, ne tot tantorumque virtutem miraculorum processu temporis posteritas ignoraret, ignotamque nulla honoris reverentia celebraret : ubi etiam agnus, qui illorum pascha fuerat, immolari A jubetur, quo typicus ille populus insuetæ comestionis more vesceretur : sicut ei per Moysen a Domino demonstratur : *Renes*, inquit, *vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, et comedetis festinanter.* Sed quod illi in occidente legis littera, hoc nos vivificantis spiritus custodire debemus in gratia. *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Quid ergo per Ægyptum, nisi *tenebras* accipimus? et quid phase, nisi *transitum* nominamus? Phase igitur, pro quo pascha, sit licet linguæ alterius accipimus, recte celebramus, cum de veteris legis tenebris ad novæ gratiæ lucem venimus, et infernalia claustra cœlesti sede commutamus, apostolo Petro teste qui ait : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et paulo post nos admonet dicens : *Populus acquisitionis, annuntiate virtutes ejus qui vos vocavit in admirabile lumen suum.* B

Quod bene etiam demonstratur cum per Lucam evangelistam dicitur : *Homo quidam descendens in Hiericho incidit in latrones;* qui exspoliatus atque vulneratus, tandem relinquitur semivivus; sed a Samaritano misericorditer susceptus, vitæ et salutis gratiam adeptus est. Homo hic protoplastus, imo humanum genus accipitur. Hiericho *defectio* exprimitur. Hierusalem *pacis visio* nominatur. Latrones maligni spiritus intelliguntur. Tunc revera homo hic ab Hierusalem descendit quando in paradiso Domini sui præcepta contempsit; qui cum Hiericho pergit, merito spiritus malignos offendit; quia cum relictis æternis, solum defectivis intendit, quod sibi pernicies paretur nullatenus intellexit. Merito itaque tunica immortalitatis exuitur : merito multarum miseriarum, quibus hic involvitur, plagis afficitur. merito postremo semivivus in hujus sæculi via proteritur : ut amodo quivis æterna discat appetere, et transeuntia omni studeat cautela declinare. Et quia sacerdos et levita, Veteris Testamenti Patres, eisdem addicti plagis succumbebant, nullum vulnerato C

(1) Vivebat Henricus circa annum 1015; adfuit enim Romanæ synodo ejus anni. Prodit autem hic sermo ex antiquo codice Vaticano.

remedium exhibere valebant. Neque enim aliorum solutioni idoneus est habendus quicunque suis est vinculis irretitus. Sic Dominus dicit : *Si cæco cæcus ducatum præbet, ambo in foveam cadunt.* Quid ergo? Estne in illatis vulneribus et imminentis mortis discrimine relinquendus? Absit! adest enim Samaritanus, *custos* interpretatus, Dominus videlicet Jesus Christus, nullius peccati tenebris, secundum Petrum apostolum, obfuscatus, qui *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* qui ejus calamitatibus adeo propitiatus indoluit, quod de tenebris eum moriens et umbra mortis eripuit, et resurgens vitæ et luci perpetuæ sociavit.

Sed videamus quid sequitur. *Renes vestros accingetis, calciamenta habebitis in pedibus, et comedetis festinanter.* Per renes, charissimi, carnales delectationes accipiuntur, quos qui pascha comedunt, hoc est qui agni immaculati, Domini scilicet Jesu Christi, carne reficiuntur, accingere monentur : quoniam qui Dominicæ resurrectionis gloriam digne cupiunt celebrare, immundos carnis appetitus et voluntates debent noxias refrenare : calciamenta in pellibus habere, ut præcedentium exemplis suam valeant vitam custodire. Calciamenta quippe ex mortuorum fieri pellibus non ambigimus, quæ tunc A in pedibus procul dubio gestamus, cum sanctorum Patrum exemplis vitæ nostræ gressus munimus. Tenentes baculum in manibus ; quia enim cæcæ noctis itinera per baculum exploramus, discretionem per baculum non inconvenienter accipimus. Tunc siquidem in manibus baculum tenemus cum a vitiorum offendiculis baculo nos discretionis observamus. Renes itaque vestros, fratres, accingite, carnis delectationes cohibete; vitæ vestræ viam exemplo sanctorum Patrum et discretionis baculo custodite; a terrenis ad cœlestia festinanter transite, ut Jesum in Galilæa, quæ interpretatur *transmigratio*, possitis inspicere. Resurrectionis enim ejus perfrui societate merebimur, si a corruptela vitiorum ad virtutum opera transmigremus. Quod discipulis per mulierem resurrectio Dominica nuntiatur, procul dubio ostenditur, quia per quem humano generi sexum est mors addicta, per eum beatæ vitæ est resurrectio nuntiata, et quo mors mundo, diabolo suggerente, paratur, per hunc a monumento, angelo monente, vita revelatur; et per cujus manum homo mortis suscepit poculum, per ejusdem vitæ suscepit antidotum. Illi ergo concinamus laudes in terris qui pro redemptione nostra descendit de cœlis Jesus Christus Dominus noster. B

ANNO DOMINI MXVI.

BRUNO

LINGONENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Histoire littéraire de la France, VII, 252.)

Brunon, évêque de Langres, a laissé à la postérité quelques productions de sa plume. Il était d'une grande naissance, et proche parent du roi Lothaire (*Spic.* t. I, p. 429). Ragenald, son père, seigneur de Rouci, portait le titre de comte de Reims; et sa mère était fille de Gerberge et de Gislebert, duc de Lorraine (*Gall. Chr. nov.* t. IV, p. 548). Brunon fut d'abord chanoine de Reims (*Spic. ib.*), où il prit des leçons de Gerbert, qui dirigeait alors les écoles de cette Eglise. En 981, n'ayant encore que vingt-quatre ans, il fut ordonné évêque de Langres par Bouchard, archevêque de Lyon (Hug. Fl. *Chr.* p. 157). Dès lors il mit tous ses soins à remplir les devoirs d'un bon pasteur. Il s'en acquitta si dignement, qu'il ne fut inférieur à aucun autre évêque de ce siége, et qu'il a mérité d'être regardé comme un excellent prélat, *præsul eximius.* Un de ses premiers soins fut de rétablir, dans le spirituel et le temporel, l'abbaye de Saint-Bénigne de Dijon, où il introduisit la réforme de Cluni, et pour abbé le B. Guillaume, qui devint dans la suite le réformateur de plusieurs autres monastères. Les auteurs sont partagés sur l'année de la mort de ce grand évêque (*Gall. Chr. ib.* p. 552). Mais on peut s'en rapporter à la Chronique de Saint-Bénigne (*Spic.* I, 456), qui la place au 31 Janvier 1016, après trente-cinq ans d'épiscopat. Le Nécrologe de la même abbaye (Lab. *Biblioth. nov.* I, p. 657), qui fait en peu de mots l'éloge de Brunon, ajoute qu'il était alors dans la soixantième année de son âge, et la trente-sixième de son ordination, ce qui confirme la supputation du chroniqueur. On n'a qu'imparfaitement le peu d'écrits de Brunon.

1° Dom Martène et dom Durand (*Anec.* t. I, p. 107) nous ont donné le commencement d'une de ses lettres, adressée à Heldric ou Hildric, abbé de Saint-Germain d'Auxerre, et à toute sa communauté. Ce fragment est si court, qu'il n'est pas possible de deviner quel était le sujet de la lettre. Le manuscrit des prêtres de l'Oratoire de Troyes, d'où il a été tiré, n'en contenait pas davantage. La lettre suivante fait regretter qu'on n'ait pas celle-ci en entier. Brunon y emploie cette formule, qui est devenue depuis si fort en usage : *Gratia Dei episcopus.*

2° Les mêmes éditeurs ont publié entre les monuments du x° siècle, sur un manuscrit de l'abbaye de Saint-Allire en Auvergne, une autre longue lettre. Elle est sans nom d'auteur; mais les caractères dont

elle est revêtue font voir que c'est un évêque de Langres qui y parle. En effet, elle est non-seulement écrite aux jeunes clercs qu'on élevait dans l'église de Saint-Mammès, sous l'invocation duquel la cathédrale de Langres est dédiée, mais l'auteur y adresse aussi la parole à ceux qui étaient chargés de les instruire et former à la piété. De tout cela il résulte une juste vraisemblance qu'elle appartient à l'évêque Brunon.

Après quelques avis généraux l'auteur vient au but principal : le soin que cette jeunesse devait avoir de recourir souvent au remède du sacrement de Pénitence. C'est à quoi il les exhorte par toute sorte de motifs, avec une tendresse de père et une onction capable de remuer les cœurs. De sorte que la lettre pourrait porter pour titre, *De confessione clericorum*, comme nous avons déjà un traité, *De singularitate clericorum*. Ce dernier n'était point inconnu à l'auteur de la lettre, qui semble l'avoir pris pour modèle en quelques endroits, et qui l'a effectivement imité en ce qu'il n'emploie que l'autorité de l'Écriture et le raisonnement. On n'a point d'écrit de piété de ces temps-là qui soit au-dessus de celui-ci.

Brunon écrivit quelques autres lettres qui ne sont pas venues jusqu'à nous, comme il paraît nommément par les deux que lui adresse le pape Benoît VIII. Il y a de lui une charte, en date de 1008, par laquelle il confirme les pouvoirs qu'avaient les moines de Saint-Bénigne de prêcher et d'entendre les confessions des fidèles (*Gall. Chr.* IV, App., p. 138).

BRUNONIS LINGONENSIS

EPISTOLA

AD HELDRICUM SEU HILDRICUM ABBATEM S. GERMANI ANTISSIODORENSIS.

Fragmentum.

(Edidit D. Martene, *Thes. Anecd.* I, 107, ex ms. Oratorii Trecensis.)

Venerabili Hel omnique congregationi sibi commissæ Bruno, gratia Dei Lingonensium episcopus, veræ religionis exercitium et æternæ beatitudinis emolumentum.

Loquor inscius philosophis vanitatibus sæculi irretitus, contemplatione cœlestium mundanis illecebris expeditis : vigeat igitur æquitas, nec culpetur vitio levitatis quod incomposite familiaribus nostra pronuntiet scedula. Dat enim ausum loquendi cum conjuncti officii auctoritas, tum amicitiæ apud quam, Boetio teste, quemquam inscium inter suos garrire non dedecet. . . . . .

BRUNONIS LINGONENSIS

EPISTOLA

AD CLERICOS LINGONENSES

De assidua peccatorum confessione.

(Edidit D. Martene, *Thes. Anecd.* I, 79, ex ms. S. Illidii Claromontensis.)

Dilectissimis in Christo filiis bonæque spei adolescentulis qui in ecclesia S. Mammetis gloriosi martyris Christi Domino Jesu Christo deservire videntur, atque ab ecclesiasticis erudiuntur magistris in domo Dei, æternæ prosperitatis in Christo Deo salutem.

Desiderans vos, filii charissimi, in salute animarum proficere vestrarum, ideo aliquas paterno affectu vobis admonitiones dulcis sermonis dirigere studui, ut per eas præsentis vitæ prosperitatem, et futuræ, Deo miserante, beatitudinem habere mereamini æternam, et fragilitatis vestræ æternitatis annos in ejus servitio edocti ad perfectum senectutis diem adducere. Vos sancti Patres et lumina hujus fraternæ congregationis . . . . . in omni bonitate juventutis deprecor ut admoneatis eos, id est discipulos vestros, ut studiose discant quæ Deo placent, et ad salutem animarum pertinent suarum, quatenus ex illorum profectu et prosperitate, vos perpetuam apud Deum habeatis mercedem. Exhortamini illos sobrie, caste, pudice, et cum omni humilitate et obedientia, Deo servire in bonis moribus, de sancta conversatione et religiosa castitate, et maxime de confessione peccatorum suorum, quia multæ sunt contra adolescentulos diabolicæ fraudis insidiæ in desiderio carnali et cæteris adolescentiæ vitiis; sed nihil, Deo donante, proficit in suam diabolus malitiam, si puram volunt juvenes facere confessiorem,

et fructus dignos pœnitentiæ agere, id est ut vulneribus vulnera non adjiciant, et sanata non resaucient. Salutare siquidem pœnitentiæ est remedium pœnitentia (1) iterum non perficere. Scriptum est enim : Pœnitentibus dedit Deus partem justitiæ. Age igitur, pœnitens, propria scelera confitere, prode iniquitatis secretum. Nota sunt Deo quæ in occulto fecisti, quæ si non dixerit lingua, non poterit celare conscientia. Frustra inter parietes tuos timens crimina abscondis : patet Deo omne quod absconditum putas; et si hominis oculos in peccatis effugere vales, nullatenus tamen Dei aspectum latere poterit quidquid in occulto gesseris. Si per confessionem peccata (2) antequam judicis iracundiam sentias, crede mihi, totum veniale erit, si confiteri non erubescis et per pœnitentiam purgare præcaveris, dicente Psalomographo : *Dixi injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5). Exspectat a nobis Dominus confessionis sacrificium, ut præstet nobis delectabile indulgentiæ munus, qui vult omnes homines salvos fieri et neminem perire, hæc dicente et in alio loco Scriptura : *In quacunque die peccator confessus fuerit, vita vivet et non morietur* (*Ezech.* XXI, 28). O singulare clementissimi judicis beneficium! O magni et securi divinæ pietatis thesauri! Propter hoc peccantium vult confessionum munus accipere, ut non inveniat quod ulcisci debeat. Non simus ingrati tanti benevolentiæ Redemptoris nostri, qui magis vult ignoscere quam punire, magis salvare quam perdere. Acquiritur Domino quod non punitur in servo, et multum confertur auctori, si deputatur pœnæ, veniæ condonetur, nec optat ulcisci qui paratus est misereri, ipso de se per prophetam dicente : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Ecce verus vitæ auctor qui non vult peccantis mortem, sed convertentis vitam : unde et in Evangelio ipsa Veritas ait : *Sic erit gaudium in cœlo coram Patre vestro et angelis ejus super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV, 10); et in propheta : *Dic tu prior injustitias tuas ut justificeris* (*Isa.* XLIII, 26). Ecce benignus est largitor veniæ, qui præbet pro luctu temporali æternitatis gaudium, ipso dicente : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5). Et in alio loco : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Ait enim, ut diximus : Dic prius injustitias tuas ut justificeris et non condemneris, ut maneat in te præmium pœnitentiæ, non vindicta peccatorum. Nunquid quasi nescius Deus nos confiteri hortatur peccata, quæ prius quam gesta essent præsciebat, cujus providentia omnia patescunt occulta? Tunc poteris perfectum consequi beneficium medicinæ, si non celes medico tuæ vulnera conscientiæ. Opinor enim nisi interpellatur medicus, non curatur ægrotus. Confessio tua medicina est vulnerum tuorum et salutis tuæ certissimum subsidium. Homo ægrotus quærit medicinam, qui sæpe incerto labore desudat in ægroto. Deus vero sine labore sanat, sine tarditate medicamenta præstat, si devote lacrymis scripta in auribus pietatis suæ legatur pœnitentia. Nemo te, o homo, melius reficit quam qui fecit, nec alius sanat nisi qui flagellat et curat. Solus enim novit operis tui fragilitatem, qui hoc totum exspectat ut fatearis et mora non erit, ut saneris, qui per prophetam Ezechielem ait : Cum conversus fueris et ingemueris, tunc salvaberis. Datur nobis a benignissimo judice locus curandi nosmetipsos in peccatis nostris coram sacerdote Dei, ne iterum accuset nos in eis diabolus coram judice Christo. Vult enim ut ignoscatur ne puniatur in futuro. Igitur pius Pater dum videt per pœnitentiam peccata nostra a nobis damnari, gaudet misereri, et proprium exercere munus misericordiæ in pœnitentes optat, sicut per Isaiam testatur prophetam. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas* (*Isa.* XLIII, 25). Et iterum : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors et pius est, patiens et multæ misericordiæ* (*Exod.* XXXIV, 6). Hoc sciens B. David ait : *Peccatum meum cognitum tibi feci et iniquitates meas non operui* (*Psal.* XXXI, 6). Econtra si peccatum quod fecerit, hoc negat, pœnas reatus accumulat, quia punitur contumacia sceleris negatione. Sed dicis forsan : Me terret meorum magnitudo peccatorum. Quin imo tanto magis insistendum est tibi, peccator, in medicina confessionis ne pareas in putredine vulnerum. Si medico erubescis aperire, multiplicas ulcerum dolores. Nullatenus divinæ abundantiam clementiæ numerositas tuorum superare poterit peccatorum. Ne tardes de die in diem, dicit Scriptura, converti, quia nescis quid superventura pariat dies : quia qualem te ultimus invenerit dies, talis judicaberis, nec te voluit Deus illum præscire diem, ut semper paratus esses; qualem optas ante judicem te stare, te præpara dum habes tempus operandi. Esto negotiator devotus, eme tibi regnum Dei pœnitentiæ lucris, memor Domini dicentis : *Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum Dei* (*Matth.* IV, 17). Pro te legitur, o homo vivens, Deus homo factus est, ut te redimeret. Seipsum tradidit in mortem, ut te salvaret in vitam. Quid tu jaces in morte scelerum? Surge et dic : Pater, peccavi in cœlum, adduc tibi tuæ pœnitentiæ testem fidelem. Munda vis habere vestimenta, quare non multo magis quæris mundam te habere animam? Sordidus non vis procedere in conspectu hominum, cur non multo magis times sordidum peccatis te procedere in conspectu Dei? Lava te lacrymarum fonte, ne quid in te illius oculis majestatis offendat. Quis, rogo, cadens non quærit surgere? Quis infirmatur et non desiderat convalescere? Quis periclitatur et non optat evadere? Pœnitebit te postmodum tarditas, si non cogitaveris quod animæ tuæ proficiat ad salutem. Exsurge, fili,

(1) F, *pœnitenda*

(2) Deest videlicet *aperias* aut quid simile.

exsurge, placare Patrem pœnitentia, quem offendisti scelere. Confitere culpam, ut saneris a medico. Esto in tua sollicitus salute. Si tu ipse tui non habes curam, quis tibi ad salutem prodesse poterit, vel quis tibi fidelis erit si tu ipse tibimet infidelis esse probaberis? Infidelitas est magna te non curare de salute tua, et morientem te in peccatis non resuscitari per pœnitentiam. Quanto longius recessisti pro scelerum magnitudine a Deo, tanto fortius per pœnitentiam appropinquare studeas. Clemens Pater paratus est te accipere, si tu non tardaveris revertere. Aspera tibi videtur conversio, carnis relinquere desideria; sed multo durior conditio æternis te ardere flammis, et pro modici temporis luxuria pœnis tradi perpetuis. Quanti modo infernalibus deputati tormentis converti voluissent, si spatium illis daretur convertendi? Omnia quidem hujus sæculi dura in comparatione infernalium levia et quodammodo jucunda videntur. Servisti diabolo in luxuria, servi Christo in castitate. Utriusque rei finem attende. Illa siquidem, id est luxuria, hominem mittit in flammas; castitas charitati conjuncta non deducet in regnum Dei? Revertere in viam de qua oberrasti. Jejuniis corpus afflicitur, sed pulchritudo animæ reparatur. Vilis sit corporis cultus, sed ipse præcipuus est sanctitatis ornatus. Vigiliarum assiduitas in orationibus et laude Dei angelicæ est imitatio vitæ. Parvus cibus pastus est animæ. Si habes unde, pauperibus porrige, quia manus pauperis gazophylacium est Christi; nec de opere misericordiæ te juste excusare poteris, dum calix aquæ frigidæ mercede remunerabitur perpetua. Visitare infirmos, mœrentes consolari, hospitibus occurrere, fame vel siti laborantes reficere, possessio est regni Dei in cœlis. Sicut in Evangelio legitur. In talium, o fili, operum exsecutione peccatorum remissio habetur, insuper et perpetuæ beatitudinis præstat ingressum. Noli degeneris animi esse; Dei filius in baptismo consecratus es, sed tam excellens nobilitas non nisi magna morum dignitate conservari poterit. Cœlestis Pater, imo omnium Dominus peccatores subditos, dedignabitur habere filios, excute de collo tuo jugum captivitatis diabolicæ; recurrere ad pietatem paternæ dilectionis, revertere ad dominum, fili, revertere, et ex mortuo revivisce, et ex perdito reparare. Quærit ovem bonus Pastor errantem, et amplius de inventa quam ante perdita gratulatur, et humeris suis inter angelicos revehit cœtus. Animadverte clementissimam Dominicæ pietatis sententiam dicentis: Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam. Vocat ergo Dominus ad pœnitentiam peccatores, quia magis optat salvare quam damnare, et plus cum sanctis nos gaudere, quam cum diabolo punire. Vocat nos per seipsum, vocat per Scripturas sanctas, vocat etiam per doctores catholicos, ut revertamur ad eum, quia paratus nos accipere, si non fuerimus pigri ad eum venire. Audivimus beatum Joannem evangelistam ad pœnitentiam nos hortantem dicentem in Epistola sua: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Deus, ut nobis peccata nostra dimittat, et emundet nos ab omni iniquitate* (*I Joan.* I, 8). Si nullus est sine peccato, quis est qui pœnitentia non indigeat, quæ sine confessione vix fructuosa fieri valet? Consideremus sententiam beati Jacobi apostoli dicentis: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V, 16). Recordemur quod Redemptor noster publicanum peccatorem se confitentem Pharisæo se in sua laudanti justitia prætulerit: scit enim conditor noster fragilitatem nostræ naturæ, ideo medicamenta pœnitentiæ vulneribus nostris perdonavit. Dicamus cum propheta: *Sana me, Domine, et sanabor* (*Jerem.* XVII, 14). Item: *Domine, sana animam meam quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Idcirco, charissimi filii, festinate ad confessionis medicamentum aperire vulnera in confessione, ut medicamenta salutis perficere valeatis in vobis. Transeunt hujus vitæ dies, et incerta est unicuique nostrum qua revertatur pulvis in pulverem, et spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum, ut judicetur secundum opera sua. Auditura erit tunc anima quidquid hic copulata carni gessit in occulto, si nunc erubescis confiteri peccata tua per pœnitentiam emendare. Stabit causator malignus contra eam, qui quondam suggessit illi ut peccaret, si nos neglexerimus prævenire faciem judicis in confessionem. Quæcunque enim humiliter confitemur in nostris peccatis, nihil horum diabolus habebit potestatem nobis objicere in illo tremendo judicio nostræ vitæ.

Agite nunc, juvenes adolescentuli et pueri, liberate vosmetipsos de diabolica servitute per pœnitentiam ad clementissimam omnipotentis Dei pietatem. Nolite per desideria carnis vestræ perdere gaudia cœlestia et æterni regni inter angelicos cœtus beatitudinem; sed confortate vosmetipsos, et viriliter pugnate cum adversario vestro, ut feliciter mereamini coronari cum sanctis Dei, et perpetuam cum illis possidere gloriam. Et vos, sanctissimi hujus familiæ magistri et Patres, docete filios vestros pie, sobrie et caste vivere coram Domino in omni humilitate, obedientia et sanctitate, et puram facere sacerdotibus Christi confessionem peccatorum suorum, et pœnitentiæ lacrymis abluere sordes luxuriæ carnis, nec eas iterum repetere, quia posteriora vulnera pejora sunt prioribus; scientes vosmetipsos de salute filiorum vestrorum æternam habere apud Deum remunerationem, quatenus quorum ministeriis utimini in terris, pro eis mercedem habeatis perpetuam in cœlis. Amen.

BRUNONIS LINGONENSIS
CHARTA

Nonnulla Besuensi cœnobio conferentis.

(*Gall. Christ.*, IV, Append., p. 138.)

Considerans ego Lingonensium Bruno episcopus officii mei negligentiam in damnationem animæ meæ cadere, juxta sensus mei modum elaboravi ecclesiis Domini provisores efficere, qui, in eis talentum Verbi divini disseminantes, mecum pariter de eo ipsi Domino Jesu Christo lucrum reportantes æternæ vitæ remuneratione ditarentur. Volui igitur ecclesiæ Besuensi domnum Guillelmum virum religiosissimum abbatem præesse, qui, dum in ea cuncta regulariter ac religiose disponeret, intelligens propria in quibusdam non satis sufficere, quæsivit ab ecclesia Lingonensi ecclesiæ Besuensi aliquid ad luminarii opus conferri. Cognoscens itaque petitioni viri Domini non esse contradicendum, cum consilio totius capituli Lingonensis statui ut de ecclesiis a sex leucis ultra infra a Besua tempore Rogationum, omnes tam viri quam mulieres cum oblationibus ad SS. apostolorum Petri et Pauli limina conveniant. Illud quoque non otiose mecum reputans quia, cum tempore eodem Lingonas venire deberent, alii longitudine viæ, alii imbecillitate corporis, seu aliquibus aliis occasionibus retardati, pabulo Dominici verbi, et peccatorum remissione quam ibi deberent accipere, frustrabantur. Veniant igitur illo tempore statuto, et de peccatis suis veniam postulantes, ab eis quorum linguæ claves cœli factæ sunt, a monachis illic Deo servientibus, de salute animarum suarum admoniti, facta absolutione, et data benedictione, læti revertantur in pace, etc. Et ut hoc per sæcula inconvulsum permaneat, manu nostra subter firmavimus et ut a pluribus firmaretur rogavimus. S. Brunonis episcopi. S. Guillelmi abbatis. S. Lamberti præpositi. S. Geraldi archidiaconi. S. Teudrici archidiaconi. S. Brunonis archidiaconi. S. Teudrici archidiaconi. S. Teudonis archielavi. S. Widonis archidiaconi. S. Amelii. S. Widonis presbyteri. S. Giraldi hypodiaconi. S. Nivardi. S. Gocelini, et aliorum multorum. Ego Airardus cancellarius scripsi, et cum cæteris laudator et roborator exstiti.

Acta sunt hæc anno ab Incarcatione 1008, indictione 6, epacta XI, concurrente IV, regnante Roberto rege, et domino Brunone sedem Lingonicam tenente.

ANNO DOMINI MXXIII.

ARNULFUS
REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Dom Marlot, Metropolis Remensis Historia, tom. II, pag. 39.)

Pro adipiscendo Remensi archiepiscopatu multorum animos ambitio stimulabat; quidam donis sibi ad eum iter parabant, Gerbertus se successorem ab Adalberone delectum, voto totius cleri, omnium episcoporum et aliquorum militum suffragii jactitabat; sed Hugo, nactus occasionem conciliandi sibi amicitiam Arnulfi principis, regio stemmate orti, egit pro ea auctoritate qua pollebat, spe obtinendæ pacis, ut præsulatus infulis adhuc licet juvenis donaretur. Cujus rei Arnulfus statim certior factus per Adalberonem Laudunensem, qui ad castra regis venerat, Hugoni mox reconciliatur. Porro Arnulfus, quondam Ecclesiæ Laudunensis canonicus, non frater Lotharii ut scribit Continuator Aimonii, sed filius ejus naturalis, et nepos Caroli ducis Lotharingiæ fuit. Bruno episcopus Lingonensis de Gilberto comitis Reginaldi filio loquens in Actis Concilii S. Basoli eum fratrem suum unicum vocat, et Guidonem comitem Suessionensem consobrinum. Unde sequitur Lotharium primo sororem duxisse Reginaldi, quæ posthac a rege repudiata Theobaldo de monte Acuto nupsit, et sic dissoluto matrimonio, Arnulfus qui ab eo venerat, filius naturalis regis reputatus est cum Richardo quodam, qui ejusdem fratris titulo gaudet in actis synodal bus. Quidquid sit, consilium Hugonis fuit hac electione sibi devincire principem, qui alias

obstaculum esse poterat primordiis novellæ suæ dominationis.

Antequam onus pontificale susciperet Arnulfus, Hugoni et Roberto regibus sacramentum præstitit clientelæ seu fidelitatis, quod manu propria, ut moris est, ac sigillo corroboravit.

Arnulfus, Remis inauguratus, animum statim ad comparandos sibi amicos undecunque applicuit. Sciens benevolentiam qua semper usus erat Exbertus Trevirensis circa beatæ recordationis prædecessorem Adalberonem, tutiorem se fore judicavit si in hoc dissidentium regnorum tumultu ac novitate suæ ordinationis indissolubilem cum eo conservaret amicitiam. Cæterum Carolus Lauduni velut limax in conclavi latitans, cum nullum fœdus, nullæ induciæ dolorem animi lenire possent, quin avitum regnum qua vi, qua dolo repeteret, totam regionem tanquam infensissimus hostis populabatur. Ac primum Montem-Acutum in Laudunensi pago dolose cœpit, tum Suessionenses agros, ac Remenses pervagatus, cuncta rapinis, cæde, incendio devastabat. Fama est etiam ab Arnulfo archiepiscopo Remos fuisse evocatum, qui misertus sortis patrui sui, cogitavit apud se quomodo civitatem ei traderet. Et quoniam alias usus fuerat opera Adalgeri presbyteri, iterum pepigit cum eo, datis portarum urbis clavibus, ut eas confestim aperiret, cum primum dux armatus adventasset; quod ita factum est. Unde Carolus ex condicto urbem reserata porta ingressus, militibus eam diripiendam tradidit, sanctuarium Dei polluit, clerum et populum cum archiepiscopo captivavit. Quod vero non levis suspicio esset civitatem jussu archiepiscopi Carolo fuisse traditam, ipse ut eam a se amoliretur adversus omnes qui urbem spoliassent severissimam anathematis sententiam intorsit.

Hugo rex certior factus rerum omnium quæ acciderant (increbuerat enim rumor adversus Arnulfum de proditione Remensis civitatis) nihilque cunctandum ratus, statuit eum subjicere synodali judicio, ut pœnas lueret suæ infidelitatis, et cum inconsulta sede apostolica, ad quam judicia episcoporum referenda sunt, id probe sciret fieri non posse, litteras ad Joannem papam per nuntios ipse direxit, datque operam ut aliæ scribantur ab episcopis Remensis provinciæ, quibus petitum est ut idem pontifex in Arnulfum ob insignem proditionem, aliaque objecta crimina, damnationis sententiam proferret.

Missi quoque eodem tempore Romam legati ab Heriberto comite, socero Caroli principis, qui citius forsan appulsi, muneribus præoccuparunt pontificem (si Gerberto credendum in propria causa), cum interim legati regis et episcoporum per triduum ante palatii januas defatigati, nec admissi, infecto negotio Gallias redire coacti sunt. Ubi ergo a Romano pontifice reversi non fuisse auditos retulerunt, intellectum est, quasi ex eo silentio judicandi facultatem in Francorum episcopos devolutam. Unde tam a rege quam ab episcopis indictum Remis concilium, ad quod sæpe vocatus Arnulfus, cum excusaret se quod a Carolo rege Lauduni detineretur in vinculis, factum est inter hæc, ut proditione Azelini Laudunensis episcopi, ab Hugone rege eadem civitas, et qui in ea erat Arnulfus cum Carolo caperetur. Quidam referunt prædictum Azelinum, qui et Adalbero dicitur, venia a Carolo obtenta quod cum Hugone communicasset, suæ sedi ab eo restitutum fuisse ac inter consiliarios ascitum; qui cum custodiam quoque portarum urbis inconsulte tradidisset, clam Hugoni mandasse se condicto die et hora has, sibilo edicto e domo episcopali, aperturum, quod et fecit, in cujus rei memoriam seu perfidiæ aut præstiti obsequii monimentum, duas hinc inde in vestibulo domus statuas adhuc videri quarum una e collo fistula pendet. De Azelino Guibertus de Nogento sic loquitur: *Quid nequius quam quod dominum suum regem innocentem puerum, cui sacramentum fidelitatis ille præstiterat, prodidit, et in exterum genus Magni Caroli cursum genealogiæ transfudit? quod farinus die Cœnæ Dominicæ patravit.* Ob id *vetulus traditor* vocatur ab Eginaldo, a Nangio, et a Joanne de Nesle; quamvis non desint qui de hac historia dubitent, ut Papirius Masso. Quidquid sit, Carolus captus ab Hugone ductus est in custodiam Aurelianis civitate, ait Hugo Floriacensis, tuncque penitus ex stemmatis ejus ramo excisum est regnum Francorum. At Arnulfum rex deduci jubet judicandum ad collectam Remis synodum, in qua deponitur.

Porro quid de Arnulfi proditione censendum sit, si actorum supradictæ synodi (quæ tanti ponderis non sunt quin suspicio subrepti possit corrupta fuisse ab hæreticis) nulla ratio habeatur, vix quisquam certo definire potest, cum Eginaldus, suppresso infidelitatis crimine, virum pium ac modestum fuisse asserat eumque ob solam invidiam ac natalium defectum urgente Capeto degradatum, cui astipulantur quidam auctores fere coætanei, et inter alios Hugo Floriacensis, et Guido de Basochiis apud Albericum. At Baldericus econtra tradit in Chronico Cameracensi lib. I, cap. 110, Arnulfum pro multis sceleribus, et maxime pro infidelitate sui senioris, ab episcopali gradu depositum, sed quia absque licentia et auctoritate Romanæ sedis pontificis fuit degradatus, rursum ei ad eamdem sedem redditum patuisse, quod Silvester II in privilegio eidem Arnulfo concesso satis expressit, et auctor Vitæ Abbonis Floriacensis aperte fatetur.

Finita synodo tractarunt episcopi de subrogando præsule in locum Arnulfi; nec dubium quin Gerbertus, qui præsens aderat, regum amicitia fretus, omnes ingenii vires pro adipiscenda hac dignitate vehementer intenderit; opportunum tempus sibi adesse videbatur, sed opportunior Hugonis ei Roberti præsentia, quæ sic pellexit electorum animos ad id quod diu optabant, ut sine alio delectu, Gerbertum concordantibus omnium votis nominarint ad archiepiscopatum Remensem.

His auditis, inquit Continuator Aimonii, præsul Romanus, valde indignatus super hoc facto, interdixit sacris omnibus episcopis qui Arnulfum dejecerant et Gerbertum ordinaverant. Misit quoque Leonem abbatem a sede apostolica ad dominum Seguinum, archiepiscopum urbis Senonicæ, qui vice sua in urbe Remensi synodum congregaret, mandans illi ut sine dilatione revocaret de carcere Arnulfum, et degradaret Gerbertum. Collecto igitur concilio iterum in urbe Remensi ex jussione apostolica revocatus est Arnulfus de custodia, et cum honore magno receptus in propria sede. Gerbertus autem, relicto Francorum regno, se totum Ottoni Germaniæ regi addixit, comitatusque est eum in Italiam, ubi cum aliquantisper Ravennæ constitisset, mox ejusdem civitatis archiepiscopus e vita migravit, in cujus locum, petente clero et populo, ac regis consensu, Gerbertus subrogatus est. Sic et hic statim post Gregorii quinti obitum, cogente eodem imperatore, apud quem gratia plurimum valebat, summum adeptus est pontificatum, mutatoque nomine, Silvester secundus dictus est.

Sic igitur Arnulfus, rege consentiente, custodia tandem exemptus, pontificatui restituitur, palliumque a Gregorio V, Joannis successore, per Abbonem Floriacensem directum recepit. Statim a sua inauguratione majus altare ecclesiæ Mosomensis, vocatus a Basone abbate consecrat. Hoc anno ibidem existens, monasterio dedit piscationem Cari fluminis secus Duziacum decurrentis usque ad Mosam, altare etiam ejusdem loci de Duziaco, et de Colredo, vulgo *Corey*, in territorio Remensi cum duabus tunicis dictionalibus. Anno item 1018 fundationi ecclesiæ collegiatæ Sancti Laurentii de Rozero ab Hilgando ejusdem loci dynasta subscripsit. Tum moribus ipse et annis maturus sæculi ærumnas consummavit III Nonas Martii, vel pridie Nonas; quo vero anno, sunt discrepantes sententiæ. Quidam, ut Colvenerius et

Demochares, putant an. 1009 obiisse, quos a vero penitus aberrare patet. Sammarthani citant privilegium monasterio Latiniaco concessum an. 1019, cui Arnulfus archiepiscopus tanquam regni cancellarius subscripsit, quem ego auguror esse Remensem. Auctor Chronici Mosomensis refert Arnulfi obitum an. 1021, Albericus 1023, cui subscribendum puto, alioqui plures annos vacasset sedes Remensis, quod verisimile non est, cum Guidonem episcopum Silvanectensem, electum an. 1024, horretur et moneat Fulbertus Carnotensis ut intersit, tanquam suffraganeus provinciæ Remensis, consecrationi Ebali, A Arnulfi successoris. Arnulfus igitur vita functus in ecclesia Beati Remigii, quam bonis cumulaverat, tumulatus est, cui asceta quidam sequens cecinit epitaphium quod lapidi affixum adhuc cernitur e regione summi altaris ac latus Evangelii.

Hic jacet Arnulfus regali stemmate fusus,
Remorum præsul, nulli pietate secundus.
Spes inopum, pes debilium, pastor monachorum,
Assertor veri, rigidi servator honesti,
Quem fera mors rapuit, quæ nulli parcere novit.
Flete Patrem, monachi, lacrymarum fonte perenni.

ACTA ELECTIONIS ARNULFI.

(Anno 989.)

(*Les Actes de la province ecclésiastique de Reims*, I, 629.)

Sanctæ ac universali Ecclesiæ catholicæ salutem B dicunt filii Remorum metropolis.

Divæ memoriæ Patre nostro Adalberone sensus corporeos relinquente, clarum lumen pastoris amisimus, præda hostium facti sumus. Itaque dum molimur tanti viri resarcire ruinas, elapsa sunt canonica tempora, violatæ sunt leges, quibus cavetur nullam sedem amplius triginta dierum spatio vacare licere. Nuncque tandem pulsantibus divina lux se aperuit, et quo sequeremur ostendit, depulso Antichristo, Simoniaca hæresi damnata. Nos, inquam, qui dicimur episcopi diœceseos Remorum metropolis, cum omni clero diversi ordinis, populo acclamante, orthodoxis regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in præsulem virum pietate præstantem, fide C insignem, constantia mirabilem, in consiliis providum, rebus gerendis aptum, in quo hæ virtutes quæ sic clare relucent, indicio sunt cæteras abesse non posse, Arnulfum dicimus, Lotharii regis filium, quem etsi altus sanguis vitio temporis sub anathemate positi (1), aliquo infecit contagio, sed tamen hunc mater Ecclesia purificans, mysticis abluit sacramentis. Hunc, inquam, dicimus Laudunensis Ecclesiæ filium, et, ut verius fateamur, Remensis, ea quippe civitas Remense territorium, Remensis parochia est, nec sic a beato Remigio divisa, ut fieret aliena : nimirum ille vir Deo plenus, unitatem appetens, non scissionem affectans, sic scidit ut cohæreret velut pars in toto; et quis, et quantus futurus esset, intelligens, natale solum beavit sacerdotii dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulfum, hinc ortum, hic educatum, Simoniacæ hæresis expertem, a factione tyrannica remotum, sua cuique jura debita reddentem, sanctuarium Dei non dissipantem. Sint procul ab electione nostra dolus et fallacia; nec putent eam ad se pertinere filii Belial; filii pacis et concordiæ stabilem et solidam in perpetuum faciant, confirmando, corroborando, subscribendo.

JURAMENTUM ARNULFI.

Ego Arnulfus, gratia Dei præveniente, Remorum archiepiscopus, promitto regibus Francorum Hugoni et Roberto me fidem purissimam servaturum, consilium et auxilium secundum meum scire et posse in omnibus negotiis præbiturum; inimicos eorum nec consilio, nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adjuturum. Hæc in conspectu divinæ majestatis et beatorum spirituum, et totius Ecclesiæ assistens promitto, pro bene servatis laturus præmia D æternæ benedictionis : si vero (quod nolo, et quod absit) ab his deviavero, omnis benedictio mea convertatur in maledictionem, et fiant dies mei pauci, et episcopatum meum accipiat alter; recedant a me amici mei, sintque perpetuo inimici. Huic ego chirographo, a me edito in testimonium benedictionis, vel maledictionis meæ subscribo, fratresque et filios meos, ut subscribant, rogo.

Ego Arnulfus archiepiscopus subscripsi.

Actum Remis in palatio, anno Verbi incarnati 989, indictione II anno III ordinationis domni Arnulfi archiepiscopi.

(1) Vide concilium Remense anni 987.

ARNULFI COMMONITORIUM

CONTRA PRÆDONES (2).

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, I, 631.)

Arnulfus, gratia Dei archiepiscopus.

Quid tibi vis, prædonum Remensium scelerata manus? Nihilne te movent pupilli et viduæ lacrymæ, nec advocatus eorum? Velis nolis, Dominus tuus ipse testis, et judex, et gravis ultor, cujus judicium non effugies. Vide quid ante oculos ipsius egeris. Sanctam pudicitiam virginum non erubuisti; matronas etiam barbaris verendas nudas reliquisti; orphanum et pupillum non respexisti. Parvum tibi hoc : accessisti ad templum Matris Dei cunctis mortalibus reverendum; ejus atrium perfregisti, pol- A luisti, violasti; quod oculi tui viderunt, concupivisti; quod manus attrectare potuerunt, rapuisti. Et nos quidem contra divinum et humanum jus misericordia abutentes, quod cibi et potus abstulisti, non indulgemus, sed propter impia tempora non exigimus. Exigimus autem reliqua omnia quæ pollutis manibus pervasisti, ac retines. Redde ergo, aut sententiam damnationis in pervasores rerum ecclesiasticarum a sacris canonibus promulgatam, eam in te latam, multotiesque ferendam, excipe.

ANATHEMA IN PRÆDONES.

Auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, interveniente et adjuvante beata Maria semper Virgine, auctoritate quoque ac potestate apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, damnamus et a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ separamus vos, Remensium prædonum auctores, factores, cooperatores, fautores, et a propriis dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores; obtenebrescant oculi vestri qui concupierunt; arescant manus quæ rapuerunt, debilitentur omnia membra quæ adjuverunt; semper laboretis nec requiem inveniatis, fructuque laboris vestri privemini; B formidetis et paveatis a facie persequentis, et non persequentis hostis, ut tabescendo deficiatis; sit portio vestra cum Juda traditore Domini in terra mortis et tenebrarum, donec corda vestra ad satisfactionem plenam convertantur. Ilic autem sit modus plenæ satisfactionis : ut omnia injuste ablata præter cibum et potum propriis dominis ex integro restituatis, coramque Remensi ecclesia pœnitendo humiliemini, qui sanctam Remensem ecclesiam reveriti non estis : ne cessent a vobis hæ maledictiones scelerum vestrorum persecutrices, quandiu permanebitis in peccato pervasionis. Amen, fiat, fiat

(2) Quod non levis suspicio esset civitatem Remensem jussu Arnulfi Carolo fuisse traditam, ipse, ut eam a se amoliretur, adversus omnes qui urbem C spoliassent severissimam anathematis sententiam intorsit. Vide Notitiam historicam, supra.

LIBELLUS ABDICATIONIS ARNULFI.

(Labbe, *Concil.* IX, 1738.)

Ego Arnulfus, quondam Remorum archiepiscopus, recognoscens fragilitatem meam et pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Siguinum archiepiscopum, Dalbertum archiepisc., Arnulfum episcopum, Gotesmannum episcopum, Herveum episcopum, Ratbodum episcopum, Gualterium episcopum, Brunonem episcopum, Milonem episcopum, Adalberonem episcopum, Odonem episcopum, Guidonem episcopum, Heribertum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum, et puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, et salutem animæ meæ, ut recederem ab officio et D ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, et alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse me secreto ipsis confessus sum, et de quibus publice arguebar : eo scilicet modo, ut illi sint testes alii succedendi et consecrandi in loco meo, qui digne præsse et prodesse possit Ecclesiæ cui hactenus indignus præfui; et ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria subscribens firmavi. Quo perlecto, ita subscripsit. Ego Arnulfus quondam archiepiscopus subscripsi.

ARNULFI EPISTOLÆ.

(*Vide inter epistolas Gerberti, num.* 163, 164, *hujusce voluminis col.* 244-45.)

ARNULFI ARCHIEPISCOPI REMENSIS PRIVILEGIA.

(*Les Actes de la province ecclésiastique de Reims*, t. I, p. 630, et t. II, 1.)

I.

Privilegium pro abbatia S. Remigii.

(Anno 989.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Arnulfus, Dei gratia Remorum archipræsul, notum volo fieri omnibus, quoniam ego non immemor liberalitatis et munificentiæ parentum meorum, quam erga patrem et patronum nostrum sanctum Remigium fideliter habuerunt, Lotharii scilicet genitoris mei, necnon et avi Ludovici inclytorum regum, atque aviæ meæ gloriosæ reginæ Gerbergæ, volo res et potestatem prædicti sancti augere pro mea et parentorum meorum salute; quatenus ipse intercedat pro nobis ad Dominum, et mereamur gaudere in regno viventium. Itaque suburbium, quod Burgum vocant, quod etiam ejus castello subest, nec non et omnia ejus adjacentia hoc est molendinos et hortos, camposque et domos, in jus potestatis ejus concedo: ita ut ab hodierna die et deinceps in potestatem alienam non transeant. In his ergo nullus potestatis vim exerceat; sed, eorum omnimodis immunitate servata, sancti Remigii, ejusque monachorum potestati omnia sub jaceant, hoc est, tabernæ, furni, mercatum, bannum, macellum, et postremo quæcunque ad Burgum pertinere videbuntur, necnon et omnes justitiæ ad me pertinentes, prædictæ potestati subdantur. Quod si quis dissipaverit hoc nostræ roborationis censura constitutum, omnipotentis Dei auctoritate et nostra perpetuæ damnationis incurrat maledictum. Et ut fixum et roboratum hoc permaneat, ego ipse propria manu firmavi, et authenticarum personarum annotatione, et sigilli nostri impressione roboravi.

Signum Arnulfi Remorum archiepiscopi, qui hoc donationis scriptum fieri jussit. Signum Arnulfi Aurelianensis episcopi vice domini domini Lotharii regis, qui hoc donum laudavit et confirmavit. Signum Guidonis Suessionensis episcopi. Signum Adalberonis Laudunensis episcopi. Signum Herivei Belvacensis episcopi. Signum Gotesmanni Ambianensis episcopi. Signum Ratbodi Noviomensis episcopi. Signum Odonis Sylvanectensis episcopi. Signum Adalgeri decani. Signum Rotfridi archidiaconi. Signum Brocardi comitis.

II.

Privilegium pro cœnobio Mosomensi.

(Anno 1015.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris fidelibus quod ego Arnulfus, gratia Dei Remorum archipræsul, venerandi abbatis Bosonis cæterorumque meorum fidelium imploratione rogatus, contuli Sanctæ Mariæ Mosomensis Ecclesiæ quartas omnium ecclesiarum, quæ ad præfatum pertinebant locum, haud contra sancti Remigii statuta, qui indigentibus jussit dari illas, sed ad relevandam ipsius loci paupertatem, et ob peregrinorum pauperumque susceptionem. Indulsi etiam in adjutorium victus monachorum omnem decimam porcorum, quos prædicti loci abbas et fratres mitterent in Ardennam silvam gratia saginandi, et decimam illorum porcorum quos homines suæ potestatis, videlicet villæ Bervelliacensis (*Brevilly*) in prænominatam sylvam haberent. Simulque donavi piscationem Cari fluminis (*la rivière du Chier*) secus Dusiacum (*Douzy*) decurrentis, a loco ubi bannum tenent de Bervilliaco, usque ad decursum ipsius fluminis in Mosam. Hæc omnia præscripta quæ a me vel ea quæ ab antecessore meo Adalberone, seu a quibuslibet fidelibus personis collata aut conferenda sunt, perpetualiter secureque et absque ulla repetitione meorum successorum vel præpositorum aut officialium pertinentium ad Remensem episcopum seu cujuslibet personæ locus jam dictus possideat, pro animæ meæ antecessorumque meorum seu cæterorum fidelium remedio, Romanisque privilegiis et apostolicis decretis sub anathematis vinculo corroboravimus: et nunc in præsenti synodo fratres coepiscopos cæterosque fideles confirmare fecimus. Quod si quis contra hujus donationis scriptum cupiditatis felle præventus ire tentaverit, aut infringere voluerit, iram omnipotentis Dei incurrat, sed cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno gehennæ incendio concremetur, nisi resipuerit, et coram abbate fratribusque loci ejusdem ad satisfactionem confugerit. Fiat, fiat.

† Signum Arnulfi Dei gratia Remensis Ecclesiæ archipræsulis.

† Signum Adalberonis sanctæ Laudunensis Ecclesiæ episcopi.

† Signum Fulconis Ambianensis episcopi.

† Signum Rotgeri Catalaunensis episcopi.

† Signum Rodulfi Silvanectensis episcopi.

† Signum Gerardi Cameracensis episcopi.

† Signum Rotgeri Belvacensis episcopi.

† Signum Harduini Noviomagensis episcopi.

† Signum Balduini Tarvanensis episcopi.

† Signum Rayneri præpositi. S. Alulfi vicedomini.

Acta Remis monasterio sanctæ Mariæ, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1014, indictione XII, IV Idus Maii, regnante gloriosissimo rege Francorum Rotberto.

Ego Dario vice cancellarii subscripsi.

III.

Pro eodem cœnobio.

(Anno 1018.)

ARNULFUS, gratia Dei Remorum archiepiscopus.

Credibiliter verum est quod dicit sancta Scriptura, quia fiducia est magna coram summo Deo eleemosyna facientibus eam. Ideo pro certo credimus quoniam maximam habebit remunerationem illa misericordia, quæ sanctorum locis et ecclesiis Dei Christique pauperibus fideliter fuerit impensa. Propterea notum esse volo tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus et nostris, nostrorumque successoribus, quod ego in Dei nomine Arnulfus, Remorum gratia Dei archiepiscopus, per consilium Rotberti regis Francorum, et multorum fidelium nostrorum, ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ Mosomi, secundum etiam quod a prædecessore meo Adalberone devotissime factum fuerat, per deprecationem Bosonis abbatis ejusdem loci, quædam bona quæ juris nostri erant misericorditer indulsi, ut monachos inibi Deo servientes nostra sublevarent beneficia, quatenus animæ nostræ et successorum meorum remedio, sanctæ Mariæ et servorum ejus subveniret oratio. De cujus rebus illi monasterio tunc pertinere debentibus, cum antea multo tempore Romam petissem, et prædictum abbatem mecum haberem, deprecatus sum humiliter, et obtinui a sede apostolica, ut ille locus Mosomi Romanæ auctoritatis meretur habere privilegia; quibus acceptis, et aliquot decurrentibus annis, nostri ministeriales de Mosomo, et judices de castello cœperunt illum locum sæpe molestare, et tanquam ex nostra rectitudine per bannum et districtum nostrum suborta occasione plurimas injurias facere; quia hominibus Sanctæ Mariæ in Mosomo et Flabeio (*Flaba*) manentibus necesse erat gemina placita custodire, et vigilias ad castrum facere, et in dandis lectis, vel aliis negotiis, servitia præbere. Hac de causa, cum essem in regis præsentia Lauduni in Pascha, adiit humilitatem et præsentiam nostram prædictus abbas Boso, insinuans suam necessitudinem, et pauperum suorum oppressionem, obsecransque humiliter ut pro animæ meæ, meorumque successorum remedio, facerem de ista causa et oppressione aliquam misericordiam et relevationem Sanctæ Mariæ monasterio. Quod cum regi ostenderem, et cum ejus consilio et benevolentia, multorum etiam bonorum hominum deprecatione conventus essem, auctoritate qua debui, et devotione qua potui, donavi ecclesiæ prædictæ bannum et districtum supra scriptarum rerum, faciens traditionem per manus Godefridi ducis, ejusdem ecclesiæ advocati, præsente etiam Haceca jam vidua, et filio ejus Dodone, qui werpierunt (3) ibidem tertiam, quæ de suo beneficio erant, ad opus sanctæ Mariæ perpetuo habendum et quiete possidendum; ut homines sanctæ Mariæ in Mosomo, vel Flabeio manentes, vel deinceps undecunque ibi manere venientes, nullas constumias (4) alicui hominum vel potestati faciant, nisi abbati et monachis Sanctæ Mariæ, nec placita observent, nec vigilias custodiant, nec lectos præbeant, nisi ad servitium ecclesiæ. Qua traditione solemniter facta, et banno sub præsentia regis Rotberti legaliter imposito, ne aliquis homo hoc infringere præsumeret aliquando, etiam ad futurorum memoriam et ecclesiæ libertatem conservandam, auctoritatis nostræ scriptum imposui, et signare feci, admonens ex parte Dei successores nostros ut, sicut sua statuta ecclesiastice facta volunt inviolata manere, sic hujus nostræ donationem et statutum eleemosynæ nullo ingenio patiantur rescindi vel violari aliqua ratione. Omnibus vero quos nostræ auctoritati vinculum Christi subjugare debet, comitibus, judicibus, præpositis, diversis etiam potestatibus, sub anathemate Christi et totius Ecclesiæ interdictum facientes, ammonemus ut nullo ingenio, nulla ratione, nulla cupiditate subripiente, hoc decretum præsumant infringere vel removere. Quod si facere præsumpserint, cum Juda traditore Domini subjaceant æternæ maledictioni. Fiat, fiat.

† Signum Arnulfi Dei gratia Remensis Ecclesiæ archipræsulis.

† Signum Adalberonis sanctæ Laudunensis Ecclesiæ episcopi.

† Signum Fulconis Ambianensis episcopi.

† Signum Gerardi Cameracensis episcopi.

† Signum Rotgeri Catalaunensis episcopi.

Signum Godefridi ducis, ejusdem Ecclesiæ advocati.

Signum Dudonis, signum Odonis comitis, signum Hilgaudi, signum Alulfi, archidiaconi et vicedomini.

Actum Lauduni in monasterio sanctæ Mariæ, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1018, indictione I, regnante Rotberto rege Francorum.

Ego in Dei nomine Bardo cancellarius scripsi.

(3) *Werpire* vel *guerpire*, abandonner.

(4) *Constumias*, service établi par la coutume.

ANNO DOMINI MXXIV.

CONSTANTINUS

S. SYMPHORIANI ABBAS.

VITA ADALBERONIS II

METENSIS EPISCOPI

AUCTORE CONSTANTINO ABBATE.

(Edidit PERTZ, *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. IV, pag. 658.)

MONITUM.

Adalberone II, qui annis 984-1005 Metis sederat, defuncto, Theodericus dux filium Adalberonem III fratri successorem instituit, parvulumque adhuc curæ Theoderici, fratris Kunegundæ reginæ, commisit. Qui potestate sua abusus cathedram episcopalem ipse invasit, et potestate fratris sui, Heinrici ducis, fisus, cum an. 1008 Trevirensis quoque cathedra Liudulfo mortuo vacasset, ejus occupandæ causa contra Megingozum archiepiscopum a rege institutum et Theodericum ducem bellum iniit, quod vario rerum eventu usque ad an. 1012 processit, et nonnisi an. 1017 vera pace compositum esse videtur. Medias igitur inter turbas, quibus tota Lotharingia devastabatur, Constantinus (1), monasterii S. Symphoriani extra muros Metenses abbas, Vitam Adalberonis II scribendam suscepit. Impellebat eum recordatio melioris ævi et gratus in defunctum animus, quem monasterii sui restauratorem venerabatur, cui ipse quondam comes assiduus tam ad mensam (2) quam in morbis pauperum curandis (3) adhæserat, cujus beneficio anno 1004 monasterio S. Symphoriani abbas præfectus erat (4), cui ægrotanti et morienti Numeniaci (5) et Metis astiterat, cujus defuncti cilicium et stamineam pro magnis thesauris acquisita religiosissime servabat (6), quem denique in ecclesia S. Symphoriani sepultum (7) precibus assiduis Deo commendandum susceperat. Opus magna devotione sed stylo nonnunquam diffusiori exactum, plura continet memoria dignissima, et rerum potius quam temporis ordinem sequitur. Scripsit auctor aliquot post Adalberonis et Liudulfi Trevirensis (8) obitum annis peractis (9), superstite Immone abbate Gorziensi (10), necdum firma pace regionis composita (11), Heinrico II rege, non imperatore (12); igitur anno circiter 1012, et exemplo suo paulo post Alpertum, monasterii S. Symphoriani tunc monachum, ad scribenda gesta pontificum Metensium Constantino nostro dicata, accendit (13). Quo anno bonus abbas obierit, non plane constat (14).

Tres libri codices supersunt :

1) C. bibl. regiæ Parisiensis n. 5673, mbr., in-4° minori, sæc. XI, Constantini manu scriptus aut dictante eo exceptus, paucisque in locis correctus, quem Parisiis anno 1839 evolvi, et editione nostra exprimendum curavi. Continet nihil præter Vitam et epistolam Hildewardi Halberstatensis episcopi ad Adalberonem scriptam.

2) C. bibl. ejusdem n. 5294, mbr., sæc. XI, in-fol., liber olim Sancti Symphoriani Metensis cœnobii, Constantini nostri jussu Bettonis harundine exaratus; Vita hic ex priore codice transcripta et manu alia passim correcta, æque ac illa Constantini auctoritatem prælerre videtur. Cui plurimum consentit :

3) C. bibl. ducalis Guelferbytanæ inter Augusteos 76, 14 signatus, mbr., sæc. XI, in-fol., quem æque ac regium n. 5294 Waitzius noster cum editis contulit.

Quibus subsidiis ita usus sum, ut codicem primum ad litteram expressum nonnisi rarissime reliquorum ope corrigerem. Hildewardi litteræ in collectione nostra Epistolarum edendæ reponuntur.

In fine Epitaphium Adalberonis a Kuonrado, S Naboris ut videtur monacho, compositum, quod Baluzius olim in Miscell. IV, 554, ex codice Colbertino n. 1682, auctoris nomine celato, ediderat, ex eodem codice in bibl. regia Parisiensi n. 8088 signato, sæc. XI, in-fol., una cum ineditis Kuonradi carminibus, quibus epitaphium Ratramno abbati offert et sacram ipsius vitam exponit, proferimus.

NOTÆ.

(1) C. 26 prædecessores suos Fingenium et Siriandum nominat.
(2) C. 8.
(3) C. 14. — Præterea se tacente alios de elemosynis loqui jubet.
(4) C. 26.
(5) C. 31.
(6) C. 22.
(7) C. 36.
(8) Qui a. 1008. obiit.
(9) C. 27 *arida jam utriusque membra* dicit.
(10) Quo anno obierit, non constat.
(11) C. 27.
(12) C. 15.
(13) V. ea infra typis edita (*Patrologiæ* t. CXL).
(14) V. Gall. Christ. XIII, p. 846, ubi usque ad a. 1046 vixisse dicitur. Rivet Hist. litter. VII, p. 248, nescio quo testimonio nisus, eum 10 Sept. 1024 obiisse dicit.

INCIPIT VITA.

1. Adalbero [1] sanctæ Mettis venerabilis præsul, magni Adalberonis fratruelis (15), licet tempore inferior, licet post natus, merito et gratiæ privilegio, vere fatemur, non impar, gloria luxque decusque cum suorum — nostrum dicimus — tum totius patriæ, ad hoc omnium quaqua orbis degentium, genus ab attavis [2] et supra nobillimum [3], seque suoque præmio omnino perornans, omnino perlustrans, dum vixit splendor gaudiumque et, ad conservandas res publicas, spes salutis et vitæ, nonodecimo Kalendas Januarii dum decessit, luctus quī dici non possunt reliquit his, quibus abscessus ejus tenebræ æternæ caligoque perpetua abhinc, proh dolor! perseverat. Hic nomine et vitæ gratia magnus ad mundi provectum et æcclesiæ stabilimentum procreatus, patre Friderico, qui Galliæ medianæ dux, generositatis excellentia et sapientiæ præminentia multos prædecessorum in id officii superavit, matre Beatrice, quæ Magni Hugonis filia fuit, progenitus est, et tantam tamque inclitam lineam [4] generis non modo non infamavit, verum ultra quam est dicere, ultra quam est digne meditari, decoram reddidit et insignem, dum Adalberonis vita purissima et gloriosa, prout fert instantia temporis, populis enarratur, gentibus ad Dei et Christi ejus domini nostri gloriam pronuntiatur.

2. Quid autem egerit, ad quid natus sit, qualis vixerit, paucis dicere cupientes, intimamus audire volenti, amatorem eum ex cordis integritate ac animi maxima alacritate sui ex cunis fuisse conditoris, proximum ex divino præcepto omnino dilexisse, infirmantium corpore sive corde usibus, ut sibi ipsi, semper condescendisse, mortuorum sepulturis assidue, dum necesse erat, astitisse, et ut succincte multa dicam, eam sibi legem beatus statuerat, ut, quocunque veniret, lux quedam venisse et spes salutis videretur, semperque ad divina mandata conservanda et fratribus utilia prævidenda se animumque suum intentissime piissimus præparabat. Scolaribus disciplinis apud Gurgitenses (16) castissime detritus et institutus, dum post mortem secundi Ottonis divi imperatoris (*an.* 983), et casu patris et orbitate immatura filii, post creati cæsaris totus occidens dissensione minorum, majorum autem cupididate ad regnandum, omnino langueret, defuncto memorandæ vitæ viro Deoderico pontifice (*an.* 984), A ad reformandam in populis pacem totius pacis amator Adalbero genere et mente nobilissimus [5], procurante et procurrente matre Beatrice, favente domina Adelheide augusta, prolis adhuc tenerrimæ avia, quod autem primum bonarum rerum postremumque est, Deo omnino annuente, votis populorum et seculorum famosissime Metti præsul elevatur et constituitur die 17 Kal. Novemb. anno Dominicæ incarnationis 984 [6] indictione 12 [7].

3. Mira vero Dei et Domini nostri gratia, et potentiæ antiqua virtute, quod est dictu mirabile, principum illa discordia quam putabant non sine magnis periculis nec sanguinis [8] multa effusione unquam evadendam, sic sedata, sic ad nichil redacta est, ut res jam in armis constituta, ad unitatem B electi principis et ad diuturnitatem veræ pacis, quæ quamdiu vixit princeps idem duravit, perfectissima rediit, dum votis fidelium Adalbero in hunc dignitatis pontificalis gradum felix ascendit. Acta sunt hæc felicibus auspiciis Wormaciæ (*circa oct.* 20), quondam Vangio dictæ, quo exercitus Galliarum Germanieque pars ad favendum puero principi, pars ut resisteret, concesserat (17). Sed Adelberone baculi pastoralis donato honore, regi, quem Deus elegerat ut erat videre, qui paulo ante restiterant magis, hujus beati meritis post plus pronos ad serviendum sese inpingere festinabant, et fideles fore abhinc in posterum devovebant. Quid amplius? Pacatis rebus regiis, tranquillatis cunctis regis novi C negotiis, Beatrix, quæ hujus pacis propagatrix Deo annuente extiterat, et cujus industria tam subita militum et principum in regem confederatio facta fuerat, cum sua felicissima prole felix et ipsa, et cum nobili illo Mettensium exercitu, ad urbem filio datam ire properat, gestibus cordis et corporis quibus poterat, quibus noverat, Deum et Dei antiquam clementiam et summam bonitatem ac notam gentibus virtutem magnificans atque collaudans. Fit concursus virorum ac mulierum, fit inaudita populorum irruptio, fit admirabilis monachorum ac [9] virginum et sanctorum omnium votivus ac dulcis applausus, dum veniunt, dum diu præstolata gaudia affore cernuntur et suscipiuntur. Quanta piis gratulatio, quanta cordium præconia, dum a populis laudes Deo resonantur [10], dum clerus non tantum urbis unius modos dulcissimos et hos altissimos inter cantandum

VARIÆ LECTIONES.

[1] Incipit vita beati Adelberonis episcopi. Igitur Adelbero 2. 3. [2] *ita* 1. 2. 3. [3] *ita* 1. nobilumum *corr.* nobilissimum 2 [4] linea 3. [5] nobillimus 2. 3. [6] DCCCC 1. 2. *addito in* 2. *atramento fusco:* LXXXIIII. [7] *locus erasus in* 1. *numerus atramento fusco additus in* 2. [8] nec sine s. 2. 3. [9] et virginum ac 2. 3. [10] resonant 2. 3.

NOTÆ.

(15) Fratris Friderici filius.

(16) I. e. Gorzienses.

(17) Rex ibi 20 Oct. erat; Böhmer Reg. N. 625.

facit, dum sacrarum [11] mulierum turba voces Deo dignas efferunt in excelsis.

4. Interim benedictio sacerdotalis usque in Christi Domini natalem differtur ; et quia dominicus dies ad hoc sacramentum peragendum a Patribus est institutus, 5 Kal. Januarii, quo natalis Innocentium celebris veneratur, dominicalis resurrectione Domini sacratus ac sanctus dies affuit; et ecce antistites vicinarum civitatum Trevirim, quæ est metropolis antiqua, confluentes, cui domnus Ecbertus venerabilis archiepiscopus præerat, paribus votis pariqne assensu dominum Adelberonem in sedem Mettensis urbis præsulem consecrant atque benedicunt. Hinc jam pastoralibus curis et ovium dominicarum registris susceptis, totum se ut forma commissi gregis fieret accinxit, totum in Dei opere corpus et animam præparare deliberans, exemplum subditorum et specimen ad virtutes fore studio summo curavit.

5. Affabilis etiam ætate aut paupertate inferioribus, ultra quam credi hoc tempore possit, humilis sic, ut a pravis in hoc et a superbis quasi nimis dejectus notaretur, mitis præ omnibus sui temporis, ire (18) omnino expers, ita ut se mirari diceret, ad quid aut quomodo in homines vitium iracundiæ assurgeret, cum ipse disciplinas erga male facientes exercere gestiens, irasci non posset.

6. S rvorum Dei et præcipue monachorum amator ferventissimus, adeo ut a laicis assidue laceratus ac corrosus, nihil preter monachos curare infamaretur; Christi Domini certe imitator fieri exoptans et vere cupiens, dum Dominum suum, quod cum publicanis et peccatoribus convivaretur, conviciari legeret, et a Judeis pessimis vini potatorem vocatum audiret, se improperia hujusmodi aut forte graviora pro ejusdem Domini sui quo multum fervebat amore perpeti, divitias inestimabiles et grata sibi munera judicabat.

7. Conviviis virorum sanctorum et monachorum maxime sic delectabatur ut felicem se eo die fateretur. quo cum his ei prandere contingeret, quibus mundus crucifixus est et ipsi mundo, quibus et accumbens sepe dicebat : *Venite, ut sedeatis a dextris filii matris ecclesiæ.*

8. Hæc vere dico, vere fateor, quia hoc et verbo et pastu, licet immeritus, licet abjectissimus suorum, dextere ipsius domini mei primus assidens, sepe usus sum, participatusque ejus sacris colloquiis, et inter convivandum frequentissime delectatus. Miscebantur etiam sacræ exhortationis ac correptionis dulcissimi sermones cibis, quos summa cura sibi erat monachis semper dilectis accurate satis parare.

9. Ergo [12] beatus vir, cum quo, ut vere credimus, Deus erat vere apostolicus omnibus [13] omnia factus, ut omnes lucrifaceret, universis non modo clericis sed et laicis, Judæis etiam dilectissimus erat, ita ut usque hodie, prætermittam christianos, ab ipsis nostræ [14] etiam religionis infestissimis Judæis cotidianis luctibus et gravibus suspiriis defleatur. Hunc omnis sexus et ætas, hunc omnis ordo et conditio, hunc incolæ et advenæ, hunc infra et [15] hunc extra positi, hunc noti hunc ignoti, miro affectu mentis venerabantur ac diligebant.

10. Erat igitur corpore plus cunctis sui temporis venustus, statura decorus, forma elegans, oculis amantissimus, nasu mediocris, capillis albus et ipsis raris et planis, ex genere corpulentus, manibus pedibusque et toto quod erat mirabilem Deum in omnibus operibus suis ostendebat, et quam decorus Factor in sua natura sit, cujus tam decora opera habeantur, se cernentibus indicabat. Primordia ac primitiæ actuum ipsius ad divinos usus et ad exercendos animos in his quæ pietatis sunt, sancti Symphoriani locus extitit, qui licet antiquitate nihil præter ruinas et casus prætenderet, et in nigerrimam faciem ejus magna nobilitas decidisset, situs amœnissimus vineisque uberrimus ac urbis vicinio honorabilis, sanctorum multiplicitate, et quod est decentius, sedis pontificum numerosis corporibus famosissimus, cor beati et [16] dulcissimi domini nostri Adelberonis et mentem, ut in hanc quæ est videre decoris spetiosissimi venustatem reduceret, induxit, et in redivivam ut assurgeret formositatis gratiam, devotissimus elaboravit; nec destitit, donec ad id quod cœperat felici Dei dono votis beatissimis [17] adimpleret. Et quia parietum et maceriarum proceritas, tectorum culmina, columnarum honesta rotunditas, rutilantium metallorum splendor, casso labore adquiritur et inani studio congeritur, si non, semota omni mundani favoris cupiditate et transeuntis laudis cuncto appetitu abjecto, pro solo divinæ remunerationis respectu totum congestum corrasumque fuerit, et ut divinas æternasque mansiones sibi fidelis ac devota Deo præpararet [18] anima, hæc terrena ædificia construere apparareque totis studiis debet : hic beatus id prævidens, loco, quem Deo paraverat, servorum Dei, qui institutis sancti Benedicti bene parere docti ad perfectum noverant, collegio decentissimo exornat, et ut pro salute perpetua cum sua prædecessorumque suorum, tum pro totius orbis, cujus magna

VARIÆ LECTIONES.

[11] sacrum 3. [12] Vir 2. 3. [13] omnia omnibus 2. 3. [14] e. n. 3. [15] *deest* 2. 3. [16] d. et 3. [17] devotissimis 3. [18] præparet 2.

NOTÆ

(18) I. e. iræ.

erant pericula, Deum exorarent, sollertissimus aggregavit.

11. Postquam vero locum hunc digne Deo stabilitum reddiderat, et monachorum copia pulcherrima, quos undecumque collegerat, honestissimum fecerat, id deliberans, ut semper suus non solum spiritus sed et anima et corpus Deo et Christo ejus serviens, nulla sui pars vel ad momentum quidem a divino pietatis opere otiosa consisteret, sed impigra et utilis, laboris assidua, multimodo etiam sanctorum exercitiorum genere sese deterere cupiens, Romanum iter aggreditur, limina apostolorum adit, et suos subditorumque excessus fletibus, quibus supra mortales abundabat, deplorans deponit. Papa Johannes (19) sanctæ sedi præsidebat, et vices beati Petri dignissime administrabat; qui domnum Adalberonem tanto honore suscepit tantaque reverentia habuit, ut hominem hujusmodi generis et nobilitatis decebat, et quod magis est, tantæ sanctitatis et pietatis viro competere novit, ac sanctorum reliquiis honestissime muneravit. Quam durum, quam asperum beato viro hoc iter fuerit, quanto labore quantisque sudoribus juga et devia montium rupium et silvarum arripuerit, qui nosti quantæ teneritudinis et gravedinis fuerit, qui scis eum robore corporis et membrorum viribus omnino cum natura nobilitatis tum animi imbecillitate debilem ac invalidum fuisse, perpendere ac dijudicare valebis. Rediens autem totum se divino operi [1] mancipavit, laudibus sui Creatoris assidue insistere curavit, elemosinis, vigiliarum et orationum laboribus se corpusque maceravit, infirmorum necessitatibus, mortuorum sepulturis assistere præcipuum faciebat, peregrinorum diversæ professionis et diversi ordinis nuditati et paupertati subveniebat, sic indefesse, sic sedule, ut cotidiano usu receptos, pedes eorum manusque lavans, diversis ciborum generibus recreans, in commeando etiam muneribus donans, hos relaxaret, mox alios suscepturus pari amoris fervore, pari pietatis dilectione, ea quæ Dei mandato ut fratribus impendantur instituta cognoverat impensurus.

12. Xenodochium quidam locellus infra urbem Mettensem habebatur antiquissimus, pauperculus, vilissimus. præter id quod beatæ Mariæ semper Virginis nomini erat dicatus; quem amore Christi et Matris Christi Domini, in quem ædificiorum splendorum recrexit, quantis divitiarum opibus aggregatas ibidem ancillas Dei ad laudes perpetuo Creatori omnium celebrandas ditaverit, res acta indicio est.

13. Domnus Adventius sanctæ Mettis venerabilis præsul in Blisacensi pago (20) loculum quendam in sanctæ et individuæ Trinitatis honore cœperat, quem prærentus morte perstruere non valuit; quem domnus Rotbertus, ejusdem sedis pontifex, prout, erat parvus cœptus, parvum perfecit. Hunc dominus noster Adalbero cernens sanctæ religionis cultibus aptissimum, quia et silvarum vastis sitibus heremum prætendebat et aquarum gratia amœnitatem circummanentibus conferebat, quod autem maxime sanctum virum permulcebat, quia et consecratus in honore summæ et individuæ Trinitatis, ut diximus, et corpore sancti Terentii confessoris et pontificis ejusdem Mettensis sedis erat insignis, multum delectatus, item feminas Deo dicatas coadunans inibi collocavit, et sumptus amplissimos ad vivendum condonavit.

14. Domnus Deodericus item Mettensis urbis antistes gloriosus, cui hic dominus noster Adalbero successerat præsul, in pago Calvomontense locum quendam inter Mosellam et montem, qui in divexo sui castrum habens ex accidenti rusticorum lingua Spinal (21) vocatur, divino famulatui aptum repperiens, monasterium construxit, consecrans illud Deo et sancto Goerico, cujus sacratissima ossa ab urbe Mettensi transferens, digna veneratione collocavit, et patriæ patrocinium felicissimum præparavit. Domnus Adalbero hujus successor, ad salutem christianitatis et ad votum commissorum præsul effectus, perpendens murorum alta fastigia non valere, si non sint servi Dei qui incolant edificiorum constructiones, neque prodesse terrena ubi cœlestia defuerint, primo quidem clericorum conventum ad omnipotentis Dei honorem coadunavit, post gloriam divinitatis, quantum in homine est, ampliare totis viribus omnique conamine gestiens, ancillas Christi, sub regulari vita et sub institutione patris nostri, beati scilicet Benedicti, bene edoctas, Deo et sancto Goerico pontifici servire destinavit dans prædia et possessiones, quibus sine inopia et sine indigentia vivere possent. Quantæ vero humilitatis et hospitalitatis, quantæ patientiæ et largitatis erga peregrinos et cunctos pauperes fuerit, res in eodem loco acta indicio est. Sanctus confessor Christi Goericus quid in vita sua promeruerit, quid apud Deum valuerit, multis miraculorum signis et prodigiis declarans, fama sui longe lateque crebrescente populis gentibusque innotuit. Ut ergo gloria Dei nota fieret et magnificentia bonitatis ejus plus plusque nostris temporibus manifesta claresceret, in Burgundiæ cunctis finibus cladis pessima multitudinem magnam populorum invasit, qua manibus pedibusque ardentes miserabili pœna, hic perdito uno, hic utroque truncatus pede, hic medio adustus, aliquis tunc primum aduri incipiens, non multum sero veniens, audito sancto

VARIÆ LECTIONES.

[1] opere *post corr.* operi 2.

NOTÆ.

(19) Johannes XVI annis 985-996 sedit.

(20) Pays de Blois prope S. Mihiel ad Mosam.

(21) Epinal; cf. Sigeberti Vitam Deoderici c. 12.

pontificis rumore, innitentes baculis, aut carriotis devecti, undecumque confluebant. Dum hæc fierent, domnus Adalbero, dum viveret lux gaudiumque suorum, quia castrum imminens monasterio sedes est episcopalis, sepissime aderat, et hujusmodi viros cotidie ad convivandum suscipiens [20], propriis manibus vulnera illa contrectans et lavans, ore et oculis demulcens, Deum in omnibus suis operibus laudare et benedicere non desinebat. Vere loquar, septem diebus huic divino servitio cooperator interfui, et propriis manibus aut lavabam aut detergebam, dum non minus centum aut octoginta [21], ut diximus, cotidie lavaret et cibo recrearet. Nam dum vulnera ipsa aqua perfunderentur, tantus vapor tantaque nebula domum in qua id fiebat replebat, ut vix alter alterum videre prævaleret [22], fetor etiam intolerabilis erat, sulphur et quidquid in odoribus importabile est exsuperans et vincens. Hæc, ut dixi, beatus vir sine despectu et cum magna cordis devotione peragebat. Quæ idcirco dixerimus, ut in una eademque re duorum sacerdotum duo facta memoriæ dignissima prædicaremus et posteris imitanda vel admiranda traderemus, dum in beato Goerico virtutum insignia, et in domno Adalberone humilitatis et abjectionis [23] omnisque vilitatis [24] humanæ appetentiam et summum amorem demonstraremus. Sane hunc tantum et talem virum nimiæ humilitatis et omnium virtutum, quas sancta mater humilitas pio uberum lacte enutrit, cultorem prædicantes, et in ejusmodi rebus probabilem enarrantes [25], ne id ei a posteris, quod a præsentibus sui temporis, ad hoc a familiaribus, imputabatur, imputetur, fuisse scilicet eum nimium humilem nimiumque dejectum, quædam huic operi subnectenda decrevimus, quibus certis temporibus certaque ratione bonis humilitate subditum, malis autem fidei constantia ac censura justitiæ, temporis etiam conibentia repugnantem, et vitiis vitiosisque resistentem ostendamus.

15. Domnus Heinricus rex, qui tertio Ottoni divo [26] imperatori ad regnandum quidem, necdum autem ad imperandum, in tota Germania, quæ citra Hrenum est, et in Lotharii regno, quod cis Rhenum est, successerat, colloquium synodumque (22) conscivit (*an.* 1005). Ubi omnes pene regni sui summos sacerdotes coadunans, et ex diversis diversa disputans, inter disputandum ipsos eosdem sacerdotes acerrime congreditur, cur videlicet in suis diocesis et diocesianis ea quæ synodali ac per hoc spirituali falce secanda erant non resecarent, ac gladio Spiritus sancti putrida et male sana a membris fidelium abscidere supersederent. Mirantibus omnibus, quid sibi verba regis tam districtissima vellent quove tenderent, rex admiratione eos absolvere curavit, quid ve prætenderet palam fecit.

A 16. *Inter multa*, inquit, *quæ in regno nostro vestrisque parrochiis corrigenda sunt, parentes sic sibi proxime conjugio copulantur, ut Deum non timentes et homines non reverentes, etiam tertii loci consanguinitatem, quod dictu* [27] *nefas est, ad copulam asscissere non refugiant, et lineam, quæ ad septimam usque generationem sacris canonum institutionibus illibata conservari jubetur, Judæis paganisque infeliciores in ipsis sui exordiis abrumpere non formidant.* Episcopis hinc inde sedentibus diuque silentibus, pars de quo diceretur nesciens, pars personam de quo dicebatur multum vel amans vel timens, quid dictis regalibus responderet, prorsus ignorabat. Mens enim male sibi conscia, dum ea quæ non vult audire compellitur, fit stupida, vox refugit, verba dilabuntur, et B sapienti coram positus honestius ei videtur silere quam loqui. Rex, quem fallere nemo poterat, quia erat homo litteris adprime imbutus, eloquentia facundissimus, ad regendum Dei timore vivacissime astrictus, motum cordis pacientiæ frenis restringens, sacræ Scripturæ exemplis eos aggredi honestius esse judicans : *Ecce*, inquit, *ecce, vos estis loca quidem sanctorum sacerdotum tenentes, et in meliori cathedra quam sedisset Moyses sedentes, utpote vices Domini possidentes, qui et boni canes et sancti arietes pro vitæ merito dici debueratis, contraria vice inversoque ordine canes muti non valentes latrare estis effecti, ipsique cecitate multati dum subditis ducatum præbere cogimini, et ductor et sequens ambo in foveam præcipitamini. Ecce.* inquit, *Conradus dux Austrasiorum,* C *consanguinitate nobis et quicunque in tota patria nobiliores sunt cunctis affinitate conjunctus, uxorem duxit sic sibi propinquam, sic proximam, ut, sicut timemus, non modo ipsi, verum omni patriæ offensa Dei citissime et, ut dicitur, pro foribus adesse videatur, parumque minus crimen nobis tacentibus indicitur, quam ei qui idem scelus audacter et sine peccati estimatione perpetrare cernitur.*

17. Domnus Adalbero Mettensium venerabilis præsul, sanguine et affinitate regi assidenti et cunctis qui ex magni Heinrici linea descenderant adprime conjunctus, huic sacro synodo intersedebat, et ut erat cunctis consacerdotibus nobilior excelsiorque, sic nobiliori celsiorique sella inter suos pro- D minebat. Hic regis objurgationem ultra ferre non valens, et tacere amplius inhonestum judicans : *Interim*, inquit, *ætatis sanctitatis et scientiæ prærogativa, locum quidem loquendi cum fratribus nostris dantes, et honorem canis senectutique divino præcepto exibentes, quo dicitur :* « *Coram cano capite consurgas* (*Levit.* XIX, 32), » *quia majestatis vestræ potentiam, domine mi rex, ad dedecus nostri ordinis objurgationi et invectioni plus plusque videmus verba angere : tacere ultra, vere fatemur, et quæ recta sunt non*

VARIÆ LECTIONES.

[20] recipiens 2. 3. [21] LXX. 3. [22] pualeret 1. [23] adjectionis 2. 3. [24] utilitatis *corr.* nilitatis 1. uilitatis 2. 3. [25] prædicantes *corr.* enarrantes 2. [26] vivo 1. 2. divino *corr.* divo 3. [27] nefas dictu 2. 3.

NOTÆ.

(22) Cf. Thietmar. VI. 21. SS. III. p. 115.

dicere, non solum stultitiæ, sed quod majus est, magnæ verecundiæ deputamus. Domnus Otto dux, pater istius venerabilis Conradi ducis nobis consedentis, natus ex filia est [28] *magni Ottonis, cujus soror Girbergia* [29] *dedit filiam suam Conrado Burgundionum regi. Ex Conradi autem filia nata est domina Mathildis* [30]*, hujus Conradi* [31] *assidentis uxor. Hoc ergo genealogiæ ordine, quia frater sororque in supputatione non admittuntur, consanguinitas horum non plus quam secundo loco elongari prævalet.* Hæc beato viro retexente, tantæ iræ tantæque simultates in ipsa synodo exurgere cœpit ut, nisi esset ea nobilitas qua cœlo, terra mariqne ultraque mare inclitus effulgebat, Conradus dux, de quo res [32] agebatur, et quicumque suæ partis erant, neque Deum neque regiam majestatem reverentes, neque sacerdotibus, quorum maxima et honestissima multitudo præsens aderat, aliquid honoris exibentes, arma furoremque corripuissent, et ad insaniam exsaciandam, quidqui l mali manus roburque inferre posset, non omisisset.

18. Aderat huic magis seditioni quam synodo domnus Teodericus, frater quidem hujus domini nostri Adalberonis pontificis, dux autem eorum qui cis [33] citraque Mosam Mosellamque [34] resident, et hæc quæ agebantur queque juste disponebantur, sua auctoritate firmabat atque corroborabat, nuptiasque illicitas cum reliquis ducibus, comitibus, et quod majus est, sacerdotibus Deo et rectitudini ac regiæ justitiæ faventibus dampnans, et humanas iras non formidans, æquitatis lance quæ Dei erant liberrime decernebat. Aderant etiam in hac venerabili synodo primi et præcipui sacerdotes Willigisus Maguntinus præsul, Heribertus Coloniensis itidem præsul, [ille Warmacensis (23), ille Argentensis, 2. 3.], Walterius [35] Spirensis, Notgerius [36] Leodicensis, Hezel Wiziburgensis (24), Haimo Virdunensis, Bertaldus Leucensis, aliique quam plures non solum ex Lotharii regno verum ex omni Germania, quorum pars favore, pars timore nobilis personæ, hinc inde agitati, hinc inde defluentes, pauci admodum, et ipsi inter suos præcipui, Deo dilectissimo Adalberoni et dictis ejus justissimis testimonium veritatis exhibentes, egerunt, ut inter verum falsumque discidii et discordiæ non modica disceptatio fieret, quam etiam ipse rex omnino sedare non potuit; verum nisi esset domini et pontificis nostri Adalberonis incomparabilis nobilitas, furor cecus et insania misera arma etiam telaque corripuisset, et ad homicidium usque iræ commotionem pertingere contigisset.

19. Hac igitur simultatione, his odiis infestissimis discessum est, et unusquisque ad propria redire festinabat. Sed domnus pontifex, dum ex propria [37] patria recedens ad regale colloquium perrexerat, nihil horum metuens, nihil horum estimans, quia erat omnium sui temporis mitissimus atque pacificus, non multa militari manu, set clericorum et honestissimorum laicorum dulcissimo comitatu usus est, et propter id in redeundo, verens ne forte in via hostis insidias pateretur, ab itinere parum quid declinare dignum duxit, et cedere magis ad horam quam vesaniæ [38] furentis principis locum cædis aut alicujus alterius malignitatis dare voluit. Dei autem omnipotentis et Christi ejus ineffabilis pietas et æterna clementia, aliter quam domnus pontifex crediderat, rei eventum miserando disposuit et disponendo præordinavit, dum spiritum furoris et malignitatis, dum vim bachantis [39] et turbulenti vertigines [40] in eum pavorem in eumque timorem commutavit, ut eo impetu eaque virtute, qua Dei virum [41] ante persequi moliebatur, nunc fugere ac retro ire viribus quibus poterat aggrederetur, ac magis capi timeret quam capere elaboraret.

20. Duobus igitur diebus fuge fidem committens, donec in tuto se esse credidit, semper se a domno pontifice et fratre ejus duce Teoderico insequi existimabat memoratus Conradus; nostri vero nichil aliud quam patriam repetere, et id summa festinatione conabantur; et quia id tempus poscebat præter pacem et ea quæ pacis sunt, videlicet metere, curis domesticis utilia administrare, domnus autem episcopus [42] consueta repetere, monasteria videlicet vel nova construere vel vetera restruere, procurabat. Hæc dixi propter hos, qui beati viri innocentiam et pietatem in stultitiam et stoliditatem vertebant et Judæorum sequaces, qui caput nostrum et principium mordacibus verbis persequentes, vini potatorem et dæmonio plenum, quod nefas est etiam recordari, semper inclamabant — horum, inquam, similes servum Dei et honestissimum summi capitis membrum quia ad quæque convitia ad irascendum non insanibat [43], hebetem et vecordem dicebant. Hic autem beatus et ad sibi illatas injurias patiens esse didicerat, et subditorum kalamitatibus sic semper adesse festinabat, ut rerum oportunitatem præstolans, omnibus omnia factus, sanctis semper subditus, erga malos ut converterentur ad corrigendum et exortandum assidue præparatus, frequenter sua benignitate fructus sibi ex pravorum conversione adquirebat, et lucrum ex pecunia sibi

VARIÆ LECTIONES.

[28] m. o. c. 2. 3. [29] girbergia *corr.* gibergia 1. [30] matthildis 2. [31] conradis 1. [32] rex 1. 2. 3. [33] sci[s] 3. [34] mossellamque 2. [35] vualterus 2. 3. [36] notgerus 2 3 [37] patria propria 2. 3. [38] uexaniæ 3. [39] vachantis 3. [40] *ita* 1. 2. 3. [41] servum 2. 3. [42] pontifex 2. fontifex 3. [43] insaniebat *corr.* insanibat 1. insanibat *corr.* insaniebat 2.

NOTÆ.

(23) Wormatiensis tunc Burchardus, Argentinensis Werinharius erat.
(24) I. e. Wirziburgensis.

credita fecisse multum gaudebat. Exortabatur quos exortari debere videbat, increpabat duros et perfidos, obsecrabat pios et benignos ad meliora conscendere; quos vero mentis duritia incorrigibiles efficiebat, hos gladio et armis divinæ animadversionis telisque spiritalibus persequi diu per patientiam expectatos, legibus etiam adjudicatos festinabat. Aliquando res eorum et facultates depopulans, aliquando castra eorum subvertens et terre cœquans, quia hæc ecclesiasticæ familiæ [44] nimis vicina [45], quicquid prædari poterant his inferebant, et continuum pauperum clamorem ad aures piissimi pontificis pervenire faciebant. Alteriacum namque Teoderici infelicissimi castrum, Lantfridi-curtis (25) etiam dictam turrem, cui Everelmus [46] pravissimus insidebat, et Vendoperam (26) Beraldi comitis in Calvomontense pago situm, subversione dampnavit. Noverit sane quisquis hæc legerit, injurias sibi specialiter illatas numquam vindicasse, sed pro Christo et pro tanti nominis amore equis animis cuncta tollerasse, et per patientiæ virtutem sibi ingeniam Domini sui imitatorem extitisse, *qui*, ut beatus apostolus dicit, *cum pateretur non comminabatur, cum malediceretur non maledicebat* (*1 Petr.* II, 23). Recordabatur, quia traditus idem Dominus omnem patientiam exhibuit. Non contendit, non clamavit, nec in plateis audita est vox ejus. Recordabatur, quia insultantium ille sputa suscepit, qui sputo suo oculos ceci nati aperire dignatus est; coronatus est spinis, qui sanctos martires floribus coronat æternis; palmis in fatiem cæsus est, qui veras palmas vincentibus tribuit; spoliatus est vestibus, qui indumento immortalitatis ceteros vestit; flagellatus est, cujus nomine sancti et servi ejus diabolum et angelos apostatas flagellant. Cibatus est felle, qui cybum celestem fidelibus dedit et semper dat, et qui panis sanctorum est [47] angelorum. Aceto potatus est, qui salutari poculo fidei christianis cotidie propinat. Ille innocens, ille justus, immo Innocentia ipse et ipse justicia inter peccatores et iniquos deputatur, et testimoniis falsis veritas premitur, judicatur judicaturus, et Dei verbum Deique sermo ad victimam tacens ducitur; ad ultimum mortem crucis patitur et moritur, qui vitam præstat mundo, qui resurgens spem resurrectionis fidelibus dat, et ascendens in celum, quia cum eo ascensuri sumus, si capiti nostro compacti et conglutinati bonis operibus et actibus sancti [48] inveniamur, membra effecti Christi Domini, qui est caput principiumque non solum nostri, verum omnium creaturarum.

21. Hæc cuncta Dei [49] Filius, in sua natura impassibilis, in nostra effectus passibilis, virtute patientiæ pro nobis perferre dignatus, patientes nos esse non modo verbis verum exemplis suasit. Quæ et hic beatus sic sequi, sic imitari studuit, ut injurias sibi a quocumque etiam infimo illatas numquam vindicarit, numquam ultus fuerit, sed firmo pectore præcepti Dominici executor [50], quo beatum Petrum instruxerat : *Non dico tibi, Petre, dimittendi septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII, 22), quicquid in se umquam aliquis delinquere poterat, pacientissime ignoscere poterat, et injuriarum immemor, magis beneficia pro malis quam vindictam recompensabat. Rapinas vero ecclesiarum et quæ filiis ecclesiæ inferebantur, diu quidem per patientiam sustinens, jam tandem vel malorum enormitate vel pauperum nimiis assiduisque clamoribus tediatus, quia id censura officii expetebat, et id Dominicum præceptum fieri mandat, dicens corripiendum pravum primo solo Deo teste, secundo adhiberi unum aut duos testes, tertio debere dici ecclesiæ, deinceps si ecclesiam non audierit, deputari inter ethnicos et publicanos (*Matth.* XVIII, 15, 17); his omnibus ei qui incorrigibilis existebat exibitis, aliquando vinculo anathematis eum astringere, aliquando prava ejus domicilia subvertere, multoties rebus propriis subvertere, non cupiditate actus, sed pro correctione pravorum et requie [51] bonorum id agere compulsus. Quia vero pietate magis quam avaricia hæc faciebat, ea res indicio erat, dum ab aliquo maligno quippiam lege accipiebat, suis usibus exinde nihil umquam miscere voluit, sed aut pauperibus ea statim distribuenda, aut restaurandarum [52] ecclesiarum usibus largienda dispertiebatur.

22. Dum enim ea quæ sibi vel ex patris matrisque patrimonio [53] vel ex commissæ ecclesiæ thesauris et magnis divitiis jure competebant, non reservare, non congregare umquam volebat, sed pauperibus, viduis, orphanis et præcipue monachis, qui erant sua cura, qui erant suus summus amor, cuncta impendebat, cuncta largiebatur, credi fas non est, quod is bona alicujus, etiam legibus adquisita, sibi servare [54] aut marsubiis ecclesiasticis includere cupisset. Vere beatus, vere vir in quo dolus nullus erat, nullum circumveniens, nulli fraudem inferens, quin potius sua libenter impertiens, in crastinum aut nulla aut pauca retinens; apostolici præcepti devotissimus et continuus executor, habens victum et vestitum, his contentus erat : *Nihil*, inquiens, *intulimus in hunc mundum, verum nec auferre aliquid possumus.* Erat ei humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justicia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, in-

VARIÆ LECTIONES.

[44] famliæ 1. [45] ucina 1. [46] everelinus 1. everelinus *corr.* everelmus 2. evere.mus 3. [47] est s. 3. [48] sanctis 2. 3. [49] deus filius dei 2. 3. [50] executo 3. [51] b. r. 2. 3. [52] restruendarum 2. 3. [53] matrimonio 3. [54] reservare 2. 3.

NOTÆ.

(25) Lantfrocourt ad Saliam.

(26) Vendœuvre.

juriam facere nescius, illatam ferre sciens. Cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo omnino nihil præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit. Karitati ejus inseparabiliter adherere noverat, cruci ejus fortiter ac fidenter assistebat, quia hoc [58] didicerat coheredem Christi existere; hoc esse præceptum Dei facere, hoc esse voluntatem Patris implere. Quæ autem dicam, his [59] qui eum exterius noverant incredibilia forte videbuntur, quia et nobilitate carnis et natura supra mortales cunctos tener et delicatus erat, et ad perferenda [57] quæ dura sunt omnino imbecillis. Missas et sacramenta divina sine cilicio numquam celebravit, panem cœlestis misterii intimis lacrimis irrorabat, potum itidem divinum cum fletu semper temperabat. Vigilias natalis Dominici et sanctæ [58] paschæ sanctique pentecostes et omnium sanctorum apostolorum et præcipuorum martyrum sine aliquo cibo semper transigebat, et in occulto cubiculo conscientiæ et cordis Deum exorans faciebat. Quadragesimæ dies sine monachis, si in patria demorari poterat, numquam celebrabat; quod præcipue apud Gurgitenses facere consueverat, quia locus idem et sacræ religionis districtione insignis et divitiis opulentis et situ amœnitateque gratissimus, ad divinos usus et ad divinum servitium perficiendum placidum quietumque otium exhibebat. Nam duabus quadragesimis iter Romanum pro solo Dei amore celebrans iteravit, et sacrosanctas apostolorum memorias liminaque orationibus et muneribus honoravit. Si quis autem ad credendum tardus, beatum virum cilicio usum refragatus fuerit aut negaverit, ad nos veniat, et viso quo utebatur cilicio, et staminea (27) lanea qua omni quadragesima induebatur, quæ nos ab his qui secretorum intime conscii erant, quæ et nos pro magnis thesauris [59] adquisivimus et servamus, quia Deo nihil est impossibile; quod oculis cernere est, credulitati cor fidele necesse est comitetur.

23. O quam facilis aditus ad colloquendum, ad convivandum, ad quoque commoda perquirenda, omni ordini, omni ætati, omni professioni, pauperi, debili, personæ vilissimæ, justo, peccatori, erga beatum virum semper erat! Nulli præsentia ejus deerat, secretarium ejus cunctis patens, fores ejus nulli clausæ, subsidia ejus omnibus aderant, ejus dulce consilium nulli decrat. Anniversaria priorum pontificum quo sumptu, quam magnis elemosinis, quanta devotione venerabatur ac recolebat, me tacente hi qui in missis agendis, in pauperibus recreandis et reliquis pietatis usibus sancto pontifici cooperatores frequentissime extiterunt, referant, et justum digna laude pro divino cultu divinoque servitio extollant, recollentes scriptum : *Omnis laus in fine decantatur*, et Sapientem dixisse memoretur : *Ne laudes hominem in vita sua* (*Eccli.* xi, 30), quoniam qui iem in vita hac nihil veri constat, sed cuncta mendatio plena, cuncta caduca, nec potest esse certa laus ubi finis certus non est, cum quisque beatus beatæ vitæ inseritur, et ei conjungitur, qui est via, veritas et vita; tum vere laudatur, tum vere in memoria [60] hominum vertitur, quia laus et pax et gaudium et honor omnium sanctorum est, quem laudare et benedicere hic quisque incipiens, bono fine consumatur [61], hincque transiens, quem vere videt facie ad faciem, vere laudat et vere benedicit.

24. Episcopi sui temporis aliqui fastu superbiæ, aliqui simplicitate cordis, filios secularium sacerdotum ad sacros ordines admittere dedignabantur, nec ad clericatum eos recipere volentes; hic vero beatus neminem despiciens, neminem spernens, passim cunctos recipiebat, neque personam neque genus eligens aut præjudicans, sed id mente fixa retinens : *Quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur justiciam, acceptus est illi* (*Act.* x, 34, 35). Vix in omni tempore sui pontificatus annus transiit [62], quo vel ante diem natalis Dominici vel Quadragesimæ tempore statuto [63] antiquitus jejuniorum sabbato, presbiteros, diaconos et reliquos æcclesiastici juris ministros non ordinaret, et se eorum precibus subnixe non committeret, in tantum ut sacerdotum ab eo ordinatorum numerus ultra mille fere procedat, et reliquorum graduum numerositas comprehendi nequaquam possit. Qualis frequentia, quale Dei et omnium sanctorum decus, quanta populi tociusque cleri leticia, quociescumque beatus pontifex vel missas publice dicebat, vel aliquarum novarum æcclesiarum novam dedicationem exercebat, vel benedictiones divinorum graduum adimplebat, quis dicere, quis valeat enarrare? Ipse autem ad tanta officia peragenda in hominum faciebus et in publico, auro cunctisque præciosis margaritis, gemmis et lapidibus circumamictus ac decoratus, intrinsecus induebatur occulte, ut supra diximus, durissimo asperrimoque cilicio, videlicet interiori homini interiora et spiritualia exhibens, ut in eo posset Christus per fidem habitare, exteriori vero ea quæ ad cultum consuetum pertinent sine typo superbiæ et sine inanis gloriæ elatione perficiens.

25. Tertius Otto, divus imperator, usque ad ultima fere tempora domni Adalberonis Mettensium beati pontificis imperavit, et in Romana urbe totum pene vitæ suæ tempus exegit; unde sic imperii sui

VARIÆ LECTIONES

[58] hunc 3. [59] *deest* 3. [57] præferenda 3. [58] sancti 2. 3. [59] thesauri 3. [60] memoriam 2. 3. [61] consummatus 2. consummatur *corr.* consummatus 3. [62] pertransiit *corr.* transiit 1. pertransiit 2. 3. [63] statuo 3.

NOTÆ.

(27) Interula, camisia.

regna et patriæ devastabantur, quo vix subsistere aut vivere ipsis etiam primatibus, pontificibus, et majoribus regnorum facultas esse posset. Cujus periculosissimos procinctus et miseranda rapinarum discrimina hic beatus et semper memorandus Adalbero data sibi a Deo sapientia datoque animi ingenio semper et ipse evasit, et commissam plebem eripere maximi habuit, dum, quantulocumque adjutorio a filiis ecclesiæ accepto, plurima autem et pene cuncta pecuniæ patrimoniorumque suorum redibitione distracta, per omnes fere annos huic vix ferendo servitio et importabilibus ferendis [64] xeniis undecumque compilata transmittere (28); justius leviusque judicans, minora tradere et pauca mittere, quam ipse delicatus et nobilis expeditioni sese committens, et queque ardua itinera aggrediens, plus suæ viæ sumptu quam regalis famulatus expensa et nulli indulta pecunia prægravaret. Noverat et sapienti ingenio prævidebat, quoniam quidem, licet esset genere et sanguine nulli mortalium inferior, licet posset, non debere resistere [65] potestati, dicente Domino ac jubente : *Reddite Cæsaris Cæsari* (*Matth.* XXII, 21), videlicet Cæsari tributum, vectigal, censum, Deo autem pietatis opera, orationum munia, elemosinarum fructum. Sciebat [66] apostolum imperare ac suadere : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* XIII, 1) ; idcirco utilius animæ suæ subditorumque fore prævidebat, sua quam se pessumdare, terrena distrahere quam spiritualia, meminitque Dominum dixisse, homini nihil prodesse, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur (*Matth.* XVI, 26). Anima enim perdita, nihil deest ad perdendum; salva anima, etiamsi census carnalis defuerit, non deerunt divitiæ, quas fur minuere non poterit, tinea non demolietur, erugo non consumet, egestasque ejus ditissima locupletabit; erit etiam tamquam nihil habens, et omnia possidens, eritque ei Deus omnia in omnibus, ut in omnibus adimpleatur.

26. Mandatum Dominicum : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8), præsul venerabilis perfectissime adimplens et dum vixit verissime custodiens, numquam pro ecclesiasticis officiis, nunquam pro ordinandis sui claustri ministris, nedum abbatibus monasteriorum, quos usque ad quadragenarium pene numerum consecravit, pecuniam aut quippiam [67] munus suscepit, symoniacamque heresim ut venenum mortiferum mortemque venenatam semper exhorruit et aufugit. Si quis sane est qui putet in numero ordinatorum ab eo abbatum fidem dictorum nos in scribendo excessisse, dum non tot sint in Mettensi diocesi monasteria, ducat memoriæ, in aliquo eorum duos, in aliquo tres viros patris loco et nomine et dignitate promovisse, ut est indicio hic sacer locus, cui Deo auctore licet indignissimi præsidemus, dum præcedentibus duobus sanctis et venerabilibus patribus, Fingenio ex Hibernia — nam Scotti et reliqui sancti peregrini semper sibi dulcissimi habebantur — et domno Siriaudo ex Gorziæ ferulis ad regendum abducto (29), nos, qui hæc scribimus, benedictione hujus beati pontificis tertio loco regimini succedere compulsi sumus. Sancto Trudoni duos, Sancto Adelfo duos, Sancto Felici itidem duos, Sancto Martino ultra fluvium (30) duos; nec adjacet sanctæ urbi monasterium, cui benedictionis gratiam datis patribus non contulerit, aut etiam bis terque, viam patrum illo ingrediente, hoc succedente, repetierit, præter felicem locum Gorziæ; felicem autem non minus ex eo qui in præsentiarum præest et sanctissime dulcissimeque prodest, quam ex his qui jam beati ad cœlestia transmigrarunt [68], quorum vita inclita et gloriosa proprios libros expetunt, et gesta vere memoranda otium satis longum ad scribendum requirunt. De hujus viri multum honorandi gestis honestissimis ad augendum nostræ materiæ decus plurima inserenda judicaremus, et ex actibus ejus satis magnificis venustatem paginæ inderemus, sed quia ad votum utilitatemque patriæ [69] adhuc Dei gratia superest, adulationis nota inuri timentes, alii tempori vel personæ id reservamus. Hic certe domnus [70] et multum venerabilis Immo, post decessum patris Odelberti a domno Teoderico, sacro pontifice, Gurgitensibus pastor et abbas constitutus, ex omnibus primoribus domus sancti Stephani abbatibus et abbatissis, quos domnus Adalbero præcesse invenit, solus hunc eundem sanctum antistitem supervixit, et interim — quo multum gaudemus — supervivit.

27. Consecravit etiam noster beatus et electus Deo sacerdos Adalbero Liudulfum Trevirensibus archiepiscopum (31), vitæ magna simplicitate et morum maturitate insignem, quibus viventibus et proprias ecclesias gubernantibus, pacis tempora, vere fatemur, extiterunt, quibus decedentibus, etiam dies in noctium nigerrimam faciem transmutatæ, nihil præter mortem et mortis discrimina, non dicam viventibus, sed morientibus et vere mortuis prætendunt. Et quos plangere nimia divitiarum opulentia et pacis ingenti et diuturna insolentia noviter defunctos et, ut est in ore vulgi, virides mundus non novit, aridis jam membris et in cinerem jam redactis, continuis lamentis et lacrimis kalamitate et omni mise-

VARIÆ LECTIONES.

[64] *deest* 2. 3. [65] restitere 2. 3. [66] Sciebatque 2. 3. [67] quidpiam 2. 3. [68] transmigravit 3. [69] patria 3. [70] dominus 2. 3.

NOTÆ.

(28) Exemplum memorabile pecuniæ loco militiæ imperatori præstitæ ; v. Chuonradi II capitulum de ostandiciis Leg. t. II, 38 cap. 2, cum glossa.

(29) Siriaudus obiit a. 1004.

(30) Mosellam; S. Symphorianus in dextra fluvii situs erat, S. Martini monasterium in sinistra.

(31) Sedit a. 994-1008.

na plenissimis deflentur ac deplorantur (32). Jam certe in hæc nostra, pro dolor! tempora; et utinam ista ipsa tempora nostra non essent! Nam vita odio est, mors vere optatur ut assit, quoniam quidem cui tollitur unde vivat, quomodo vivere velit ignorat, et cui sumptus viæ deesse contingit, viam arripere omnino abhorret. Urbes certe depopulatæ, vici et villæ incensæ omnes, viri omnes et feminæ et totum promiscuum vulgus ferro, fame, igne pestilentiaque consumtum; multi etiam nobiles in paupertatem et magnam miseriam devoluti, multi gladio perempti, ita ut hodie vere dici possit: *Pervenit gladius usque ad animam* (*Jer.* IV, 10). Nam vineæ eradicatæ, arbores et arbusta excisa; monasteria depopulata; et jam in proximo est, ut, effugatis habitatoribus, servorum et ancillarum Dei habitacula in solitudinem et heremum vastissimam devenire cogantur. Verum dum adhuc res in dubio est, nec inter compugnantes ac litigantes alicui victoria data est, dum etiam pars parti cedere nescit, trenas has et lamenta tam ingentia alieri scribenda committimus, nosque cuncta pacifica, cuncta dulcissima paginæ nostræ indere aggressi, illa tristia et posteris nostris in dies deploranda, ut elegiaco planctu, non dicam cantu, aliquis describat, relinquimus.

28. Cum igitur beatus vir et Deo dignus sacerdos Adalbero pro meritorum magna prærogativa ut remuneraretur tempus adveniret, ac bono fine et bonæ perseverantiæ termino consummaretur, et qui bene vixerat melius et morereturet, licet decessus sanctorum verius transitus de morte ad vitam dicatur, et non possit male mori qui bene vivit: forte fuit, ut Teodericus, frater ipsius nostri pontificis, res quasdam Deo et sancto Arnulfo auferens, diu et multum precibus et legibus tediatus, condictum diem constituit, ut decreto [71] sapientum, cujus jus aut injustitia esset, patesceret ac manifestaretur. Advenit assignata dies (*Mai.* 1005), et dies illa tota rei ventilandæ necessitate consumpta est, quæ nimio æstatis fervore omnes qui advenerant adurens, quia hic beatus pontifex, ut sepe diximus, ex genere et nobilitate, ad hoc ex proprii corporis nimia imbecillitate, ultra quam dici posset delicatus et tener habebatur. impaciensque erat omnium laborum: quod pro omni hujus vitæ commodo numquam ferre aggredi aut vellet aut posset, pro Dei et Christi amore et pro creditæ sibi æcclesiæ utilitatibus subiit, videlicet pondus diei et æstus portare, diei utique illius, cujus caloris nimietas sic intolerabilis [72] extitit, ut nemo recordari posset, se tantum fervorem aut ardorem vidisse per tota temporum vel annorum curricula, et quod gravius erat, hac tanta importunitate usque in summa vespera consumpta et diducta est.

29. Quid amplius [73]? Discessum est post colloquium, et tribus aut quattuor miliariis peracta jam die itineri insistere compulsus, Numeniacum (33) usque sine cybo medii Madii tempore pene media nocte devenit, quando dies noctem [74] plus minus triplo magnitudine vincit, et tandem cum ingenti militum manu fesso multum corpore refectioni indulget. Ut vero erat homo cui parcitas victus et cyborum semper contraria extitit, liberalitas et affluentia ab ineunte ætate amica et familiaris, diu multumque et pene usque in lucem sessum est, ingentique letitia inter convivandum usus est cum clericis, quorum frequentia sibi dum vixit continua et dulcissima erat, cum laicis diversarum dignitatum, nimieque moræ, ut post patuit et ut accidere solet, magni et per cuncta tempora dolendi detrimenti causa fuerunt. Nam dum nimis et plus nimis, quod alterius temporis erat, exercitio se dant, tandem ad hospitalia propria pergentes discedunt, atque se sopori tardius justo dederunt; reliqui quidem quod deerat noctis in diem sequentem somno dediti restituerunt. Sed quia dici solet non esse mortem sine occasione, venerabilis pontifex consuetum morem præterire nolens, quin debitum munus noctis Deo exiberet, vix caput ad dormiendum demiserat, vix sopori aliquantulo membra tradiderat tenerrima, et ecce surgit ad confitendum Deo super judicia justitiæ ejus, devoteque plus solito expensas officii nocturnalis Deo persolvebat; cum subito — merorem suorum abhinc in evum permansurum referam! — sic subito, sic de repente membra beati viri cuncta paralisi resolvuntur, ut nullum ex his suum officium peragere prævalens, terræ totum corpus darent, tantaque velocitas ipsius pessimi morbi in arripiendo extitit, ut nullus casui illius succurrere ex astantibus clericis posset, antequam beati viri corpus solo prosterneretur.

30. Accessum est ergo quam citius potuerunt, et ecce sub tanta velocitate neque os neque pes, non manus aut lingua, aliquid sui officii implere prævalebat. Deportatus est ad lectum manibus [75] discipulorum, perstititque triduo non loquens nec aliquem intendens, donec tertio die pulsatus Dominus suorum precibus — nam non solum ex proprio episcopio, verum ex multarum regionum angulis viri et feminæ, monachi et monachæ, etiam ipsi solitarii et heremitæ propositum nimiis doloribus et inedicibilibus mœroribus frangentes accurrerunt, et ut suo fidi

VARIÆ LECTIONES.

[71] secreto 1. [72] intollerabilis *altero* 1 *eraso* 2. [73] *post* amplius *vocabulum erasum* 2. [74] nocte 1. 2. 3. [75] discipulorum brachiis 2. 3.

NOTÆ.

(32) Scribit de bellis Theoderici II episcopi et Heinrici ducis fratrum contra Heinricum regem et Megingaudum Trevirensem archiepiscopum et Theodoricum ducem a. 1009-1012. gestis et nonnisi a. 1017 plane compositis.

(33) Nomeny ad Saliam.

vocem et sermonem Deus omnipotens redderet optinuerunt. Accurrit et dux Teodericus, frater ipsius pontificis; affuerunt et comites primariique militum suorum, nobiles et ignobiles; cuncti ex urbe suburbiis, agris, villis et oppidis irruentes clamabant se miseros, se omni felicitate indignos, qui tali pastore orbati destituebantur; lupos omnesque malas bestias adesse pro foribus, quorum morsibus usque ad ipsam necem dilaniandi paterent, vocibus intolerabilibus [76] ingeminabant.

31. Præsul venerabilis, auditis his animo quidem et spiritu conturbatus, et ad pietatem sibi ingenitam commotus, in multas lacrimas resolvebatur, et quod multæ adversitates populum post mortem suam insecuturæ essent, sicut sepe incolumis prædixerat, nunc infirmus et transitui suo satis, heu nobis! proximus prædicebat. Dicebat, suas magis infelicitates ut deflerent, se magis lamentarentur, nihil novi adesse, debitum primi parentis nulli indulgendum, dum his qui nullius debiti obnoxius erat, Christus Deus et Dominus noster, ipsa mortis acerrima discrimina experiri et pati non refugisset. Ipsa ergo infirmitate oppressus, per aliquot dies in eodem vico Numeniaco jacuit, donec invento communicatoque in invicem consilio, a clero plebeque ad urbem propriam deportatus, a multis quidem devectus, a plurioribus susceptus, dicere possibile non est, quantæ voces, quanti clamores, viduarum, orphanorum, virorum clarissimorum, honestissimarum feminarum, ad alta aera protendebantur. Monachorum et sanctimonalium [77], quorum fruges maxima in manipulos perplures et non numerandos ipsius ejus dem pastoris diutino continuoque labore et sudore exurrexerat, pudore ordini suo debito nimiis doloribus postposito, omnis sexus et ætas accurrens et ut verius dicam irrumpens : *Heu!* inquit, *heu! quid tanto patre orbati, quid tanto pastore destituti, plebs, clerus, ordo monachilis utriusque sexus, tibi omne quod sapiebas quod vivebas magis dilectus, quid aget, quo se vertet, cui subjiciendus relinquitur?*

32. Ipse vero dilectus Deo pontifex consueto semper [78] sibi more extensa manu signo crucis omnes non semel, non bis tantum, sed quousque sancti Stephani prothomartiris æcclesiam deportatus intromitteretur, Deo commissam plebem commendare non desinebat. Jusserat autem, ut primo ante sancti Stephani aliare, post cunctis oratoriis domus diductus deveheretur, ibi se suumque populum Deo orationibusque sanctorum precibus depositis committere, prout poterat, prout virium possibilitas aut imbecillitas permittebat, studuit. Hinc bajulorum manibus episcopalibus tectis introductus, lecto deponitur, et ut competebat infirmitati ejus, subsidium necessarium familiareque ei impenditur. Elemosinas ex propriis rebus Numeniaco expendere cœpit, sed Metti sic complevit, ut quicquid se habere recordabatur, nihil reservaverit, si quid vero remansit, avaritia potius suorum quam pii pastoris incuriæ deputandum est. Quidquid auri argentique, palliorum, vestium preciosarum habere poterat, non modo proximis et vicinis, verum servis Dei longe manentibus mittere curavit, et ut pro remedio animæ suæ proque cotidianis excessibus, sine quibus vix aliquis aut nullus vivit, exorarent et apud pias Divinitatis aures interventores fierent, deprecabatur.

33. Nam beato Martino Turonis, sancto Dionisio Parisius, sancto Remigio Remis, sanctæ Mariæ Virduni, sancto Petro Coloniæ, multisque aliis per Franciam superiorem inferioremque sanctis xenia honorificentissima mittens, patronos sui itineris quo pergebat adquirere, prout poterat, festinabat, et de mammona [79] iniquitatis amicos, qui se in tabernacula æterna reciperent, lucrari maturabat. In hac denique tanta infirmitate constitutus, hoc egritudinis onere prægravatus, cœlum ac cœlestia suspiriis continuis petere, oculis ipsis et spiritu sedulo non cessans, multo majora se promeruisse ore et corde semper fatebatur, dum etiam secundum apostoli dulcissimum adhortatum ipsis sanctis pro gloria æterna et perpetua corona certantibus non sint condignæ passiones hujus temporis, ad futuram eandem gloriam, quæ revelabitur in eisdem sanctis (*Rom.* VIII, 18), et utinam in nobis, licet indignis et non merentibus. Sancti Job et Tobiæ venerabilis patientiam, sufferentiam, reliquorumque sanctorum patrum veteris novique Testamenti reminiscens, qui ludibria et verbera experti, insuper et [80] vincula et carceres, distenti etiam sunt non suscipientes redemptionem, ut invenirent [81] meliorem resurrectionem. Beati etiam servuli recordabatur, et semper merita prædicabat, qui ea qua is idem noster felix defixus infirmitate, infirmitati virtutes adnectens, ipsius Jesu Christi Domini nostri, in ipsius beati obitus articulo, meruit visitatione consolari, et ymnidicorum angelorum voces in cœlo resonare audiens, quid virtus in infirmitate perfecta, quid patientiæ lenitas adipiscatur, posteris imitanda dereliquit [82]. Nam beatus vir et venerandus sacerdos Adelbero, ut acervus meritorum ejus etiam per infirmitatis pondus in perfectionem usque deveniret, et in virum perfectum plenissime succrescens exurgeret, qui temptationes illatas semper pie sufferens, ut acciperet vitæ coronam, quam repromisit Deus diligentibus se, ægritudine hac tam valida, tam ingenti depressus jacuit a [83]! omnibus dextræ partis membris gravissima paralysi resolutus, nullius officii vigore aliquo modo compos existens, solius linguæ ministerio nactus, laudes Creatori suo Deo Patri et

VARIÆ LECTIONES.

[76] intoller. 2 [77] sanctimonalium 2. [78] sibi semper 3. [79] mamona 3. [80] *deest* 3. [81] m. i. 2. 3. [82] dereliquit 1. [83] *post* a *in* 1 2. *spatium vacuum relictum*,

redemptori suo Deo Filio et illuminatori suo Deo Spiritui sancto indefessa sedulitate referebat.

34. His ergo bonorum actuum fructibus, his beatæ conversationis studiis [84] commerciis Deo diu commendatus spiritus, cœlo repetita anima 19 Kalendarium Januariarum die, felix migravit ad eum, quem devotissime sitiens diebus quibus umquam vixerat adesse sibi concupierat, et cui jungi indefessis precibus et vocibus indefessa bonorum operum assiduitate elaboraverat. Erat prima hora sextæ feriæ, quando civitatis omnis populus et pro fidei [85] consueta reverentia et pro adventus Domini dignitate ad ecclesias sanctorum sacro et honesto more concurrerant, et orationum ac missarum ritui et obsequio insistebant. Fit ecce strepitus concurrentium, fit clamor ad alta decessu pii pastoris, lacrimosis suspiriis plebs omnino gemebunda et mestissima Deo commendare festinat, atque transitum ejus digna veneratione et digno cultu prosequitur. Dantur Deo preces et laudes pro debito, dantur patri pissimo luctus et fletus pro pietate, quia et patri debent, ut orent pro animæ [86] absolutione et commendatione, et sibi debent, ut lugeant pro dilecti et multum dilecti recessu proque detrimento absentiæ et discessus ejus; qui licet hinc abiens cœlestia diu petita promeruerit, hos quos relinquebat, quia ex magna cotidianorum colloquiorum dulcedine ac mutuæ affabilitatis consuetudine in nimios luctus amarissimosque dies se deventuros clamoribus quibus plus poterant ingeminabant.

35. Interim circa beati viri corpus exuviis rite peractis, lotis ex more sacris justi membris, induto pontificalibus vestibus et ipsis pretiosis, ut nullus unquam sic pretiosis clericorum, abbatum, monachorum, laicorum diversarum dignitatum et etatum prosecutione lamentabili lugubrique ad ecclesiam matrem devehitur, atque sancti Stephani, prothomartiris pretiosissimi leviarumque præcipui, ante altare deponitur. Ibi tota quæ superat parte diei, tota etiam sequenti nocte a clericis non urbanis et regularibus stipendiariisque domus santum, verum suburbanis et ex forensibus, quorum magna et copiosa multitudo undecumque convenerat, vigiliis consuetudinariis et psalmis magna devotione celebratis, obsequiis sanctissimis frequentabatur.

36. Sequenti die, quæ sabbati dies dicebatur (Dec. 15), celebratis missis oblationibusque Deo magna reverentia datis, et usque in horam nonam pro commendatione felicis animæ officiosissime exhibitis votis et precibus, elevantes venerabile corpus, per mediam urbem versus meridiem extra murum devehunt ad locum, quem ipse a fundamentis construens, inicium suorum operum, mox ut episcopus est effectus, iniciaverat, quem et Deo et sancto [87] Symphoriano præparaverat, quo et se sepulturæ tradi jusserat; qui etiam locus multis sanctorum prædecessorum suorum pontificum Mettensium corporibus insignis et celebris habebatur et habetur. Nam sanctus Æplicius [88] sanctitate et antiquitate inter suos coepiscopos satis clarus, nostris etiam temporibus multis et multorum revelationibus cujus meriti sit manifestatus, ibidem requiescit. Domnus Papolus, cui sanctus Arnulfus in episcopatu successit, qui eidem loco multa prædiorum beneficia contulit, et beatus Goericus, nostris temporibus mirabilis miraculorum operator, et sanctus Godo, germanus ejusdem pontificis Goerici, qui sancti Arnulfi etiam sanguine et carne affines in episcopatu successerant, domnus Aptatus, domnus Felix, reliquique quam plurimi sacerdotes ejusdem urbis honorabiliter ibidem humati venerantur. Quorum amore et loci amœnitate hic beatus pontifex illectus, sepeliri [89] eo loci [90] mandavit.

37. Denique depositum corpus ante sancti Symphoriani martyris altare, etiam dominica quæ advenerat nocte ac die (Dec. 16), et usque in vespertinam pene horam quarti a transitu diei, quæ secunda feria habebatur (Dec. 17), magno concursu fidelium multaque devotione frequentabatur, ita ut noctu et interdiu congregationes sanctorum se invicem prævenire dulci invidia pro cælebrandis vigiliis et summis studiis festinarent. Tandem adveniente fratre ejus Teoderico, et detrimenta sua ex morte germani mox futura quasi præsentia multum deplorante, accurrente etiam domno Bertaldo Leuchorum venerabili pontifice, qui quod sic leniter dulcissimeque ab eodem enutritus sit, donec ad apicem pontificatus [91] proveheretur, satis vocibus et fletibus recolens et revolvens, cælebratis missarum sollempniis, sepulturæ dilecti sibi corpus tradidit, et spiritum animamque Deo datori multa satis sollertia et devotione commendavit. Sepultus est juxta altare sancti Symphoriani martyris venerandi ad levam, sicut jusserat; videlicet ut sapiens utilia semper cogitans salubriaque pertractans, hæc aliaque quæ sancta erant et sunt adinveniens, hoc inter reliqua mandavit et constituit, ut sic proximum sanctis sanctorum sepultura ejus fieret, quo sacerdos ad celebranda sacrosancta mysteria mensæ adstans divinæ, ejus jugiter memoretur, cujus tumulus corporis præ oculis venerandus habetur et cernitur. Suscepit episcopale officium, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 984, 17 [92] Kalendas Novembris; ordinatus est eodem anno 5 Kalend. Januarii. Transiit ex hac luce ad beatam vitam et veram lucem anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinto [93], indictione 3 [93] regnante Heinrico rege, anno regni sui 6 [93], cœlo autem terra marique regnante et imperante Deo et

VARIÆ LECTIONES.

[84] *deest* 2. 3. [85] diei 2. 3. [86] abs. an. 3. [87] d. sanctoque 2. 3. [88] æpletius 2. 3. [89] se s. 2. 3. [90] loci *post corr.* loco 2. [91] *add. sed delevit* cum 2. [92] DCCCC. . . . . VII. Kl. 1. [93] *harum vocum loco spatium relictum est* 1.

Domino nostro Jesu Christo, cui cum æterno Deo Patre et æterno Deo Spiritu sancto est laus perpetua, honor indeficiens, jugis gloria, ineffabilis claritas, incomparabilis magnitudo, dignitas infinita; qui est beatitudo omnium sanctorum, qui est salus infirmorum, qui est remissio peccatorum, qui est salus viventium, qui est resurrectio mortuorum, et nunc et semper et per omnia sæcula sæculorum [94]. Amen.

EPITAPHIUM ADALBERONIS.

Lector, fige gradum, qui volo tendis in altum,
Istic et caute scripta notando lege,
Taliter ut vitam studeas servare quietam,
Qualiter hic gessit, quem brevis urna cap t.
Hic civis [95] egregius, regali stirpe decorus,
Servatur tumulo, usque resurgat humo.
Hic pater et pastor mitisque per omnia doctor
Nomine Adalbero fulserat eximio.
Annis hic binis feliciter atque vicenis
Mettensi dominæ prefuit ecclesiæ,
Sectator legum, rectissima norma minorum,
Precessit facto, suasit et eloquio.
Gemmis virtutum discretus duxerat ævum,
Tractavit cunctos ut proprios genitos.
Virgineos cœtus monachorum hic pater almus
Dilexit, lubricis prætulit et laicis.
Pes fuerat claudo, lucens et semita cæco,
Consolans tristes et refovens inopes;
Nulli difficilis, nisi forte per avia pronis;
Ilos tamen ipse pius rexerat in melius.
In Domini laudem sibi mercedemque perhennem
Erexit multas struxit et æcclesias.
Hoc templum fundans multo et sudore laborans,
Servitium Domini hic statuit peragi,
Sed non ut voluit, quia mordax finis ademit.
Heu sors dira necis, quæ tulit hunc superis!
Quem plangit populus, quem luxit multa juventus,
Patres et nati, servulus et Domini.
Hic quartodecimo mensis sub sole Decembris
Decedens mundo, se dedit Altithrono.
Lector: *Hujus culpæ Deus auctor*, dic, *miserere!* —
Vivat et in Christo! clamitet omnis homo.

—

O Ratramne pater, venerabilis ore magister,
Dulcis, care, decens, facunde benigneque, prudens,
Signifer in castris, civium aux tempore pacis,
Virtutum fama vulgate per avia cuncta,
Aspice [96] nunc oculo quæ sunt hic scripta sereno.
Scribsi tantorum tibimet formas numerorum;
Elige de multis, quos ad tumbam senioris
Dilecti vobis et cunctis scribere possis.
Si qua sonant lepide, placeant [97], pater alme;
Dure quod resonant, hoc clausa silentia condant.
O senior dulcis super omnia nectara mellis,
Memet Cuonradum [98] celso tibi sterno pusillum,
Et rogo, sancte pater, quo non est sanctior alter,
Ut cum finieris versus non valde politos,
Dicas corde bono: *Qui fecit vivat in almo. Amen.*

—

VERBA LIBRI:

Cum juvenis splendens fueram, mutuatus adibam
Cœnobium sanctum celso Nabore sacratum,
In quo præclari multa et virtute probati
Insignesque viri desudant laude perhenni;
In quo pax radiat magna et sapientia regnat.
Moribus et sanctis concordia fulget in illis.
Illuc cum veni, felicem me reputavi;
Namque capite et cauda portavi tergora nuda,
Undique nudus eram; sed mox vestitus abibam.
Non te sicut me decoratum credo, Lucane,
Nec te Constantinus habens vestivit honore
Ut me Cuonradus [99], qui sit semper benedictus;
Cujus sic studiis signis fulgesco novellis,
Margine deque meo nunc plura problemata pango;
Quæ quicumque legis, dic: *Vivant semper in altis*
Sancto Nabori famulantes sorte perhenni.
O quicumque libens versus aspexeris istos
Undique et adpositos, utiles, et jure legendos,
Dic: *Cuonrado* [100] *sit vita salusque misello.*

VARIÆ LECTIONES.

[94] sæculorum 2. [95] cinis *c.* [96] Espice *c.* [97] *vocabulum acest.* [98] κουωνραδουμ *codex.* [99] cxpnrbdxs *codex.* [100] Κουωνραδω *cod.*

ANNO DOMINI MXXIV.

BENEDICTUS VIII PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, *Conciliorum ampliss. Collectio*, XIX, 323.)

Benedictus, natione Tusculanus, hujus nominis octavus, creatus est pontifex anno Redemptoris nostri 1012, tempore Henrici regis. Adversus hunc in schismate contra sacros canones creatus est Gregorius, qui, potentia Romanorum fretus, Benedictum ab Urbe expulit. Pontifex, hanc injuriam a schismatico illatam non ferens, ad Henricum regem in Saxonia degentem se contulit, expositaque coram imperatorem, quæ passus erat, vi et ignominia, Henricus rex, parato et convocato quam potuit citissime exercitu, ad vindicandam injuriam sedi apostolicæ illatam Romam profectus est. Cujus adventu Gregorius pseudopapa schismaticus perterritus, relicta Urbe, aufugit; Benedictus, quem rex præmiserat, eamdem Petri cathedram recepit. Cumque Romam venienti coronam imperialem conferre decrevisset, pro insigni imperiali regi conferendo, jussit, inquit Ditmarus, fabricari aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis ac desuper aureum crucem inseri. Erat autem instar speciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur; ut, dum illud respiceret princeps terreni imperii, foret ei documentum non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo: in ipso etiam diversarum gemmarum decoramine, videlicet imperii culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Venienti, et Urbi jam appropinquanti, obviam processit pius pontifex; quodque pararat stemma et insigne imperii eidem obtulit: ac paulo post in Urbem introductum, una cum Chunegunde conjuge ejus sanctissima, titulo et corona imperiali decoravit. Henricus primordia sui imperii Deo consecrare volens, insigni munificentia Romanam Ecclesiam pie sancteque est prosecutus.

Sarracenos, qui littora Ecclesiæ invadebant, bello aggressus fugavit, et feliciter expugnavit. De Judæis quibusdam Romæ degentibus, teste Glabro lib. III, cap. 8, capitis supplicium sumpsit, quod in Parasceve, actionem eorum qui Christum crucifixerunt imitati, imaginem Christi iisdem injuriis et contumeliis affecissent quibus olim ipse Christus affectus fuerat. Addit: Eodem die post crucem adoratam circa vesperum turbine ventorum totam Romam concussam, omnesque pene Romanos occisos esse; neque prius cessasse ventos quam de Judæis per Judæum accusatis pontifex capitis supplicium sumpsisset.

Hujus hortatu Northmanni Græcos in Apulia pluribus victoriis debellarunt. Rogatus ab Henrico imperatore ad confirmandum sua præsentia Bambergensem episcopatum, quem ipse imperator erexerat, Bambergam venit in Germaniam, ibique post dedicatam Sancti Stephani ecclesiam, per donationem imperatoris, ipsius urbis omniumque jurium ejusdem dominium obtinuit. Nam cum aliquandiu post hæc tempora Romæ tanquam dominæ suæ annuum censum persolvisset, Henricus junior pro ea liberanda, et a Romanorum dominio eximenda, Beneventum pro ea tradidit, tempore Leonis IX Romani pontificis. (Leo Ostiensis, lib. II, cap. 47.)

Imperatorem ad suppetias ferendas adversus Græcos provocavit. Anno enim secundo postquam pontifex in Germaniam venisset, imperator hostibus tremendus in Italiam cum exercitu se contulit, suoque adventu Græcorum fautores alios cepit, alios fugavit; Capuam, Trojam aliasque urbes Græcis deditas obsedit et expugnavit. Anno sequente in Germaniam reversus cum Roberto Francorum rege de statu regni, Ecclesiæ et imperii, congressum habuit, eumque pluribus muneribus donavit.

Benedictus papa ex hac vita migravit tertio Kal. Martii anno 1024, cum sedisset annos duodecim. Post obitum pœnas purgatorii passum fuisse indicant duæ pluresve ejusdem post mortem factæ apparitiones, quibus, ut refert Petrus Damiani in Odilone apud Surium et in epistola ad Nicolaum secundum, per intercessionem Odilonis et eleemosynas germani fratris, in sede apostolica successoris, liberari petivit.

NOTITIA ALTERA.

(Cocquelines, *Bullarum, privileg. ampliss. Collect.* I, 317).

Benedictus octavus, natione Tusculanus, ex patre Gregorio comite Tusculano, dictus antea Joannes episcopus Portuensis, non multo post Sergii mortem inthronizatus est, ut apparet ex infra scriptis documentis. Sedit in pontificatu annos XI, menses XI, dies XXI. Fuit autem temporibus Basilii et Constantini imperatorum in Oriente; in Occidente vero Henrici II, quem ipse Romæ coronavit anno 1014. Obiit anno 1024 (mense circiter Augusto, vel Septembri); non enim videtur recedendum ab eo quod dicitur in Sergio IV ejus obitum diei 18 Augusti 1012 datum juxta Menologium Benedictinum, ex quo tempore manifestum est computanti XII fere annos fluxisse ad Benedicti mortem, mensi circiter

Septembri ineunti assignandam, præsertim si pauci dies vacationi sedis tribuantur.

Schisma decimum nonum.

Cum Benedictus Gregorio cuidam in electione prævaluisset, potentiori tamen cedere deberet, ad Henricum regem perrexit in Saxoniam cum omni A paratu apostolico, expulsionem suam omnibus lamentando innotescens. Quare Henrico rege ad vindicandam injuriam apostolicæ sedi illatam properante, Gregorius pseudopapa schismaticus perterritus, relicta Urbe, aufugit. Benedictus vero pontifex, quem rex præmiserat, eamdem Petri cathedram recepit.

NOTITIA DIPLOMATICA.

Benedicti VIII bullæ sunt scriptæ per manum
Benedicti notarii regionarii et scriniarii S. R. E. (3, 5, 8, 11, 15, 17, 18, 19, 20)
Heradi (al., *Bernardi*) *scriniarii S. R. E.* (4)
Sergii notarii regionarii et scriniarii S. R. E. (7)
Leonis » » » (9)
Stephani » » » (10, 23, 24, 26)
Petri » » » (12, 21)
Georgii » » » (22)
Raphonis » » » (25)
Stephani primi scriniarii [al., *protoscriniarii*] *S. R. E.* (27, 28)
Gregorii ypocancellarii domini Benedicti octavi papæ (27)
Joannis diaconi S. R. E. scriniarii (32)
Datæ p. m.
Petri episcopi S. Prænestinæ ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ sedis ap. (2, 13)
Benedicti episcopi Portuensis et bibliothecarii S. R. E. (4, 23, 25)
Benedicti Dei gratia episcopi S. Silvæ Candidæ ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apost. sed. (5)
Azzoni episcopi S. Ostiensis ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apost. sed. (7)
Bosonis episcopi S. Tiburtinæ ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apost. sed. (10, 12, 17, 18, 21, 22, 28)
Benedicti episcopi, apostolicæ sedis legati (14)
Piligrini Coloniensis archiepiscopi et bibliothecarii sanctæ sed. apost., qui vicem Benedicto commisit episcopo (36)

BENEDICTI VIII PAPÆ
EPISTOLÆ ET DECRETA

I.

Benedicti VIII papæ epistola ad Brunonem Lingonensem episcopum.

(Anno 1012).

[PÉRARD, *Recueil de plusieurs pièces curieuses servant à l'hist. de Bourgogne*, Paris, 1664, fol., p. 172.]

BENEDICTUS, sanctæ universalis Ecclesiæ præsul, BRUNONI Lingonum præsuli, salutem et apostolicam benedictionem.

Monasterii martyris Benigni, quo Willelmum in sancto proposito studiosum monachum abbatem a te didicimus ordinatum, privilegia prædecessorum meorum, præcepta etiam filiorum nostrorum regum Franciæ, a te, vel ab ipso abbate mihi transmissa relegi, atque, ut tua poscebat bonitas, corroboranda statui. Quicunque igitur de burgo, claustro, cimeterio, potestatibus appendiciisque omnibus quæ C juris prædicti sancti noscuntur, ipsi sanxerunt, et quæ antecessores tui suis decretis censuerunt, hæc B Dei beatique Petri apostoli, et nostra auctoritate privilegii nostri littera confirmandum decreverunt. Horum si quis contrarius transgressor exstiterit, anathematis mucrone se a nobis multatum pro certo noverit. Monemus etiam prædictum locum tua protectione defendi ab externorum infestationibus et a tuorum importunitatibus; et quoniam novimus te, quod successores tuos timemus, non agere proposito religionis favore monasticæ, et eumdem locum a te construi et amari, ideo prohibemus, denominato abbate suppliciter exorante, a te vel a tuis successoribus divinum ibidem officium interdici; quod etiam beati Gregorii auctoritate confirmamus, qui Joannem episcopum de urbe veteri pro hoc ipso increpat et interdicit, ne in cœnobiis divina officia celebrari prohibeat, quia quoties vel aliquid inusitatum in monasterio geritur, tenor inde regularis impeditus, non parum a

custodia religionis relaxatur. Quo exemplo decernimus in Divionensi monasterio divinum officium pro sanctæ statu Ecclesiæ continuo celebrari, quatenus frequentata celebratio missarum et orationum turbines ac procellas infestantium valeat sedare; nisi, quod absit, Lingonensi Ecclesiæ, vel eidem monasterio, infractione, aut præsulis prædictæ sedis proditione, sive captione aliquo modo accidente, pro quibus sponte debent ab officio cessare. Valete.

Data pridie Kalendas Decembris, per manus Petri sanctæ apostolicæ sedis bibliothecarii, indictione x.

II.

Benedicti VIII papæ privilegium pro monasterio S. Benigni Divionensis.

(Anno 1012.)

[PÉRARD, *Recueil*, etc., p. 273.]

BENEDICTUS, sanctæ universalis Ecclesiæ præsul, dilecto in Christo Jesu filio WILLELMO abbati monasterii Divionensis, ejusque successoribus regulariter substituendis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex injuncto nobis officio sanctorum locorum quieti debemus invigilare, ut quanto quietius, tanto devotius in eis Domino serviatur.

Propterea, charissime fili Willelme, petitionibus tuis annuentes, monasterium vestrum sub protectione apostolica conservandum statuimus, et ne ab episcopo Lingonensi, aut ejus successoribus, divinum in ipso monasterio interdicatur officium, prohibemus. Quod etiam beati Gregorii auctoritate confirmamus, qui Joannem episcopum de urbe veteri pro hoc increpat et interdicit, ne divinum officium prohibeat in cœnobiis celebrari, quia quoties hoc vel aliquid inusitatum in monasteriis geritur, tenor inde regularis impeditus, non parum a custodia religionis relaxatur. Quo exemplo decernimus in Divionensi monasterio divinum officium pro statu sanctæ Ecclesiæ continue celebrari, quatenus frequentata celebratio missarum et orationum turbines ac procellas infestantium valeat sedare, nisi, quod absit, Lingonensi Ecclesiæ, vel eidem monasterio, infractione, aut prædictæ sedis præsulis captione aliquo modo accidente, pro quibus sponte debent ab officio cessare, omnium etiam monachorum tuorum quoslibet excessus secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, paterna animadversione habeas castigare, nec ulli episcoporum liceat interdicti proferre sententiam, seu quibuslibet angariis, vel indictionibus fatigare, quandiu ipsi monachi vestræ disciplinæ subdi voluerint, et regularibus institutionibus supponi. Quæcunque vero privilegia prædecessorum meorum, quæcunque præcepta regum vel imperatorum, quæcunque scripta Lingonensium antistitum aliarumque personarum idem cœnobium noscitur possidere, nos præsenti decreto corroboramus, nec non possessiones, dignitates atque libertates, quæ in ipsis paginis continentur annotatæ auctoritate beati Petri et nostra integras et illibatas perpetuo manere sanximus. Horum si quis contrarius transgressor exstiterit, anathematis mucrone se a nobis multatum pro certo noverit.

Data Kal. Decembris, per manus Petri sanctæ apostolicæ sedis bibliothecarii, indictione x.

III.

Benedictus VIII papa jura omnia ac bona S. Urgellensis Ecclesiæ confirmat.

(Anno 1012.)

[COCQUELINES, *Bullar.* tom. I, page 319.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo ac spirituali filio ERMENGAUDO sanctæ Urgellensis Ecclesiæ episcopo, tuisque successoribus in perpetuum.

Apostolatus nostri sollicitudo omnium ecclesiarum utilitatibus nos monet prospicere, et ne funditus corruant, opem perpetuæ sustentationis impertire. Quapropter cunctis archiepiscopis, ducibus, marchionibus, comitibus, vicecomitibus, cunctisque sanctæ Dei Ecclesiæ filiis manifestum fieri volumus, quoniam una cum cuncto nostro clero episcoporum, cardinalium, presbyterorum, diaconorum subdiaconorumque, confirmamus atque concedimus huic supradicto Ermengaudo episcopo suum videlicet jam præfatum episcopatum sanctæ Urgellensis Ecclesiæ ex integro cum omnibus suis ædificiis, castellis, villis, fundis et casibus in quo sunt, ecclesiis, vineis quoque et terris et pratis, pascuis et silvis, arboribus pomiferis et inpomiferis, fructiferis vel infructiferis, diversi generis, paludibus et pantanis, salicetis, puteis, fontibus, rivis molendinis, piscationibus, seu etiam et venationibus, aquis aquarumque decursibus, montibus et collibus, plagis et planitiis, cavertinis, adjacentiisque eorum, cultum vel incultum, nec non et pertinentiam ejusdem episcopii, scilicet Cerdaniensis pagus, Libienensis, Bergitanensis, Paliarensis quoque, atque Ribacurcensis, Jestaliensis atque Cardosensis, Anabiensis ac Tirbensis, et locus sanctæ Deodatæ cum finibus suis, castrum etiam, quem dicunt Turres, cum finibus suis, et Bescaram cum finibus suis, cum ipso alode, quem dicunt Sor, et ipsos villares, quæ dicunt Letone, et Colpedra cum finibus suis, Haclone et Sardina cum finibus suis, et ipso villare, quem dicunt Boscedera, Calbitiano cum finibus suis, et Lenztirdo cum finibus suis, et Submonte cum finibus suis, et ipsos alodes de valle Andozza, qui fuerunt de Sinifredo comite, et ipso fevo de Archavello, et ipso alode de Salellas cum ipso fevo de Sancto Stephano, et ipsas villas, quæ dicunt Montaneo, Lello et Cubilare, cum illorum terminos, vel fines, et ipsa villa, quæ dicunt Salento cum finibus suis, castrum etiam Sanguia cum finibus suis, et ipsa villa quæ dicunt Tossen cum finibus suis, quam Burellus comes in hunc episcopatum pro sua olim donavit anima, et a suo filio Ermengaudo episcopo postea huic episcopatui confirmata. Confirmamus etiam id ipsa villa cum finibus suis ad locum vocitatum sanctæ Urgellensis Ecclesiæ de illa hora in antea, quam Raimundus comes reddidit in potestate Domino Deo ejusque præcelsæ genitrici, et in

manu memorato Ermengaudo episcopo propter remedium animæ suæ, et uxoris sui Ermesinde, et pro remedium animæ genitoris sui, et fratris sui Ermengaudi, et ipso alode quem dicunt Castellione cum Guardiola et cum ipso Solane, cum illorum terminum vel fines, et ipso alode quem dicunt Turrizella, cum finibus suis, et ipsam hæreditatem, quam æpe dicto Ermengaudo episcopo dedit ad jam præfatæ sanctæ sedis Urgellensis, qui illum advenit per successionis sui genitori, in tali videlicet ratione dum vixerit Arnaldus frater ejus teneat, et possideat, et post obitum vero suum remaneat ad sanctæ prædictæ sedis; alodem qui est ad ipsa spungia similiter. Confirmamus etiam ei tertiam partem Telonei ejusdem episcopii mercati cum pertinentiis vel cum omnibus ad ipsum episcopium, et suis omnibus locis ubicunque generaliter et ex integro pertinentibus, situm supradictum episcopatum a territorio Urgellensis, Cerdaniensis, Bergitanensis, Paliarensis, atque Ribacurcensis. Item et confirmamus tibi tuisque successoribus de ipsius supradicti episcopii locis, et pertinentiis, primitiis, et decimis, nec non et integram stabilimus ut nulla quælibet persona clericis vestri episcopii consistentibus injuste ad districtionem, aut ad justa lex deportare laicali persona præsumetur. Nam quia supradictum episcopium cum suis rebus ubicunque sibi pertinentibus Francorum regibus per præceptum domni et præstantissimi regis Caroli Franciæ regionis, et per scriptionem nominis ejus concessit; et firmavit sigillo regale seu per concessione et donatione regis Ludovici proles Caroli, et per confirmationem regis præceptis signansque sigillo proprio domini regis Caroli Ludovici prolis, nec non et per privilegia itaque beatorum apostolorum principis Petri, et domno Agapito papa et aliorum apostolorum, qui hic fuerunt functi, et obligationem illorum tenuerint, præcedentes episcopi sub jugo et servitio inviolatæ Dei genitricis; sed ita et nos apostolica auctoritate firmamus ut a modo, et in antea quidquid vos vestrique successores legaliter acquisituri fueritis, futuris temporibus ex præsenti anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1013 (1), indictione XI, inclinati precibus vestris, per vestra regalia præcepta et hujus privilegii seriem in perpetuum vobis vestrisque successoribus confirmamus et stabilimus detinendum, possidendum et cum timore Dei dispensandum atque regendum, ut nullus rex, nullus princeps, nullus comes, nullus marchio, nullus judex, neque ulla magna parvaque persona aliquam vim, aut invasionem in eodem episcopio neque in suis pertinentiis nunquam facere præsumat. Pro quo, et sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione promulgantes decrevimus, ut nulli nostrorum successorum pontificum, ut supra posuimus, neque ulla magna parvaque persona audeat neque præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegium in aliquibus agere injuste, neque frangere tentet. Ergo qui ad sanctæ huius Ecclesiæ aliquid rapit, aufert vel fraudat, invadit, retentat, devastat, aut nefaria calliditate suppresserit, pro homicida teneatur, atque reus in conspectu justi judicii Dei deputetur, et ut sacrilegus judicetur, et nisi per puram probatamque atque publicam pœnitentiam et per Ecclesiæ satisfactionem episcoporum manus impositionem juxta canonicas sanctiones reconciliatus non fuerit, regnum Dei non possideat, et non solum a regno Dei fit alienus, sed etiam a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sit ejectus. Talium scelerum patratores, nisi per satisfactionem, nec vivus nec mortuus communicare non audeantur, et insuper anathematis vinculo damnentur, Deo et sanctis suis [*deest* odibiles *vel quid simile*] efficiantur, et ab Ecclesiæ catholicæ communione pellantur. Quorum nos sequentes exempla omnes tales præsumptores a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ anathematizamus, apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, et non solum facientes, sed et consentientes eis; quia non solum qui faciunt judicantur rei, sed etiam qui facientibus consentiunt. Pari enim pœna, et agentes et consentientes comprehendit. Si quis autem quod non credimus, in aliquibus frangere tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei, et sancti Petri apostoli, atque nostra qui ejus fungimur vicariatione, anathematis vinculis indissolubiliter esse innodandum, et a regno Dei alienandum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, incendio concremandum, et in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero custos et observator exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis a justo judice domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps esse mereatur. Amen.

Scriptum per manum Benedicti notarii, regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembris, indictione XI.

Giselbertus gratia Dei episcopus. Senensis Sigefredus Parmensis Ecclesiæ Dei providentia episcopali infula redimitus. Ego Pontius, ac si indignus sub manu Dei omnipotentis Aratensis episcopus, confirmo et consigno hanc paginam, ut in Dei nomine firma permaneat omnique tempore. Petrus episcopus Pabiensis subscripsi; Sigefredus sanctæ Placentinæ Ecclesiæ custos consentiens subscripsi. Leo episcopus ac si indignus Vercellensis Ecclesiæ custos subscripsi. Hockerus Leodiensis episcopus subscripsi. Ego Benedictus Dei gratia episcopus sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ interfui et subscripsi. Aimericus episcopus Ribacurcensis subscripsi. Petrus Magalonensis episcopus; Borellus ac si indignus episcopus; Bonifacius Taurinus episcopus subscripsi.

(1) Leg. 1012.

IV.

Benedictus VIII Ecclesiæ Bambergensis, petentibus Heinrico rege et Eberhardo episcopo, privilegia confirmat.

(Anno 1013.)

[Pertz, *Monum. Germ. hist.* Scr. IV, 808, in *Vita Heinrici imp.*, auct. Adalberto.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo sibi in Christo semper domino et serenissimo regi Heinrico, a Deo coronato, suoque spirituali filio, Eberhardo quoque confratri et coepiscopo suo, sanctæ videlicet Babenbergensis Ecclesiæ venerabili episcopo, æternam in Domino salutem et apostolicam benedictionem.

Inter omnia quæ divinæ providentiæ consilio disponuntur, ad laudem respicit Creatoris, quod etiam a summis viris Deoque devotis, intuitu pietatis et spe æternæ retributionis, venerabilia loca eorum sumptibus sublimantur rectissimeque ordinantur, possessionum suarum beneficiis cumulantur, et in meliorem statum, Christo auxiliante, commutantur. Unde, dilectissime fili in omnibus, quæ te ad laudem et gloriam Redemptoris nostri devote et misericorditer fecisse, manifestum est, nihil perfectius nihilque melius ad promerendum regnum cœlorum agere potuisti, quam quod illum tibi fecisti hæredem, a quo æternam accepturus es hæreditatem, quodque sancta Babenbergensis Ecclesia ad episcopalis dignitatis fastigium per te sublimata, illic tibi beatissimam Dei Genitricem semperque virginem Mariam, beatissimosque apostolos Christi Petrum et Paulum, una cum sanctis martyribus Kiliano et Georgio, elegisti in patrocinium; qui, Christo propitio compensata vicissitudine, adipiscendi regni cœlestis perpetuum præstabunt auxilium. Pro tanto igitur Deo ejusque sanctis collato servitio in primis ipsi gratias debitasque laudes referimus, qui tibi tam sanctum opus faciendum inspiravit, et ut ad votum tuum perficeres, largiflua pietate adjuvare disposuit. Deinde quoniam sancta Romana Ecclesia, quæ bene fundata est supra firmam petram, hoc semper habuit veræ charitatis indicium, ut de exteriorum gauderet provectu Ecclesiarum: competit nostro apostolico moderamini, ut nos, qui eidem Deo auctore deservimus, sancto studio tuo plenissime congaudeamus, sperantes tui operis habere portionem, si, quod tuum est per laborem, nostrum facimus per charitatem. Quapropter, quoniam petisti a nobis una cum confratre nostro Eberhardo, ejusdem sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ Deo digno episcopo, ut omnia, quæ privilegiorum auctoritate sibi suæque Ecclesiæ a prædecessoribus nostris, videlicet domno Joanne et Sergio, summis pontificibus, collata sunt, nostræ quoque auctoritatis privilegio confirmaremus, considerantes nos quidem vestræ devotionis affectum piæque voluntatis propositum, libentissime petitionibus vestris assensum præbere decernimus. Quocirca statuentes atque promulgantes, coram Deo et terribili futuro ejus examine, per hujus nostri apostolici privilegii seriem et constitutionem sancimus, et beatæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, necnon et beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctorumque martyrum Kiliani et Georgii cæterorumque omnium sanctorum auctoritate, in quorum nomine prænominata Ecclesia dedicata est, decernimus, atque obtestamur tam apostolicæ sedis futuros pontifices, quam qui ecclesiasticas administraverint actiones, cunctosque Christianitatis titulo insignitos, ut nullus habeat licentiam de his omnibus quæ eidem Ecclesiæ a prædecessoribus nostris per privilegia concessa sunt, vel a nobis data vel danda sunt, aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus præfatæ Ecclesiæ tradita sunt, vel in antea futuris temporibus contradentur, tam in familiis quam in terris, seu in aliquibus possessionibus, convellendi, destruendi, molestandi vel alienandi. Si quis vero, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ hac nostra stabili et inconvulsa firmitate pie et fideliter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire temptaverit, et hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate præscriptæ ecclesiæ statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate beati Petri principis apostolorum omnium nostraque, cujus immeriti vicem agimus, anathematis vinculis innodatum, et cum diabolo ejusque atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum, nisi resipuerit et eidem Ecclesiæ digna emendatione satisfecerit. At vero qui devota intentione observator exstiterit hujus nostri privilegii ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo et Domino multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Sancta Trinitas charitatem vestram illibatam custodiat.

Scriptum per manum Herhardi, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Junio, indictione XI. Datum per manum Benedicti, Portuensis episcopi et bibliothecarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, anno, Deo propitio, pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis et universalis octavi papæ primo.

V.

Benedicti VIII papæ bulla qua Farfensi cœnobio bona ac jura omnia confirmat.

(Anno 1013.)

[Muratori, *Script. Ital.*, II, 557.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino filio Guidoni coangelico, abbati monasterii quod dicitur in Pharpha de loco Acutiano, tuisque successoribus in perpetuum.

Igitur quia petistis a nobis quatenus ex nostra largitate nostroque dono concederemus vestræ religioni in fundo Massa ecclesiam Sanctæ Mariæ in loco qui dicitur Formellus, cum omni ornatu ipsius, atque vineis et terris, sicut olim detinuerunt duo presbyteri Benedicti propriis vocitati nominibus, qui modo videntur esse vestri monachi, cum introitu, et exitu suo, et omnibus sibi generaliter et in omni-

bus pertinentibus. Concedimus vobis insuper in supradicto fundo Massa casales tres ex integro, scilicet casale de Petroccio, et casale Leonis Sabinensis et casale Petri de Leone ferrario, cum casis, vineis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis et arboribus, pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, cultum vel incultum, vacuum vel plenum. Affines vero et termini eorum sicut nunc sunt et ab origine fuerunt, et quemadmodum in vestræ acquisitionis continetur chartula, et sicut hæredes supradictorum hominum ad laborandum suis modo detinere videntur manibus. Omnia juris sanctæ Romanæ, cui Dei auctore præsidemus atque deservimus, Ecclesiæ, vobis ad tenendum emissa præceptione concedimus a præsenti indictione XI vobis vestrisque successoribus absque reddito vel censu perpetualiter detinendum. Statuentes apostolica censura et auctoritate beati Petri apostolorum principis, sub divinis obtestationibus et anathematis interdictionibus, ut nulli unquam successorum nostrorum paparum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ, per nominata loca a potestate et dictione vestra vestrorumque successorum, ac vestri monasterii auferre vel alienare quoquo modo liceat. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hoc privilegium agere præsumpserit, sciat se a Deo alienum, et cum omnibus impiis æterno incendio ac supplicio condemnatum. At vero qui pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordiosissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Benedicti regionarii notarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in manu apostolica (2), indictione supradicta XI.

Bene valete.

Datum VIII Kalend. Maii per manus Benedicti Domini gratia episcopi Sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus D. N. Benedicti sanctissimi VIII papæ primo.

VI.

Donatio terrarum facta Farfensi cœnobio ejusque abbati Guidoni a Benedicto VIII pontifice maximo.

(Anno 1013.)

[Muratori, *Antiq. Ital.* IV, 799.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno Deo propitio pontificatus domini Benedicti summi pontificis et universalis papæ VIII in sacratissima sede beati Petri primo, indictione XI, mense Junio, die II. Dum pro adipiscendis cœlestis regni gaudiis æternis procul dubio ad cultum divinæ majestatis conferenda stipendia omnino fas exigit, eo quod valemus, nisu quæque ad stabilitatem integritatis perfectam in venerabilibus locis permanere, et non tantum verbo firmitatis maneat, verum etiam per seriem scripturarum paginam volumus esse testatum, maxime in quibus omnipotenti Deo laudes referuntur; ut Redemptori nostro hoc ipsum quod ad gloriam sancti nominis ejus dignoscitur procurasse, sit acceptabile, a nobis inferius ascriptum, et domno Gregorio et domnæ Mariæ genitorum meorum, pro quorum amore et venia meorumque delictorum offero, ut ab eodem Domino Deo nostro sanctissimis suis miserationibus in ethereis arcibus conferatur remuneratio, et veniam delictorum omnium consequi mereantur. Quapropter ego suprascriptus domnus Benedictus almæ Romæ præsul a præsenti die do, dono, cedo, trado et irrevocabiliter largior, simul atque concedo ex propria mea substantia, propria, spontanea, meaque voluntate, vobis, Guido, venerabilis presbyter et monachus atque abbas venerabilis monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ dominæ nostræ terræ Sabinensis, in loco qui dicitur Acutianus, vestrisque successoribus abbatibus, presbyteris et monachis, majoribus minoribusque, qui in eodem venerabili monasterio Deo servituri sunt, pro vestris sacrosanctis fidelibus et quotidianis orationibus, quas pro salute animarum nostrarum facere non cessatis. Ideoque remunero et dono et offero pro anima mea et animabus prænominatorum piæ recordationis olim genitorum meorum : id est totam integram vineam et terram quas ad laborandum detinuit Benedictulus, qui dicebatur de Laxo, et Peculus filius ejus, qui fuerunt famuli nostri, cum casis, vineis, et terris, campis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis, diversique generis, rivis, fontibus aque perennibus, cultum vel incultum, vacuum et plenum, sic in integrum, quomodo supradicti famuli nostri ad laborandum suis detinuerunt manibus, in montibus et planiciebus per diversa loca et vocabula, ubicunque posita esse videntur, cum introitu et exitu suo, et cum omnibus ad ea generaliter in integrum pertinentibus, posita in territorio Collinensi in fundo Flajano, sicuti ejus affines ab origine fuerunt, vel modo designari possunt, juris, cui existunt. Quæ a præsenti die largimur vobis, ita ut a vobis continuas orationes suscipiamus; qui si carnalia vobis concedimus, spiritualia a vobis percipere debemus. Et a præsenti die pro redemptione animarum fratrum et sororum meorum, et meæ, qui supra donator, habeatis, teneatis, possideatis, et utendi, fruendi, possidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quidquid ad luminariorum concinnationem ad sanctæ Ecclesiæ utilitatem vestri monasterii facere sive peragere volueritis, in vestra vestrorumque successorum sit potestate. Et nullo unquam tempore a me, neque ab hæredibus et successoribus meis, neque a me submissa magna vel parva persona aliquam aliquando habebitis quæstionem aut calumniam. Et si vobis vestrisque successoribus opus intervenerit, stare me una cum hæredibus et successoribus meis, et defendere promitto ab omni homine in omni tempore et in omni loco,

(2) Leg., *in mense Aprili*. Jaffé.

ubi vobis necesse fuerit. Et hæc omnia, quæ hujus donationis chartulæ series textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam, quod absit, si contra hæc quæ superius notata sunt, vel ascripta leguntur, agere præsumpserimus, et cuncta non observaverimus, tunc daturos nos promittimus vobis ante omnis litis initium pœnæ nomine auri optimi libras duas; et post solutam pœnam hujus donationis chartulæ series in sua nihilominus maneat firmitate. Quam scribendam rogavit Roccionem, scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et ego, qui supra scriptus manu propria subscripsi, et testes qui subscriberent, rogavi, et vobis, qui supra, contradidi in mense et indictione suprascripta XI.

✠ T h F K I h C T X C, qui et Benedictus episcopus servus servorum Dei.

✠ Hilperinus filius Hilperini.

✠ Franco filius Duranti.

✠ Joannes, qui Paparone vocatur.

✠ Octavianus filius Sergii de Transtiberim.

✠ Crescentius filius Joannis de Lottecar.

✠ Ego Roccio scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui supra scriptor hujus chartulæ complevi et absolvi.

VII.

Bulla Benedicti papæ VIII pro monasterio Sancti Sepulcri in loco Nociati.

(Anno 1013, mense Decembri.)

MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, I, Append., p. 212, ex autographo monasterii Fontisboni.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio RODERICO, qui BONIZZO vocari videtur, abbati monasterii Sancti Sepulcri ac sanctorum Quatuor Evangelistarum, quod situm est in castro Felicitatis, in loco Nociati, tuisque successoribus in perpetuum.

Quoniam si quid ad honorem Dei et sancta Dei monasteria ordinamus, mercedem inde in futurum a Deo nos recepturos esse non dubitamus: idcirco nos quibus ecclesiarum Dei cura commissa est ecclesiam prædictam in posterum provideatis de rebus sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ privilegium nostræ auctoritatis constituere ratum duximus; arbitramur etenim ad futuræ utilitatis fructum plurimum valere quod contra insectationes tyrannorum et quorumlibet pravorum vires videtur habere. Auctoritate igitur apostolica constituimus privilegium de ea quæ inferius continet pro remedio animæ nostræ nostrorumque successorum pontificum et pro sustentatione fratrum et susceptione inopum et peregrinorum et congregatis in Christi laudibus, quia mercedem in futurum a Deo nos recepturos non dubitamus; proinde concedo vobis vestrisque successoribus in perpetuum, id est Corte quæ Constantiorum, et Sargonina, et Nobule et Balzolo, et campo Dominico et campo de Puzzo et Flavelle totum in numerum, sicuti sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, vobis vestrisque successoribus in perpetuum detinendum et perfruendum concedimus, vestris precibus inclinati, a præsenti duodecima indictione nostra auctoritate libera atque secura habeatis ab omni extranea potestate, ita ut nullus dux, princeps, comes, aut vicecomes, vel magna parvaque persona, potestatem ibi exerceat vel vim facere ibidem præsumat, ita sane ut singulis quibusque in indictionibus pensionem auctionarii sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ duos aureos solidos difficultate postposita persolvatis. Statuentes itaque apostolica auctoritate sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione ut nulli unquam successorum nostrorum pontificum, vel magna parvaque persona, sicuti supra scriptum est, contra hoc nostrum privilegium venire audeat. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hæc venire attentaverit, et sicuti a nostra apostolica auctoritate concessum et confirmatum est, permanere non dimiserit, sciat se maledictum et anathematis vinculo a Patre et Filio et Spiritu sancto innodatum, et in æternis incendiis cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi habeat portionem. At vero qui pio intuitu custos et observator hujus nostri apostolici privilegii exstiterit, benedictionis gratiam a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur et vitam æternam particeps effici mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Sergii notarii regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense et indictione suprascripta duodecima.

✠ Bene valete. SS.

In nomine Domini datum per manus Azzoni episcopi sanctæ Ostiensis Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, domni Benedicti summi pontificis et universalis octavi papæ in sacratissima sede beati Petri secundo, in mense Decembrio, indictione suprascripta duodecima.

VIII.

Benedictus VIII Heinrico imperatori tradit cortes tres in ducatu Bavariæ sitas pro quibus Colle Calvum regalem curtem accipit.

(Anno 1014.)

[MANSI, *Concil.* XIX, 329.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino spirituali filio H. invictissimo ac triumphatori Augusto.

Quanquam rei commutatio ex ipsa corporali traditione possit firma consistere, vel ea quæ legaliter geruntur nulla valeant refragatione convelli, ne quæ tamen possit esse contradendi dubietas, nostræ debet intervenire auctoritatis adnisus. Et quoniam curtes tres cum omnibus earum pertinentiis, servos denique et ancillas, colonos cum colonabus utriusque sexus ibidem residentibus, sic hactenus nostra apostolica sedes detinuit in jure sanctæ Romanæ, cui, Deo auctore, deservimus Ecclesiæ, charitas nostra poscit et desiderat commutare; ad

cujus vicem recompensationis recepimus nos, a vobis in sanctam nostram Romanam Ecclesiam, dilecte fili II. imperator Auguste, curtem regalem quæ dicitur N. cum omni sua pertinentia, constituta infra comitatum Spolitanum, quæ ad vestrum videtur pertinere imperium, vobis in perpetuum jam dictas tres curtes tradimus atque commutamus, ut a præsenti die illas habeatis, teneatis, possideatis, et in vestrum jus et dominium perpetualiter vindictis, ita ut nullus unquam nostrorum successorum pontificii, vel quælibet alia magna vel parva persona, ipsas tres prædictas curtes cum omnibus earum pertinentiis a potestate et ditione vestra auferre aut alienare audeat: sed liceat vos in perpetuum omni tempore a nostra S. R. E. receptas tenere et possidere. Quod si quis hoc nostrum apostolicum præceptum, quod non credimus, infringere tentaverit, sciat se vobis compositurum auri purissimi libras centum; et hanc commutationum paginam in sua manere firmitate perpetualiter.

IX.

Benedictus VIII monasterii B. Petri Bremetensis libertatem et possessiones confirmat (5).

(Anno 1014.)

[Ughelli, *Italia sacra*, IV, 1024.]

Benedictus, etc., dilecto filio Gottifredo abbati venerabili monasterii B. Petri apostolorum principis, fundati in Bremetensi territorio inter Padum et Ticinum, suisque successoribus in perpetuum.

Si semper sunt concedenda quæ piis desideriis congruant, quanto potissimum non sunt deneganda ea quæ pro divini cultus stabilitate petuntur, etc. Igitur quia per interventa I. charissimi nostri, Adalberti gratia Dei marchionis gloriosissimi, ac imp. Henrici postulatio fratrum ejusdem Bremetensis monasterii . . . . . quatenus ad ipsum monasterium, quod prius ad Dei honorem ac S. Petri apostolorum principis tempore regis Theodorici ab Abbone patritio fuit prope Alpes in loco Novalesio nuncupato ædificatum, et postmodum imminente Sarracenorum persecutione studio Adalberti Deo devoti marchionis translatum est, collecta congregatione fratrum regularium ad oppidum quod Bremetum dicitur privilegiis nostræ S. sedis apostolicæ roboratum. Quorum piis desideriis faventes hac nostra auctoritate id quod postulatum est concedimus. Et ideo omnibus cujuslibet ecclesiæ sacerdotibus quamlibet ditionem habere, vel missarum solemnia ibidem celebrare prohibemus, nisi ab abbate ipsius loci invitatus fuerit, sed nec aliquam ordinationem vel consecrationem illic facere præsumat. Confirmamus etiam eidem monasterio B. Petri apostoli omnes res et possessiones quæ ab initio fundationis suæ apud Novalesium supradictus vir excellentissimus et Christianissimus Abbo per testamenti paginam, sive cuja viventis tradidit et delegavit, quasque prædictus Adalbertus marchio cum uxore sua deinceps apud Bermetum translatum donavit. Ecclesiam vero, quæ est constructa in honorem S. Dei Genitricis virginis Mariæ in Pollicino cum omnibus suis pertinentiis, cellam quoque vocabulo S. Andreæ in civitate Taurinensi cum omnibus suis pertinentiis prædicto monasterio confirmamus, etc. Insuper cellam quam a Paganis vocant, cum omnibus suis pertinentiis, sicut per præcepta ei delegatum est; quin etiam Gabiani cortem cum universo territorio, quæ est in Stupunico, Vallicella, Maridiago, Loretto, Roxaria, et Abrusiateo monasteriolo Gorgiano, quæ omnia cum prædicta corte ac suis pertinentiis jam dicto monasterio per præceptum concessum est. Pollentium quoque cellam, quæ ab ejusdem monasterii fratribus noviter constructa est, et colonia cortem, et Mancianum castrum cum omnibus suis pertinentiis, quæ Oddo marchio pro remedio animæ suæ matris eidem monasterio cum sua conjuge per chartam offersionis concessit; Cavallarium etiam cum corte magna, et omnibus aliis suis appenditiis, sicut ab Arduino marchione pro remedio animæ suæ matris eidem cœnobio largitum est. Castrum vero S. Georgii, et Casalis curtem, cellulam vero in honorem S. Petri constructam in valle quæ dicitur Ignaria cum omni sua integritate; cellam quoque S. Petri principis apostolorum, et S. Michaelis archangeli, et ecclesiam in honorem S. Stephani sacratas cum castro quod vocatur Rodo, et aliud nomine Virdunum cum omnibus suis pertinentiis, cum portis, ripaticis, etc. Si quis autem, etc.

Scriptum per manus Leonis notarii regionarii et scrinarii S. R. E., in mense Februario et indict. XII, anno, Deo propitio, pontificatus domini Benedicti summi pontificis et universalis VIII papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli II, imperante D. Henrico a Deo coronato magno imperatore anno I, in mense et indict. suprascripta XII.

Bene valete.

X.

Privilegium Benedicti VIII papæ pro monasterio Casinensi.

(Anno 1014.)

[J. Tosti, *Storia della badia Casin.*, t. I, p. 246.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Domino Jesu Christo filio Athenulfo venerabili et religioso abbati sacratissimi monasterii Beati Benedicti confessoris Christi, siti in monasterio [monte] qui vocatur Casini, tuæque sanctæ congregationi successoribusque tuis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animi alacri devotione impertire suffragium. Tunc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Domino sine dubio promeremur, si venerabilia sanctorum loca optime ordinata, et

(5) Bethmannus V. D., qui hanc bullam in archiep. tabul. Taurinensi excussit, cum sit manu sæc. XII exarata, eam aut transcriptam aut simulatam esse censet. Jaffé.

ad meliorem fuerint sine dubio statum nostra auctoritate perducta. Igitur quia vestra dilectio nostro apostolatui humiliter postulastis a nobis, quatenus concederemus et reconfirmaremus vobis supradictum monasterium Christi confessoris beati Benedicti, situm in territorio Aquinense in monte qui vocatur castro Casino, ubi sacratissimum corpus ejus humatum esse videtur, cum omnibus adjacentiis sive pertinentiis, tam monasteriis virorum quamque et ancillarum Dei, necnon cellis ac prædiis ubicunque vel qualitercunque ad jura monasterii eidem pertinere dignoscitur, omnia in integro monasteria venerabilia. In primis Domini Salvatoris positum ad pedem ipsius montis, atque monasterium sanctæ Dei Genitricis et virginis Mariæ qui vocatur Plombarola. Itemque et monasterium Sanctæ Mariæ in Cingla, qui nunc infra civitatem Capuanam ædificatum est; similiter in eadem civitate Capuana cella Sancti Benedicti, et monasterium Sancti Joannis puellarum, imo et monasterium Sanctæ Sophiæ, quod infra civitatem Beneventanam ædificatum est; verum etiam et monasterium Sanctæ Mariæ, situm in finibus Beneventani in loco qui dicitur Canneto juxta fluvium Trinium; porro et monasterium Sanctæ Mariæ ancillarum Dei intra civitatem Cosenciæ . . . . . (se guono i nomi di terre chiese ed altro suggette a la Badia). . . . Pro qua re piis desideriis faventes, ac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfati monasterii ditionem quamlibet habere, hanc auctoritatem, præter sedem apostolicam, prohibemus. Ita ut, nisi ab abbate ejusdem monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnia præsumat celebrari omnimodo. Sed a præsenti duodecima indictione irrevocabiliter in perpetuum stabilimus permanendum, et cum Dei timore regendum et gubernandum atque dispensandum statuimus. Post vero obitum abbatis nemo ibi abbatem constituat, nisi quem consensus et voluntas communis fratrum ex ipso congregatione eligerit; et qui aliunde ibidem abbatem intromittere voluerit sub anathemate sit. Insuper apostolica censura sub divini judicii obtestatione, sed et validis atque atrocioribus anathematis (pœnis), interdicimus, ut neque ullus unquam præsumat quispiam qualiscunque sit dignitatis prædilus potestatis, vel etiam quacunque magna parvaque persona in eodem monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus et possessionibus, vel ecclesiis sibi subjectis, vel quidquid de his quæ ei pertinere videntur quomodocunque auferre aut alienare, sed nec quamlibet malitiæ aut jacturæ molestiam, ibidem sive pacis, sive barbaricis temporibus quoquomodo inferre : dum profecto eum perenniter, ut dictum est, pacis quam barbaricis temporibus firma stabilitate esse decernimus sub jurisdictione sanctæ nostræ Ecclesiæ permanendum. Promulgantes nempe, et auctoritate beati Petri apostolorum principis coram Deo et terribili ejus examine per hujus nostri apostolici privilegii constituti sancimus atque decernimus, ut loca quæ oblatæ cujuslibet qui nobis in eodem præfati monasterii commutata vel concessa sunt, nec non et alias locorum possessiones quæ a regibus ac ducibus vel castaldeis et a cæteris Christianis in eodem sancto loco largita atque oblata sunt aut in postmodum illic concessa fuerint, firma stabilitate juro ipsius præfati monasterii existenda atque in perpetuum permanenda statuimus. Nec licentia sit, ut dictum est, ex ejus vel omnibus ejusdem monasterii pertinentibus cuiquam magna parvaque pars auferre. Aut profecto juxta id quod subjectis iisdem venerabilis locus apostolicis constituti atque privilegii consistit inconcusse dotandus permaneat et liceat eosdem monachos, ut dictum est, de sua congregatione abbatem semper eligere. Etiam licentiam vobis sit pro confectione chrismæ, vel oblatione et ordinatione presbyterorum seu diaconorum et subdiaconorum, et aliorum consecranda. Concedimus etiam vobis in prædicto venerabili monasterio omnibus subjectis ecclesiis Christianis dotes agere, episcopum qualem vobis placuerit invitandum, hymnum angelicum per dies vero Dominicos et festibus omni tempore ad missarum solemnitates dicendum concedimus; et liceat vobis signum pulsare tam in diurnis quam in nocturnis horis, quando vobis placuerit, in jam dictum monasterium, quam et in ullis ejus : et nullus episcopus prohibeat populum Dei ingredi in monasteriis quam et in cellis ejus ad audiendum verbum Dei. Insuper etiam volumus ut nullus episcopus præsumat in jam dicto monasterio, vel in subjectis suis ecclesiis sacerdotem excommunicare vel ad synodum provocare, aut abbatem vel monachos qui in illo tempore fuerint. Liceat vobis etiam clericum seu sacerdotem, vel diaconum sive subdiaconum, de quocunque episcopatu fuerit, suscipere ad habitandum, vel monachicum habitum recipiendum cum rebus suis absque prohibitione omnium episcoporum : et liceat vobis tuorumque monachis tibique subjectis judicare tam monasteria, et cœnobia puellarum absque sæculari potestate, et prohibitione cujuslibet episcopi. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt refragare, aut in quoquam transgredi, sciat se, nisi resipuerit, anathematis vinculis innodatum, et a regno Dei alienum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii suppliciis concremandum sit deputatus. At vero qui pio intuitu observator, et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti, et ad cultum Dei respicientibus, benedictionis gratia a misericordissimo Domino Deo nostro per intercessionem beati Benedicti multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Stephani notarii, regionarii

et scriniarii. Data tertio Idus Martii per manum domni Grambosonis episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus domni Benedicti sanctissimi octavi papæ, sedente anno secundo, indictione duodecima mense Martii die duodecima.

XI.

Benedicti VIII papæ privilegium pro Ecclesia Paderbornensi.

(Anno 1014.)

[Schaten, *Annal. Paderborn.* tom. I, p. 407.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in domino filio Minwerco venerabili episcopo Patherbrunnensis Ecclesiæ, suisque successoribus in perpetuum.

Desiderium, quod ad religiosum propositum, et sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua nostra, Deo auctore, dilatione perficiendum, et quoties in quibusdam ejus utilitatibus nostrum assensum et solitæ apostolicæ auctoritatis exposcit præsidium, id nostræ benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et rati pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis salus et indemnitas profligetur, et nobis quoque lucri potissimum præmium a Conditore omnium Deo in sidereis arcibus præscribatur. Igitur quia postulastis a nobis quatenus confirmaremus et apostolica auctoritate corroboraremus tuæ Ecclesiæ tibique et successoribus tuis quæque pro redemptione animarum suarum ab imperatoribus, sive regibus, ducibus, comitibus, vel ab omnibus magnis parvisque personis oblata sunt, sive commutata, seu omnia quæ tu ductus amore Dei de propriis tuis hæreditatibus eidem venerabili sponsæ tuæ contulisti perpetualiter; inclinati precibus tuis, per hujus privilegii seriem confirmamus et corroboramus Ecclesiæ tuæ, tuisque successoribus in perpetuum, omnia prædia culta vel inculta, nec non omnia quæ ei pro redemptione animarum suarum ab imperatoribus maximeque a Christianissimo et serenissimo imperatore Henrico oblata sunt, sive in comitatibus, seu ubicunque fuerint, nec non omnia quæ a regibus, ducibus, comitibus, magnis parvisque personis jamdictæ Ecclesiæ oblata sunt. Similique modo confirmamus ea omnia loca quæ tu ipse pro redemptione animæ tuæ et parentum tuorum jam dictæ tuæ sponsæ de propriis hæreditatibus contulisti; nec non ea quæ ab aliquibus commutata sunt. Statuentes apostolica censura sub anathematis interdictione, ut nulli unquam magnæ parvæque personæ liceat contra hoc nostrum apostolicum præceptum insurgere vel contraire. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hujus nostræ præceptionis apostolicæ seriem pie a nobis promulgatam venire ac agere tentaverit, sciat se Domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda proditore Domini nostri Jesu Christi, æterno igne concremandum. Simulque et in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero pio intuitu custodes, et observatores hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterint, benedictionis gratiam cœlestisque retributionis, ac æterna gaudia ab ipso judice Domino Deo nostro consequi mereantur.

Scriptum per manus Benedicti notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martio, indictione XII.

Bene valete.

XII.

Benedictus papa VIII castellum Buccinianum nuper a se recuperatum monasterio Farfensi confirmat.

(Anno 1014).

[Muratori, *Script. Ital.*, II, II, 518.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei.

Convenit apostolico moderamine, etc. Igitur notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris, qualiter nos divino amore illustrati ob reverentiam sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, et petitionem gloriosissimi filii nostri imperatoris Henrici domini nostri, dominæ Genitricis virginis Mariæ monasterio, quod dicitur in Pharpha, castellum Buccinianum, quod nuper perditum habebat, reacquisivimus ad opus et utilitatem prædicti monasterii perpetualiter permansurum, situm in Sabinensi comitatu. Deinde prædicti monasterii venerabilis Hugo abbas nostram adiit clementiam, instantissimis precibus deposcens quatenus pro Dei amore et remedio ejusdem venerabilis monasterii ex nostra apostolica largitate concedere dignaremur placitum et districtum de massa Bucciniani, quæ est ante idem castellum, cum omnibus pertinentiis eidem massæ pertinentibus vel adjacentibus. Cujus precibus annuentes, eidem venerabili monasterio, supradictoque abbati, suisque successoribus, necnon et sanctæ congregationi servorum Dei ibidem degentium, prædictæ massæ Bucciniani districtum et placitum cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis ex largitate beati Petri principis apostolorum, et sanctæ apostolicæ sedis, cujus jus esse dignoscitur, nostraque apostolica auctoritate concedimus atque confirmamus perpetualiter mansurum, scilicet ut monachi prædicti monasterii omni in tempore pro nobis delectent ad Deum fundere preces, et gloriosissima virgo Maria; etc., sciat se anathematis vinculo innodatum esse, et a regno Dei alienum. Insuper et compositurum se sciat auri optimi libras centum, medietatem in sacrosancto Lateranensi palatio, et medietatem in supradicto monasterio.

Scriptum per manus Petri scriniarii, notarii atque regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Augusti, indict. XII.

Bene valete.

Dat. XV Kal. Augusti per manum domini gratia Bosonis episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis. Anno, Deo propitio, pontificatus domni Bene-

dicti summi pontificis et universalis papæ octavi in sacratissima sede beati Petri apostoli tertio. Imperante domno Henrico a Deo coronato magno et pacifico imperatore, anno ejus primo.

XIII.

Synodus Romana Benedicti VIII, in qua Fructuariensis cœnobii privilegium editum.

(Anno 1015.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 361.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Anno qui computatur ab incarnatione Domini **1015**, indictione XII, residente in synodo domino et glorioso papa Benedicto intra basilicam Lateranensem, adfuit quidem abbas Willelmi nomine, quiddam præstandum valdeque utile a materno universalis Ecclesiæ sinu suppliciter exposcens, videlicet ut monasterio Fructuariensi, quod in honorem Dei, et Domini nostri Jesu Christi, ejusque intemeratæ Genitricis, in paterno solo construxerat, apostolica dignitas libertatis suffragium exhiberet. Cujus petitioni Romanæ sedis non contemnenda sublimitas assensum idcirco tam facillime præbuit, quia præfatum monasterium in deserto loco, unde nullus unquam episcopus alicujus vel decimæ redditum noscitur habuisse, fundavit, et apostolica regalia, necnon et imperialia testamenta acquisivit, justum votum justumque laborem pie cunctis juvantibus. Præterea idem ipse Warmundus episcopus Hipporiensis [*qui melius* Eporediensis. *Sed ævo illo ita locuti*], in cujus episcopii limite idem locus situs esse videtur, manu propria firmavit, pluresque firmare rogavit episcopos testamentum, ubi excommunicationis nostræ minamine prohibetur temeraria cunctorum hominum audacia, videlicet ne qua regia, episcopalis, vel cujuspiam mundani vel ecclesiastici ordinis dignitas valeat, sub qualicunque occasione sæcularis ambitus, vel ecclesiasticæ religionis obtentu, habitatores illius loci ullo modo inquietare. Unde dominus Benedictus universalis pontifex ad confirmationem testamentorum omnium unde corroboratus est locus ipse Fructuariensis, sacro suo eum dotavit privilegio : insuper hoc, cui omnis hæc sancta synodus favens subscriberet, exarare præcepit decretum. Unanimiter ergo tanti Patris, summique pontificis libentissime parentes imperio, saluberrimoque ejus subjacentes desiderio [*f. deest* si qui], corrumpere nituntur tantæ auctoritatis privilegia, atque violare illa, quæcunque vel a Guntardo levita, vel ab episcopis, aut a regibus ipsi sancto Fructuariensi cœnobio collata, vel fuerint testamenta : ipsos confidenter hæc sancta synodus ecclesia percutit in gladio, utpote contradicentes jura majorum, Patrumque instituta contemnentes sanctorum, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ ab ipso apostolorum tempore omnem obedientiam a cunctis ordinibus exhibendam fore decreverunt. Hujusmodi armis instructi, excommunicationis jacula in eos retorquentes, neminem perversorum permittimus immutare, vel infringere quidquid ad quietem, libertatem, securitatem, honorisque honestatem, ipsi Fructuariensi monasterio, suisque rectoribus per tanta ac talia concessa sunt testamenta. Quæ quicunque servaverint, dilexerint et magnificantes auxerint, gaudeant cum eis quorum nomina scripta sunt in cœlo : qui autem contempserint, corruperint, et pro posse deleverint, caveant, ne et ipsi deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur : quoniam nisi resipuerint ab hac nequitia, a cunctis etiam se noverint excommunicatos. Quorum hic subter scripta sunt nomina.

Ego Benedictus S. Romanæ Ecclesiæ præsul.

Ego Eribertus [*qui et* Aribertus *vocatus*] S. Mediolanensis archiepiscopus.

Ego Michael archiepiscopus.

Ego Theobaldus sanctæ Veliternensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Petrus sanctæ Prænestinensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Cono Perusinæ episcopus.

Ego Arduinus Monteferetranus episcopus.

Ego Petrus Castellanus episcopus.

Ego Emino episcopus Asculanensis.

Ego Adelbertus episcopus Spoletanus.

Ego Lambertus episcopus Polimartiensis.

Ego Joannes episcopus Balneoregiensis.

Ego Deusdedit sanctæ Ecclesiæ Amerinæ episcopus.

Ego Benedictus episcopus.

Ego Joannes Quiesthomo episcopus.

Ego Stephanus Narniensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Gregorius episcopus N.

Ego Joannes sanctæ Alinxæ episcopus.

Ego Joannes sanctæ Tudertinæ ecclesiæ episcopus.

Ego Crescentius sanctæ Phalaritanæ [*f.*, Calauritanæ] Ecclesiæ episcopus.

Ego domnus sanctæ Sutrinensis Ecclesiæ episcopus

Ego Petrus Centumcellensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes sanctæ Suanensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Heldericus Urbevetanus episcopus.

Ego Boto episcopus.

Ego Henricus Populoniensis episcopus.

Ego Georgius Assisinatensis episcopus.

Ego Theobaldus sanctæ Albanensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Raynerius Roselensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Lambertus Lingonensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Benedictus sanctæ Castriensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Petrus sanctæ Pipernensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Lintulphus sanctæ Trivensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Benedictus Cerensis Ecclesiæ episcopus.

Ego Crescentius Nepesinæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes Sabinen is Ecclesiæ episcopus.

Ego Deodatus Terracinensis Ecclesiæ episcopus.
Ego Joannes Fundanæ Ecclesiæ episcopus.
Ego Robertus Signensis Ecclesiæ episcopus.
Ego Benedictus Ferentinus Ecclesiæ episcopus.
Ego Sigefredus Placentinæ Ecclesiæ episcopus.
Ego Raynaldus Ticinensis Ecclesiæ episcopus.
Ego Landulphus Taurinensis Ecclesiæ episcopus.
Ego Henricus Parmensium episcopus.
Ego Dertonensis Ecclesiæ episcopus.
Ego Joannes presbyter, et cardinalis tituli Sanctæ Susannæ.
Ego Landulphus Genuensis Ecclesiæ episcopus.
Ego Stephanus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ.
Ego presbyter Petrus et cardinalis tituli Sancti Sixti.
Ego Joannes presbyter et cardinalis tituli Sancti Marcelli.
Ego Petrus presbyter et cardinalis tituli Sancti Marci.
Ego Petrus presbyter et cardinalis tituli Sancti Damasci.
Ego Crescentius presbyter et cardinalis tituli Sancti Stephani in Celerina.
Ego Sebastianus presbyter et cardinalis tituli Sancti Clementis.
Ego Benedictus diaconus.
Ego Crescentius diaconus.
Ego Joannes diaconus.
Ego Crescentius diaconus.
Ego Petrus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et cancellarius sacri palatii.
Ego Franco diaconus.
Ego Landulphus Cremonensis custos.
Ego Guido abbas.
Ego Dominicus abbas Capitolii.
Ego Joannes abbas Sancti Silvestri.
Ego Joannes abbas Sancti Matthæi.
Ego Petrus abbas Sanctæ Mariæ ad Vincula.

Cujus testamenti notitiam præcepit scribere mihi Benedicto, sacri palatii scriniario, dominus papa Benedictus, tertio die mensis Januarii.

XIV.

Benedictus VIII Popponi archiepiscopo Trevirensi vallium mittit.

(Anno 1016.)

[Hontheim, *Hist. Trevir.* I, 352.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, beatissimo confratri et episcopo Popponi S. Trevericæ sedis archiepiscopo venerabili æternam in Domino salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicæ sollicitudini convenit benignum erga fratres semper præbere affectum, eorumque petitionibus, quæ ratæ rationabilesque videntur, commodare assensum. Proinde, dulcissime frater, quia postulasti a me uti juxta morem prædecessorum tuorum usum tibi pallii concederemus, libenter tuo voto annuimus, solerter tuam commonentes fraternitatem ut exterioris indumenti habitum morum probitate exornes, talemque te in omnibus exhibeas, ut creditæ dispensationis officium pastorali cura semper administrare studeas : tunc enim velut lucerna, quæ in domo Domini lucet, cunctis apparebis conspicuus, si, uti exteriori habitu, ita et interiore, fueris adornatus ; crucem Christi, quam sub pallii specie gestas in corpore, intus decreveris portare in mente, clamans cum Apostolo : « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ; » desideranter quoque et illud addens prophetæ : « Confige clavis a timore tuo carnes meas. » Debita igitur charitate te admonentes, ab apostolica sede pallium tibi transmittimus, hujus privilegii nostri auctoritate statuentes ut in celebratione missarum, his tantummodo solemnitatibus eo adornatus incedas, videlicet : in Natali Domini, in Epiphania Domini, in Cœna Domini, in Pascha, Pentecoste, et in Ascensione Domini ; et festivitatibus sanctæ Dei Genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, et in Natali sancti Joannis Baptistæ, et in solemnitatibus omnium apostolorum, et in solemnitate Omnium Sanctorum ; in festis quoque illorum sanctorum quorum corpora et reliquiæ in tuo episcopatu requiescunt, et in dedicatione tuæ ecclesiæ, et in die annuæ ordinationis tuæ ; et si quando sacros ordines competenter facere decreveris. Concedimus etiam, charissime fili, crucem ante te gestari. Omnipotens Dominus fraternitatem tuam, dulcissime frater, hic et in futuro custodiat, sicque mentes nostras in servitio suo corroboret, ut pro bene administratæ pastoralis curæ officio in æterna beatitudine laborem nostrum remuneret.

Bene vale.

Data VI Idus Aprilis mensis, per manus Benedicti episcopi, apostolicæ sedis legati. Anno (4) Henrici invictissimi regis Romanorum XVII, imperii vero ejus III, indict. XV.

XV.

Benedictus VIII Benedicto archiepiscopo Salernitano pallium tribuit Ecclesiæque ejus jura confirmat.

(Fragm. — Anno 1016.)

[Baron. *Annal.* ad an. 1012, n. 4.]

. . . . . Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii et scriniarii S. R. E., mense April., indict. XIV.

Datum VII Kalendas Maii per manus Petri episcop Ecclesiæ Prænestinæ et bibliothecarii S. R. E., indict. XIV, anno, Deo propitio, pontificatus domini

(4) Henricum II *regis Romanorum* titulo usum fuisse (et forte omnium primum inter Germaniæ reges. Vid. Hahn. Hist Imp. p. II, cap. 6, § 9, in not. *lit.* R, p. 20) apparet ex diplomate Paderbornensi de anno 1013, apud Lunig Spicil. eccles. tom. II, p. 704, nec non Fuldensi apud Schannat. Corp. trad. Fuld., n. 593, p. 245 ; sed id ita ante Henrici unctionem in Romanum imperatorem, Romanamque coronationem. At post hanc, et ab ipso quidem Benedicto PP. peractam, eum ab eodem Romano pontifice adhuc *regem Romanorum* in hoc nostro diplomate appellari, Hahnio *l. cit.* mirum, quin et tantum non suspectum videtur.

nostri Benedicti summi pontificis et universalis octavi papæ in sacratissima sede B. Petri apostoli quarto, imperii domini Heinrici imperatoris Augusti anno tertio, indict. decima quarta, mense jam dicto Aprilis, die septima.

XVI.

Epistola Benedicti VIII ad episcopos Burgundiæ et Aquitaniæ. — Mandat ut invasores bonorum Cluniacensium, nisi satisfecerint, excommunicentur.

(Anno 1016.)

[Duchesne, *Script. Rer. Franc.*, IV, 169.]

Benedictus per divinam gratiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsul et episcopus, omnibus fratribus et coepiscopis per Burgundiam, Aquitaniam et Provinciam constitutis, Burchardo, scilicet archiepiscopo Lugdunensi, ejusdem nominis archiepiscopo Viennensi, Walterio archiepiscopo Besontiensi, Walterio summæ religionis episcopo Augustudunensi, Stephano episcopo Arvernensi, Fredeloni episcopo Aniciensi, Gaufredo episcopo Cabilonensi, Lamberto episcopo Lingonensi, Gauslino episcopo Matisconensi, Vuigoni episcopo Valentinensi, Harmanno episcopo Vivariensi, Pontio archiepiscopo Arelatensi, Aribaldo episcopo Uzeticensi, Odulrico episcopo Tricassinensi, Geraldo episcopo Vapincensi, Petro episcopo Vassinensi, Eldeberto episcopo Avinionensi, Stephano episcopo Carpentoractensi, Almerado episcopo Rhegensi, salutationem et benedictionem ex parte Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis, et mea qui præsulatum, licet indignus, tenere videor apostolicæ sedis.

Liquidum est Cluniacense monasterium olim a Willelmo, nobilissimo Aquitanorum principe, in pago Matisconensi constructum, ipso agente, cum apostolicæ sedis pontifice et Romanorum imperatore, regibus quoque Francorum et Burgundionum, quod ita sit ab omni subjectione cujuslibet personæ, sive regis, sive episcopi, sive comitis liberum, ut aliquid debeat nulli nisi Deo et sancto Petro et sedis apostolicæ summo præsuli. Quæ libertas a cunctis antecessoribus nostris, qui a conditione ipsius loci in hac sancta Romana Ecclesia fuerunt usque ad nos, scriptis privilegiis, et a prælibatis principibus, datis præceptis tam de ipso loco quam de omnibus ad se pertinentibus, in Burgundia, Aquitania, Provincia constitutis, videlicet monasteriis, cellis, terris cultis et incultis, corroborata et confirmata est, eo voto et desiderio ut sæculum deserentes, et in eodem loco sub regulari disciplina Christi servitio ex toto semet mancipantes, absque ullius impedimento licentius Deo adhærerent, et de ibidem Deo et S. Petro a fidelibus oblatis, hospitalitate et egenorum curæ inservirent. Quod hactenus, Deo propitiante, et apostolica auctoritate suffragante, bonitate insuper circum se manentium adminiculante, inquantum potuerunt, devote fecerunt. Nunc vero, sicut in præsentia Deo devoti domini Roberti regis Francorum, principumque ejus et optimatum, qui cum eo venerunt ad limina apostolorum, et reclamatoria legatione dilectissimi filii nostri Odilonis ejusdem loci abbatis percepimus, ita malorum contra eos exardescens insurrexit et convaluit cupiditas et insania, scilicet terras ipsorum invadendo, et substantias tam ipsorum quam pauperum sibi commissorum deprædando, ut, multiplicibus angustiis et afflictionibus tribulati, nullo modo, sicut nunc usque fecerunt, convenienter Deo debitum obsequium valeant solvere, nec solitam curam supervenientium hospitum et pauperum possint exercere. Igitur quia in eodem loco juges orationes et missarum celebrationes et eleemosynæ fiunt pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ, et omnium fidelium vivorum et defunctorum salute et requie, ipsius dispendium commune omnium nostrum est detrimentum. Et licet omnes boni fideles de eorum angustia et perturbatione debeant compassionem habere, et summo cum studio servos Christi juvare, ut absque ullo impedimento queant in sancto proposito persistere, ego tamen, ad quem, post Deum et sanctum Petrum, cura et providentia sæpedicti loci specialiter pertinet, juvamen et solatium auctoritatis apostolicæ non desistam subministrare.

Sunt autem crudeliores sæpenominati loci habitatorum persecutores. Ildinus, omnis bonitatis inimicus, qui non solum in hoc illos irritat quod sua suorumque eis tollit, sed etiam quod, suam nequitiam in illos retorquere cupidus, facit circum se manentibus intelligere omnem justitiam de male a se comissis eis velle se facere, et ita eos in ipso placito et concordatione semper fallit et illudit ut pro justitia deteriorem ab eo injuriam suscipiant. Est et Wichardus de Belioco qui eis tollit ecclesiam de Tresdo cum omnibus appendiciis suis. Bernardus quoque de Retorterio, Hugo de monte Pavonis, et uxor ejus Arilina, qui eis tollunt potestatem de Lasiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, sicut divæ memoriæ comes Leotaldus primum, deinde Milo religiosus miles per testamentum litterarum olim contulerunt sancto Petro et præfato loco. Falco nepos Iterii clerici, et frater ejus, omnesque consortes illorum, qui eis tollunt potestatem de Oiadellis cum omnibus appendiciis suis. Warulfus de Branceduno, et frater ejus Walterius Matiscensis præpositus, qui eis contrarii sunt de precaria quam tenebat de sancto Petro beatæ recordationis Leobaldus episcopus, eorum videlicet avunculus; et de alia terra quam idem præsul ante mortem suam, ipsam precariam restituens, ex sua parte donaverat sancto Petro. Durandus de Caudiaco, Aiminus de Caudiaco, Girardus de Centurpennis, qui eis contrarius est de villa Fontanedo. Robertus de Islevee, qui tollit eis plantas quas Bernardus Dolum interfectus dederat sancto Petro. Sed et illi qui eis contrarii sunt de potestate Sarrianis, necnon et illi qui deprædationes et injustas consuetudines faciunt et requirunt in potestate Valentiola, et in potestate Tudelleta, et in Podioodolenis, et in cæteris potestatibus, villulis et terris ad præfatum locum pertinentibus. Sunt etiam alii quam innumerabiles, quorum nomina longissimum

esset huic schedulæ inseri. Ilos supra nominatos et omnes alios persecutores, deprædatores et invasores terrarum et substantiarum ad sæpedictum locum pertinentium, more antecessorum nostrorum, præfati loci ad nos specialiter pertinentis curam et providentiam habentes, ex parte Dei et sancti Petri, et nostra, vocamus ad resipiscendum, et monemus ut contrarietates et injustas querelas, quibus servos Dei inquietant et conturbant, quam citius deponant. Terras etiam injuste pervasas, et substantias deprædatas, cum omni integritate, juxta rationem, quam cum eis invenire potuerint, restituant. Sed de injuria quam sine causa illis intulerunt, congrue satisfaciant infra spatium quod est abhinc usque in festivitatem S. Michaelis. Quod si fecerint, habeant gratiam, et benedictionem, et absolutionem Dei et sancti Petri, et nostram. Si autem infra præfixum a nobis terminum monitioni et vocationi nostræ non asseuserint, sed contemptores et inobedientes exstiterint, in sua malitia perseverantes, cauterio ecclesiastici examinis quasi putrida membra a corpore Christi præscindantur, sintque a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ procul repulsi, et a consortio fidelium alienati et excommunicati. Sint maledicti stantes et ambulantes, vigilantes et dormientes, ingredientes et egredientes. Sint maledicti manducantes et bibentes. Sit maledictus cibus eorum et potus. Sit maledictus fructus ventris eorum, et fructus terræ eorum. Substineantque plagas Herodianas, quousque disrumpantur viscera eorum. Et cum Dathan et Abiron de terra viventium perditi, cum diabolo et angelis ejus perpetualiter damnati, maneant in pœnis infernalibus sine fine cruciandi. Fiant etiam filii eorum orphani, et uxores eorum viduæ. Nutantes transferantur filii eorum, et mendicent. Ejiciantur de habitationibus suis, omnibusque maledictionibus, quæ in Veteri vel Novo Testamento contineri videntur, maledicti et anathematizati subjaceant, quousque resipiscant et nostræ vocationi et monitioni congrue satisfaciant.

Vobis etiam fratribus meis et coepiscopis, supra nominatis, mando et præcipio auctoritate apostolica ut hanc meam confirmetis sententiam, et similiter illos excommunicetis, omnibusque presbyteris et cæteris sacri ordinis ministris vobis commissis excommunicare præcipiatis. Si quis autem vestrum (quod minime credo futurum) non obedierit huic nostræ jussioni, de contemptu inobedientiæ noverit se habiturum rationem ante tribunal Christi. Ipse nempe dixit : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Sed et seniori quam reverendo domno Willelmo comiti, necnon præcipuæ bonitatis et dulcedinis domno Hugoni comiti, domnoque Rainaldo comiti filio supranominati domni Willelmi, bonæ quoque indolis, ac totius affectu dilectionis amplectendo domno Ottoni comiti; omni etiam reverentia et veneratione dignissimæ domnæ Adeleidi comitissæ, cognomento Blanchæ, nuruique ejus domnæ Gerbergæ comitissæ; sed et illustribus viris A domno Wigoni vicecomiti, et fratri ejus domno Willelmo, domno quoque Odulrico, et domno Ansoldo, et cæteris principibus et optimatibus totius Burgundiæ, Aquitaniæ et Provinciæ, qui auxilio esse possunt habitatoribus sæpenominati loci apostolicæ benedictionis et absolutionis munus mittimus, ipsisque omnium suorum peccaminum veniam implorantibus, in cunctis benefactis, quæ a nobis et a cæteris fidelibus in hac sancta Romana Ecclesia quotidie fiunt, ex parte Dei sanctique Petri, et nostra, partem et societatem damus, eo obtentu ut semper adjutores et defensores prædicti loci, omniumque ad se pertinentium, de omnibus tibi contrariis existant. Quod si neglexerint, non solum tanto beneficio privabuntur, sed insuper de potestate B ob defensionem fidelium a Deo sibi data in die ultimi examinis sine dubio rationem reddent.

Data Kal. Septembris.

XVII.

Erectio Bisuldunensis Ecclesiæ in episcopatum.

(Anno 1017.)

[Cocquelines, *Bullar. Collect.*, I, 327.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Guifredo a nobis consecrato episcopo, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Desiderium, quod religiosum propositum et sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua est, Deo auctore, dilatione perficiendum, et quantum in quibusdam ejus variationibus commo- C dis nostrum assensum, et sanctæ apostolicæ auctoritatis exposcitur præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire. . . . . pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis, salus et indemnitas proficiscatur et nobis quoque lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus præscribatur. Quapropter notum esse volumus omnibus tam præsentibus quam futuris, quoniam Bernardus comes cum filio suo Guillermo, et per hos Guifredus comes frater, ejus suum desiderium demonstrantes, hi omnes derelicti simul sub sola tuitione et defensione beati Petri apostoli suique vicarii a piæ memoriæ patre Oliba comite nobilissimo, apostolorum adierunt limina, nostramque præsentiam, petentes suppliciter, ut liceret sibi nostro consensu nostroque judicio, sub quo solo erant positi, pro redemptione animarum parentum suorum, et suorum venia delictorum episcopatum in propria hæreditate perficere in uno ex tribus locis, quo eis magis placuerit, sive in monasterio Sancti Joannis Ripipollensis, seu in monasterio Sancti Salvatoris, et Genesii, ac Michaelis archangeli, quod est infra muros Bisulduni, et liceret eis nostra constitutione ex suis donis, et propriis hæreditatibus episcopatum ditare, quibus ibidem servientes vivere, et quiete Deo servire possint, episcopumque in eo consecrari a nobis flexis genibus suis cum osculo pedum nostrorum petierunt; et quia necessarium cognoscimus ad late

vel simile opus timentes Dominum nostra exhortatione inclinare, non desiderantes hos vel similes a suo bono proposito removere, eorum sacratissimis petitionibus contraire indignum duximus, sed potius eorum desideriis annuentes in uno ex tribus prædictis locis, quos sibi magis placuerit episcopatum fieri, et ditari decrevimus, et in perpetuum episcopatum esse censemus, teque Guifredum episcopum in eadem eorum petitione consecravimus, eo scilicet ordine ut licentiam et potestatem habeas tu tuique successores episcopi per totam illam terram quam prædicti fratres venerabili episcopatui obtulerint vel habere videtur ex proprio dono, hæreditate, vel alii Christiani in posterum pro redemptione suæ animæ daturi sunt consecrandi ecclesias, et consignandi infantes, clericos et sacerdotes benedicendi et omne episcopale opus peragendi. Consecrationem vero successorum tuorum nobis nostrisque successoribus reservamus in perpetuum, pro qua sacratione nobis et successoribus nostris a successoribus vestris nihil offerri judicamus statuta sanctorum Patrum sequentes. Sed ne appareat in conspectu nostro vel successorum nostrorum vacuus, qui consecrandus erit, non pro consecratione, ut diximus, sed pro debita obedientia, et ut subjectum se semper nostræ Ecclesiæ ostendat, post sacrationem suam unam libram auri offerri jubemus. Similique modo præcipimus ut contra Christianos arma movere nulla ratione præsumas, nec aliqua magna vel parva persona ad hoc vos cogere tentet. Statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum vel alii cuilibet magnæ parvæque personæ hæc quæ a nobis modo decreta et constituta sunt, in quoquam convellere sed potius firma stabilitate inconvulsa perpetuis permanere temporibus definimus. Si quis autem temerario ausu contra hujus nostræ apostolicæ præceptionis seriem pie a nobis promulgatam, venire, agere, vel effringere tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, domini nostri et apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum, simulque et in voraginæ tartareaque chaos demergendus cum impiis deficiat. Qui vero pio intuitu custos et obediens, atque observator hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis æterna gaudia a justo judice Domino Deo nostro consequ mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, indictione quinta decima.

Petrus Ecclesiæ Sutrinæ episcopus his omnibus consensit et subscripsit. Linoltus episcopus. Robertus episcopus. Joannes Hortanus episcopus. Benedictus Carensis episcopus. Petrus episcopus sanctæ Pipemensis Ecclesiæ. Ego Benedictus episcopus A Portuensis. Joannes episcopus Fundanæ Ecclesiæ.

Datum VII Kalend. Februarii per manum Bosonis Dei gratia episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.

XVIII.

Benedictus VIII papa ecclesiam Bisuldunensem nuper constructam a Bernardo comite Bisuldinensi sub protectione sedis apostolicæ recipit.

(Anno 1017.)

[Coquelines, tom. I, p. 326.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Christo filio Adalberto S. Salvatoris et S. Genesii ac S. Michaelis rectori, quorum ecclesia est ædificata juxta castrum Bisulduni, tibi tuisque successoribus cunctis in perpetuum.

Desiderium quod ad religiosum propositum et B sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua, Deo auctore, perficiendum est dilatione: et quoties in cujusdam ejus utilitatis commodum nostrum assensum et sanctæ apostolicæ auctoritatis exposcitur præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire.... pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis salus, et indemnitas proficiscatur, et nobis quoque lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo in sidereis arcibus ascribatur. Quapropter omnibus hominibus notum esse volumus tam præsentibus quam futuris quoniam dilectus filius noster inclitus Bisuldunensis comes Bernardus cum filio suo Guillelmo flexis genibus pedes nostros osculando C sanctam Romanam curiam deprecatus est, ut præfatam ecclesiam Sancti Salvatoris, ac Sancti Genesii, nec non Sancti Michaelis archangeli sub sola tuitione ac defensione beati Petri apostoli, suique vicarii reciperemus, et nostræ apostolicæ confirmationis, et auctoritatis privilegio muniremus. Ea propter, dilecte fili Adalberte, tibi tuisque successoribus decernimus hujus apostolicæ auctoritatis privilegio a præsenti decima quinta indictione, sancimus ob honorem ipsius S. Salvatoris, et S. Genesii ac S. Michaelis archangeli, et stabilitatem ejusdem loci, quem ipse prædictus comes Bernardus cum avunculo suo Mivone pro omnipotentis Dei amore, mercedeque animæ suæ de suo proprio comitatu moderno juri vel ditioni subsit. Inprimis ecclesiam Sancti Vincentii D cum decimis et primitiis, et cimeteriis suis cis torrentem et ultra torrentem, seu cum oblationibus suis, et cum ecclesiis suis suffraganeis, videlicet Sancti Martini de Juviniano, et Sanctæ Mariæ de Faxis, et Sancti Fructuosi de Ursiniano, et Sancti Sylvestri de Mor, sicut terminis assignantur in dote consecrationis ejus quam conspectui nostro obtulit Bernardus spiritalis filius noster jam dictus. Primus terminus est jamdictæ S. Vincentii ecclesiæ cum suffraganeis suis ab oriente in Portello, de meridie in flumine de Tezer et in Turno, de occidente in Lidercha, et in monte Augustino, de Circio in podio regali, et in monte Frigido super Paleriam, et in monte Calvo super Ligordanum. Et ecclesiam Sanctæ Mariæ, et Sancti Joannis cum omnibus alodiis et

proprietatibus suis, quæ est in prope mœnia Bisulduni una cum ipsa proprietate quam præfata ecclesia Sancti Salvatoris et Sancti Genesii, ac Sancti Michaelis habere videtur in burgo Bisulduni, et in circuitu, et in omnibus aliis locis. Has vero supradictas, omnes ecclesias cum omnibus alodiis, et proprietatibus suis, sicut fatus Bernardus ipse comes donavit cum avunculo suo Mirone in prædicta ecclesia, vel donabit, et cætera quæ ubique donavit, aut donabit, sive casis, casalibus, curtis, mansis, ecclesiis, fundis, terris, seu vineis, pratis, pascuis, et cum omnibus ad jus ecclesiæ notatæ pertinentibus salvam et in cunctis quietam consistere sub nostræ apostolicæ sedis tuitione, ita confirmantes decernimus, ut nullus imperatorum, vel regum, neque ulla persona clericalis vel laicalis, parva aut magna in B præfatis ecclesiis, neque in parochianis earum pro pace, et tregua, seu pro re ecclesiastica, sicut jam dicti termini assignantur, aliquam ditionem habere præsumat, sed rem per judicium Adalberti ejusdem loci rectoris vel successorum, qui in jam dicta ecclesia Sancti Salvatoris ac Sancti Genesii seu Sancti Michaelis modo et in futuro in perpetuum commorabuntur, dijudicent, et discernant, et semper in eorum consistat voluntate et potestate. Liceat eos quiete et pacifice vivere tam illos, quam sacerdotes, seu clericos, atque laicos eorum, et sint omnes immunes, et alieni ab omni publica functione vel turpi servitio, ita ut nullus audeat eos molestare, aut inquietare, nisi solummodo binos solidos omni anno ad altare Sancti Petri pro pensione persolvant, C et Mironi Gerundensi episcopo, et omnibus ejus successoribus hospitium annuatim de septem equitaturis, et totidem sociis tantum. Et ipse Miro, et omnes successores ejus episcopi dent jam dicto Adelberto, et successoribus ejus in præfata ecclesia Sancti Salvatoris, et Sancti Genesii, ac Sancti Michaelis commorantibus, chrisma sine aliquo servitio, et habitatores ejusdem ecclesiæ donent illud S. Vincentio, et aliis ecclesiis sibi subditis. In præcipuis quoque festivitatibus, Pascha videlicet et Pentecoste, et sancti Genesii, ac sancti Michaelis archangeli, et omnium sanctorum atque Natalis Domini, omnes clerici S. Vincentii cum universis parochianis suis veniant plenissime ad missam majorem ad ecclesiam S. Salvatoris ac Sancti Genesii, atque Sancti Michaelis in perpetuum cum eorum oblationibus. Statuentes, apostolica censura, sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ, hæc quæ a nobis modo decreta sunt, atque constituta quempiam in quocunque convellere, sed potius firma stabilitate inconvulsa perpetuis temporibus permanere definimus. Si quis autem temerario ausu contra hujusmodi nostræ apostolicæ præceptionis seriem pie a nobis promulgatam venire, agere vel infringere tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, Domini nostri et apostolorum principis A Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore in æternum ignem concrematum, simulque in voragine cum impiis deficiat. Qui vero pro intuitu custos et obediens, atque observator hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam, et cœlestis retributionis æterna gaudia a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Benedicti notarii regionarii et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario, indictione quinta decima.

Petrus ecclesiæ Sutrinæ episcopus his omnibus consentit et subscripsit.

Robertus episcopus.

Joannes Hortanus episcopus subscripsit.

Benedictus Arensis episcopus.

Petrus episcopus sanctæ Pipemensis Ecclesiæ.

Ego Benedictus Portuensis episcopus.

Datum VII Kal. Februarii per manum Bosonis Dei gratia episcopi, et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.

Bene valete.

XIX.

Benedictus VIII papa confirmat bona monasterii S. Stephani Balneolensis Bisuldunensis diœcesis.

(Anno 1017.)

[Cocquelines, *ubi supra*, I, 323.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in domino Bonisilio religioso presbytero et monacho, atque evangelico abbati venerabilis monasterii Sancti Christi protomartyris Stephani, quod situm est in comitatu Bisuldunense in valle Sterria in capite ipsius stagni, loco qui dicitur Balneolus, tibi tecumque manentibus, et per te tuisque illorumque successoribus, salus et pax, et apostolica benedictio quoad mundus permanet.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis Ecclesiæ incessanter a propagatoribus beatæ fidei augmentare, necesse accipientibus ab illo totius jura regiminis, ei concedere censura justi moderaminis firmam liberalitatem, malorumque procul ab ea pellere pervasionem. Quocirca quoniam convenit apostolicæ pietati benigna petentibus succurrere compassione, ideo nos tuis justis (etenim sic sunt a nobis adjudicatæ, nam juste fiunt) annuentes precibus, omnes proprietates sive possessiones ipsius loci, fines vel limites, cum adjacentiis præcipuorum prædiorum, cum omnibus ecclesiis, parochiis, villis, fundis, casis, casalibus, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, arcis, torcularcis, aquis, aquarum ductibus, vineis molendinis cum suis caputaquis, et suis piscatoriis, cultum vel incultum, et quæcunque beato protomartyri et levitæ Stephano ex collationibus regum olim in cœnobio Balneolas retinere videtur, nostro apostolico confirmamus privilegio. Concedimus itaque prædicto monasterio, quod in circuitu ejus habetur, videlicet quantum habere dignoscitur in comitatu Bisuldinensi;

parochia autem de ipsa valle, ecclesiam Sanctæ Mariæ, et Sancti Benedicti cum decimis et primitiis absque tributo una cum oblationibus fidelium, cum terminis et adjacentiis eorum. Ecclesiam Sancti Petri cum ipsa villa Agemal cum terminis et decimis atque primitiis suis; ecclesiam Sancti Romani cum ipso cimeterio, cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium, et ipsam medietatem de ipsas primitias, et de ipsa Salisparsa, et de Ermetanos, et de Agelaga, cum ipsas domos, terras et vineas, molendinis, quæ in ipsa parochia sunt et vel ad ipsum cœnobium pertinent : villam Leonem cum terminis, adjacentiis suis :Savarres cum terminis et adjacentiis suis; Starola, et Figerolas cum terminis et adjacentiis suis : Erementanos, et Agelaga cum terminis et adjacentiis suis, et cum ipsos boscos; Neserga, et Frescaned cum terminis et adjacentiis suis : villa Jafare et villare Paterni cum terminis, et adjacentiis suis : Agemal et Millanicas atque villa Alba cum terminis et adjacentiis suis. In parochia de Porqueres domos, terras, vineas cum eorum terminis vel adjacentiis suis, et cum ipsas decimas quæ sanctus Stephanus ibi tenet.Vallemala quæ dicunt Merdant,cum decimis, et finibus,terminis suis. Solerols cum terminis et adjacentiis, et cum eorum decimis. In villa quæ dicitur Adiliano, et Sirinano et Albuciano, et casales, domos, terras, vineas, cultas et incultas, et boscos et molinis. Usal cum ipsos boscos cum terminis et adjacentiis suis. In villa Vendut domos, terras, vineas, cultas, et incultas. In valle Miliarias ecclesia sancti Petri, de sancta Maria de Romzilia, et sancti Andreæ in Rovilias, cum decimas, et primitias, et oblationes fidelium, in eorum videlicet parochia domos, terras, vineas, silvas cum eorum terminis, et adjacentiis suis. In Falgons, vel in ejus terminis domos, terras, vineas et boschos, cum eorum terminis et adjacentiis suis. In sancti Nazarii domos, terras, vineas, silvas cum eorum terminis vel adjacentiis suis. In Biserga domos, terras, vineas, silvas cum eorum terminis et adjacentiis suis. In pago Arivilfo domos, terras, vineas, silvas, cultum et incultum, et eremum, cum eorum terminis et adjacentiis suis. In Calvas, terras cultas et incultas. In valle sanctæ Patæ, in locum, quem dicunt S. Vincentii de Salente, vel in loco quem dicunt Corbos, ecclesiam sancti Vincentii, atque parochia cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium, cum domos, terras, vineas, molendinis, silvas cum ejus terminis, vel fines de ipsa parochia. Mercati vero præfati loci teloneum, et omnem justitiam ibidem peragendam ab integro concedimus. In Somer domos, terras, vineas, cultum vel incultum, et cum ejus silvas cum terminis et affrontationes. In monte Sancti Juliani ipsa ecclesia, cum decimas et primitias et oblationes fidelium, cum domos, terras, vineas et silvas cum eorum terminis vel adjacentiis suis. In Camedello domos, terras, vineas, cultas et incultas et molenariis. In Baso domos, terras, et ipsa ecclesiola Herman Agelager domos, terras, vineas, silvas. cultum et incultum, cum terminis et adjacentiis suis. In Logordano et in Malano terras, cum Oliberes, et ipsas condaminas de Boscholos,et ipsa vinea de Vallealta. In Bruger ipso manso qui fuit de Seniofredo Marhot cum terras cultas vel incultas. In Morzano domos, terras cultas vel incultas, et vineas cum terminis earum. In Cisteriano, quæ dicunt Villavert, ecclesia sanctæ Mariæ cum ipsa parochia, cum decimis et primitiis suis, et cum oblationes fidelium, cum domos, terras et vineas, cultas vel incultas, et cum ipsis molinis, cum terminis et adjacentiis suis de ipsa parochia. In villa Oller , vel in villa de Amelio, et in villa Vendut, domos, terras, vineas, cultum et incultum. In Turres, domos, terras et vineas, cultum et eremum. In villa de Almires, vel infra ejus terminos, domos, terras, vineas, cultum et eremum, silvas, et olibarias. In Contens domos, terras, vineas, cultum et eremum, et olibarias. In sancti Felici de Ledono domos, terras, vineas, cultum et eremum. In parochia de Sancta Columba, domos, terras, vineas, cultum et eremum. In villa Abundanti domos, terras, vel infra ejus terminos, domos, terras, vineas, olibarias, cultum et eremum. In villa Fedanti vinea una. In Orfanos vel infra ejus terminos, domos, terras, vineas, cultum et eremum, molinis et molinariis cum caputaquis, hortis hortalibus cum olibariis et ipso alode cum ipsos molinos, et cum ipsos caputaquis cum eorum terminis et cum eorum affrontationes, quod Bonfilius dedit, sicut in scripturis S. Stephani resonat. In villa Galdinarios domos, terras et vineas, vel infra ejus terminos cultum et eremum. In Pareds terras, et vineas; in Ordios domos, terras, vineas, cultum et eremum, vel infra ejus terminos; in pago alto, quem dicunt Murriano, domos, terras, vineas, silvas, cultum et eremum. In comitatu Gerundense in Matamors, vel infra ejus terminos, domos, terras, vineas, cultum et eremum, molinis et molinariis, silvis et ipso stagno cum ipsis pratis. In Gerundella terras, cultas vel incultas, et boschos. In Costa Rabida, et in Bonecurto terras, vineas, et boschos, et vinea de Cona. In Biert vel in Gralloners domos, terras, vineas et silvas. In Monte Calbo, vel in Canneto, domos, terras, cultum et eremum. In Borgoniano et in curtes, vel in Cannellas, vel infra eorum terminos, domos, terras, vineas, cultum et eremum, molinos et molinariis, cum caputaquis. In Parazol et in Pulgaz, domos, terras, vineas, vel infra eorum terminos. In villa Trader, vel infra ejus terminos : in Leudenago, vel infra ejus terminos, et ipso manso Biancheto, quem donavit ad S. Stephano, domos, terras; vineas, cultum et eremum. In Tomedo, et in Mediniano, et in Exchers, et in rio de Llutos, vel in ipsa Cros, vel infra eorum terminos, domos, terras vineas, cultum et eremum, et molinos, et molinarios cum caputaquis. In Celrrano, in Bibiano, in Riurano, in Pubol vel infra eorum terminos, domos, terras, vineas, cultum et incultum, eremum, et ipsas vineas quæ Seridredus de Aquaviva donavit ad Sanctum Stepha-

num. In locum quem dicunt Mazamet, ipsum alodem qui fuit de Aurichio judice. In comitatu Barcinonense, in valles ipsos alodes, quæ Bella femina dimisit a Sancto Stephano sicut in suo judicio resonat. In parochia de Sancto Felice, quem dicunt de Buada, vel infra ejus terminos, in locum quem dicunt Torrentilio, vel infra ejus terminos, in locum quem dicunt Torrente, vel infra ejus terminos, ipsas commutationes quas Crustarius fecit. Apud Ricolfo domos, terras cultas et eremas, clausas arboribus, et ipsas vineas quæ Sanctus Stephanus debet habere. In Segalars, quæ Seniofredo Wita tenet, et ipsa vinea de Susanna cum suo termino, cum eremo et culto, sicut in scriptura Sancti Stephani resonat. In Petralta et infra ejus terminos, in terra infra ejus terminos, in Docuinano vel infra ejus terminos, sicut in scriptura quam Rannus clericus fecit a Sancto Stephano resonat, domos, terras, vineas, hortos, cultum et eremum. In Jafar vel infra ejus terminos; in Tonnano vel infra ejus terminos, in Ciurana vel infra ejus terminos; in villa Dud, vel infra ejus terminos; in Ventajone vel infra ejus terminos, in villa Mocorono, vel infra ejus terminos; in Armentera vel infra ejus terminos, domos, terras, vineas cum garricis, pratis, pascuis, molinis, molinariis cum caputaquis, cultum et eremum. In Castellione domos, terras, cultas vel incultas. In Fontanedo, quem dicunt Vallemala, ecclesiam Sancti Martini cum ipsa rocha, cum decimis et primitiis, cum oblationibus fidelium, cum domos et terras et vineas, cultum et eremum, et cum ipsos boschos: et affrontat ipse alodus de parte orientis in ipso Cher, sive in alode qui fuit de Suniario comite, et pervenit per cacumina montium, seu in collo de Gode, et pervenit in alode de ipso teo, et pervenit ad alodia de Betlono Malachana, et de meridie in ipsa serra ad fontem de Ilar, sive in eremo de Betlone, vel in alode qui fuit de Ajo femina, seu in ipsa rocha, ab occiduo, in rio quem dicunt Budiga, vel in villare de Melandre; et de Circi in ipso rio qui discurrit de ipsas fontes, et inlaterat per ipsum saltum, et pervenit per Moloculino, sive in alode de Joanne presbytero, et pervenit usque in collo de colaria sive in ipsa arca. Et alio alode, qui fuit de Seximundo presbytero sive alias vineas quæ in aliis locis sunt. Et in Sancti Sylvestri manso cum terras et vineas, et cum ipsos eremos, et cum decimas de ipso manso. Et in Deredeldos manso cum terras et vineas, et cum ipsos eremos qui ibidem sunt. In comitatu Cerdaniense manso uno cum terras. Et in Purermano maso uno cum terras. Et in Arriano domos, terras et vineas cum terminis et adjacentiis suis. Et in Bulla domos, terras et vineas, et in ipso manso cum ipsas terras et ipsas vineas, quod Landricus cum uxore sua dedit ad Sanctum Stephanum, cum terminis et adjacentiis suis. In Olmera terras cultas vel incultas. Et in Lampage campo uno. Et in Bages, et in Merresa terras et vineas, cultum et eremum, cum terminis et adjacentiis suis. Hæc igitur quæcunque diximus, vel quæ non diximus, prædia acquisita vel acquirenda, ad Sancti protomartyris et levitæ Stephani cœnobium, in valle Sterria situm, pertinentia, auctoritate illi firmantur a nobis apostolica. Statuimus autem ut, quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicunque persona pro cupiditatis pecuniæ causa, neque pro qualicunque favoris inanis gloria ibidem constituantur abbates; sed a cunctis ibi degentibus servis Dei secundum Deum, juxta Benedicti Patris regulam eligantur abbates. Damus quoque licentiam ipsius loci abbati ubicunque vel a qualibuscunque voluerit episcopis suos clericos ordinandi, a qualicunque sede ei placuerit chrisma accipiendi, et ut a nullo episcopo, nec ab ullo in cujus situm est monasterium episcopio, nec ab alio possit excommunicari, vel aliqua ad eumdem monasterium pertinens ecclesia. Statuimus etiam ut quis pœnitens a liminibus exclusus ecclesiæ, quandiu ibi steterit, habeat licentiam introeundi et omne officium divinum audiendi. Concedimus quoque abbati vel monachis et omnibus clericis ad monasterium pertinentibus, licentiam, nisi voluerint spontanee vel rogati, ad synodum non eundi. Confirmamus igitur et stabilimus amodo ut nullus rex, nullus princeps, nullus marchio, nullus comes, nullus judex, nullus episcopus neque ulla magna parvaque persona aliquam vim vel invasionem in eodem cœnobio, aut in suis pertinentiis facere præsumat. Pro quo et sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione promulgantes decernimus ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum, neque aliqua magna, sicut diximus, parvaque persona audeat vel præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegium in aliquibus agere injuste, neque quis illum frangere tentet. Si quis autem, quod non credimus, nec timens Deum, et nostrum parvipendens privilegium quod concedimus, verbo factove disrumpere tentaverit, hunc, quisquis ille fuerit, de parte Dei omnipotentis, sancti apostoli ejus Petri et nostra, qui ejus fungimur vice, perpetuis, nisi resipuerit, anathematis vinculis obligamus; sitque portio ejus infernus, hæreditas illius diabolus, pars et consolatio ejus ubi nunquam lætitia, sed semper est fletus; veniatque, nisi, ut diximus, resipuerit, super illum quidquid maledictionis excogitari vel dici potest. Si quis autem hujus sancti cœnobii adjutor existens illum, in quo potuerit, elegerit et amaverit, hic Dei omnipotentis interventu apostolica repletus benedictione crescere se gaudeat in virtutem de virtute; sitque portio ejus paradisus, hæreditas illius Dominus Christus, pars et consolatio ejus ubi semper gaudium et dolor est nullus. Interdicimus etiam universi generis potestatibus ut nulli liceat ex jam dicto monasterio accipere pascuarios, vel exigere traginas, aut distringere placitos ullius hominis ad monasterium pertinentis, cujuscunque sit culpæ, si supradictis maledictionibus non vult subjacere, quas Deus omnipotens et ab adjutoribus hujus nostri privilegii

semper avertat, et disrumpere cupientes severus inducat.

Scriptum per manus Benedicti notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario, indictione quinta decima.

Bene valete.

XX.

Privilegium Benedicti VIII papæ pro monasterio Sancti Petri Campirotundi in eodem comitatu Bisuldunensi.

(Anno 1017.)

[Cocquelines *ubi supra*, tom. I, p. 325.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino Bonfilio religioso abbati venerabilis monasterii Sancti Petri Campi Rotundi, quod est situm in comitatu Bisuldunensi, in valle Laudarense, inter duo flumina, tibi tecumque manentibus, et per te tuis illorumque successoribus, salus et pax et apostolica benedictio, quoad mundus permanet. Amen.

Cum constet Dominum Deum nostrum honorem sanctæ universalis Ecclesiæ incessanter a propagatoribus beatæ fidei augmentare, necesse est accipientibus ab illo totius jura regiminis ei concedere censura justi moderaminis firmam liberalitatem, malorumque procul ab ea pellere pervasionem. Quocirca quoniam convenit apostolicæ pietati benigna petentibus succurrere compassione, ideo nos tuis justis, etenim sic sunt a nobis adjudicatæ, nam juste fiunt, annuentes precibus, omnes proprietates sive possessiones ipsius loci, fines, vel limites, cum adjacentiis præcipuorum prædiorum, cum omnibus ecclesiis, parochiis, villis, fundis, casalibus, casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, areis, torcularibus, aquis, aquarum ductibus, viis, molendinis cum suis caputaquis et suis piscatoriis, cultum et incultum, et quæcunque beatus apostolus Petrus ex collationibus fidelium in cœnobio Campi Rotundi retinere videtur, nostro apostolico confirmamus privilegio. Concedimus itaque prædicto monasterio alodem quod in circuitu ejus habetur vel habere dignoscitur, piscationes quoque aquarum Tezen de septem casas usque ad ipsos Kalkers, et in rivo torto de Mullione usque in Tezer. Parrochiam autem de ipsa valle; ecclesiam Sanctæ Mariæ cum decimis atque primitiis, et oblationibus fidelium absque tributo. Parochiam autem Sancti Christophori Crescentarii cum ipso alode, et cum ipso cimeterio, cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium absque tributo. Alodem quod dicitur Milandars, et alodem de Frescanet, et alodem de Paradella, et de Rescat, et in Villa-longa, et in Castellars, cum terminis, et adjacentiis. Alodem quem dicunt Pugna Francorum, et alodem quem dicunt Grado, et alodem qui est in Borloso, et alodem qui est in Arza, cum terminis et adjacentiis suis, et alodem quem dicunt Reget cum ipsa Massana, et alodem quem dicunt Vallestir, et alodem quem dicunt Albet cum ipsa aqua, et cum ipso bosceno, et alodem quem dicunt Oliba; et malo pertuso cum terminis et adjacentiis illorum. Et alodem quem dicunt Genebrel, et Aquabella, et Prunarias, et Habinarios, et alodem quem dicunt Carrera, cum terminis et adjacentiis illorum. Et alodem qui est in parochia de Tortelliano, et in parochia de Agelager, cum terminis et adjacentiis suis. Et alodem qui est in parochia de Monteacuto, id est palatio, cum ipso boscho et Molino Beteret. Et alodem quem dicunt Artisces cum ipso boscho, et in Capriol, et in Mauro, et in palatio ipsos molendinos, et in Molino Vetere, et in Wadomalo cum suo caputaquis, et cum suo decurso, et suos superpositos. Et in ipso..... manso cum terminis, et adjacentiis suis. Et in Boscols ipsum alodem cum terminis et adjacentiis suis. Et in parochia Sancti Felicis in Lutuno ipsa villa cum ipso alode de Luders, et de Selvatella cum ipso boscho, et cum ipsos olibarios, cum terminis et adjacentiis illorum. Et in parochia Sancti Matthæi, alodem qui est in villa Damires, et in stella cum terminis et adjacentiis illorum, et ipsa valle et Romaniano cum ejus alode, et cum ipsa ecclesia cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium cum terminis et adjacentiis illorum absque tributo. Et in Pontons ipsum alodem cum terminis et adjacentiis illorum. Et in Parietes ipsum alodem cum terminis et adjacentiis illorum. Et in S. Eulalia ipsos mansos cum ejus alodes, cum terminis et adjacentiis illorum. Et in valle Biania ipsos solarios cum ejus ecclesia, et cum decimis et primitiis, et cum ejus cimiterio, et oblationes fidelium absque tributo. Et in cubi lisco vel in valle Biania ipsos masos cum ejus alodem cum terminis et adjacentiis illorum. Et in Bago vel in Serra ipsos mansos cum ejus alode et cum ejus decimis. Et in comitatu Rossolionensi, vel in valle Asperi, vel in Palaldano ipsos mansos cum ejus alode, cum terminis et adjacentiis illorum. Et in Miralias ipsa villa cum ejus alode et cum ipsos boschos, cum terminis et adjacentiis illorum, et ipsa villa de Avellanotello cum ejus alode, et cum ejus decimis. Et in comitatu Rossolianense vel in villa Malleolas, ipsos mansos cum ejus alode, cum terminis et adjacentiis illorum. Et in villa Torrilias ipsas salinas, cum ipsas vineas. et cum ejus alode cum terminis et adjacentiis illorum. Et in comitatu Petralatensis ipsos mansos de villa Sacas et in Olibes ipsos mansos cum eorum alodes, et in Terrers ipsas vineas eum terminis et adjacentiis illorum. Et in comitatu Gerundense ipsos mansos de Flassano cum ejus alode, cum terminis et adjacentiis illorum. Et in comitatu Bergadanensi ipsos mansos quos dedit Wifredus comes, et alium quem dedit Oliba comes, et alium quem dedit Bonfilius, qui fuit quondam. Item in Corpe, et in Ardariz et in Gardilanz, cum eorum alodes cum terminis et adjacentiis illorum. Et in comitatu Cerdania, vel in villa Alone, vel in Volpellage, vel in Ezer ipsos mansos cum alodes, et

cum ejus .urnos, cum terminis et adjacentiis illorum. Et in comitatu Rossolionense, vel in valle confluente ipsa villa de pino cum ipsa Ecclesia, et cum ejus alode, et cum ejus cimiterio, et cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium cum terminis et adjacentiis illorum. Et in villa Saorra, et in villa Trolano, et in villa Vernet, et in villa Vhitefano, et in Ascajone, et in Parcinianos, et in Evulo, et in Marignanos, et in Campestres, ipsos masos cum eorum alodes, et cum eorum vineas cum terminis et adjacentiis illorum. Et in Massaneto ipsa villa de Novorics, et ipsa villa de Malaconjuncta, et cum ipsas casas de Lavajol, et in villare Bellone, et ipsa villa de Olibeta cum ejus ecclesia cum decimis et primitiis, et oblationes fidelium cum eorum alodes, et in Tapies cum ipsos boscos cum terminis et adjacentiis illorum. Hæc igitur quæcunque diximus, vel quæ non diximus prædia acquisitâ vel acquirenda ad Sancti Petri apostoli cœnobium Campirotundi situm pertinentia, auctoritate illi firmantur a nobis apostolica. Statuimus autem ut, quando abbas ipsius monasterii obierit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicunque persona pro cupiditatis pecuniæ causa, neque pro qualicunque favoris inanis gloria ibidem constituantur abbates; sed a cunctis ibi degentibus servis Dei secundum Deum juxta Benedicti patris regulam eligantur abbates. Damus quoque licentiam ipsius loci abbati, ubicunque vel a qualicunque voluerit episcopo suos clericos ordinandi, a qualicunque sede ei placuerit chrisma accipiendi, et ut a nullo episcopo, nec ab illo in cujus situm est monasterium episcopio, nec ab alio possit excommunicari aliqua ad eundem monasterium pertinens ecclesia. Statuimus etiam ut quis pœnitens a liminibus exclusus Ecclesiæ, quandiu ibi steterit, habeat licentiam introeundi, et omne divinum officium audiendi. Concedimus quoque abbati vel monachis et omnibus clericis ad monasterium pertinentibus licentiam, nisi voluerint spontanee vel rogati, ad synodum non eundi. Confirmamus igitur, et stabilimus amodo ut nullus rex, nullus princeps, nullus marchio, nullus comes, nullus judex, nullus episcopus, neque ulla magna parvaque persona, aliquam vim vel invasionem in eodem cœnobio aut in suis pertinentiis facere præsumat. Pro quo, et sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione, promulgantes decernimus ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum, neque aliqua magna, sicut diximus, parvaque persona audeat vel præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegium in aliquibus agere injuste, neque quis illum frangere tentet. Si quis autem, quod non credimus, neque timens Deum, et nostri parvipendens privilegium quod concedimus, verbo factove disrumpere tentaverit, hunc, quisquis ille fuerit, de parte Dei omnipotentis, sanctique ejus apostoli Petri et nostra, qui ejus fungimus vice, perpetui, nisi resipuerit, anathematis vinculis obligamus; sitque portio ejus infernus, hæreditas illius diabolus, pars et consolatio ejus ubi nunquam lætitia, sed semper est fletus; veniatque, nisi, ut diximus, pœnituerit, super illum quidquid maledictionis excogitari vel dici potest. Si quis autem hujus sancti cœnobii adjutor existens, illum in quo potuerit elegerit et amaverit, hic Dei omnipotentis interventu apostolica repletus benedictione crescere se gaudeat in virtutem de virtute, sitque ejus portio paradisus, hæreditas illius Dominus Christus, pars et consolatio ejus ubi semper gaudium et dolor est nullus. Interdicimus etiam universi generis potestatibus, ut nulli liceat ex jam dicto monasterio accipere pascuarios, vel exigere traginas, aut distringere placitos ullius hominis ad monasterium pertinentis, cujuscunque sit culpæ, si supradictis maledictionibus [non, E. P.] vult subjacere; quas Deus omnipotens et ab adjutoribus nostri privilegii semper avertat, et super disrumpere cupientes severus inducat.

Scriptum per manus Benedicti notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, indict. quinta decima.

XXI.

Benedicti VIII papæ bulla qua Farfensi cœnobio concedit monasterium Sancti Laurentii in Macri comitatu Campanino.

(Anno 1017.)

[Muratori, *Script. Ital.* I, II, 521.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Hugoni religioso presbytero et monacho, atque spirituali abbati venerabilis monasterii Sanctæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ Dominæ nostræ, siti a latere montis qui nuncupatur Acutianus, super fluvium qui dicitur Pharpha, tuisque successoribus abbatibus, vestræque almæ congregationi perenniter et in perpetuum.

Quoties illa a nobis tribui sperantur quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum imperiri suffragium. Atque ideo quia petistis a nobis quatenus omnipotentis Domini amore, mercedeque animæ nostræ, concederemus et confirmaremus tibi tuisque successoribus in perpetuum monasterium quod est in honore sancti martyris levitæ Laurentii, situm in Macri comitatu Campanino, cum casis, hortis, vineis, terris, campis, pratis, pascuis et silvis, sicut fines inferius continere videntur, videlicet a primo latere via quæ venit a fontana Palumbæ; a secundo latere rigagines quæ pergunt in viam publicam, et ad Cerrum Jannarium; a tertio latere alia via publica quæ ducit ad Balneum Novum; a quarto latere alia via et rigagines quæ vadunt ad Acrifolium, et exinde pergunt in Arciones, et veniunt in viam supradicti fontis Palumbæ, qui est primus finis, seu et cætera alia quantacunque per diversa loca, et ubicunque prope et longe Petiolum rejacere, et ad supradictum monasterium pertinere videntur: omnia juris sanctæ nostræ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, vobis ad tenendum, emissa præceptione, concedere et confirmare debe-

remus. Inclinati autem precibus vestris, per hujus præcepti seriem supradictum monasterium Sancti Laurentii in integrum cum omnibus ad illud pertinentibus, ut superius legitur, a præsenti XV indictione, et usque in perpetuum, ea videlicet ratione concedimus detinendum vobis, ut servos Dei monachos qui in eodem monasterio sunt, vel quos aggregare potueritis sub castitate et modestia atque regulari et monachica disciplina, Dei cum timore, ut Pater familias, fovendo, gubernando, atque regendo, et dispensando, vel in præfata ecclesia luminariorum concinnationes, et quotidianas laudes Deo omnipotenti omni tempore referre faciatis. Unde nostra apostolica auctoritate constituimus, et confirmamus vobis ut nullus episcopus, marchio, comes, vicecomes, sive castaldus, aut alia quælibet magna persona vel parva vos vel vestrum monasterium de jam suprascripto prælibato monasterio molestare aut disvestire audeat. Et qui facere hoc præsumpserit, sciat se auctoritate Domini nostri Jesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, maledictum, et excommunicatum, et anathematizatum; insuper compositurum centum aureos mancosos, medietatem cameræ nostræ, et medietatem sæpe dicto vestro monasterio. Qui vero pio intuitu custos et obediens atque observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis æterna gaudia a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Petri notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Junii, indictione XV. Data IX kalen. Junii per manus Dei gratia Bosonis episcopi et bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.

Bene valete.

XXII.

Benedictus VIII Ecclesiæ Portuensis privilegia possessionesque confirmat.

(Anno 1017.)

[Ughelli, *Italia sacra*, I, 116.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, reverendiss. in Christo confratri nostro Benedicto episc. sanctæ Portuensis Ecclesiæ, suisque successoribus in perpetuum.

Quoties illa a nobis tribui sperantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Igitur quia vestra dilectio apostolatum humiliter postulavit quatenus concederemus, et confirmaremus vobis vestrisque successoribus in perpetuum episcopatum supradictum cum pertinentiis suis; inclinati precibus vestris, per hujus præcepti seriem concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum prædictum episcopium S. Portuen. Eccl., quod positum esse videtur foris prædictam civitatem Portuen., cui vocabulum est S. Hippolyti, cum vineis, et hortis in circuitu ejusdem Eccl. pariter, et clausuram, et vineam A unam integram sitam in cardeto, et in Finilia clausuras duas cum vineis, et terris infra se omnia posita in insula majore; imo et eccl. S. Mariæ, pariterque eccl. S. Laurentii, cum episcopio, et cum cellis, et hortis, atque vineis, clausuras quinque; in una quidem est eccl. S. Petri, et S. Georgii, et Theodori; in alia vero est eccl. S. Viti, sicuti a muro, et a fluvio Tiberis, atque limitibus circumdatur; tertia super ripam fluminis; quarta, juxta S. Mariam usque in Trajanum; quinta, juxta S. Laurentium, et usque in prædictum Trajanum, nec non clausuram de vinea in loco qui vocatur Scaraio, et aliam petiam quæ appelatur Clausura, et vineæ petiam unam in turre Cocuzina, et aliam in Monlon., verum etiam et fundum unum in integrum, qui dicitur Bacatum, cum B appendice sua quæ vocatur Scriptu'a, in qua sunt cisternæ antiquæ positæ juxta eamdem civitatem Portuensem, sicuti incipit a primo latere ab arbore, quæ dicitur Tamorice, dirigitur in columnella, quæ in capo stare videtur milliario secundo distante ab eadem civitate, et deinde pergente recto itinere per Salariam, et usque ad attegiam piscatoria, et exinde remeante ad mare per buccina, et circumeunte littus maris, usque ad Sanctam Nympham, et usque ad facem Miccinam cum locis qui dicuntur Trunceta usque ad balnearia, et usque ad locum qui Portus Trajani vocatur, et usque ad palatium quod vocatur Prægesta, et usque ad civitatem ipsam vetustissimam cum Lacu Trajani, nec non et castellum aliud C minus in integrum cum omnibus ad illud pertinentibus, et in civitate Constantiniana, omnia quæ ibidem per dictum episcopum habere dignoscitur. una cum eccl. BB. Petri et Pauli destructa cum cryptis ubi animalia ipsius eccl. manere videntur, extendentibus se usque S. Mariam, quæ ponitur in arveum Cisterna, et usque ad domum, quæ vocatur Balneum Veneris, et usque ad viam publicam intra ipsum castellum, atque cannetum de ipsa civitate, scilicet monast. S. Agnetis cum salariis, et vineis, quæ infra se habere videtur; porro et fundum in integrum, qui vocatur Pallius, cum casis, vineis, terris et pascuis extendentem se usque ad furnum antiquum, qui est juris supradicti episcopii, et in eodem fundo monumentum antiquum esse videtur D positum via Portuense milliario ab urbe Roma plus vel minus decimo. Itemque insulam minorem cum vineis, et casis, seu terris, cum loco, qui vocatur Scaraio, qui olim fuit Portus Trajani cohærente eidem fundo Baccani, et cum omnibus ad eum pertinentibus, pariterque et fundum in integrum qui vocatur Judæorum, et fundum qui vocatur Gualdus cum omnibus eorum pertinentibus, positum juxta prædictam civitatem antiquam, etiam, et filum salinæ in integrum situm in 7 filas.

Item, et in Bacan. et in Genecula fila novem, omnia fila salinarum quæ ad vestrum episcopium pertinere noscuntur, seu et fundum in integrum qui vocatur Gualdus Major cum eccl. S. Aureæ, et monumento suo, et terra semitaritia quæ appellatur

Planura, in qua cisternæ videntur esse positæ infra fluvium; et terram, quæ vocatur Arcionum: nec non et confirmamus vobis curtem in integrum, quæ dicitur Galeria, in qua est eccl. S. Mariæ cum caminatis, seu orticlineis, atque diversis cubiculis, et omnibus suis ædificiis quæ infra se et circa se habere dignoscitur, cum omnibus finibus, terminis, limitibusque suis, terris, casalibus, silvis atque pantanis cum ponte, et ipsum vicum qui vocatur Galeria, usque ad flumen, una cum campis, pratis, pascuis, salicetis, arboribus fructiferis et infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, aquis perennibus cum locis ad aquimolam faciendam, vel cum omnibus ad prædictam curtem quæ vocatur Galeria pertinentibus. Simulque pratum in integrum cultum, et assolatum, situm in campo qui vocatur Meruel, constitutum via Portuense milliario ab urbe Roma plus minus duodecimo sicut affines incipiunt a tota curte, a primo latere prata Caraci quæ vocatur Merul, et vadit per montem quem olim detinuit Joannes de Miccina, et hæredes Stephani Numenclatoris, et exinde ducitur per casale quod olim detinuit Joannes de Sergio, et transit aliam viam Carrariam, et venit in casale quod detinent hæredes quidam Franconis Transtiberim, sicut per affines marmoreos designatur, exinde vadit in casale monasterii SS. Cosmæ et Damiani, et pergit per fossatum antiquum, qui verno tempore ducit aquam in rivum qui vocatur Galeria, pergentem ad molam de silva, et revolventem per viam carrariam, usque ad vallem mediam de monte qui vocatur Sunuel, et pergentem usque ad casile qui stat in lentiscino, et usque in caput de valle concludentem totum campum, usque in pedicam quæ vocatur Ticli, et Piscinam Galiardam concludentem ipsam pedicam, ubi sunt fila 30, pergentem juxta fila quæ sunt monasterii di Miranda, usque in stagnum majus, et per ripam stagni in Borduzariam, et a pede filorum usque in Baccanum, et usque in terra de prædicti episcopi, et usque in formam quæ vocatur Arcionum, et per ipsam formam usque in rivum qui vocatur Galeria, et ultra Galeriam per formam, usque in prædictum primum affinem de prata Caraci. Infra hos vero fines, loca, et vocabula sunt hæc, S. Cæsarius, Palinus, Sorbilianus, Pantanum Majus, Clusa Vetus, Medianum, Ruginosus Mons, Cannaparius, Celsa, Limes Major, Stagnellum maledictum, Siocli, Piscina Galiarda, Olibastrum, Stagnellum Peregrinum, cum omnibus eorum pertinentibus. Nec non et confirmamus vobis vestrisque successoribus perpetualiter quatuor in integrum principales uncias, quæ est tertia pars de toto Stagno Majore Portuensi cum omni piscatione, redditione et datione sua, vel cum omnibus ad ipsas quatuor uncias stagni in integrum pertinentibus sicuti a prædecessoribus nostris in S. ecclesiam Portuensem concessum est: omnia jam superius dicta posita sunt in territorio Portuensi.

Itemque concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus turrem in integrum, quæ vocatur A de Albo, cum casis, et vineis, hortis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, pantanis ac rivis cultis et incultis, vacuis et plenis, et cum omnibus turrem generaliter in integrum pertinentibus, sicuti affines ejus designant a primo latere rivus qui vocatur Galeria, et a secundo latere fluvius qui vocatur Tiberis, et a tertio latere pulverinula, et a quarto latere forma, quæ vocatur Arcionum. Concedimus etiam ipsis hominibus qui pro tempore habituri sunt in prædicta turre, ita ut nullius potestati, nullius ditioni sint subditi, aut alicui homini serviant aut honorem faciant, nisi episcopo qui jam in dicto episcopio fuerit; nec non et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum omnes res, et facultates mobiles et immobiles de illis ho- B minibus qui sine hærede et intestati ac subito præoccupati judicio mortui fuerint, et minime per se ordinare ex eorum facultatibus possunt, in tota Portuense civitate, seu in Transtiberim, vel in insula Lycaonia, sive ubicunque vestri episcopii jura esse videntur. Ipsam S. matrem ecclesiam Portuensem constituimus atque confirmamus habere hæreditatem illorum qui per tempora in jam dicto episcopio ordinati fuerint, quomodo eis placuerit ordinandi et disponendi habet licentiam, ut in æternum pereant, scilicet in quantum potuerint eorum semper orationibus adjuventur. Insuper concedimus vobis vestrisque successoribus in perpetuum, ex jure sacri nostri palatii Lateranensis quod ad publicum nostrum pertinet, totum castaldanum in integrum Portuensem, C vel quidquid usque hactenus vestri castaldiones de tota Portuensi civitate, sive de portis vel de navibus, nec non de tota burdunaria, vel quidquid extra vel infra ubicunque illis pertinuit de jam dicto ministerio, vobis vestrisque successoribus perpetuis temporibus tribuimus possidendum, ita ut qualemcunque hominem ibidem constituere volueritis castaldum aut mandatarium, vestræ potestati consistat, et quidquid ex ipso ministerio acquisierit vel habere potuerit, vobis vestrisque successoribus deferatur, quidquid vobis placuerit exinde faciendi, tamen si nostro comiti vel nostrorum successoribus placuerit, de illo quod ad nostrum palatium pertinet fidelitatem juret. Ipsi namque comites qui per tempora D ibidem fuerint, nullo modo alium castaldum vel mandatarium audeant ordinare vel constituere, præter illos quos vos vel vestri successores ordinatis vel constituitis; qui si fecerint, vel de jam dicto castaldatico aliquid violenter abstulerint, vel quæ a nobis vobis vestrisque successoribus tradita sunt frangere aut contraire voluerint, unusquisque 4 lib. auri persolvat, medietatem vestro episcopatui, et medietatem in nostro palatio, et quod ab eis in nostrum castaldionem vel in mandatarium fuerit ordinatum, evacuetur. Si vero contumax exstiterit, usque ad veram satisfactionem excommunicatus existat.

Itemque concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum de civitate Portuense duos piscatores, et duos [illegible] quales vos vel

successores eligere voluerit de ipsis hominibus qui ibidem tuerint aut invenire potuerint. Vestræ itaque religiositati hæc omnia in perpetuum concedimus et confirmamus; ipsi namque duo piscatores, et duo curiales ulterius nullam dationem aut servitium faciant, nec ad placitum distringantur ab aliquo, qui pro tempore in ipsa civitate Portuensi dominatum tenuerit; scilicet tuæ tuorumque successorum illos submittimus potestati. Item confirmamus vobis vestrisque successoribus casale unum in integrum, quod vocatur Genesianum, et Malianum cum insula modica ultra rivum in ipso loco positum cum omnibus sibi pertinentibus, positum via Portuense juxta Malianum juris monasterii S. Pancratii; etiam et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum totam insulam quæ vocatur Lycaonia, in qua est ecclesia B. Jo. Baptistæ, et ecclesia S. Adalberti cum casis et oratoriis infra eadem curte, cum hortis, et aquimolis, et pertinentiis suis infra hanc urbem Romam sitam, sicuti extenditur ab uno capite usque in aliud caput ipsius insulæ, ubi flumen dividitur. Pari modo concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum omnem ordinationem episcopalem, tam de presbyteris quam diaconibus vel diaconissis, seu subdiaconibus, ecclesiis vel altaribus, quæ in tota Transtiberi necessaria fuerit, faciendam, nisi cardinalis presb., vel cardinalis diaconus, vel subdiac., vel acolythus sacri palatii Lateranensis efficiatur. Scilicet omnia tibi tuisque successoribus, vel quibus episcopis a vobis invitati fuerint, ordinandi, benedicendi, consecrandive concedimus potestatem; et ne parochia vestra ab aliquo pervadatur episcopo, fecimus per hoc nostrum privilegium intimare, tuæque Ecclesiæ confirmare curamus, incipiente quoque primo termino a fracto ponte, ubi unda dividitur per murum, videlicet Transtiberinæ urbis, per Septimianam portam, per portam S. Pancratii, per silicem vero ipsius portæ, usque ad pontem marmoreum qui est super Arronem, et ducente per ipsam silicem usque ad paritorium, inque revolvente per paludes, usque in mare, indeque veniente per mare, usque ad duo milliaria ultra Farum, et usque in fontem majorem, indeque remeante per medium flumen majus venit usque ad ramum fracti pontis, qui est juxta Marmoratam, inque ad medium pontem S. Mariæ, et ad medium pontem ubi Judæi habitare videntur, et redit per medium pontem prædictum fractum ubi jam de unda diximus, qui est primus affinis absque Transtiberinis catholicis ecclesiis S. Mariæ, videlicet in Transtiberi S. Grisogoni, et S. Cæciliæ, vel monasterio S. Pancratii, et SS. Cosmæ et Damiani, tamen in prædictis ecclesiis et monasteriis quidquid ibidem ab episcopis necesse fuerit faciendi Portuensi episcopo, vel ab ipso invitatis tribuimus potestatem.

Itemque concedimus et confirmamus in jam dicto episcopio plebem S. Mariæ et S. Apollinaris in Mola Rupta, et plebem S. Stephani in Panchi, et plebem S. Mariæ in Apruniana, vel omnes ecclesias exiguas vel magnas cujuslibet nominis, quæ infra jam dictos affines sunt vel esse possunt, absque illis, quas jam diximus Transtiberim sitis. Interea sancientes jubemus, sicuti a nostris prædecessoribus jussum est, ut in flumine toto, qui juxta urbem Portuensem decurrit, nullus audeat molendina, aut pontem post jussionem tuam, vel successorum tuorum episcoporum, juxta priscam consuetudinem quoquomodo constituere, et cum vel a vobis, vel ab aliis, quibus tamen vos faciendum injunxeritis, constitutum aut factum fuerit, ipsa molendina vel pons vestro arbitrio dispensentur; per pontem vero civitatis ipsius, si factus fuerit, cum plaustro onusto vino vel victu nemo audeat neque hinc illuc neque inde huc penitus transmeare. Iterum sancientes jubemus ut nullus presbyter vel cujuslibet ordinis clericus aliquis de toto præfato episcopatu audeat ad placitum constringere, aut ad contentionem finiendam compellere, aut aliquod servitium ab eis requirere; potest episcopus Portuensis, in cujus parochia sunt. Quicunque vero præsumptor, sive dux, sive comes, vel vicecomes, aut cubicularius, vel a nostra apostolica sede missus, aut qualiscunque interveniens potestas, quæ de ipsa civitate Portuense dominatum tenuerit, de quocunque fuerint ordine, prædicta omnia immobilia loca, aut prænominatum castaldaticum, vel duos piscatores et duos curiales, vel omnes prædictos clericos a jure et potestate atque ditione præfati episcopi auferre, vel minuere voluerit, vel parochiam infringere tentaverit, aut homines in prædicta turre habitantes, vel ubicunque proprietas episcopi mentionata fuerit, ad publicum servitium revocaverit, sciat se compositurum episcopo ipsi qui pro tempore fuerit, auri purissimi lib. 20. Insuper anathemati subjaceat, statuentes quippe apostolica censura, auctoritate B. Petri apostolorum principis, sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum, vel alia quælibet magna parvaque persona, ea quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate vel augmento prædicti episcopii statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, aut aliquid exinde minuere audeat; scilicet sicut superius a nobis statutum vel concessum est, ita perennibus ac perpetuis temporibus sine aliqua minutione permittat in æternum permanere. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum privilegium venire, aut in quoquam ire præsumpserit, et sicut superius a nobis statutum est, ita firmiter permanere non dimiserit et in omnibus non observaverit; sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei omnipotentis, et B. Petri apostolorum principis, atque nostra, qui ejus fungimur vicariatione, anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienatum, atque cum Juda traditore D. N. Jesu Christi, et omnibus pompis ejus omnino incendio concremandum. Qui vero pio intuitu custos et observator hujus nostri apostolici privilegii in omni-

bus exstiterit, benedictionis gratiam, vitamque æternam a justo judice Domino Deo nostro, et ab omnibus sanctis ejus consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Georgii notarii regionarii atque scriniarii S. apostolicæ sedis, in mense Julio, indictione I.

Datum Kal. Augusti per manum Domini gratia Basonis episcopi, et bibliothecarii S. apost. sedis. Bene valete. Decernimus ergo, etc. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc. Amen.

XXIII.

Benedictus VIII Amato, archiepiscopo Salernitano, pallii usum concedit, et privilegia Ecclesiæ ejus confirmat.

(Fragm. — Anno 1019.)

[Baron. ad an. 1012, n. 5.]

. . . . . Scriptum per manus Stephani notarii regionarii et scriniarii S. R. E., mense Decembris, indict. III.

Datum VI Kal. Januarii per manus Benedicti episcopi Portuensis et bibliothecarii S. apost. sed., anno, Deo propitio, VIII pontificatus domni Benedicti sanctissimi octavi papæ, imperante domino piissimo imperatore Aug. Henrico anno VI, ind. III, mense Decembris, die XV.

XXIV.

Benedicti VIII privilegium pro parthenone S. Mariæ et S. Andreæ.

(Anno 1020.)

[Mansi, *Concil.*, XIX, 330.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Cunigundæ venerabili abbatissæ æternam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione sucurrere, et poscentium animis alacri devotione præbere assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Dominum promeremur, si venerabilia loca sanctorum opportune ordinata ad meliorem statum fuerint perducta. Et ideo quia postulatis a nobis quatenus apostolica auctoritate concederemus et confirmaremus vobis et eis quæ vobis in perpetuum succedere debent, monasterium in honore sanctæ Mariæ et S. Andreæ situm in loco qui vocatur Goslia, in comitatu Liubana, a bonæ memoriæ Aribone et Adala conjuge sua incœptum et a filio eorum Aribone venerabili diacono perfectum et in libertate dilectissimi filii H. imperatoris commissum : inclinati precibus vestris, et præcipue deprecatione dicti imperatoris, et interventu ejusdem Aribonis venerabilis diaconi perfectoris ejusdem loci, concedimus et confirmamus vobis et eis quæ vobis succedere debent in perpetuum, dictum monasterium cum omnibus pertinentiis suis et integritatibus, quæ quoquo modo habet vel habiturum est in perpetuum. Ita sane ut singulis quibusque indictionibus pensionis nomine unus aureus solidus sanctæ Romanæ Ecclesiæ persolvatur. Statuentes igitur apostolica auctoritate censemus ut nulli unquam mortalium liceat contra tenorem hujus nostri privilegii insurgere usurpando, invadendo aliquid de possessionibus monasterii vel de rebus ecclesiasticis, sive de hoc quod modo habet vel habiturum est in perpetuum, seu inquietando vos posterasque vestras. Si quis, quod non optamus, nefario ausu hoc nostrum privilegium pie a nobis promulgatum in quoquam perfringere aut evacuare tentaverit, iram Dei incurrat et principis apostolorum, atque cum Juda traditore Domini in inferiori gehenna damnetur. Qui vero pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, gratiam Dei consequatur, et apostolorum principis benedictionem mereatur, atque cum electis in cœlesti tabernaculo in æternum lætetur.

Scriptum per manus Stephani scriniarii Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili indict. III.

XXV.

Privilegium Benedicti papæ de confirmatione Babebergensis episcopi.

(Anno 1020.)

[Mansi, *Concil.* XIX, 327.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Domino Jesu Christo filio etc. sanctæ Babebergensis Ecclesiæ venerabili episcopo perpetuam salutem.

Quandocunque nostræ apostolicæ corroborationis piæ exposcitur suffragium, celeri effectu est attribuendum. Et si in his exposcitur quæ durare perpetuo videntur, litteris est et adnotandum, ne prolixitas temporum posteris hoc reddat dubium vel incertum. Quapropter notum esse volumus cunctis sanctæ Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, qualiter de episcopatu quem Christianissimus Henricus imperator ad honorem principis apostolorum Petri Babeberc devotissime præfecit, actum in eadem ecclesia nobis præsentibus sit. Sæpius enim obnixe dictus imperator, fervens nimio amore episcopatus quem tactus divino impulsu perfecerat, honorifice ad confirmandum apostolica auctoritate Babeberc adire nos deprecatus est; cujus deprecationes assiduas et indeficientem instantiam de justo desiderio procedere cognoscentes, iniquum judicavimus præsentiam nostram illi denegare, et inhumanam calliditatem contra venerabilem locum aliquando occasionem sumere.

Venimus igitur Babeberc, ubi ab eodem imperatore suscepti sumus, prout poterat et noverat melius. Ecclesiam autem cum omni integritate episcopatus S. R. E. cui, Deo auctore, præsidemus, et nobis obtulit. Quod videntes, æquum consideravimus seriem hujus nostri privilegii, et episcopatum confirmare in perpetuum, eumque tibi, dilectissime, et tuis successoribus concedere; ea videlicet ratione, hoc ordine ut nullus unquam viventium, cujuscunque sit dignitatis vel ordinis, contra hanc nostram confirmationem episcopatus venire audeat, vel contra te tuosque successores ob hoc agere, neque liceat

ei de omnibus quæ nunc habet vel habiturus est prælibatus episcopus, vi, fraude aut iniqua calliditate aliquid abradere, vel te tuosque successores de his omnibus inquietare aliquo modo; ita sane ut singulis quibusque indictionibus sub nomine pensionis equum unum album nobis nostrisque successoribus persolvat cum sella conveniente Romano pontifici. Si forte, quod non optamus, aliquis superbus et arrogans temerario ausu contre hanc nostræ præceptionis seriem pie a nobis promulgatam venire aut agere tentaverit, sciat se Domini nostri et apostolorum principis Petri cui oblatus est a jam dicto Christianissimo imperatore episcopatus cum suis pertinentiis, et cujus suffragium et judicium per nos nostrosque successores exspectat, anathematis vinculo innodatum, cum diabolo et cum ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri æterno igni concremandum.

Qui vero pio intuitu curator et observator hujus nostræ salutiferæ præceptionis exstiterit, benedictionis gratiam et cœlestis retributionis gaudia a justissimo judice Domino consequatur.

Scriptum per manus Raphonis notarii regionarii et scriniarii S. R. E.

XXVI.

Benedictus VIII monasterii S. Sophiæ Beneventani possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1022.)

[*Anecdota Ughelliana*, 489.]

Benedictus episcopus servus servorum Dei, Gregorio venerabili abbati monasterii S. Sophiæ quod permanet intra civitatem Beneventanam, et urbe vetere, et post te in eodem venerabili monasterio successoribus tuis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus convenienti compassione succurrere, et poscentibus animi alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucro potissimum apud conditorem omnium Dominum veniam promeremur, si venerabilia sanctorum loca opportune ordinata ad meliorem fuerint statum perducta. Igitur quia tua religiositas nostro apostolatui humiliter postulavit quatenus concederemus et confirmaremus tibi tuisque successoribus prædictum monasterium S. Sophiæ cum Ecclesiis, curtis, villis et casalibus, vineis quoque et terris, servis et ancillis, omnibusque rebus mobilibus ac immobilibus, privilegiis sedis apostolicæ ac insulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ sedis apostolicæ, cui Domino auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius jurisdictionibus submittatur; inclinati precibus tuis, per hujus nostri apostolici privilegii tenorem concedimus ac confirmamus tibi et successoribus tuis in perpetuum præfatum monasterium cum omnibus rebus suis quas nunc habet aut habiturum est in perpetuum, ne id videlicet alicui Patri aut domino nisi Romano pontifici subjugatum, sed semper ab omni subactione et conditione Casinensis monasterii maneat, quam fecit Urso abbas S. Sophiæ liber omnino, juxta manifestationem Magilperti abbatis Sancti Benedicti Casinensis monasterii, quam fecit Urso abbas S. Sophiæ in præsentia principum Jandolphi ac Pandolphi filii, quin et magnatorum ac judicum eorum; necnon et multis postmodum annis se manifestavit Joannes abbas prædicti monasterii Casinensis tibi Gregorio abbati S. Sophiæ; quemadmodum et Magelpotus abbas prædictus Urso abbati; statuentes apostolicam censuram sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictionibus, ut nulli Christianorum viventium, cujuscunque sit dignitatis vel potentiæ, liceat contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire aut insurgere, vel de rebus et possessionibus ejusdem monasterii aliquo modo vel aliquo ingenio auferre vel usurpare, ut profecto, juxta id quod subjectum eodem loco apostolicæ constitutionis atque privilegii consistit, inconcusse dotandum permaneat: et liceat eisdem monachis de ipsa congregatione abbatem semper eligere, et non sit licitum alicui episcopo ibid m missam facere aut canere, aut etiam ordinationem facere, nisi quem abbas ejusdem monasterii provocaverit. Si quæ temerario ausu contra hanc nostram apostolicam præceptionem venire tentaverit, vel definitiones, quas prædicti abbates inter se fecerunt, quoquo modo irritas facere voluerit aut contenderit; vel etiam si aliqua persona hominum res suas in eodem monasterio vel ecclesiis illis subjectis offerre vel dare voluerit, et aliqua persona hominum subtrahere illud voluerit, sit a Deo Patre, et Filio, et Spiritu sancto excommunicatus et maledictus, et a beato Petro et Paulo apostolis Domini nostri Jesu Christi anathematizatus et condemnatus; in die vero judicii cum diabolo et angelis ejus præcipitetur in gehennam æternam sine fine arsurus. Qui vero custos et asservator in omnibus hujus apostolicæ præceptionis nostræ salutaribus constitutis extiterit, omni benedictione repleatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii et scriniarii S. R. E. in mense Mart. indict. v.

XXVII.

Bulla Benedicti VIII papæ qua Pomposiano monasterio cuncta privilegia et jura confirmat.

(Anno 1022.)

[Muratori. *Antiq. Ital.*, V, 1051.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Widoni venerabili abbati monasterii Sanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ, siti in insula quæ dicitur Pomposia, successoribusque suis in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotio, etc. Igitur quia postulavit tua sanctitas curvatis genibus nostram piam voluntatem quatenus præfatum monasterium Sanctæ Dei Genitricis dominæ nostræ, in insula Pomposiana situm, privilegio apostolico roboraretur, ne id videlicet alicui hominum, præter

Deo et regi subjugatum esset; per illam auctoritatem quam Christus Dominus noster beato Petro apostolorum principi et sanctæ Ecclesiæ rectoribus concessit, constituimus et ordinamus ut nunquam locus ipse aut res ad ipsum pertinentes, præter Deo et regi, alicui submitti possint: nullusque mortalium, præter regiæ potestatis culmen, in præfato monasterio, aut in cortibus vel in castellis, sive in plebibus, aut in cellis, seu in villis, aquis aquarumque decursibus, ripis, pascuis, silvis, piscationibus, paludibus, omnibusque rebus mobilibus et immobilibus ad ipsum pertinentibus, nec non in servis Dei, aut in famulis utriusque sexus, sive etiam in liberis super terras ejusdem monasterii residentibus, aliquam ordinationem, vel auctoritatem, sive potestatem aut jurisdictionem tenere, vel conversationem monachorum impedire seu molestiam inferre præsumat, aut in aliquibus locis ipsius monasterii districtum habere vel judicare, seu aliquod placitum absque licentia abbatis tenere, vel res monasterii invadere, aut quovis modo alienare, aut fodrum vel paratas, seu aliquas publicas functiones exigere vel requirere audeat. Et tam a potestate archiepiscoporum quam ab omnibus subtrahimus, regali tantummodo vel imperiali submissum ditioni vel defensioni. Nec non et confirmamus vobis piscariam quam Volana cum suis pertinentiis habet. Si quis autem, quod minime optamus, inobediens et contemptor hujus nostri privilegii in toto vel in parte repertus fuerit, vel occasione cujuslibet personæ attentare præsumpserit, nisi resipuerit, maledictionem a Patre, et Filio, et Spiritu sancto consequatur, et cum diabolo ejusque sociis atrocissimis pœnis et æterno incendio deputetur, nec resurrectione electorum futura dignus inveniatur, et a communione et sanctæ matris Ecclesiæ sinu et consortio sanctorum sit alienus.

Scriptum per manus Stephani primi scriniarii sanctæ apostolicæ sedis, in mense Julio, et indictione v.

Bene valete.

XXVIII.

Benedicti VIII papæ privilegium pro monasterio Casinensi (5).

(Anno 1223, Julii 1.)

[Margarini, *Bullar. Casin.*, II, 75.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, charissimo nobis in Domino Jesu Christo filio Teobaldo venerabili et religioso abbati sacratissimi monasterii beati Benedicti confessoris Christi, siti in monte qui vocatur Castrum Casini, suæque almæ congregationi in perpetuum, in Domino salutem.

Si petita apostolica suffragia, universis ecclesiis, cogente ministerio quo videtur præditi, impertiri debemus, quæ specialiter ad nostrum solummodo apostolatum respiciunt; tanto citius pleniusque, quanto oportunius iis indigere cognoscimus, adipisci debent ut nulla indemnitas venerabilibus locis provenire possit, sub tuitione apostolica receptis, quæ nostro brachio repugnante non submoveatur. Harum denique nostrarum sollicitudinum recompensatorem Dominum credimus, quem in iisdem locis quiete laudari optamus. Nam tanto inibi degentium laudes et preces erunt acceptabiles, quanto mentes earum ab omni perturbatione, nobis suffragantibus, erunt alienæ. Igitur quia postulastis a nobis quatenus monasterium S. Benedicti in monte Casino situm, cujus abbatis consecrationem nuper ex dono piissimi Henrici imperatoris Romani suscepimus, et per nos et successores nostros in perpetuum, nulla pravitate Simoniaca interveniente consecrandis, concedimus, et confirmamus, cum omnibus ecclesiis, monasteriis, cellis, castellis, etc. Post obitum vero tuum nemo inibi constituat abbatem, nisi quem conventus et voluntas communis fratrum ex ipsa congregatione elegit; electus ad nos vel successores nostros consecrandus gratis et sine pretio veniat; quod si aliunde veniat, vel ab alio aliquo archiepiscopo vel episcopo consecrari maluerit, tunc consecrator et consecratus anathema sint. *Et infra*: Insuper etiam apostolica censura sub divini judicii obtestatione prohibemus ut nullus episcopus præsumat in jam dicto monasterio vel in ecclesiis sibi subjectis sacerdotem excommunicare vel ad synodum provocare. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit, hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, refragari aut in quocunque transgredi, sciat se, nisi resipuerit, anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienum; et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi in æternis incendiis et suppliciis concremandus sit deputatus. At vero qui pio intuitu observator et in omnibus custodiens exstiterit hujus nostri apostolici constituti, et ad cultum Dei respicientibus (*sic*); benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro, per intercessionem beati Petri apostolorum principis et B. confessoris Benedicti multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps esse mereatur.

Scriptum per manum Sergii scriniarii et notarii sacri nostri palatii, Kalendis Julii, indictione sexta.

Bene valete.

XXIX.

Epistola Benedicti VIII papæ ad Stephanum Arvernorum episcopum pro Cluniacensibus.

(Anno 1012-1024)

[*Bullar. Cluniac.*, pag. 7.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Ste-

(5) Veram bullæ hujus clausulam, chronologica signa continentem, affert Gattula Hist. Casin. 56. Jaffé.

phano Arvernorum religiosissimo episcopo, in Domino salutem.

Vobis notum est Cluniacum monasterium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, a fundatore ejusdem, ad defendendum contra insatiabilem cupiditatem sæcularium esse commissum. Unde, justitiæ regula dictante, admoniti, quotiescunque pressuram isdem locus a pravis hominibus patitur, scutum nostræ defensionis debemus opponere. In qua re sanctitatem vestram, ad confringendam cervicositatem eidem cœnobio res delegatas rapere volentium, adjutricem nostri esse omni modis volumus; et non levem lapillum, sed fortissimum excommunicationis jaculum rogamus vos in eos intorquere, qui ausu nefario, Domini timore postposito, Dei servos scandalizare aut contristare, res eorum auferendo, non metuunt. Præcipue autem hoc ad præsens gladio feriantur Tetardus atque Girbertus filii Stephani, qui alodem, quem Amblardus archiepiscopus reliquit Sancto Petro, injuste retinent ac possident. Hi igitur, donec reddant jam dictum alodum, sicut ex parte nostra, ita ex vestra vinculo excommunicationis innodentur.

Bene valete.

XXX.

Benedictus VIII papa ad Willelmum abbatem monasterii Divionensis.

(Anno 1012-1024.)

[Pérard, *Recueil*, etc., p. 273.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Willelmo venerabili abbati et in Christo dilecto filio, salutem charissimam cum benedictione apostolica.

Audita vigilantia studii tui, qua invigilas super filios commissos tibi, referimus gratias Deo omnipotenti. Denique comperimus te jamdiu laborare creberrimis tuorum hostium incursionibus, et pene jam destitutam Ecclesiam tuam a diripientibus; et infortuniis tuis, quas forinsecus pateris, condolemus. Namque pro longanimitate patientiæ, quam hucusque exhibuisti adversariis Ecclesiæ tuæ, decet nos gaudere, et bonitatem tuam laudare; cæterum, hactenus sufficiat patientiam hanc ita exhibuisse ut impune ad nihilum redigantur penitus res Ecclesiæ, et præ penuria inopiæ labefactetur ordo religionis monasticæ, quæ inibi sub te dinoscitur præpollere. Hales tecum filium nostrum Benignum episcopum, gratias Deo, effectum monachum, quem admonemus honeste et religiose conversari, professionem obedientiæ moribus et opere attendere, in qua vocatione vocatus est, in ipsa permanere. Deinde illi jubemus cum omni imperio ut inimicos martyris Benigni insequatur omni justitiæ zelo ac eum divina auctoritate feriat eos anathemate: tibi etiam præcipimus ne obsistas ei in hoc, sed illi auctoritatem pervasores tuos feriendi concedimus, jubemus et imperamus; ita tibi per veram obedientiam mandamus ne impedias eum nec eum prohibeas quin ipsos malefactores divini verbi gladio coerceat. Ac si in eo corroboratur nostra auctoritas, et quoscunque ille ligaverit, apostolica et nostra auctoritate sint ligati, et quos absolverit, sine nostra pariter absolutione soluti. Damus etiam illi potestatem ordinandi quidquid juste postulatus fuerit in sancta Ecclesia ordinare, verumtamen te jubente. (*Sine sigillo.*)

XXXI.

Benedictus VIII concedit ut in ecclesia monasterii Ripipollensis cantetur Alleluia, et hymnus angelicus in festivitate Hypapanti (sive in festo purificationis beatæ Mariæ), etiamsi ea inciderit post Septuagesimam.

(Anno 1012-1024).

[Coquelines, *Bullar. Collect.* I, 318.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis ad festivitatem Hypapanti Domini in cœnobio Sanctæ Dei Genitricis convenientibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam omnis universalis Ecclesiæ nobis, quamvis immeritis, commissa secundum Deum credimus fore regimina, idcirco jussit nos quorumcunque fidelium convenit annuere votis, et ab inde cunctis emanare profectum, unde totius acceptum religionis constat exordium. Quapropter innotescimus charitati vestræ quoniam adiens nos dilectissimus filius noster Oliba, cœnobii Ripollensis abbas, zelo divino, et beatæ virginis Mariæ ductus amore, suppliciter petiit ut, si prædicta festivitas evenerit postquam dimissa fuerit *Alleluia*, illa eadem die cantetur cum *Gloria in excelsis Deo* in solo præfato monasterio sibi daretur licentia. Cujus precibus nobis annuere libuit, concessimusque illi et suis in perpetuum successoribus *Alleluia*, si jam abstiterit, hymnum quoque angelicum, cum est canendum. Quicunque igitur gaudiis hujus festivitatis in suprascripto loco studuerit interesse, sciat se donandum munere protectionis divinæ, et augmento benedictionis nostræ, adjuvante Jesu Christo benignissimo Salvatore.

XXXII.

Benedicti VIII papæ epistola ad Guillelmum comitem.

(Circa an. 1014.)

[Ménard, *Histoire de Nismes*, Preuves, p. 20.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Guillelmo comiti, nec non matri suæ Adelaidæ comitissæ perpetuam salutem et apostolicam benedictionem.

Inauditum facinus nefandaque injuria vestris videtur in regionibus orta, eo quod monasteria, Patrum olim decretis fundata, modo conspiciuntur malorum pravitatibus hominum pene dissipata; unde ego mœrore percussus arcano, stigmate insignitus apostolico, cum hujus apostolicæ sedis diversorum ordinum clero, cui ego, Deo dispensante, deservio, omnes homines, illos scilicet qui beati Ægidii alodem temere a vobis exquirunt acci pere, sine abbatis illius loci voluntate, sineque

consensu monachorum, contra S. Ægidii damnum, eique servientium, a sanctæ matris Ecclesiæ gremio absentes esse præcipio, et cum Dathan et Abiron, Chore quoque, Baal et Behelzebud, et eorum similibus, maledictionem illis æternam ingero, et participationem illis perseverantem concedo. Nec non et illos simili damnatione excommunico sive condemno, qui male ipsius terram, sanctissimi videlicet Ægidii, invadentes, in usum sibi, se sciente, proprium vendicant et deprædantur, quia a vobis potestatibus, retro in actis temporibus, non exceperunt. Si vero propter hoc quod ipsi alodem supradicti almi Ægidii malitiose voluerunt possidere, et a vobis multiformiter cupierunt accipere, damnum illis habitantibus monachis aliquod venerit, duplicem excipiant pœnam excommunicationis B seu maledictionis, et nunquam a consortio Judæ, Domini traditoris, Caiphæ quoque, et Annæ, Herodis necnon, et Pontii Pilati, collegio valeant dissociari; angelorum itaque maledictionibus pereant, et communionem Satanæ in interitu carnis percipiant; maledictiones accipiant desursum, et abjacentis abyssi maledictiones deorsum accipiant; maledictionem cœlestem, et maledictionem terrestrem.

Præsentem maledictionem percipiant in corporibus, et debilitationem in animabus, et perditionem et cruciationem recipiant. Maledicantur cum maledictis; flagellentur cum ingratis; pereant cum superbis. Sint maledicti cum Judæis qui Dominum in carne videntes non crediderunt, sed magis eum C crucifigere tentaverunt. Maledicti sint cum hæreticis qui Ecclesiam Dei cupierunt subvertere. Maledicti sint cum illis qui nomen Domini blasphemant. Sint maledicti cum illis qui se de Dei misericordia desperant. Sint maledicti cum illis qui damnati sunt in inferno. Maledicti sint cum impiis et peccatoribus, si non emendaverint et culpabiles se adversus S. Ægidium non reddiderint. Maledicti sint per quatuor partes mundi; in Oriente sint maledicti; in Occidente destituti, in septentrione sint interdicti, et in meridie excommunicando exuti. Maledicti sint in die, sint excommunicati et in nocte. Intra domum suam sint maledicti, et extra domum sint excommunicati. Cum steterint sint maledicti, et cum sederint sint excommunicati. Sint maledicti D cum manducaverint, sint maledicti cum biberint; maledicti sint, cum dormiant, et excommunicati cum vigilant. Maledicti sint cum aliquid operantur, et excommunicati cum paululum requiescunt. Maledicti sint verno tempore, et excommunicati æstate; maledicti sint in autumno, et excommunicati in hieme. Maledicti sint in præsenti tempore, et in futuro sæculo sint excommunicati. Possessiones eorum accipiant alteri, et mulieres eorum eant in perditionem, et infantes eorum gladio cadant. Maledicti sint cibi illorum; et hoc quod ex eis remanserit sit maledictum, et qui eis gustaverint sint maledicti. Sacerdos itaque qui eis corpus et sanguinem Domini tradiderit, et eos in infirmitate positos visitaverit, A sit maledictus et excommunicatus; similiter qui illos portaverint ad sepulturam, et præsumpserint sepelire. Sint maledicti et excommunicati omnibus maledictionibus, si non emendaverint et ad satisfactionem non venerint. Hoc pro certo sciendum est vobis quod post obitum nostrum nullus episcopus, nec ullus comes, nec ulla sæcularis potestas audeat præsumptuose monasterium beati Ægidii sibi in dominium usurpare. Quod si præsumpserint facere, omnibus supra laxatis maledictionibus obligati, ad regnum nunquam valeant intrare cœleste, quia in dominio et salario beati Petri ipsum cœnobium cum omnibus rebus sibi pertinentibus beatus Ægidius contradidit. Nullusque successorum meorum cuiquam audeat venundare seu commutare, sive sub tuitione cujusquam potestatis subjicere.

Scriptum per manum Joannis diaconi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarii

XXXIII

Benedictus VIII, petente Rogerio comite Carcassonensi et conjuge ejus Adalhaide, res et jura monasterii S. Hilarii confirmat.

(Anno 1012-1024.)

[Besse, *Hist. des comtes de Carcassonne*, p. 81, teste Brequigny, *Tabl. chronol.* I, 530.]

XXXIV.

Benedictus VIII monasterii S. Savini possessiones confirmat.

(Anno 1012-1024.)

(Ughelli, *Italia sacra*, II, 207.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Benedictus præsul apostolicæ sedis omnibus universaliter Christi famulis præsentibus et futuris.

Apostolicæ sedis munimen supplicantibus præstare nec nobis grave, nec ulli omnino videri debet inutile, cum nec nobis, quod Dei est donum, vendere, nec ulli fas debet esse contemnere. Noverit igitur omnis una matris Ecclesiæ cœtus instans vel futurus, quoniam secundum preces nobis oblatas a fratre et coepiscopo nostro D. Sigefredo præsule Placentinæ sedis, et a venerabili Wimperto abbate monasterii S. Savini, quod nam a pontifice in sui episcopatus subjectione constructum videtur, damus, concedimus, hoc que mediante decreto sancimus sine ulla diminutione inviolabiliter servari præfato monasterio quidquid imperiali vel regali præcepto, necnon et episcopali decreto, fideliumque oblatione eidem cœnobio datum concessumque videtur, seu quodcunque juste et legaliter usque in præsens ad partem sæpefati monasterii acquisitum est, vel in futuro dederit Dominus. Nulla ergo cujuscunque dominationis persona, timore Dei et sanctorum apostolorum veneratione refrenata, videlicet imperatoris, regis, episcopi, marchionis, comitis vel cujuslibet alterius licentia potiatur quidquid illud fuerit auferendi, minuendi, seu in aliud jus refundendi. Simili prætera modo et illud decernimus, Patrum statuta servantes, ne aliquid Simoniaca hæresis sibi vindicet commodum, tempore quo vocatio divina vices indixerit renovandorum in eamdem Ecclesia pastorum. Sed,

opportunitate servata, in ejus, qui dignus fuerit, ordinatione, sanctæ institutionis præceptum, postposita omni cupiditate, servetur. Si quis autem, quod absit! hoc nostrum, quin magis beatorum apostolorum, infringere tentaverit decretum, in adventu Dei nostri sit anathema maranatha, Judæ proditori et Simoni Mago sociatus in pœna; ad damnationem proveniat illi sanguis Redemptoris, qui effusus est ad diluendam maculam primæ prævaricationis : sortiatur maledictus ille, quicunque fuerit, stagnum ignis et sulphuris pro gaudio vitæ perennis in omnibus sæculorum sæculis. Ut vero nullus ambigat decreti hujus paginam nostra jussione perfectam, eam nostri sigilli impressione videat signatam.

Bene valete.

XXXV.

Beatus Simeon monachus et eremita in cœnobio Padolinorensi agri Mantuani sanctorum confessorum canoni ascribitur.

(Anno 1017-1024.)

[Coquelines, *Bullar., privileg. Rom. pont ampl. Collect.* 1, 322.]

Benedictus, servus servorum Dei, Bonifacio, gratia Dei marchioni inclyto salutem charissimam cum benedictione apostolica.

Requisistis judicium nostrum sicut dignum fuerat, utrum in honore Simeonis nuper sanctificati, quod opera probant et innumera ac diversa miracula testificant, liceret vobis ecclesiam constituere, et ejus venerabile corpus honorifice collocare ibidem. De quo respondemus : Si ita coruscat miraculis, ut vester homo nobis asseruit, ædificate ecclesiam, collocate in ea eumdem, juxta quem altare consecrari rogate, in quo reliquiæ antiquorum sanctorum cum sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi, et sic demum divina ministeria celebrentur. Tractate eum ut sanctum, ut Sanctus sanctorum reddat vobis mercedem sancti, sicut ipse dixit : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, accipiet mercedem prophetæ* (*Matth.* x, 41). Ipse inspector est renum et cordium, et ipse illi dignam recompensationem remuneret, et vobis pro sancto desiderio gratiam suam indulgeat.

XXXVI.

Benedictus VIII Richardo abbati Fuldensi monasterium S. Andreæ donat.

(Anno 1024.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, 347.]

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Richardo abbati venerabilis monasterii Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et sancti Bonifatii, situm in loco qui Bocchonia juxta ripam fluminis quod vocatur Fulda, et per te in eodem venerabili monasterio tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum premium aput conditore omnium Deo, si venerabilia sanctorum loca ordinate ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatinus concedeA remus ac reconfirmaremus vobis supradictum monasterium Salvatoris Domini nostri Jhesu Christi et sancti Bonifatii, situm in loco qui Bochonia juxta ripam fluminis quod vocatur Fulda, cum omnibus rebus mobilibus et inmobilibus sibi pertinentibus que nunc habet et inantea Deo auxiliante habebit; iterum concedimus hac donamus vobis monasterio in honore sancti Andreæ apostoli quod *exaiulo*, quod situm est juxta ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ quæ a Presepe, cum omnibus mansionibus, caminatis, cellis vinariis, et quoquina, cum vineis et ortis juxta se cum diversis arboribus pomorum, cum curie atque puteum, cum introito suo et exito per porta majore a via publica et cum omnibus ad eum generaliter pertinentibus,B seu que foris extra urbem sive infra urbem sunt, que ei juste ac rationabiliter pertinere dinoscitur, a presenti septima indictione perpetualiter inmunitate sancte nostre Romane sedis apostolice id ipsum sacratissimum monasterium permanendum statuimus et statuendo confirmamus, ita ut cuncta loca ipsius monasterii amodo et usque in finem seculi cum omni securitate et tranquillitate vos cum posteris vestris tenere et possidere valeatis, ut, sub juris dicione sancte nos re cui Deo auctore deservimus Ecclesie constitutum, nullius alterius ecclesie juris dicionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes hanc nostram auctoritatem id quod exposcir effectui mancipamus; et ideo omnem cujuslibet ecclesie sacerdotem in prephato monasterio dicionemC quamlibet habere aut auctoritatem preter sedem apostolicam proibemus; ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus nec missarum ibidem solemnitatem quispiam presumat omnimodo celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolice sedi firmitate privilegii consistit inconcusse dotatum permaneat locis et rebus tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam que futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium, absque ullius persone contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet ecclesiæ presul vel quacunque dignitate predita perD sona hanc nostri privilegii kartam quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare tempaverit anathema sit et iram Dei incurrens a cetu sanctorum omnium extorris existat et nihilominus prephati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat; apostolica auctoritate subnixa scriptum.

† Bene valete.

Data VI. Idus Februar. per manus Piligrimi Coloniensis archiepiscopi et bibliothecari sancte sedis apostolice, qui vicem Benedicto commisit episcopo. Anno, Deo propitio, pontificatus domni Benedicti summi pontificis et universalis octavi papae XII, imperii vero domni Heinrici secundi imperatoris Augusti X, indictione VII.

DUBIA.

XXXVII.

Benedictus VIII Unwano archiepiscopo Hamburgensi pallium mittit, eique et successoribus ejus legationem et archiepiscopalem potestatem in omnia regna septentrionalia.

(Anno 1022.)

[Lappenberg, *Hamburg. Urkund.* I, 66.]

Benedictus, episcopus et servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Unewanno, sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ episcopo, paternam dilectionem.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui || custodia die ac nocte ferre contenti sunt et ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur, attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet. . . . . ne quod ultus non fueris, perpetrari non permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et judicis severa districtio, unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendos a pravitate compescat. Viduis ac pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater karissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii; quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Legationem quoque et archiepiscopalem potestatem in omnia regna septentrionalia, Danorum scilicet, Suenorum, Norvenorum, Hislandicorum et omnium insularum his regnis adjacentium, tibi et omnibus successoribus tuis perpetuo tenenda concedimus.

Si quis hæc infringere, aut permutare, aut violare in toto vel in parte templaverit, sit excommunicatus in perpetuum, nisi resipiscat, et Ecclesiæ Hammaburgensi satisfaciat.

Data per manum Petri, cancellarii sanctæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione quinta.

XXXVIII.

De electione abbatis Casinensis.

Ego Benedictus, catholicæ Romanæ sedis episcopus.

Constitutum prædecessoribus meis hoc facio, ut nunquam de consecratione Casinensis abbatis, quam hodie a serenissimo filio nostro Henrico imperatore suscepimus, pretium, aut censum, aut dationem requirant aut exigant; quod si aliter fecerint, et venaliter duxerint, quicunque in hoc deprehensus fuerit, sit maledictus a Deo Patre omnipotente, et Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, et Spiritu sancto; sitque pars ejus cum Dathan et Abiron, qui in Dei Ecclesia seditionem excitaverunt; omnesque imprecationes quas Moyses famulus Dei contemptoribus legis imprecavit veniant super eum; sitque damnatus cum Anna et Caipha, qui Auctorem iniquo judicio damnaverunt; habeatque partem cum Juda traditore, qui pro amore pecuniæ Dominum suum vendidit atque magistrum; sit anathematizatus a septem universalibus conciliis; alienus sit a consortio omnium sanctorum et ab omni Ecclesia Dei, et, in die judicii cum diabolo damnatus, non videat gloriam Dei. Amen.

Actum die apostolorum Petri et Pauli.

Ego Puppo patriarcha Aquilegensis.

Ego Belligrinus archiepiscopus Nepesinus.

Ego Boso episcopus Tyburtinus.

Ego Heinricus cancellarius domni imperatoris.

Ego Everardus episcopus et cancellarius domni imperatoris.

Ego Ugo cancellarius Everardi archicapellani.

XXXIX.

Bulla Benedicti papæ VIII qua Henrico sanitatem a S. Benedicto restitutam esse testatur, monasterioque Casinensi asserit dona ab imperatore delata.

(Anno 1012-1024.)

[Tosti, *Storia di Monte Casino*, I, 251.]

Benedictus episcopus servus servorum Dei.

Notum volumus esse omnibus fidelibus Christianis, tam prælatis quam subditis, quia dominus Henricus imperator, spiritualis noster filius, perrexit ad monasterium Sancti Benedicti quod situm est in monte qui dicitur Castrocasini, ubi sacratissimum corpus ejusdem sanctissimi Benedicti humatum est; et quamvis maximam circa eumdem locum devotionem gereret, et nunquam terribilius ac venerabilius oratorium se vidisse asseréret, tamen dubietatis scrupulo movebatur utrumnam beatus Benedictus corporaliter in eodem Casinensi cœnobio quiesceret. Præ dolore autem quo gravissime idem imperator cruciabatur, nec plene dormienti, nec ex integro vigilanti sanctissimus Pater Benedictus eidem imperatori apparens, ubinam pateretur inquirit. Cui langorem protinus profitenti, sanctissimus Benedictus ait : « Scio quoniam tu me hactenus hic dubitasti quiescere; sed ne super hoc amplius dubites, meumque in loco isto una cum sorore mea certissime quiescere corpusculum credas, hoc tibi signum erit : cum primum hodie surrexeris in egestione urinæ tuæ tres lapillos non parvos egerere habebis, et ex tunc dolore isto amplius non laborabis, et scias quia ego sum frater Benedictus. » Et his dictis præsto disparuit. Experrectus imperator confestim surrexit, ac juxta visionem quam viderat sanitati pristinæ redditus Deo et Patri Benedicto gratiam maximam retulit. Mane autem facto, veniens in conventum fratrum imperator ait : « Quidnam, domini mei, me consulitis donare medico qui me curavit? » Cumque responsum illi fuisset ut quidquid sibi de monasterio placeret, tolleret ac medico daret. : « Non, inquit, ita oportet, imperator : sed quod sanctissimus Pater Benedictus hac me evidenter nocte curavit, ratio est et quidem justis-

sima ut de meamet camera illius debetur remunerare medelas. » Et hæc dicens cum lacrymis gaudio mistis retulit omnibus quæ vidisset atque audisset; adjiciens : « Nunc plane pro certo cognovi quoniam vere locus iste sanctus est, et nulli mortalium est ulterius ambigendum quoniam hic sanctissimus Benedictus Pater pariter cum sancta sorore sua quiescat. » Ad fidem verborum tres illos lapillos, quos sub tenore visionis ante paululum egesserat, palam omnibus ostendebat. Imperator autem surgens et ad corpus beati Benedicti perveniens, obtulit beato Benedicto munera hæc : Textum Evangelii de foris quidem ex uno latere adopertum auro purissimo ac gemmis valde pretiosis, ab intus vero uncialibus litteris atque figuris aureis mirifice decoratum. Calicem aureum cum patena sua gemmis et margaritis ac smaltis optimis laboratum cum mappula, cum quibus offertur, oloserica auro intexta de pallio diopistim adornatam optimis listis aureis, et orarium et mappula atque cingulum et stolam, singula intexta auro similiter, et pluviale diasprum cum lixtis auro textis, nec non et tunicam ejusdem subtegminis, aureis operibus exornatam. Situlam quoque et cuppam argenteam, cum qua fratres in festivitatibus biberint. Planetam diarodinam aureis lixtis ornatam una cum alba, et cingulo, stola atque manipulo. Recollegit autem a Judæis qui retinebant in pignore pro quingentis aureis unam vestem de altario sancti Benedicti, quæ fuit Caroli regis, nec non et calicem argenteum Saxonicum majorem cum patena sua, quem Theodoricus Saxonum rex beato Benedicto olim transmiserat. Nostra vero parvitas imperatoriæ saluti congratulans, posuimus super altare beati Benedicti planetam optimam veneti coloris lixtis nihilominus aureis decenter ornatam, et stolam optimam auro bustam cum manipulo suo. Similiter et Belgrinus archiepiscopus obtulit planetam purpuream optimam aureis lixtis mensium duodecim signa habentibus, in circuitu adornatam, stolam cum aureo pluviali unum. Quæ omnia posuimus super altare sancti Benedicti in perpetuum ibi habenda.

Quapropter ego qui supra Benedictus episcopus, servus servorum Dei, una cum prælicto imperatore omnes qui Christiano vocabulo censentur, obsecramus per Dominum Patrem omnipotentem et per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui pro salute totius mundi nasci, mori et resurgere voluit, et per Spiritum sanctum, ex utroque procedentem, et per beatissimum Petrum apostolorum principem, qui habet potestatem ligandi atque solvendi, ut nullus unquam thesaurum et omnia quæ prædictus imperator pro remedio animæ suæ in prædictam ecclesiam antea contulerit, quolibet modo vel ingenio aliquatenus tollere præsumat. Si quis autem, quod non optamus, hanc nostram obstestationem vel obsecrationem pro nihilo duxerit, et aliquid de ea quæ superius scripta sunt, de prædicta ecclesia quolibet modo et temerario ausu tollere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, et a regno Dei alienum; et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æternis incendiis et suppliciis concremandus sit deputatus. At vero qui pio intuitu observator et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti, et ad cultum Dei respicientibus (*sic*), benedictionis gratiam a misericordissimo Domino nostro per intercessionem beati Benedicti multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps esse mereatur. Amen.

Interfuere huic rei Puppo patriarcha Aquilegensis, Belgrinus archiepiscopus Coloniensis cum omnibus fere episcopis et abbatibus totius Galliæ et Italiæ.

XL.

Benedictus VIII monasterii S. Petri Luxoviensis privilegia « a Joanne papa IV quondam concessa, totidem verbis, interventu Heinrici imperatoris renovat. »

(Anno 1012-1024.)

[Mabill., *Annal. ordin. S. Bened.*, IV, 256.]

. . . . Datum Romæ Idibus mensis Aprilis, indictione prima. . . .

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

BENEDICTUS S. ANDREÆ MONACHUS.

De Benedicto et ejus chronico notitia. 9
Chronicon. 10
DE IMPERATORIA POTESTATE IN URBE ROMA LIBELLUS. 50

SYLVESTER PAPA II (GERBERTUS).

Notitia historica in Sylvestrum. 57
Notitia litteraria. 61
Disquisitio de scriptis Gerberti post modum Sylvestri II. 63

PARS PRIMA OPERUM SYLVESTRI II. DE DISCIPLINIS MATHEMATICIS.

LIBELLUS DE NUMERORUM DIVISIONE. 85
Præfatio. 85
Cap. I. — De singulari numero. 86
Cap. II. — De centeno. 86
Cap. III. — De milleno. 87
Cap. IV. — De deceno milleno. 87
Cap. V. — De centeno milleno. 87
Cap. VI. — Quomodo dividatur singularis per singula-

rem, vel centenus per centenum, vel millenus per millenum. 87
Cap. VII. — Quomodo singulares sua quantitate metiantur decenos centenos et millenos. 87
Cap. VIII. — Quomodo metiatur decenus centenum aut millenum vel centenum millenum vel millenum et ulteriores. 88
Cap. IX. — Quomodo singulares cuncti decenis metiantur decenos centenos, millenos, vel simul dividendos vel intermisse 88
Cap. X. — Item alia divisio centeni vel milleni et deinceps per eosdem divisores. 88
Cap. XI. — Quomodo deceni juncti centenis, vel centeni millenis metiantur centenos aut millenos et ulteriores. 89
Cap. XII. — Item alia divisio centeni vel milleni, et deinceps per eosdem compositos divisores vel simplices. 89
Cap. XIII. — Quomodo uno medio numerorum intermisso juncti duo extremi cæteros metiantur. 88
Cap. XIV. — Quomodo centenus cum singulari metiatur millenum et ulteriores, vel millenus cum decenis decenos millenos et ulteriores. 90
Cap. XV. — Quot divisores sint in quolibet dividendo. 90
Cap. XVI. — De protensione quarumdam mensurarum terræ. 90
DE GEOMETRIA. 93
Cap. I. — Quid sit corpus solidum? quid linea, punctum, superficies? quid pes solidus, constratus, etc. 93
Cap. II. — De vocabulis et quantitate mensurarum ab antiquis inventarum. 96
Cap. III. — De descriptione quantitatis earumdem mensurarum trifaria. 97
Cap. IV. — De planis figuris. 99
Cap. V. — His tribus angulis speciebus omnis coagulata consulit figura. 103
Cap. VI. — De principalitate trianguli. 103
Cap. VII. — De speciebus trianguli. 104
Cap. VIII. — De natura triangulorum. 105
Cap. IX. — Quomodo tres angulorum species discerni valeant. 106
Cap. X. — De appellationibus linearum in figuris. 107
Cap. XI. — De Pythagoricis orthogoniis. 107
Cap. XII. — Quomodo minutiæ addantur figuris. 107
Cap. XIII. — De geometria trigoniorum prædictorum. 113
Cap. XIV. — Quas utilitates ars geometrica spondeat. 115
Cap. XV. — Nomina mensurarum quibus geometræ utuntur. 116
Cap. XVI. — Ad altitudinem cum astrolabio metiendam. 117
Cap. XVII — Ad altitudinem inaccessibilem cum horoscopo metiendam. 118
Cap. XVIII. — Item de eodem. 117
Cap XIX. — Ad altitudinem cum horoscopo metiendam. 119
Cap. XX. — Ad metiendum cum horoscopo puteum. 119
Cap. XXI. — Ad altitudinem arboris, columnæ vel turris per umbram cum astrolabio inveniendam. 120
Cap. XXII. — Item de eadem re. 121
Cap. XXIII. — Ad altudinem cum speculo vel pelvi metiendam. 121
Cap. XXIV. — Ad æstimandam cujusque rei altitudinem sole lucente. 121
Cap. XXV. — Ad planitiem virga vel arundine quærendam. 123
Cap. XXVI. — Figura ad altitudinem mensurandam. 123
Cap. XXVII. — Figura ad metiendam planitiem. 124
Cap. XXVIII. — Ad metiendam planitiem per arundidinem. 124
Cap. XXIX. — Ad mensurandum puteum. 125
Cap. XXX. — Ad altitudinem metiendam cum orthogonio. 126
Cap. XXXI. — Orthogonium Pythagoricum ad metiendam altitudinem. 126
Cap. XXXII. — Ad rem inaccessibilem nobis altioribus metiendam. 127
Cap. XXXIII. — Ad metiendum planum quolibet modo proposition. 127
Cap. XXXIV. — Ad putei vel fossæ altitudinem metiendam. 128
Cap. XXXV. — Ad altitudinem montis inveniendam. 129
Cap. XXXVI. — De eodem. 129
Cap XXXVII. — Ad inveniendam per speculum altitudinem turrium, etc. 130
Cap. XXXVIII. — Ad inveniendam latitudinem fluvii vel campi, etc. 130
Cap. XXXIX. — Ad idem alius modus. 131
Cap. XL. — Ad altum cum sagittis et filo mensurandum. 131
Cap. XLI. — Ad inveniendam in ampligonio ejecturam quanta sit. 132
Cap. XLII. — Quomodo in trigono orthogonio cathetus et basis quærantur. 133
Cap. XLIII. — Ad inveniendam basis et catheti disjunctionem in trigono. 133
Cap. XLIV. — In trigono oxygonio cujus in lateribus numeri quantitate dissimiles sint, invenire perpendicularem. 133
Cap. XLV. — Per datum quemlibet trigoni orthogonii cathetum basim invenire. 134
Cap. XLVI. — Trigoni orthogonii embadum invenire. 134
Cap. XLVII. — Per cathetum basim invenire. 135
Cap. XLVIII. — Trapizetici embadum invenire. 135
Cap. XLIX. — Trigoni isoplevri, cujus sunt singula latera 30, embadi pedes comprehendere. 135
Cap. L. — Trigoni isoscelis cathetum invenire vel embadum. 136
Cap. LI. — Trigoni scaleni cathetum invenire. 136
Cap. LII. — In quadrato diagonum invenire. 137
Cap. LIII. — Numerum agrorum in agro invenire. 137
Cap. LIV. — Rhombi cathetum quærere. 137
Cap. LV. — Quomodo trigonus tetragonus, hexagonus, etc., æquilateri suas areas impleant. 137
Cap. LVI. — Cujuscunque rotundi vel circuli diametrum invenire et embadum. 138
Cap. LVII. — In hemicyclo aream invenire. 138
Cap. LVIII. — Sphæræ aream colligere. 137
Cap. LIX. — In trigoni orthogonio circuli inscripti et singula latera tangentis diametrum invenire. 139
Cap. LX. — Regula ad constituendas pyramides in omnibus figuris a multis angulis præcedentibus et æquilateris. 139
Cap. LXI. — Invenire pyramidem in tetragono, cujus sunt singulæ latera pedes 10 et embadum 100. 140
Cap. LXII. — In pentagono æquilatero denarii numeri pyramidem indagare. 140
Cap. LXIII. — In omni circulo duobus circumscripto t tragonis scire quantum ab extracedente vincatur. 141
Cap. LXIV. — Montis jugera invenire. 141
Cap. LXV. — Quomodo quadrata et latera trigoni tetragoni, pentagoni, etc., nascantur. 142
Cap. LXVI. — In oxygonio, cathetum et embadum invenire. 142
Cap. LXVII — Oves in campo sic collocare, ut quævis certum spatium occupet. 145
Cap. LXVIII. — Scire quot agripennos claudat campus fastigiosus. 145
Cap. LXIX. — In campo quadrangulo agripennos cognoscere. 144
Cap. LXX. — In campo triangulo agripennos invenire. 144
Cap. LXXI. — In campo rotundo numerum agripennorum nosse. 144
Cap. LXXII. — In civitate quadrangula ponere domos certæ longitudinis et latitudinis. 145
Cap. LXXIII. — In civitate triangula de eadem re. 145
Cap. LXXIV. — In civitate rotunda domos certæ longitudinis et latitudinis locare. 146
Cap. LXXV. — Basilicæ pavimentum quot laterculi debeant supplere. 146
Cap. LXXVI. — In lacuna, canna, etc, viam certa latitudine ducere. 146
Cap. LXXVII. — In circulo embadum invenire. 146
Cap. LXXVIII. — Hexagonum facere. 149
Cap. LXXIX. — Intra quadratum æquilaterum octogonum designare. 150
Cap. LXXX. — Structuræ circa puteum positæ pedes invenire. 150
Cap. LXXXI. — Prismatis pedes invenire in orthogonio. 150
Cap. LXXXII. — In omni tetragono diagonium invenire. 150
Cap. LXXXIII. — Quot stadia in terris respondeant zodiaci partibus, etc. 150
Cap. LXXXIV. — Alia ratio meridianum describendi. 152
EPISTOLA AD ADELBOLDUM. 151
EPISTOLA AD CONSTANTINUM. 155
LIBELLUS DE RATIONALI ET RATIONE UTI. 157
Pezii monitum. 157

Versus in librum. 158
Incipit liber. 159

OPERUM PARS SECUNDA. — DE REBUS ECCLESIASTICIS.

SERMO DE INFORMATIONE EPISCOPORUM. 169
LIBELLUS DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI. 177
Pezii monitum. 177
Incipit liber. 179
SELECTA E CONCILIO BASOLENSI GENUINA. 189
SELECTA E CONC L O REMENSI. 193
EXCERPTA E CONCILIO MOSOMENSI. 194
CONCILIUM RAVENNATENSE. 198
CONCILIUM ROMANUM. 199

OPERUM PARS III. — EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

SECTIO I. — EPISTOLÆ ANTE PONTIFICATUM SCRIPTÆ. 201
EPIST. I. — Ad Othonem Cæsarem. 201
EPIST. II. — Ad eumdem Cæsarem. 201
EPIST. III. — Ad Gerebertum episcopum Terdonensem. 202
EPIST. IV. — Ad Bosonem. 202
EPIST. V. — Ad Petrum episcopum Papiensem. 202
EPIST. VI. — Ad Adelaidem augustam. 203
EPIST. VII. — Ad Airardum. 203
EPIST. VIII. — Ad Adalberonem Remorum archiepiscopum. 203
EPIST. IX. — Ad Gisilbertum abbatem. 203
EPIST. X. — Ad Cæsarem. 204
EPIST. XI. — Ad eumdem. 204
EPIST. XII. — Ad Hugonem scholasticum. 204
EPIST. XIII. — Ad Libertum archiepiscopum Trevirensem. 204
EPIST. XIV. — Ad papam Joannem. 205
EPIST. XV. — Ad Petroaldum monachum. 205
EPIST. XVI. — Ad Geraldum abbatem Aurilacensem. 205
EPIST. XVII. — Ad eumdem. 205
EPIST. XVIII. — Ad fratres Roblenses. 206
EPIST. XIX. — Ad Rainaudum monachum. 206
EPIST. XX. — Ad Adelaidem imperatricem. 206
EPIST. XXI. — Ad Egemanoum palatinum monachum. 206
EPIST. XXII. — Ad dominam Imiam. 207
EPIST. XXIII. — Ad dominum Joannem Papam. 207
EPIST. XXIV. — Ad Lupitam Barchinonensem. 207
EPIST. XXV. — Ad Bonifilium Gerundensem episcopum. 207
EPIST. XXVI. — Ad Gebertum archiepiscopum Trevirensem. 208
EPIST. XXVII. — Ad Villegisum Moguntinum archiepiscopum. 208
EPIST. XXVIII. — Ex persona Hierusalem devastatæ universali ecclesiæ. 208
EPIST. XXIX. — Ad Walonem ejusque pertinaces ex persona Adalberonis. 208
EPIST. XXX. — Ad Notegarium episcopum Leodicensem ex persona ejusdem. 208
EPIST. XXXI. — Controversia Diederici episcopi Metensis contra Carolum. 208
EPIST. XXXII. — Gerbertus ex persona Caroli. 209
EPIST. XXXIII. — Purgatio Gerberti ob controversiam a se descriptam. 211
EPIST. XXXIV. — Ad Willigisum Moguntinum archiepiscopum. 211
EPIST. XXXV. — Ad Geraldum abbatem Aureliacensem. 212
EPIST. XXXVI. — Ad Widonem abbatem Gandavensem. 213
EPIST. XXXVII. — Ad Robertum palatinum. 213
EPIST. XXXVIII. — Ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem ex persona Adalberonis. 213
EPIST. XXXIX. — Ad Notegarium episcopum Leodiensem. 213
EPIST. XL. — Ad Stephanum Romanæ Ecclesiæ diaconum. 213
EPIST. XLI. — Ad Adalberonem episcopum Virdunensem. 213
EPIST. XLII. — Ad Notegarium episcopum Leodiensem. 215
EPIST. XLIII. — Ad eumdem ex persona Godefridi. 216
EPIST. XLIV. — Ad Ecbertum abbatem Turonensem. 216
EPIST. XLV. — Ad Raimundum monachum Aureliacensem. 216
EPIST. XLVI. — Ad Geraldum abbatem. 215
EPIST. XLVII. — Ad Adalberoni vocatum episcopum Verdunensem et Hermannum fratres. 215
EPIST. XLVIII. — Ad innominatum. 215
EPIST. XLIX. — Ad Notegarium episcopum Leodicensem. 215
EPIST. L. — Ad Mathildem comitissam. 216
EPIST. LI. — Ad Sigifredum comitis filium Gerbertus. 216
EPIST. LII. — Ad dominam Theophanu imperatricem. 216
EPIST. LIII. — Ad Lotharium regem.
EPIST. LIV. — Ad Trevirensem archiepiscopum ex persona Adalberonis. 217
EPIST. LV. — Ad eumdem. 217
EPIST. LVI. — Ad eumdem. 217
EPIST. LVII. — Objectio in Adalberonem. 217
EPIST. LVIII. — Purgatio. 217
EPIST. LIX. — Ad dominum Metensem episcopum Diedericum. 217
EPIST. LX. — Gerbertus innominato. 218
EPIST. LXI. — Adalberoni archiepiscopo Gerbertus. 218
EPIST. LXII. — Ad Beatricem ducem ex persona Adalberonis. 219
EPIST. LXIII. — Ad eamdem. 219
EPIST. LXIV. — Ad eamdem. 219
EPIST. LXV. — Ad Nitardum abbatem Medelensem. 219
EPIST. LXVI. — Ad Notegarium episcopum Leodicensem. 219
EPIST. LXVII. — Ad eumdem ex persona ejusdem. 219
EPIST. LXVIII. — Ad abbatem Rainerum. 219
EPIST. LXIX. — Ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem. 219
EPIST. LXX. — Ad Maiolum abbatem Cluniacensem. 220
EPIST. LXXI. — Ad Geraldum abbatem Aurilacensem. 220
EPIST. LXXII. — Ad Stephanum diaconum data VI Non. Martias. 220
EPIST. LXXIII. — Ad Nitbardum abbatem Medelecensem. 220
EPIST. LXXIV. — Ad Ecbertum archiepiscopum ex persona Adalberonis. 221
EPIST. LXXV. — Ex persona Emmæ reginæ ad matrem. 221
EPIST. LXXVI. — LXXVII. — LXXVIII. — LXXIX. — Exhibent epitaphia Lotharii regis Francorum, ducis Friderici, Adalberti scholastici et Ottonis imperatoris. Hæc supra seorsim dedimus. 221
EPIST. LXXX. — Invectiva in Virdunensium Ecclesiam. 221
EPIST. LXXXI. — Ad Ecbertum abbatem Turonensem. 222
EPIST. LXXXII. — Ad Adsonem abbatem Dervensem. 222
EPIST. LXXXIII. — Ad Bobienses. 222
EPIST. LXXXIV. — Ad Hugonem marchionem. 223
EPIST. LXXXV. — Ad Cononem italicum marchionem. 223
EPIST. LXXXVI. — Ad Theophaniam imperatricem ex persona Adalberonis. 223
EPIST. LXXXVII. — Ad Constantinum scholasticum Floriacensem. 223
EPIST. LXXXVIII. — Ad Maiolum abbatem Cluniacensem ex persona Adalberonis. 223
EPIST. LXXXIX. — Ad Ecbertum abbatem Turonensem sub persona Adalberonis. 223
EPIST. XC. — Ad imperatricem Theophaniam et ad filium Ottonem. 223
EPIST. XCI. — Ad Raimundum Auriliacensem abbatem. 223
EPIST. XCII. — Ad Bernardum monachum. 224
EPIST. XCIII. — Ad Adalberonem archiepiscopum 223
EPIST. XCIV. — Ad eumdem. 223
EPIST. XCV. — Ad fratres Floriacenses ex persona Remensium abbatum. 223
EPIST. XCVI. — Ad fratres Blandiniacenses. 226
EPIST. XCVII. — Ex persona reginæ Emmæ ad matrem. 226
EPIST. XCVIII. — Ex persona Laudunensis episcopi ad episcopos. 227
EPIST. XCIX. — Ex persona Adalberonis archiepiscopi ad Bellovagensem. 227
EPIST. C. — Ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem. 227
EPIST. CI. — Ad eumdem. 228
EPIST. CII. — Ad Adalberonem archiepiscopum. 228
EPIST. CIII. — Ad dominam Theophaniam imperatricem

ex persona Adalberonis. 228
Epist. CIV.—Ad Ecbertum Trevirensem archiepiscopum ex persona Adalberonis. 228
Epist. CV. — Ad fratres Blandiniacenses ex persona Adalberonis. 228
Epist. CVI. — Ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem. 228
Epist. CVII. — Ex persona regis Hugonis ad Siguinum archiepiscopum Senonensem. 229
Epist. CVIII. — Ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem ex persona Adalberonis. 229
Epist. CIX. — Ad eumdem. 229
Epist. CX. — Ad comprovinciales. 230
Epist. CXI. — Ad Basilium et Constantinum imperatores orthodoxos, Hugo gratia Domini rex Francorum. 229
Epist. CXII. — Ex persona regis Hugonis ad Borellium marchionem. 230
Epist. CXIII. — Ad Rothardum archiepiscopum Cameracensem ex personæ Adalberonis. 230
Epist. CXIV. — Ad... ex persona Adalberonis. 230
Epist. CXV. — Ad Carolum ducem. 230
Epist. CXVI. — Ad Remulfum abbatem Senonensem. 230
Epist. CXVII. — Ad dominam Theophaniam. 230
Epist. CXVIII. — Ad clerum et populum. 230
Epist. CXIX. — Emma quondam regina domina Augustæ Theophaniæ. 230
Epist. CXX. — Dominæ augustæ Theophaniæ nomine Hugonis regis. 231
Epist. CXXI. — Ad Treverensem. 231
Epist. CXXII. — Adalbero archiepiscopus Remensis ad Carolum ducem. 231
Epist. CXXIII. — Ad Thietmarum Moguntinum archiepiscopum. 231
Epist. CXXIV. — A. H. C. J. V. B. Z. 232
Epist. CXXV. — Incerto. 232
Epist. CXXVI. — Incerto. 232
Epist. CXXVII. — Incerto. 232
Epist. CXXVIII.—Ad Adelaidem matrem regnorum. 232
Epist. CXXIX. — V. V. D. A. H. C. I. D. V. I. D. 233
Epist. CXXX. — Raimundo monacho. 233
Epist. CXXXI. — CXXXII. — CXXXIII. 234
Epist. CXXXIV. — Ad Remigium monachum Trevirensem. 234
Epist. CXXXV. — Ad archiepiscopum. 235
Epist. CXXXVI.—CXXXVII.—CXXXVIII.—CXXXIX.—CXL.—CXLI. 235
Epist. CXLII. — Adalbero episcopus A. et scholaris abbas, ad Constantinum suum. 236
Epist. CXLIII. — CXLIV. 237
Epist. CXLV. — Parisiensi episcopo Gerbertus. 237
Epist. CXLVI. 237
Epist. CXLVII. — Emma quondam regina Francorum. 238
Epist. CXLVIII. — Ad Remigium monachum Trevirensem. 238
Epist. CXLIX. — CL. 238
Epist. CLI. — Gerbertus salutem sibi scribenti sub nomine reverendi patris Adalberonis Verdunensis episcopi. 239
Epist. CLII. — Ad Remigium. 239
Epist. CLIII. — Ottonis imperatoris ad Gerbertum. 239
Epist. CLIV. — Gerbertus Ottoni Cæsari. 240
Epist. CLV. — Ottonis ad Gebertum. 241
Epist. CLVI. — Ottonis imperatoris ad R. Comitem. 241
Epist. CLVII. — Ottonis ad Adelaidem Augustam. 241
Epist. CLVIII. — Ottonis ad Gerbertum. 241
Epist. CLIX. — Gerberti ad Adelaidem augustam. 242
Epist. CLX. — CLXI. — Ad Constantinum scholasticum. 243
EPISTOLÆ ALIÆ GERBERTI curante Andrea Duchesnio primum ex ms. exemplari Jacobi Sirmondi societatis Jesu in lucem editæ. 243
Epist. CLXII.— Electio Arnulphi Remorum archiepiscopi a Gerberto edita. 243
Epist. CLXIII. — Ex persona Arnulphi Remensis episcopi. 244
Epist. CLXIV. — E. episcopo Trevirensi ex persona ejusdem. 245
Epist. CLXV. — CLXVI. — CLXVII. 246
Epist. CLXVIII. — Ad Rainardum monachum Bobiensem. 246
Epist. CLXIX. — Ad Remigium monachum Trevirense. 246
Epist. CLXX. — Gerbertus Raimundo. 246
Epist. CLXXI. — Venerabili adhuc episcopo A. Gerbertus. 247
Epist. CLXXII. — CLXXIII. 248
Epist. — CLXXIV. — Ad Romulfum abbatem Senonensem. 248
Epist. CLXXV. — Ad E. archiepiscopum Trevirensem. 248
Epist. CLXXVI. — G. sal. dicit R. sibi dilecto. 249
Epist. CLXXVII. — Ad Romulfum abbatem Senonensem. 249
Epist. — CLXXVIII. — Ad Brunonem episcopum Lingonensem. 249
Epist. CLXXIX. — Ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem. 249
Epist. CLXXX. — Ad Adalberonem episcopum Virdunensem. 249
Epist. CLXXXI. — CLXXXII. 250
Epist. CLXXXIII. — Episcopi Remorum diœceseos sanctæ dicunt Reverentissimo Patri. 251
Epist. CLXXXIV. — Ad Garinherdum abbatem. 251
Epist. CLXXXV. — Libellus repudii Gerberti Arnulpho archiepiscopo. 251
Epist. CLXXXVI. — Electio Gerberti Remorum archiepiscopi. 252
Epist. CLXXXVII. — Professio fidei Gerberti Remorum archiepiscopi. 253
Epist. CLXXXVIII. — Gerbertus Ottoni Cæsari. 253
Epist. CLXXXIX. — Gerbertus Ottoni. 254
Epist. — CXC. Domino et reverentissimo Patri ill. G. filius. 254
Epist. CXCI. — Ottoni Cæsari et Augusto imperatori quoque Romano Gerbertus. 255
Epist. CXCII. — Adalberto archiepiscopo, abbati majoris monasterii. 255
Epist. CXCIII. — Gerbertus Arnulpho Aurelianensi episcopo. 256
Epist. CXCIV. — Gerbertus Constantino Micicensi abbati. 256
Epist. CXCV. — Leodicensi episcopo Nacherio. 257
Epist. CXCVI. — C. abbati S. Geraldi, et fratribus. 258
Epist. CXCVII. — 258
Epist. CXCVIII. — Gerbertus Leoni pontifici. 259
Epist. CXCIX. — Ad Joannem papam. 259
Epist. CC. — 259
Epist. CCI. — Gerbertus et omnes episcopi diœceseos Remensium pervasoribus ejusdem. 260
Epist. CCII. — Ad Erveam Belvagorum episcopum. 260
Epist. CCIII. — 261
Epist. CCIV. — 261
Epist. CCV. — 261
Epist. CCVI. — Gerbertus Adelaidi imperatrici. 261
Epist. CCVII. — 262
Epist. CCVIII. — Fulconi episcopo Ambianensi. 262
Epist. CCIX. — Gerbertus Archembaldo archiepiscopo Turonensi. 262
Epist. CCX. — Adelaidi imperatrici Gerbertus. 263
Epist. CCXI. — Canonicis sancti Martini ex persona episcoporum. 263
Epist. CCXII. — Gerbertus Arnulpho Aurelianensi episcopo. 264
Epist. CCXIII. — Gerbertus Metensi episcopo. 264
Epist. CCXIV. — Gerbertus Verdunensi episcopo. 264
Epist. CCXV. Ad Azelinum episcopum Laudunensem. 264
Epist. CCXVI. Ad Arnulphum Remensem episcopum. 264
SUPPLEMENTUM AD GERBERTI EPISTOLAS EDITIONIS DUCHESNII. 265
Epist. I. — Ad Widerodum Argentinensem episcopum. 265
Epist. — II. — Ad Seguinum archiepiscopum Senonensem. 267
Juramentum præstitum a Petro Classensi Sancti Apollinaris Gerberto archiepiscopo Ravennati. 269
SECTIO SECUNDA. — EPISTOLÆ ET DECRETA PONTIFICIA. 269
I. — Sylvester II.— Monasterium S. Lamberti Senonense, petentibus, fundatore Aribone comite et Ottone III imperatore, confirmat juribusque ornat, ea lege ut singulis annis denarii XII sedi Romanæ solvantur a monachis. 269
II. — Silvester II papa monasterii Faldensis privilegia, petente Erkanbaldo abbate, confirmat 273
III. — Silvester II papa Arnulfo Remensi, quibusdam excessibus pontificali honore privato, quia ejus abdicatio Romano assensu caruerit, concedit ut, recepto baculo et annulo, archiepiscopali officio fungatur et omnibus insignibus solito more perfruatur. — Ecclesiæ Remensis privilegia confirmat. 273
IV. — Silvestri II papæ epistola de electione Theobaldi in episcopum Aniciensem. 274

V. — Silvester II papa sacram coronam Stephano Hungarorum duci mittit quem regio quoque nomine cohonestat; varii[sque] concessis privilegiis, Strigoniensem ecclesiam regni metropolin instituit. 274

VI — Epistola Silvestri papæ ad Darferium, comitem ejusque filius et nepotes. 276

VII. — Epist. Silvestri papæ II ad Azelinum Laudunensem episcopum. — Ipsum de multis criminibus accusatum ad proximum synodum Romæ evocat. 277

VIII. — Silvester II papa S. Urgellensis ecclesiæ bona et jura confirmat. 278

IX. — Epist. Silvestri II papæ ad Robertum Vizeliacensem abbatem. — Privilegia Vizeliacensia confirmat. 280

X. — Silvestri II epistola ad Adonem episcopum Gerundensem. 281

XI. — Bulla Silvestri papæ II qua utrumque monasterium Stabulense et Malmundariense sub sua suæ capit protectione, mandatque ut in abbatis electione ex Stabulensi, si dignus reperiatur, assumatur. 282

XII. — Silvestri II, apud epistola ad Odilonem abbatem Cluniacensem. 283

XIII. — Silvestri II papæ epistola ad... abbatem. 284

XIV. — (Fragmentum) Silvester II ecclesiæ S. Gervasii et Protasii, in comitatu Gabalitano a Stephano vicecomite et Angelmoda conjuge constructæ, bonoque Petro oblatæ, protectionem suscipit. 284

XV. — Silvester II monasterium S. Trinitatis et S. Petri Burgulienses, ab Emma comitissa Pictavicusi conditum, privilegiis orat. 285

DUBIA.

XVI. — Litteræ Silvestri papæ ad Ottonem III imperatorem, quibus significat se episcopo Ticinensi commendasse monasterium monialium Ticinensium, quod Senatoris appellatur, ipsumque rogat ut hujusmodi constitutionem confirmet. 285

SILVESTRI II CARMINA. 287

SPURIA AUT ALIENA. 287

Acta concilii Remensis ad sanctum Basolum. 287

Leonis abbatis et legati epistola ad Hugonem et Robertum reges. 338

Acta concilii Mosomensis. 343

Acta concilii Causeiensis. 346

BURCHARDUS MONACHUS AUGIÆ DIVITIS.

Notitia historica. 350

CARMEN DE GESTIS WITIGOWONIS ABBATIS 352

GOZPERTUS ABBAS TEGERNSEENSIS.

EPISTOLÆ. 365

Epist. I. — Ad Romualdum abbatem S. Emmerammi se Ratisbonæ in festo S. Emmerammi futurum nuntiat, petitque sibi scribendum transmitti librum plenariæ collationis. 365

Epist. II. — Ad Arnoldum comitem. — Illi pro impensis favoribus gratias cumulate agit, doloremque suum ob Adelheidis imperatricis obitum declarat, ac quam pro ejus animæ requie a suis monachis persoluta sint perscribit. 365

Epist. III. — Ad eumdem. — Maximas gratias agit pro fenestris templo Tegernseensi affabre comparatis, et pueros quos discendi causa hactenus in monasterio contrivit, eruditionis specimina daturos remittit. 365

Epist. IV. — Ad Meginhelmum comitem. — Rogat ut sibi nonnihil frumenti in victum eorum qui in Austria monasterio suo serviunt, elargiatur. 367

Epist. V. — Ad eumdem. — Gratias agit pro husonibus, piscium genere, quantumque precum Deo pro ejus conjugis anima offerant Tegernseenses, exponit. 367

Epist. VI. — Ad eumdem. — Petit sibi suisque, cum carnibus monachorum more abstineant, husones mitti. 368

Epist. VII. — Ad Gerhardum episcopum Augustanum ejus religionem ac pietatem laudat, spondetque se ad eumdem, cum per anni tempus licuerit, accessurum. 368

Epist. VIII. — Ad Brunonem. — Ut decimas in vico Tatinhusa ecclesiæ Tuntinhusanæ reddi jubeat. 369

Epist. IX. — Ad Ottonem comitem. — Commendat ei servum quemdam, rogatque ut duo ipsi palliola reddantur. 369

Epist. X. — Ad H. comitissam. — Petit pecuniam pro quorumdam consanguineorum suorum redemptione. 369

Epist. XI. — Ad Odalricum abbatem. — Ut quemdam inter utriusque servos commutationem fieri permittat. 369

Epist. XII. — Ad Eibstatensis ecclesiæ fratres ut diem obitus fratris sui ad se perscribant. 370

Epist. XIII. — Ad dominum H. — Ut tertiam partem historiæ Tripartitæ sibi utendam et exscribendam concedat. 370

Epist. XIV. — Ad R. comitem. — Immanem ancillam cum filiis suis sibi lege deberi probat, ac reddi postulat. 370

Epist. XV. — Ad P. cognatum suum. — Ut in egregio Tegernseensem familiam juvandi animo persistat, et quosdam famulos, civitate pulsos, tueatur. 371

Epist. XVI. — Ad eumdem. — Conqueritur ob sui neglectum et oblivionem, rogatque ut aliquid cupri, stanni et plumbi ad fundendam campanam, et nonnihil thymiamatis ad cultum Dei et S. Quirini mittat. 371

GOZPERTI EPISTOLÆ ALIÆ. 371

Epist. prima. — Ad Liutonem nepotem suum. 371

Epist. II. — Ad comitem Adalp. 371

Epist. III. — Ad Arnoldum nepotem suum. 371

APPENDIX AD EPISTOLAS GOZPERTI.

Tegernseensium epistolæ. 373

Epist. I. — Ad Gozpertum abbatem suum. 373

Epist. II. — Ad Henricum Bojariæ ducem de ejusdem Gozperti obitu novique abbatis electione, quam ut liberam sibi concedat obnixe rogant. 373

THIETPALDUS TEGERSEENSIS MONACHUS.

Thietpaldi epistola ad S. Adelbertum Prussiensis ecclesiæ monachum. — Se, Aristotelica philosophia contempta, rebus sacris studere nuntiat, optatque ut ei omnia ex animi sententia eveniant. 374

SANCTUS ABBO ABBAS FLORIACENSIS.

Vita sancti Abbonis auctore Aimoino. 375

Notitia litteraria in S. Abbonem. 418

Monachorum Floriacensium epistola encyclica de ejusdem Abbonis abbatis. 418

SANCTI ABBONIS EPISTOLÆ. 418

Epist. I. — Ad Gregorium V summum pontificem. 419

Epist. II. — Gregorii quinti ad Abbonem. 421

Epist. III. — Abbonis ad Gregorium V summum pontificem. 421

Epist. IV. — Ad Gregorium V summum pontificem. 421

Epist. V. — Ad monachos sancti Martini. 423

Epist. VI. — Ad Robertum regem Francorum. 424

Epist. VII. — Ad Odilonem abbatem Cluniacensem. 425

Epist. VIII. — Ad G. abbatem. 429

Epist. IX. — Ad Bernerium abbatem. 432

Epist. X. — Ad N. episcopum. 435

Epist. XI. — Ad monachos Miciacenses. 436

Epist. XII. — Ad Odilonem. 438

Epist. XIII. — Alberti abbatis Miciacensis ad Joannem XVIII papam. 439

Epis. XIV. — Abbonis ad G. 440

Epist. XV. — Ad Leonem abbatem Romani sancti Bonifacii monasterii. 460

Epist. XVI. — Ad Bernardum abbatem Bellilocensem. 462

SANCTI ABBONIS APOLOGETICUS. 462

SANCTI ABBONIS COLLECTIO CANONUM. 471

I. — De honore ecclesiarum et monasteriorum. 473

II. — De defensoribus ecclesiarum et monasteriorum. 476

III. — De ministerio regis. 477

IV. — De fidelitate regis. 478

V. — De privilegiis. 479

VI. — De præceptis regalibus et imperialibus. 480

VII. — De differentia testamentorum et precariis. 480

VIII. — De eo quod necessitas excludi leges et canones. 481

IX. — De differentia legis et consuetudinis. 482

X. — De eo quod sacerdotes mandatum ad gentem extraneam non mittant. 482

XI. — De clericis electis ab ædificatoribus venerabilium locorum, vel hæredibus eorum. 482

XII. — De ordinatione vel degradatione presbyterorum. 483

XIII. — Ut nulla pecunia data episcopi ordinentur. 483

XIV. — De electione abbatis. 484

XV. — De abbatis ordinatione, et de accessu episcopi ad monasterium. 484

XVI. — De eo quod abbas sacerdos esse debet. 486

XVII. — De accusato abbate quid sit agendum. 486

XVIII. — De monachis et sanctimonialibus, ut regulariter vivant. 487

XIX. — De abbate ad regem pertinente. 487

XX. — De rectore Floriacensi. 487

XXI. — De sacerdotio monachi. 487

XXII. — De monachis non servantibus propositum. 488

XXIII. — De clericis qui monachi volunt fieri, et de in-

solentis episcoporum in monachos. 488
XXIV. — De clericis qui propter vanitatem efficiuntur monachi. 489
XXV. — De possessionibus ecclesiæ. 489
XXVI. — De monacho, vel sanctimoniali in jus vocato. 490
XXVII. — De his quæ a fidelibus in basilicis offeruntur. 490
XXVIII. — De episcopis invasoribus prætermissa synodo. 490
XXIX. — De tricennali præscriptione. 491
XXX. — De dote ecclesiarum. 491
XXXI. — De episcopo. Quid debeat habere de ecclesia. 491
XXXII. — De rebus ecclesiæ, et de proximis fundatorum ejus. 491
XXXIII. — De provisione suffragii episcoporum. 492
XXXIV. — De indigentia eorum qui res suas contulerunt ecclesiæ. 493
XXXV. — De avaritia sacerdotum. 493
XXXVI. — De injuste excommunicatis. 494
XXXVII. — De ecclesiis et earum presbyteris. 494
XXXVIII. — De eo quod episcopus habeat tertiam partem ecclesiæ, et potest dare cui voluerit. 495
XXXIX. — De sanctitate vitæ clericorum. 495
XL. — De filiis presbyterorum, vel episcoporum, vel diaconorum. 496
XLI. — De rebus ecclesiæ dispensandis. 496
XLII. — Ut nullus eligat sibi episcopum successorem. 497
XLIII. — De communione. 497
XLIV. — Qualiter sacerdotum accusatores examinandi sint, vel si scriptis inter partes sententia recitata est. 502
XLV. — De episcopis in judicium testimonii causa evocatis. 504
XLVI. — De accusatis episcopis. 504
XLVII. — De his qui contra episcopum habent causam. 505
XLVIII. — De testimoniis clericorum. 505
XLIX. — Quantum prosit frequens oblatio sacrificii. 505
L. — De militantibus. 506
LI. — De stipendiis militum. 506
LII. — De militantibus clericis, et eorum stipendiis. 506
VITA SANCTI EADMUNDI REGIS ANGLORUM ET MARTYRIS. 508
CARMEN ACROSTICHUM AD OTTONEM IMPERATOREM. 519
SANCTI ABBONIS QUÆSTIONES GRAMMATICALES. 522
EPITOME DE XCI ROMANORUM PONTIFICUM VITIS. 535
SANCTI ABBONIS PRÆFATIO COMMENTARII IN CYCLUM VICTORII. 570
IN CIRCULOS B. CYRILLI ET DIONYSII ROMANI AC BEDÆ ABBONIS PRÆFATIO. 574
FRAGMENTUM DE S. MARTIALI. 580
APPENDIX AD SANCTUM ABBONEM.
CATALOGUS ABBATUM FLORIACENSIUM. 580
ANNALES FLORIACENSES. 582
ALBERTUS ABBAS MICIACENSIS.
Notitia. 586
EPISTOLA AD JOANNEM XVI PAPAM
ALBERTI CHARTA. 586
RORICO MOISSIACENSIS APUD CADURCOS MONACHUS.
Notitia historica. 588
Notitia altera. 588
GESTA FRANCORUM. 590
AIMOINUS MONACHUS FLORIACENSIS.
Notitia historica. 617
Notitia literaria. 617
AIMOINI HISTORIÆ FRANCORUM LIBRI QUATUOR. 627
LIBER PRIMUS. 637
Cap. I. — De gestis Francorum, et primo, de Trojanorum dispersione. 638
Cap. II. — De Francorum appellatione altera opinio. 639
Cap. III. — De Francorum, antequam in Galliam venerint, gestis. 639
Cap. IV. — De Pharamundo, primo Francorum rege. 640
Cap. V. — De Romani imperii excidio, et Francorum incremento sub Clodiano rege. 640
Cap. VI. — De Meroveo rege. 640
Cap. VII. — De Childerico rege. 641
Cap. VIII. — De Basinæ, Thoringorum regis uxoris, ad Childericum transitu. 643
Cap. IX. — De Antemii imperio, et prodigiis sub eo. 644
Cap. X. — De Teodorici imperio. 644
Cap. XI. — De duobus papis, et pœna antipapæ fautoris. 648
Cap. XII. — De Clodovei regis ortu et regno. 649
Cap. XIII. — De Clodovei regis procatione. 651
Cap. XIV. — De Clotildis desponsatione. 652
Cap. XV. — De Clodovei regis ad Christi fidem conversione. 653
Cap. XVI. — Clodovei conversi ad suos concio, et ejusdem baptizatio. 654
Cap. XVII. — De Clodovei expeditionibus et victoriis reliquis. 655
Cap. XVIII. — De sancto Furseo. 655
Cap. XIX. — De bello contra Gundebaldum. 656
Cap. XX. — De bello contra Alaricum Gothorum regem. 656
Cap. XXI. — De omine Victoriæ et cervæ apparitione. 656
Cap. XXII. — De Theodorici expeditionibus. 658
Cap. XXIII. — De Charatici regis morte et pugna Clodovei contra Ragnecharium. 659
Cap. XXIV. — De sancto Severino et aliis. 660
Cap. XXV. — De terræmotu et Clodovei transitu. 661
LIBER SECUNDUS. 661
Cap. I. De regni Francorum inter filios Clodovei partitione. 661
Cap. II. — De bello inter fratres ob divisionem regni orto. 662
Cap. III. De Clotildis ad reges oratione. 662
Cap. IV. — De Sigismondi in ædificanda æde sanctorum martyrum sancta magnificentia et victoria. 663
Cap. V. — De Justiniano et Belisario. 665
Cap. VI. — De Belisarii successu. 666
Cap. VII. — De Clotario et Childeberto. 668
Cap. VIII. — De Amalrico Gotho. 668
Cap. IX. *De Clotarii in Thoringos expeditione.* 670
Cap. X. *De origine Francorum citatus divus Hieronymus.* 670
Cap. XI. — De reliquis Clotarii et Theodorici gestis. 671
Cap. XII. — De dolo in filios Clodomiri. 673
Cap. XIII. — De Longobardorum origine gestis. 675
Cap. XIV. — De Theodorico et Theodoberto. 676
Cap. XV. — De Belisarii reliquis successibus. 677
Cap. XVI. — De divo Benedicto. 678
Cap. XVII. — De Vigilii diaconi conatibus. 678
Cap. XVIII. — De Childeberto rege et beato Germano episcopo. 679
Cap. XIX. — De reliquis Childeberti gestis. 680
Cap. XX. — De Gothorum regum a suis nece, et Childeberti Francorum regis gestis. 680
Cap. XXI. — De Theodoberti in Italiam expeditione. 681
Cap. XXII. — De sancto Benedicto. 681
Cap. XXIII. — De Belisarii reliquis gestis et nece. 682
Cap. XXIV. — De sancto Gregorio Lingonensi et castro Divionensi. 683
Cap. XXV. — De Clotildis obitu et Clotarii progenie. 683
Cap. XXVI. — De odio Francorum in Parthenium. 684
Cap. XXVII. — De Clotarii edicto et expeditione in Saxones. 685
Cap. XXVIII. — De Chranno et ejus gestis. 685
Cap. XXIX. — De Childeberti post regni fraterni affectationem morte. 686
Cap. XXX. — De Chranni conatibus et Clotarii clementia et pietate. 686
Cap. XXXI. — De Longobardorum regibus et Totila Gotho. 687
Cap. XXXII. — De Vigilii papæ et Theodoræ Augustæ controversia. 687
Cap. XXXIII. — De Romæ a Totila obsidione et Romanorum ad Justinianum confugio. 689
Cap. XXXIV. — De bello Bucelleno duci a Narsete illato. 689
Cap. XXXV. — De Alboin Longobardorum rege. 690
Cap. XXXVI. — De Cautini facinore, et sancti Medardi transitu et sepulcro. 690
Cap XXXVII. — De Clotarii regis donationibus, et piis operibus, obitu ac hæredibus. 691
LIBER TERTIUS. 691
Cap. I — De Chilperic regis cum fratribus disceptatione super hæreditate paterna. 691

Cap. — II. De Chereberto, qui et Aribertus dictus est. 693
Cap. III. — De Guntranni liberis et gestis. 695
Cap. IV. — De Sigeberti conjugio cum Bruna Gothorum regis filia. 694
Cap. V. — De Chilperici mulierosi novis nuptiis. 695
Cap. VI. — De Chilperici filiis et eorum gestis. 696
Cap. VII. — De Saxonibus in Galliam irrumpentibus a Mummolo repulsis. 697
Cap. VIII. — De Justiniano et Justino Augustis. 697
Cap. IX. — De Cassiodoro et aliis claris viris. 698
Cap. X. — De Narsetis inclytis gestis. 698
Cap. XI. — De Chunis seu Avaribus Galliam invadentibus. 699
Cap. XII. — De Clodovei gestis, et Guntranni. 699
Cap. XIII. — De Fortunato episcopo et ejus scientia. 702
Cap. XIV. — De Brunichildis in conservanda prole scientia. 702
Cap. XV. — De Merovei et aliorum regum gestis. 702
Cap. XVI. — De divi Germani episcopi transitu, sanctitate et miraculis. 703
Cap. XVII. — De regum Hispanorum rebus. 704
Cap. XVIII. — De Justini minoris gestis. 705
Cap. XIX. — De Tiberio Constantino et ejus imperio. 705
Cap. XX. — De Britannorum rebus et Guntranni facinore. 706
Cap. XXI. — De Chilperici in prætextatum simultate. 706
Cap. XXII. — De Guntranno Pythonissam consultante. 706
Cap. XXIII. — De Meroveo oraculum a libris divinis petente. 707
Cap. XXIV. — De Guntranni-Bosonis filiabus virtute patris liberatis, suffragante divo Martino. 708
Cap. XXV. — De Pictavorum Britonumque discordia. 708
Cap. XXVI et XXVII. — De Chilperici in Prætextatum episcopum accusatione et Prætextati purgatione. 708
Cap. XXVIII. — De Guntranni Burgundionum regis ad Childebertum oratione. 712
Cap. XXIX. — De Chilperici in Ennodium cæterosque Childeberti fautores sævitia et de motu Britonum. 713
Cap. XXX. — De violatione templi Dionysiani et reparatione. 714
Cap. XXXI. — De Nantini Engolismensis morte formidanda. 714
Cap. — XXXII. — De Chilperici per Fredegundem in suos sævitia. 715
Cap. XXXIII. — De inundatione aquarum, tempestate cœli, terræ motu et prodigiis multis. 716
Cap. XXXIV. — De legatis captis et remissis. De Mauritii episcopi laudabilis obitu deque Gregorii Turonensis pro fide catholica victoria. 717
Cap. XXXV. — De Tiberii Constantini obitu et Mauricii in imperium successione. 718
Cap. XXXVI. — De primo Longobardorum rege. 718
Cap. XXXVII. — De Mauricio imperatore Francos in Longobardos sollicitante. 718
Cap. XXXVIII. — De persecutione Catholicorum in Hispania. 718
Cap. XXXIX. — De Benedicto et Pelagio Romanis pontificibus. De Mammoli in Avenionem profugio. De Childeberti ad Chilpericum transitione. De Lupo Campanorum duce. De Chilperici in Petrogoricos expeditione. De Baudastis interitu et de hospitii reclusi sanctitate, et beati Martini Galliciensis transitu, et de comete et portento cœlesti. 719
Cap. XL. — De Rodini duels obitu et pietate. 720
Cap. XLI. — De Chilperici in hæresim Sabellianam lapsu et resipiscentia. 720
Cap. XLII. — De Agricola et Dalmatio sanctis. 721
Cap. XLIII. — De Leudastis conatus ob tyrannidem expulsione. 721
Cap. XLIV. — De Chilperici spectaculis. De Salvii visione, et quæ eam secuta sunt. 723
Cap. XLV. — De benedictione quam Judæus respuit, Chilpericus expetiit, et de Eparchii reclusi obitu. 724
Cap. XLVI. — De Theodoro Massiliensi episcopo et Lupo cive Turonensi : de eclipsi lunæ, et prodigioso sanguinis fluxu aliisque portentis. 724
Cap. XLVII. — De Prisci Judæi obstinatione et interitu. 725
Cap. XLVIII. — De Chilperici ob imperfectum præsidium pontis Parisiensis in Guntrannum ultione. 726
Cap. XLIX. — De tabellariis Chartrii episcopi deprehensis, et Theodorici ortu. 726
Cap. L. — De legatione fecisli Childeberti ad Chilperi- 726
Cap. LI. — De vulgi in Elgidium episcopum seditione. 727
Cap. LII. — De Mummoli magiæ et venefici insimulato. 728
Cap LIII. — De clerici cujusdam libidine, et ingratitudine detestanda. 728
Cap. LIV. — De Clotarii filii Chilperici ortu, partis Massilia per Mummolum restitutione, et Chilperici metu. 729
Cap. LV. — De Innocentio Ruthenorum et Sulpicio Biturigum episcopis, deque rosarum præmaturitate et arboribus biferis. 729
Cap LVI. — De filia Chilperici regis per legatos desponsatione. 729
Cap. LVII. — De Fredegundis asta et illecebris, et Chilperici obitu et moribus. Deque Aurelianorum cum Blesensibus in Dunenses expeditione. 730
Cap. LVIII. — De Fredegundis et thesaurariorum Chilperici profugiis. 732
Cap. LIX. — De Clotarii filii Chilperici per principes inauguratione, deque Guntranni plausibili ad populum concione. 735
Cap. LX. — De Rigundis detentione, et dotis ejus occupatione. 733
Cap. LXI. — De Theodori Massiliensis, qui puero fratrem Guntranni extulerat, multa; et de prodigiis ejus anni. 733
Cap. LXII. — De Guntranni cum cobæredibus regni concertatione. 735
Cap. LXIII. — De Fredegundis regina in asylo Parisiensi sævitia per Audonem inflammata. 737
Cap. LXIV. — De Prætextati episcopi Rothomagensis restitutione. 737
Cap. LXV. — De diligenti Guntranni custodia sui, et Fredegundis in agrum perfugio et fraude. 737
Cap. LXVI. — De Eberulfi punitione, et in beatum Gregorium Turonensem simultate, et Guntranni gestis. 738
Cap. LXVII. — De Pictaviensis episcopi redemptione, ac populi reconciliatione. 740
Cap. LXVIII. — De Gundoaldi gestis et quibusdam. 740
Cap. LXIX. — De Childeberti et Guntranni reconciliatione, et Guntranni consilio Childeberto dato, deque Gundoaldi factione. 742
Cap. LXX. — De Gundoaldi in convenas fraude. 743
Cap. LXXI. — De litteris a Guntranno ad Gundoaldum missis, de auri direptione, et de Claustri Vincentiani apud Agennenses spoliatione, et ejus ultione, deque callida Gundoaldi querela et reliquis gestis. 745
Cap. LXXII. — De Rigundis ad matrem revectione. 747
Cap. LXXIII. — De Mummoli rebus fisco addictis, et Italiæ diluvio magno et pestilentia. 747
Cap. LXXIV. — De beati Gregorii in papam electione, et Anglorum seu Britannorum ad fidem catholicam conversione. 748
Cap. LXXV. — De Mummoli supplicio, de aeris intemperie, Laudegisili patriciatu, Theodeberti ortu, et aquarum in Burgundia inundatione. 748
Cap. LXXVI. — De Theodorici filii Childeberti nativitate, et iosius Childeberti in regni successione confirmatione. 749
Cap. LXXVII. — De primatibus Childeberti læsæ majestatis convictis, et de Authari Longobardi cum Theudelinda nuptiis, Recharedique Hispani fide catholica, et de exercitu Burgundionum in Hispaniam misso. 749
Cap. LXXVIII. — De tunicæ Domini inconsutilis inventione, et prælio cum Britannis, in quo alter Francorum ducum desideratus est, alter, cui multa postea indicta est, misere inops factus. 749
Cap. LXXIX. — *De Authari Longobardi legatione ad reges Francorum, et ejus orte.* 750
Cap. LXXX. — De Theodelinda Authari vidua, Agilulfo nubente. 750
Cap. LXXXI. — De Guntranni regis obitu et claustrali institutione. 751
Cap. LXXXII. — De Childeberto ultionem de patre et patruo in Fredegundem meditante. 751
Cap. LXXXIII. — De mutua Francorum Britonumque cæde, de Varnorum exitio, Gripponis legatione, et Francorum in Italiam expeditione. 753
Cap. LXXXIV. — De Childeberti et uxoris interitu, et filiorum ejus Theodeberti et Theodorici successione. 754
Cap. LXXXV. — De Hunnorum in Thoringam irruptione et Agilulfi seu Agonis legatione in Franciam. 754
Cap. LXXXVI. — De Fredegundis grassatione et morte, Quintrionis cæde, Boleni patriciatu, inguinaria peste, piscium præ fervore fluvii decoctione, et Warnecharii liberalitate. 754

Cap. LXXXVII. — De Brunechildis casu, mirabilique errore, et gratitudine in pauperem ductorem, deque prodigiis a cœlestibus. 755

Cap. LXXXVIII. — De crudelissimo regum inter se conflictu, et angeli visione, Clotarique fuga et damno. 755

Cap. LXXXIX. — De Catini cæde, Sigeberti ortu, Eglæ nece, Vasconum domatione, Adoaldi Longobardi sublimatione, strage apud Saxones. 756

Cap. XC. — De inventione corporis beati Victoris, de Etherii Lugdunensis archiepiscopi obitu, de Childeberti minoris ortu, Desiderii episcopi dejectione, et Domnoli subrogatione, ac solis eclipsi. 756

Cap. XCI. — De Corbi ortu, Bertoaldi interitu, et Protadii Brunechildis amatoris insolentia, ac regum conflictu. 757

Cap. XCII. — De Protadii Romani, qui factus est major domus regiæ, avaritia fœda, ob quam omnibus evasit invisus, et tandem a proceribus est interfectus, et reges reconciliati, deque successione Claudii Romani viri prudentis. 758

Cap. XCIII. — De ultione quam Brunechildis de inimicis Protadii cepit, deque Desiderii episcopi lapidatione. 759

Cap. XCIV. — De Hermembergæ filiæ regis Hispaniæ infaustis cum Theodorico nuptiis. 759

Cap. XCV. — De Columbani Hiberni in dicendo libertate et miraculis, regisque resipiscentia simulata, Bobiique cœnobii constructione, et Columbani transitu. 760

Cap. XCVI. — Theodericus metu fratris cum eo pacisciture. 761

Cap. XCVII. — De Alemannorum in Ultrajuranos grassatione. 761

Cap. XCVIII. — De Theodorici consiliis, et Theodoberti infami conjugio, de Berto Leanisso, et apologo ejus de lupo et regum conflictu. 762

Cap. XCIX. — De Clotario ducatum Dentelini recipiente, et ira Theodorici in eum. 764

Cap. C. — De Theodorico fratris filium procreante, et ob id a Brunechilde increpito, deque ejus in Brunechildim ira, et Brunechildis, quæ eum veneno sustulit, in eumdem crudelitate. 764

LIBER QUARTUS. 765

Cap. I. — De Clotarii cum nostris Theodorici instinctu Brunechildis super successione in regnum certatione, et de Brunechildis exitio. 765

Cap. II. — De Austregisilo præsule sancto, falso accusato et miraculose purgato, deque ejus sanctitate. 767

Cap. III. — De Mauricii imperatoris cum filiis cæde, deque ejusdem moribus pravis et pœnitentia salu ari cuiusdam revelata per anachoretas Ægypti, et de Phillippici gestis. 768

Cap. IV. — De pontificum Romanorum successione, et Ecclesiæ romanæ primatu. 769

Cap. V. — De Cacani Avaris seu Hunni cum Gisulfo Longobardo bello, deque Romildæ amoribus infelicibus. 770

Cap. VI. — De Clotarii regis et monarchæ in Francia gestis. 771

Cap. VII. — De tributo quod Longobardi Francis pependerunt. 771

Cap. VIII. — De Bertetrudis reginæ obitu, et Sichildis matrimonio, ac filio Ariberto. Et de Dagoberti in societatem regni assumptione. 772

Cap. IX. — De Samone inter Sclavos rege constituto ejusque successu et prole. 772

Cap. X. — De Adaloaldo Longobardorum rege, et ejus successore, deque Gundeberga regina. 773

Cap. XI. — De Dagoberti regis Austrasiorum prudentia et Rodoaldi insolentia. 774

Cap. XII. — De Dagoberti cum Gomatrude conjugio, et cum patre Clotario disceptatione, ac eorum pacificatione super regno Austrasiæ. 774

Cap. XIII. — De Sisebodi regis Hispaniæ virtute et fide, et Cantabriæ per eum subactione, et regni Gothorum per hoc dilatatione. 775

Cap. XIV. — De Warnarii morte et incestis Godini filii ejus cum noverca sua nuptiis, et ejusdem repudio, et repudiatæ furore ac fraude in Cogonem, et de Cogonis juramento fidelitatis in multis templis præstando ejusque nece. Item de Palladii Sedecique exsilio, et de Bosonis cæde. 775

Cap. XV. — De successore Warnarii præfecti aulæ Burgundiæ per Clotarium et regulos ac proceres regni consultatio, et seditione oborta ob cædem Hermarii ab Agilano factam. 776

Cap. XVI. — De Clotarii junioris obitu, miraculosaque ejus divum Sulpicium a febribus sanatione, deque ejusdem Sulpicii vitæ sanctitate, et beati Eligii aurifabri innocentia et opera. 776

Cap. XVII. — De Dagoberti post annuntiatam sibi Clotarii mortem studiis, et Ariberti ac Brunulfi contra eum factione, deque eorum Dionysii et sociorum inventione miraculosa, necnon et Sadregisilo locum tenente in Aquitania. 777

Cap. XVIII. — De Dagoberti cum Bertoaldo Saxonum duce periculoso prælio, et Clotarii subventione mirifica, ipsiusque Bertoaldi fugientis nece. 779

Cap. XIX. — De Dagoberti post mortem patris in Burgundiam ut oppressos erigeret, profecti ne et reliqua peregrinatione, deque ejusdem repudiata conjuge, cum Vestali matrimonio, et de consiliariis ejus Louis, Arnulfo episcopo, Pippino, et Chuniberto episcopo. 780

Cap. XX. — De Dagoberti ex Ragnetrude filio, qui dum a beato Amando baptizaretur respondit : *Amen*, et postea in avaritiam fœdam lapsu, spoliationeque templi divi Hilarii, ac libidine ejusdem; sed resipiscentia consilio Pippini. 781

Cap. XXI. — De legatis ad imperatorem, et de imperatorum Focæ et Heraclii gestis, et successibus Heraclii in Chosdrohem Persarum tyrannum, ejusque nece crucisque Dominicæ receptione. 782

Cap. XXII. — De Heraclii forma, et præsagii quo se a circumcisis pellendum viderat errore. Nam Judæos propterea persequebatur, e Francisque pellendos curavit; cum a Sarracenis fuerit pellendus. De eorum itaque agitur prælio et Heraclii morte. 785

Cap. XXIII. — De morte Ariberti regis Aquitaniæ, et ejus filii Chilperici, deque negociatoribus Francis male a Sclavis acceptis, et de legatione ad Samonem Sclavorum regem, et prælio cum eis commisso ejusque exitu Francis infelici. 784

Cap. XXIV. — De contentione inter Avares et Bulgaros de rege diligendo, et de Bulgaris expulsis a patria, et Franciam invadere parantibus, una nocte cæsis. 785

Cap. XXV. — De regibus Hispanis, et bello eis a Dagoberto per Burgundiones illato, et de Missorii postulatione, et diremptione, ac recompensatione. 785

Cap. XXVI. — De bello quod in Sclavos paravit Dagobertus, a Saxonibus ob tributi levationem ficte suscepto; seu a Siseberto filio regis feliciter gesto. 786

Cap. XXVII. — De Clodovei filii Dagoberti ortu, et de regnorum inter Sigebertum et eum per patrem divisione, et de Dentelini ducatu recepto. 786

Cap. XXVIII. — De Sadregisili ducis nece, et filiorum ejus ob ignaviam et paternæ cædis negligentiam exhæredatione. Et de bello in Vascones feliciter gesto, præterquam quod Arembertus dux perierat. 786

Cap. XXIX. — De legatione ad judicabilem Britanniæ regem, cum quo Eligius vir bonus fœdus pactus est, deque Judicaëlis Audoenique religiositate. 786

Cap. XXX. — De Dagoberti in ecclesias munificentia, et de concione ejus in concilio procerum regni, deque testamento et donationibus ejus. 783

Cap. XXXI. — De fide præstita Francis et Vasconibus. 789

Cap. XXXII. — De Grimoaldi regis Longobardorum gestis, et fratrum ejus cæde, deque Constantino imperatore (qui et Constans dictus est) Beneventum obsidente, et de crudelitate ejus et exitio, et Mezentii tyranni, deque Constantii imperio. 789

Cap. XXXIII. — De Dagoberti obitu et sepultura, ac ædis divi Dionysii ædificatione et ornatu. 790

Cap. XXXIV. — De visione facta solitario super statu Dagoberti regis defuncti, et quid prosit templorum ornatio, et obsit spoliatio. 791

Cap. XXXV. — De Clodovei sub Ega justo principatu, et paradisi Romani pavimento. Et de Gothorum in Hispania regibus Wolga et Risi indo. 792

Cap. XXXVI. — De thesauri regii divisione, et conciliis Pippini Sigeberto datis. 793

Cap. XXXVII. — De Egani morte, et Erchinoaldi præfectura, et Ermenfredi homicidio. 793

Cap. XXXVIII. — De Pippini morte a multis fleta, et filii ejus post multam contentionem et factionem successione in præfectura. 795

Cap. XXXIX. — De Flaucato majore-domus Burgundiæ, et simultate ejus cum Willibado. 795

Cap. XL. — De Nantildis reginæ obitu, Willibadi cæde, et Flaucati paulo post morte non immerita. 794

Cap. XLI. — De Clodovei in pauperes erogatione, concione et templi ac cœnobii Dionysiani ab episcopali subjectione exemptione : et de viris sanctis qui intererant ac piis eorum operibus. 795

Cap. XLII. — De fundatione cœnobii Floriacensis. 797

TRANSLATIO S. BENEDICTI. 798 A
DE MIRACULIS SANCTI BENEDICTI, LIBRI DUO. 802
Prologus ad Gauzlinum abbatem. 802
LIBER PRIMUS. 803
Cap. I. — Northmannorum strages per Galliam sub Carolo Calvo, sub Ludovico, sub Carolo Simplice, Odone et Roberto Cassinogili palatii situs, etc. 803
Cap. II. — Rainaldus rex Northmannorum moritur Floriac ; a sancto Benedicto cæsus. Cadaver in Sequanam missum. Effigies ejus Floriaci. 806
Cap. III. — Robertus occisus. Lerbertus Caroli proditor. Rodulfus rex. Exemplum de ejus æquitate. 807
Cap. IV. — Floriacensium abbatum successio. Drogonis novitii probatio, secessus in eremum, tentatio. Visitatio S. Benedicti. 808
Cap. V. — Ludovicus rex, Caroli successor; filii ejus duo. Arnulfus S. Benedicto dat pœnas. 810
Cap. VI. — S. Remigii festum. Ensem altari S. Benedicti imponens punitur. 812
Cap. VII. — Herbertus, prædiorum Floriacensium invasor, percutitur baculo S. Benedicti. 812
Cap. VIII. — Romani hus item morte correptus. 814 B
Cap. IX. — Floriacense incendium; aliud. 814
Cap. X. — Mensa incombusta. Cœnobii instauratio. Incendium anno 974. 815
Cap. XI. — Architectus casu illæsus. Mulier a dæmone liberatur. 816
Cap. XII. — Contractus erectus. Duodecim pauperes Floriaci aliti. 817
Cap. XIII. — Lucernæ tres in ecclesia B. Mariæ. Cereus cœlitus accensus. 817
Cap. XIV. — Sancti contemptor punitus. 818
Cap. XV. — Prædatores multi a paucis fusi. S. Benedicti vexillum. 818
Cap. XVI. — Item alii. Argentomagenses eulogiis panis et vini muniti. 819
Cap. XVII. — Trabs loco mota. 820
Cap. XVIII. — Navicula cœlitus subministrata. 821
Cap. XIX. — Arnulfo episcopo vincas invadente, reliquiæ delatæ, æger sanatus, ædicula constructa. 822
LIBER SECUNDUS. 823
Cap. I. — Floriacus, Vallis aurea. Sibi nota narrat auctor. Francorum reges. Abbo Oilboldi successor. 825
Cap. II. — Floriacense incendium. Apparatus in festo C translationis. Incendium divinitus restinctum. 825
Cap. III. — Contractus erectus. Iugulatus denuo male habet; iterum sanatus. 826
Cap. IV. — Sacergii situs. Otherius paralyticus, Capitcervium vovet S. Benedicto; facto dono mox sanatus. Alia relatio de traditione illius prædii. 828
Cap. V. — Ademarus Brueriæ et Capitiscervii invasor. Otherio præposito Hugonem hortante, viso a redemte. Territus audito nomine S. Benedicti. Castri de Salis situs. Ademarus tandem victus et captus, favente superna virtute; socii iidem castigati 830
Cap. VI. — Ademari castrum dirutum. Equus e puteo eductus. 834
Cap. VII. — Mili es pasti pane S. Benedicti in prælio illæsi. 836
Cap. VIII. — Abbatisvillæ monasterium cum miles per vim ingressus fuisset et in contemptum S. Benedicti sese vino fratrum inebriasset, abbas orante Deum ut se ostenderet tutorem loci, igni consumptus est. Necnon duo pueri ipsius complices, equi et quæcunque sua. 837
Cap. IX. — Ligeris exundatio, anno 1003. Armentarius ex aquis ereptus. 839 D
Cap. X. — S. Benedicti agrum minuens mala morte perit. 840
Cap. XI. — S. Pauli corporis translatio Floriacum. 841
Cap. XII. — Felix anachoreta naufragio liberatus. Episcopus Leonensis id cœlitus discit. Felix ob id in S. Benedictum amplius animatus, iterum liberatus. 842
Cap. XIII. — Advocatus malus perit. 843
Cap. XIV. — Monachus in extremis ab omnibus derelictus, S. Benedictum habet propitium. 844
Cap. XV. — Patriciacus (Pressy) in Burgundia. Ibi reliquiæ S. Benedicti cum aliis contra prædatores delatæ. Cerei cœlitus bis reaccensi; reliquiæ datæ in præmium doctrinæ. 845
Cap. XVI. — Minax et blasphemus in S. Benedictum interit. Duæ feminæ sanantur a quatuor morbis. 846
Cap. XVII. — Muta et claudo sanatur. 847
Cap. XVIII. — Item alia indicare non valens. Iterum impotens, iterum sanata. 847
Cap. XIX. — In festo translationis incendium restinctum. 848
Cap. XX. — Contracta erigitur 850
Cap. XXI. — Cæci duo lumen receperunt. 851
Cap. XXII. — (*Auctor multa omisit.*) 852
SERMO IN FESTIVITATIBUS S. BENEDICTI. 851
Cap. I. — De oratorio quod S. Pater Benedictus in summo monte condidit, ubi sacrificabat Jovi erronea paganitas. 339
Cap. II. — De angelis qui ostenderunt ei viam qua pergere deberet. 860
Cap. III. — De tribus corvis quos alere solitus erat, qui eum a Subiaco usque Beneventum, per quinquaginta fere milliaria sunt secuti. 860
Cap. IV. — De monachis qui, ex tribus monasteriis pro necessitate aquæ ad eum collecti, meruerunt ex petra aquam ubertim manantem adipisci. 860

JOANNES DIACONUS VENETUS.

Notitia historica et literaria. 871
CHRONICON VENETUM. 875
CHRONICON GRADENSE. 939
Chronici Gradensis supplementum. 951

HERIGERUS ABBAS LOBIENSIS.

Notitia historica. 983
HERIGERI ET ANSELMI GESTA EPISCOPORUM TUNGRENSIUM, TRAJECTENSIUM ET LEODIENSIUM. 987
LIBER PRIMUS. 1003
Cap. I. — Procemium opusculi sequentis. 1003
Cap. II. — Quod Deus omnia in numero et pondere et mensura constituit, et de mysterio crucis. 1007
Cap. III. — Quod Dominus occidentales partes apostolorum principibus Petro et Paulo dignatus est illustrare. 1008
Cap. IV. — Quando Petrus Romam venerit. 1009
Cap. V. — Quod Eucharium, Valerium atque Maternum Treverim miserit. 1010
Cap. VI. — Qualiter beatus Maternus defunctus, per baculum ejus sit ressuscitatus. 1011
Cap. VII. — Quod hi tres viri Treveri, Coloniæ, Tungri prædicaverint, et de insigni fonte Tungrensi. 1013
Cap. VIII. — Qualiter sanctus Eucharius populum resistentem oratione ligaverit et absolverit. 1014
Cap. IX. — Quod filium viduæ resuscitaverit. 1014
Cap. X. — Quod revelatum sit cuidam senatori, omnes oportere baptizari. 1015
Cap. XI. — De obitu beati Eucharii. 1016
Cap. XII. — De vita et obitu beati Valerii successore ejus. 1017
Cap. XIII. — Quod beatus Maternus tot annis episcopus fuerit, quot diebus in sepulcro jacuit. 1018
Cap. XIV. — Qualiter eum Eucharius et Valerius de hoc mundo per visum vocaverint. 1019
Cap. XV. — De ordo episcopis qui beato Materno in sede Tungrensi successerunt. 1020
Cap. XVI. — Qualiter in diversis locis orthodoxi viri arianæ hæresi resisterint. 1020
Cap. XVII. — De Hunis per totum imperium Romanum diffusis 1021
Cap. XVIII. — Quod ab immundis spiritibus et ex magis mulieribus procreati dicantur. 1022
Cap. XIX. — Qualiter ductu cervæ insula egressi, primo Gothos, deinde alias gentes, novissime Galliam invaserint. 1023
Cap. XX. — De sancto Servatio. 1024
Cap. XXI. — Quod multi sancti viri contemporales illi fuerint, et de multarum urbium eversione. 1024
Cap. XXII. — Quod sanctus Servatius Romam adierit, si quo modo orationibus suis valeat Galliam ab Hunis liberare. 1026
Cap. XXIII. — Qualiter ante tumulum beati Petri per visum de eversione totius Galliæ et de obitu suo sit edoctus. 1027
Cap. XXIV. — Rediens quid viderit, commisso grege exanimat. 1029
Cap. XXV. — Oratio ejus et lamentatio clericorum et populi, et de obitu ejus. 1029
Cap. XXVI. — Quod Huni multas Galliæ urbes cum Tungris subverterunt, quos item Franci a Galliis expulerunt. 1031
Cap. XXVII. — De sancto Remigio et novem Tungrensibus episcopis. 1032
Cap. XXVIII. — De sancto Domitiano, item Perpetuo et Ebregiso. 1033
Cap. XXIX. — De sancto Joanne. 1034
Cap. XXX. — Quod ei a transmarino quodam prædictum sit, eum Trajectensem episcopum futurum. 1035
Cap. XXXI. — Quid ad hæc ille responderit, quodque baculus ejus terræ fixus floruit, et de episcopatu, vita et obitu ejus. 1037

Cap. XXXII. — De sancto Amando. 1039
Cap. XXXIII. — De serpente orationibus ejus fugato, et quod clericus factus Turonos, hinc Bituricos, tunc Romam, hinc inde Gallias repetierit. 1039
Cap. XXXIV. — Quod episcopus ordinatus multa bona opera fecerit. 1040
Cap. XXXV. — Quod Gandensem populum converterit, Bavonem recluserit, mortuum suscitaverit. 1040
Cap. XXXVI. — Dagoberti regis filium catechizat, Trajectensem episcopatum post triennium derelinquit. 1041
Cap. XXXVII. — Quod contemnentes verbum Dei ex ore ejus ultio divina percussit, cæcus ex aqua manibus ejus infusa visum recepit. 1042
Cap. XXXVIII. — Insidiatores suos cæcitate percussos, itemque cæcam mulierem illuminat. 1042
Cap. XXXIX. — Monachum inobedientem paralysi percussum liberavit. Enumeratio virtutum ejus et dormitio. 1042
Cap. XL. — Prœmium in Vitam beati Remacli. 1043
Cap. XLI. — De regno Francorum et Aquitania, unde sanctus Remaclus originem duxit. 1044
Cap. XLII. — Quod a beato Sulpitio dehinc sub Elegio educatus, palatii primoribus innotuerit. 1045
Cap. XLIII. — Quod beato Amando in cathedra Trajectensi successerit, et qualiter ibi vixerit. 1047
Cap. XLIV. — Qui sancti viri sub eo coaluerint. 1048
Cap. XLIV *bis*. — Sancto Trudoni adhuc puero quid eum oporteat facere prædicit. 1049
Cap. XLV. — Quam alienus fuerit a cupiditate. 1051
Cap. XLVI. — Quod Sigebertus ex consilio ejus cœnobium primum super Sesmaria fluvium, deinde in Arduena construxit. 1052
Cap. XLVII. — De Malmundarii constructione. 1053
Cap. XLVIII. — De Stabulaus constructione. 1054
Cap. XLIX. — Quod designato sibi successore eremiticam vitam expetierit. 1055
Cap. L. — Responsio filiorum, ne hoc fieret refragantium. 1056
Cap. LI. — Item excusatio ejusdem sancti viri. 1057
Cap. LII. — Quod multi ejus exemplis sæculum reliquerint. 1059
Cap. LIII. — Quod crescente religione creverunt res ecclesiæ. 1060
Cap. LIV. — Exhortatio sancti sacerdotis ad fratres instante die vocationis. 1061
Cap. LV. — Obitus ipsius. 1065
Incipit liber secundus gestorum pontificum Tungrensis, Trajectensis sive Leodicensis Ecclesiæ. 1067
Cap. I. — Prœmium opusculi sequentis. 1067
Cap. II. — De sancto Theodardo. 1069
Cap. III. — De sancto Lamberto. 1070
Cap. IV. — Quod pulsus ab episcopatu monasterium adierit. 1071
Cap. V. — Qualiter ibi probatus fuerit. 1071
Cap. VI. — Qualiter denuo ad episcopatum raptus in eo vixerit, et Texandriæ prædicaverit. 1072
Cap. VII. — Qualiter a perfidis sit interemptus. 1073
Cap. VIII. — Item alia de eodem opinio. 1074
Cap. IX. — Quod in Bawari et pago Wirzeburgensi ad memoriam ejus frequenter fiunt miracula. 1075
Cap. X. — Quid apud Loviniou ad memoriam ejus contigerit. 1076
Cap. XI. — De equo in rabiem verso et mortuo. 1076
Cap. XII. — De quodam qui pedem foribus ecclesiæ ejus illisit et putrefactum amisit. 1076
Cap. XIII. — De eo qui vomite furtum prodidit. 1077
Cap. XIV. — De contracto manifeste erecto. 1077
Cap. XV. — Oratio ad sanctum Lambertum. 1078
Cap. XVI. — De sancto Huberto. 1080
Cap. XVII. De sancto Floreberto. 1080
Cap. XVIII. — De aliis septem episcopis. 1080
Cap. XIX. — De Francone episcopo, et quid ejus tempore acciderit. 1081
Cap. XX. — De Stephano et Richario episcopis. 1083
Cap. XXI. — Exemplar testamenti in quo testatur Richarius Stephanum condidisse responsoria de sancta Trinitate. 1084
Cap. XXII. — Item de Richario 1085
Cap. XXIII. — De aliis quatuor episcopis. 1085
Cap. XXIV. — De Everhardo episcopo, et quid sub eo in Calabria contigerit. 1086
Cap. XXV. — De Nokero episcopo, et quantum omnia apud nos melioraverit. 1088
Cap. XXVI. — Quam sapienter cujusdam potentis cupiditatem eluserit. 1089
Cap. XXVII. — De ecclesiis sancti Dionysii et sancti Joannis evangelistæ. 1092
Cap. XXVIII. — Quanta illi cura erga educandos pueros fuerit. 1094
Cap. XXIX. — Qui et quales sub eo coaluerint. 1095
Cap. XXX. — Quod mitis humilibus, terribilis fuerit superbis. 1096
Cap. XXXI. — De Baldrico episcopo. 1095
Cap. XXXII. — De Walbodone episcopo. 1096
Cap. XXXIII. — Qualiter episcopus factus fuerit. 1098
Cap. XXXIV. — Quid placaturus imperatorem Henricum fecerit. 1098
Cap. XXXV. — De vocatione ejus. 1099
Cap. XXXVI. — De Durando episcopo. 1100
Cap. XXXVII. — De Reginardo episcopo. 1100
Cap. XXXVIII. — De Nithardo episcopo. 1102
Cap. XXXIX. — De domno Wazone episcopo. 1102

Sequentia capitula desunt in textu.

Cap. XL. — Qualiter in scholarum magisterio se habuerit.
Cap. XLI. — Controversia ipsius in Joannem præpositum.
Cap. XLII. — Quid a rusticis sit perpessus.
Cap. XLIII. — Quod capellanus imperatoris Cuonradi sit effectus.
Cap. XLIV. — Quod Judeum sententia Veteris Testamenti revicit.
Cap. XLV. — Quod defunctis præpositis Joanne et Lamberto præpositus efficitur.
Cap. XLVI. — Præpositus factus ut se habuerit, et quod præbendam fratrum melioraverit.
Cap. XLVII. — Qualiter exteriora administraverit.
Cap. XLVIII. — Qualis interius fuerit.
Cap. XLIX. — Quod defuncto Reginardo imperator Cuonradus illum episcopatu donare voluerit.
Cap. L. — Qualiter in episcopatum electus fuerit.
Cap. LI. — Quod episcopus factus vigilanter sanctam religionem exsequebatur.
Cap. LII. — Quam largus cujusque generis hominibus fuerit tempore sterilitatis.
Cap. LIII. — De bello, et charitate Wirdunensibus impensa.
Cap. LIV. — Quod belli tempestatem maxima ex parte sedavit.
Cap. LV. — Quod castella prædonum everterit.
Cap. LVI. — De divisione gratiarum huic homini collata.
Cap. LVII. — Ut imperatori iniuste suspectus fuerit.
Cap. LVIII. — Quid in causa Ravennatis episcopi senserit.
Cap. LIX. — Qualiter a comitissa Montis castrorum tentatus fuerit.
Cap. LX. — Quod sollicitatus sit per litteras ut imperatori resisteret.
Cap. LXI. — Quod regem Francorum, ne Aquasgrani invaderet, per litteras absterruerit.
Cap. LXII. — Episcopus Catalaunensis eum per litteras consulit, quid de hæreticis censeat agendum.
Cap. LXIII. — Responsio ejus, quæ sibi super hoc sedeat sententia.
Cap. LXIV. — De hæreticis nequaquam interficiendis.
Cap. LXV. — De apostolico eligendo quid sibi videatur per nuntium imperatori respondet.
Cap. LXVI. — Insimulatus ab imperatore quid fecerit, quidve responderit.
Cap. LXVII. — Quod vel quales præbendarios constituerit.
Cap. LXVIII. — De impendiis ab eo ad ædificia datis et vitæ ejus perfectione.
Cap. LXIX. — De imminente corporis ejus dissolutione.
Cap. LXX. — De confessione ejus et unctione.
Cap. LXXI. — Quod abbas Albertus, ne 7 dies super eum faceret, exoravit.
Cap. LXXII. — Quod Lethgia tanto pastore oroatur.
Cap. LXXIII. — Apostropha ad Lethgiam, ut religionem teneat sanctamque Coloniam imitetur.
VITA SANCTÆ BERLENDIS VIRGINIS. 1103
VITA S. LANDOALDI. 1107
LIBER PRIMUS. — S. Landoaldi et sociorum gesta, translationes, miracula Wintershovii facta. 1111
Cap. I. — Viri apostolici sub Francis in Belgio adventus S. Landoaldi et sociorum. 1111
Cap. II. — Variæ translationes Wintershovii factæ. 1115
Cap. III. — Miracula Wintershovii patrata. 1119
LIBER SECUNDUS. — Translatio reliquiarum Gandavum. 1121
VITA S. URSMARI ABBATIS. 1125
EPISTOLA AD HUGONEM MONACHUM. — Responsiones quæstionibus sibi ab eo propositis de diversitate quæ Dyonisium inter et Bedam occurrit, aliisque ipse illi vicissim proponit enodandas difficultates. 1129

NOTGERUS LEODIENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1135
Notitia litteraria. 1139
GESTA EPISCOPORUM LEODIENSIUM. 1141
VITA SANCTI HADALINI. 1141
PRÆFATIO AD VITAM LANDOALDI. 1147
VITA SANCTI REMACLI. 1147

THIETMARUS MERSEBURGENSIS EPISCOPUS.

Notitia in Thietmarum. — Ætas, patria, natales, res gestæ, scripta. 1169
THIETMARI CHRONICON.

BRIDFERTUS RAMESIENSIS MONACHUS.

Notitia historica. 1423
SANCTI DUNSTANI VITA. 1423
Prologus. 1423
CAP. I. — Ortus, educatio, studia, mora in aula regis, et inde expulsio. 1425
CAP. II. — Monachatus S. Dunstani. Gesta et pius obitus Ætheilfledæ viduæ. Antiphona ex cithara prolata. 1430
CAP. III. — Res gestæ sub Edmundo rege, abbatia Glastoniensis suscepta, dæmonum insidiæ vitatæ. 1430
CAP. IV. — Acta sub Edredo et Edwio regibus. Episcopatus recusatus. Exsilium. 1440
CAP. V. — Episcopatus Wigorniensis et Londiniensis : dein archiepiscopatus Cantuariensis. Iter Romanum. 1444
CAP. VI. — Variæ visiones. Præparatio ad mortem. 1450
COMMENTARIUM IN LIBRUM BEDÆ DE RERUM NATURA. 1453
COMMENTARIUM IN LIBRUM DE LOQUELA PER GESTUM. 1455

SANCTUS ÆLFRICUS ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS.

Notitia historica. 1455
Dissertatio de Ælfrico seu Elfrico archiepiscopo Cantuariensi. — Utrum fuerit Ælfricus grammaticus. 1459
Canones Ælfrici ad Wulfinum episcopum. 1469
Epistola de canonibus. 1469

JOANNES XVIII PAPA.

Notitia historica. 1477
Notitia diplomatica. 1477
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA. 1477
I. — Joannes XVIII monasterii S. Florentii Salmuriensis privilegia et possessiones confirmat. 1477
II. — Joannis XVIII privilegium pro ecclesia S. Mariæ Isergensi. 1480
III. — Joannes XVIII ecclesiæ SS. Cosmæ et Damiani ad Micam auream privilegia tribuit. 1481
IV. — Joannes XVIII monasterii SS. Benedicti et Scholasticæ Sublacensis privilegia confirmat. 1481
V. — Joannes XVIII Benedicto, episcopo Portuensi, dimidium campi Stagnelli maledicti concedit. 1482
VI. — Joannis XVIII papæ privilegium pro ecclesia Paderbornensi. 1482
VII. — Joannes XVIII confirmat donum a Rainaldo episcopo Parisiensibus canonicis factum. 1483
VIII. — Joannis XVIII papæ privilegium pro monasterio S. Benigni Divionensis. 1483
IX. — Joannes XVIII ecclesiæ Pisanæ canonicorum possessiones confirmat. 1486
X. Diploma Joannis XVIII, quo confirmat episcopatum Bambergensem. 1487
XI. — Confirmatio privilegiorum et metropolici juris sanctæ Tolosanæ Ecclesiæ. 1489
XII. — Joannes XVIII privilegia monasterii Floriacensis prorogat. 1490
XIII. — Joannis XVIII papæ privilegium pro monasterio Bellilocensi. 1491
XIV. — Joannis XVIII privilegium pro monasterio S. Victoris Massiliensis. 1497

ARNOLDUS HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

Arnoldi epistola ad Henricum Herbipolensem episcopum de institutione episcopatus Bambergensis. 1497

SERGIUS IV PAPA.

Notitia historica. 1499
Notitia diplomatica. 1499
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA. 1499
I. — Sergius IV Andreæ episcopo Parentino possessionem parochiæ Buviniensis castellorumque duorum asserit. 1499
[illegible]eræ, quibus Vediano cuidam [illegible]strum Scurieuse [illegible], hyteusis concedit. 1501
III. — Sergius IV confirmat fundationem parochialis ecclesiæ Sancti Michaelis apud Nonantulanum cœnobium in agro Mutinensi, factum a Rodulpho ejusdem cœnobii abbate. 1502
IV. — Sergius IV papa confirmat bona omnia ad Cuxanense monasterium pertinentia. 1504
V. — Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Rivipullensi. 1509
VI. — Sergius IV papa confirmat fundationem monasterii S. Petri Feniliotensis, et bona ad illud spectantia. 1514
VII. — Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Canigonensi. 1516
VIII. — Sergius IV papa monasterium Arulense sub protectione sedis apostolicæ recipit, et a cujuscunque personæ, etiam episcopi ordinarii, jurisdictione eximit. 1517
IX. — Privilegium Sergii IV papæ pro monasterio Montis-Majoris. 1520
X. — Sergius IV papa Amalricum Aquensem archiepiscopum ob vexatum Montis-Majoris monasterium redarguit. 1521
XI. — Sergius IV papa Gratiano abbati et omnibus habitantibus in castello et civitate Corgnito præcipit ut ecclesias Peregrini et S. Michaelis Guidoni abbati Farfensi restituant. 1521
XII. — Sergius IV ecclesiæ Bambergensi privilegia tribuit. 1522
XIII. — Sergius IV monasterii Vincentii Vulturnensis possessiones et privilegia confirmat. 1522
XIV. — Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Bellilocensi. 1525
XV. — Sergii IV papæ privilegium pro monasterio Bellilocensi. 1527
XVI. — Sergius IV Michaelis archiepiscopi Salernitani jura metropolitana confirmat. 1528

HENRICUS PARMENSIS EPISCOPUS.

SERMO DE PASCHATE DOMINI. 1529

BRUNO LINGONENSIS EPISCOPUS.

Notitia historica. 1531
BRUNONIS EPISTOLÆ ET CHARTÆ. 1533

ARNULFUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia historica. 1539
ACTA ELECTIONIS ARNULFI. 1543
JURAMENTUM ARNULFI. 1543
ARNULFI COMMONITORIUM CONTRA PRÆDONES. 1543
LIBELLUS ABDICATIONIS ARNULFI. 1543
ARNULFI EPISTOLÆ. 1547
ARNULFI PRIVILEGIA. 1547
I. — Privilegium pro abbatia S. Remigii. 1547
II. — Privilegium pro cœnobio Molomensi. 1548
III. — Pro eo lem cœnobio. 1549

CONSTANTINUS S. SYMPHORIANI ABBAS.

VITA ADELBERONIS METENSIS EPISCOPI. 1551

BENEDICTUS VIII PAPA.

Notitia historica. 1577
Notitia altera. 1577
Notitia diplomatica. 1579
EPISTOLÆ ET DECRETA. 1579
I. — Benedicti VIII papæ epistola ad Brunonem Lingonensem episcopum. 1579
II. — Benedicti VIII papæ privilegium pro monasterio S. Benigni Divionensis. 1581
III. — Benedictus VIII papa jura omnia ac bona S. Urgellensis Ecclesiæ confirmat. 1583
IV. — Benedictus VIII Ecclesiæ Bambergensis, petentibus Heinrico rege et Eberhardo episcopo, privilegia confirmat. 1585
V. — Benedicti VIII papæ bulla qua Farfensi cœnobio bona ac jura omnia confirmat. 1586
VI. — Donatio terrarum facta Farfensi cœnobio ejusque abbati Guidoni a Benedicto VIII pontifice maximo. 1587
VII. — Bulla Benedicti papæ VIII pro monasterio Sancti Sepulcri in loco Nocetti. 1589
VIII. — Benedictus VIII Henrico imperatori tradit cortes tres in ducatu Bavariæ sitas pro quibus Colle Calvum regalem curtem accipit. 1590
IX. — Benedictus VIII monasterii B. Petri Bremetensis libertatem et possessiones confirmat. 1591
X. — Privilegium Benedicti VIII papæ pro monasterio Casinensi. 1592
XI. Benedicti VIII papæ privilegium pro ecclesia Paderbornensi. 1593
XII. — Benedictus papa VIII castellum Buccinianum nuper a se recuperatum monasterio Farfensi confirmat. 1596
XIII. — Synodus Romana Benedicti VIII, in qua Fructuariensi cœnobii privilegium editum. 1597
XIV. — Benedictus VIII Popponi archiepiscopo Trevirensi pallium mittit. 1599
XV. — Benedictus VIII Benedicto archiepiscopo Saler-

mano pallium tribuit Ecclesiæque ejus jura confirmat. 1600

XVI. — Epistola Benedicti VIII ad episcopos Burgundiæ et Aquitaniæ. — Mandat ut invasores bonorum Cluniacensium, nisi satisfecerint, excommunicentur. 1601

XVII. — Erectio Bisulduensis Ecclesiæ in episcopatum. 1604

XVIII. — Benedictus VIII papa ecclesiam Bisulduensem nuper constructam a Bernardo comite Bisulduensi sub protectione sedis apostolicæ recipit. 1606

XIX. — Benedictus VIII papa confirmat bona monasterii S. Stephani Balneolensis Bisulduensis diœcesis. 1608

XX. — Privilegium Benedicti VIII papæ pro monasterio S. Petri Campirotundi in eodem comitatu Bisulduensi. 1613

XXI. — Benedicti VIII papæ bulla qua Farfensi cœnobio concedit monasterium Sancti Laurentii in Macri comitatu Campanino. 1616

XXII. — Benedictus VIII Ecclesiæ Portuensis privilegia possessionesque confirmat. 1617

XXIII. — Benedictus VIII Amato archiepiscopo Salernitano pallii usum concedit et privilegia Ecclesiæ ejus confirmat. 1623

XXIV. — Benedicti VIII privilegium pro Parthenone S. Mariæ et S. Andreæ. 1623

XXV. — Privilegium Benedicti papæ de confirmatione Babebergensis episcopi. 1624

XXVI. — Benedictus VIII monasterii S. Sophiæ Beneventani possessiones et privilegia confirmat. 1625

XXVII. — Bulla Benedicti VIII papæ, qua Pomposiano monacho cuncta privilegia et jura confirmat. 1626

XXVIII. — Benedicti VIII papæ privilegium pro monasterio Casinensi. 1627

XXIX. Epistola Benedicti VIII papæ ad Stephanum Arvernorum episcopum pro Cluniacensibus. 1629

XXX. — Benedictus VIII papa ad Willelmum abbatem monasterii Divionensis. 1629

XXXI. — Benedictus VIII papa concedit ut in ecclesia monasterii Rivipollensis canatur Alleluia et hymnus angelicus in festivitate Hypapanti (sive in festo Purificationis beatæ Mariæ), etiamsi ea inciderit post Septuagesimam. 1630

XXXII. — Benedicti VIII papæ epistola ad Guillelmum comitem. 1630

XXXIII. — Benedictus VIII, petente Rogerio comite Carcassonensi et conjuge ejus Adalhaide, res et jura monasterii S. Hilarii confirmat. 1632

XXXIV. — Benedictus VIII monasterii S. Savini possessiones confirmat. 1632

XXXV. — Beatus Simeon monachus et eremita in cœnobio Padolironensi agri Mantuani sanctorum confessorum canoni ascribitur. 1633

XXXVI. — Benedictus VIII Richardo abbati Fuldensi monasterium S. Andreæ donat. 1633

XXXVII. — Benedictus VIII Unwano archiepiscopo Hamburgensi pallium mittit, et que ei successoribus ejus legationem et archiepiscopalem potestatem in omnia regna septentrionalia concedit. 1635

XXXVIII. — De electione abbatis Casinensis. 1635

XXXIX. — Bulla Benedicti papæ VIII, qua Henrico sanctitatem a S. Benedicto restitutam esse testatur, monasterioque Casinensi asserta dona ab imperatore delata. 1636

XL. — Benedictus VIII monasterii S. Petri Luxoriensis privilegia a Joanne papa IV quondam concessa totidem verbis, interventu Henrici imperatoris renovat. 1638

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI NONI.



Ex typis MIGNE, apud Petit-Montrouge.

